MAGNENTIJ H-RABANI MAURI, EX ABBATE FULDENSI, ... OPERA, QUAE...

Maurus Hrabanus Magnentius, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 R
12

HRABAN
MAVRI
OPER
TOM:III

A 6
11

Digitized by Google

001

HRABANI MAVRI,

ABBATIS Primùm FVLDENSIS;
ORDINIS S. BENEDICTI;
poſteà
ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI

OPERVM

Quotquot reperiri potuerunt;

TOMVS TERTIVS

Nunc primùm in lucem editus.

Contenta huius Tomi vide pagina quarta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, ſub ſigno Gryphi.
ANNO M. DC. XXVI.

Digitized by Google

14-17-R-12

Digitized by Google

NB.

Tomo 3.pagina 347.in fine capitis 21. quæ ſequuntur omiſſa fuerunt,huc ergo repoſuimus.

At vero reprobi dum mala quæ Deum prohibuiſſe norunt, faciunt, quamuis ſuæ luxuriæ perpetratione carnaliter delectentur,mentis tantum pauore interno carere nequeunt,quia ſe mala perpetuo paſſuros, pro his quæ temporaliter male fecerunt non ambigunt.

Vir qui errauerit à via doctrinæ in cœtu gigantium commorabitur.

Gigantes dicit immundos ſpiritus, de quibus & B.Iob: [Iob. 26.] *Ecce gigantes*,inquit,*gemunt ſub aquis,& qui habitant cum eis*, id eſt,ſuperbi, & male fortes ſpiritus dæmoniorum,cum his quos deceperunt hominibus pœnis ſubacti torquentur, horum enim cœtui ſociabuntur quique à via veritatis errauerunt, ipſo iudice atteſtante, qui ſe illis dicturum eſſe [Matt. 25.] prædixit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & angelis eius.*

Pro iuſto datur impius,& pro rectis iniquus.

Iuſti & recti eſſe idem videntur, ſed diſtat inter impios & iniquos,quod iniqui ſint omnes reprobi, impij vero,qui maioribus implicati ſceleribus,vel nunquam ſacræ myſteria fidei receperunt,vel poſt accepta ad Apoſtaſiam redierunt. Vnde poteſt hoc in loco impius omnis fidelium perſecutor dictus accipi. Porro iniquorum vocabulo generaliter omnes mali deſignari. Et pro iuſto datur impius, cum pro martyre perſecutor, qui eum morti dedit punitur. Pro rectis iniqui qui eorum iuſtitiam videntes imitari nolebāt. Herodes damnatur non tantum pro innocentibus, quos impie neci tradidit,ſed & augmentū damnationis accipit, quia fidem magorum ſequi ad quærēdum Dominum noluit,eum eſſet Iudæus & Prophetarum dicta cognoſceret. [Luc. 11.] Hinc etenim Dominus ait: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta,& condemnabit eam*, &cæt. Non quia ipſa ſua virtute ac potentia condemnabit, ſed quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius ſcientes, cum multo facilius poſſent,ſapientiæ curam diſſimulabant habere.

Theſaurus deſiderabilis & oleum in habitaculo iuſti, imprudens homo diſſipabit illud. Claritas bonorum operum Domino ſemper amabilis & pinguedo dilectionis in ſanctorum Eccleſia refulget. Quem verſiculum B.Papa Gregorius in homilijs Euangelij iuxta antiquam tranſlationem poſuit. *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis*, verum reprobi non tantum virtutes non aſſequi, ſed etiam perſequi, & quantum valent in bonis obruere feſtinant. Poteſt ſane & hic verſus de quolibet martyrum accipi,in cuius habitaculo,id eſt,corpore, anima ſancta, Dei videlicet theſaurus ſeruetur,abundet & vnctio gratiæ ſpiritalis: at perſecutor imprudens huiuſmodi habitaculum diſrumpere poteſt, Theſaurum vero, qui habitaculo tenebatur & oleum nequaquam tangere poteſt: vnde Dominus docet non timeri eos qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius quid faciant.

Ciuitatem fortium aſcendit Sapiens & deſtruxit robur fiduciæ eius. Ciuitatem fortium mundum dicit, qui quondam malignorum ſpirituum tyrannidi, ſtulte ſubactus ſeruiebat, habens fiduciam vitæ in cultu eorum, qui non ſunt dij ſed opera manuum hominum;hanc ciuitatem intrauit ille natus in carne, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia, deſtruxitque per ſuos prædicatores cultum Deorum, in quibus fuere confiſi veritatis ignari, atque in fide cœleſtium docuit habendam eſſe fiduciam,quæ nunquam poſſet deſtrui. Sed & quotidie ciuitatem fortium aſcendit ſapiens & deſtruit robur fiduciæ eius, cum aliquis fidelis Doctor,argumenta Philoſophorum,vel Hæreticorum,vel etiam contumaces carnalium fratrum contradictiones,quibus ſua ſcelera defendere & alleuiare nituntur, aſſertione fidei, & Eccleſiaſticæ caſtigationis diſciplina redarguit, atque euiſcerans adnullat.

Teſtis mendax peribit: Vir obediens loquetur victoriam.

Qui ſe Deo ſeruire teſtatur,nec factis dicta exſequitur, peribit; Qui autem fideliter vt promittit,iuſſis ſubditur diuinis,huius loquela ad victoriam peruenit: Quia dū per inobedientiam ſua deſideria vincere ſatagit, per iuſtitiam iudicis poſtmodum victoriæ palmam percipit.

Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum; qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam.

Iudas quia impius corde erat, quamuis ipſo Domino ſe redarguente, noluit mala cœpta reſtringere; porro Petrus quia rectus erat corde,id eſt,rectitudinis amator,reſpiciēte ſe Domino mox pœnitendo correxit,quod negando deliquit. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Quæcunque conſiliantur & rapiunt hæretici,nihil eſt & vanum & inutile.

Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit. Hominis quidem eſt Deo deuoti,tempore perſecutionis animum præparare,corpus offerre diſcrimini. Sed diuini eſt adiutorij, vt cœpto labori agonis victoria ſaluſque ſuccedat.

Melius eſt nomen bonum quam diuitiæ multæ. Nomen bonum dicit, non quod à turbis vulgi imperiti, ſed quod fidelium: quamuis paucorum teſtimonio laudetur. Neque enim bonum habere nomen refugit, ſed à bonis ſolum quærebat laudari, qui ait. Si adhuc hominibus placerem CHRISTI ſeruus non eſſem. Nomen ergo bonum eſt nomen religionis, quod diuitijs mundialibus iure præfertur. Nam & ſi mundum quis lucraretur vniuerſum, merito hunc contemneret, tantum vt nomen eius ſcriberetur in cœlo, eiuſque memoria & inter Angelos & inter homines ſanctos figeretur æterna.

Super argentum & aurum gratia bona. Illam ſignificat gratiam, cum quis pro bono opere laudatur à bonis. Immo pro collatis ei donis meritorum,glorificatur pater qui in cœlis eſt.

Diues & pauper obuiauerunt ſibi vtriuſque operator eſt Dominus.

Neque diuitem propter diuitias honores, neque pro inopia pauperem deſpicias, ſed hoc in vtroque merito venerare, quia opus ſunt diuinum, quia ad imaginem Dei & ſimilitudinem facti.

Callidus videt malum & abſcondit ſe, innocens pertranſijt & afflictus eſt damno. Multi ex Principibus crediderunt in Dominum. Sed propter Phariſæos non confitebantur vt de Synagoga non eijcerentur. Quia enim erant callidi, videbant malum perſecutionis, quod imminebat & abſconderunt fidem pietatis quam parumper conceperant: Innocentes vero Apoſtoli,pertranſierunt itinere recto profeſſionis quo cœperant, & afflicti ſunt verbere, vinculis, carcere, & ipſa etiam morte mulctati, vtrumque autem exemplum, multi vſque nunc & in certamine fidei, & in communibus ſequuntur actibus. Hunc verſum antiqui interpretes manifeſtius,ſed in alium ſenſum tranſtulerunt. Aſtutus videns nequam puniri, valde ipſe diſciplinam accipit. Inſipientes autem prætereuntes damno afflicti ſunt.

Finis modeſtiæ timor Domini, diuitiæ & gloria & vita. Modeſtiam dicit conſtantiam operum bonorum, timorem vero Domini illum, qui permanet in ſeculum ſeculi. Quia nimirum perfectio virtutum eſt, ad hunc animi ſtatum conſcendere, qua gratiam conditoris vel in modico timeamus offendere. Nil prorſus eius memoriæ præponentes, quæ alibi charitas vocatur perfecta, foras mittens timorem,ſeruilem videlicet, & inſipientem,quo metuit quiſque ne forte peccando pœnis mereatur ſubigi. Quod autem ſubiungit, diuitiæ & gloria & vita in futuro ſignificat, finis ergo modeſtiæ timor Domini. Diuitiæ & gloria & vita. Quia nimirum perfectio virtutum eſt in hac vita, vt timeamus Dominum timore Sancto, hoc eſt ſincera illum dilectione colamus, finis virtutum in futuro, vt diuitias hæreditatis promiſſæ regni cœleſtis gloriam, & vitam ſine fine percipiamus à Domino. Vnde Petrus ait. Quem cum videritis exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.

Digitized by Google

A *Arma & gladij in via peruerſi cuſtos animæ ſuæ, longe recedit ab eis.*

Dupliciter intelligendum, quia peruerſi & armati ſunt ſemper ad nocendum proximis, verbo vel opere ſceleſto, & ipſos ſemper parata expectat vltio diuini examinis: Qui vero animam ſuam in æternum ſaluari procurat, longe refugit ab huiuſmodi armis & gladijs, quia & mentem manumque ſuam, à proximorum læſione refrænat, & ne animaduerſione diſtricti iudicis ipſe feriatur, intenta mente præcauet.

Prouerbium eſt, adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedit ab ea.

Conſtat pleroſque ſenectute Domino donante mutari à vitijs, quæ adoleſcentes habuerant, & è contra nonnullos illo ſe deſerente, deſerere circa ſenium virtutes quibus
B in adoleſcentia videbantur illuſtrari, ſed quia multo ſæpius quiſque mores quibus ab adoleſcentia imbutus eſt, in reliquum vitæ tempus exequi conſueuit, Prouerbium eſſe dicit, quia quod adoleſcens quiſque cæperit, in ſenecta non mutauerit, non tantum ipſe ſemper ita euenire confirmat: Idcirco autem huiuſmodi prouerbium ponit, vt auditores ſuos à prima ætate virtutibus ſtudere perſuadeat, ne forte in ſenectute non poſſint diſcere ſtudia, quibus in tenera ætate mancipari deſpexerant: Nam & quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu, & græca narrat hiſtoria Alexandrum potentiſſimum Regem, orbiſque domitorem & in moribus & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat infectus.

Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum ſeruus eſt fœnerantis. E

Patet iuxta literam, ſed & diuites virtutibus in iudicio occulti inſpectoris principantur eis, immo eorum in futuro iudices exiſtunt, qui virtutum diuitijs carent. Et qui verbum ſalutaris doctrinæ accipit à Doctore, ſeruus eſt eiuſdem Doctoris, id eſt, debitor implendi omnia quæ ille magiſterij cœleſtis iure præcipit.

Qui ſeminat iniquitatem metet mala: Certum eſt quia is qui vel verbo vel exemplo docet iniquitatem, recipiet vindictam: Sed quia ſequitur:

Et virga iræ ſuæ conſummabitur, illam maxime iniquitatem videtur dicere quæ immiti & impia mente peragitur, vt eſt, latrocinia exercere, homines ſeruitio premere, tormentis laniare, morte perimere. Bouem viduæ pro pignore auferre, ipſam de aduerſario, cum poſſit, vindicare non velle: Talis etenim merito virga iræ ſuæ conſummabitur, quia ſicut Dominus ait, omnes qui acceperint gladium F gladio peribunt, id eſt, qui iniuſte in alios ſæuiunt, ipſa ſæuitia ſibimet interitum conſciſcunt, verum quia dixerat de impio ſequitur è contra de Pio.

Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur, de panibus ſuis dedit Pauperi.

Huic ſimile eſt illud iudicis eiuſdem, qui miſericordes ab impiis diſcernens ait: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, quia eſuriui & dediſtis mihi manducare, & cætera. Poſſunt autem panes qui pauperi dantur, non ſolum alimenti carnalis, ſed etiam, doctrinæ ſpiritalis qua anima, &c. vti pag. 347. G

C

CATALOGVS EORVM, QVAE HOC TERTIO TOMO HRABANI MAVRI OPERVM continentur.

COMMENTARII

In Librum Iudicum Libri duo, pag. 1. &c.
In Librum Ruth. Liber vnus pag. 36.
In quatuor Libros Regum. Libri 4. pag. 45.
In duos libros Paralipomenon. Libri 4. pag. 145.
In librum Iudith. Liber vnus. pag. 243.
Cui ſubiungitur Commentarius Iacobi Pamelij in eundem librum. pag. 263.
In Librum Eſther. pag. 279.
In Cantica, quæ ad Matutinas laudes per ſeptimanam dicuntur. pag. 295.
In Prouerbia Salomonis. Libri tres. pag. 323.
In Librum Sapientiæ. Libri tres. pag. 362.
In Eccleſiaſticum. Libri X. 344.

H

D

Digitized by Google

HRABANI MAVRI ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI COMMENTARII IN LIBRVM IVDICVM ET RVTH.

Epiſtola HVNBERTI Epiſcopi ad HRABANVM Directa.

TOMVS TERTIVS.

ILLVSTRI VIRO, MERITOQVE INSIGNI ac præſtantiſſimo Patri, HRABANO MAVRO, HVNBERTVS, licet indignus, infula tamen ſacerdotali præditus, inmarceſcibilem æternæ ſoſpitatis in CHRISTO IESV Salutem.

LEgi literas tuas, dulciſſime Frater, quas ſancto, bonæq. memoriæ viro, Haiſtulfo Archiepiſcopo ſcripſiſti in fronte libri, quem ſudore proprio, prudentiſſimoq. ingenio compoſuiſti, ad prædicandum in anni circulo populum Chriſtianum: qui ſuauiter diſputat de obſeruantia Dominici diei, & de feſtiuitatibus ſanctorum, ac fide, ſpe, & charitate, nec non de cæteris virtutum ſpeciebus. Præterea legi & alios tres libros, quos ad eundem venerabilem virum feciſti, quos placuit de Inſtitutione clericorum nominari, quorum primus de Eccleſiaſticis ordinibus; & quatuor chariſmatibus diuinis narrat. Secundus continet de officio Canonicarum horarum, & de feſtiuitatibus variis, de ieiuniis, & orationibus. Tertius non ignobiliter inſtruit, qualiter diſcenda, atque diſſerenda ſcriptura diuinæ legis, & quid vtilitatis conferat Eccleſiaſticis Doctoribus Philoſophia humana. quibus perlectis, in quantum noſtri ingenioli fuit capacitas, intellexi, illos de omnibus, quæ neceſſaria ſunt ſanctæ Dei Eccleſiæ, laudabili magnitudine & breuitate eſſe complexos. Certe in veritate dico vobis, quia dici non poteſt, in quanta hilaritate mentis gratulatus gratias egi Deo, qui tam vtile vas iſtis in temporibus in ſua ſancta Eccleſia habere voluit, ex quo ille, qui multum, & ille, qui paruum potum quærit, haurire ac bibere poſſit & ex illo die (fateor) multum deſideraui veſtræ familiaritatis particeps fieri, vt ſaltem aliquando longe lateque, iam olim diſperſa, meruiſſem veſtra accipere ſcripta; ac propterea paucas direxi ad te litterulas, fraterna ammonens charitate, ne mentis acumen otio inerti torpere ſeu obdormire permittas, ſed ſedulo cotidieque ſacras ſcrutando ſcripturas, fretus patrum autoritate præcedentium, vigil atque indefeſſus vtiliſque in domo Domini ſemper exiſtas, ſcriptum namque legimus: Non poteſt ciuitas occultari ſupra montem poſita. *Item alio in loco:* Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed magis ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. *Auditum enim habeo, ſuper Eptaticum vos feciſſe ſermonem, ac ſuper Euangelium Matthæi Euangeliſtæ, nec non & ſuper Regum, ſuperna adiuuante gratia, pariterq; veterum innitente auctoritate, multa vtiliter ſcribendo dictaſſe: quapropter cauſa familiaritatis, veſtram obſecro Fraternitatem, vt mihi ſcribere, mihique tua dirigere ſtudeas opuſcula, quæ ex veterum Eccleſiaſticorum ſententiis. quaſi flores ex diuerſis pratis electi, domum Domini ornant, & quemcunque ſe amantem decorant, denique quia poſtulata, mihi credo quod concedas, mitto membranas, in quibus opto, eos primum ſuſcipiam libros, quos ſuper Eptaticum, veſtrum compoſuit ingenium. Non tamen propterea iſta poſco, quaſi deſint nobis iſtius operis ſcriptores. Habemus namq. Origenem, Victorinum, Ambroſium, Hieronymum, Caſſianum, Iſodorum, Auguſtinum, Fulgentium, atque Pontificem inſignem, eloquentiſſimum Gregorium, & cæteros Patres, quorum nomina non neceſſe tibi credimus enumerari. Qui in tantum tua ſunt induſtria cogniti, vt veraciter illorum linguam veſtrum dicere poſſim ſermonem; cum quod illi mira pulchritudine ac nimia longitudine ſermonis proferebant, tu eorum veſtigia ſagaciter prudenterq. ſequendo commatico melliſluoque comprehendis ſermone. breui enim expoſitione ſuccincta, vt ait Iſidorus Doctor egregius, non faciunt de prolixitate faſtidium, prolixa ergo & occulta tædet oratio; breuis & aperta delectat. Ideo veſtram deprecor ſolertiam, vt perlectis iſtius epiſtolæ litterulis, & ſi veſtra voluntas ita oportere iudicauerit, iubeatis illam ob veſtræ inuicem dilectionis, & ſocietatis indicium, in fronte libelli ponere, quem mihi rogaui à vobis reſcribere, vt poſcentis & præſtantis pariter affectus pareat & effectus. Intercedentem pro nobis veſtram beatitudinem Deus Dei filius, qui bonorum actor eſt omnium, perpetuo conſeruet incolumem. Reliquias dilectiſſime, quas flagitaſti, per por-*

titorem horum apicum tranſmiſi; de reliquo ſcias me ex intimo mentis affectu promptum ſemperque paratum in omnibus, quæ veſtra præcipere decreuerit voluntas; Fraternitatem tuam bene valere, dulcis amice, ſemper opto memorem noſtri.

Salue ſancte pater meritoq; beatus in orbe,
Tu decus es noſttum, ſancte Pater merito.
Sit tibi certa Deus, tibi caſſida Chriſtus Ieſus,
Qui te conſetuet ſemper vbique. *Vale.*

* * * * * *

PRÆFATIO SEQVENTIS OPERIS AD HVNBERTVM EPISCOPVM DICTATA.

DOMINO DILECTISSIMO, ET CVLTV SINCERISSIMÆ *charitatis valde obſequendo, atq; venerando Patri, Hunberto Epiſcopo, Hrabanus exiguus ſeruorum Dei ſeruus in Chriſto Salutem.*

ACceptis litteris Sanctitatis tua, quam ad paruitatem meam dirigere voluiſti, valde gauiſus ſum, eo quod tuam ſolertem in eis agnoſcebam induſtriam, & in ſtudio diuinarum literarum flotens ingenium: vnde pro hoc ſupplex Domino gratias egi, quia & tibi dedit in legis ſuæ meditatione deuotum habere exercitium & populo ſuo inde ſalubre percipere documentum, Igitur quia Paternitas tua à noſtra exiguitate ad hoc aliquantulum dignata eſt quærere ſolatium propter amorem Dei & veſtram etiam in eo, dilectionem humilem, in hoc opere profiteor, me vobis eſſe velle ſeruitorem, & boni ſtudii, quantum diuina gratia annuerit, beneuolum adiutorem, Dei tantum fiat voluntas in præſtando effectum, qui dedit & voluntatem. de cætero quia dignatus es mihi ſcribere, quatenus noſtrum opuſculum ſuper eptaticum tibi dirigerem, feci quantum potui, & nouiſſimam partem illius, hoc eſt, ſuper Iudicum, & Ruth, quam ad manus in præſenti habui, tuo nomini conſecratam modo direxi. Priorum vero librorum commentarios, hoc eſt, Pentateuchi Moyſi, quos, petente ſancto viro Freculfo, non ſine labore edidi, iam ſibi ad reſcribendum ttanſmiſi, quos cum recepero, exemplar eorum tibi ſcriptum deſtinabo. Ieſu naue vero expoſitionem bonæ memoriæ Friduricho, Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopo, nuper tranſmiſi; hoc ſimiliter, vt mihi redditum fuerit, ſi Dei voluntas eſt, tibi committere curabo, & non ſolum illa, ſed & omnia, quæ ad veſtram vtilitatem à nobis peruenire poſſunt, libentiſſime impendere cogito, tu tantum noſtram infirmitatem ſacris orationibus & piis exhortationibus releues, quia non ſolum propriæ ægritudinis moleſtia, verum etiam communis periculi, quod inſtanti tempore valide imminet, anxietate prægrauatus ſum. ac ideo veſtra oratione atque omnipotentis Dei miſericordia maxime indigeo, ne deficiam in tribulationibus, in neceſſitatibus, in periculis, & in temptationibus diuerſis. Hoc ergo ſcias, quia opus, quod tibi tranſmitto, non tantum ex maiorum dictis, quę meorum libris conſcripta repperi, ſed ex noſtro labore, quantum diuina gratia nos poſſe conceſſit, editum conſtat: ita vt partim Patrum ſententias, partim etiam & noſtri ſenſus exiguitatem, vbi neceſſarium exiſtimaui, proferat. Veſtra ergo prudentia & eorum ſapientiam atque eloquentiam laudare, & noſtram inertiam ac ruſticitatem ſufferre nouit, ſcitque illam Apoſtoli ſententiam adimplere, qua dicit, *Supportantes inuicem in charitate:* & item, *alter alterius,* Ephes. 4.
(inquit,) *onera portate, & ſic adimplebitis legem* Galat. 6.
Chriſti. In duobus ergo prioribus commentariorum libellis, Hiſtoria Iudicum ſenſu myſtico expoſita continetur, & in tertio, Ruth, quam aliqui Auctorum libro Iudicum aſſociant; aliqui vero ſeorſum ponunt, non parua ex parte explanata inuenitur; Hæc ergo relegens, ſi quid in eis congrue inueneris expoſitum. Illi hoc tribuas, à quo eſt omne bonum; quæ autem aliter inueneris, noſtræ infirmitati & imperitiæ magis deputes, quam malitiæ, & pro hoc apud omnipotentem Deum piis orationibus interuenire ſtudeas, vt eius ope fiat indultum atq; correctum, coram quo noſtræ infirmitatis nullo modo latet imperfectum, ſicut Pſalmiſta teſtatur dicens: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Pſal 138.
Bene ergo tibi conuenit reuerendiſſime Pater, vt qui in Eccleſia Dei, Dei officio iudicandi functus es, Iudicum librum inſtanter legas, & eorum bona opera atque iuſta iudicia ſtrenue imiteris, populumque Dei ab hoſtium clade armis ſpiritualibus defendas, & iuxta Doctoris gentium ſententiam, qua diſcipulum inſtruxit, ſollicite vigiles, pie labores, opus facias Euangeliſtæ, miniſterium tuum impleas: vt cum Princeps paſtorum, & Rex regum, Iudexque viuorum & mortuorum apparuerit, ſimul cum cæteris Eccleſiæ Dei ſanctis præſulibus percipias inmarceſcibilem gloriæ coronam, audiaſque ab ipſa veritate illud Euangelicum teſtimonium, quo ſeruum bene laborantem, & fideliter pecuniam Domini ſui erogantem laudat, dicens: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis,* Math. 25.
ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini

tui.

tui. Cuius gaudii Omnipotens Deus, Trinitas & indiuiſa Vnitas, cum ſanctis Angelis & electis animabus in cœleſti regno faciat te perpetualiter eſſe participem. Beatitudinem tuam bene valere ſemper in CHRISTO optamus, Sancte Pater, memorem noſtri.

JNCIPIVNT CAPITVLA, LIBRI PRIMI COMMENTARIORVM IN LIB. Iudicum.

DE eo quod filij Iſrahel, poſt mortem Ioſue, conſuluerunt Dominum, quis eorum, dux contra Chananæos fieri deberet. Et de interfectione Adonibezech Regis, & oppugnatione Chananæorum ac vrbis Hieruſalem. I.

De eo, quod Caleb ſpopondit filiam ſuam vxorem viri, qui percuteret Cariaſepher. Et quod Axa filia Caleb petit patrem dare ſibi terram irriguam II.

Quod filij Cynei cognati Moyſi deſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda, & habitauerunt cum eis, & quod Iudas montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis. III.

Quod filij Beniamin non potuerunt delere Iebuſæum in Hieruſalem, nec Manaſſes, in vrbibus ſortis ſuæ, deleuit Chananæum, ſed habitauerunt cum eis. Poſtquam autem confortatus eſt Iſrahel, fecit eos tributarios, & delere noluit. IV.

Quod Angelus Domini aſcendit de Galgal ad locum flentium, & increpauit Iſrahel pro peccatis ſuis atque negligentia. V.

Quod Ioſue populum dimiſit in ſuas poſſeſſiones ire, ſeruieruntque Domino, cunctis diebus eius, & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore. VI.

Mortuus eſt autem Ioſue, filius Nun, famulus Domini, centum annorum, omniſque generatio illa congregata eſt ad patres ſuos: feceruntque filij Iſrahel malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim, & dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum. VII.

Quod iratus Dominus contra Iſrahel, tradidit eos in manus diripientium, ſed eis pœnitentibus, ſuſcitauit iterum Iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus. VIII.

De eo, quod iratus Dominus pro malefactis Iſrahelitarum, tradidit eos in manus Chuſanrathaim Regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis, ſed iterum cum clamauerunt ad Dominum, ſuſcitauit eis ſaluatorem, & liberauit eos, per Othoniel videlicet, filium Cenez, fratrem Caleb minorem. IX.

De eo, quod peccantem Iſrahel tradidit Dominus in manu Eglon Regis Moab ſed eos iterum miſericorditer liberauit per Aoth, filium Hierte, ambidextrum, qui interfecit Eglon. X.

De Samgar filio Anath, qui percuſſit de Philiſtiim ſexcentos viros vomere, & defendit Iſrahel. XI.

De Debbora & Barach, qui percuſſerunt Iabin, Regem Chananæum, & Siſara Ducem eius. XII.

De Cantico myſtico, quod cecinerunt Debboora & Barach, filius Abinoam, poſt victoriam Domino. XIII.

Quod filij Iſrahel traditi ſunt propter peccata ſua in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde. IX.

EXPLICIVNT CAPITVLA Libri I.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI COMMENTARIORVM in Lib. Iudicum.

QVod Dominus, humiliato Iſrahel & ad ſe clamante, miſit Prophetam, qui commoneret eos de præteritis beneficiis Dei. I.

De eo, quod Angelus Domini venit ad Gedeon, in area virga frumentum cædente, mandans ei, vt liberet Iſrahel de manibus hoſtium, de holocauſto, quod ipſe Gedeon Deo offerebat per miniſterium Angeli ad ſe miſſi. II.

Quod Spiritus Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer vt ſe ſequeretur, & de ſigno velleris, quod idem Gedeon poſtulauit à Domino III.

Sermo Domini ad Gedeon mandans, vt à ſe dimitteret populi multitudinem, vbi cum viginti duo millia virorum dimiſerunt, & tantum decem millia cum eo remanſerunt. IV.

De probatione populi ad aquas, vbi de decem millibus tantum ad bellandum trecenti permanſerunt, quos cum tubis, lampadibus & lagenis armauit. V.

Præceptum Domini ad Gedeon, vt in caſtra Madianitarum deſcenderet, vbi ſomnium quendam narrare audiens, confortatus eſt, & per trecentos viros caſtra Madian fugauit. VI.

Quod Gedeon miſit nuncios in omnem montem Ephraim mandans vt deſcenderent in occurſum Madian, & occuparent aquas. VII.

De eo quod Gedeon, Zebee & Salmana, duces Madianos comprehendit, & viros Sochot ſibi inſultantes ſimul cum iis, adiunctis ſpinis ac tribulis, contriuit atque comminuit. VIII.

Vbi Iſrahelitæ poſtulantes dominari ſibi Gedeon & filios eius dederunt ei inaures aureas, quas tulerunt de præda Madianitarum, vnde fecit Gedeon Ephod, & poſuit illud in ciuitate ſua Ephra, quod fuit domui ipſius in ruinam. IX.

Quod terra quieuit per quadraginta annos, quibus præfuit Gedeon, & quod ipſe Gedeon ſeptuaginta habuit filios de vxoribus ſuis, de concubina autem ſolum habuit Abimelech. X.

Quod Abimelech omnes fratres ſuos interfecit, excepto ſolo Ioathan, filio Hierobaal minimo, qui abſconditus necem euaſit ſolus, & de paradigmate eiuſdem Ioatha ad viros Sychen prolato. XI.

Quod poſt mortem Gedeon auerſi ſunt filij Iſrahel, & fornicati cum Baalim, miſitque Dominus Spiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sychem, qui cœperunt, eum deteſtari & ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Hierobaal. XII.

Quod Gaal filius Obed, quærens Sycimitas auertere ab Abimelech, ab eo interfectus eſt, qui viros turris Sycimorum, frondibus arborum cæſis, per fumum & ignem necauit. Et de obitu ipſius Abimelech. XIII.

Quod poſt Abimelech ſurrexit in Iſrahel Thola, filius Ioa, patrui Abimelech, cui poſt viginti, &

tres annos ſucceſſit Iair, Galaadites, qui Iudicauit Iſrahel per viginti duos annos. XIV.
Quod peccantem Iſrahel Dominus tradidit in manus Philiſtiim & filiorum Ammon, ſed iterum eis ad pœnitentiam conuerſis defenſorem miſit, Iephte votum Domino faciens adeptus eſt de hoſtibus victoriam. XV.
De Manue & vxore eius ſterili, quibus Angelus Domini promiſit filium Samſon Naſaraum Domini, & de holocauſto, quod idem Manue ab Angelo admonitus offerebat Deo. XVI.
De vltione, quam fecit Samſon in Philiſtæis, propter ſponſam ſibi ablatam. XVII.
Quod tria millia virorum de Iuda, Samſon voluerunt tradere in manus Philiſtinorum, quibus ille traditus percuſſit ex Philiſtiim, in mandibula aſini, mille viros: Et quod fores portæ vrbis Gaſæ cum poſtibus ſuis nocte tulit, atque in montem portauit. XVIII.
Quod Samſon concupiuit in Gaſa mulierem meretricem, à qua ipſe per proditionem deceptus eſt. XIX.
Quod Samſon cæcus in conuiuium Philiſtinorum ad inſultandum adductus, duas columnas domus concuſſit, & ruente tota fabrica, ſecum plurimos hoſtium interfecit. XX.
De vltione ſtupri in Beniaminitas ab Iſrahel confecta. XXI.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI
Commentariorum in Lib. Iudicum.

INCIPIVNT CAPITVLA
Libri Rvth.

Tranſitus Elimelech, & Noemi vxoris ſuæ cum duobus liberis de Bethleem Iuda in terram Moab, vt peregrinarentur ibi. I.
Quod, ibi eis morantibus decem annis, ambo liberi eorum mortui ſunt, Mahalon videlicet & Gelion, remanſitque mulier orbata duobus liberis & marito. II.
Quod egreſſa Noemi de loco peregrinationis ſuæ, cum vtraque nuru, in terram Iuda reuerti diſpoſuit, nuruſque ſuas regredi in terram natiuitatis ſuæ, ſuaſit. III.
Quod Orpha reuertente, Ruth cum Noemi permanſit ac in terram Iuda peruenit. IV.
Quod meſſis hordeariæ tempus tunc erat, quando Noemi cum Ruth, nuru ſua, reuerſa eſt in Bethleem. V.
De eo, quod Booz cognatus Elimelech, videns Ruth colligentem ſpicas, remanentes poſt meſſores ſuos ſciſcitatus eſt quæ eſſet hæc mulier. VI.
Quod Booz iubet Ruth in agro ſuo ſine moleſtia cuiuslibet ſpicas colligere, eamque ad prandium vocauit. VII.
De eo, quod Ruth, vſque ad veſperam in agro ſuo morans, & quæ collegerat, virga excutiens, inuenit tres modios, quos portans reuerſa eſt ad ſocrum ſuam. VIII.
Conſilium Noemi ad Ruth, qualiter ſibi prouideat per ingenium futuras nuptias Booz. IX.
Quod Ruth, obediens conſilio ſocrus ſuæ, notauit locum, vbi Booz dormiebat, & veniens iuxta pedes eius ſe proiecit. X.
Reuerſio Ruth ad ſocrum, quæ portauit ſex modios hordei, narrans ſocrui ſuæ omnia, quæ facta fuerant. XI.
De aſcenſu Booz ad portam ciuitatis & conlocutione ius ad conſanguineum ſuum de accipienda Ruth vt ſuſcitet ſemen conſanguinei ſui defuncti. XII.
Quod ipſe nolens coram teſtibus ſuis ſoluebat homo calceamentum ſuum de pede, & tradidit Booz. XIII.
Quod Booz coram teſtibus firmauit nuptias Ruth, & quod eis cuncti deprecabantur proſpera. XIV.
De eo, quod Ruth, peperit filium Booz, nomine Obed, quem Noemi ponens in ſinu ſuo, nutricis ac gerulæ officio fungebatur. XV.
Recapitulatio generationis Booz à Phares filio Iuda vſque ad Dauid filium Ieſſe. XVI.

* * * * * * * * *

Digitized by Google

INCIPIT LIBER PRIMVS COMMENTARIORVM HRABANI MAVRI IN VOLVMEN IVDICVM.

P*OST mortem Ioſue, conſuluerunt filij Iſrahel Dominum, dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? dixitque Dominus, Iudas aſcendet; ecce tradidi terram in manus eius. Et ait Iudas Simeoni Fratri ſuo, aſcende mecum in ſorte mea, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in ſorte tua. Et abijt cum eo Simeon, aſcenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum,* & reliqua.

In fine libri Ieſunauæ breuiter narrator porrexit hiſtoriam, quouſque filii Iſrahel ad colendos Deos alienos declinauerunt; In hoc autem libro ad ordinem redit, quomodo conſequentia geſta fuerint poſt mortem Ieſunauæ, Non ergo ab illo tempore incipit liber, quo populus ad colenda ſimulacra defluxit, ſed à prioribus interpoſitis temporibus, quibus ea geſta ſunt, Poſt quæ ad illa peruenit.

Et factum eſt, poſtquam defunctus eſt Ieſus interrogabant filij Iſrahel Dominum, dicentes: Quis aſcendet nobiſcũ ad Chananæum Dux ad debellandum eum? Et dixit Dominus, Iudas aſcendet: ecce dedi terram in manus ipſius. Hic quæritur, Vtrum aliquis homo Iudas vocabatur, An ipſam tribum, ita vt ſolet, ſic appellauit? Sed illi, qui interrogauerant Dominum poſt mortem Ieſunaue, ducem requirebant: vnde putatur vnius expreſſum hominis nomen; verum quia non ſolet duces nominare ſcriptura, cum conſtituuntur, niſi commemorata etiam origine parentum, & conſtat poſt Ieſum Duces habuiſſe populum Iſrahel, quorum primus eſt Othoniel filius Zenez: rectius intelligitur, nomine Iudæ tribum Iudam fuiſſe ſignificatam; ab ipſa enim tribu voluit Dominus incipere conteri Chananæos. Et cum populus de Duce interrogaſſet, ab hoc valuit reſponſio Domini, vt ſcirent Deum noluiſſe ad vniuerſo populo bellari aduerſus Chananæos. Dixit ergo: *Iudas aſcendet*, & ſequitur ſcriptura narrans. *Et dixit Iudas ad Simeon Fratrem ſuum:* Vtique tribus ad tribum. Non enim adhuc viuebant illi filii Iacob, qui dicti ſunt Iudas & Simeon: inter cæteros fratres ſuos propriis nominibus appellati. Sed dixit tribus Iuda ad tribum Simeon: *Aſcende mecum in ſorte mea, & bellemus in Chananæo, & ibo etiam ego tecum in ſortem tuam.* Manifeſtum eſt, auxilium ſibi tribum Iuda alterius tribus poſtulaſſe, quod redderet, cum & illi in ſua ſorte habere inciperent neceſſarium. *Inueneruntque Adonibezech in Bezech, & pugnauerunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum & Ferezæum. Fugit autem Adonibezech, quem ſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum,* &c. Quis autem iſte Adonibezech melius, quam Diabolus, intelligi poteſt, hoſtis antiquus, & inimicus omnis iuſticiæ, q regnat in Bezech, hoc eſt, in fulgore vel in contemptu vano. Interpretatur autem Adonibezech *Dominus fulminis*. Et Apoſtolus de eodem antiquo hoſte ita dicit: *Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis*; tota autem eius potentia atque poteſtas vanitas eſt, quem filii Iuda, hoc eſt, filii confeſſionis, ac filii Simeon, hoc eſt, filii exauditionis, debellant, cum fideles quique ſcuto fidei atque armis virtutum contra eum dimicant, comprehendenteſque eum cædunt, ſummitates manuum ac pedum, cum primordia malæ operationis atq; veſtigia praui exempli abſcindere viriliter contendunt, quatenus maligni fraus efficaciam repentinæ deceptionis non inueniat, cum vigor illi nocendi ſpiritali dimicatione aufertur. *Oppugnantes ergo filij Iuda Hieruſalem ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem. Et poſtea deſcendentes pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campeſtribus. Pergenſque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Ebron, cuius nomen fuit antiquitus, Cariatharbe, percuſſit Siſai, & Ahiman, & Tholmar, atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariatſepher,* id eſt, ciuitas literarum. Huius loci Ioſephus *in libro antiquitatum quinto*, ita meminit dicens: *Inter hæc obſederunt Hieroſolymam, ſed hanc quidem longo tempore capientes, omnes in ea habitantes interemerunt. Erat enim eis valde grauis deſuper munitio murorum, & loci natura reſiſtendi. Vnde caſtrametati ſunt in Ebron, & hanc capientes omnia interfecerunt.* Relinquebatur autem genus adhuc Gigantum, qui propter magnitudines atque formas in nullo aliis hominibus proximas vltra modum mirabiles. Hactenus eorum oſſa monſtrantur in nullo his, de quibus fides habebatur, æqualia: Quorum genus Leuitis præcipue dederat munus, etiam cum duobus millibus cubitis terram quoque dono dederant mantomoſeos; hic enim fuit vnus exploratorũ, quos miſit Moyſes in Chananæã.

Dixitque Chaleb: Qui percuſſerit Cariatſepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam, vxorem. Iam hoc & in libro Ieſunaue commemoratum eſt, ſed vtrum Ieſu viuente factum ſit, & nunc per recapitulationem repetitum, an poſt eius mortem poſteaquam dictum eſt, *Iudas aſcendet. Et cœpit Iudas debellare Chananæos*, in quo bello iſta omnia geſta narrantur, merito quæritur? Sed credibilius eſt, poſt mortem Ieſu factum, tunc autem per prolepſin, id eſt, per præoccupationem commemoratum, quemadmodum & alia. Nunc enim cum res geſtæ aduerſus Chananæos tribus Iudæ exponerentur, ita ſe narrationis ordo continet, inter cætera Iudæ facta bellica, de quo poſt mortem Ieſu dixerat Dominus, *Iudas aſcendet. Et poſtea deſcenderunt filij Iuda pugnare ad Chananæum, qui habitabat in montanis, & Auſtrum, & campeſtrem. & abijt Iudas ad Chananæum inhabitantem in Ebron, & exijt Ebron ex aduerſo, nomen autem erat Ebron Cariatharbe, & percuſſit Seſi, & Ahiman, & Chalmi filios Enach, & aſcenderunt inde ad inhabitantes Dabyr.* (Nomen autem Dabyr, quod erat ante ciuitas literarum.) *Et dixit Chaleb: Quicunq; percuſſerit ciuitatem literarum, & acceperit eam, dabo ei filiam meam in vxorem.* Conſtat ergo ex hoc ordine geſtarum rerum, tam perſpicue poſt mortem Ieſu hoc eſſe factum. Tunc vero cum ciuitates datæ ipſi Chaleb commemorarentur, progreſſus eſt ex occaſione narrator, quod poſtea factum eſt, præoccupauit, nec tamen fruſtra arbitror, hoc de filia Caleb data in victoris præmium bis numero Scripturam commemorare voluiſſe. Alia naſcitur quæſtio de filia Caleb, quod in libro Ieſunaue ſic de illa dicitur: *Et factum eſt, cum ingrederetur ipſa, & conſilium habuit cum eo, dicens: Petam patrem meum agrum, & exclamauit de aſino,* &c. vbi agrum petit à patre, atque conceſſus eſt. Hic autem, *Et factum eſt*, inquit, *cum ingrederetur ipſe; monuit eam Othoniel, vt peteret à patre ſuo agrum.* Sed in eo, quod ibi dictum eſt, *Cum ingrederetur ipſa*, & hic dicitur, *cũ ingrederetur ipſe*, nihil contrariũ eſt: ſimul.n. ingrediebantur viã. Quod vero ibi dictum eſt. *Conſilium habuit cum eo*, id eſt, cum viro ſuo, dicens; *Petam Patrem meum agrum*, & exclamauit de aſino & petit: in eo, quod habuit conſiliũ, ibi monita eſt, vt peteret, quorũ alterũ ibi dictũ eſt, alterũ hic: vtrumq; aũt ita diceretur. *Et conſilium habuit cum eo, dicens; petam pa-*

2. Corin. 11.

A *Patrem meum agrum*: ille autem monuit eam, & exclamauit de aſino. Porro autem quod ibi agrum refertur petiiſſe, nec nomen ipſius agri tacitum eſt, hic vero cum agrum petere monita fuerit à viro ſuo; non agrum petiiſſe dicitur clamans de ſubiugali, quod ibi dictum de aſino, ſed redemptionem aquæ, eo quod in terram auſtri fuiſſet tradita. Vnde nunc ſubditur; *Quæ cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Chaleb, quid habes? at illa reſpondit, da mihi benedictionem, terram arentem dediſti mihi, da & irriguam aquis? Dedit ergo ei Chaleb irriguam ſuperius & irriguam inferius.* Spiritualiter autem anima ſuper aſinum ſedit, cum irrationabilibus carnis ſuæ motibus anima præſedit, quæ ſuſpirans à patre terram irriguam petit, quia à creatore noſtro cum magno gemitu quærenda lachrymarum gratia. Sunt namque nonnulli, qui iam in dono perceperunt libere pro iuſtitia loqui, oppreſſos tueri, indigentibus poſſeſſa tribuere, ardorem fidei habere; ſed adhuc gratiã lachrymarum non habent. Hi nimirum terram auſtralem & arentem habent, ſed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus poſiti, B quibus magni atque feruentes ſunt, oportet nimirum, vt aut timore ſupplicii, aut amore regni cœleſtis mala etiam, quæ ante perpetrauerunt, deplorent. Et licet in multis ſpeciebus compunctio diuidatur, quando ſingulæ quæque à pœnitentibus culpæ planguntur; vnde ex voce quoque pœnitentium Hieremias ait; *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus:* principaliter tamen compunctionum genera duo ſunt, quia Deum ſitiens anima, prius timore compungitur, poſt amore; prius enim ſeſe in lachrymis afficit, quia dum malorum ſuorum recolit, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit; At vero cum longa mœroris anxietudine fuerit formido conſumpta, quædam iam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, in amoreque cœleſtium gaudiorum animus inflammatur; & qui prius flebat, ne duceretur ad ſupplicium, poſtmodum flere amariſſime incipit, quia differtur à regno. Contemplatur etenim mens, qui ſint illi Angelorum chori, quæ ſocietas ſanctorum Spirituum, quæ maieſtas internæ viſionis Dei, & amplius plangit, quia à bonis perennibus deeſt, quam C prius, cum mala æterna metuebat; ſicque fit, vt perfecta compunctio formidinis tradat animo punctionem dilectionis, quod bene in hac ſacra veracique hiſtoria figurata narratione deſcribitur. Quia ergo (vt dixi) duo ſunt compunctionis genera, dedit ei pater ſuus irriguum ſuperius & irriguum inferius. Irriguum quippe ſuperius accipit anima, cum ſeſe lachrymis cœleſtis deſiderio regni affligit: Irriguum vero inferius accipit, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. & quidem prius inferius ac poſt irriguum ſuperius datur, ſed quia compunctio amoris dignitate præminet, neceſſe fuit vt prius irriguum ſuperius, & poſt irriguum inferius commemorari debuiſſet.

Thren. 3.

III. *Filij autem Cinei cognati Moyſi deſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Marath, & habitauerunt cum eo.* Hinc Ioſephus; Dederunt autem & filiis Iethim Madianitæ, qui fuit gener Moſeos terram ad poſſidendum; Nam patriam relinquentes ſecuti ſunt eos, & fuerunt in deſerto cum eis: *Cepitque Iudas Gazam cum finibus ſuis,* D *& Aſcolonem, atque Accaron cum terminis ſuis, fuitque Dominus cum Iuda, & montana poſſedit. Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Dederuntque Caleb Ebron, ſicut dixerat Moyſes, qui deleuit ex eo tres filios Enach.*

Quod in libro Ieſunaue, cum illum locum tractarem, vbi ſcriptum eſt; *Et dedit Dominus Iſrahel omnem terram*, cum multas eius partes nondum poſſiderent; dixi, ita poſſe intelligi omnem terram datam, quia ea, quæ data non eſt in poſſeſſionem, datam in quandam exercitationis vtilitatem: hoc multo euidentius hic apparet, quandoquidem commemorantur ciuitates, quas non hæreditauit Iudas, & dicitur: *Erat Dominus cum Iuda, & hæreditauit montem, quoniam non potuerunt hæreditare inhabitantes in valle.* Quis enim non intelligat, etiam hoc ipſum ad id pertinuiſſe quod erat Dominus cum E Iuda, ne totum repente obtinendo extolleretur: quod enim adiungit quomodo Rechab obſtitit eis, & currus erant eis ferrei, quos currus timuerit, dictum eſt, non Dominus, qui erat in Iuda, ſed ipſe Iudas. Cur autem timuerit, cum quo Dominus erat, ſi quæritur, hoc quod prudenter intelligendum eſt refringere Deum propitium etiam in cordibus ſuorum nimiæ proſperitatis exceſſus, vt in vſu eorum conuertat inimicos: non ſolum, quando vincuntur inimici, ſed etiam quando metuuntur: Illud ad commendandum largitatem ſuam, illud ad eorum reprimendam elationem. Nam vtique inimicus ſanctorum eſt Angelus Sathanæ, quem tamen ſibi datum colaphizantẽ dicit Apoſtolus, ne magnitudine reuelationum extolleretur. *Et dederunt*, inquit, *Caleb Ebron, ſicut locutus eſt Moyſes, & hæreditauit inde tres ciuitates filiorum Enach, & abſtulit inde tres filios Enach*, iam hoc dictum eſt in libro Ieſunaue, quoniam illo viuo factum eſt, ſed hic recapitulando commemoratum eſt, cum de tribu Iuda, vnde fuit Caleb, Scriptura loqueretur. F

2. Corin. 12.

IV. *Iebuſæum autem habitatorem Hieruſalem non deleuerunt filij Beniamin. Habitauitque Iebuſæus cum filiis Beniamin in Hieruſalem vſque in præſentem diem.* Quæritur quomodo dictum ſit; *Et Iebuſæum habitantem Hieruſalem non deleuerunt* ſiue: *non hæreditauerunt filii Beniamin. Et habitauit Iebuſæus cum filiis Beniamin in Hieruſalem vſque in hodiernum diem:* cum ſuperius legatur eadem ciuitas à Iuda capta & incenſa, interfectis in ea Iebuſæis, ſed cognoſcendum eſt, iſtam ciuitatem communem habuiſſe duas tribus, Iudam & Beniamin: ſicut oſtendit ipſa diuiſio terrarum, quæ facta eſt à Ieſunaue. Ipſa eſt enim Iebus, quæ Hieruſalem. Ideo duæ iſtæ tribus remanſerunt ad templum Domini, quando cæteræ, excepta Leui, quæ ſacerdotalis fuit, & terras in diuiſionem non accepit, ſeparauerunt ſe à regno Iuda cum Ieroboam. Intelligendum eſt ergo, à Iuda quidem ciuitatem captam & incenſam, interfectis qui illic repertí fuerant, ſed non omnes Iebuſæos extinctos, ſiue quia erant extra illam ciuitatem, ſiue quia fugere potuerunt, quos reliquos Iebuſæos admiſſos eſſe à filiis Beniamin, quibus cum Iuda erat ciuitas illa communis, ac in ea G ſimul habitabant. Quod ergo dictum eſt; *Non hæreditauerunt Iebuſæum filii Beniamin*; intelligendum, quod tributarios eos facere potuerunt ſiue voluerunt. Aut certe; *& habitauit Iebuſæus:* dictum eſt, quia non ſine illo tenuit terram, quam ab illo poſſidebat. *Manaſſes quoque non deleuit Bethſan, & Thanach cum viculis ſuis, & habitatores Dor & Ieblaam, & Mageddo cum viculis ſuis. cœpitque Chananæus habitare cum eis. Et non hæreditauit Manaſſes Bethſan*, quæ eſt Scytharum ciuitas, ipſa hodie perhibetur Scythopolis dici. Poteſt autem mouere, quomodo in illis partibus multum ab Scythia diuerſis poterit eſſe Scytharum ciuitas? Sed ſimiliter poteſt mouere, quomodo tam longe à Macedonia Macedo Alexander condiderit Alexandriam ciuitatem? Quod itaque fecit longe lateque bellando, ita etiam cum recte aliquando bellando longinqua progrederentur, iſtam condere potuerunt. Nam legitur in hiſtoria gentium vniuerſam pene Aſiam Schytas aliquando tenuiſſe, cum Regi Ægyptiorum illi, qui eis vltro bellum indixerant irent obuiam, quorum aduentu territus ſe in regnum recepit. H *Poſtquam autem confortatus eſt Iſrahel, fecit eos tributarios, & delere noluit.* Iam tale aliquid dictum eſt, in libro Ieſunaue pene ipſis verbis, proinde aut hic per Anacephalæoſin dicitur, aut illic per prolepſin dictum eſt, id eſt, aut hic recapitulando, aut illic præoccupando.

Quid enim Chananæus, gentilis videlicet populus, niſi vitium ſignat? Et in magnis virtutibus terram repromiſſionis ingredimur, quia ſpe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta ſublimia, vitia quædam parua retinemus, quaſi Chananæum habitare in terra noſtra concedimus, qui tamen tributarius efficitur, quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus,

Digitized by Google

ad vſum vtilitatis noſtræ humiliter retorquemus, vt eo de ſe mens & in ſummis vilia ſentiat, quo ſuis viribus etiam parua quæ appetit non expugnat; vnde bene rurſum ſcriptum eſt: *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſrahel.* Ad hoc namque quædam minima noſtra vitia retinentur, vt ſeſe noſtra intentione ſolicita in certamine ſemper exerceat, vt eo de victoria non ſuperbiat, quo viuere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat. Iſrahel ergo reſeruatis gentibus eruditur, quando in quibuſdam minimis vitijs elatio virtutis noſtræ comprimitur, & in paruis ſibi reſiſtentibus diſcit, quod ex ſe maiora non ſuperat. *Arctauitque Amorræus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent.* Et contribulauit Amorræus filios Dan in monte, quoniam non permiſit eos deſcendere in vallem. Et hoc ſimiliter aut in libro Ieſunaue præoccupando commemoratum eſt, aut hic recapitulando.

V. *Aſcendiſque Angelus Domini de Galgal ad locum flentium & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terrã, pro qua iuraui patribus veſtris, & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum, ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum ſubuerteretis: & noluiſtis audire vocem meam; cur hoc feciſtis? quamobrem nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam.* Alia autem editio ſic habet: *Et aſcendit Angelus Domini ſuper clauthmos montem.* Scriptor libri hoc nomine appellauit locum, quia poſtea ſcripſit, nam quando angelus Domini ſuper eum aſcendit, nondum ſic appellabatur, A ploratione quippe nomen accepit, quia græce clauthmos ploratio dicitur: ibi enim populus fleuit, cum audiſſet ab hoc angelo verba Domini vindicantis in eos, quod inobedientes fuiſſent, quia non exterminauerunt populos ſecundum præceptum eius, quibus præualuerunt, eligentes eos facere tributarios, quam interimere & perdere, quemadmodum iuſſerat Dominus, quod ſiue contempto Dei mandato, ſiue timore fecerint, ne hoſtes aduerſum ſe acrius pugnare pro ſalute obtinenda, quam pro tributo non dando cogerẽt, ſine dubio peccauerunt, & ſpernendo, quod diuinitus imperatum eſt, & non præſumendo, quod eos poſſet, qui imperauerat adiuuare, quod ideo per Ieſum noluit eis dicere, ſi tamen eo adhuc viuente iam fieri præceperat, & non potius præoccupando commemoratum fuerat, quod illo mortuo fieri cœpit, quia hoc omnibus voluit exprobrare per angelum. Nondum autem omnes id fecerant, viuente Ieſu. Et ſi aliqui forte iam cœperant; credibilius eſt tamen nihil tale fieri cœptum viuente Ieſunaue, tantumque terrarum ſub illo renuiſſe filios Iſrahel, quantum eis ad conſidendum ſufficeret, quamuis in fortibus ſuis haberent, vnde creſcendo & conualeſcendo adhuc aduerſarios exterminarent. Proinde poſt mortem Ieſu, poſteaquam præualuerunt, vt hoc poſſent facere, maluerunt eos habere tributarios ſecundum voluntatem ſuam, quam interimere & perdere ſecundum voluntatem Dei; propter hoc ad eos corripiendos angelus miſſus eſt. Quod vero commemoratum eſt in libro Ieſunaue, magis exiſtimo præoccupando commemoratum, quod poſt eius mortem, & futurum eſſe, iam ipſe nouerat prophetico ſpiritu, ſi ab illo liber conſcriptus eſt, qui appellatur Ieſunaue: & ſi ab alio ſcriptus eſt, iam factum eſſe ſciebat poſt mortem Ieſunaue quod in illo libro præoccupando commemorauit. Quid eſt, quod angelus Domini inter cætera diuinæ comminationis dicit: *Quamobrem nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam?* Niſi vt intelligamus nonnulla etiam de ira Dei venire peccata, vt enim dij gentium, inter quas non à ſe exterminatas Iſrahelitæ habitare voluerunt, eſſent in eis ſcandalum, id eſt, facerent eos ſcandalizare in Domino Deo ſuo, eoque offenſo viuere, indignans hoc comminatus eſt Deus, quod certe manifeſtum eſt magnum eſſe peccatum.

VI. *Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filij Iſrahel, vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam.* Hoc per recapitulationem iterari nulla dubitatio eſt. Nam & mors ipſius Ieſunaue etiam in hoc libro commemoratur, vt tanquam ab exordio cuncta breuiter inſinuarentur, ex quo eis Dominus dedit terram, & quemadmodum ſub ipſis iudicibus vixerunt, quæ iam perpeſſi ſunt: atque iterum reditur ad ipſorum iudicum ordinem, ab eo, qui primus eſt conſtitutus. *Seruieruntque Domino cunctis diebus eius, & ſeniorum, qui longe poſt eum vixerunt tempore, & nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſrahel.* Seruiuit ergo populus Domino omnibus diebus Ieſu, & omnibus diebus ſeniorum, qui fuerant poſt Ieſum. Beatus eſt, qui in diebus Ieſu ſeruit Domino, qui verbo & ſapientia eius illuminatur, qui præceptis eius illuſtratur, qui ex doctrina eius accipit lumen ſcientiæ. Secundo tamen loco & ille poſt hunc eſt beatus, qui in diebus ſeniorum, qui fuerunt poſt Ieſum, ſeruit Domino. Seniores, vel qui cum Ieſu, vel poſt Ieſum fuerunt, qui ſunt alij, niſi Apoſtoli, qui & ipſi ſcriptis & præceptis ſuis inluminant corda noſtra, & faciunt etiam ipſi dies quoſdam in nobis ex illa luce, quam ipſi ex vera luce participati ſunt venientes. Qui ergo illuminatur, & inſtruitur ex Apoſtolorum præceptis, & ad ſeruitium Domini Apoſtolicis regulis inſtruitur vel inſtituitur, iſte eſt, qui ſeruire dicitur Dño in diebus ſeniorum, qui fuerunt poſt Ieſum. Vis autem videre, quia ſicut Saluator *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ita & Apoſtoli lux erant mundi. Ioan. 1. In euangello ſcriptum eſt, dicente Domino ad eos: *Vos eſtis lux mundi.* Matth. 5. Quod ſi etiam Apoſtoli ſunt lux mundi, ſine dubio per præcepta & mandata ſua illuminant nobis dies, in quibus Domino ſeruiamus. Quod autem dixit: *Omnibus diebus Seniorum, qui longorum dierum fuerunt poſt Ieſum*: nec hoc mihi otioſe dictum videtur, quod *longæui*, vel *longorum dierum* dicuntur eſſe ſeniores, qui poſt Ieſum fuerunt, & quidem Dei eſt ſolius noſſe poſt Ieſum, qui fuerit inter ſeniores, qui longiorem diem fecerit, id eſt, qui maiorem ex ſe miſerit lucem: vtrum Paulus, an Petrus, Bartholomæus, an Ioannes. Veruntamen longorum dierum dicuntur ſancti. E contrario vero, quando ſcandalis mundus replebitur, quando increſcente iniquitate refrigeſcet charitas multorum, & quando veniens Filius hominis difficile fidem inueniet ſuper terram: Matth. 24. Luc. 18. tunc non dicuntur futuri longi dies, ſed magis adbreuiari dicuntur, ſicut dixit Dominus; *Quia niſi adbreuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua vlla caro.* Matth. 24. Mali ergo dies breuiari dicuntur. longæui autem ſunt & multi temporis, & grandis quodammodo ſpatij dies boni, in quibus Domino ſeruimus. Vide tamen, quia & hoc deſignauit in euangelio, *quod propter electos breuiabuntur dies illi.* Ibid. Electis ergo breuiantur dies mali, dies iniquitatis & ſcandali. Dies vero ſeniorum ſanctorum longæui ſunt & prolixi. Sed & illud, quia dicentibus nobis occurrit, & vtinam, Domino ſuggerente, occurreret, prætereundum non eſt, quod dixit; *quia ſeruiuit populus Domino omnibus diebus Ieſu.* Non dixit vnum diem fuiſſe Ieſu, ſed multi ſunt dies Ieſu. Quos ergo multos ponimus dies ſecundum hunc ordinem quem expoſuimus? Ego ſic arbitror, quod vnus dies ipſius eſt, iuſtitia, alius ſanctificatio, alius prudentia, alius miſericordia, & ſic per ſingula virtutum bona dies forte ſupputar. putat Ieſu, in quibus Domino ſeruitur, quia in his virtutibus animæ Dominus placatur. Sed & patientiam ipſius computato diem & manſuetudinem, & pietatem, & bonitatem, & omne quod ad virtutem pertinet, ipſius dicito diem; & ſic in omnibus diebus Ieſu Domino ſerules, id eſt, in omnibus his virtutibus. Non enim vult ſcripturę ſanctæ inſtitutio, vt aliquas ex his virtutibus habeas in te, & alias negligas; ſed vt omnibus his virtutibus adornatus, & in earum actibus poſitus ſeruias Deo. Eodem autem modo quis etiam ſeniorum dies habet in ſe, & in diebus eorum ſeruit Deo, implens illud, quod dicit Apoſtolus Paulus: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* 1. Cor. 11. In diebus, inquit, ſeniorum eorum, qui cognouerunt omnia opera Domini. Quis eſt, qui cognoſcit omnia opera Domini, niſi qui facit ea? Hoc modo etiam hic ſentiendum eſt, quod dicit: *Qui cognouerunt omne opus Domini.* Et non ſolum

A inquit; *Qui cognouerunt opus Domini*, ſed addidit; *Qui omne opus cognouerunt Domini*, id eſt, qui cognouerunt & iuſtitiæ opus Domini, & ſanctificationis opus, & patientiæ, & manſuetudinis, & pietatis, & omne, quicquid ex mandatis Dei venit, opus Domini dicitur. Sed ſicut eſt opus Domini, eſt ſine dubio huic contrarium opus diaboli: Certum eſt enim, quia ſicut iuſtitia opus Dei, ita & iniuſtitia opus diaboli; & ſicut manſuetudo opus Dei eſt, ita & ira vel furor opus ſit diaboli, cognouiſſe ergo dicuntur Domini illi, qui faciunt opus eius. Sed & illud quomodo præterimus, quod addidit: *Qui cognouerunt opera Domini magna, quæ fecit in Iſrahel.* Quid enim ſunt aliqua Domini opera parua, ad quorum diſtinctionem hæc magna dicantur? Ego arbitror, quod omne quidem Dei opus magnum eſt, ſed pro capacitate eorum, quibus operatur, ſi ſibi inuicem comparentur, vel magna opera Domini dicuntur eſſe, vel parua. Verbi cauſa. Eduxit filios Iſrahel de Ægypto in manu forti & brachio excelſo, Ægypto prodigiis cœleſtibus verberata, B viam fecit in mari; Manna in deſerto populo dedit; de cœlo locutus eſt ad Moyſen, legē conſcriptam in tabulis lapideis dedit. Nōne hæc magna ſunt opera Dei? Sed ſi illud his compares, quod ita dilexit Deus hunc mundum, *Ioan. 3.* vt filium ſuum vnicum daret pro ſalute mundi; inuenies illa omnia parua eſſe ad huius operis magnitudinem, quod opus etiam nos & cognoſcere debemus, & credere, & operari opera Domini non negligenter, ſed fideliter & attente, vt inueniamur & nos in diebus Ieſu Chriſti *Hier. 48.* & in diebus ſeniorum ſanctorum eius Apoſtolorum, cum quibus & ſocietatem cœleſtis hæreditatis mereamur accipere per ipſum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.

VII. *Mortuus eſt autem Ioſue filius Nun, famulus Domini, centum decem annorum, & ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ, in Thamnachſare, in monte Ephraim, à ſeptentrionali plaga montis Gaas. Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos. Et ſurrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſrahel.* Verum quomodo inſtitueramus hæc, quæ de filio Naue legebantur, ad Dominum noſtrum C IESVM CHRISTVM referre videndum eſt, quomodo etiam de eo ipſo dici conueniat, quia defunctus eſt IESVS. Ego arbitror ſecundum Scripturæ ſacræ authoritatem loquens, quod in quibuſdam viuit IESVS, in quibuſdam vero defunctus eſt. In Paulo viuit IESVS, & in Petro & in illis omnibus, qui merito poſſunt dicere: *Viuo enim iam non ego, viuit vero* *Gal. 2.* *Phil. 1.* *Chriſtus in me.* Et iterum dixit: *Mihi autem viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* In iſtis ergo talibus Ieſus viuere merito dicitur. In quibus autem defunctus eſt Ieſus? In illis ſine dubio, qui ſæpe pœnitendo & iterum delinquendo velut inſultare morti Ieſu dicuntur. De quibus ſcribens ad Hebræos dicit Apoſtolus; *Rurſum crucifigentes ſibimet-* *Heb. 6.* *ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Vides ergo, quia in peccantibus non ſolum defungi dicitur Ieſus, verum & crucifigi ab eis aſſeritur, & illudi? ſed & tu ipſe conſidera apud te: Si quando de auaritia cogitas, & cupis aliena diripere, nunquid potes dicere, quia viuit Chriſtus in me? Aut ſi de ſtupro ſtipularis, ſi furore exagitaris, ſi liuore ſuccenderis, ſi inuidia ſtimularis, ſi temulentia debaccharis, ſi ſuperbia extolleris, ſi crudelitate graſſaris: nun- D quid potes in his omnibus dicere, quia CHRISTVS viuit in me? Si ergo peccantibus defungitur Chriſtus pro eo, quod nihil in eis iuſtitia, nihil patientia, nihil veritas, & omnia illa, quæ Chriſtus eſt, operatur: à ſanctis vero quæcunque fiunt, Chriſtus eſt, qui ea dicitur *Phil 4.* operari, ſicut & Apoſtolus dicit: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat Chriſto*; generatio alia, quæ non cognoſcit Do- *Matth. 15.* minum Ieſum, ipſa eſt malarum cogitationum, & peſſimarum cupiditatum, quæ procedunt ex corde, iſta eſt generatio, quæ non cognoſcit Dominum IESVM, neque opus magnum, quod fecit in Iſrahel. Vides, quia peccatores eo vſque veniunt, vt & opus illud magnum & præclarum, quod fecit Dominus, obliuiſcantur, quod *Rom. 4.* crucifixus eſt pro peccatis noſtris, & ſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Vnde credo, quod propter hanc obliuionem metuens Apoſtolus Paulus dicebat diſcipulo ſuo Timotheo, quem præcipuum habebat; *Memor eſto* E *2. Tim. 2.* *Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis:* ſciebat enim, quia tam magni operis, quod reſurexit à mortuis, fieri poſſit obliuio, ſi generatio peccatrix oriretur in corde. *Feceruntq; filij Iſrahel malum in conſpectu Domini: & ſeruierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti, & ſecuti ſunt Deos alienos, Deos quoque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos, & ad iracundiam concitauerunt Dominum, dimittentes eum, & ſeruientes Baal & Aſtharoth.* Hoc oſtendit, quia illi, qui in tempore ſaluatoris increduli extiterunt, & impij, genua curuauerunt Baalim, & adorauerunt ſimulachra. Hi vero, qui credunt, & implent opera fidei, non curuauerunt genua Baalim. Neque enim vſquam refertur in hiſtoriis, vel in euangelicis & in alijs quibuslibet ſcripturis, quod aliquis tempore ſaluatoris genua flexerit ſimulacris; ſed de illis itaque hoc dicitur, qui peccatis ſuis adſtricti & velut compediti tenebantur. Vnde conſtat, quia & nos quotieſcunque peccamus, & F captiui dicimur in lege peccati, genua noſtra curuamus Baalim. Sed non in hoc vocati ſumus, nec ad hoc credidimus, vt iterum ſeruiamus peccato, & iterum genua flectamus Diabolo; ſed vt flectamus genua in nomine Ieſu, quia *in nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium* *Phil 2.* *& terreſtrium & infernorum.* & vt flectamus genua ad Pa- *Epheſ 3.* trem Domini noſtri Ieſu Chriſti, *ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur.* Sed & quid mihi prodeſt, ſi genua corporis mei ad orationem veniens flectam Deo, & genua cordis mei flectam diabolo? Si enim non ſtetero firmus aduerſum aſtutias diaboli, flexi genua mea diabolo: & ſi non conſtanter ſtetero aduerſus iram, flexi genua mea iræ. Similiter & ſi non conſtanter aduerſum libidinem reſtitero, flexi libidini genua cordis mei, & in ſingulis quibuſque, quæ contraria ſunt Deo, hoc facere videbor, niſi conſtanter & fortiter ſtetero, ſicuti illi fecerunt, qui coluerunt Baalim, & reliquerunt Deum patrum ſuorum, qui eduxit illos de terra Ægypti. Non igitur putemus, quod videamur ſimulacra non colere, propterea hæc non etiam ad noſtrorum aliquos pertinere. Vnuſquiſque, quod præ cæteris colit, G quod ſuper omnia miratur & diligit, hoc ei Deus eſt. Denique hoc eſt, quod ante omnia, & ſuper omnia per mandatum, ſuum Deus depoſcit ab homine. *Diliges,* *Deut. 6.* inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*, præoccupare quodammodo erga ſe cupiens totos humanæ mentis affectus, & ſciens, quia quod ex toto dilexerit quis, & ex tota anima, atque ex totis viribus, hoc ei Deus eſt. Notandum enim quod alia editio hunc locum ſic habet: *Et ſeruierunt Baal & Aſtartibus.* Solet dici, Baal nomen eſſe apud gentes illarum partium Iouis, Aſtartæ autem Iunonis, quod & lingua punica putatur oſtendere: Nam Baal punici videntur dicere Dominum, vnde Balſamem quaſi Dominum cœli intelliguntur dicere; Samem quippe apud eos cœli apellantur: Iuno autem ſine dubitatione ab illis Aſtaroth vocatur. Et quomodo iſtæ linguæ non multum inter ſe differunt, merito creditur hic de filiis Iſrahel hoc dicere Scriptura, quod Baal ſeruierunt & Aſtartibus, quia Ioui & Iunonibus. Nec mouere debet, quod non H dixit, Aſtarti, id eſt, Iunoni, ſed tanquam multæ ſint Iunones, pluraliter hoc nomen poſuit ad ſimulacrorum enim multitudinem referri voluit intellectum: quomodo vnumquodque Iunonis ſimulacrorum Iuno vocabatur, ac per hoc tot Iunones, quot ſimulacra intelligi voluit. Varietatis autem cauſa exiſtimo Iouem ſingulariter, Iunonem pluraliter commemorare voluiſſe. Nam eadem cauſa plurimorum ſimulacrorum, etiam Ioues pluraliter dici poſſent. Hoc autem, id eſt, nomine plurali Iunones, in græcis ſecundum ſeptuaginta reperimus. In latinis autem ſingulariter erat, quorum in illo, qui non habebat ſeptuaginta intepretationem, ſed ex Hebræo erat, Aſtaroth legimus, nec Baal, ſed Baalim. Quod ſi forte aliud in Hebræa & Syra lingua nomina iſta ſignificant: Deos tamen alios fuiſſe conſtat,

& fal-

A

& falſos, quibus Iſrahel ſeruire non debuit. *Et adorauerunt*, inquit, *Deos alienos Deos gentium, qui in circuitu ipſorum erant, & ad iracundiam concitauerunt Dominum.* Vide, quantum faciant peccata, vt peccantes illum, in quo non ſolum iræ nullus affectus eſt, ſed ne alius quidem paſſibilis motus, nos ad iracundiam prouocare dicamur. Verum ille permanet immutabilis in ſua natura, nec vnquam iræ turbatur affectibus; ego autem per ea, quæ delinquo, iram mihi ipſe conſciſco: ſicut dixit Apoſtolus: *Hæc ipſe doces; ſecundum duritiem autem tuam, & cor impœnitens thezaurizas*, inquit, *tibi ipſe iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Irritauerunt ergo Dominum ad iracundiam, & dereliquerunt Deum, & coluerunt Baal & Aſtarthen, & iratus eſt furore Dominus in Iſrahel & tradidit eos in manus diripientium. Quamdiu quis Deo ſeruit, non traditur in manus diripientium: cum autem dereliquerit DEVM, & ſeruire cœperit paſſionibus ſuis; tunc dicitur de eo, quia tradidit eum DEVS in paſſiones ignominiæ. Et iterum; *Tradidit eos in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Quare? *Quia repleti ſunt*, inquit, *omni iniquitate, nequitia, fornicatione, auaritia*, & cæteris omnibus quæ dicuntur. Sicut & hic modo; *qui ſeruierunt*, inquit, *& adorauerunt Baalim, & Aſtarthen, tradidit illos DEVS in manibus diripientium, & factus eſt in manibus inimicorum ſuorum.* Hoc ergo modo intelligendum eſt, DEVM tradere, quos tradit; non quia ipſe tradat aliquem, ſed ex eo, quod derelinquit indignos, eos ſcilicet, qui ſe non ita excolant, & à vitiis purgant, vt libenter in eis habitet DEVS. Ipſo refugiente atque auertente ſe ab anima, quæ in immunditiis ac vitiis poſita eſt, tradita dicitur ex eo, quod DEO vacua inuenitur, & inuaditur à ſpiritu nequam. Et ideo nos ſummo ſtudio vigilemus & feſtinemus nos purgare à vitiis, & concupiſcentiis malis, vt DEVM intra nos tenere poſſimus, & vt habitare dignetur in nobis, dum delectatur & actibus & ſermonibus & cogitationibus noſtris.

Rom. 2.

B

Rom. 1.

C

VIII.

Iratuſque Dominus contra Iſrahel tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt reſiſtere aduerſariis ſuis, ſed quocunque pergere voluiſſent, manus Domini erat ſuper eos, ſicut locutus eſt, & iurauit eis, & vehementer afflicti ſunt. Suſcitauitque Dominus Iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus, ſed nec illos audire voluerunt, fornicantes cum Diis alienis, & adorantes eos, cito deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum, & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria, & cætera. Alia autem editio ſic habet: *Et vendidit eos in manum inimicorum ſuorum in circuitu.* Quæri ſolet, quare dixerit: *Vendidit?* Tanquam aliquod pretium intelligatur datum. Sed & in Pſalmo legitur: *Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* Et apud Prophetam: *Gratis venditi eſtis, & non cum argento redimemini.* Quare ergo venditi ſi gratis, & ſine pretio, & non potius donari? An forte ſcripturarum locutio eſt, vt venditus etiam, qui donatur, dici poſſit? Hic autem ſenſus eſt optimus, in eo, quod dictum eſt; *Gratis venditi eſtis.* Et: *Vendidiſti populum tuum ſine precio*: quia illi, quibus tradidiſti populum, impij fuerunt, non DEVM colendo tradi ſibi illum populum meruerunt, vt ipſe cultus, tamquam pretium, videretur. Quod vero dictum eſt; *Neque cum argento redimemini*; non ait, *neque cum pretio*; ſed *neque cum argento*, vt pretium redemptionis intelligatur: quale dicit Apoſtolus Petrus; *Non enim argento & auro redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati.* In argento enim Propheta omnem pecuniam ſignificauit, vbi ait: *Non cum argento redimemini.* Quoniam pretio quidem, ſanguine CHRISTI, non tamen pretio pecuniario fuerant redimendi in eo, quod Dominus dicit; *Et ego non apponam auferre virum à facie ipſorum de gentibus, quas reliquit filius Naue, & dimiſit ad tentandum in eis Iſrahel, ſi obſeruabant viam Domini, abire in eam, quemadmodum cuſtodierunt patres eorum.* Annon & dimiſit Dominus gentes has, vt non auferret illas tunc, & non tradidit illas in manus IESV? Satis oſtenditur cauſa, quare non IESVS omnes illas gentes bellando deleuerit; quia hoc ſi fieret, non eſſet in quibus iſti probarentur: potuerunt autem eſſe ad vtilitatem ipſorum, ſi temptati in eis, non reprobi, inuenirentur, eiſque talibus inuentis, quales eos eſſe debere præceperat Dominus, iam gentes illæ auferrentur à facie eorum, ſi ita viuerent: nec bellis eos exerceri oporteret. Verba enim Domini huc vſque accipienda ſunt: *Propter quod tanta dereliquit gens hæc teſtamentum meum, quod mandaui patribus eorum, & non obedierunt voci meæ: & ego non apponam auferre virum à facie ipſorum*, id eſt, aduerſariorum. Cætera vero verba ſcriptoris ſunt exponentis, vnde dixerit Dominus, non ſe ablaturum virum de gentibus, quas dereliquit IESVS filius Naue. Deinde ſubiungens, qua cauſa dereliquerit; *Et dimiſit*, inquit, *ad temptandum Iſrahel, ſi obſeruabant viam Domini, abire in ea, quemadmodum cuſtodierunt patres eorum.* Annon eos volens intelligi patres cuſtodiſſe viam Domini, qui fuerant cum IESV, id eſt, eo tempore, quo ille viuebat, generationem quippe alteram ſuperius retulit ſurrexiſſe poſt illos, qui vixerant cum Ieſu, & ab ipſis cœpiſſe tranſgreſſiones, quæ offenderent Dominum, pro quibus temptandis, id eſt, probandis relictæ fuerant gentes, nec exterminatæ per Ieſum. Deinde ne putaretur hoc Ieſus conſilio ſuo, tanquam humano, egiſſe, vt gentes illæ relinquerentur, ſubiungit Scriptura: *Et dimiſit Dominus gentes has, vt non auferret illas celeriter, & non tradidit eas in manus Ieſu.* Deinde ſequitur; *Et hæ gentes, quas reliquit Ieſus, vt tentaret in eis Iſrahel, omnes, qui neſcierunt omnia bella Chanaan. Verum propter generationes filiorum Iſrahel, docere illos bellum.* Erat ergo iſta cauſa in eorum temptationem, vt bellare diſcerent, id eſt, vt tanta pietate & obedientia legis DEI bellarent, quanta patres eorum, qui DOMINO DEO etiam bellando placuerunt, non quia optabile aliquid eſt bellum, ſed quia pietas laudabilis & in bello. Quod autem ſequitur; *Verum qui ante illos erant, non ſcierunt illas*; quid niſi gentes, vult intelligi, quas neſcierunt bellando, qui fuerunt ante iſtos, quorum temptationi, hoc eſt, probationi relictæ ſunt. Deinde commemorans, quæ ſint, *quinque*, inquit, *ſatrapas alienigenarum*: quas in libris Regnorum manifeſtius exprimit. Satrapæ autem dicuntur, quaſi parua regna, quibus ſatrapes præerant, quod nomen in illis partibus cuiuſdam honoris eſt, ſiue fuit. *Et omnem*, inquit, *Chananæum & Sidonium & Eualæum inhabitantem Libanum ante montem Hermon vſque ad Labœmath*, pro quo Aquila interpretatus eſt, *introitus Emath. Et factum eſt, vt temptaretur in ipſis Iſrahel*: tanquam diceret; hoc autem factum eſt, vt temptaretur in ipſis Iſrahel, ſciret, ſi audient mandata Domini, non vt ſciret DEVS omnium cognitor, etiam futurorum: ſed vt ſcirent ipſi, & ſua conſcientia vel gloriarentur, vel conuincerentur, vtrum audirent mandata Domini, quæ mandauit patribus eorum in manu Moyſi. Quoniam ergo manifeſtati ſibi ſunt, non ſe obedíſſe Deo in his gentibus, quæ ad eorum temptationem, id eſt, exercitationem atque probationem fuerant derelictæ, propterea dixit DEVS, vel illa, in quibus aperte miſſus Angelus & locutus expreſſus eſt, & paulo ante, vbi ait; *Propter quod tanta dereliquit gens hæc teſtamentum meum, quod mandaui patribus eorum, & obedierunt voci meæ; & ego non apponam auferre virum à facie ipſorum.* Dictum eſt autem in Deuteronomio ex perſona Dei loquens de iſtis gentibus aduerſariis: *Non eiciam illos in anno vno, ne fiat terra deſerta, & multiplicentur in te beſtiæ feræ, paulatim etiam illos auferam, donec multiplicemini, & creſcatis & hæreditetis terram.* Poterat hanc promiſſionem ſuam ſeruare DOMINVS erga obedientes, vt exterminatio

Pſal. 43.
Iſai. 52.

D

1. Pet. 1.

E

F

G

H

Deut. 7.

A gentium illarum, creſcentibus Iſraheliticis partibus, fieret, cum eorum multitudo terras, vnde aduerſarij exterminarentur, deſertas eſſe non deſineret. Quod autem ait: *Ne multiplicentur inde beſtiæ feræ;* mirum, ſi non beſtiales quodammodo cupiditates & libidines intelligi voluit, quæ ſolent de repentino ſucceſſu terrenæ fœlicitatis exiſtere. Neque enim Deus homines exterminare poterat, & beſtias non poterat & perdere, vel paſci potius non permittere.

VIII. *Itaque filij Iſrahel habitauerunt in medio Chananæi, & Ethæi, & Amorræi & Pherrezei & Euæi & Iebuſæi & duxerunt vxores filias eorum. ipſiq; e filias ſuas eorum filiis tradiderunt, & ſeruierunt Diis eorum, feceruntque malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſeruientes Baalim & Aſtharoth. Iratuſque eſt Dominus contra Iſrahel, & tradidit eos in manu Chuſanraſathaim Regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis.* Quando fecerunt filij Iſrahel malignum in conſpectu Dei, & obliti ſunt Domini Dei ſui, ac relinquentes eum ſeruierunt B Baalim & Lucis gentilium, tunc theſaurizantes ſibi ipſis iram traditi ſunt iuſto Dei iudicio in manus inimicorum, ſecundum hæc, quæ præſens lectio declarauit. *In manus,* inquit, *Chuſarſathon Regis Meſopotamiæ.* Interpretatur autem Chuſarſathon, *humiliatio eorum:* traditi ſunt ergo in manus eius, qui humiliaret eos. Et quia ipſi in excelſis montium impie agebant in altiſſimum, propterea ab ipſo in humilitatem traduntur. Sed nolo putes, quia erga antiquos ſolummodo erat hæc diuina prouidentia, vt eos qui impie exaltabantur, traderet humiliandos, & ſalubri medicinæ ratione, contraria contrariis curarentur. Nunc autem omnipotenti DEO erga Eccleſiam ſuam de huiuſmodi ſalubritas prouidentiæ, eſt etiam nunc Chuſarſathon, Rex Meſopotamiæ, cui traduntur humiliandæ & affligendæ animæ, quæ Chriſtiana humilitate contempta, in ſuperbiam ſe atque arrogantiam dederunt; odioſum ſatis eſt in conſpectu Dei ſuperbiæ vitium; quia, ſicut Scriptura dicit, Eccl. 10. *Initium diſcedendi à Deo ſuperbia.* Et iterum alibi Scri- 1. Pet. 5. ptura dicit: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gra-* C *tiam.* Si qui igitur, Chriſti humilitate deſpecta, qui propter nos, cum Deus eſſet, homo factus eſt, & humiliauit ſe vſque ad mortem, extollitur, & effertur ad poteſtates, atque ad dignitates ſeculi proſilit, & artes, quibus hæc aſſequi nititur, etiam ſi contra fidem, & religionem ſint, non refugit nec horreſcit, dummodo quod cupit, obtineat: inde euenit, vt faciat malignum in conſpectu Domini. Et poſteaquam ſummas indeptus fuerit infulas poteſtatum, & ad ipſa ſuperbiæ faſtigia ſumma cõſcendeit, inde deiectus traditur huic Chuſarſathon, vni ſcilicet ex aëris principibus, ſicut & alij Pharaoni, & alij Chiram, vt humiliet eum, qui nimis fuerat exaltatus, vt affligat, vt conterat, donec reſipiſcat, & quærat Dominum, qui cum eſſet in ſuperbia & elatione conſtitutus, ignorabat Dominum. Nunc ergo hi, qui traduntur pro peccato in tribulatione poſiti, videamus, quid faciunt? Illud profe- Pſal. 106. cto, quod ſcriptum eſt: *Et clamauerunt ad Dominum,* cum tribularentur: *& de neceſſitatibus eorum liberauit eos, & eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum* D *diſrupit.* Sed abijciatur quæſo, ab omni hac ſancta Eccleſia, & præcipue ab his, qui miniſtrant in ſanctis, odor iſte 2. Cor. 2. deterrimus vt poſſumus: ſicut Paulus dicebat, ſic vt poſſimus effici bonus odor Chriſti: ne forte iraſcatur Dominus, & ad iracundiam prouocemus ſanctum Iſrahel, & tradat nos in manus Chuſarſathon, vt humilitatem, quam in ſcientia Chriſti docere debuimus, in correptionis noſtræ tribulatione diſcamus. Sed vide benignum Dominum, miſericordiam cum ſeueritate miſcentem, & ipſius pœnæ modum iuſta & clementi liberatione penſantem. Non imperpetuum tradidit delinquentes; ſed quanto, inquit, tempore ſeruierunt Baalim, tanto ſeruient etiam Chuſarſathon, hoc eſt, octo annis. Diſce hæc & tu ô auditor, quiſquis ille es, qui tibi conſcius es alicuius erroris, & quanto tempore erraſſe te noſti, quanto tempore deliquiſti, tanto nihilominus tempore humilia teipſum in Deo, & ſatisfacito ei, in confeſſione pœnitentiæ. Non expectes, vt humiliet te Chuſarſathon, & inuito E neceſſitas extorqueat pœnitentiam, ſed ipſe præueni tortoris iſtius manus: quia ſi teipſe emendaueris, ſi teipſe correxeris, pius eſt Deus, & miſericors, qui vindictam 1. Cor. 11. temperet ab eo, qui illam pœnitendo præuenit. Sed & illud conſideremus, quia donec ſeruirent Chuſarſathon hi, qui traditi fuerant pro delictis, & non clamarent ad Dominum, nemo ſuſcitatus eſt, qui ſaluare eos poſſet. Cum vero clamauerunt ad Dominum, tunc ſuſcitauit Dominus ſaluatorem Iſrahel, & ſaluauit eos. Saluatorem autem dicit Othoniel, qui interpretatur, tempus mihi Dei. *Et clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis ſaluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet,* filium Cenez, *fratrem Chaleb minorem, fuitque in eo ſpiritus Domini & iudicauit Iſrahel; egreſſus eſt ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chuſanſerſathaim. Regem Syriæ, & oppreſſit eum, quieuitque terra 40. annis.* Per hunc Othoniel prior ille populus de ſeruitute humilitatis ereptus eſt, & reddita eſt pax populo, quam ſuperbia dudum & diuerſa plebis facinora fugauere. Verum quo- F niam diximus, ſpiritualem quendam poſſe intelligi Chuſarſathon Regem, & vnum de aduerſarijs & aëris poteſtatibus principem: Ita conſequens mihi videtur, etiam Othonielem iſtum, qui ad liberandum populum ſuſcitatus eſt, eſſe vnum aliquem de militia cœleſti, & archangelicis vnum eſſe, *qui ad adminiculum mittuntur eo-* Heb. 1. *rum, qui hæreditatem capiunt ſalutis,* & ſunt angeli ſaluatores, qui & in Othonielis & aliorum ſpecie deſignantur; quia, ſicut ſæpe oſtendimus, non ſolum à contrarijs virtutibus impugnamur; ſed & diuinæ bonæque virtutes ad auxilium noſtrum mittuntur à Domino. Videamus tamen, quis fuerit iſte Othoniel, cuius familiæ, cuius nobilitatis? *Filius,* inquit, *Cenez frater Chaleb,* illius laudabilis & admirandi viri Chaleb, qui fuit comes & ſocius Ieſu Naue, de quo, prout potuimus, in ſuis locis, quæ viſa ſunt, diſſeruimus. Quid ergo dicit Scriptura de iſto Othoniel? poſteaquam dixit. *quia clamauerunt filij Iſrahel ad Dominum; factus eſt,* inquit *ſpiritus Domini ſuper Otho-* G *niel, & iudicauit Iſrahel.* Putas, eſt in nobis aliquis, qui ita validum & ita iuſtum clamorem emittat ad Deum, vt dignus ſit exaudiri, & mereatur populus accipere Iudicem, & talem iudicem, quem Spiritus Dei repleat, vt poſſit rectum tenere iudicium? vnde & liber ipſe *Iudicum* dicitur, & deſcribuntur in eo Iudices, qui iudicauerunt populum. Sicut enim alij libri *Regum* dicuntur vel *Regnorum,* in quibus deſcribitur vnuſquiſque Regum quomodo regnauerit & quid egerit; ita & in hoc libello geſta Iudicum referuntur, & deſcribitur non ſolum, ſi quid ab eis recte & vtiliter geſtum eſt, verum & ſi quid culpabiliter admiſſum eſt. Cur tamen vtrumque deſcriptum ſit, ſi requiris, vt nunc Eccleſiæ principes vel iudices peruidentes ea, quæ ab his laudabiliter geſta ſunt, priorum ſequantur exempla; Si qua vero in illis culpantur, vt iſti caueant & declinent. Magna ergo laus primi huius Iudicis Othoniel refertur, quod ſpiritus Dei factus eſt ſuper eum, & per ſpiritum Dei iudicabat Iſrahel, quod ego de alio quodam dictum non valde memini. Sunt ergo & hodie eccleſiarum omnium, quæ ſunt ſub cœlo, quam plurimi Iudices, quibus iudicium non ſolum rerum geſtarum da- H tum eſt, ſed & animarum. Verum neſcio, ſi quis ſit talis eccleſiæ iudex, quem dignum faciat Deus ſpiritu ſuo replere, vt ſicut Othoniel iſte, teſtimonio Scripturæ decoratus eſt ita etiam ipſi, de quibus hoc optamus, Dei teſtimonium mereantur. Ait ergo: *Et factus eſt ſpiritus Domini ſuper eum, & iudicauit Iſrahel, & exijt ad bellum, & tradidit Dominus in manus eius Chuſarſathon, Regem.* Quare hoc? Quia ſpiritus Domini erat in eo, & confortata eſt manus eius ſuper Chuſarſathon. Et poſt hæc dicit, quia quieuit terra ſub eo Iudice 40. annis. Vides, quam larga eſt diuina clementia? Octo annis filij Iſrahel ſeruierunt pro multorum delictis; 40. annos pro vnius iuſtitia in pace perdurant. Quadraginta annos quieuiſſe terram promiſſionis à bellis ſub Othoniele Iudice Scriptura teſtatur, quantum temporis primordia Romani Imperij ſub Numa Pompilio tantummodo rege peccata

habere

A habere potuerunt. Sed quid dicitur poſt hæc? *Et defunctus eſt*, inquit, *Othoniel filius Cenez.* Rem video periculoſam. Defunctus eſt Othoniel. Quare? Quia iam indignus erat populus, qui haberet iudicem talem. Denique in conſequentibus dicit illo defuncto; *& adiecerunt*, inquit, *filij Iſrahel facere malum in conſpectu Domini.*

X. *Et confortauit Dominus Eglon, Regem Moab, aduerſum Iſrael.* Conſidera, quia pro eo, quod indigni erant iam habere principem talem, propterea aufertur ab eis bonus Iudex: & quia fecerunt malignum in conſpectu Domini, excitatur eis hoſtis peſſimus, Eglon, Rex Moab. Vides, quia noſtra peccata vires hoſtibus præbent: & quando nos facimus malignum in conſpectu Domini, & delinquimus, tunc conuertuntur à Domino aduerſarij noſtri, tunc vires contrarijs dantur. Hoc ſiue ſecundum literam quæras, ita inuenies, quia non inualeſcerent; ſiue in ſpiritibus conſideres, ſimiliter contrariæ virtutes non inualeſcerent aduerſum nos, nec ipſe diabolus in nobis aliquid præualeret, niſi ei vires ex noſtris vitijs præberemus: valde infirmus eſſet aduerſum nos, niſi nos eum fortem in peccan-B do faceremus, & niſi per peccata noſtra locum introeundi & dominandi inueniret in nobis. Propterea denique & Apoſtolus præmonet dicens: *Nolite locum dare Diabolo.* [Ephes. 4.] Sicut & hic modo legimus, quia poſteaquam fecerunt filij Iſrahel malignum in conſpectu Domini, locum dederunt diabolo. Confortauit enim Dominus Eglon, Regem Moab, & adiunxit ei omnes filios Ammon & Amalech. Non ſolum, inquit, ipſe confortatus eſt ex peccatis filiorum Iſrahel, ſed & adiunguntur ei ſocij nequam ex filiis Ammon & Amalech, qui cum ipſo pariter impugnent Iſrahel. *Et ſeruierunt*, inquit *filij Iſrahel Eglon, Regi Moab 15 annis.* Obſerua, quia etiam menſuras pœnæ iudicat Scriptura Diuina; ibi octo annis, & hic decem & quinque dicit. Certum eſt autem, quod ſecundum peccati modum & conuerſionis noſtræ moram, etiam caſtigationis tempora terminantur. Tranſierunt enim iſti decem & quinque anni ſeruitutis, & non refertur, quod clamauerint ad Dominum, vel conuerſi ſint à malitia ſua: ſed poſt decem & quinque annos iterum dicitur, quia clamaue-C runt filij Iſrahel ad Dominum, & ſuſcitauit eis Dominus Deus ſaluatorem, Aoth, filium Gera, filij Iemini, virum ambidextrum. Ecce qualis eſt iſte, qui ſuſcitatur ad ſaluandum Iſrahel! Nihil habet in ſe ſiniſtrum, ſed vtramque manum dextram habet; hoc eſt enim, quod dicitur ambidexter. Dignus verè populi princeps, & Eccleſiæ Iudex, qui nihil agat ſiniſtrum, cuius quod agit dextra, neſciat ſiniſtra, in vtraque parte eſt, in fide dexter eſt, in actibus dexter eſt, nihil habet de illis, qui collocantur à ſiniſtris, quibus dicitur: *diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos Ite in ignem æternum, quem præparauit Deus Diabolo & angelis eius.* [Matth. 7. Matth. 25.] Quod ſcilicet in talibus & ſimili præſumere puto, quod ſecundum ſpiritalem intelligentiam, & ſancti omnes ambidextri dicantur, & è contrario diabolus & principes eius, ſi dici poteſt, ambiſiniſtri dicuntur: totum enim, quod agunt, ſiniſtrum eſt, totum peruerſum, totum igni æterno cum his, qui à ſiniſtris ſunt, deputatum. Sed videamus, quid agit hic ambidexter Iudex: *Miſeruntque filij Iſrahel per eum munera Eglon Regi Moab, qui fecit ſibi* D *gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore, & cætera.* Vides, quia dextrum eſt omne, quod geſſit Aoth hic ambidexter, & manibus dexter eſt, & pedib. dexter eſt. In femore enim dextro gladium portat, vt veniat ad Regem Moab, & interficiat eum. Dixeramus in ſuperioribus, quod iſti, quos ad ſalutem populi, & ad liberandum filios Iſrahel ſuſcitare dicitur Deus ſaluatores vel iudices, imaginem ferant aliquorum Principum ex cœleſti militia, & ſupernarum virtutum, quas ad ſubſidium Deus emittat eorum, qui ad ſe toto corde clamauerint, & per conuerſionem pœnitentiæ diuinam erga ſe clementiam flexerint. Sed hoc ne præſumptum apud auditores videatur à nobis, debemus ex Scripturarum id auctoritate firmare. Scriptum eſt in Exodo, quia patres noſtri filij Iſrahel cum multo tempore Ægyptijs & Pharaoni Regi diriſſimo in luti & lateris confectione ſeruiſ-

E ſent; *clamauerunt*, inquit, *ad Dominum*, ita vt ipſe Dominus diceret: *Clamor filiorum Iſrael aſcendit ad me*, & miſſo [Exod. 12.] quidem Moyſe viſibiliter eduxit eos. Refert autem Scriptura, quod Angelus exterminator miſſus ſit, qui vaſtaret quidem omnia primogenita Ægypti, Iſrahelitarum vero neminem tangeret. Et ſic declaratur, virtutem fuiſſe cœleſtem, quæ vaſtatis Ægyptiis, & proſtratis, filios Iſrahel de iugo ſeruitutis eduxit. Similiter quoque etiam illud refertur in hiſtoriis, quod ſub Rege Aſſyriorum [4. Reg. 19.] Sennacherib Angelus Domini mittitur, qui cæſis ſub vna nocte & proſtratis 185000. hoſtium, & Vrbem de obſidione, & populum de imminenti liberaret interitu. Ita ergo etiam nunc eadem conſequentia debemus aduertere, quia ſi quando pro peccatis noſtris in captiuitatem tradimur; clamemus ad Dominum, clamemus autem non ore ſed mente, ita vt dolor cordis fontem lachrymarum producat ex oculis ſicut ille qui dicebat: *lauabo per ſingulas noctes lectum, lachrymis ſtratum meum rigabo.* [Pſalm. 6.] Si ita conuertimur à malis, vt vltra non contingamus mala; ſi F ita definimus à ſuperbia, vt vltra nihil ſuperbum, nihil arrogans ſapiamus: mittit etiam nobis Dominus virtutem ſuam cœleſtem, per quam liberemur à iugo ſeruitutis diabolicæ, quæ virtus omnia pro nobis agat dextra & proſpera, quæ faciat nos relinquere viam ſiniſtram, quæ ducit in perditionem, & reuocet nos ad veram viam, illum qui dicit: *Ego ſum via, veritas & vita*, Chriſtum Ieſum [Ioan. 14.] Dominum noſtrum. Quæri poteſt, verum mentitus fuerit Aoth Iudex, quando occidit Eglon Regem Moab: cum enim ſolus ſoli inſidiaretur, vt eum percuteret, hoc illi ait; *Verbum occultum mihi eſt ad te*, Rex ille à ſe omnes, qui cum illo fuerant, remoueret: quod cum factum eſſet, iterũ dixit Aoth; *Verbũ Dei mihi ad te*, Rex. Sed poteſt non eſſe mendacium, quandoquidem verbi nomine ſolet etiam factum appellare Scriptura, & reuera ita erat. Quod autem dixit, *Verbum Dei*, intelligendum eſt hoc illi Deum, vt faceret, præcepiſſe, qui eum populo ſuo excitauerat ſaluatorem, ſicut illis temporibus talia fieri diuinitus oportebat. Item merito quæritur, quomodo ſecundum 70. exilis valde Rex Eglon fuerit, & concluſerit adeps vulnus, quando percuſſus eſt Sed intelligendum eſt, ex locutione dictum, qua ſolet è contrario intelligi: ſicut dici-G tur lucus quod minime luceat, & abundare reſpondetur, quod non eſt, & benedixit Regi pro maledixit, ſicut ſcriptum eſt in I. Regnorum de Nabutte. Nam in ea interpretatione, quæ non ſecundum ſeptuaginta, ſed ex Hebræo eſt, ita inuenimus: *Erat autem Eglon craſſus nimis; Aoth autem clauſis diligentiſſime oſtijs cœnaculi, & obfirmatis ſera per poſticam egreſſus eſt, ſeruique Regis ingreſſi viderunt clauſas fores cœnaculi, & cætera.* Quomodo pueri Regis Eglon claui aperuerint, quod Aoth claui non clauſerat, poteſt mouere: quomodo ſecum eam non auferret, vt illi nec claui aperire poſſent? Proinde aut alia clauis allata eſt, aut tale clauſuræ genus fuit, quod ſine claui poſſit cludi, nec ſine claue aperiri. Nam ſunt quædam talia ſicut ea, quæ verruclata dicuntur. Sed videamus, qualiter Aoth, qui inter- [3. Reg. 13.] pretatur, *laus*, concluſerit principatum ſuum. Hiſtoria nos edocuit ea, quæ de Eglon Rege ſcripta ſunt, quomodo ſapientiſſimus hic Aoth, arte quadam, & (vt ita dicam) callida, ſed laudabili vſus deceptione, interemerit H Eglon Tyrannum, qui interpretatur, *rotatus* vel *orbitas*. Oportet ergo tales eſſe & noſtri populi Iudices, qualis fuit Aoth iſte, qui interpretatur, *laus*, vt omnes volubiles motus, & orbitas mali itineris excidant & perimant Madianitarum Regem, Madianitæ autem interpretantur, *fluxus*, vel *effuſio*. Huius igitur fluxæ & diſſolutæ gentis Princeps vel dux, qui poteſt videri alius vel intelligi, niſi ſermo illius Philoſophiæ, quæ ſummum bonum iudicat voluptatem, quem interficiat & perimat euangelicus ſermo, qui gladio comparatur, & ſermo propheticus, [Ephes. 6. Heb. 4.] ipſe in ventre eorum atque imis præcordiis ambidextri doctoris diſputationibus concludatur, vt veritatis eos adſertione concludens extinguat omnem praui dogmatis & craſſæ intelligentiæ ſenſum, qui ſe extollit & erigit aduerſum ſpiritalem ſcientiam Chriſti, vt hæc ita faciens, & in verbo Dei dimicans, vnuſquiſque Eccleſiæ Iudex fiat,

etiam

Digitized by Google

A *Matth. 5.* etiam ipſe laudabilis Aoth, de quo dicat Dominus: *Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.*

XI. *Humiliatuſque eſt Moab in die illo, ſub manu Iſrahel, & quieuit terra octoginta annis.* Sub iudice Aoth octoginta annos pacem habuit Iſrahel in terra repromiſſionis, dupli ato ſcilicet tempore quod fuit memorabile Romanorum ſub Rege Pompilio. *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſtijm ſexcentos viros vomere, & ipſe quoq; defendit Iſrahel.* Septuaginta. *Et poſt eum ſurrexit Samgar filius Anath & percuſſit alienigenas in ſexcentos viros præter vitulos boum, & ſaluauit Iſrahel.* Quomodo poſt Aoth iſte pro Iſrahel pugnauerit, & dictus ſit ſaluaſſe Iſrahel, poteſt eſſe quæſtio. Non enim rurſus fuerant captiuati vel iugo ſeruitutis innexi. Sed intelligendum ita dictum, *ſeruauit*, non quia nocuerit aliquid hoſtis, ſed ne permitteretur nocere, quoniam credendum eſt bello cœpiſſe temptare, & huius victoria fuiſſe depulſum. Sed quid ſibi velit, quod addidit: *præter vitulos boum?* Obſcurum eſt, An forte & boum ſtragem pugnando fe-
B cit, & ita dictum eſt, eum occidiſſe ſexcentos viros, præter illud, quod fecit de bobus occiſis. Sed quare vitulos nominauit? An græcæ locutionis conſuetudo eſt etiam vitulos eos appellare, qui grandes ſunt? Nam ita loqui vulgo in Ægypto perhibentur, ſicut apud nos pulli appellantur gallinæ cuiuslibet ætatis. Non autem habet interpretatio ex Hebræo: *præter vitulos boum*, ſicut iſta, quæ ſecundum ſeptuaginta eſt: ſicut habet illa ex Hebræo, vomere occiſos ſexcentos viros, quod iſta non habet. Videamus nunc, quale ſit etiam principium Samegach, qui interpretatur, *ibi aduena.* Verum eſt enim, quia omnis qui ſunt homines DEI, aduenæ ſunt, in hoc mundo, & incolæ in terra, ſicut & ille qui dicebat: *Quoniam incola ego ſum apud te in terra, & peregrinus,*
Pſal 38. *Pſal 118.* *ſicut omnes patres mei.* Et hunc ergo Samegach ſanctus Spiritus ibi incolam dicit, id eſt, hic. Quod enim ſancto Spiritu, qui in cœlis eſt, id eſt, nobis hic eſt. Quid ergo dicitur de Samegach: *Percuſſit*, inquit, *Allophylos in ſexcentis viris in ſtiua & pede aratri*: aliud genus laudis in Sa-
C megach video. Iſte in aratro pugnat, Aoth pugnabat in gladio. Iſte in aratro vincit, tamen & hic ſuperat & proſternit Allophylos. Poteſt ergo fieri, vt Eccleſiæ Iudex non ſemper gladium proferat, id eſt, non ſemper auctoritate verbi, & acumine correptionis vtatur, ſed aliquando etiam; imitetur agricolam, & velut aratro ſulcans animæ terram, ac ſæpius eam clementi commonitione reſcindens, aptam eam ſuſcipiendis ſeminibus paret. Interficientur ergo etiam ſic Allophyli, cum non argumentis, & acumine contra aduerſarios vtimur, ſed agreſti & ſimplici commonitione de animis auditorum vitia & peccata propellimus. Sed & ipſe, ô auditor, eſto agricola animæ tuæ, vtere hoc aratro, quo vtitur Samegach. Sed cum miſeris manum tuam in aratrum noli retro reſpicere, id eſt, poſteaquam tuleris crucem tuam, & ſecutus fueris Chriſtum; poſteaquam ſeculo renunciaſti, & his, quæ in ſeculo ſunt, noli retro reſpicere, noli requirere ea, quæ propter Chriſtum duxeras, vt ſtercora;
D quia ſi in iſto aratro manum ſemper habueris, ita vt con-
Gal. 6. fidenter dicas: *Mihi autem abſit gloria, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego*
Pſal 90. *mundo.* Hæc tibi dicenti. *Cadent à dextris tuis decem millia, & à ſiniſtris tuis mille, ad te autem non adproximabunt.* Sed & hoc ipſum, quod dixit, in ſexcentis Allophylis percuſſiſſe Samegach; non mihi videtur otioſum dictum; quid enim opus erat deſignare etiam numerum, niſi forte euidentius in ipſo numero ea, de quibus ſuperius diximus, indicauit? Namque ſenarius numerus, qui multiplicatus peruenit in ſexcentos, mundi huius figuram tenet, qui in ſex diebus dicitur conſummatus. Sexcentos ergo in aratro dicitur percuſſiſſe ille, cui per crucem Chriſti crucifixus eſt mundus. *Addideruntque filij Iſrahel facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aoth, & tradidit illos Dominus in manu Iabin Regis Chanaan, qui regnauit in Aſor. Habuitq; Ducem exercitus ſui, Nomine Siſaram ipſe autem habitabat in Aroſeth gentium, clamaueruntq; filij Iſrahel ad Dominum, nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Et adiecerunt, inquit,
E filij Iſrahel facere malignum in conſpectu Domini, & Aoth mortuus eſt. Seruatur nimirum in his etiam illa obſeruatio, quam in ſuperioribus deſignauimus, quia pro peccatis populi moritur bonus populi dux. Cum enim indigni fuerint effecti, & fecerint malignum in conſpectu Domini: auferetur ab eis homo Dei. Sed dicet fortaſſis populus noſter: quando Eccleſia Dei ſine iudice eſt, etiamſi prior deſceſſerit, alter adhibetur. Audacter fortaſſis aliquid dicemus; tamen, quod ſcriptum eſt, dicimus. Non ſemper princeps populi, & Eccleſiæ iudex per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt, ſi mali ſunt actus noſtri & operamur malignum in conſpectu Dei, dantur nobis principes, ſecundum cor noſtrum, & hoc tibi de Scripturis probabo. Audi namque, quid Dominus dicat: *Fecerunt ſibi Regem, & non per me; & principem, & non per conſilium meum.* Et hoc dictum videtur de Saule illo, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & re-
F gem fieri iuſſerat. Sed quoniam non ſecundum Dei voluntatem, ſed ſecundum peccatoris populi meritum fuerat electus: negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum. Tale ergo aliquid intelligamus etiam in Eccleſijs fieri, quia pro meritis populi aut in verbo & opere potens à Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccle-
Rom 1. ſiæ iudex datur, ſub quo famem & ſitim populus patiatur, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini. Ita ergo nos agamus & ita oremus, ne vnquam nos diuina indignatione in verbi famæ condemnet ac ſiti, ne vnquam auferatur à nobis, qui nos verbo & opere inſtruat, qui in moribus & honeſtate, qui patientiæ ac manſuetudinis perfectum de ſe populis præſtet exemplum. Nam ſi nos fecerimus malignum in conſpectu Domini, id eſt, ſi male egerimus, ſi voluntatem noſtram & non Dei faciamus: moritur & Aoth, auferetur & Semegach, & obſcurabitur laus noſtra, & trademur in manus Iabin Regis Chanaan. Iabin autem interpretatur, *ſenſus* ſiue *prudentia.* Si ergo nos non
G probauerimus Deum habere in notitia: tradit nos Do-
Rom. 1. minus in reprobum ſenſum, *repletos*, inquit, *iniquitate, nequitia fornicatione, auaritia plenos inuidia, homicidio, contentione dolo ſuſurratores detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectu ſine miſericordia.* Vides, qui ſunt & quales, qui traduntur in reprobum ſenſum, qui traduntur Iabin principi Chananæorum: *Et princeps*, inquit, *militiæ Iabin erat Siſara, & ipſe habitabat in Aroſeth Gentium, & erant ei nongenti currus ferrei. Et clamauerunt filij Iſrahel ad Dominum.* Etiam in hoc ſimiliter illa, quam ſuperius deſignauimus, obſeruatio cuſtoditur: quia neſciunt clamare ad Dominum filij Iſrahel, niſi cum traditi fuerint in manus Iabin, vel cum afflicti per eius militiæ principē Siſaram, cui erant, inquit, nongenti currus ferrei, quibus ſcilicet affligeretur populus duræ ceruicis. Siſara autem interpretatur, *Viſio equi.* Iſte eſt enim animalis, & non ſpiritalis, qui non videt, niſi ea, quæ animalis ſunt, ipſa eſt eius viſio, ipſe ei ſemper intuitus: & ideo ſemper animalis
H homo, & is, qui ſecundum carnem eſt, perſequitur eum,
Gal. 4. qui ſecundum ſpiritum eſt, donec ſpiritalis intelligat & examinet omnia, & intelligat, vnde ſibi ſit auxilium depoſcendum, & clamet ad Dominum, donec animæ illi, quæ clamauerit ad Dominum ſuſcitetur prophetia, quæ eſt in figura Debboræ, & ſecundum prophetiæ gratiam, & intelligentiam, Eccleſiæ populus gubernetur, vel iam ſenſus vniuſcumque mentis & animæ tegatur.

Erat autem Debbora Prophetes vxor Laphidoth, quæ Iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rama & Bethel in mōte Ephraim, aſcendebantq; ad eam filij Iſrael in omne iudicium, quæ miſit & vocauit Barach filium Abinoe de Cades Nepthali, dixitque ad eum: præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, deſcende & duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum, de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon. Ego autem adducam ad te in loco

A

torrentis Ciſon, Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua, dixitque ad eam Barach: ſi venis mecum: vadam: ſi nolueris venire, non pergam. Quæ dixit ad eum: ibo quidem tecum, ſed in hac vice tibi victoria non reputabitur, quia in manu mulieris tradetur Siſara. Quoniam quidem ſententia eſt Apoſtoli Pauli, quæ dicit: *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad increpandum, ad doctrinam, quæ eſt in iuſtitia*: Quid habeat in ſeſe iſta Scriptura, quam ſine dubio & ipſam inſpiratam diuinitus confitemur, quod nobis ad doctrinam cedat, quod ad increpationem, quod ad diſciplinam, quod ad iuſtitiam. Quid enim nobis ex hoc confertur, ſi legamus hoc, quod recitatum eſt: id eſt, quod, *Debbora*, inquit, *mulier propheteſſa vxor Laphidoth, ipſa iudicabat Iſrahel in illo tempore*, & *ipſa*, inquit, *Debbora ſedebat ſub palma inter medium Rama, & inter medium Bethel, in monte Ephraim, & aſcendebant ad eam filij Iſrahel, vt iudicarentur.* Tum deinde, quid nobis eruditionis, aut doctrinæ, aut iuſtitiæ ea conferunt, quæ ſequuntur vel de Barach, vel de Iael, vel etiam de Siſara Duce militiæ Iabin? Videamus ergo, ſi forte per hæc dignum aliquid, ſicut & ex ſcripturis cæteris, de ſacramentis ſecretioribus doceamur. Primo hoc ipſum, quod cum plurimi iudices viri in Iſrahel fuiſſe referantur, de nullo illorum dicitur, quia Propheta fuerit, niſi de Debbora muliere. Præſtat & in hoc conſolationem non minimam mulierum ſexui etiam prima ipſius literæ facies, & prouocat eas, vti nequaquam pro infirmitate ſexus deſperent, etiam Propheticæ gratiæ capaces ſe fieri poſſe; ſed intelligant & credant, quod meretur hanc gratiam puritas mentis, non diuerſitas ſexus. Sed videamus, quid etiam interioris intelligentiæ reſpiret arcanum. Debbora, *apis*, interpretatur, ſiue *loquela*. Sed etiam & in ſuperioribus diximus, quod Debbora in Prophetiæ forma accipienda ſit, quæ eſt apis: certum namque eſt, quod omnia prophetia ſuauis cœleſtis doctrinæ fauos & dulcia diuini eloquij mella componat: vnde & Dauid canebat dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel & fauum ori meo?* Et iterum alibi dicit, *Iudicia Dei pretioſa eſſe ſuper aurum & lapidem pretioſum nimis, & dulciora ſuper mel & fauum.* Sed & illud conſideremus, vbi reſidere dicitur Propheteſſa, & vbi locus eius eſſe deſcribitur: *Sub palma*, inquit, *inter medium Rama, & inter medium Bethel.* Sub palma ſedem habet prophetia, quia *Iuſtus*, inquit Dauid, *ſicut palma florebit*: Per hoc, quod ſuis inſtitutionibus eruditum prophetia perducit ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Inter medium autem Rama & inter medium Bethel ſedere dicitur. Rama interpretatur, *excelſa*, Bethel autem *domus Dei*. Videte, in quibus locis reſidere dicitur prophetia: inter excelſa & domum Dei. Nihil enim humile, nihil deiectum, nihil vile, erga prophetiæ ſedem reperiri poteſt: ſicut & Salomon nihilominus ſapientiæ ſedem deſcribens dicit de ea, quod vel in portis ciuitatum adſiſtat, vel in murorum mœnibus habitet, vel in altis turribus libere agat. Hoc ergo modo Prophetia, quæ nunc in Debbora deſcribitur, inter domum Dei, & inter excelſa dicitur habitare. Non enim nos docet, quæ ſuper terram ſunt quærere, ſed quæ in cœlis ſunt & in excelſis, *vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens.* Illuc nos Prophetia hortatur aſcendere illuc diſcipulos ſuos molitur imponere. Hæc ergo eſt, primo omnium, inquit, miſit & vocauit ad ſe Barach, Barach autem interpretatur, *coruſcatio*. Coruſcatio vero eſt, quæ habet quidem lucem, ſed non permanentem, ad modicum enim temporis reſplendet & deſinit. Hic ergo Barach mihi videtur formam gerere populi prioris, qui primo omnium per Prophetiam vocatus eſt, & inuitatus ad audienda eloquia Dei, & diuinæ legis munera capienda, qui refulſit quidem, & in legis ſplendore ad breue tempus coruſcauit: ſed non diu permanſit, nec continuum lucis potuit obtinere fulgorem. Cum ergo dixiſſet Debbora ad Barach, id eſt, Prophetia ad priorem populum: *Quia tibi præcepit Dominus Deus Iſrahel, & tu aſcende in montem Thabor, & accipe decem millia viros*, & reliqua, quæ ſcripta ſunt. Quid reſpondit Barach, ex perſona populi ad Prophetiam videamus: *Non*, inquit, *aſcendam, niſi & tu aſcenderis mecum*; quia neſcio diem, in qua mittet Dominus Angelum ſuum mecum. Vides ergo, quomodo illis prioribus Prophetia detulerit eloquia Dei, & illis dicit data eſſe præcepta, vt aſcendant in montem? Sed excuſant & dicunt, non aſcendam, niſi aſcenderis mecum. Et de excuſatione quidem verum eſt, ſed de repromiſſione falſum eſt. Quod enim non aſcenderint in montem DEI certum eſt: quod autem pollicentur ſe aſcenſuros eſſe cum Prophetia, falſum eſt. Non enim ſecuti ſunt Prophetiam, vt crederent ei, de quo omnis Prophetia præſcripta eſt, CHRISTO. Propterea ergo dicit ad eum Debbora: *Ibo tecum, verumtamen ſcito, quia non erit primatus tuus in via hac, quam incedis, ſed in manu mulieris tradet Dominus Siſaram.* Euidenter oſtendit, quia non erit apud illum populum primatus, nec permanebit apud eum victoriæ palma: ſed in manus mulieris, cui nomen Iael, traditur Siſara. Deſcribitur autem, quod cum ſecundum commonitionem Debboræ, id eſt, prophetiæ inſequeretur Barach principem Allophylorum Siſaram. Ipſe quidem eum comprehēdere non potuit, ſed occurrit ei fugienti mulier alienigena Iael, quæ mulier prius cum eo amicitiarum fœdus habuerat, ad quam ille cum declinaſſet latendi gratia, aquam popoſcit, vt biberet, ſed ab illa lacte potatus eſt. Et cum eum in latebris collocaſſet ac pellibus operuiſſet, poſt hæc palum malleo adactum per eius mala vel maxillas defixit, & tunc occurrens inſectanti Barach mortuum iam & proſtratum oſtendit Siſaram. Quid ergo nobis ſacramenti omnis iſte hiſtoriæ textus oſtendit? Iael, mulier iſta alienigena, de qua Prophetia dixit, quod in manu mulieris victoria fiet, figuram tenet Eccleſiæ, quæ ex alienigenis gentibus congregata eſt. Interpretatur autem Iael, *aſcenſio*, quia revera non eſt alia aſcenſio, qua aſcenditur ad cœlum, niſi per Eccleſiam, multiformis ſapientiæ Dei. Ipſa eſt ergo, quæ dum à corporalibus ad ſpiritalia & à terrenis aſcendit ad cœleſtia, interficit Siſaram, de quo iam ſuperius diximus, quod carnalium vitiorum, & animalis vel choici hominis tenet formam; quia Siſara, *viſio equi*, interpretatur, de quo Scriptura dicit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Palo ergo eum interficit, id eſt, ligni crucis eum acumine & virtute proſternit. Et non ſine cauſa maxillas eius palo tranſuerberaſſe deſcribitur. Illud enim os, quod de carnalibus loquebatur, & illa doctrina, quæ carnis gloriam præferebat, quæ in delitiis & voluptatibus viuendum ſapientibus ſeculi perſuadebat, & humanum genus luxuriæ adulatione deceperat, illud, inquam, os ligno crucis configitur & terebratur; quia illa via, quam Philoſophia latam & ſpatioſam prædicauerat voluptatis, hanc CHRISTVS artam & anguſtam nobis viam ſalutis oſtendit. Sic ergo Iael Eccleſia vitiorum principem Siſaram obtectum pellibus, id eſt, membrorum mortificatione ſopitum, & æterno tradidit ſomno. Occurrit tamen Iael Eccleſia, poſt hoc, & priori populo inſectanti Siſaram. Inſectabatur enim Iſrahel legem iuſtitiæ, ſed in legem non peruenit. Occurrit ergo Eccleſia, etiam ipſi, & oſtendit ei opus ſuum, oſtendit ei victoriam conſummatam, atque in ſocietatem eum proſtrati hoſtis inuitat. Verum eſt enim illud, quod Apoſtolus in nouiſſimo tempore dicit futurum, quia cum plenitudo gentium ſubintroierit, tunc omnis Iſrahel ſaluus fiet. Sit ergo primatus quidem in manu mulieris alienigenæ, non tamen excluditur à conſortio gloriæ etiam Barach, qui prior quidem cœperat, ſed nouiſſimus peruenit ad finem. Immo dum ille peruenit, Iael alienigena prætereuntem quodammodo victoriam rapit. Eadem forma præceſſit etiam in Eſau & Iacob, fratribus: dum enim Eſau ſectatur agreſtia, dum moratur in ſaltibus; præueniens Iacob, & mulieris nihilominus conſilio matris compoſitos patri offerens cibos,

2 Tim. 3. — Pſal. 118. — Pſal. 18. — Pſal. 91. — Prou. 8. — Col. 3. — Pſal. 31. — Rom. 11. — Gen. 27.

B C D E F G H

A benedictionis primatus accepit. Sic & in Euangelio, pergente Domino ad filiam principis Synagogæ ſuſcitandam, præueniens mulier, quæ fluxu ſanguinis laborabat, fideli tactu prior conſequitur ſanitatem. Quod ſi etiam inde requirendum aliquid videtur à diligentibus auditoribus, quod lacte eum potaſſe dicitur, cum ille aquam popoſciſſet: Videamus, ne forte ſecundum myſticas vel allegoricas leges tale aliquid etiam de hoc, poſſit oſtendi. Lactis cibus eſſe dicitur in Scripturis ſanctis prima hæc moralis inſtitutio, quæ incipientibus velut paruulis traditur: non enim initiis ſtatim diſcipulis de profundis & ſecretioribus tradendum eſt ſacramentis, ſed morum correctio, emendatio diſciplinæ religioſæ conuerſationis & ſimplicis fidei prima eis elementa traduntur. Iſtud eſt Eccleſiæ lac, hæc incipientium paruulorum prima, ſunt elementa. Sed iſte cibus his quidem, qui bonum proficiendi propoſitum gerunt, vitam tribuit & ſalutem; His vero, quibus contraria placent, quibus luxuria, libido, auaritia, & omnis impietas cordi eſt, huiuſmodi doctrina B necem & interitum præſtat. Sic ergo fit, vt ex his atque eiſdem cibis, quibus aluntur boni, ſuffocentur mali, & in quo pijs vita eſt, ibi ſit impijs mors. Denique vt exemplo res, quam dicimus, planior fiat, vinum ſanos & commode degentes iuuat, & (ſicut Scriptura dicit) cor hominis ſani duntaxat lætificat, febrientibus vero, ſi ſumpſerint, perniciem continuo & interitum parit, ita fit vt eadem res non eodem modo ſumpta vnis quidem vitam, alij autem conferat mortem. Sic ergo intelligendum eſt, & Siſaram, iſtum animalem hominem, & vitiorum principem, per doctrinam Eccleſiæ, quam non ex fide ſuſcepit, extinctum. Sed & vnaquæque anima ſatagat iſto lacte Euangelico atque Apoſtolico ſopire in ſemetipſa & extinguere Siſaram. Si enim per hæc edoctus quis mortificauerit membra ſua quæ

Col. 3. ſunt ſuper terram, auaritiam, fornicationem, & cætera, quæ ſanctus Apoſtolus enumerat; Siſaram in ſemetipſo videbitur peremiſſe: vt hæc non ſolum in perſona

C Eccleſiæ conſummari, verum etiam vnuſquiſque in ſua anima oſtendat impleri. Quia ergo, ſicut diximus, cœptus eſt quidem Siſara inſectari à populo priori, interemptus autem eſt à muliere hac, Eccleſia gentium, & in manu eius data eſt palma victoriæ: in conſummatione omnium, id eſt, in fine ſeculi etiam canticum Domino cantabitur per Debboram, in quo primatus quidem dabitur Iael Eccleſiæ gentium, nec tamen de Barach laude ſilebitur; Sed vnum & primis & nouiſſimis victoriæ præmium dabitur.

XIII. *Cecineruntque Debbora & Barach filius Abinoen in die illa, dicentes: Qui ſponte obtuliſtis de Iſrahel animas veſtras ad periculum, benedicite Dominum.* Siſara cum exercitu ſuo & curribus ferreis, quibus impugnat populum Dei, ſuperatus eſt, quod ita futurum prophetia præcecinit per Debboram, & poſteaquam in manu mulieris facta victoria eſt canticum iſtud Debbora, velut victoriæ ipſius laudem, cecinſſe perſcribitur. Verum ſi meminimus eorum, quæ in ſuperioribus dicta ſunt ſecundum myſticam formam, quæ eſt figura Debboræ, quæ etiam Barach,

D quid imaginis teneat Iael mulier, quæ aduerſarium populi Dei ſola deiecit, quæ etiam imago ſit Siſaræ ipſius, qui à muliere alienigena ligni virtute proſtratus eſt, intelligimus, hæc omnia ſacramenta eſſe, quæ in nouiſſimis temporibus & in fine ſæculi per Eccleſiam conſummantur, & in cantico hoc, velut epinicia eius, id eſt, victoriæ laudem eſſe deſcriptam: illius ſcilicet temporis, cum nouiſſima inimica deſtruetur Mors; tunc enim exultabit Debbora, id eſt, illuſtrabitur gloria prophetiæ, quia quæ prædixit, impleta ſunt. Tunc Iael, id eſt, Eccleſia hoſtem communem omnium ſuperabit, & poſteaquam plenitudo gentium introierit, tunc & Barach,

Rom. 11. id eſt, reliquus Iſrahel, ſaluus fiet, & in ſocietatem victoriæ recipietur. Tunc ergo ſi digni fuerimus, etiam nos cantabimus canticum iſtud refertum myſticis & propheticis ſacramentis. Sed videamus, quid in principio cantici huius ſpiritalis iſta Debbora atque Barach dicant: *Qui ſponte*, aiunt, *obtuliſtis de Iſrahel animas veſtras ad periculum, benedicite Dominum.* Qui ſunt ergo iſti, qui animas E

ſuas ſponte ad periculum obtulerunt, niſi Apoſtoli, Prophetæ, & Martyres, nec non & cæteri iuſti, qui propter ſeruitium Dei animas ſuas præparabant ad temptationem, & huius mundi aduerſa æquo animo tolerabant. Omnes quidem ſancti atque electi tunc animas ſuas ſponte deferunt ad periculum, quando confeſſionem nominis Chriſti deuota mente ſuſcipiunt, & in vera religione fortiter perſiſtere decernunt: hinc enim ad periculum animas ſuas tradunt, quo ei, contempto perſecutore, coadunari per fidem non metuunt, quem mundum maximis odijs perſequi intelligunt. Vnde ipſa veritas in Euangelio diſcipulis ait: *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Et item: *Eritis*, inquit, *odio omnibus propter nomen meum.* Vnde per Paulum dicitur: *Omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Ioan 15. Luc 21. 2 Tim. 3.

ſed hi ad benedicendum Dominum exhortantur, quia cum hoſtes ſuos, nouiſſima morte deſtructa, ſuperabunt, æternam mercedem percipientes, laudes perpetuas in F cœlis cum ſanctis Angelis in æternum Domino decantabunt. *Audite Reges percipite auribus Principes.* Reges appellat eos qui conuocantur ad audiendum verbum Dei: Exulta popule Dei, audiens tuæ nobilitatis inſignia, tu vocaris ad audiendum verbum Dei, & non vt plebs, ſed vt Rex vocaris. Tibi enim dictum eſt: *Genus regale & ſacerdotale, populus in adquiſitionem.* Ideo quia vos reges eſtis, merito Rex noſter Chriſtus Dominus Rex dicitur regum & Dominus dominantium. Sed ſicut exaltaſtis de nobilitatis veſtræ titulo, ita diſcere debetis, quid agendo vnuſquiſque veſtrum fiat rex, quod vobis ita breuiter definiam. Regem te eſſe omnium facit, ſi regnet CHRISTVS in te: Rex namque à regendo dictus eſt. Si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat, ſi concupiſcentias carnis ſub iugum imperij tui mittas, ſi vitiorum gentes ſobrietatis tuæ frenis artioribus premas: merito rex diceris, qui te recta regere noueris. Cum ergo talis fueris effectus; digne vt rex ad audienda diuina verba vocaberis. Hoc G vero, quod ſubſequitur, magis corporeum quiddam indicat quod dicit: *Auribus percipite omnes Satrapæ.* Sicut enim inferior eſt rege Satrapa, ita & auribus percipere inferius videtur eſſe, quam audire: audire namque ad interiorem pertinet hominem, ſicut & Dominus docebat: *Qui habet aures audiendi, audiat*: auribus vero Matth 13. percipere, ad exteriorem & corporalem ſpectat auditum. Ideo ergo & hic illi, qui audire debent, reges dicuntur; qui vero auribus percipere, ſatrapes appellantur. *Ego ſum, ego ſum quæ Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrahel.* Beati ſunt, qui poſſunt cantare canticum Domino. A tergo hic vox iuſti: *Ego Domino cantabo, & pſallam Deo Iſrahel.* Quis putas ita canoræ vocis eſt, & ita ſpiritus puri, mentiſque ſinceræ, vt cantilena eius diuinum delectare poſſit auditum? Ille profecto eſt, qui nullum habet in ſe raucum peccati ſonum, qui nihil offenſionis in lingua, nihil craſſitudinis in ſpiritu gerit. Ille poteſt recte dicere: *Ego Domino cantabo, Pſallam Deo Iſrahel.*

Cantat ergo Domino, qui eum deuotione cordis, & oris officio digne prædicat. Pſallit vero, qui H eum bonis operibus laudat. Videamus itaque quomodo canticum ipſum inchoet: *Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt. Cœlique ac nubes ſtillauerunt aquas, montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrahel.* Dominus ergo de Seir exijt, quia ex Iudaico populo malitiæ & incredulitatis ſpinetis aſperrimo, ſecundum carnem editus eſt: tranſijt per regiones Edom, quando ibidem per ætatis ſpatia iuueneſcens creuit & Euangelium, prædicando lumen fidei, vbique ſparſit, tandemque ad crucem veniens, per paſſionem & reſurrectionem ſuam myſterium redemptionis noſtræ mirabiliter adimpleuit. Nomine quoque Edom ſiue Eſau, ſicut & Seir, idem populus Iudæorum deſignatur. Nam Seir, *piloſus* vel *hiſpidus*, Eſau,

A *vanus* aut *fruſtra*, & Edom, *rubeus* ſiue *terrenus*, interpretatur. Igitur quia carnalium deſideriorum oblectamenta & vanitatem mundi ſecutus eſt, quaſi per lentis edulium, primatus ſui gloriam perdidit, & promiſſam ſibi benedictionis gratiam fide populi iunioris ſubplantatus amiſit. Migrauit ergo Dominus per prædicatores ſuos à Iudæorum populo duro & ingrato ad gentium ſalutem. Sed quid tunc factum ſit, audiamus: *Terra*, inquit, *mota eſt*; hoc eſt, carnalium corda timore concuſſa ſunt. *Cæli ac nubes ſtillauerunt aquis*, cum Apoſtoli atque Prophetæ voluntatem Dei ſacris iudicauerunt verbis. *Montes fluxerunt à facie Domini*, quando ſuperbia perſecutorum ac potentium huius mundi deſtructa eſt. Et *Sinai à facie Domini Dei Iſrael*. Per Sinai verò, vbi Moyſes legem à Domino accepit, Iudaicus populus, cui ipſa lex data eſt, deſignatur. Sed ſicut montes fluxerunt à facie Domini, ſic & Sinai à facie Domini Dei Iſrahel, quia nec Iudæorum nec etiam gentilium faſtus ac ſuperbia præſentiæ Domini vllo modo reſiſtere valebat: ſed potentia virtutis ſummæ
B ſuperata ac proſtrata eſt; ita vt ad pœnitentiam peccatorum conuerſi; baptiſmatiſque gratia abluti plurimi eorum de perſecutoribus in Euangeliſtas mutati ſint; ſicut Saulus ſæuiſſimus perſecutor de Iudæis
Act. 9. in Apoſtolum Paulum; nec non & multi de gentilibus in prædicatores Euangelij tranſmutati ſunt: ſicut Dionyſius Areopagita, Trophimus, Epheſinus, Gaius, & Ariſtarchus, Macedones comites Pauli, & cæteri, qui diſcipulatui Apoſtolorum adhæſerunt. *In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iael, quieuerunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt per calles deuios.* Diximus ſuperius, quod Samgar, qui interpretatur, *aduena* ſiue *colonus*, ſignificaret prædicatorem Diuini verbi, qui dominico aratro innitens per Euangelium colit corda auditorum; & Iael, mulier alienigena, quæ interpretatur, *aſcenſio*, ſiue *requies Dei*, deſignaret Eccleſiam, in qua veraciter ad cœlorum regnum aſcenditur; quia ibi cunctis rite credentibus perennis vitæ aditus aperitur, ſibi & requies Dei eſt, vbi quoti-
C die eius voluntas adimpletur. Vnde diuina vox per
Eſa. 66. Prophetam ait: *Super quem requieſcit ſpiritus meus; niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* In diebus ergo horum quieuerunt ſemitæ, quia per diuinam gratiam pacis dona fidelibus fuere conceſſa; & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios, cum perſecutores Chriſtianorum & hæretici, qui non fidei deuotione, ſed aſtu malitiæ Eccleſiam ingredi temptauerunt. Diuino iudicio diſperſi ſunt, & quia pacis ſemitam incedere neglexerunt, per erroris anfractus deuiauerunt; non quod iuſtiſſima pietas Deitatis errare eos fecerit, ſed iuſto iudicio propter ſua peccata in errorem illos cadere permiſerit. Vnde per Salomonem
Prou. 10. dicitur: *Qui ambulat ſimpliciter, ſaluus erit: qui autem peruer-*
Prou. 21. *ſis ingreditur vijs, concidet ſemel.* Et item: *Vir, qui errauerit à*
Pſal. 80. *via doctrinæ, in cœtu gigantium commorabitur.* Hinc & Pſalmiſta; *Dominus, ait, dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eo-*
Eccli. 2. *rum, & ibant in voluntatibus ſuis.* Et alibi ſcriptum eſt: *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs. Ceſſauerunt fortes in*
D *Iſrael, & quieuerunt, donec ſurgeret Debbora mater in Iſrael.* Qui ſunt iſti fortes, qui ceſſauerunt in Iſrahel, niſi Prophetæ & iuſti viri, qui in populo Dei tempore ſuo primatum gerentes; conſilijs eos gubernabant, atque ſolatiis adiuuabant: ſed quieuerunt, hoc eſt, dormitionem mortis acceperunt, & ideo ceſſauerunt, quia morte intercedente, permanere non potuerunt: vt paulatim veteris legis vſu deficiente, iam ille aduenitet, quem Debbora mater, hoc eſt, vera prophetia futurum præcinebat, vt benedictionem daret ipſe, qui legem dedit, qui ſignaculum legis & prophetarum omnium fuit. Vnde ipſa Veritas in Euangelio ait: *Lex & Prophetæ vſque ad Io-*
Matth. 11. *annem.* Hinc quoque Paulus ait: *Poſtquam venit plenitudo*
Gal. 4. *temporis; miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Et iterum, *Finis*, in-
Rom. 10. quit, *legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti. Noua bella elegit Dominus.* Quæ ſunt iſta noua bella, niſi contra peccata & vitia virtutum luctamina? Hæc quippe elegit Dominus; quia hæc probat: vnde Paulus ait: *Non eſt* E
nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem; ſed aduerſus *Ephe. 6.*
principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Et item: *Ego*, inquit, *ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi* *1. Cor. 9.*
aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubijcio, ne forte cum alijs prædicauerim; ipſe reprobus efficiar. Noua itaque bella ſunt, vbi malum contra malum non redditur, ſed malum per bonum vincitur: vbi fi- *Rom. 12.*
dei ſcuto, lorica iuſtitiæ, galea ſalutis, & gladio Spiritus miles Chriſti per patientiam contra hoſtes dimi- *Epheſ. 6.*
cat, cuius militiæ rex Chriſtus eſt, qui diſcipulis ſuis ait. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* quique ſeruis ſuis triumphum atque victoriam tribuit. Vn- *Luc. 21.*
de ſequitur: *Portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Quæ ſunt ergo portæ hoſtium? niſi portæ mortis, portæ inferi, praui videlicet homines, & hæretici, per quos maligni ſpiritus contra ſeruos CHRISTI belligerant. Sed ipſe has portas ſubuertet; quando eorum conſi- F
lia, minas, ac fraudes detegit, poterit, ac diſſipat, & ea, quæ videbantur ſuperbis magna eſſe ac fortia, per humiles ſuos contemnit atque ad nihilum redigit. *Clipeus & haſta ſi apparuerint, in quadraginta millibus Iſrael.* Clipeum & haſtam pro armis terrenis ponit, in quibus carnales ac ſeculi iſtius homines confidunt: ſed hæc non neceſſaria ſunt ſpiritalibus. Non enim habet locum in caſtris ſpiritualibus armatura terrena: ideo ibi non apparet, quia ibi non inuenitur; vbi quadraginta millia Iſrahelitarum contra hoſtes ſpiritales pugnant: quadragenarius enim numerus, vbi denarius quater multiplicatus conſtat, bene conuenit militibus Chriſti, hoc eſt, veris Iſraheliticis; in quibus dolus non eſt, qui præcepta decalogi ſecundum Euangelicam doctrinam ſeruantes, caſtra Eccleſiæ tuentur, atque cuſtodiunt, ac per omne tempus iſtius vitæ vſque ad conſummationem ſeculi taliter agonizantes, cœleſtis patriæ hæreditatem fœliciter triumphando adipiſci deſiderant. Vbi notandum, quod huius agonis tempora Eſaias Propheta olim deſcripſit dicens: G
De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem, & iu- *Eſa. 2.*
dicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltra ad prœlium domus Iacob, venite & ambulate in lumine Domini. Quando, luceſcente veritate, in nouo teſtamento omnis duritia cordis noſtri Chriſti vomere frangitur, & eradicantur ſpinæ vitiorum, vt ſemenus ſermonis Dei creſcat in fruges, & poſtea labores manuum noſtrarum manducemus; quando venient in exultatione portantes manipulos ſuos. *Cor meum diligit principes Iſrahel. Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.* Principes Iſrahel ſunt Doctores ſancti, quos ſe diligere dicit anima iuſti; qui propria voluntate obtulerunt ſe diſcrimini; cum voluntati ſui Magiſtri & Domini concordantes, inter perſecutorum ſcandala ire non formidant: vnde Dominus diſcipulis ſuis ait: *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum.* Et item: *Matth. 10.*
Tradent, inquit, *vos in conſilijs, & in Synagogis ſuis flagella-* H
bunt vos, & ante Reges & præſides ducemini propter me in te- *Ibid.*
ſtimonium illis & gentibus. Quorum vnus his, qui carnaliter ſibi ſecundum tempus conſulere volebant, ac per hos inter hoſtes eum ire prohibebant; reſpondit, dicens: *Ego enim non ſolum alligari; ſed etiam mori in Hieruſa-* *Act. 21.*
lem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu. Et in Actibus Apoſtolorum legitur, quod ipſi Apoſtoli ibant gau- *Act. 5.*
dentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Domini Ieſu contumeliam pati. *Benedicite Domino; qui aſcendiſtis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.* Alia autem editio ſic habet: *Benedicite Dominum, qui aſcendiſtis ſuper iumenta, ſupra vehicula ſedentes, & ſuper aſinos refulgentes.* Quid eſt aſcendiſſe ſuper iumentum? Denique corpus hoc meum iumentum eſt: ad iumentum enim animæ, & ad miniſterium datum eſt. Ergo autem ſum

A idem interior homo, qui aſcendi ſuper iumentum hoc, cui dicitur, vt benedicam Dominum. Si ergo vere aſcendiſti ſupra corpus, & ſuperior effectus es corporalibus deſideriis, & motus corporis tui freno mentis & interioris hominis moderamine gubernantur, de te dicitur: *Qui aſcendiſti ſuper iumentum, vt benedicas Dominum.* Quid autem eſt quod ſequitur: *Super vehicula*, inquit, *ſedentes, & ſuper Aſinos refulgentes*? Quid ſibi videntur aſinæ eſſe refulgentes? dicit enim Scriptura, quia oporteat benedicere Dominum eos, qui ſedent ſuper vehicula, & ſuper aſinas refulgentes. Mihi velut in locis ita difficilibus, tale aliquid videtur: Cum iumentum, hoc eſt, corpus meum ſub iugo venerit verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei reſplendere incipit; & aſina hæc, id eſt, caro mea tunc refulgere dicitur, cum caſtitatis ac pudicitiæ fuerit ſplendore decorata: & ita recte dicetur anima ſedens ſuper aſinam reſplendentem, Dominum benedicere, & in medio lætantium laudare eum. *Qui ſedetis*, ait, *in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.* Quid eſt ſedere in iudicio? niſi iuſtitiam ſeruare in iudicando & quidem B ambulare in vis? niſi ſecundum præcepta Dei bene operari in præſenti vita. Tales enim ad loquendum, hoc eſt, laudandum exhortantur, quia ipſi, qui corpus ſuum caſtigant & cohibent à peccatis, ac iuſte iudicant proximos ſuos, incenduntque in via veritatis, recte credendo & bene operando, Dominum vniuerſorum rite & rationabiliter laudant. Qui enim peccatis deſeruiunt, digne Dominum laudare non poſſunt, vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* (Pſal. 118.) Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. Et alibi ſcriptum eſt: *Non eſt pulchra laudatio in ore peccatoris.* (Eccli. 2.)

Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium eſt ſuffocatus exercitus, ibi narrantur iuſtitia Domini, & clementia in fortes Iſrahel. Vbi, inquit, *colliſi ſunt currus*, hoc eſt, dæmonum confractus eſt potentatus, *& hoſtium eſt ſuffocatus exercitus*, malignorum ſpirituum videlicet compreſſus eſt tumultus: *ibi narrantur iuſtitia Domini, & clementia in fortes Iſrahel.* C Quia ibi patefactæ ſunt iuſtitiæ Domini, vbi victoria de hoſtibus collata eſt famulis CHRISTI: ibi & clementia in fortes Iſrahel narratur, vbi fideles miſericordia Dei adiuti eſſe manifeſtantur. Merito ergo tunc interitus hoſtium prædicatur, quando voluptas carnalis opprimitur, iuſtitia in iudicio ſeruatur, & rectitudo fidei cum bonis operibus cuſtoditur. Vnde ſubiunguntur: *Tunc deſcendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.* Per iuſtitiam ergo populus Domini portas hoſtium capiet, & obtinet principatum, quia illud ſacrificium Domino acceptabile eſt, quod in iuſtitia offertur & æquitate. Propterea dicit: *Iuſti confortati ſunt in Iſrahel.* In alijs quidem gentibus qui corporis robore fortiores ſunt, illi potentes dicuntur in prœlio; in Iſrahel vero qui iuſtiores ſunt, ipſi potentiores dicuntur in bellis; quia iuſtitia etiamſi viribus infirma ſit, vincit; iuſtitia vero etiamſi multos & validos propugnatores habeat, ſuperatur. Sic igitur in hac gente noſtra, id eſt, in populo D Dei, aut per iuſtitiam ſuperamus, aut per iniuſtitiam vincimur. *Surge, ſurge Debbora, ſurge & conquire canticum.* Prophetia quando exurgit? Profecto in aduentu Chriſti, quando implentur omnia, quæ de eius aduentu ſcripta ſunt, & non ſolum ipſa exurgit, ſed & populos ſuſcitat ad credendum: hoc eſt enim loqui canticum, vt cunctis CHRISTI gentibus prædicetur Euangelium. *Surge Barach, & apprehende captiuos tuos fili Abinoem.* Prædictum eſt, quod Barach, qui interpretatur, *coruſcatio*, ſignificaret priorem populum, qui ad breue tempus in legis ſplendore coruſcauit, ſed non diu permanſit, nec continuum potuit lucis obtinere fulgorem. Sed nunc ipſe ſurgere exhortatur ad apprehendendum captiuos ſuos, idemque filius Abinoe eſſe memoratur: Abinoe enim, *patris reſponſio*, vel *patris mei decor*, interpretatur. Quid eſt ergo, quod Barach ad comprehendendum captiuos in-

E citatur, niſi quod populus Iudaicus per libros legis ac prophetarum ad fidem CHRISTI conuerti admonetur? Hoc eſt enim apprehendere captiuos, vt qui nunc capti ſunt ab errore & vitiis, inde eruti, veritatis & iuſtitiæ captiui fiant. Ille ergo de hoſtibus captiuitatem ritè capiet, qui cœleſtis patris reſponſum, & decorem rectæ fidei ac virtutum ſeruauerit. Et nota, quod prius ſurgere Debbora, & loqui canticum, deinde Barach ſurgere, & apprehendere captiuos adhortantur; quia primum iuſto iudicio Dei factum eſt, iuxta Pauli vocem, vt plenitudo gentium vaticinio Prophetarum credens, ad fidem CHRISTI intraret, & ſic omnis Iſrahel ſaluus fieret. (Rom. 11.) Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt; vnde ſequitur: *Salua facta ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.* Perſiſtentibus ergo in fide CHRISTI Apoſtolis, & prædicatoribus Euangelij, minas atque pœnas perſecutorum per patientiam vincentibus, Domini virtus innotuit, & inde F non pauci ex Iudaico populo ad fidem Chriſti conuenerunt. Nec non & quotidie aliqui ex illis conuertuntur, ſed perfectio conuerſionis eorum poſt plenitudinem gentium ſubintrantem in fine reſeruabitur. *Ex Effraim deleuit eos in Amalech.* Per Effraim igitur natu minorem, cui Iacob Patriarcha benedicente, primogeniti collata eſt dignitas, fidelis ex nationibus populus deſignatur, in Chriſti gratia iunior tempore, ſed maior fide, ad quem cuncta Iſraelitici populi gratia tranſiuit. Hic ergo hoſtes deleuit in Amalech, quia per zelum Dei & fidei fortitudinem, malignorum ſpirituum, qui humanam ſemper deſiderant perniciem, prauam ſuggeſtionem à conſpectu cordis ſui delere ſtudent. *Et poſt eum ex Beniamin in populos tuos ô Amalech.* Per Beniamin, qui ex filio doloris in filium dexteræ verſus eſt, Paulus Apoſtolus deſignatur, qui de perſecutore in Apoſtolum vocatione Dei repente mutatus, vas electionis Chriſto effectus eſt: (Act. 9.) ipſe enim ſe ex hac tribu fuiſſe teſtatur, ſed hic ad populos Amalech delendos nutu diuino deſtinatus eſt, quia per hunc in gentibus maxime & idololatria & deluſio erroris diabolici deſtructa G eſt. *De Machir Principes deſcenderunt & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.* Machir, qui interpretatur, *reſtituet*, ſiue *venundauit*, & eſt primogenitus Manaſſe primogeniti Ioſeph, ſignificat populum priorem de quo principes hoc eſt, Apoſtoli & doctores primitiuæ Eccleſiæ deſcenderunt, qui fideliſſimi pecuniarum Domini Trapezitæ exiſtentes, naturalem legem & morum probitatem, quæ pene per obliuionem atque abuſionem in hominibus obliteratæ ſunt, per Euangelicam prædicationem reſtituebant atque innouabant, & ſpiritalis militiæ duces effecti, hoſtes fortiter debellabant. Similiter & Zabulon, qui interpretatur, *habitaculum fortitudinis*, & ſignificat Eccleſiam de gentibus fortiſsimam ad omnem tolerantiam paſſionis, duces in prælio Domini de ſe dedit, quia prædicatores Euangelij, & ſpeculatores plebis Dei ex ſe miſit, qui hoſtium caſtra fortiter contererent, & milites Chriſti illæſos cuſtodirent. *Duces Iſachar fuere cum Debbora, & Barach veſtigia ſunt ſecuti.* (Gen. 49.) H Iſachar ergo, quem Iacob patriarcha aſinum fortem appellauit, & interpretatur, *merces*, refertur ad populum gentium, quem Dominus ſanguinis ſui pretio eſt mercatus. Hic Iſachar aſinus fortis ſcribitur, quia prius gentilis populus, quaſi brutum & luxurioſum animal erat, nullaque ratione ſubſiſtens, nunc vero fortis eſt, Redemptoris Dominio colla ſubiiciens, & iugum diſciplinæ Euangelicæ humiliter gerens. *Duces ſuos cum Debbora & Barach miſit*, quia prophetarũ dictis & patriarcharum exemplis inſtitutus, duces nobiles & ad bellandum contra inimicos caſtraque Eccleſiæ defendendum idoneos ex ſe reddidit, qui per omnia priorum patrum veſtigia ſeruantes, nequaquam in erroris deuia declinauerunt, ſed mortem contemnentes, pro veritate vſque ad finem vitæ certauerunt; vnde ſubſequitur. *Qui quaſi in præceps ac barathrum ſe diſcrimini dedit*: Nullo modo ergo mortem timere poterant, qui ſanguinem

Digitized by Google

A pro Chriſto fundere deſiderabant. *Diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta contentio eſt.* Ruben, qui primogenitus fuit Iſrahelis, priorem populum ſignificat, de quo (Oſe. 11.) Dominus per Prophetam ait: *Ex Aegypto vocaui primogenitum meum Iſrahel*; ſed diuiſo hoc Ruben, magnanimorum reperta contentio eſt, dum Iudæi à ſocietate bonorum ob perfidiam diuiſi, contra ſpiritales milites Chriſti bella lites atque contentiones ſemper habere deſiderabant. Inde eſt, quod pontifices ac principes Iudæorum contra Apoſtolos, immo contra ipſum Dominum conſilium inierunt in dolo, quomodo eos perderent, ſicut legitur in Euangelio (Matth. 26.), quod principes ſacerdotum, & omne concilium quærerent falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent. Et in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt (Act. 4.), quod contra Apoſtolos congregarentur principes & ſeniores & ſcribæ Iudæorum in Hieruſalem, & Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali. Magnanimorum ergo ibi reperta contentio eſt, vbi illi, B qui maiores videbantur eſſe in populo Iudæorum, cum cætera turba per ſuperbiam aduerſus veritatem Euangelij, & doctrinam Apoſtolorum contendebant. Sequitur: *Quare habitas inter duos terminos, vt audias ſibilos gregum?* Arguit illos hac ſententia, qui variis ſuperſtitionibus dediti, nec legi nec Euangelio concordare volebant. Hos enim terminos hic intelligere debemus, vnde alibi ſcriptum (Prouer. 22.) eſt: *Ne tranſgrediaris terminos patrum tuorum.* Lex enim vetus ſuo tempore obſeruanda erat, ſed non ſolum Scribæ & Phariſæi ſuis traditionibus eam maculauerant, quin etiam cæterum vulgus plurimis tranſgreſſionibus eam polluerunt; nec tamen veniente Redemptore noſtro, & luceſcente per totum orbem terrarum Euangelio, ſe conuerti ab errore ad pœnitentiam volebant, atque ad gratiam Chriſti confugere, magiſque elegerunt ſibilos gregum audire, hoc eſt, hæreticorum peſtiferas ſectas ſequi, quam veritatem teſtamentorum Dei. Hos enim greges deteſtando ſponſa in Cantico Canticorum ad (Cant. 1.) ſponſum dicit: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges ſodalium* C *tuorum.* Greges ergo ſodalium conuenticula ſunt hæreticorum, quæ inanem ſibilum dant, cum mendacium pro veritate ſuis auditoribus commendare decertant, quos quiſquis ab vnitate fidelium diuiſus ſequitur, mox per ſuperbiam contentiones amare, & contra bonos odijs exurgere inuenitur. Vnde item ſuperior ſententia repetitur: *Diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta contentio eſt*: quia non ſolum Iudæi, ſed & omnes hæretici atque ſchiſmatici, qui primatum habere per ſuperbiam ambiunt, contra Eccleſiam diuiſi, in contentione atque diſcordia ſemper perſeuerant: & non ſolum bonis aduerſi, ſed & ſibimetipſis vbique noxij reperiuntur. Hinc Sa(Prou. 13.)lomon ait: *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt cuncta conſilio, reguntur ſapientia.*

Et Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat nauibus. Quidam codices pro *Galaad*, *Gad* habent. Et quid per Galaad, qui, *aceruus teſtis*, interpretatur, ſiue Gad, qui, *accinctus* dicitur, niſi Iſraheliticus populus deſigna- D tur qui bene aceruus teſtis ſiue accinctus dici poteſt, quia veteris Teſtamentum in lege & prophetis conſcriptum habens; inde ſe tutum atque vndique munitum fore confidebat: ſed hic trans Iordanem quieſcebat, quia bona præſentis vitæ, & rerum abundantiam diligens ſufficere ſibi ad ſalutem credebat, & ideo trans Iordanem progredi nolebat, quia Baptiſmi gratiam reſpuens, bona futuræ vitæ quærere nullo modo curabat. Dan ergo vacabat nauibus. Et quia per Dan, qui *iudicium* vel *iudicans*, interpretatur, hoc loco melius, quam populus Eccleſiæ accipi poteſt, Qui recte iudicium ſiue iudicans nominatur, quia iudiciaria poteſtas illi à Domino collata eſſe videtur: Vnde Apoſtolus ipſa veritas in Euangelio ait: (Matth. 19.) *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos* (Apoc. 4.) *ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrahel.* Et in Apocalypſi viginti quatuor ſeniores ſedentes in ſedibus ſuis deſcripti ſunt, vt ſanctæ Eccleſiæ dignitas, quæ E ex Patriarchis & Apoſtolis progenita eſt, per hanc ſeſſionem in cœleſti regno exprimatur. Hæc ergo vacat nauibus, quia in periculo præſentis vitæ conſtituta, myſterio Dominicæ crucis innitens, procellam perſecutionum, per Dei miſericordiam, ſuperare cōtendit: nec non à terrenis negotiis vacans per prædicatores ſanctos rete Euangelij in mare iſtius mundi mittit, vt homines ab vndis turbulentis ſæculi erutos ad portam quietis, & ad libertatem futuræ patriæ perducat. *Aſer habitabat in littore maris, & in portibus morabatur.* Aſer, qui *beatitudo*, interpretatur, nullum melius, quam Redemptorem noſtrum ſignificare poteſt, in quo eſt nobis ſpes æternæ beatitudinis, ſine quo ad veram beatitudinem nemo perueniet, quia ipſe ait: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* (Ioan. 14.) Et iterum: *Ego ſum*, inquit, *oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur & paſcua inueniet.* Et (Ioan. 10.) iterum: *Ego ſum*, ait, *Via, Veritas & Vita.* Aſer ergo ille ha(Ioan. 14.)bitabat in littore maris, & in portubus morabatur, quia deuicto mortis principe, ſimulque ipſa morte deſtructa, F victor triumphans reſurrexit in gloria, aſcendenſque in cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, ſed in quiete æternæ beatitudinis manens iudicij expectat diem, donec omnes inimici eius ſubijciantur pedibus illius, quando vnicuique certam remunerationem ſecundum propria reddet merita. Poſſunt etiam non incongruè in Aſer ſignificatione accipi ſanctorum animæ, qui iam, tranſcenſis fluctibus ſeculi, & ſuperato perſecutionum æſtu in portu quietis æternæ conſiſtunt, nec iam ad præſens vitæ labores vltra redeunt, ſed cum Rege ſuo victores exiſtentes non laborando, ſed regnando noſtram militiam, quantum decet, precibus iuuant, noſque triumphare quandoque multum deſiderant, vt æterno gaudio ſecum perpetualiter fruamur. *Zabulon vero & Nephtalim obtulerunt animas ſuas morti in regione Romæ.* In Zabulon & Nephtalim Apoſtoli & Apoſtolici viri, qui ducatum in Eccleſia fideliter gerunt, deſignantur: ex ipſis enim tribubus, quæ in Galilæa poſſeſſionem acceperunt, vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus maxime G docuit, fuerunt, primi Apoſtoli, qui ſunt principes Eccleſiarum, de quibus dicitur; *Prīcipes Zabulon, & Principes Nephtalim.* Hi ergo obtulerunt animas ſuas morti, pugnantes in regione Romæ, quæ interpretatur, *videns aliquid vel excelſa*, quando pro fidelium ſalute & dilatione Eccleſiæ, quod Nephtalim ſonat, vel pro cœleſti gloria, quam animo intendebant, vſque ad mortem certauere, nec vllis perſecutionum moleſtiis ab hac intentione ac ſtudio auerti potuerunt: ſed in agone Chriſtiana perſeuerantes coronam gloriæ pro ſuis certaminibus in cœleſti regno conſecuti ſunt. *Venerunt Reges, & pugnauerunt.* (Eph. 6.) *Pugnauerunt Reges Chanaan in Tanach iuxta aquas Mageddon, & tamen nihil tulere prædantes.* Reges Chanaam maligni ſunt ſpiritus, principatus videlicet & poteſtates tenebrarum harum, qui perſecutiones & bella in mundo Chriſti militibus excitant, quē Chanaan, qui interpretatur, *motus eorum*, ſignificat. Pugnauerunt ergo Reges iſti in Thanah, hoc eſt, in humilitate, iuxta aquas Mageddon, quod, *nomen pomorum eius*, ſonat, cum per fictionem falſæ humili- H tatis decipere, & ad illecebras, voluptatum ab abſtinentia ſeruos Chriſti retrahere ſatagunt. Inde eſt, quod ſerpens antiquus in Paradiſo protoplaſtis noſtris blandiendo ſuggeſſit, & ad id, quod voluit, inliciendo pertraxit, dicens ad mulierem: *Cur præcepit vobis Deus, vt non* (Gen. 3.) *comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier; de fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur; de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Dixit autem ſerpens ad mulierem; *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Sed iſti Reges per potentiam veri Regis, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti oppreſsi nihil tulere prædantes, quia contra Eccleſiam pugnando, licet blandiantur, licet mortem minarentur, nihil proficiebant, nihil capiebant, quia *portæ inferi aduerſus eam non præualebunt.* (Matth. 16.) Inſidiatur quippe ſerpens

A *Gen 6. Luc. 10.*

calcaneo eius, ſed ipſa contereret illius caput, cui poteſtas à Rege ſuo data eſt calcandi ſuper ſerpentes ſuper ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici. *De cœlo dimicatum eſt contra eos. Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſum Siſaram pugnauerunt.* De cœlo, inquit, dimicatum eſt contra eos, quia diuino nutu hoc bellum diſpoſitum eſt, & cœleſti virtute hoſtes ſunt vniuerſi proſtrati. Nam ſtellæ, hoc eſt, ſancti (de quibus per Prophetam ſcriptum eſt: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et Apoſtolus, *ſtella*, ait, *à ſtella differt in claritate*) manentes in ordine & curſu ſuo, quia ſinguli in vocatione, qua illos Deus vocauit, in illa permanentes, ſecundum id, quod diuina gratia eos poſſe concedit, vtiliter laborant contra Siſaram ſpiritualem, hoc eſt, contra mundi principem, qui merito gaudij excluſio dici poteſt, quia veri gaudij ſemper extraneus & expers eſt, inſtanter pugnant, dum per omne tempus præſentis vitæ intus foriſque aduerſus eum belligerare non ceſſant.

Pſal. 146. 1. Cor. 15.

B *Torrens Ciſon traxit cadauera eorum, torrens Cadumim, torrens Ciſon.* Quid per torrentem, niſi repentina ſubuerſio, demonſtratur? Ciſon vero, *Impegerunt vel duritia eorum*, interpretatur. Et quid hoc nomine, niſi prauorum malitia, deſignatur? In illam enim impingentes, ruinam mortis omnes impij & hoſtes plebis Dei ſibi conſciuerunt perpetuæ: vnde in prouerbijs dictum eſt: *In inſidijs ſuis capientur iniqui.* Et item: *Excæcauit*, inquit, *illos malitia eorum.* Torrens enim, propter tranſitum decurſum aquarum, ſimul autem propter hyemem, quam habet diuerſarum temptationum, atque tribulationum, præſens vita recte nominatur, quæ traxit cadauera impiorum, quia morticinia peccatorum propter ſcelera multa ad perditionem tradit perpetuam, in ſtagnum videlicet inferni, vbi cruciatum ſentient, tormentorum. Inde Cadumin, quæ interpretatur, *reſurrectio inutilis*, ibidem commemoratur, quia non ad requiem in nouiſſima die reſurgent impij, ſed vt cum Diabolo & Angelis eius trudantur in ignem æternum.

Prou. 11. Sap. 2.

C *Conculca anima mea robuſtos, vngulæ equorum ceciderunt fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium.* Exhortatur ſemet cohors ſanctorum, vt contemnat ſæuitiam perſecutorum, qui licet corpus, hoc eſt, rem corruptibilem occidere poſſint, animam tamen ſine fine manentem necare non poſſint. *Vngulæ*, inquit, *equorum ceciderunt fugientibus impetu.* Quid enim deſignatur per vngulam equi, niſi finis ſuperbi? Cadit ergo vngula equi ſub fugientium impetu, cum omnes ſuperborum contumacia, quæ res caducas & fugitiuas ſequitur, in fine præſentis vitæ conteritur: ruentque fortiſſimi hoſtium in præceps, quando poſt factum iudicium diſperient de ciuitate Domini omnes, qui operantur iniquitatem, & demergentur in infernum omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Dominum.

Matth. 10.

Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius. Quid per terram Meroz, niſi vanitatem huius mundi, vel fluxum deſideriorum carnalium intelligere poſſumus? quam omnis prophetia ſacra improbat ac deteſtatur, Meroz enim, *aqua exſecramentorum*, interpretatur, & merito

D aqua exſecramentorum, mundana deſideria nominantur, quia hæc teſtamenta diuina, velut inutilia, immo magis noxia famulis Dei, interdicendo exſecrantur. Hanc Angelus Domini, hoc eſt, Apoſtolicus cœtus, & omnis ordo ſanctorum Doctorum maledicere mandat, quia omnibus ſe ſequentibus noxiam præbet, omneſque habitatores eius ipſa maledictione comprehendit, quia amatores ſuos ſe ſequentes ad væ perpetuum ducit. Ipſi ergo non venerunt ad auxilium Domini in adiutorium fortiſſimorum eius, quando Apoſtolis, prædicantibus in toto orbe Euangelium credere nolebant, nec verbum Dei recipere conſentiebant. Et ideo in voluptatibus ſuis corrupti & abominabiles facti ſunt; quia, auctorem vitæ contemnendo, iniquitatem in cordibus ſuis moliti ſunt. Poteſt & Iudaicus populus terræ Meroz nomine non inconuenienter accipi, quæ ſe ſacramento conſtrinxit, quando legem accipiens dixit: *Maledictus omnis, qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit.* Hac enim maledictione omnes conſtricti ſunt, quos

E *Deut. 27.*

Chriſti gratia de maledicto legis non liberauit. Bene ergo habitatores terræ huius Angelus Domini maledicit, quia non venerunt ad auxilium in adiutorium fortiſſimorum eius, cum prædicatoribus ſancti euangelij non ſolum non adiutores, ſed aduerſarij vbique reperti ſunt. Vnde ipſe Mediator Dei & hominum, qui propter incarnationis myſterium magni conſilij Angelus nuncupatus eſt, in Euangelio legitur exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quare non egiſſent pœnitentiam, dicens illis: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Betſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verum tamen dico vobis: Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quam vobis.* Hinc item ad Legiſperitos ait: *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ. Ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Hinc Paulus in Actibus Apoſtolorum teſtificans Iudæis, Ieſum eſſe Chriſtum. *Contradicentibus autem illis & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta, dixit ad eos: ſanguis veſter ſit ſuper caput veſtrum, mundus ego ex hoc ad gentes vadam.*

Matth. 11.

Luc. 11. F *Act. 18.*

Benedicta inter mulieres Iael, vxor Aber cinei, benedicatur in tabernaculo ſuo. Diximus ſupra, quod Iael, quæ interpretatur, *aſcenſio*, ſiue *requies Dei*, ſignificaret Eccleſiam ex gentibus congregatam, quæ aſcenſu virtutum in ſublime extollitur, & in cuius manſuetudine atque deuotione Spiritus Dei requieſcere dinoſcitur. Hæc inter mulieres benedicitur, quia ab omnibus ſanctis animabus oportune laudatur, quæ etiam fuit vxor Aber cinei, cum Chriſti Regis & Domini noſtri Triumphatoris vtique mortis, ſponſa nobiliſſima eſſe prædicatur; nam Aber, *certamen iniens*, & cineus, *poſſeſſio* vel *ærarius* meus interpretatur. Et quis melius certamen iniens nominari poteſt, quam Redemptor noſter, qui conflixit cum mundi principe, eumque morte ſua ſuperans poſſeſſor factus eſt cœli & terræ, de quo dixit Apoſtolus: *Chriſtus*

G *Phil. 2.*

factus eſt pro nobis obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & DEVS exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium & terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Benedicatur, inquit, Iael in tabernaculo ſuo, hoc eſt, in Eccleſia Catholica, quæ eſt per vniuerſum orbem diffuſa, ibi etiam fides gentium laudatur, prædicatur, atque vbique diffamatur. *Aquam petenti lac dedit*, cum Diabolo in membris ſuis luxuria & libidine atque auaritia æſtuanti mortalitatis ſimplicitatem oppoſuit. *Et in phiala principum obtulit butyrum*, cum in doctrina Apoſtolorum præcipuæ dilectionis oſtenderat donum. *Siniſtram manum miſit ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos.* Quid per ſiniſtram manum, niſi exterioris hominis actus, & quid per dexteram, niſi interioris ſtudium exprimitur? Manum ergo ſiniſtram miſit Iael noſtra ad clauum, cum ad ſimilitudinem crucis Chriſti carnalia in ſe, abſtinendo mortifica-

H uit deſideria: & dexteram ad fabrorum malleos, cum intentionem animi ſui ad meditandum præparauit libros ſanctorum Apoſtolorum ac Prophetarum. Ipſi ſunt enim veri artifices, qui armaturam cœleſtem in domo ſanctæ Eccleſiæ fabricant, ac militibus Chriſti ad dimicandum contra hoſtes ſpiritales tradunt. Bene ergo dictum eſt, quod Iael ambabus manibus in clauo & malleis occupata, inimicum populi ſui percuſſerit, quia prædicando legem Dei, ac bona exempla virtutum oſtendendo, hoſtem ſæuiſſimum necauit. *Percuſſitque Siſaram, quærens in capite vulneris locum, & tempus valide perforans.* Clauo ergo cum ſiue palo cum malleo interfecit, perforans tempus capitis: quia ſuperbiam, quæ caput totius peccati eſt. (*Initium enim omnis peccati ſuperbia*,) per humilitatem paſſionis Chriſti in cordibus humanis interemit. *Inter pedes eius ruit, defecit & mortuus eſt: ante*

Eccli. 10.

pedes

A pedes illius voluebatur & iacebat exanimis & miserabilis. Prædo nefandus inter pedes mulieris ruere ac iacere, & mortuus esse describitur, quia hostis antiquus sub pedib. Ecclesiæ superatus, prostratus atq; contritus esse dignoscitur, cum, per potestatem sibi à Christo collatam, omnem mortis dominationem vincendo damnat, atq; conculcat. Vnde in Genesi Dominus de muliere ad serpentem ait: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* (Gen. 3.) Hinc & Saluator in Euangelio discipulis ait: *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* (Luc. 10.) Iacet ergo exanimis ac miserabilis ipse vastator nefandissimus ante pedes mulieris, cum quotidie per fidem, spem ac patientiam fidelium mortificatur. & ad extremum absorbebitur in victoria. (1 Cor. 15.) *Nec iam vltra erit mors, neq; luctus, neq; clamor, quoniam priora transierunt.* (Apoc. 21.)

Per fenestram prospiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur. Quæ est enim mater huius spiritalis Siſaræ, hoc est, omnium iniquorum, niſi impietas, quæ mater atque inuentrix est vniuerſæ iniquitatis. Vnde in libro Ieſu filii Syrach ſcriptum eſt: (Eccle. 10.) *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius.* B De fenestra enim ac quodam modo vlulat hæc mater in cordibus impiorum, cum deficere idololatriam, et prædicationem Euangelii in toto orbe considerat, ac per fenestram atque cœnaculum fastus mundani proſpiciens, ita iterum loquitur: *Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?* Quid ſunt quadrigæ & currus Diaboli, nisi homines diuerſis erroribus atq; vitiis dediti? Princeps enim mundi, qui regnat ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, velut potentiorum in malitia & regnum nequitiæ conſcendens quadrigas agit. Non illi ſatis eſt vno equo aſcendere, plurimos ſimul agitat, plurimos ſimul plagis fortis verberis cogit. Quoſcunq; videris in luxuria turpiores, in incredulitate ſæuiores, in auaritia teteriores, in impietate flagitioſiores, ſcito hos de quadrigis eſſe Pharaonis, ipſis ſedet, ipſos currui ſuo ſubiungit, in ipſis fertur, & volitat, & per apertos ſcelerum campos ſeſſor illis [illegible] agit habenis.

Vna ſapientior cæteris vxoribus eius hæc ſocrui verba reſpondit: Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei. Diximus ſupra impietatem, quæ idololatriam C primum inuenit matrem eſſe Siſaræ huius ſpiritalis, quia membra eius, hoc eſt, impios & peccatores in variis ſceleribus nutrit ac fouet. Nunc vero quia vxor eius hic commemoratur ſapientior cæteris, hanc non inconuenienter mundanam ſapientiam accipere poſſumus. Nam ſicut de ſapientia diuina à Salomone dicente ſcriptum eſt: (Sap. 8.) *Hanc amaui, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam adſumere, & amator factus ſum formæ illius.* ita & gentilium ſolertia Philoſophiam mundanam præpoſuit opibus terrenis, ac rebus vniuerſis. Hæc vero temporibus ſuis impietati fauebat, cum cultum dæmoniorum laudabat, ac ideo huic matri nequiſſimæ quaſi blandiendo loquebatur, cum potentiam falſorum Deorum ore nefando mundum regere atteſtabatur, omnium Regum prælia atq; victorias eorum virtuti adſcribebat, præſentiumque rerum iucunditatem, quaſi pulcherrimam, illorum honori conuenire dicebat. Vnde ſubſequitur dicens: *Veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur ad prædam, & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur.* Veſtes diuerſorum colorum poſſu- D mus ornamenta intelligere idolorum, vel carmina Poetarum, quæ ad honorem Deorum ſuorum diuerſis metris gentiles condiderunt: & ſupellectilem variam, diuerſa officia falſorum ſacerdotum, quæ idolis ſuis ſtudioſiſſime impendebant. Sed hæc omnia ſicut friuola fuerunt in æſtimatione, ſic etiam turpia apparebant in actione: vnde Debbora ſpiritalis canticum ſuum finiendo, ita concluſit, dicens: *Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent. Pereant peccatores à facie Dei & iuſti exultabunt in conſpectu Dei, delectantes in lætitia.* Quod autem ait: *Qui diligunt te ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent:* vel tropice ex ſplendidiſſimo æthereo gloriam maximam ſanctorum in cœlis per comparationẽ demonſtrat: (Mat. 4.) vel ſecundum myſterium ſimilitudinem incorruptionis humanitatis Chriſti, qui *Sol iuſtitiæ* appellatur, (1 Ioan. 3.) ſanctis in futura vita promittit: vnde Ioannes Apoſtolus in Epiſtola ſua ad credentes ſcribens ait: E *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Poſtquam canticum illud Propheticum Debboræ & Barach expletum eſt, Scriptor hiſtoriæ ad ordinẽ narrationis ſuæ redit atq; rei geſtæ cupit oſtendere veritatem ita dicens. XIV. *Quieuitq; terra per quadraginta annos. Fecerunt autem filii Iſrahel malum in conſpectu Domini: qui tradidit eos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde ab eis.* Quieſcit terra, donec quieſcit peccatum. Moueri autem dicitur terra, hoc eſt, hi, qui habitant terram, cum animas hominũ mouere cœperint & perturbare peccata. Et ideo ſcriptum eſt hoc, quod nunc præſens lectio continet; *& quieuit,* inquit, *terra quadraginta annis. Et fecerunt filii Iſrahel malignum in conſpectu Domini, & tradidit eos Dominus in manus Madian annis ſeptem Et inualuit manus Madian ſuper Iſrahel.* Dum eſſet ergo iuſtitia in terra, id eſt, in his, qui habitant terrã, quieuiſſe dicitur terra. Cum vero increuit iniquitas, *& fecerũt malignum in conſpectu Domini, tunc tradidit eos,* inquit, *Dominus in manus Madian annis* VII. Nec dicuntur inualuiſſe Ma- F dianitæ ſuper populum Domini, donec præcepta Domini populus cuſtodiuit. Cum vero negligere cœpit mandata diuina, robuſtior & validior aduerſum eum effecta eſt hoſtiũ manus. Et aduerſum illum quidem priorẽ populũ corporales inſurgebant hoſtes, cum deliquiſſet; aduerſus nos autẽ qui Iſrahel ſecundum Spiritum dicimur, ſpiritalis ſine dubio hoſtis inſurgit, cum mandata Dei negligimus, & cum Chriſti præcepta contemnimus, validior aduerſum nos efficitur Dæmonum manus, & tradimur et nos inimicis, cum diſcedimus à gratia. Sed videamus quid acciderit eis, qui traditi ſunt pro peccatis ſuis. *Feceruntq; ſibi antra & ſpeluncas in montibus & munitiſſima ad repugnandum loca. Cumq; ſeuiſſet Iſrahel, aſcendebat Madian, & Amalech & cæteri Orientaliũ nationũ, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant, vſq; ad introitum Gazæ,* &c. Hæc quidem patiebatur ille, qui erat ſecundũ carnem, Iſrahel: ſeminabat terrã, ſed quoniã pro peccatis ſuis traditus erat inſurgentibus inimicis, pro frugib. metebat corruptionẽ. G Nobis vero, qui ſecundum Spiritum Iſrahel nominamur, quid tale accidere poteſt, conſideremus. *Eſt,* quando ſeminamus, & nõ poſſunt inimici corrumpere ſemina, quæ ſeminamus, nõ poſſunt inſidiari agriculturæ noſtræ. Eſt aũt, quando ſeminamus, & corrumpuntur q̃ ſeminamus. Paulus nos Apoſtolus de hac ſeminandi docet differentia. Audi ergo ipſe, quid dicit: *Qui ſeminat,* inquit *in carne, de carne metet corruptionem. Et qui ſeminat in Spiritu de Spiritu metet vitã æternã.* (Galat. 6.) Iſti ſunt ergo, quorũ ſemina Madianitæ corrũpunt, qui in carne ſeminant: iſti ſunt, quorũ fructus exterminantur & pereunt. Illa aũt ſemina, q̃ in ſpiritu ſeminantur, non poſſunt Madianitæ corrumpere. Non. n. poſſunt aduerſariæ poteſtates aſcẽdere ad ſpiritales campos, & noualia Spiritus temerare eorũ, qui non ſeminant ſuper ſpinas, ſed innouant ſibi noualia. Sed & illud addendum eſt (volo. n. & meipſum vobiſcũ pariter cõmonere,) de cautela ſeminũ & ſpiritalium fructuum diligentia. Frequenter accidit, vt aliquis in opere ſpiritali multum deſudans, fructus complurimos fecerit, & repleuerit horrea ſua: iuſtitiæ frugibus, & multa bona opera recondiderit in con- H ſcientiæ ſuæ conclaui: poſtea vero ſi negligat, & poſt laborem procliuius ad voluptates, & luxurias vergat, omnia illa bonorũ ſemina & fructus ſancti operis, dominante libidine, corrumpentur. Cum. n. ſubintroierit peccatum, & captiuauerit hominis ſenſum, vt iam non reſpiciat ad mandata Dei, nec arduã virtutis viam libenter aſcendat: depereunt omnia, q̃ prius fuerant in horrea conſcientiæ congregata. Propterea ergo Scripturæ ſanctæ nobis ſeruanda cõmonitio eſt, dicentis: *Omni cuſtodia ſerua tuũ cor;* (Prov. 4.) cuſtodiendũ eſt igitur cor ab omni peccato, & præcipue in tẽpore perſecutionis. Si cui. n. accidat, vt in aliquo qdẽ tẽpore congregeret fruct⁹ iuſtitiæ, cõquirat opera virtutũ, & omnib. ſe probatiſſimis excolat diſciplinis; in perſecutionis vero tẽpore neget fidẽ: iſte omnia congeſta ſua euacuauit, & ex omnib. facultatib. ſuis nud⁹ repente & inanis effect⁹ eſt, quia diu quæſitus & multo vix labore collecto ſubito omnis

A

effuſus eſt labor; & ſicut dicit Propheta, *Omnes iuſtitiæ eius, quas fecit, non commemorabuntur.*

Ezech. 18.

Ipſi enim vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa operiebãt innumera multitudo hominum & camelorum, quicquid tetigerant, deuaſtantes. Eſto, conuenerunt aduerſum Iſrahel Madianitæ, qui interpretantur, *extra iudicium.* Eſto iſti conuenerint aduerſum Iſrahel, qui extra iudicium Dei ſunt, & *qui extra legem peccauerunt, & extra legem peribunt.* Eſto, conuenerit & Amalech, qui & pte interpretatur, *Populus ablingens.* Eſto, & hæc natio terrena & ventri ac gulæ dedita impugnare venerit Iſrahel, carnalis ſpiritualem Iſrahelem. Quid eſt hoc, quod etiam filii Orientis his admiſcentur, & cum ipſis ad impugnandum Iſrahel venire dicuntur? Diceres enim mihi auditor, ſi ſcriptum eſſet, quia filii Occidentis cõuenerunt cum ipſis, nihil quærerem; diceres.n. mihi allegoricis legibus, quia filii Occidentis ſunt filii tenebrarum, & ipſi iunguntur illis gentibus, & quæ extra iudicium Dei ſunt, & quæ ventri deditæ, impugnant eos, qui mente Dominum videre contendunt. Nunc autem cum dicatur, quia filii Orientis venerunt cum Madian & Amalech; quomodo hæc poſſunt competenter exponi? Videamus ergo, ſi poſſimus in tam difficilibus locis Scripturæ, dignum aliquem in his ſenſum diuinis paginis inuenire. Omnis, qui ſuper ſe nomen ſuſcipit Chriſti, filius efficitur Orientis; ſic enim ſcriptum eſt de Chriſto: *Ecce vir Oriens nomen eſt illi.* Quiſquis ergo Chriſti ſuſcipit nomen, filius eſſe dicitur Orientis. Sed non ſemper qui Chriſti nomen accipiunt, etiam in Eccleſia permanent Chriſti. Si ergo videas hæreticos Chriſti quidem nomine cenſeri, impugnare autem Eccleſiam Dei, & arma conferre aduerſum fidem Chriſti, impugnare populum Domini, bella ſuſcitare aduerſus Catholicam fidem: nolo dubites dicere, quod iſti ſunt quidem filii Orientis, ſed cum Madianitis & cum Amalech expugnare veniunt populum Dei, quia cum Paganis & cum Iudæis Eccleſiam Dei etiam hæretici perſequuntur, & ipſos eſſe opinor qui deſignantur in filiis Orientis. *Omnis ergo,* inquit, *Madian & Amalech & filij Orientis conuenerunt ſimul & aſcenderunt & ſuperuenerunt eis, & caſtra poſuerunt in valle Iezrael.* Iſti, qui impugnare volunt populum Dei, caſtra in vallibus collocant, in deiectis & humilibus locis: *In valle,* inquit, *Iezrael.* Inuenimus autem interpretari Iezrael, *ſemen Dei.* Vides, vbi collocant caſtra aduerſarii? Non ſunt auſi ire illuc, vbi videntur iam nati eſſe fructus Spiritus, ſed vbi adhuc ſemen Dei iacet, vbi nondum fructus aſcendit. Qui enim exiit ſeminare verbum, ſeminat ſuper omnem locum. Sed audi ipſum Dominum dicentem, quid pati ſoleat ſemen Dei; *Aliud,* inquit, *cecidit ſecus viam, & venientes aues cœli diripiunt illud:* quod ipſe in poſterioribus interpretans dixit: *Qui autem ſecus viam ſeminati ſunt, hi ſunt, qui audiunt verbum Dei, & cum lætitia accipiunt. Venit autem Diabolus, & tollit de corde eorum, quod ſeminatum eſt.* Sic ergo & iſti nunc veniunt ad ſemen Dei, & volunt illud tollere de corde eorum, in quibus ſeminatum eſt, quia inueniunt eos in vallibus poſitos, & ima quæque ſectantes. De illis ſunt enim, qui humiliter & indigne & (vt ita dicam) Iudaico intellectu ſuſcipiunt verbum Dei, & ideo poſſunt illud dæmones rapere de corde eorum. Qui autem ab humilitate literæ ad Spiritus excelſa conſcendit, & intelligentiam refugiens carnalem, ſectatur in altioribus, quæ ſunt Spiritus Dei; de iſto nihil poſſunt rapere Madianitæ, neque Amelechitæ. Sed nec ipſi quidem Orientis filii deprædari eum poterunt in excelſo intelligentiæ ſpiritalis vertice conſtitutum. Illi ergo caſtra in vallibus collocant.

Rom. 2. — Zach. 6. — Luc. 8. — Ibidem. — B — C — D

* * *

E

COMMENTARIORVM HRABANI MAVRI IN VOLVMEN IVDICVM LIBER PRIMUS EXPLICIT.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Humiliatuſque eſt Iſrahel valde in conſpectu Madian, & clamauit ad Dominum, poſtulans auxilium contra Madianitas, qui miſit ad eos virum Prophetam, & locutus eſt. Hæc dicit Dominus Deus Iſrahel: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi de domo ſeruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum & omnium inimicorum, qui adfligebant vos: eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum, & dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis Deos Amorrhæorũ in quorum terra habitatis: & noluiſtis audire vocem meam, &c. Cur non dicatur nomen huius Prophetæ, quod valde Scripturis inuſitatum eſt; latens cauſa eſt non tamen nullam eſſe arbitror. Sed, quia poſt verba, quibus exprobrauit inobedientiam populo, ſequitur Scriptura dicens: *Et venit Angelus Domini, & ſedit ſuper quercum quæ erat in Ephra:* non abſurde intelligitur iſte Angelus ſignificatus nomine viri, vt, poſteaquam hæc verba dixit, venerit ad quercum memoratam, & ibi ſederit. Nomine enim virorum ſolere appellari Angelos, notum eſt: quamuis eum, qui eſſet Angelus, appellatum eſſe Prophetam, non facile nec euidenter occurrat. Eum ſane, qui Propheta eſſet, dictum Angelum, legimus. Sed ſi Angelorum dicta prophetica nota ſunt, id eſt, quibus futura prænunciauerunt, cur non poſſit Angelus Prophetæ nomine nuncupari? Verumtamen, vt dixi, expreſſum & manifeſtum de hac re teſtimonium non occurrit. In ſeptuaginta vero ita legitur: *Dominus tecum potens in fortitudine.* Quod autem Angelus Domini dicit: *Dominus tecum potens in fortitudine:* Nominatiuus caſus eſt, non Vocatiuus, hoc eſt, Dominus tecum potens eſt, non tu potens.

F

Dixitque ei Gedeon: Obſecro Domine mi, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos, & tradidit in manibus Madian. Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrahel de manu Madian. ſcito quod miſerim te. Qui reſpondens ait: Obſecro Domine mi, in quo liberabo Iſrahel? Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. Vbi reſpondit, ſecundum ſeptuaginta, Gedeon ad Angelum. *In me Domine,* hoc eſt, in me intende, *in quo ſaluabo Iſrahel. Ecce mille mei humiliores in manaſſe:* intelligitur præpoſitus fuiſſe mille hominum, quos Græce chiliarchos appellat Scriptura, an quid aliud. *Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, & percuties Madian, quaſi vnum virum. Et ille, ſi inueni,* inquit, *gratiam coram te, da mihi ſignum, quod tu ſis, qui loquaris ad me. Ne recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacrificium & offerens tibi. Qui reſpondit ei: ego præſtolabor aduentum tuum. Ingreſſus eſt itaq; Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes, carneſque; ponens in caniſtro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercum, & obtulit ei. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & panes azymos, & pones ſuper petram illam, & ius deſuper funde. Cumque feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & azymos panes, aſcenditque ignis de petra, & carnes, azymoſque panes conſumpſit,* &c. Animaduertendum eſt, ſecundum ſeptuaginta quod Gedeon non ait Angelo: *Offeram tibi ſacrificium,* ſed ait: *Offeram ſacrificium meum, & ponam in conſpectu tuo.* Vnde intelligendum eſt, non cum Angelo, ſed per Angelum ſacrificium offerre voluiſſe, quod & ipſe Angelus euidenter oſtendit, qui non ab eo ſacrificium, tanquam ſibi, ſumpſit, ſed ait illi; *Accipe carnes & panes azymos, & pone ad petram illam, & ius effunde.* Et cum hoc feciſſet Gedeon, extendit Angelus Domini ſummum virgæ, quæ erat in manu eius, & tetigit carnes, azymos, & accenſus ignis de

G — H — I — L

Digitized by Google

A petra comedit carnes & azymos. Ita etiam ipſe Angelus in ſacrificio, quod obtulit Gedeon, officium miniſtrantis impleuit. Ignem quippe homo miniſter, vt homo, ſine miraculo ſubieciſſet, quem mirabiliter, vt Angelus, iſte ſubiecit: denique tunc cognouit Gedeon, quod Angelus Domini eſſet. Nam hoc Scriptura continuo ſubdidit: *Et vidit Gedeon, quoniam Angelus Domini eſt.* Prius ergo tanquam cum homine loquebatur, quem tamen hominem Dei crediderat, vt coram ipſo ſacrificium vellet offerre, velut adiuuandus eius præſentia ſanctitatis. Quæri poteſt, quare Gedeon auſus fuerit ſacrificium offerre Deo, præter locum, vbi iuſſerat Deus: præter tabernaculũ quippe ſuum Deus prohibuerat ſacrificari ſibi; cui tabernaculo templum poſtea ſucceſſit. Tempore autem, quo fuit Gedeon, tabernaculum Dei erat in Silo, atque ideo illic tantum legitime poſſet ſacrificari. Sed intelligendum eſt, quod illum Angelum primo Prophetam putauerat, & tanquam Deum in illo conſuluerat de offerendo ſacrificio, quod ille ſi prohibuiſſet, non vtiq; fieret: ſed quoniam approbauit, &, vt fieret, annuit; Dei auctoritatem Gede- B on in faciendo ſecutus eſt. Ita quippe Deus legitima illa conſtituit, vt leges non ſibi, ſed hominibus daret.

Vnde quodcunq; præter illa ipſe præcepit, non à tranſgreſſoribus, ſed potius à piis & obedientibus impletum *Gen. 22.* intelligendum eſt, ſicut Abraham de immolando filio. *3. Reg. 18.* Nam & ſic Helias extra tabernaculum Domini ad conuincendos ſacerdotes idolorum ſacrificauit, quod ex præcepto Domini feciſſe intelligendum eſt, qui ei tanquam Prophetæ reuelatione atque inſpiratione iuſſit, vt faceret: quanquam tanta conſuetudo, præter tabernaculum *3. Reg. 3.* ſacrificandi crebruerat, vt etiam Salomon in excelſis ſacrificaſſe inueniatur, nec eius ſacrificium fuiſſe reprobatum. Et tamen notantur Reges, qui inter opera laudabilia ſua non deſtruxerunt excelſa, vbi contra legem Dei populus ſacrificare conſueuerat, & qui deſtruxit, maiore prædicatione laudatur. Ita Deus conſuetudinem populi ſui, qua præter eius tabernaculum, tamen non Diis alienis offerebat, ſed Domino Deo ſuo, ſuſtinebat potius quam vetabat, etiam ſic exaudiens offerentes. Hoc autem, quod Gedeon fecit, quis non intelligat per Ange- C lum procuratum, vt Prophetice fieret? In qua Prophetia petra illa commendaretur, cui quidem petræ non ſacrificatum eſt, ſed de illa ignis commemoratur exiiſſe, quo ſacrificium conſumeretur. Siue enim per aquam, quam percuſſa effudit in eremo, ſiue per ignem donum Spiritus ſancti ſignificatur, quod ditiſſime Dominus Chriſtus effudit ſuper nos. Nam & in Euangelio ſignificatum *Ioan. 7.* eſt hoc donum per aquam, vbi ipſe ait: *Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me ſicut dicit Scriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Vbi Euangeliſta ſubiunxit: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Significatum eſt & per ignem, vbi, veniente illo ſuper congre- *Act. 2.* gatos, legitur: *Viſa ſunt illis linguæ diuiſæ velut ignis, qui & in-* *Luc. 12.* *ſedit ſuper vnumquemque eorum.* Et ipſe Dominus ait: *Ignem veni mittere ſuper terram.* Gedeon namque cum ſub arbore quercu tritici meſſem virga cæderet, & à paleis frumenta excuteret, Angelum vidit, accipiens ab eo oraculum, vt à poteſtate hoſtium, in libertatem populum Dei reduceret. Iſte Gedeon figuram nimirum Chriſti geſtabat, qui ſub vmbra ſacræ crucis, prædeſtinato incarnatio- D nis futuræ myſterio, conſtitutus, rectitudine iudicii, quaſi per virgam, electionem ſanctorum à vitiorum paleis ſequeſtrabat. Hic ergo Gedeon cum audiſſet ab Angelo, quod, deficientibus populorum millibus, in vno viro Dominus plebem ſuam ab hoſtibus liberaret, protinus hædum coxit, cuius carnes ſecundum præceptum Angeli ſimul cum azyma ſuper petram poſuit, & ius carnium deſuper effudit, quæ dum Angelus virgæ cacumine contingit, ſtatim de petra ignis erupit: atq; ita ſacrificium, quod offerebatur, abſumptum eſt. Quo iudicio declaratum videtur, quod petra illa typum habuerit corporis Chriſti, *1. Cor. 10.* Paulo atteſtante: *Petra autem*, inquit, *erat Chriſtus.* Iam tunc igitur in myſterio declaratum eſt, quia Dominus Ieſus in carne ſua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec ſolum delicta factorum, ſed etiam cupiditates purgaret a- E nimorum: caro enim hædi ad culpam facti refertur, ius *Num. 11.* ad illecebras cupiditatum, ſicut ſcriptum eſt: *Quia concupiuit populus cupiditatem peſſimam & dixerunt: Quis nos cibabit carne.* Quod igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exiuit: oſtendit, quod caro Domini Spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait: *Ignem veni mitte-* *Luc. 12.* *re in terram.* Aduertit igitur vir & doctus & præſagus futurorum ſuperna myſteria, & ideo ſecundum oracula occidit vitulum à patre ſuo idolis deputatum, & ipſe ſeptennem alium immolauit Deo, quo facto manifeſtiſſime reuelauit per aduentum Domini omnia gentilitatis abolenda eſſe ſacrificia, ſolumque ſacrificium Dominicæ paſſionis Deo pro redemptione noſtra religione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Chriſti, in quo ſeptiformis ſpiritualium plenitudo virtutum, ſicut *Eſa. 11.* Eſaias dixit, inhabitabat. Quid eſt frumentum virga cædere, niſi rectitudine iudicii à vitiorum paleis virtutum gratias ſeparare? Sed hæc agentibus Angelus apparet, F quia tanto magis Dominus interiora denunciat, quanto ſe ſtudioſius homines ab exterioribus purgant, qui hædum præcipit, id eſt, omnem appetitum noſtræ carnis immolare, carneſq; ſuper petram poni, & ius carnium deſuper fundi. Quem alium ſignat petra, niſi eum, de quo per *1. Cor. 10.* Paulum dicitur: *petra autem erat Chriſtus?* Carnes ergo ſuper Petram ponimus, cum corpus noſtrum in Chriſti imitatione cruciamus. Ius etiam carnium deſuper fundit, qui in conuerſatione Chriſti ipſas etiam carnales à ſe cogitationes exinaniuit: quaſi enim res ex carne liquida in petra funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu euacuatur, quæ tamen mox Angelus virga tangit, quia intentionem noſtram nequaquam poteſtas diuini adiutorii deſerit. De petra autem ignis exit, & ius carneſque conſumit, quia à redemptore Spiritus tanta cor noſtrum flamma compunctionis concremat, vt omne, quod in eo eſt illicitum & operis & cogitationis exurat: perfecte enim & ſolerter inuigilat, vt non ſolum peruerſa agere renuat, ſed omne etiam, quod in ſe per cogitationes turpiter liquatur, tergeat.

III. G *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt ſe ſequeretur, miſitque nuncios in vniuerſam Manaſſem, qui & ipſe ſecutus eſt eum, & alios nuncios in Aſer & Zabulon, & Nephtalim, qui occurrerunt ei.* Vocauit, inquit, poſt ſe Abiezer, qui vtique nuſquam erat. Interpretatur autem Abiezer, *patris mei auxilium*, non ergo hominem aliquem ſed Patris ſummi Gedeon inuocaſſe videtur auxilium, mittit interea & auxilia conuocari, conueniunt populi, & omnis ad Gedeon exercitus congregatur. *Dixitque Gedeon ad Dominum: Si ſaluum facies per manum meam Iſrahel, ſicut locutus es: Ponam vellus hoc lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas; ſciam, quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrahel. Factumque eſt ita, vt de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore repleuerit. Dixitque rurſus ad Dominum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel temptauero, ſignum quærens in vellere: oro, vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Dominus nocte illa, vt poſtulauerat, & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra, &c.* Præuidit ergo myſterium victoriæ Gedeon: & tamen, licet fortis & fidus, plenior adhuc de Domino futuræ victoriæ documenta quærebat, H vt vna nocte lanæ vellus in area poneret, & eſſet ſuper illud tantummodo ros, & ſuper omnem terram ſiccitas: & rurſus ſimiliter poneret vellus, & ſuper totam terram ros plueret, & ſiccitas eſſet in vellere. Quærit fortaſſe aliquis, vtrum quaſi incredulus eſſe videatur, qui frequentibus iam fuerat indiciis informatus? Abſit. Non enim ille ambiguus erat, ſed nimirum futura myſteria præuidebat, quæ etiam prouidus diligentiſſime explorabat, vt amplius crederet myſterium, dum intellexiſſet oraculum. Quid ergo vellus compluitum & area ſicca? & poſtea compluta area, ſicco vellere? Niſi quod primo vna gens Hebræorum habebat gratiæ myſterium, totus orbis vacuus erat: nunc autem in manifeſtatione CHRISTI totus orbis hoc habet, illa vacua eſt. Area enim illa totum

A orbem terræ ſignificat. Denique quando totus orbis infructuoſo cultu gentilis ſuperſtitionis arebat, tūc erat ros ille cœleſtis viſitationis in vellere. Poſtea vero quam oues perierant domus Iſrahel, quæ ſub figura velleris demonſtrabantur, & oues illæ fontem aquæ viuæ negauerunt: ros fidei exaruit in pectoribus Iudæorum, gratiamque ſuam imber ille diuinus in corda gentium diriuauit. Inde eſt, quod nunc fidei rore totus orbis humeſcit; Iudæi vero Prophetis & omnibus chariſmatibus carent. Nec mirum, ſi perfidiæ ſubeunt ſiccitatem, quos Dominus Prophetici imbris vbertate priuauit, dicens: *Mandabo nubibus deſuper, ne pluant ſuper eam, pluuiam.* Idcirco autem illam gentem velleris nomine ſignificauit, vel quia ſpolianda eſſet auctoritate doctrinæ, ſicut oues vellere, vel quod eandem pluuiam, quam nolebat ſibi per præpoſitos prædicari, aliis, id eſt, incircumciſis gentibus ſciret reuelari. Iſa. 5.

IV. *Dixitque Dominus ad Gedeon, multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Iſrahel, & dicat:* meis viribus *liberatus ſum. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidoloſus & timidus eſt, reuertatur. Receſſeruntque de monte Galaad, & reuerſi ſunt ex populo viginti & duo millia virorum, & tantū decem millia remanſerunt.* Quid eſt, quod formidoloſi & timidi poſtquam eis prædicatum eſt quod formidoloſi à caſtris recederent, per numerum vicies, & bis millenarium receſſiſſe inuenti ſunt? niſi quod omnes, qui in vnitate fidei, & dilectionis ſocietate non permanent, merito à Chriſti militia, vbi ſpiritales trucidantur hoſtes, vt reprobi, abiiciuntur: binarius enim numerus, qui ab vnitate primus diuiditur, non ſemper bonam in Scripturis ſacris, ſed aliquando contrariam ſignificationem habet. Nota lector, quod in viginti duobus vndenarius, qui tranſgreſſionem legis ſignificat, bis eſt comprehenſus: & intelliges, quod, qui vnitatis & dilectionis fœdera non ſeruat, tranſgreſſor eſt legis. At contra qui conſtantes animo in bello reperti ſunt, millenario numero per decem multiplicato notati inuenti ſunt. Denarius enim numerus in illa progreſſione, quæ fit à decem vſque ad centum, vnus ac primus eſt; & ideo ſignificare vnitatem fidei, ac ſocietatem ſanctæ dilectionis valet. Decem ergo præcepta ſunt legis, vnde apparet, quod quiſquis legis fidelis executor eſt, fidei & charitatis veriſſimus cuſtos eſt. Nec illud ſine myſterio eſſe videtur, quod in monte Galaad viginti duo millia recedere à caſtris Gedeon, perhibentur, vbi decem millia permanſerunt: Galaad quippe, *aceruus teſtimonij*, interpretatur, vbi Iudæorum formidoloſitas, & gentium conſtantia probata eſt, quia cum illi litteram legis habentes præſentis vitæ bona amittere metuebant, & ob hoc ad fidem Chriſti conuenire nolebant; quaſi degeneres ac reprobi abiecti ſunt: iſti vero ſpiritaliter Legem & Prophetas intelligentes, & ob hoc futura bona ſperantes, conſtanti animo Chriſti gratiam appetebant, vnde ſe ſaluari poſſe in æternum credebant.

B

C

V. *Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi, vt tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, ipſe reuertatur. Cumque deſcendiſſet populus ad aquas dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proiiciente aquas lambuerant, trecenti viri. Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat,* &c. Plerique Latini codices non habent, *manu ſua*; ſed tantummodo, *lingua ſua*, quoniam ſic intellexerunt, quod ſupra dictum eſt, *ſicut canes*. Græcus autem vtrumque habet: *manu ſua, lingua ſua*; vt intelligatur, quod manu aquam raptam in os proiiciebant. Et hoc erat, ſimile bibentibus canibus, qui non ore appoſito, ſicut boues, aquam ducunt, quam bibunt; ſed lingua in os rapiunt, ſicut etiam iſti feciſſe intelliguntur, cum manu in os aquā proiicerent, quam lingua exciperent. Nam & interpretatio ex Hebræo planius id habet his verbis: *Fuit itaque numerus eorum, qui manu in os proiicientes aquam lambuerant, trecenti viri:* neque enim ſolent homines ita bibere, vt ſine opere manus lingua ſicut canes, aquam hauriant. Aut ve-

D

E ro illis præceptum fuerat, vt hoc facerent; ſed cum ad bibendum deſcendiſſent ad aquas, multi genu flexo biberunt, quod facilius & minore labore fieret: pauci vero quia non flexo genu, ſed ſe incuruauerunt, &, vt canes, biberunt ſed aquam manu in os iactam: quorum numerus, quia trecenti erant, ſignum inſinuat crucis propter litteram T. Græcā, in qua iſte numerus ſignificatur. Hinc etiam gentes magis in Crucifixum credituras præfiguratum eſt. Quod littera Græca eſt: vnde Græcorum nomine Apoſtolus omnes gentes ſignificat, cum dicit: *Iudæo primum, & Græco, & Iudæis & Græcis*: ſæpe ita commemorans circumciſionem & præputium, quod in linguis gentium Græca ita excellat, vt per hanc omnes decenter ſignificentur. Iſte quippe numerus & in vernaculis Abrahæ aduertendus eſt, per quos fratrem ab hoſtibus liberauit quando eum Melchiſedech in magno miſterio benedixit. Quod enim exuberant illic decem & octo, (nam trecenti decem & octo fuiſſe referuntur,) videtur mihi ſignificatum, quo etiam tempore fieret, id eſt, tertio, quod futurum erat ſub gratia. Nam primum eſt ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Singula vero tempora ſenario numero ſignificata ſunt propter perfectionem, nam ter ſeni decem & octo ſunt. Vnde & illa mulier decem & octo annos habebat in infirmitate, quam curuam Saluator cum inueniſſet erexit, à Diaboli alligamento, vt Euangelium indicat, ſoluit. Nam quod ita iſti probati ſunt, per quos vinceret Gedeon, vt ſimiles in bibendo canibus dicerentur: ſignificat, quod contemptibilia & ignobilia eligit Dominus; pro contemptu enim habetur canis; vnde dicit: *Non eſt bonum, tollere panem filiorum & mittere canibus.* Et Dauid, vt ſe tanquam contemptibilem abiiceret, canem ſe appellauit, loquens ad Saul. In omnibus pene veterum geſtis miſteria deſignantur ingentia, ſicut etiam in hoc loco fieri videmus: quia hi, qui deſcendunt ad aquam, id eſt, qui ad Baptiſmi gratiam conueniunt, non debent procidere in terram, nec flectere genua ſua, & cedere temptationibus ventris; ſed ſtare fortiter & conſtanter, ſicut & Apoſtolus dicebat: *Demiſſas manus, & diſſoluta genua erigite, & greſſum rectum facite ſemitis veſtris.* Veniſti ad aquam Baptiſmi: iſtud eſt certaminis & pugnæ ſpiritalis initium. Hinc tibi aduerſum Diabolum naſcitur pugnæ principium: ſi remiſſior fueris, ſi flecti facile potueris, quomodo pugnabis, quomodo ſtabis aduerſum aſtutias Diaboli? Propterea & Apoſtolus clamat: *State ergo, & nolite iterum iugo ſeruitutis hærere.* Et iterum dicit: *State in Domino.* Et tertio dicit: *Quomodo nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Domino.* Ille ergo probabilis, ille electus eſt, qui poſteaquam ad aquas Baptiſmi ventum eſt, flecti ad neceſſitates terrenas & corporeas neſcit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati ſitim ſternitur pronus. Sed & quod dicit, eos manu vel lingua aquam lambere, non abſque Sacramenti quadam ſignificantia hoc mihi videtur: innuit ſcilicet, quod & manu & lingua operari debent milites Chriſti, hoc eſt, opere & verbo; quia qui docet & facit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quod autem etiam ſimilitudinem canis lambentis Scriptura poſuit, videtur mihi iſtud animal hoc in loco propterea nominatum, quod ſupra omnia cætera animalia amorem dicitur proprii Domini ſeruare, nec tempore nec iniuriis oblitterare in eo fertur affectus. Trecenti ergo ſoli, qui Sacramenti huius imaginem præformabant, iſti electi, iſti probati, iſti ad victoriam conſecrati: qui & ipſo numeri Sacramento obtinere aduerſarios poſſent. Trecenti etenim ſunt, qui tertio centena multiplicant, & perfectæ Trinitatis numerum ferunt, ſub quo numero omnis Chriſti cenſetur exercitus, in quo obtinemus, vt etiam nos mereamur adſcribi. Cum trecentis Gedeon ad prælium perrexit; eoſque non armis, ſed tubis, lampadibus, lagenis armauit. Nam, ſicut illic ſcriptum eſt, accenſas lampades miſerunt intra lagenas, & tubas in dextera; lagenas autem in ſiniſtra tenuerunt, & ad hoſtes ſuos cominus venientes, cecinerunt tubis; lagenas confregerunt, lampades apparuerunt, & hinc tubarum ſonitu, illinc lampadum coruſcatione territi ſunt hoſtes & in fugam conuerſi. De hoc namque bello per Prophetam di-

Rom. 1.

Geneſ. 14.

F

Luc. 13.

1 Cor. 1.

Matth. 15.
1 Reg. 24.

Hebr. 12.

G

Galat. 5.
Philip. 4.
1. Theſſ. 3.

H

citur:

Digitized by Google

A citur: *Iugum enim oneris eius, & ſceptrum paſtoris eius ſuperaſti ſicut in die Madian.* Eripiens quippe gentilitatem Dominus ſuperauit iugum oneris eius, cum eam aduentu ſuo ab illa dæmonicæ tyrannidis ſeruitute liberauit. Superauit & ſceptrum exactoris eius, cum regnum eiuſdem diaboli, qui pro peſtifera perpetratione vitiorum conſueuerat debita tributa pœnarum exigere, de fidelium corde deſtruxit. Quid hoc eſt, quod tale bellum per Prophetam ad medium adducitur & aduentui Redemptoris noſtri iſtius pugnæ victoria comparatur? An indicare nobis Propheta ſtuduit, quod aduentum Redemptoris noſtri contra Diabolum illa ſub Gedeon duce pugnæ victoria deſignauit? Talia illic nimirum acta ſunt, quod quanto magis vſum pugnandi tranſeunt, tanto amplius à prophetandi myſterio non recedunt. Quis enim vnquam cum lagenis & lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens arma deſeruit? Ridicula nobis hæc profecto fuerant, ſi terribilia hoſtibus non fuiſſent. Sed victoria ipſa atteſtante didicimus, ne parui hæc, quæ facta ſunt, pendamus. Gedeon itaque ad prælium veniens Redemptoris noſtri ſignat aduentum, de quo ſcriptum eſt: *Tollite* B *Pſal. 23.* *portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Hunc Redemptorem noſtrum non ſolum opere, ſed etiam nomine prophetauit, Gedeon quippe interpretatur, *circumiens in vtero*: Dominus enim noſter per maieſtatis potentiam omnia circumplectitur, & tamen per diſpenſationis gratiam intra vterum virginis venit.

Quid eſt circumiens in vtero? niſi omnipotens Deus ſua diſpenſatione nos redimens, Diuinitate cuncta complectens, & humanitatem intra vterum ſumens, in quo vtero & incarnatus eſſet, & clauſus non eſſet; quia & intra vterum fuit per infirmitatis ſubſtantiam & extra mundum per potentiam maieſtatis. Madian vero interpretatur, *De iudicio*. Vt enim hoſtes eius repellendi deſtruendiq; eſſent non de vitio repellentis, ſed de iudicio iuſte iudicantis fuit: & idcirco de iudicio vocantur, C quia alieni gratia Redemptoris iuſtæ damnationis meritum etiam in vocabulum nominis trahunt. Contra hoſtes Gedeon cum trecentis pergit ad bellum. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo inter ducto centenario numero deſignatur, niſi perfecta cognitio Trinitatis, cum his quippe Dominus noſter aduerſarios fidei deſtruit, cum his ad prædicationis bella deſcendit, qui poſſunt diuina cognoſcere qui ſciunt de Trinitate, quæ Deus eſt, perfecta ſentire. Notandũ vero eſt, quod iſte trecentorum numerus in T, litera continetur, quæ crucis ſpeciem tenet, cui ſi ſuper tranſuerſam lineam id quod in cruce eminet, adderetur, non iam crucis ſpecies, ſed ipſa crux eſſet. Quia ergo iſte trecentorum numerus in T, litera continetur, & per T, literam, ſicut diximus ſpecies crucis oſtenditur: non immerito in his trecentis Gedeonem ſequentibus illi deſignati ſunt, *Matt. 16.* quibus dictum eſt: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Qui ſequentes Deum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius & ſe edomãt & erga pximos ſuos charitatis cõpaſſione cruciãtur. Vnde & per Hezechiel certe in his trecentis, qui in T, *Ezech. 9.* D litera (ſicut ſupra dictum eſt) continentur, hoc exprimit, quod fertum hoſtium crucis ligno ſuperetur. Ductique ſunt ad fluuium, vt aquas biberent, quique aquas flexis genibus hauſerunt, à bellica intentione remoti ſunt: aquis namque doctrina ſapientiæ, ſtante autem genu recta operatio deſignatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexiſſe perhibentur, ab illorum certamine prohibiti receſſerunt: quia cum illis Chriſtus contra hoſtes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, à rectitudine operum non inflectunt, omnes quippe tunc bibiſſe aquam, ſed non omnes recto genu feciſſe narrati ſunt. Reprobatique ſunt, qui genua, dum aquas *Rom. 2.* biberent, inflexerunt, quia, atteſtante Apoſtolo, *non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Quia enim (vt diximus) diſſolutio operum in ipſa genuum incuruatione ſignatur recte rurſum per Paulum dicitur: *Remiſſas manus, diſſolutaque genua erigite & greſſus rectos* E *Hebr. 12.* *facite pedibus veſtris.* Hi igitur Chriſto duce ad bellum procedunt, qui hoc, quod ore adnunciant, opere oſtendunt, qui fluenta doctrinæ ſpiritaliter hauriunt, nec tamen in prauis operibus carnaliter ſe flectuntur; quia ſicut ſcriptum eſt, *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Itum eſt ergo ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. *Eccl. 15.* Atque iſte (vt diximus) fuit ordo præliandi: Cecinerunt tubis, intra lagenas autem ſunt miſſæ lampades, confractis vero lagenis lampades oſtenſæ ſunt, quarum coruſcante luce hoſtes territi in fugam vertuntur. Deſignatur itaque in tubis clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe ſecum Dux noſter ad prædicationis prælium duxit, qui, deſpecta ſalute corporis, hoſtes ſuos moriendo proſternerent, eorumq; gladios non armis & gladiis, ſed patientia ſuperarent; armati enim venerunt ſub Duce ſuo ad prælium martyres noſtri, ſed tubis, ſed lagenis, ſed lampadibus conſonuerunt; cecinerunt tubis, dum F prædicant; confregerunt lagenas, dum ſoluenda in paſſione ſua corpora hoſtilibus gladiis opponunt; reſplenduerunt lampadibus, dum poſt ſolutionem corporum miraculis coruſcare conſpiciuntur, lege veritatis facta, quod in pugna venirent crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, vt lagenæ frangerentur: lagenæ fractæ ſunt, vt lampades apparerent: Apparuerunt lampades, vt hoſtes in fugam verterentur: id eſt: Prædicauerunt martyres, donec eorum corpora in morte ſoluerentur. Corpora eorum in morte ſoluta ſunt, vt miraculis coruſcarent. Coruſcauerunt miraculis, vt hoſtes ſuos ex diuina luce proſternerẽt, quatenus nequaquã Deo erecti reſiſterent, ſed eum ſubditi formidarent. Et notandum, quod ſteterunt hoſtes ante lagenas, fugerunt ante lampades, quia nimirum per perſecutores ſanctæ fidei prædicatoribus adhuc in corpore poſitis reſtiterunt; poſt ſolutionem vero corporum apparentibus miraculis in fugam verſi ſunt, quia pauore conterriti à perſecutione fidelium ceſſauerunt; prædicationem ſcilicet tubarum, fractis lagenis corporum, viſis G timuerunt lampadibus miraculorum. Intuendum eſt etiam id, quod illic ſcriptum eſt, quia in dextera tubas, lagenas autem in ſiniſtra tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimus, quicquid pro magno penſamus; pro ſiniſtro vero, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic ſcriptum eſt, quod in dextera tubas, & lagenas in ſiniſtra tenuerunt: quia Chriſti martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero vtilitatem pro minimo. Quiſquis enim plus facit vtilitatem corporis, quam gratiam prædicationis; in ſiniſtra tubam, atq; in dextera lagenam tenet. Si enim primo loco gratia prædicationis accenditur, & poſteriore vilitas corporis; certum eſt, quod dextris tubæ & lagenæ ſiniſtris teneantur.

VI. *Eadem nocte dixit Dominus ad eum; Surge, deſcende in caſtra quia tradidi eos manu tua. Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus: cum audieris, quid loquantur; tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes. Deſcendit ergo ipſe & Phara puer eius in partem caſtrorum, vbi erant armatorum vigiliæ.* Septuaginta: *Gedeon quoque ipſe & Phara puer eius in partem quinquaginta, qui erant in caſtris.* Quod Latini quidam codices habent; *In eam partem, in qua erant quinquageni cuſtodes in caſtris. Alij vero: in partem quinquageſimam in caſtra.* Obſcurum quippe dictum plures ſententias interpretum fecit. Si aut ea pars caſtrorum erat, quam ſeruabant quinquaginta cuſtodes; aut ſi quinquageni intelligendi ſunt, circumquaque ſeruaſſe in vnam partem, iſti deſcenderunt vbi erant H quinquaginta. *Madian autem & Amalech, & omnes Orientales populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo: cameli quoq; innumerabiles erant, ſicut harena, quæ iacet in litoribus maris.* Qui de cœleſtibus loquitur, qui de ſpiritalib. diſſerit, qui myſteria regni cœlorũ reuelat; ille buccinis concinit. Ille de tuba loquitur, qui de magnis & maximis loquitur, qui ſcientiam CHRISTI humanis auribus pandit. Sed cur & cornea dicitur buccina? Quia & Sancto dicitur: *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Vnde & vniuſ- *Pſal. 111.*

cuiuſque

A cuiuſque buccina dicitur cornea, in eo, quod multiplicem ſcientiam Chriſti, & crucis eius, quæ in cornu deſignatur, diſſerit ſacramenta. Cum hac ergo buccina militantes & cum hac pugnantes vincimus alienigenas, & hoſtes in fugam vertimus, etiamſi fuerit multitudo ſicut locuſtæ: locuſtis enim comparata eſt dæmonum multitudo, quibus neque in cœlo, neque in terris eſt ſedes. Præcedat ergo & nos hoc bello operum lux ſcientiæ, virtus, diuini verbi prædicatio, pugnemus & nos in Hymnis & Pſalmis & canticis ſpiritalibus concinentes & clamantes ad Deum, vt ab ipſo victoriam conſequi mereamur. *Cumque veniſſet Gedeon narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo, & in hunc modum referebat, quod viderat: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in Madian caſtra deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit*, &c. Quod ille, qui proximo ſuo ſomnium narrauit, quod audiuit Gedeon, vt de victoria futura confirmaretur, dixit, ſe vidiſſe menſam panis hordeacei, voluentem in caſtris, & percutien-
B tem tabernaculum Madian, & ſubuertentem: hoc intelligendum arbitror, quod de panibus, quia per contemptibilia mundi, quod ſignificat menſa panis hordeacei, Saluator ſuperbos fuerat confuſurus.

Tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaueruntque: Gladius Domini & Gedeonis. ſtantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium, & reliqua. Quod exclamari iuſſit Gedeon à trecentis ſuis; *Gladius Domini & Gedeonis*, ſiue ſecundum ſeptuaginta, *Gladius Domino & Gedeoni*, id eſt, huic Gedeon: hoc ſignificat, quod Gladius id erat operaturus, quod Domino placeret & Gedeon.

VII. *Miſitque Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens: deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas vſq; ad Bethbera atque Iordanem. Clamauitque omnis Ephraim, & præoccupauit aquas vſque Bethbera atque Iordanem. Apprehenſoſque duos viros Madian, Oreb & Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb, & perſecuti ſunt Madian*, &c. Mittit namque Gedeon nuncios in montem Ephraim, cum Redemptor noſter Doctores ſuos in populum Catholicum
C dirigit in locum fructiferum, vel creſcentem vbi fructificant virtutes, & altitudo contemplationis excellit, mandans, vt in occurſum Madian pergant, & ad bellandum contra hoſtes Eccleſiæ ſe coadiungant, qui declinant iudicium veritatis, quod ſonat Madian, & occupant aquas vſque Bethbera atque Iordanem, aquas videlicet Baptiſmatis, quia illic hoſtium ſuffocatur exercitus, nec vltra eis progredi licebit, vbi Chriſti regnum ſuccedit; quod bene ſignificant ipſa nomina locorum: Bethbera enim interpretatur, *domus humilis*, vel *domus veſperi*; & Iordanis, *deſcenſio eorum*. Ibi ergo humilitas oſtenditur Eccleſiæ, vbi occiduntur vitia, & deponuntur peccata: ibique hoſtes repelluntur Ephraim, cum à credentibus renunciatur Diabolo, & omnibus operibus atque pompis eius: comprehenduntурque illic Oreb & Zeb, Principes Madian atque interficiuntur, cum ibi triumphantur principatus atque poteſtates tenebrarum harum, & regnum Diaboli diſſipatur: Oreb enim, *coruus* vel *ſiccitas*, interpretatur, & Zeb *lupus*: quæ duo nomina conuenienter exprimunt auiditatem atque ferocitatem Diaboli, qui, (ſicut Petrus
1. Pet. 5. D Apoſtolus teſtatur) *velut leo rugiens circumit, quærens, quem deuoret*. Occiditurque Oreb in Petra Oreb, cum Diabolus in ſua nequitia atque duritia perit. Zeb vero in torculari Zeb, cum in ipſa preſſura qua tribulat ille & premit electos, ſuperatus atq; confuſus dignus æterna damnatione apparebit.

VIII. *Fugeruntq; Zebee & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum, reuertenſque de bello ante ſolis ortum apprehendit puerum de viris Sochoth, interrogauitq; eum nomina principum & ſeniorum Sochoth, & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros, venitque ad Sochoth & dixit eis: En Zebee & Salmana, ſuper quibus exprobraſtis mihi dicentes: Forſitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas, vt demus viris, qui laſſi ſunt & defecerunt, panes. Tulit ergo Seniores ciuitatis, & ſpinas deſerti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Sochoth. Turrem quoque Fanuel ſubuertit, occiſis habitatoribus ciuitatis*, &c. Quid per Zebee & Salmana E principes Madianitarum, quos perſequens Gedeon comprehendit, niſi Philoſophi atque hæretici, membra Diaboli, deſignantur? Zebee enim, qui interpretatur, *victima*, bene poteſt exprimere Philoſophos ac Theologos Gentilium, qui libris ſuis & cultibus præbebant paſtum Dæmoniis. Salmana quoque qui interpretatur, *vmbra commotionis*; ſignificat hæreticos, qui ſemper in obſcuro erroris conuerſantes, à veritatis lumine inluſtrari non merentur. Tales ergo Gedeon noſter perſequens comprehendit, turbato omni exercitu eorum, quando, turbis nationum per prædicationem Euangelii ab errore Idololatriæ ac ſchiſmate hæreticorum ad fidem Chriſti conuerſis, ſoli illi erroris laqueo captiui notantur, qui cæteris cauſa erroris ac perfidiæ extitiſſe probantur, quos poſtmodum Gedeon gladio ſuo interfecit, quia in extremo examine gladio iuſtæ vltionis, Iudex viuorum & mortuorum cum Diabolo & Angelis eius in inferni eos tartarum tradit. Quod ergo viros Sochoth ac Fanuel, qui ſibi perſequenti hoſtes ſuos verba ſubſannationis atq; irriſio-
F nis dixerunt, idem Gedeon poſt victoriam cum ſpinis ac tribulis contriuit, Turremque Fanuel ſubuertit, occiſis habitatoribus ciuitatis: ſignificat, quod redemptor noſter Iudæos inſultantes prædicationi Euangelicæ ac religioni Chriſtianæ poſt reſurrectionem ſuam, atque aſcenſionem ad cœlos, cum actibus infructuoſis ac Spinis peccatorum grauatos, gladio iuſtæ vindictæ comminuit atque contriuit, Turremque Fanuel, hoc eſt, ipſam vrbem Hieruſalem, occiſis habitatoribus eius, ſubuertit, quando per Veſpaſianum & Titum, Romanos Principes, vrbe deſtructa, temploque ſuccenſo, habitatores eius partim fame necati, partim gladio occiſi, partimque in captiuitatem abducti ſunt. Hoc ipſum etiam in illis pueris Bethel quadraginta duobus, qui Heliſæum Prophetam irriſe-
runt, dicentes, *Aſcende calue, aſcende calue*, ſimiliter in figura præceſsit. 1. Reg. 2. Quia ſicut ibi duo vrſi egredientes de ſaltu irriſores pueros deuorauerunt; ſic & hi Romani Principes, hoc eſt, duo Imperatores prædicti egredientes de ſaltu gentium, quadrageſimo ſecundo anno Aſcenſionis Chriſti ad cœlos, ipſos inſultatores Dominicæ paſsionis in
G Hieruſalem, in Caluariæ loco vndique conſtrictos atque coarctatos interimentes deleuerunt.

IX. *Dixeruntque omnes viri Iſrahel ad Gedeon: Dominare noſtri tu & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait: non Dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus. Dixitque ad eos: Vnam petitionem poſtulo a vobis: Date mihi inaures ex præda veſtra. (inaures enim aureas Iſmahelitæ habere conſueuerant) Qui reſponderunt; libentiſsime dabimus. Expandenteſque ſuper terram pallium, proiecerunt in eum inaures de præda. Et fuit pondus poſtulatarum inaurium, M. DCC. Sicl. abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus Madian reges vti ſoliti erant, & præter torques aureas camelorum. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud in ciuitate ſua Ephra. Fornicatuſque eſt omnis Iſrahel in eo & factum eſt Gedeoni & omni domui eius in ruinam.* Quæri ſolet, quid ſit Efud vel Ephod, quod quidem ſi ſacerdotale eſt indumentum, quod pleriqne dicunt, vel potius ſuperindumentum, quod *Ependyma* Græcè dicitur, vel *Epomis*, quod magis humerale interpretari Latine
H poteſt: merito mouet, quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita ſcriptum eſt: *Et factum eſt pondus inaurium aurearum, quas petierat, ſicli mille ſeptingenti auri, præter brachialia & torques & operimenta purpurea, quæ erant ſuper Reges Madian præter torques, quæ erant in ceruicibus camelorum ipſorum. Et fecit illud Gedeon in Efud. & ſtatuit illud in ciuitate ſua in Ephra, & fornicatus eſt omnis Iſrahel:* Poſt illud ibi: *Et factum eſt Gedeoni & domui eius in ſcandalum.* Quomodo ergo iſta veſtis de tanto auro fieri potuit, Nam & mater Sa- 4. Reg. 2.
muelis fecit filio ſuo (ſicut legimus) Efudbar, quod nonnulli interpretati ſunt Efud lineum, quando eum dedit in templo nutriendum. Vbi euidentius apparet, hoc genus eſſe indumenti. An ideo dictum eſt: *Statuit illud in ciuitate ſua*: vt hinc intelligeretur, aureum fuiſſe factum. Non enim dictum eſt; *poſuit*; ſed *ſtatuit*: quoniam ita erat ſolidum & validum, vt ſtatui poſſet, hoc eſt, poſitum

ſtare.

Digitized by Google

A ſtare. Hoc ergo illicitum cum feciſſet Gedeon, fornicatus eſt poſt illud omnis Iſrahel, ſequendo illud contra legem Dei. Vbi non fruſtra quæritur, cum Idolum non fuerit, id eſt, cuiuſquam Dei falſi & alieni ſimulacrum, ſed Efud, id eſt, vnum de Sacramentis tabernaculi, quod ad veſtem ſacerdotalem pertineret: quomodo fornicationem Scriptura dicat populi illa ſectantis atque venerantis? Ideo ſcilicet, quod præter tabernaculum Dei, vbi erant iſta, quæ ibi fieri iuſſerat Deus, extra ſimile aliquid fieri fas non erat. Ideo ſequitur & dicit Scriptura: *Et factum eſt Gedeon, & domui eius in ſcandalum*, id eſt, vt ab offenſo Deo diſcederet; quia & hoc quoddam genus idoli quodammodo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manu factum pro Deo coleretur, cum illa ipſa, quæ iuſſa ſunt in tabernaculo fieri ad Dei potius cultum referrentur; quam pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei ſimulacro colendum haberetur: quamquam per Efud vel efod ea locutione, quæ ſignificat à parte totum, omnia poſſunt intelligi quæ conſtituit Gedeon in ſua ciuitate, veluti ad colendum Deum, ſimilia tabernaculo B Dei, & propterea per hoc, quia hoc eſt Sacerdotalis honoris inſigne, quod ſæpe Scriptura commemorat, vt hoc ſit peccatum Gedeon quod extra Dei tabernaculum fecerit aliquid ſimile, vbi coleretur Deus, non quod ſolido auro, velut adorandum, conſtituerit efud, ſed quod ex auro ipſo, quod eſſet de præda fecerit ea, quæ pertinerent ad ornamenta vel inſtrumenta ſacrarii: quæ omnia per efud ſignificata ſunt propter excellentiam, vt dixi, veſtis ſacerdotalis. Nam & ipſum efud non quidem ex auro ſolo fieri præceptum eſt, ſi hoc eſt ſuperhumerale ſacerdotalis veſtis: verumtamen etiam aliquid auri habet, nam ex auro & hyacintho & purpura & coccino & Byſſo vt fieret, diuinitus imperatum eſt. Sed quia hoc ita poſuerunt ſeptuaginta interpretes, vt, commemoratis omnibus, quæ de ſpoliis acceperat Gedeon, inſererent: *Et fecit illud Gedeon in Efud*: videtur ita dictum, tanquam ex toto illo, quod commemoratum eſt, hoc factum eſſe credatur, cum poſſit etiam illic intelligi locutio quæ ſignificat à toto partem, vt quod dictum eſt: *Fecit illud in Efud*; intelligatur, *fecit inde Efud*; vel, C *fecit ex eo Efud*, Non ſcilicet illud totum conſumens in Efud, ſed ex illo, quantum ſufficiebat, impendens. Nam in illa interpretatione, quæ ex Hebræo eſt, ſic legitur: *Fecitque ex eo Gedeon Efod*: quod enim apud Septuaginta ſcriptum eſt *efud*, hoc in Hebræo perhibetur dici *efod*. Non autem omnes Sacerdotes tali vtebantur ſuperhumerali, quod eſſet ex auro & hyacintho ex purpura, & coccino & byſſo, ſed ſolus ſummus ſacerdos. Vnde illud, quod de Samuele commemorauimus, factum illi ab eius matre, non erat vtique tale quoniam cum datus eſt nutriendus, non erat ſummus ſacerdos, vtique puer, vnde, vt dictum eſt, *efudbar appellatur, vel potius efodbach*, ſicut aſſerunt, qui Hebræam linguam nouerunt: & interpretatur efud lineum. Sed Gedeon illud feciſſe, quod erat præcipuum ſummi ſacerdotis indumentum atque ornamentum, per quod & cætera ſignificata ſunt opera ſacrarii, quod in ſua ciuitate præter Dei tabernaculum conſtituerant, & propter hoc peccatum factum eſt illi & domui eius in ſcandalum; vt ſic interiret, (quod poſtea Scriptura narrat) tanta eius numeroſitas filio-D rum.

X. *Humiliatus eſt autem Madian coram filiis Iſrahel, nec potuerunt vltra eleuare ceruices: ſed quieuit terra per quadraginta annos, quibus præfuit Gedeon.* Non prætereunda oritur quæſtio, quomodo quieuerit terra quadraginta annos in diebus Gedeon, cum poſt victoriam, qua liberauit Hebræos, ex auro ſpoliorum fecerit abominationem, & poſt illam fornicatus ſit omnis Iſrahel, & fuerit illi & domui eius in ſcandalum. Quomodo ergo poſt hoc tantum nefas, quod & Gedeon & populus admiſit, requieuit terra quadraginta annos; cum hoc Scripturas ſoleat oſtendere, cum à Domino Deo populus fornicaretur, tunc potius pacem illos perdere, non acquirere, & hoſtibus ſubiugari, non ab hoſtium infeſtatione muniri? Sed intelligendum eſt, ſicut ſolet Scriptura per prolepſin, id eſt, per præoccupationem dixiſſe, quod fecerit efud contra legem Dei Gedeon ex illo auro, quod fuerat hoſtibus deuictis atque proſtratis ablatum, quia vno loco dicere voluit, & vnde erat aurum, & quid de illo factum ſit: ſed poſtea factum eſt in fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando conſecuta ſunt etiam mala, quæ deinde Scriptura contexuit, poſtea quam commemorauit, quo annis in diebus Gedeon terra conquieuerit quos annos recapitulando commemorauit, id eſt, ad ordinem, quem præteruerterat prius dicendo de illo ſcandalo, quod nouiſsime factum eſt. E

Abiit itaque Ierobaal filius Ioas, & habitauit in domo ſua. Habuitque ſeptuaginta filios, qui egreſsi ſunt de femore eius, eo quod plures haberet vxores. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium, nomine Abimelech. Mortuuſque eſt Gedeon, filius Ioas, in ſenectute bona, & ſepultus in ſepulchro Ioas patris ſui in Ephra, de familia Ezri, &c. Moritur Gedeon, & relinquit ſeptuaginta filios, & vnum, nomine Abimelech, natum ex concubina, *qui conduxit ſibi viros vagos, & abierunt poſt illum. Et intrauit in domum patris ſui, & occidit fratres ſuos, ſeptuaginta viros, ſuper lapidem vnum. Et remanſit Ioathan iunior, quoniam abſconſus erat, &c.* Hoc factum ſi F nihil propheticum indicaret, quid opus erat, vt magnopere ſcriberetur, vtrum Gedeon ſeptuaginta filios & multas vxores habuiſſet, ſed & concubinam, de qua vnum & malum filium ſuſcepiſſet: quod cum turpe factum ſit, tunc etiam turpius eſſet, ſi hæc poſteris ad exemplum in diuinis libris ſcripta viderentur: niſi magnæ alicuius rei imaginem, earum rerum geſta, per typos & figuras oſtenderent? Gedeon igitur, (vt ſuperius dictum eſt) typum Domini protendebat.

Plurimæ vxores eius, multæ ſunt nationes, quæ per fidem Chriſto adhæſerunt. Septuaginta vero filii eius, ſeptuaginta linguæ ſunt in hoc mundo diffuſæ, in quibus per fidem filios ſibi Dominus generaturus erat. Concubinam hoc loco ſynagogam vocat, quæ nouiſſimis temporibus Antichriſto eſt creditura, de quo Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi ait: *Qui dicunt, ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga Sathanæ.* de qua vlti- G *Apoc. 2.* mis temporibus nequiſsimus filius, id eſt, Antichriſtus generandus eſt, eritque filius ancillæ, id eſt, ſynagogæ peccatricis: *quia qui peccatum*, inquit, *facit, ſeruus eſt peccati.* *Ioan. 8.* Hic, inquam, congregatis ſibi impiis, ſicut Abimelech fecit, regnum improbe vſurpabit: interfectiſque nobilibus filiis, id eſt, his, qui ex diuerſis nationibus & linguis in Chriſto credentes, à Deo ſunt generati, inducturus eſt perſecutionem, vt omnes ſanctos interficiat.

XI. *Remanſitque Ioatham, filius Hierobaal minimus, & abſconditus eſt. Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & vniuerſæ familiæ vrbis Mello: abieruntque & conſtituerunt regem Abimelech iuxta quercum, quæ ſtabat in Sichem, quod cum nunciatum eſſet Ioathan iuit & ſtetit in vertice montis Garizim, eleuataque voce clamauit & dixit: Audite me viri Sichem, ita vt audiat vos Deus. Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem, dixeruntque oliuæ: impera nobis*, &c. Sed ſuper ſeptuaginta, inquit, fuit iunior filius ex nobili matrimonio, qui ſe abſconderat. Hic, inquit, aſcendit in verti- H cem montis Garizim, & exclamauit voce magna ad populum, de Sicomoro ponens eis parabolam. Hic ergo iunior filius, qui fugit, vt gladium inimici euaderet, figura eſt reſidui populi Iſrahel, prædicante Helia extremis temporibus credituri, & Antichriſti gladium euaſuri. *Aſcendit*, inquit, *iſte verticem montis Garizim.* Sed cur montem aſcendit? Quia nec prophetare nec perſecutionem Antichriſti quiſque euadere poteſt, niſi prius quis in montem benedictionis, id eſt, in ſublimitatem fidei ac virtutum aſcenderit: Hic eſt enim mons Garizim, qui Moyſe in benedictionem deputatur,

Itaque cum aſcendiſſet, eleuata voce clamauit & dixit: *Audite me viri Sichem. Ierunt ligna, vt vngerent*

Digitized by Google

A *ſuper ſe Regem, dixeruntque oliuæ: Impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum amittere pinguedinem meam, qua dij vtuntur & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Locuta ſunt quoque ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoueri?* Cum ergo repudiata fuiſſent ligna ſiluæ, ab oliua & ficu, & vite; venerunt ad rhamnum, vt eum ſibi facerent regem. Sed prius videamus, cur oliua, ficus & vitis ſuper ligna regnare noluerint. Ligna quippe ſiluæ arbitror homines eſſe vanos & vagos æterno incendio præparatos. Hic ergo merito noluit, nec olea, nec ficus regnare, nec vitis, quia non merebantur.

Olea enim gratiam Spiritus ſancti & vnctionem pacis ſignificat. Ficus autem ſacræ legis imaginem habet, ſicut in Euangelio ſcriptum eſt. Luc. 13. *Quidam paterfamilias plantauit vineam, & in vinea ſua plantauit ficum.* B Quis paterfamilias, niſi Deus? qui familiæ ſuæ, id eſt, omnium credentium pater eſt. Plantauit ergo vineam, id eſt, populum, quia vineam ex Ægypto tranſtulit. Et vtique populum, non vineam ex Ægypto tranſtulerat. In hac vinea plantauit ficum, hoc eſt, in populo ſuo poſuit legem, quæ lex primitiuum populum, velut ficus, groſſos aridos & inutiles deiecit in terram, & poſtea alios fructus generauit, id eſt, populum Chriſtianorum, quem ad debitam Euangelicæ diſciplinæ maturitatem, & ſuauiſſimam pinguedinem Chriſti cum gloria & honore perduxit. *Sed vitis*, inquit, *noluit regnare eis.* Vitem autem Saluatoris noſtri typum habere manifeſtum eſt, Sicut in Euangelio ait: Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera.* Igitur quia iam in reprobum ſenſum (ſicut Apoſtolus dixit) futurus eſt populus ille, qui Antichriſto eſt ſeruiturus, quem ligna ſiluæ appellat; 2. Theſſ. 2. & neceſſe eſt, vt credat mendacio, id eſt, Antichriſto, qui veritati Chriſto noluit credere.

Ideo & à regno vitis, id eſt, Chriſti. & ab olea, id C eſt, ſancti Spiritus gratia, & à ficu, id eſt, diuinæ legis dulcedine reprobatus venit ad rhamnum. Rhamnus eſt genus rubi, quam vulgo ſenticem vrſinam appellant, aſperum nimis & ſpinoſum, per quod merito typus Antichriſti ſignificatur, qui omni aſperitate & ſeueritate humanum genus eſt vaſtaturus. Sed *exiet*, inquit, *ignis de rhamno*, id eſt, iniquitas de Antichriſto, & omnes, qui in eo confidunt, cum ipſo pariter deuorabit. Videtur ergo Gedeon Chriſti imaginem habuiſſe, ſeptuaginta vero filii, ſeptuaginta linguæ vel nationes, qui credentes, per ſecundam regenerationem filii Dei eſſe meruerunt, Abimelech vero filius Ancillæ typum Antichriſti portaſſe, qui, congregatis perditis nationibus, regnum ſibi improbe vſurpabit, omneſque ſanctos vi & perſecutione, omniq; crudelitate trucidabit. Ioatham vero iunior figura ſanctorum fuit. Sicut enim Ioatham per fugam receſſit, & reliqui interfecti ſunt fratres: ſic nemo euadere poterit perſecutionem Antichriſti, niſi qui per D fugam receſſerit, & in montem benedictionis aſcenderit.

Hic eſt mons, quem ſancti circumdabunt, quem & ſanctus Moyſes in benedictionibus, ſicut iam ſuperius Deut. 11, 17. dictum eſt, in Deuteronomio poſuit. Quod enim, ſecundum ſeptuaginta, inducitur rhamnus, id eſt, quoddam ſpinarum genus, in ſimilitudinem dicere omnibus lignis conuenientibus eam, vt regnaret ſuper eas: *Si in veritate vngitis me vos regnare ſuper vos, venite, confidite in protectione mea. Et ſi non, exeat ignis de rhamno, & comedat cedros Libani.* Obſcurus ſenſus eſt, ſed eum inuenta diſtinctio manifeſtat.

Non enim ita legendum eſt: *Et ſi non exeat ignis de rhamno*, ſed ſubdiſtinguendum: *Et ſi non*, ac deinde E inferendum; *exeat ignis de rhamno*, id eſt; *Et ſi non confiditis in protectione mea*; aut; *Et ſi non in veritate vngitis me regnare ſuper vos, exeat ignis de rhamno, & comedat cedros Libani.* Comminantis enim verba ſunt, quid facere poſſit, ſi noluerint eam regnare ſuper ſe. Verum quia non ait; *Exibit ignis de rhamno, & manducabit cedros Libani*; ſed ait; *Exeat & manducet*: obſcurius factum eſt, quam ſi ſola diſtinctio lateret. Vehementioris autem comminationis eſt & quodammodo præſentioris efficaciæ, ſi quis dicat: *Si non vis facere, quod volo: ſæuiat in te ira mea*, id eſt, iam ſæuiat, vt quod eam teneo, quam ſi dicat *ſæuiet*, promiſſiuo modo pœnam intentans futuram.

XII. *Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, auerſi ſunt filij Iſrahel, & fornicati ſunt cum Baalim, percuſſeruntque cum Baal fœdus, vt eis eſſet in Deum. Nec recordati ſunt Domini Dei ſui, qui eruit eos de manibus omnium inimicorum ſuorum per circuitum*, & cætera. Septuaginta: *Et factum eſt, cum mortuus eſſet Gedeon, & auerſi ſunt filij Iſrahel,* F *& fornicati ſunt poſt Baalim, & poſuerunt ipſi ſibi Baalberith teſtamentum, vt eſſet eis ipſe in Deum.* Et Baalim, & Bahalberith idola intelligenda ſunt. Maior itaque tranſgreſſio & fornicatio commiſſa eſt à populo poſt mortem Gedeon quam illo viuo propter Efud: quoniam & illud etſi illicite factum erat, tamen de Sacramentis tabernaculi erat; iſta vero poſt idola fornicatio non habet vel falſam paternæ religionis defenſionem.

Vnde etiamſi illud Efud non in fine temporis Gedeon, ſed ante factum eſt, ita Deus patienter tulit, vt pax in terra perſeueraret: quia licet factum erat, quod prohibuerat, non tamen longe receſſum erat ab illo, qui tale aliquid in tabernaculo ſuo atque in honorem ſuum fieri iuſſerat. Nunc vero grauiora commiſſa & apertiſſimam poſt idola fornicationem populi eſſe noluit impunitam.

Miſitque Dominus Spiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari, & ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Hierobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & inter G *cæteros Sichimorum Principes, qui eum adiuuerunt*, & cætera.

Emiſit Deus Spiritum malignum inter Abimelech, & inter viros Sichimorum. Hoc verbum vtrum imperantem aut permittentem Deum ſignificet, non facile definiri poteſt: quod enim hic poſitum eſt, *Emiſit*, Græcus habet *Exapeſteilen*, quod eſt etiam in Pſalmis, vbi legitur: *Emitte lucem tuam*, Pſal. 42. quanquam in quibuſdam locis interpretes noſtri, vbi eſt in Græco *Exapeſteilen miſit*, interpretati ſunt, non *emiſit*. Poteſt ergo & ſic intelligi, vt Spiritum malum Deus, tanquam ire inter eos volentem, emiſerit, id eſt, poteſtatem dederit maligno ſpiritui ad eorum pacem perturbandam. Vſque adeo autem etiam mitti à Domino malignum Spiritum propter iuſtitiam vindicandi non abſurdum viſum eſt, vt quidam id, quod eſt *Exapeſteilen*, etiam *emiſit*, interpretati ſint.

H XIII. *Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus ſuis, & oppugnat aduerſum te ciuitatem: ſurge itaque nocte cum populo, qui tecum eſt, & latita in agro, & primo mane Oriente Sole irrue ſuper ciuitatem. Illo autem egrediente aduerſum te cum populo ſuo, fac ei, quod potueris*, & cætera.

Verba, quæ miſit per nuncios ad Abimelech, Zebul Princeps ciuitatis Sichimorum, etiam ſecundum Septuaginta, ſic habent: *Et nunc ſurge nocte tu, & populus tuus tecum, & inſidiare in agro, & erit mane ſimul vt oritur Sol, maturabis & tendes ſuper ciuitatem*: quod Latini quidam habent, *maturabis*; quidam vero, *manicabis*: Græcus habet, quod dici poſſet non vno verbo, *diluculo*

ſurges.

Digitized by Google

A *ſurges.* Sed fortaſſe hinc ſic dictum, *maturabis*, à matutino tempore, quamuis etiam alijs temporibus dici ſoleat ad rem accelerandam. *Manicabis* autem Latinum verbum eſſe, mihi non occurrit. Sed illud mouet, quod cum dixiſſet, *ſimul vt oritur Sol*, addidit, *diluculo ſurges*; cum ipſum diluculum, quod Græcè dicitur *Orthros*, tempus ante ſolem ſignificet: quod iam vſitatiſſimè dicitur, *albeſcere cœperit.* Sic itaque intelligendum eſt, vt quod poſitum eſt, *mane* ipſum diluculum intelligatur. Additum eſt autem; *Simul vt oritur Sol*: vt exprimeretur, non iam orto ſole faciendum, ſeu vbi fulgor apparuerit Solis Orientis. Non enim aliunde aduenit diluculum, niſi cum cœperit partem cœli, quam videmus, ab Oriente lux Solis ad eam redeuntis attingere. Hinc eſt, quod etiam in Euangelio vnam atque eandem rem alius Euangeliſta dicit diluculo factam, cum adhuc obſcurum eſſet; Oriente Sole, quia & ipſa lux quantulacunque diluculi, Sole vtique fiebat Oriente, id eſt, ad ortum veniente, & fulgorem ſuum de ſuæ præſentiæ propinquitate iactante, quam lucem quidam idiotæ ſolis non eſſe putauerunt; ſed eſſe illam, quæ primitus condita eſt, antequam Deus quarto die conderet ſolem.

B *At hi, qui habitabant in turre Sicimorum, ingreſſi ſunt fanum Dei ſui Berith vbi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat valde munitus.* Berith ergo interpretatur, *pactum*, vnde dictus locus nomine pacti nuncupatum, quia Sicimitæ cum idolo, quo ſe protegi confidebant, pactum inierant.

Abimelech quoque audiens, viros turris Sicimorum pariter conglobatos, aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo, & arrepta ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero dixit ad ſocios: Quod me videtis facere, cito facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur Ducem, quos circumdantes præſidio ſuccenderunt. Atque ita factum eſt, vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pariter ac mulieres habitatorum turris Sichem, &c.

Nota eſt hiſtoria, quomodo Abimelech Sicimitas diſſenſione ac ſeditione facta ſuperauit atque interemit. Sed magis iuuat lectorem, ſi allegoriam factis ſano fidei oculo intente proſpexerit. Quem autem melius iſte Abimelech ſeductorum Rex, quam Antichriſtum, omnium iniquorum caput ac principem, poſſumus intelligere,

C qui viros turris Sicimorum ramis præciſis de monte Salmon per fumum & ignem extinxit, cum ſuperbos quoſque mentis obſcuritate obcæcat, ac igne cupiditatis enecat. Abimelech ergo, *Frater meus Rex*, interpretatur; Sicimitæ *humeri*; & Selmon, *conſentiens.* Igitur Abimelech, degener & reprobus Rex, Sicimitas in turre conſiſtentes, per arborum ſuarum frondes ſuccenſos occidit, cum Antichriſtus eos, qui in ſuperbiæ turrem arbitrij ſui libertate potius conſcendunt, ramos arborum de monte Selmon, hoc eſt, hominum reproborum nequiter ſibi conſentientium actus ſecuri nequitiæ ſuæ ac doli amputans, oculos mentis fumo perfidiæ obcæcat, ac igne furoris atque cupiditatis ſuffocat. Sed ſicut Abimelech poſt confectam cædem condignam vltionem mortis recompenſatione recepit; ita & ipſe Antichriſtus poſt completam malitiam ſuam in cædibus ſanctorum, æternæ damnationis mercedem, iniuſto Iudice retribuente, in fine percipiet: hoc enim conſequenter ſcriptor hiſtoriæ narrando

D exprimit, cum oſtendit Abimelech oppugnantem turrem oppidi Thebes, muliere fragmen molæ capiti eius deſuper mittente, ac cerebrum comminuente, occubuiſſe.

Quid enim ſignificat hæc Mulier, niſi ſanctam Eccleſiam, quæ per fragmen molæ hoc eſt, per ſententias ſacræ Scripturæ caput Antichriſti, quod eſt Diabolus, conterit: ac cerebrum eius comminuit, cum ſenſum malitiæ ſuæ ſubuertit, quando iam hominibus prædicando, ac bonorum operum exempla demonſtrando, virus nequitiæ ſuæ in eos effundere non permittit & ad extremum vnita capiti ſuo deinceps mortem, mortis auctorem in æternum damnat, *quem Dominus* vtique Ieſus *interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* 1. Theſſ. 2.

E IV. *Poſt Abimelech ſurrexit Dux in Iſrahel, Thola filius Phua, patrui Abimelech, vir de Iſachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim, & iudicauit Iſrahel viginti tribus annis, mortuusque ac ſepultus eſt in Samir.* Septuaginta: *Et ſurrexit poſt Abimelech, qui ſaluum faceret Iſrahel, Thola filius patrui fratris eius, vir Iſachar.* Filium patrui eius dixit filium fratris patris eius, cum ordinatius & vſitatius atque apertius diceretur, filium fratris patris eius; filius enim erat patrui eius, ſicut euidentius in ea interpretatione, quæ ex Hebræo eſt, inuenitur. Non ergo quod dictum eſt *Pater fratris*, ab eo declinatum eſt in Nominatiuo, *Pater fratris*; ſed ab eo, quod eſt *Patris frater*; hoc eſt enim patruus. Nam ſiue ponatur in Nominatiuo, *hic Pater fratris*, ſiue ponatur, *hic Patris frater*: Genitiuum facit, *huius Patris fratris.* Verum altera oritur quæſtio, quomodo fuerit patruus Abimelech vir Iſachar, id eſt, vir de tribu Iſachar, cum Abimelech patrem habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manaſſe? Quomodo ergo Phua & Gedeon fratres fuerunt? Vt poſſit eſſe Phua patruus Abimelech, cuius patrui filius Thola ſuccederet ſecundum iſtam narrationem ipſi Abimelech. Potuerunt ergo Gedeon & Phua vnam habere matrem, ex qua diuerſis patribus naſcerentur, & fratres eſſent vnius matris filij, non vnius patris. F
Solebant enim nubere fœminæ de alijs tribubus in alias tribus: vnde & Saul cum eſſet de tribu Beniamin, dedit filiam ſuam Dauid, homini de tribu Iuda: & Sacerdos Iudæ, vtique homo de tribu Leui, duxit filiam Ioram Regis, hominis de tribu Iuda. Hinc factum eſt, vt Elizabeth & Maria cognatas in Euangelio legimus, cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron: ex quo intelligitur, de tribu Leui & filiabus Aaron aliquam nupſiſſe in tribum Iudam: vnde ita fieret inter ambas illa cognatio, vt Domini caro non ſolum de Regia, verumetiam de Sacerdotali ſtirpe propagaretur. Luc. 1.

Huic ſucceſſit Iair Galaadites, qui iudicauit Iſrahel per viginti & duos annos habens triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum, & Principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius appellatæ ſunt Auoth Iair, id eſt oppida Iair vſque in præſentem diem in terra Galaad. Mortuuſque eſt Iair, ac ſepultus in loco, cui eſt vocabulum Camon. Quem autem Iair iſte Galaadites melius deſignat, quam Redemptorem noſtrum,

G qui Dux & Rex eſt populi Chriſtiani? Quod bene ipſa demonſtrant nomina: Iair enim interpretatur, *illuminans*; & Galaad, *aceruus teſtimonij.* Illuminans bene dicitur Dominus noſter, de quo ſcriptum eſt in Euangelio: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & ad quem in Pſalmis Propheta ait: *Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis.* Hic ergo ex Galaad eſt quia ex Scripturis ſacris eius notitia percipitur, quem qui ibi corde credulo quærit, ſine dubio inuenit. Hic iudicauit Iſrahel per viginti & duos annos, quia omnes, qui in veteri teſtamento & in nouo fideles fuerunt, ſuo eius mandatorum iudicio vixerunt. Vicenarius enim numerus, qui bis denarium continet, perfectionem Legis & Euangelij demonſtrat, vbi duorum præceptorum inſigne maximum, ac validiſſimum eſt, hoc eſt, dilectionis Dei & proximi: *in his enim duobus præceptis*, ipſa veritate atteſtante, *tota lex pendet, & Prophetæ.* Vide & idem Saluator in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Habet ergo iſte Ioan. 1. Pſal. 75. Matth. 22. Ioan. 15.

H Iair triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum: quia qui rectè filij eius nominantur, & ſunt, hi, nimirum, in Sanctæ Trinitatis fide mandatorum Dei cuſtodiam habent, & laſciuiam carnis ſuæ bene domare, & ſibimet dominari ſtudent: vnde & Principes triginta ciuitatum eſſe merentur, quæ ex nomine eius appellatæ ſunt; quia quicunque ſecundum ſanctæ Trinitatis fidem ſcientiam legis Dei in cuſtodia mandatorum ipſius pleniter percipit, iſte idoneus eſt & alijs præponi: quia a luce filij lucis dicti ſunt, ſicut Chriſtiani à Chriſto: vnde Dominus Apoſtolis ſuis ait: *Vos eſtis lux mundi. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Hic Iair mortuus & ſepultus legitur in loco, cui eſt vocabulum Camon. Camon enim interpretatur, *re-* Matth. 5

A *ſurrectio inutilis.* Et quæ melius reſurrectio inutilis dici poteſt, quam Hieruſalem terreſtris? Hæc enim reſurrectionem Domini, quæ credentibus vtilis & ſalubris eſt, ſibi inutilem & pernicioſam non credendo fecit: ideo filii tenebrarum, non filii lucis, & filii perditionis magis, quam filii reſurrectionis dici meruerunt.

Poſſunt & in *Camon* vocabulo hæretici vel mali Catholici non inconuenienter accipi, qui merito *reſurrectio inutilis* vocantur, quia nihil eis profuit per gratiam Baptiſmi renaſci, quibus iterum priſtino errori ac veteris hominis actibus placuit inuolui: in his enim Iair noſter quodammodo mortuus ac ſepultus eſt; quia gratiam fidei, ac lumen ſcientiæ, quæ ex dono Dei perceperunt, in ſemetipſis interfecerunt ac prauis moribus obruerunt.

XV. *Filij autem Iſrahel*, peccatis veteribus iungentes noua, *fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt idolis Baalim & Aſtaroth, & Diis Siriæ, ac Sydonis, & Moab, & filiorum Ammon & Philiſtiim, dimiſeruntque* B *Dominum, & non colebant eum. Contra quos iratus tradidit eos in manus Philiſtiim, & filiorum Ammon*, & cætera.

Adiecerunt igitur filii Iſrahel deſeruire Baalim & diis alienis, tradebanturque in manus filiorum Ammon. Tunc Iephte Galaadites, fugiens à facie fratrum ſuorum, conſtituitur in Principem ob pugnam filiorum Ammon, qui rediens poſt triumphum immolauit filiam, quæ ſibi victori prima occurrerat: ſic enim votum ſpoponderat, vt quicquid ſibi primum reuertenti occureret, Domino immolaret. Quis ergo in Iephte prænunciabatur? Niſi Dominus IESVS CHRISTVS & Saluator noſter, qui à facie fratrum ſuorum, id eſt, Iudæorum abſcedens, in Gentibus principatum accepit: qui omnia humanæ ſalutis Sacramenta, tanquam iuratus expleuit, &, quaſi filiam, ita carnem propriam pro ſalute Iſraelis Domino obtulit.

Iuraſſe enim patri occubuiſſe vnigenitum legimus, Pſal. 131. Pſalmo dicente: *Sicut iurauit Domino, votum vouit* C *Deo Iacob*: ſcilicet vt Sacramentum religionis in carnis ſuæ paſſione pro ſalute generis humani expleret. Hæc ergo ſecundum geſtorum hiſtoriam, ita per CHRISTVM acta ſunt, vt videantur per religionem, qua iurauerat, eſſe completa. Inter cætera vero, quæ Iephte mandat per nuntios Regi filiorum Ammon, etiam hoc dicit: *Nonne quæcunque hæreditabit tibi Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis? Et omnia, quæcunque hæreditabit Dominus Deus noſter à facie veſtra hæc hæreditabimus.* Quod quidam Latini ſic interpretandum putauerunt, vt dicerent: *Nonne quæcunque dedit tibi in hæreditatem Chamos Deus tuus, hæc poſſidebis?* Vbi videri poteſt confirmaſſe Iephte, Deum iſtum, qui vocatur Chamos potuiſſe aliquid dare in hæreditatem cultoribus ſuis.

Quidam vero ſic habent: *Nonne quæcunque poſſidebit Chamos Deus tuus, hæc poſſidebis?* Et hoc ita ſonat, quaſi aliquid potuerit poſſidere. An forte ſecundum hoc dictum eſt, quod ſub Angelis conſtitutæ ſunt D gentes iuxta canticum Moyſi famuli Dei? Nunquidnam ergo ille Angelus, ſub quo erant filii Ammon, Chamos appellatus eſt? Quis hoc audeat affirmare? cum poſſit intelligi ſecundum eius opinionem dictum, quia putabat Deum ſuum hoc poſſidere, vel in poſſeſſionem ſibi dediſſe. Magis autem iſte ſenſus elucet in his verbis, quæ Græcus habet: *Nonne quæcunque hæreditabit tibi Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis?* vt in eo, quod poſitum eſt, *tibi*, intelligatur ita dictum, ac ſi diceretur; *Sicut videtur tibi. Tibi enim hæreditabit, qui hoc putas*; non quod ille aliquid poſſet hæreditare.

Denique in eo, quod ſequitur; *Et omnia quæcunque hæreditabit Dominus Deus noſter.* Non dixit: *hæreditabit nobis!* tanquam diceret; *Sicut videtur nobis*: ſed, E *vere hæreditabit à facie veſtra*, quoniam ipſis abſtulit, & his dedit: *hæc*, inquit, *hæreditabimus.* De filia autem Iephte, quod eam pater in holocauſtoma obtulit Deo, quoniam in bello vouerat: ſi viciſſet, eum ſe holocauſtoma oblaturum, qui ſibi de domo exiens occurriſſet.

Quod cum vouiſſet, vicit, & occurrente ſibi filia, quod vouerat reddidit: ſolet eſſe magna & ad diiudicandum difficillima quæſtio quibuſdam, Quid ſibi hoc velit, noſſe cupientibus & piè quærentibus: quibuſdam vero, qui Scripturis his ſanctis imperita impietate aduerſantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod Legis & Prophetarum Deus etiam humanis ſacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumniis ſic primitus reſpondemus, vt Dominum Legis & Prophetarum, atque, vt expreſſius dicam, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob, nec illa ſacrificia delectauerint, vbi pecorum holocauſta offerebantur: ſed quod ſignificatiua fuerint, F & quædam vmbræ futurorum, res ipſas nobis, quæ his ſacrificiis ſignificabantur, commendare voluiſſe: Fuiſſe autem etiam iſtam vtilem cauſam, cur illa mutarentur, nec modo iuberentur, immo prohiberentur offerri, ne vere ſecundum carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus.

Sed vtrum etiam humanis ſacrificiis ſignificari futura oportuerit, merito quæritur, non, quo mortes hominum quandoque moriturorum in hac cauſa exhorreſcere & formidare deberemus; ſi illi, qui hæc de ſe fieri gratanter acciperent, in æterna remuneratione commendarentur Deo.

Sed ſi hoc verum eſſet, hoc genus ſacrificiorum Deo non diſpliceret: diſplicere autem Deo, ſatis euidenter eadem Scriptura teſtatur: nam cum omnia primogenita ſibi dicari & ſua eſſe voluerit, atque præceperit; redimi tamen à ſe voluit primogenita hominum, ne immolandos Deo crederent filios ſuos, quos natos pri- Exod. 13. mitus ſuſcepiſſent.

Deinde hoc apertius ita loquitur, quod humana holocauſta ſic Deus improbet, vt prohibeat, dete- G ſtans ea in aliis gentibus, & populo ſuo præcipiens, ne audeat imitari: *Si autem*, inquit, *exterminauerit* Deut. 12. *Dominus Deus tuus gentes, in quas tu intras hæreditare terram eorum, à conſpectu tuo, hæreditabis eos, & habitabis in terra eorum: attende tibi ipſi, ne exquiras ſequi eos, poſtquam exterminati fuerint à facie tua, ne exquiras Deos eorum dicens: Quemadmodum faciunt gentes Diis ſuis, faciam & ego. Non facies ita Domino Deo tuo: abominamenta enim, quæ Dominus odit, fecerunt Diis ſuis: quoniam & & filios ſuos & filias ſuas comburunt igni Diis ſuis.* Quid euidentius oſtendi poteſt his ſanctæ Scripturæ teſtimoniis, (vt alia huiuſcemodi omittam,) quam Deum, à quo hæc Scriptura humano generi contributa eſt, non ſolum non diligere, verum etiam odiſſe talia ſacrificia, in quibus homines immolantur?

Illa plane diligit & coronat, cum quiſque iuſtus iniquitatem patiens vſque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis quos pro iuſticia offendit, H occiditur, retribuens eis bona pro malis, id eſt, pro odio dilectionem.

Talem dicit Dominus ſanguinem iuſtum à ſangui- Matth. 23. ne Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ. Præcipue autem quod ſanguinem fudit ipſe pro nobis, & ſacrificium ſeipſum obtulit DEO: ſic vtique obtulit, vt ab inimicis pro iuſtitia occideretur.

Hunc imitata Martyrum millia, vſque ad mortem pro veritate certarunt, & ab inimicis ſequentibus immolata ſunt, de quibus dicit Scriptura: *Tan-* Sap. 3. *quam aurum in fornace probauit illos, & ſicut holocauſta hoſtiam accepit illos.* Vnde & Apoſtolus dicit:

A *Ego enim iam immolor.* Sed non ſic Iephte de filia fecit holocauſtoma Domino, ſed ſicut præceptum fuerat pecora offerri, & prohibitum fuerat homines immolari. Geneſ. 22. Magis hoc illi ſimile videtur, quod fecit Abraham, quod Dominus ſpecialiter fieri præcepit, non generali lege, vt talia ſibi ſacrificia fierent, aliquando mandauit, immo etiam fieri omnino prohibuit. Diſtat itaque hoc, quod Iephte fecit, à facto Abrahæ, quoniam ipſe iuſſus obtulit filium, iſte autem fecit, quod & lege vetabatur, & nullo ſpeciali iubebatur imperio. Deinde non ſolum in ſua lege poſtea, verum etiam tunc Deus in ipſo Abrahæ filio, talibus ſacrificiis quam non delectaretur, oſtendit, cum patrem cuius fidem iubendo probauerat, à filii tamen interfectione prohibuit, & arietem, quo ſacrificium licite ſecundum veterum congruam temporis conſuetudinem compleretur, appoſuit. Si autem hoc quenquam mouet, quomodo pie crediderit Abraham Deum ſacrificiis talibus delectari, ſi hæc illicite offeruntur Deo: & ideo putat recte crediſſe etiam Iephte, quod tale ſacrificium Deo eſſe poſſet acceptum: primo conſideret, aliud eſſe vltro mouere, aliud iubenti obtemperare. B Non enim ſi aliquid præter morem in domo à Domino inſtitutum ſeruo iuberetur, atque id laudabili obedientia facit: ideo non eſt plectendus, ſi hoc facere ſponte præſumpſerit. Deinde habebat, quod crederet Abraham, vt propter diuinum imperium, non parceret filio, non credens, Deum tales victimas licenter accipere: ſed hoc eum propterea iuſſiſſe, vt reſuſcitaret occiſum, & hinc aliquid, tamquam Deus ſapiens, demonſtraret: nam hoc de illo etiam in Epiſtola legitur, quæ inſcribitur ad Hebræos, Hebr. 11. & fides eius, quia hoc de Deo crediderit, quod poſſet filium eius ſuſcitare, laudatur. Iſte vero, & Deo non iubente, neque poſcente, & contra legitimum eius præceptum vltro ſacrificium vouit humanum. Sic enim ſcriptum eſt; *Et vouit Iephte votum Domino, & dixit: Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, & erit, quicunque exierit de ianuis domus meæ obuiam mihi in reuertendo me in pace à filiis Ammon, & erit, Domino offeram eum holocauſtoma.*

C Non vtique his verbis pecus aliquod vouit, quod ſecundum legem holocauſtoma poſſet offerre. Neque enim eſt aut fuit conſuetudinis, vt redeuntibus cum victoria de bello Ducibus pecora occurrerent. Quantum autem attinet & muta animalia, canes ſolent Dominis blando famulatu alludentes currere in obuiam, de quibus ille in ſuo voto cogitare non poſſet ne in iniuriam Dei aliquid non ſolum illicitum, verumetiam contemptibile, & ſecundum legem immundum vouiſſe videretur. Nec ait; *Quodcunque exierit de ianuis domus meæ in obuiam mihi, offeram illud holocauſtoma:* ſed ait; *Quicunque exierit, offeram eum:* vbi procul dubio nihil aliud, quam hominem cogitauit; non tamen fortaſſe vnicam filiam, quanquam illam in tanta paterna gloria quis poſſet anteire? niſi forte vxor? Nam quod non dixit, *Quæcunque*, ſed, *Quicunque exierit de ianuis domus meæ.* Solet Scriptura maſculinum genus pro quolibet ſexu ponere, ſicut de Abraham dictum eſt: Gen. 23. *Surgens à mortuo;* cum eius vxor mortua fuiſſet. Quia ergo de hoc voto atque facto nihil videtur Scriptura iudicaſſe, ſicut de Abraham, quando filium iuſſus obtulit, apertiſſime iudicauit; ſed tantummodo ſcriptum reliquiſſe legentibus iudicandum: D quemadmodum de facto Iudæ, filii Iacob, Gen. 38. quando ad nurum quidem ſuam neſciens intrauit, verum, quantum in ipſo fuerat, fornicatus eſt, quia meretricem putauit, neq; approbauit hoc Scriptura neque reprobauit, ſed iuſtitia & Dei lege conſulta æſtimandum penſandumque dimiſit. Quia ergo de iſto Iephte facto in neutram partem ſententiam Scriptura Dei protulit, vt noſter intellectus in iudicando exerceretur: poſſemus iam dicere, Deo diſplicuiſſe tale votum, & ad illam productum eſſe vindictam, vt patri potiſſimum filia vnica occurreret. Quod ſi ſperaſſet atque voluiſſet, non continuo, vt eam vidit, ſcidiſſet veſtimenta ſua, & dixiſſet: *Heu me, filia mea, impediſti me, in offendiculum facta es in oculis meis.*

E Deinde ſexaginta dierum tam longa dilatione data filiæ ſuæ Dominus eum ab vnicæ chariſsimæ natæ immolatione non prohibuerit, ſicut prohibuit Abraham, donec perficiendo, quod vouerat, ſeipſum percuteret orbitate gratiſsima: Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret, & ideo huiuſcemodi patri pœnam fuiſſe retributam ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum, vt aut magnum aliquid ſe vouere Deo putarent homines, cum victimas humanas vouerent, &, quod eſt horribilius, filiorum: aut non vera ſed potius ſimulata eadem vota eſſent, cum velut exemplo Abrahæ ſperarent, qui vouiſſent, Deum prohibiturum talia vota compleri. Poſſemus, inquam, hæc dicere, niſi ab iſta ſententia duo nos præcipue Diuinarum Scripturarum teſtimonia retardarent, vt hanc rem geſtam, & in libris tantæ autoritatis memoriæ commendatam diligentius, quantum Dominus adiuuat, & cautius perſcrutemur, ne in vllam partem iudicium temerarium proferamus. Vnum, quod in Epiſtola ad Hebræos iſte Iephte inter tales commemoratur, vt eum culpare vereamur, vbi ſic ſcriptum eſt: *Et quid adhuc* dicam? *Deficit enim me tempus* F *enarrandi de Gedeon, Barach, Samſon & Iephte & Dauid, &* Hebr. 11. *Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operantes iuſtitiam, conſecuti ſunt promiſſiones.* Alterum, quod vbi de illo iſta narratur, quod tale vouerit & impleuerit votum, præmiſit Scriptura, dicens: *Et factus eſt ſuper Iephte Spiritus Domini, & perrexit Galaad & Manaſſe, & tranſiit ſpeculam Galaad, & de ſpecula Galaad trans filios Ammon, & vouit Iephte votum Domino,* &c. ad hoc ipſum votum pertinentia: vt omnia, quæ deinceps facta ſunt, tanquam opera Spiritus Domini, qui ſuper eum factus eſt, intelligenda videantur. Iſta teſtimonia nos compellunt quærere potius, cur factum ſit, quam facile improbare, quod factum eſt.

Sed primo illud, quod ex Epiſtola, quæ ad Hebræos eſt commemoraui, inter illos laudabiles viros, qui ibidem recoluntur, non ſolum eſt Iephte verum etiam Gedeon, de quo ſimiliter Scriptura dicit: Iud. 6. *Spiritus Domini confortauit Gedeon:* & tamen eius factum, *quod de illo auro præda operatus eſt Efud, & fornicatus eſt poſt illud omnis Iſrahel, & factum eſt domui Gedeon in ſcandalum,* Iud. 8. G non ſolum laudare non poſſumus, verumetiam quia Scriptura hinc apertiſsime iudicauit, reprobare minime dubitamus. Nec tamen ex hoc vlla fit iniuria Spiritui Domini qui eum confortauit, vt hoſtes populi eius tanta facilitate ſuperaret. Cur ergo inter eos commemoratur, qui per fidem vicerunt regna, operantes iuſtitiam, niſi quia ſancta Scriptura quorum fidem atque iuſtitiam veraciter laudat, non hinc impeditur eorum etiam peccata, ſi qua nouit & oportere iudicat, notare veraciter? Nam & in eo Iud. 6. quod idem Gedeon ſignum petens, ſicut ipſe locutus eſt, temptauit in vellere, neſcio, vtrum non fuerit tranſgreſſus præceptum, quo ſcriptum eſt: Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Verumtamen etiam in eius temptatione Dominus quod prænunciare volebat, oſtendit in compluto ſcilicet vellere, & area tota circumquaque ſicca, figurare primum populum Iſrahel, vbi erant ſancti cum gratia cœleſti, tanquam pluuia ſpiritali. Et poſtea, compluta area, ſicco vellere figurare Eccleſiam toto orbe diffuſam, habentem non in vellere, tanquam H in velamine, ſed in aperto cœleſtem gratiam, illo priore populo, velut ab eiuſdem gratiæ rore, alienato atque ſiccato. Nec tamen fruſtra inter fideles & operantes iuſtitiam propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum eſt eſſe defunctum, tale in Epiſtola ad Hebræos meruit teſtimonium. Verum autem quia poſteaquam dictum eſt: *Factus eſt ſuper Iephte Spiritus Domini:* ea ſecuta ſint, vt votum illud vouerer, atque hoſtes vinceret, &, quod vouerat, redderet, Spiritui Domini omnia deputanda ſint: vt perinde habeatur & hoc ſacrificium, tanquam id Dominus, ſicut Abrahæ, fieri iuſſerit, non facile dixerim: cum vtique de Gedeon poſſit hæc afferri differentia; quia peccatum, quod fecit, quando fecit Efod, poſtquam vniuerſus populus fornicatus eſt, nulla eſt eius commemorata proſperitas,

A poſtea vero quam Iephte votum vouit, illa eſt inſignis eius victoria conſecuta, propter quam adipiſcendam vouerat, & qua adepta, quod vouerat, ſoluit. Ruſus enim conſiderandum eſt, quia Gedeon etſi non poſtea quam fecit Efod, tamen poſteaquam temptauit Dominum, quod vtique peccatum eſt, magna ſtrage hoſtibus cæſis atque ſuperatis populo ad quiſiuit ſalutem.

Iud. 6. Sic enim ſcriptum eſt: *Et dixit Gedeon ad Dominum: Non iraſcatur indignatio tua in me, & loquar adhuc ſemel, temptabo adhuc ſemel in vellere.* Iam quippe Dei metuebat, quia nouerat ſe temptando peccare, quod Deus in lege ſua manifeſtiſſime prohibet: hoc tamen peccatum eius, & mirabilis ſigni euidentia, & magna victoriæ proſperitas liberationiſque populi conſecuta eſt: iam enim Deus ſtatuerat afflicto populo ſubuenire; atque huius Ducis, quem ad hoc opus aſſumpſerat, vtebatur animo non ſolum fideli & pio, verumetiam ſubdeficiente & delinquente, & ad prænuncianda, quæ volebat, & complenda, quæ dixerat. B

Non enim per iſtos tantum, qui etiamſi peccauerunt, inter iuſtos tamen narrantur; ſed etiam per ipſum Saulem omnimodo reprobatum multa Deus populo ſuo præſtitit, *1 Reg. 10.* in quem inſiluit etiam Spiritus Dei, & prophetauit, non cum iuſte ageret, ſed cum in virum ſanctum Dauid innocentemque ſæuiret. Agit enim Spiritus Domini & per bonos & per malos, & per ſcientes, & per neſcientes, quod agendum nouit & ſtatuit, *Ioan. 11.* qui etiam per Caipham, acerrimum Domini perſecutorem, neſcientem quid diceret, inſignem protulit Prophetiam, quod oporteret CHRISTVM mori pro gente. Quis enim egit, niſi Spiritus Domini, curans prænunciare ventura, vt iudici Gedeon temptare volenti Dominum, & non credenti, quod ei fuerat per manus eius de ſalute populi iam locutus, hoc potiſſimum de vellere prius compluto, poſtmodum ſicco, & de area primum ſicca, poſtea rigata, veniret in mentem: vt quod ſubdeficit à fide, infirmitati eius, delictoque deputetur: C quod vero etiam tali eius animo ad hoc, quod generi humano ſignificari oportebat, vſus eſt Deus, ad eius intelligatur miſericordiam & mirabilem prouidentiam pertinere.

Si quis autem dicit omnia ſcientem feciſſe & dixiſſe Gedeon ex reuelatione Prophetica, vt per eum ſigna talia monſtrarentur, nec defeciſſe à fide, & quod ei iam promiſerat Dominus, credidiſſe, ſed actione Prophetica in vellere voluiſſe temptare, atque ita illius temptationem fuiſſe inculpabilem, ſicut dolum Iacob, & illud *Gen. 27.* quod Domino ait: *Non iraſcatur indignatio tua in me*: non ideo dixiſſe, quod iram eius timeret, ſed quod eum confideret non iraſci, cum ea faceret, quæ, Spiritu eius dictante, facienda eſſe, tanquam Propheta, ſentiret: dicat, vt videtur, dummodo illud, quod de facto Efod Scriptura ipſa culpauit, quodlibet ſignificet, non audeat excuſare à peccato. Nam & illud, quod trecenti viri ad ſignum crucis ipſo numero pertinentes hydrias fictiles acceperunt, eiſque ardentes faculas incluſerunt, D quibus hydriis fractis, repente lumina numeroſe micantia tantam hoſtium multitudinem, terruerunt, tanquam ex ſuo arbitrio videtur feciſſe Gedeon: non enim Scriptura dicit Dominum admonuiſſe, vt hoc faceret, & tamen tam grande ſignum quis eius animo atque conſilio faciendum, niſi Dominus, inſpirauit? Qui præfigurauit ſanctos ſuos theſaurum Euangelici luminis in vaſis fictilibus habituros, ſicut Apoſtolus dicit: *2 Cor. 4.* *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: quibus in paſſione martyrii, tanquam vaſculis fractis, maior eorum gloriæ fulgor emicuit: quæ impios Euangelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Chriſti claritate ſuperauit. Seu ergo per ſcientes ſeu per neſcientes præfigurationem prædicationemque futurorum Spiritus Domini propheticis temporibus operatus eſt. Nec ideo peccata eorum dicendum eſt non

E fuiſſe peccata; quia & Deus, qui & malis noſtris bene vti nouit, etiam ipſis eorum peccatis vſus eſt ad ſignificanda, quæ voluit.

Proinde ſi propterea peccatum non fuit, ſiue cuiuslibet necis humanæ, ſiue etiam parricidale ſacrificium, vel vouere vel reddere, quia magnum aliquid & ſpiritale ſignificauit: fruſtra Deus talia prohibuit, & ſe odiſſe teſtatus eſt, quoniam & illa, quæ fieri iuſſit, vtique ad aliquam ſignificationem rerum ſpiritalium magnarumque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quandoquidem propter eandem rerum earundem ſignificationem poterant, propter quam & iſta licite fiebant, nihilominus licite fieri, niſi quia nec tale aliquid ſignificantia, quale expedit credere, humana Deo ſacrificia placuerunt, quando non quiſque pro iuſtitia ab inimicis, quia recte viuere voluit, aut peccare noluit, interimitur, ſed homo ab homine, tanquam electa hoſtia, more pecoris immolatur? Quid ſi, ait aliquis quoniam pecorum victimæ iam eo ipſo, quo fuerant vſitatæ, quamuis & ea ipſa recte intelligentibus ad ſignificationem ſpiritalium referuntur, F minus tamen faciebant intentos ad magnum Sacramentum Chriſti & Eccleſiæ requirendum: propterea DEVS re inſigni & inopinata volens quaſi dormientes hominum animos excitare, eo magis quo talia ſibi ſacrificia offerri vetuerat, curauit ſibi eiuſmodi aliquid offerendum, vt ipſa admiratio magnam gigneret quæſtionem, & magna quæſtio ad perſcrutandum magnum myſterium ſtudium piæ mentis erigeret, pie vero ſcrutans mens hominis altitudinem Prophetiæ, velut hamo piſcem, Dominum Chriſtum de profundo Scripturarum leuaret.

Huic nos rationi & conſiderationi non obſiſtimus; ſed alia quæſtio eſt de animo vouentis, alia de prouidentia Dei, qualicunque animo eius optime vtentis. Quamobrem Spiritus Domini, qui factus eſt ſuper Iephte, vt hoc voueret, omnino præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit: tamen ſi hoc ille præcepit, cuius non licet iuſſa contemnere, non ſolum inſipientia culpanda non eſt, verumetiam laudanda obedientia eſt: G hoc enim etiam ſi ſe homo ipſe interimat, quod vtique humana voluntate atque conſilio facere nefas eſt; profecto intelligendum eſt obedienter fieri potius, quam ſceleſte, ſi diuinitus iuſſum eſt; de qua quæſtione ſatis in primo libro de ciuitate Dei diſputauimus. Si autem Iephte, humanum ſecutus errorem, humanum ſacrificium vouendum putauit; eius quidem peccatum de vnica filia iure punitum eſt, quod etiam ipſe verbis ſuis ſatis videtur oſtendere, vbi ait: *Heu me, filia impediſti me, in offendiculum facta es in oculis meis*, diſciſſis etiam veſtimentis ſuis. Verumtamen etiam hic eius error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, vt, quod vouerat, redderet: nec diuini in ſe iudicii ſententiam declinauit, ſiue ſperans Deum prohibiturum, ſicut fecerit Abrahæ, ſiue eius voluntatem etiam non prohibentis intellectam facere potius quam contemnere ſtatuens. Quanquam & hic merito quæri poteſt, Vtrum verius intelligatur, hoc Dominum nolle fieri, & in eo potius Deo, ſi non fieret, obediretur: H quoniam hoc ſe nolle & in Abrahæ filio & in legitima prohibitione monſtrauerat. Verumtamen ſi propterea Iephte non faceret, ſibi potius in vnica filia peperciſſe, quam Dei voluntatem ſecutus eſſe videretur.

Magis ergo intellexit in eo, quod illi filia occurrit vltorem Deum, iuſtæque pœnæ ſe fideliter ſubdidit, timens ſæuiorem, tanquam de tergiuerſatione, vindictam: credebat enim etiam bonæ & virginis animam filiæ bene recipi, quod non ſeipſa voueret immolandam, ſed voto & voluntati non reſiſteret patris, & Dei fuerat ſecuta iudicium. Mors enim ſicut nec ſibi à quoquam ſponte, nec cuiquam ſponte ingerenda eſt: ita Deo iubente recuſanda nō eſt, cuius conſtitutione quocunq; tempore obeunda eſt: nec quiſquam, qui eam perpeti detrectat, vt omnino euitetur, ſed tantummodo, vt differatur, laborat. Nunc iā

quid

A quid Spiritus Domini, ſiue per neſcientem Iepthe, ſiue per ſcientem, ſiue per eius imprudentiam, ſiue per obedientiam, ſiue per offenſionem, ſiue per fidem in hac re geſta præfigurauerit; quantum Deus adiuuat, requiramus, breuiterque pandamus. Admonet enim nos & vrget, quodammodo iſte ſanctarum Scripturarum locus cogitare quendam potentem virtute. Talis enim dicitur Iepthe, quod nomen interpretatur, *aperiens*: Dominus autem Chriſtus, ſicut indicat Euangelium, diſcipulis ſuis *aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* (Luc. 24.) Hunc Iepthe fratres eius reprobauerunt, (Iud. 11.) & de paterna domo expulerunt obijcientes ei, quod eſſet filius fornicariæ, tanquam ipſi eſſent de vxore legitime nati. Hoc etiam egerunt aduerſus Dominum Principes ſacerdotum & Scribæ & Phariſæi, qui de legis obſeruatione gloriari videbantur, tanquam ille ſolueret legem, & ideo veluti non eſſet legitimus filius. Et quanquam de ſancta quidem Virgine corpus aſſumpſerat, quod fidelibus natum eſt: tamen eius mater, quantum ad gentem pertinet, etiam illa Iudaica Synagoga dici poteſt. B Reuoluat, qui voluerit, Propheticos libros, & videat, quoties & quanta verbi ſeueritate atque indignatione Domini illa gens, velut impudica mulier, de ſuis fornicationibus arguatur. Vnde eſt etiam illud in hoc libro frequentiſſimum, vel cum poſt Ephod, quod fecit Gedeon, (Iud. 11.) omnis Iſrahel legitur fornicatus: vel quod abierunt poſt Deos gentium, quibus erant circumdati, vnde illis diuina ira commota eſt, vt per annos decem & octo contererentur à filiis Ammon. Sed nunquid non ex eadem gente Iſrahel etiam illi nati erant ſacerdotes & ſcribæ & Phariſæi, quos in eis diximus fuiſſe præfiguratos, qui Iepthe, tanquam iſti Dominum Chriſtum, veluti non legitimum filium perſecuti expulerunt? Sed in eo ſimilitudo & adumbrata eſt, quod iſti (vt dixi) veluti legis obſeruatores eum, qui contra præcepta legis facere videbatur, tanquam legitimi non legitimum, iure ſibi viſi ſunt eieciſſe: ſecundum hoc enim plebs illa dicta eſt fornicari, quod legis præcepta non ſeruans C tanquam viro non exhibebat fidem. Sic autem ſcriptum eſt de Iepthe: *Et creuerunt filij vxoris, & eiecerunt Iepthe.* Verbum, quod poſitum eſt, *Creuerunt*, ſignificat in figura, *præualuerunt*; quod in Iudæis impletum eſt, qui præualuerunt infirmitati Chriſti, quia ita voluit, vt ab eis, quæ oportebat, paſſione perferret, ſicut hoc idem ſignificans Iacob præualuit Angelo, (Gen. 32.) cum quo, vt id ipſum portenderet, luctabatur. Dixerunt ergo ad Iepthe: *Non hæreditabis in domo patris noſtri, quoniam filius mulieris fornicariæ tu*; tanquam dicerent, quod Euangelium loquitur: (Luc. 16.) *Non eſt iſte homo à Deo, qui ſic ſoluit ſabbatum*: Se autem velut iactantes legitimos filios, Domino dixerunt: (Ioan. 8.) *Nos ex fornicatione non ſumus nati vnum patrem habemus Deum.*

Et fugit Iepthe à facie fratrum ſuorum, & habitauit in terra Iob. Fugit, quoniam ſe, quantus eſſet, abſcondit; fugit, quoniam eos ſæuientes latuit. (1. Cor. 2.) *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem reſurgentis non viderunt. Habitauit autem in terra bona, D vel (vt expreſſius dicamus) optima; quod enim græce *Agaton*, hoc latine optimum dicitur. Id autem interpretatur, *Iob*, vbi mihi videtur intelligenda eius à mortuis reſurrectio: nam quæ terra magis optima, quam terrenum corpus excellentia immortalitatis ac incorruptionis indutum? Quod autem dicitur de Iepthe; quia poſteaquam fugiens à facie fratrum ſuorum, habitauit in terra Iob, colligebantur ad eum viri latrones, & ambulabant cum ipſo: quanquam & ante paſſionem obiectum fuerit Domino, (Matth. 9.) quod cum publicanis & peccatoribus manducaret, quando reſpondit non eſſe neceſſarium ſanis medicum, ſed ægrotis, (Iſa. 53.) & *inter iniquos deputatus eſt*, quando inter latrones crucifixus eſt, & vnum ex eis de cruce in Paradiſum tranſtulit: tamen poſteaquam reſurrexit, & eſſe cœpit ſecundum id quod ſupra expoſuimus, in terra Iob, collecti ſunt ad illum ſcelerati homines propter remiſſionem peccatorum, E qui cum illo ambulabant, quia ſecundum eius præcepta viuebant, neque hoc fieri deſinit vſque nunc & deinceps, quouſque ad eum confugiunt mali, vt iuſtificet impios, qui ad eum conuertuntur, & diſcant iniqui vias eius. Iam illud, quod hi, qui abiecerant Iepthe (erat enim Galaadites) conuerſi ſunt ad eum, & quæſiuerunt eum, per quem liberarentur ab inimicis ſuis, quam clara præfiguratione ſignificat, quod hi, qui abiecerunt Chriſtum, ad eum rurſus conuerſi, in illo reperiunt ſalutem. Siue illi intelligantur, quos Petrus Apoſtolus cum de ipſo ſcelere arguiſſet, (Act. 2.) ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, & hortatus eſſet, vt ad eum conuerterentur quem fuerant perſecuti, *compuncti ſunt corde*, & ab illo, quem à ſe alienauerant, deſiderarunt ſalutem. Quid eſt autem liberari ab inimicis, niſi à peccatis? Sic enim illis ait: (Ibid.) *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini Ieſu Chriſti, & remittentur vobis peccata veſtra*: ſiue illa potius ſignificetur, quæ in fine ſperatur, vocatio gentis Iſrahel: magis quippe ipſa videtur apparere in eo, quod dicitur; F *Et factum eſt poſt dies*; quod vtique poſt tempus ſignificat, & per hoc inſinuat, non illud intelligendum, quod recenti paſſione Domini eſt, ſed quod poſtea futurum eſt, quo videtur etiam id pertinere, quod ſeniores Galaad venerunt ad Iephte, vt per ætatem ſenilem poſteriora & nouiſſima tempora accipienda ſint. Interpretatur autem Galaad, *abijciens*, ſiue *reuelatio*, quorum vtrumque ſatis apte huic rei congruit, quia primo Dominum Chriſtum abiecerunt, eiſque poſtea reuelabitur.

Quod vero contra filios Ammon dux quærebatur Iephte, quibus victis liberarentur, qui eo duce aduerſus illos bellare cupiebant: quoniam interpretatur Ammon, *filius populi mei*, ſiue *populus mœroris*, profecto aut illi ſignificantur inimici, qui ex ipſa gente perſeuerantes in infidelitate prædicti ſunt, aut omnino omnes gehennæ prædeſtinati, (Matth. 8. & 22.) vbi erit eis fletus & ſtridor dentium tanquam populo mœroris. Quanquam populus mœroris etiam diabolus & Angeli eius non inconuenienter intelliguntur: ſiue quia æternam miſeriam eis, quos decipiunt, adquirunt; ſiue quia & ipſi æternæ miſeriæ deputati ſunt.

G Eleganter ſane ad exprimendam multo euidentius Prophetiam Iephte reſpondit ſenioribus Galaad: *Nonne vos odio habuiſtis me, & eieciſtis me de domo patris mei, & dimiſiſtis me à vobis? Et quid eſt, quod veniſtis, quando tribulati eſtis?* Tale aliquid figuratum eſt in Ioſeph, (Gen. 37. Gen. 42.) quem fratres vendentes abiecerunt & cum fame tribularentur, ad eius opem miſericordiamque conuerſi ſunt. Hic vero multo amplius elucet ſignificatio futurorum, quod non ipſi prorſus fratres, qui eiecerunt Iephte, ad eum venerunt, ſed Galaad ſeniores pro vniuerſo illo populo eidem ſupplicantes, ſicut eadem gens dicitur Iſrahel, ſiue in eis, qui tunc fuerunt, Chriſtumque reprobauerunt; ſiue in eis, qui ad eius opem poſtea reuerſi ſunt. Populo enim dicitur inimico, ſiue in maioribus, ſiue in poſteris ſuis longa odia trahenti atque ſeruanti, tandemque conuerſo, in eis, qui tunc conuerſuri ſunt: *Nonne vos habuiſtis odio me, & eieciſtis me de domo patris mei?* Hoc enim eis viſum eſt, qui perfecti ſunt, quod deiecerunt CHRISTVM de domo Dauid, H in qua regni eius non erit finis. (Luc. 1.) *Et dixerunt ſeniores Galaad ad Iephte: Non modo venimus ad te*; tanquam dicerent Iudæi conuerſi ad CHRISTVM: tunc venimus, vt perſequeremur: modo venimus, vt ſequamur. Profitentur etiam aduerſus inimicos eum futurum ſibi caput. Reſpondet ille, ſi eorum vicerit inimicos, quod erit eis in principem, quod Gedeon noluit, cum id Iſrahelitæ voluiſſent: reſpondit quippe illis: *Princeps veſter Dominus erit.* Rex enim nomine Principis ſignificatur, quod nondum habebat gens illa tempore Iudicum. Cœperunt autem habere Saulem, & deinceps alios ſucceſſores eius, qui in libris Regnorum leguntur. Nam in Deuteronomio cum eis præcipitur qualem debeant habere regem, (Deut. 17.) ſi hoc eis placuerit, non ibi Rex ſed Princeps appellatur. Sed quia iſte Iephte illum figurabat, qui verus eſt

Digitized by Google

A Rex, quod etiam in titulo ſcriptum fuit, qui cruci eius
adfixus, quem Pilatus delere vel emendare non auſus eſt:
1 Cor. 11. ideo credendum eſt, eſſe dictum; *Ero vobis in Principem:*
Eph. 5. illi autem dixerant; *Eris nobis in caput*: quoniam *caput viri
Chriſtus*, & *ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Denique poſtea-
quam eos liberauit Iephte ab omnibus inimicis, non eis
factus eſt Rex, vt intelligeremus illud, quod dictum eſt,
ad Propheriam potius pertinuiſſe de Chriſto, quam ad
ipſum proprie Iephte, de quo ſcriptura narrationem ita
concludit: *& iudicauit Iephte Iſrahel ſex annis, & mortuus eſt
Iephte Galaadites, & ſepultus eſt in ciuitate ſua in Galaad.* Iudi-
cauit ergo Iſrahel, ſicut & cæteri Iudices, non ibi regna-
uit, vt princeps, ſicut hi, qui Regnorum voluminibus
continentur. Iam vero poſteaquam eis idem Iephte dux
conſtitutus eſt, miſit nuncios ad hoſtes prius pacis verba
portantes: illud oſtenditur, quod ait Apoſtolus, in quo
Rom. 12. Chriſtus loquebatur: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum om-
nibus hominibus pacem habentes.* Verba porro ipſa, quæ man-
dauit Iephte, pertractare omnia nimis longum eſt feſti-
B nantibus nobis. Videntur tamen mihi ſic intelligenda,
quantum attinet ad ſignificationem futurorum, vt in eis
aduertatur doctrina Chriſti. Admonet nos quemadmo-
dum ſit ambulandum, hoc eſt, viuendum inter eos, qui
1. Tim. 2. non ſecundum propoſitum vocati ſunt: *Nouit enim Do-
minus, qui ſunt eius.* Iam vero quod, cum eſſet debellaturus
inimicos, factus eſt ſuper eum Spiritus Domini, ſignifi-
catur Spiritus ſanctus impertitus membris Chriſti. Quod
autem pertranſijt Galaad, & Manaſſe & tranſijt ſpecu-
lam Galaad, & ab ſpecula Galaad tranſijt ad filios Am-
mon: proficientia ſignificantur membra Chriſti ad vi-
ctoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe inter-
pretatur, *abijciens*, & Manaſſe, *neceſsitas tranſeundi.* Sunt er-
go à proficientibus abijcientes, id eſt, contemnentes
tranſeundi, & neceſsitas, ne forte cum tranſierit con-
temnentes qui proficit, cedat terrentibus. Tranſeunda
etiam ſpecula Galaad, quoniam Galaad etiã, *reuelatio*, in-
terpretatur. Eſt autem ſpecula altitudo ad proſpicien-
dum vel ad deſpiciendum, id eſt, deſuper aſpiciendum.
Specula itaque Galaad congruenter mihi videtur ſignifi-
C care ſuperbiam reuelationis, vnde dicit Apoſtolus: *Et in
2. Cor. 12. magnitudine reuelationum ne extollar.* Ergo & ipſa tranſeun-
da eſt, id eſt, non eſt in ea manendum, propter cadendi
periculum. His pertranſitis, facile ſuperantur inimici,
quod ſignificat dicẽdo: *Et ab Specula Galaad tranſijt ad filios
Ammon*, de quibus inimicis iam ſupra dictum eſt: *Et vo-
uit Iephte votum & dixit: Si traditione tradideris mihi filios
Ammon in manu mea, & erit, quicunque exierit de ianuis do-
mus meæ in obuiam mihi in reuertendo me in pace à filijs Ammon,
& erit Domino, & offeram eum holocauſtoma.* Quemlibet in
hoc loco cogitauerit, Iephte ſecundum cogitationem
humanam non videtur vnicam filiam cogitaſſe: alioqui
non diceret, cum illam cerneret occurriſſe: *Heu me, filia
mea, impediſti me, in offendiculũ facta es in oculis meis. Impediſti*
enim, ita dictum eſt, tanquam ad hoc ſe impeditum iudi-
cauerit, ne illud, quod cogitauerat, impleret. Sed quem
potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios
non habebat? An coniugem cogitauit. & vt hoc fieret,
D Deus noluit, & vt non relinqueret impunitum, ne quis
deinceps id auderet, & vt magna prouidentia ex hoc
quoque ipſo, quod accidit, ſacramentum Eccleſiæ figu-
raret. Ex vtroque igitur Prophetia coaptata eſt; ex eo,
quod vouens cogitauit, & ex eo, quod nolenti contigit.
Si enim coniugem cogitauit, coniunx Chriſti Eccleſia
Gen. 2. eſt: *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit
vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc ma-
Eph. 5. gnum eſt*, inquit Apoſtolus: *Ego autem dico, in Chriſto & in
Eccleſia.* Sed quia huius Iephte coniunx virgo eſſe non
potuit, in eo, quod filia potius occurrit, & inulta non re-
manſit, prohibitum ſacrificium vouentis audacia, & vir-
ginitas Eccleſiæ figurata eſt. Nec abhorret à vero, quod
filiæ nomine eadem ſignificatur Eccleſia. Nam cuius al-
terius typum gerebat etiam illa mulier, cui poſt tactam
fimbriam ſuam ſanatæ, ait Dominus: *Filia, fides tua te ſal-
Matth. 9. uam fecit, vade in pace?* Et certe, vnde nullus ambigit, diſci-
pulos ſuos ipſe ſponſi filios appellauit, ſe apertiſſime in-
dicans ſponſum: *Non poſſunt*, inquit, *ieiunare filij ſponſi,* E
quamdiu cum illis eſt ſponſus. Veniet autem dies, cum auferetur Ibid.
ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Holocauſtoma ergo erit
Eccleſia, quam virginem Beatus Apoſtolus appellat, 2. Cor. 11.
quando in reſurrectione mortuorum fiet in vniuerſa,
quod ſcriptum eſt: *Abſorpta eſt mors in victoria: tunc tradet* 1 Cor. 15.
regnum Deo & Patri (quod regnum ipſa Eccleſia eſt) ipſe,
cuius figuram vouens ille geſtabat. Sed quoniam tunc
fiet, cum completa fuerit ſexta ætas: ideo ſexaginta die-
rum à virginitate dilatio poſtulata eſt. Ex omnibus quip-
pe ætatibus Eccleſia congregatur, quarum prima eſt ab
Adam vſque ad Diluuium: ſecunda à Diluuio, id eſt, à
Noe, vſque ad Abraham: tertia ab Abraham vſque ad
Dauid: quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem in
Babyloniam: quinta ab hac tranſmigratione vſque ad
Virginis partum: ſexta inde vſque in huius ſeculi finem.
Per quas ſex ætates, tanquam per ſexaginta dies, fleuit
ſancta Virgo virginalia ſua, quia licet virginalia, tamen
fuerant peccata deflenda, propter quæ vniuerſa ipſa vir-
go toto orbe diffuſa cotidie dicit: *Dimitte nobis debita no-* F
ſtra. Eoſdem autem ſexaginta dies duos menſes maluit 1. Cor. 15.
appellare, quantum exiſtimo, propter duos homines;
vnum, per quem mors; alterum, per quem reſurrectio
mortuorum, propter quos etiam duo teſtamenta dicun-
tur. Quod vero factum eſt in præcepto in Iſrahel ex die-
bus in dies conueniebant lamentari filiam Iephte Galaa-
ditæ quatuor dies in anno, non puto ſignificare aliquid
poſt impletum holocauſtoma, quod erit in vitam æter-
nam: ſed præterita tempora Eccleſiæ, in quibus erant
beati lugentes. Quatriduo autem figurata eſt eius vni-
uerſitas propter quatuor partes Orbis, per quas longe
lateque diffuſa eſt. Ad hiſtoriæ vero proprietatem non
arbitror hoc decreuiſſe Iſrahelitas, niſi quia intelligebant
in ea re iudicium Dei magis ad percutiendum patrem
fuiſſe depromptum, ne tale vouere ſacrificium deinceps
vllus auderet: nam quare luctus & lamentatio decerne-
retur, ſi votũ illud lætitiæ fuit? Si autem & illud, quod popu-
lus Ephrem poſtea ab eodem Iephte debellatus eſt, ad
iudicium Dei, quod erit in fine, referendum eſt, ſicut
ipſe Dominus dicit; *Eos qui noluerunt me regnare ſibi, addu-* G
cite & interficite coram me: Nec ibi quadraginta duo millia, Luc 19.
quæ acciderunt vacante numero commemorata ſunt.
Sicut enim illi duo menſes propter ſexaginta dies ſena-
rium numerum ſex ætatum ſignificant: ita & ibi ſexies
ſeptenarius ductus hoc idem figurat, quantum ad ſex
ætates ſeculi pertinet: ſexies enim ſeptem quadraginta Cap. 12.
duo ſunt: nec fruſtra & ipſe Iephte ſex annis populum
iudicauit.

Erat autem vir quidam de Saraa, & de ſtirpe Dan, nomine XVI.
*Manue, habens vxorem ſterilem, cui apparuit Angelus Domini,
& dixit ad eam: Sterilis es, & abſque liberis, ſed concipies & pa-
ries filium. Caue ergo, ne vinum bibas, ac ſiceram, ne immundum
quicquam comedas, quia concipies & paries filium, cuius non
tanget caput nouacula, erit enim Nazaræus Dei ab infantia
ſua, & ex matris vtero, & ipſe incipiet liberare Iſrahel de manu
Philiſtinorum.* Quæri poteſt, quomodo dixerit Angelus ad
matrem Sampſon, cum adnunciaret ei filium futurum,
quia ſterilis erat: *Et nunc obſerua, & non bibas vinum & ſi-
ceram, non manduces omne immundum.* Quid eſt n. immun- H
dum, niſi forte diſſolutio diſciplinæ, quæ eſſe cœperat in
Iſrahel, & iam ad ea manducanda eos labefecerat, quæ
prohibuerat Deus in generibus animalium? Cur enim
non credatur etiam hoc eos multo procliuius facere po-
tuiſſe, qui etiam ad cultum idolorum tranſgrediebantur.
*Quæ cum veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad
me, habens vultum angelicum, terribilis nimis, quem cum inter-
rogaſſem, quis eſſet, & vnde veniſſet, & quo nomine vocaretur, no-
luit mihi dicere.* Quod mater Sampſon viro ſuo indicans,
quemadmodum illi Angelus adnunciauerit filium futu-
rum, dixit: *Et interrogabam eum, vnde eſſet, & nomen ſuum non
adnuntiauit mihi:* Quæri poteſt, vtrum verum dixerit,
quoniam non legitur, cum ei Angelus loqueretur? Sed
intelligendum eſt, hoc ibi Scripturam tacuiſſe, hic autem
commemoraſſe, quod ibi tacuerat. Illud etiam, quod non
ait: *interrogaui eum, quid vocaretur. & nomen ſuum non adnun-*

tiauit

A *cianit mihi*: ſed ait: *Interrogaui vnde eſſet*: videtur inconſequens, q. addit: Et *nomen ſuum non adnunciauit mihi*: non n. nomen eius interrogauerat, cum quæreret, vnde eſſet ſed locum vel ciuitatem, cum hominem putaret. Nam & hominem Dei eum appellauit, ſpecie tamen vel habitu Angelo ſimilem, hoc eſt, quia tam præclarum vidit, ſicut ipſa narrauit. Sed ſi ita diſtinguatur: *Et interrogabam eum, vnde eſſet & nomen ſuum*: vt ſubaudiatur, *interrogabam eum*, & poſtea inferatur, *non adnunciauit mihi*, non habet quæſtionem: ad vtrumque enim referri poteſt, quod ait: *Non adnunciauit mihi*, id eſt, vnde eſſet, nec nomen ſuum: ſed hoc reſpondit; *Ecce concipies & paries filium. Caue, ne vinum bibas ac ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo, erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex vtero matris vſque ad diem mortis ſuæ*, & cætera. Item, quod ait eadem mulier dictum ſibi eſſe ab Angelo, *quoniam*
Num. 6. *Nazaræus Dei erit puer, à ventre vſque ad diem mortis ſuæ*: non legitur ab Angelo dictum. Et quod legitur dictum: *Ipſe incipiet ſaluum facere Iſrahel de manu Philiſtiim*: non eſt
B à muliere commemoratum. Ita & aliquid non dixit, quod audiuit, & tamen nihil credenda eſt dixiſſe, quod non audiuit; ſed Scripturam potius non omnia verba Angeli poſuiſſe, cum ipſum mulieri loquentem ſereret narrationi. Ideo autem dictum eſt: *A ventre vſque ad diem mortis ſuæ*; quia Nazaræi dicebantur in lege ad tempus, qui votum habebant, ſecundum ea, quæ Scriptura per Moyſen præceperat. Vnde eſt hoc, quod huic iuſſum eſt, vt ferrum non aſcenderet in caput eius, & vinum & ſiceram non biberet; hoc enim tota vita ſua obſeruauit Sampſon, quod illi, qui vocati ſunt Nazaræi, certis diebus obſeruabant vouentes, votumque reddentes. *Dixitque Manue ad Angelum Domini, obſecro te, vt adquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hædum de capris. Cui reſpondit Angelus Domini: ſi me cogis, non comedam panes tuos. Sin autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino. Et neſciebat Manue, quod Angelus Dei eſſet*, & cætera. Quod dicit Scriptura, quoniam ignorauit Manue, quod Angelus Dei eſt: manifeſtum eſt, etiam eius vxorem hominem
C credidiſſe. Quod ergo ei dixit: *vis faciamus tibi nunc in conſpectu tuo hædum caprarum*: tanquam hominem inuitauit, ſed ita, vt hoc cum illo epularetur, quod ſacrificium feciſſet. Nam facere hædum caprarum non ſolet dici, niſi cum fit ſacrificium. Denique & ille ita reſpondit: *Si vim feceris mihi, non manducabo de panibus tuis*; vbi oſtendit, ſe fuiſſe ad epulas inuitatum. Deinde addidit: *Et ſi feceris holocauſtum, Domino offeres illud*: vtique ideo dixit: *ſi feceris holocauſtum*, quia ille dixerat: *faciamus in conſpectu tuo hædum caprarum*. Non autem omne ſacrificium holocauſtum erat: nam de holocauſto non manducabatur, quia totum incendebatur, & ideo vocabatur holocauſtum. Sed Angelus etiam non manducaturus, holocauſtum fieri potius admonuit, non tamen ſibi, ſed Domino, propter hoc maxime, quia gens Iſrahel illo tempore conſueuerat quibuslibet dijs falſis ſacrificare. Vnde & tunc offenderat Deum, vt traderetur inimicis per quadraginta annos. *Cumque aſcenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini in flamma pariter aſcendit. Quod cum vidiſſent Manue & vxor eius proni ceciderunt in terram, &*
D *vltra non eis apparuit Angelus Domini, ſtatimq; intellexit Manue Angelum Domini eſſe & dixit ad vxorem ſuam: Morte moriemur, quia vidimus Dominum*, & reliqua. Quid ſibi vult, quod poſteaquam manifeſtatus eſt Manue & vxori eius Angelus, qui cum eis loquebatur: dixit idem Manue vxori ſuæ: *Morte moriemur, quoniam Deum vidimus*, ex illa ſcilicet legis ſen-
Exod. 33. tentia, vbi ſcriptum eſt: *Nemo poteſt faciem meam videre & viuere*. Opinabatur ergo, vt homines, Deum ſe vidiſſe tanto vbique miraculo facto, quod in igne ſacrificij ſtetit, qui cum illis prius, quaſi homo, loquebatur. Sed Deum in Angelo, an Deum ipſum Angelum appellabant? Sic n. ſcriptum eſt: *Et ſumpſit Manue hædum caprarum, & ſacrificium obtulit ſuper petra Domino mirabilia facienti, & Manue & vxor eius expectabant. Et factū eſt, dum aſcenderet flamma deſuper altare ad cælum, & aſcendit Angelus Domini in flamma; quod cum vidiſſent Manue & vxor illius ceciderunt ſuper faciē ſuper terram, & non appoſuit vltra Angelus Domini apparere ad Manue & ad vxorem eius. Tunc cognouit Manue, quoniam Angelus Domini*
E *eſt, & dixit Manue ad vxorem ſuam: Morte moriemur, quoniam Deū vidimus*. In his ergo verbis, q. non dixit: *Morte moriemur, quoniā Angelū Domini vidimus: ſed: Deum vidimus*: oritur quæſtio, vtrum in Angelo intelligebant Dominum, an eundem Angelum Deum vocabant: Illud enim tertium, quod Deum putauerant, qui erat Angelus, dici non pōt, apertiſsime dicente Scriptura: *Tūc cognouit Manue, quoniam Angelus Domini eſt*. Sed vnde metuebant mortem? Non n. Scriptura in Exodo dixerat: *Nemo videbit faciem Angeli, & viuet*; ſed, *faciem meā dixit*, cum Deus loqueretur. An & in hoc ipſo, q. in Angeli præſentia Deum cognouerat Manue, ita perturbatus eſt, vt timeret mortē. Quod antē illi vxor ſua reſpondit: *Si vellet Dominus mortificare nos, non accepiſſet de manu noſtra holocauſtoma, & ſacrificiū, nec illuminaſſet nobis omnia hæc, ſed nec audita feciſſet nobis hæc*: vtrū ipſum Angelum crediderūt accepiſſe ſacrificium, quia viderunt eum in altaris flamma ſtetiſſe? An per hoc intellexerūt accepiſſe Dñm, quia hoc fecit Angelus, vt ſe oſtenderet Angelum? Quodlibet aūt horum ſit, iam tñ Angelus dixerat:
F *Si autem facis holocauſtum, Domino offer illud* hoc eſt, non mihi, ſed Dño. Quod ergo ſtetit Angelus in altaris flamma, magis ſignificaſſe intelligendus eſt, illum magni conſilij Angelum in forma ſerui, hoc eſt, in homine, quem ſuſcepturus erat, non accepturū ſacrificium, ſed ipſum ſacrificium futurum. Quid eſt, q. ad viſionem Angeli vir fit timidus, & mulier audax? Niſi q. nobis quoties cœleſtia demonſtrātur, ſpiritus quidem pauore ſe concutit; ſe tñ ſpes præſumit. Inde namq; ſpes ad maiora audenda ſe erigit, vnde turbatur ſpiritus, qui ea, quæ ſuperna ſunt, prior vidit; quia cum altiora ſecretorum cœleſtium ſubleuata mens conſpicit, cuncta humanarum virium ſoliditas contremeſcit.

Aſcenderuntq; Philiſtiim & combuſſerunt tam mulierē quam XVII.
patrem eius, quib. ait Sampſon: licet hoc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem. & tunc quieſcam percuſſitq; eos ingenti plaga ita vt ſtupentes ſuram fæmori imponerent. Et deſcendēs habitauit in ſpelunca Petra Etham. Hoc in editione LXX. interpretatū legitur: *Percuſſit alienigenas Sampſon tibiā ſuper femur*. Quid eſt, q. dictum eſt, q. percuſſit alienigenas Sampſon
G tibiam ſuper femur? Quis n. habet tibiam ſuper femur, cum tibia deorſum verſus nō ſit, niſi à genu vſq; ad talum? Deinde ſi locum corporis ſignificaret, vbi eos vulnerauit: nunquidnam omnes, quos percuſſit, in vno corporis loco fuerat vulneraturus? Quod ſi eſſet credibile, poſſemus forſitan ſuſpicari, eū pugnaſſe tibia alicuius animalis, tanquam fuſte, & ea illos ſuper femur percuſſiſſe, ſicut de illo ſcriptum eſt, quod maxilla aſini mille occiderit. Sed neq; illud (vt dixi) credibile eſt, quod pugnans vnum tantum locum obſeruauerit, vbi eos percuteret. Et non ait Scriptura; percuſſit eos tibia ſuper femur. Nimirum ergo inuſitata locutio facit obſcuritatem: ita n. dictum eſt, ac ſi diceretur; percuſſit eos valde mirabiliter, id eſt, vt admirando ſtupentes tibiam ſuper femur ponerent, tibiam ſcilicet vnius pedis ſuper femur alterius, ſicut ſolent ſedere, qui mirando ſtupent: tanquam ſi diceretur, percuſſit eos manum ad maxillam, id eſt, tanta cæde, vt manum ad maxillam triſti admiratione ponerent. Hunc ſenſum ita ſe habere, etiam interpretatio, quæ eſt ex Hebræo, ſatis edo-
H cet; nam ita legitur: *Percuſſit eos ingenti plaga, ita vt ſtupentes ſuram femori imponerent*; tale eſt enim, ac ſi diceret, tibiam femori imponerent, quoniam ſura vtique retrorſus cum tibia eſt.

XVIII. *Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etham, dixeruntque ad Sampſon: Neſcis, quod Philiſtiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: ſicut fecerunt mihi, feci eis. Ligare, inquiūt, te venimus, & tradere in manus Philiſtinorum. Reſpondit: Iurate mihi, quod me non occidatis*, & reliqua. Septuaginta: *Et ait Sampſon viris Iuda: Iurate mihi, ne interficiatis me vos, & tradite me eis, ne forte occurratis in me vos*. Quid eſt, quod ait Sampſon viris Iuda; *Iurate mihi, ne interficiatis me vos, & tradite me vis, ne forte occurratis in me vos?* Quam locutionem ita nonnulli interpretati ſunt; *ne forte veniatis aduerſum me vos*. Sed hæc cum, ne ab his interficeretur, dixiſſe, illud indicat, q. in Regnorum

ſcriptum

A ſcriptum eſt, iubente Salomone, vt homo occideretur, & dicente: *Vade, occurre illi*; quod ideo non intelligitur, quia non eſt conſuetudinis apud nos ita dici. Sic enim quod 3 Reg. 2. militares poteſtates dicunt: *Vade alleua illum*, & ſignificat, *occide illum*, quis intelligat? niſi qui illius locutionis conſuetudinem nouit. Solet & vulgo apud nos dici: *compendiabit illi*, quod eſt, *occidet illum*: & hoc nemo intelligit, niſi qui audire conſueuit. Hæc eſt enim vis generalis omnium locutionum, vt quemadmodum ipſæ linguæ, non intelliguntur, niſi audiendo vel legendo diſcantur. *Inuentamq́, maxillam*, id eſt, mandibulam *aſini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros. & ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos. & percuſſi mille viros*, & reliqua. Quorum hic per maxillam aſini, niſi prædicatorum Eccleſiæ, perſonæ ſignantur? Redemptor enim noſter ſimplicitatem atque patientiam prædicantium ſuæ manu virtutis tenens à vitiis ſuis carnalibus interfecit; &, maxilla in terram proiecta, poſtmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monſtrauere miracula.

B XIV. Cap. 16. *Abijt quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam. Quod cum audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Sampſon: circumdederunt eum, impoſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes vt facto mane exeuntem occiderent. Dormiuit autem Sampſon vſque ad noctis medium. Et inde conſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron*, & reliqua. Quem in hoc facto, niſi redemptorem noſtrum, Sampſon ille ſignificat? Quid Gaza ciuitas, niſi infernum, ſignat? Quid per Philiſthæos, niſi Iudæorum perfidia, demonſtratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, eiuſque corpus in ſepulchro iam poſitum; cuſtodes illico deputauerunt, & eum, qui auctor vitæ claruerat, in inferni clauſtris retentum, quaſi Sampſon in Gaza, ſe deprehendiſſe lactati ſunt, Sampſon vero nocte media non ſolum exijt, ſed etiam portas ciuitatis tulit, quia Redemptor noſter videlicet ante lucem reſurgens, non ſolum liber de inferno exijt, ſed ipſa etiam inferni clauſtra de-

C ſtruxit, portas tulit, & montis verticem ſubijt, quia ſurgendo clauſtra inferni abſtulit, & aſcendendo cœlorum regna penetrauit. Sampſon diuina promiſſione generatur, ſpiritum comitantem habebat. Sic enim legimus, quia benedixit eum Dominus, & cœpit ſpiritus Domini comitari cum eo in caſtra: & ideo futurum præuidens ſacramentum, ex alienigenis poſcebat vxorem, quod pater eius ac mater (vt ſcriptum eſt) ignorabant, quoniam à Domino eſt, meritoque fortior exteris habebatur, quia eum Spiritus Domini dirigebat, quo duce ſolus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem, fortitudine inſuperabilis, diſcerptum manibus, diuidebat. Vtinam tam cautus ad ſeruandam gratiam, quam fortis ad ſuperandam beſtiam! Et fortaſſe hoc non ſolum virtutis miraculum, ſed etiam ſapientiæ myſterium, prophetiæ oraculum fuit. Neque enim otioſum videtur, quod, cum contenderet ad myſterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei, quem manibus ille diſcerpſit, in cuius corpore connubio potiturus optato, congregationem apum re-

D perit, & mel ſuſtulit de ore eius, quod patri edendum tribuit, & matri. Habebat populus gentium mella, quia credidit, qui corpus feritatis erat ante, nunc Chriſti eſt. Nec ipſa vacat quæſtio ſacramentis, quam propoſuit ſatellitibus ſuis, dicens: *De edenti exiuit eſca, & de potente exiuit dulce*: Denique eo vſque myſtica, vt tribus diebus eius reuelatio quæreretur, quæ non potuit, niſi per fidem Eccleſiæ, die ſeptima, completo legis tempore, poſt paſſionem Domini reuelari. Sic enim habes, quia & Apoſtoli ideo non intelligebant, quia Ieſus nondum fuerat honorificatus. *Quid*, inquit, *dulcius melle? & quid fortius leone?* Ad quæ ille reſpondit: *Si non domuiſſetis vitulam meam, non inueniſſetis quæſtionem meam*. O diuinum myſterium! O euidens ſacramentum! Euaſimus interemptorem, potentem vicimus. Ibi nunc cibus vitæ eſt, vbi erat ante miſera fames mortis, in ſalutem pericula, in ſuauitatem amaritudo conuertitur, gratia ex offenſione proceſſit, poten-

E tia ex infirmitate, vita de morte. Sunt tamen, qui contrario putent fundari non potuiſſe coniugium, niſi occiſo leone de tribu Iuda: & ideo in corpore eius, hoc eſt Eccleſia, apes repertas, quæ condunt mella ſapientiæ, quia poſt Domini paſſionem magis Apoſtoli crediderunt. Hunc igitur Leonem Sampſon quaſi Iudæus occiderit, ſed in eo mel quaſi in figura redimendæ hæreditatis inuenerit, vt reliquiæ ſaluæ fierent ſecundum electionem Rom. 11. gratiæ. *Et cecidit*, inquit *ſuper eum Spiritus Domini, & deſcendit in Aſcalonem, & percuſſit inde triginta viros*. Neque enim poterat victoriam non tenere, qui ſacramenta cernebat. Accipiunt itaque in ſcholis primum ſapientiæ conuerſationis inſigne, qui abſoluunt, & renunciant quæſtionem, turtius hic alio obruunt myſterio, quod vxor eius aufertur. Et ideo vulpes incendunt manipulos alienigenarum; eos enim, qui aduerſus diuina ſacramenta contendunt, decipere ſua conſueuit aſtutia. Vnde iterum dicit in canticis canticorum: *Prehendite nobis vulpes puſillas,* Cant. 2. *exterminantes vineas, vt vinea noſtra floreant*. Bene puſillas vineas dixit: quia maiores vineas exterminare non poterant, licet fortibus, & diabolus ſit puſillus, ergo ille (vt

F compendium faciamus hiſtoriæ, ſuo enim tempori totius lectionis digeſtio reſeruanda eſt) inuictus, quamdiu habuit gratiam ſpiritalem, ſicut Dei populus ille electus à Domino, ille Nazaræus in lege. Inuictus ergo Sampſon, atque ita inſuperabilis, vt in maxilla aſini viros mille percuteret, ita plenus gratiæ cœleſtis; vt etiam aquam in maxilla aſini ſitiens reperiret, ſiue hoc ad miraculum conferas, ſiue ad myſterium vertas, quod in populi foret humilitate gentilis, & requies & triumphus, iuxta quod ſcriptum eſt: *Qui te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi* Matth. 5. *& alteram*: Per hanc enim iniuriæ patientiam, quam erudiunt ſacramenta Baptiſmatis, de quibuſdam ſtimulis iracundiæ triumphamus, vt morte obita reſurrectionis requiem conſequamur. Ille ergo Sampſon, qui funes intextas neruis, qui nouas reſtes, ſicut mollia fila, diſſoluit: ille Sampſon, qui crinium ſuorum palo conſtricta defixo vincula non ſenſit, quamdiu habuit gratiam ſpiritalem: is (inquam) poſteaquam Spiritus Dei diſceſſit ab eo, lon-

G ge mutatus ab illo Sampſone; qui rediit Allophylorum indutus exuuias, in mulieris genibus virtutis ſuæ degener conligatus & captus in iuſto crine tondetur. Tantumne ergo momenti crines habuere capitis vt manentibus his, virtus multa duraret: tonſo autem capite fortitudo omnis viri ſubito ſolueretur? Non ita eſt, vt tantam vim corporalium capillorum putem. Sunt quidam crines religionis & fidei, crines Nazaræi in lege perfecti, in parſimonia & abſtinentia conſecrati, quibus illa in typo Eccleſia, quæ pedes Domini oleo perfuderat, verbi cœleſtis veſtigia detergebat, tunc eum & ſecundum carnem nouerat Chriſtum, iuxta videlicet crines (de quibus dicitur: capillatura tua, vt greges caprarum) ex illo Cant. 4. capite pullulantes, de quo dictum eſt: *caput enim viri Chri-* 1 Cor. 11. *ſtus*. Et alibi: *Caput eſt aurum Ceſ.* 2. *crines eius ut abietes nigri & boni*. Abietes nauis ſuis quæ fluctibus ſupernatent mundi tutum remigium ſalutis exhibeant. Vnde in Euangelio Dominus noſter viſibilis capitis & intelligibiles capillos quoſdam eſſe ſignificans ait: *Sed & capilli capitis* Matth. 10.

H *veſtri à Deo omnes numerati ſunt*, ſpiritalium videlicet ſignificans facta virtutum. neque enim de capillis noſtris cura eſt Deo. Quanquam & illud non abſonum ſit exiſtimari, quia pro maieſtate diuina eum latere nihil poſſit. Sed quid mihi prodeſt, ſi Deus omnipotens meos nouit capillos? Illud mihi redundat & proficit, ſi bonorum operum peruigil teſtis remunerationem gloriæ donet æternæ. Denique & ipſe per Sampſon non corporales, ſed intelligibiles hos capillos declarans ait: *Et ſi tonſus fuero, diſcedet à me virtus mea*. Hoc de myſterio eſt. Nunc nos lectionis ſeriem conſideremus. Supra habes, quia *benedixit eum Dominus, & cœpit Spiritus comitari cum eo*. Infra ait: *Et decidit ſuper eum Spiritus Domini*. Iterum ait: *Et ſi tonſus fuero, diſcedet à me virtus mea*. Poſteaquam tonſus eſt, vide Scriptura quid dicat; *Dominus*, inquit, *diſceſſit à me*. Vides ergo, quia ille, qui comitabatur, ipſe diſceſſit. Idem eſt ergo Dominus, qui Spiritus Domini, hoc eſt, ipſum Spiritum Dei,

Dominum

Digitized by Google

A Dominum nuncupauit, ſicut & Apoſtolus ait: *Dominus enim Spiritus eſt; vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas.* 2.Cor.3. Habes ergo Dominum. Dicit etiam Spiritum ſanctum; nõ enim vnus, ſed vnum ſunt Spiritus ſanctus & Filius. Hoc quoque loco virtutem dixit, & Spiritum ſignificauit. Sicut enim Pater virtus, ita & Filius virtus, & Spiritus ſanctus virtus eſt. 1.Cor.1. De Filio legiſti, Chriſtum Dei virtutem eſſe atque ſapientiam. Legimus etiam, quod virtus eſt Pater, Matth.26. ſicut ſcriptum eſt: *Videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram virtutis.* Hic vtique virtutem Patrem dixit, cuius ad dexteram Filius ſedet ſicut habet: Pſal.109. *Dixit Dominus Domino meo: ſede ad dextera͂ meam.* Virtutem etiam Spiritum ſanctum ipſe Dominus nuncupauit, dicens: Act.1. *Accipietis virtutem, aduenientem in vos Spiritu ſancto*: ipſe enim Spiritus virtus eſt.

Sampſon autem cum apprehendiſſent Philiſtijm, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt. Secundum eſt, quod aliquando prius oculus obtunditur, & poſtmodum captus animus per exteriora deſideria vagatur, vt cæca mens, quo B ducatur, neſciat, & carnis ſuæ illecebris ſeſe libenter ſubdat: Aliquando vero prius deſideria carnis ebulliunt, & poſt longum vſum illiciti operis oculum cordis claudunt. Nam ſæpe mens recta cernit, nec tamen audenter contra peruerſa ſe erigit, & renitens vincitur, dum hoc ipſum, quod agit, diiudicans, carnis ſuæ delectatione ſuperatur. Quia enim plerumque prius oculus contemplationis amittitur, & poſt per carnis deſideria huius mundi laboribus animus ſubiugatur, teſtatur Sampſon ab Allophylis captus, qui poſtquam oculos perdidit, ad molam deputatus eſt, quia nimirum maligni Spiritus poſtquam temptationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foris in circuitum laborum mittuntur.

XX. *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextra, & alteram læua tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philiſtijm, concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multoſque plures interfecit moriens, quam antea viuus occiderat,* C & reliqua. Cuius hoc loco per Sampſon, niſi redemptoris noſtri, perſona ſignatur? Sampſon enim dum viueret, paucos occidit; euerſo vero templo, maximam aduerſariorum ſuorum multitudinem etiam ipſe moriens ſtrauit. Et, Domino noſtro prædicante, pauci ex plebe Iſraelitica crediderunt: innumeri vero gentium populi viam vitæ illo moriente ſecuti ſunt. Superbos namque, dum adhuc paſſibilis viueret, pertulit; à paſſibili vero vita mortuus ſtrauit, Hunc vero Sampſon in ſemetipſo dudum figuraliter expreſſit, qui paucos quidem, dum viueret interemit: deſtructo autem templo, hoſtes innumeros, cum moreretur, occidit; Quia nimirum Dominus ab elatione ſuperbiæ paucos cum viueret; plures vero, cum templum ſui corporis ſolueretur, extinxit, atque electos ex gentibus, quos viuendo ſuſtinuit, ſimul omnes moriendo proſtrauit. Et vt breuiter ſimul omnia, quæ de Sampſon dicta ſunt, colligam: allegoricè Sampſon, quondam Domini Nazaræus, habet quiddam in typum Chriſti geſtum. Primum, quod ab Angelo natiuitas eius adnunciatur. D Deinceps, quoniam Nazaræus dicitur, & ipſe liberat Iſrahel de hoſtibus. Poſtremo, quod templum illorum ſubuertit, & perierunt multa millia hominum, qui illum illuſerunt. Natiuitas iſta Sampſon, quæ per Angelum adnunciatur, ſimilitudinem habet primum prophetarum, qui natiuitatem Domini ſecundum carnem adnunciauerunt: deinceps etiam Angeli, Luc.1. qui ad Mariam loquitur, dicens: *Maria inueniſti gratiam ante conſpectum Domini, & accepiſti in vtero, & paries filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; hic n ſaluum faciet populum à peccatis eorum.* Sampſon aũt interpretatur, *Sol.* Sed quia & Redemptor noſter Sol appellatur, audi ipſum Dominum Mal.4. Ieſum per Prophetam eo nomine vocari: *Orietur vobis Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius*: Vere enim hic Sol iuſtitiæ eſt, qui omnium credentium mentes cœleſti lumine clarificat: hic verè Nazaræus & Sanctus Dei, cuius in ſimilitudinem ille Nazaræus eſt nuncupatus. Iſte ergo cum tenderet ad myſterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei. Sed

E quis primum erat in Sampſon, obuium leonem necans, cum petendæ vxoris cauſa ad alienigenas tenderet, niſi Chriſtus, qui, Eccleſiam vocaturus ex gentibus dicit: Ioan.16. *Gaudete, quia ego vici mundum.* Quid ſibi vult ex ore eius leonis occiſi fauus extractus, niſi, quia (vt conſpicimus) gentes ipſæ regni terreni, quæ aduerſus Chriſtum ante fremuerant, nunc iam perempta feritate dulcedine Euangelicæ prædicationis etiam monuméta præbent? Item quod in ſemetipſo expreſſit, quod paucos quidem, dum viueret, interemit: deſtructo autem templo, hoſtes innumeros, cum moreretur, occidit: quia nimirum Dominus ab elatione infidelitatis paucos cum viueret, plures vero, cum templum ſui corporis ſolueretur, extinxit, atque elatos ex gentibus, quos viuendo ſuſtinuit, ſimul omnes moriendo proſtrauit. Iam vero reliqua eius, quod ei mulier ſubdola caput raſerit, & Allophylis illudendum tradiderit, quod captiuatus eſt, quod cæcatus eſt, quod ad molam deputatus eſt: in his non Chriſtus, ſed illi figurantur, qui ſolo tantum in Eccleſia Chriſti nomine gloriantur, & malis actibus iugiter implicantur. F Vir enim in nobis ſenſus rationalis intelligitur, caro autem quaſi in typo mulieris accipitur. Si enim mulieri, id eſt, carni noſtræ blandiente libidine vel reliquis malis operibus ceſſerimus; gratia Spiritus, quæ Nazaræi crine ſignificatur, nudati exſpoliamur, atque decipimur: ita enim ſuperbis & peccatoribus, violata Chriſti gratia, ſicut Sampſon inciſa coma, diabolus illudit. Sed quid eſt, quod Sampſon ille ab Allophylis captus, poſteaquam oculos perdidit, ad molam deputatus eſt: Niſi quod maligni ſpiritus poſtquam temptationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foris hominem in circuitum laborum mittunt? ſicut iam ſupra dictum eſt. Quod ſi aliquando idem homo agendo pœnitentiam redeat, ille, velut coma, reducitur, id eſt, gratia refloreſcente reparatur ad virtutem: deinde, cupiditatis ac luxuriæ ſubuerſis columnis, victores hoſtes deijcit, &, reparato certamine, in finem fortiſsime de omnibus triumphabit.

XXI. Cap.20. *Egreſſi ſunt itaque omnes filij Iſrahel & pariter congregati, quaſi vir vnus, de Dan vſque Berſabee & terra Galaad ad Dominum in Maſpha, omneſque anguli populorũ, & cuncta tribus Iſrahel in Eccleſiam populi Dei, conuenerunt quadraginta millia peditum pugnatorum,* G & reliqua. Quod tribum Beniamin in carnis ſcelere deiectam dum collectus omnis Iſrahel vlciſci voluiſſet, prius ipſe proſtratus eſt, & tunc peccatricem tribum funditus extinxit: ſignificat, quod is, qui ſemetipſum prius non iudicat, quid in alio rectum iudicet, ignorat: & ſi nouit fortaſſe per auditum, quod rectum iudicare debeat, recte tamen iudicare aliena merita non valet, cui conſcientia innocentiæ propriæ nullam iudicij regulam præbet. Hinc eſt, quod, cum tribus Beniamin in carnis ſcelere fuiſſet obruta, collectus omnis Iſrahel vlciſci iniquitatem voluit: ſed tamen ſemel & iterum in belli certamine ipſe proſtratus eſt. At conſulto Domino, ſi ad vlciſcendum ire debuiſſent, iuſſum eſt, quia iuxta diuinæ vocis imperium perrexit, & ſemel, & ſecundum perdidit, & tunc demum; peccatricem tribum valde feriens, pene funditus extinxit. Quid eſt ergo, quod in vltionem ſceleris inflammatur, & tamen prius ipſe proſternitur? H Niſi quod prius ipſi purgandi ſunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, & ipſi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant: Vnde & inſidiantibus quibuſdam & puniendam adulteram deducentibus dicitur: Ioann.8. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*: ad aliena quippe ibant peccata punienda, & ſua reliquerant; reuocentur itaque intus ad conſcientiam, vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant: Vnde neceſſe eſt, vt, cum contra nos vltio diuini examinis ceſſat, noſtra ſe conſcientia ipſa reprehendat, atque ad lamenta pœnitentiæ ipſa ſe contra ſemetipſam erigat, nec contra bonos elata, & ſibi humilis; ſed contra ſe rigida ſit, bonis vero omnibus ſubmiſſa.

Finis Commentariorum in Librum Iudicum.

A E

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, COMMETARIVS IN LIBRVM RVTH.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

B *TRanſitus Elimelech & Noemi vxoris ſuæ cum duobus liberis de Bethleem Iuda in terram Moab, vt peregrinaren turibi.* I.

Quod, ibi eis morantibus 10. annis, ambo liberi eorum mortui ſunt; Mahalon videlicet & Chelion, manſit mulier orbata duobus liberis ac marito. II.

Quod egreſſa Noemi de loco peregrinationis ſuæ, cum vtraque nuru in terram Iuda reuerti diſpoſuit, nuruſque ſuas regredi in terram natiuitatis ſuæ ſuaſit. III.

Quod, Orpha reuertente, Ruth cum Noemi permanſit ac in terram Iuda peruenit. IV

Quod meſſis hordeariæ tempus tunc erat, quando Noemi cum Ruth nuru ſua reuerſa eſt in Bethleem. V.

C *De eo, quod Booz cognatus Elimelech, videns Ruth colligentem ſpicas remanentes poſt meſſores ſuos, ſciſcitatus eſt, quæ eſſet hæc mulier.* VI.

Quod Booz iubet Ruth in agro ſuo ſine moleſtia cuiuſlibet ſpicas colligere, eamque ad prandium vocauit. VII.

De eo, quod Ruth vſque ad veſperam in agro morans, &, quæ collegerat, virga excutiens inuenit tres modios, quos portans, reuerſa eſt ad Socrum ſuam. VIII.

Conſilium Noemi ad Ruth, qualiter ſibi prouideat per ingenium futuras nuptias Booz. IX.

Quod Ruth obediens conſilio ſocrus ſuæ, notauit locum, vbi Booz dormiebat, & veniens, iuxta pedes eius ſe proiecit. X.

Reuerſio Ruth ad ſocrum, quæ portauit ſocrui ſuæ omnia quæ facta fuerant XI.

D *De aſcenſu Booz ad portam ciuitatis, & collocutio eius ad conſanguineum ſuum, de accipienda Ruth, vt ſuſcitet ſemen conſanguinei ſui defuncti.* XII.

Quod ipſe nolens coram teſtibus ſoluebat homo calceamentum ſuum de pede, & tradebat Booz. XIII.

Quod Booz coram teſtibus firmauit nuptias Ruth, & quod ei cuncti deprecabantur proſpera. XIV.

De eo, quod Ruth peperit filium Booz, nomine Obed quem Noemi ponens in ſinu ſuo, nutricis ac gerulæ officio fungebatur. XV.

Recapitulatio generationis Booz à Phares filio Iuda vſque ad Dauid filium Ieſſe. XVI.

COMMENTARIVS. F

SCrutantibus ergo hiſtoriam Ruth, ſupplicandum nobis eum eſſe cenſemus, qui de eius ſtirpe naſci voluit, & homo inter homines conuerſari, qui idem & Deus eſt, vt ſua gratia nos illuſtrare dignetur, quatenus aliqua de ipſa hiſtoria ſenſu myſtico ad laudem eius, & ad vtilitatem ſanctæ Eccleſiæ oportune nos proferre concedat: vt totum ſit ipſius muneris, & quod alienigena populo Dei dignanter adſociata eſt, & quod elinguis bonitatem ac miſericordiam Dei prædicare permiſſus eſt. Vnde primum conſideremus, quid illud ſignificet, quod in capite ipſius hiſtoriæ ſcriptum eſt:

In diebus vnius Iudicis, quando Iudices præerant, facta eſt fames in terra Quid enim ſignificat fames iſta in terra in diebus Iudicis vnius: niſi quod ob raritatem ſpiritalium doctorum & magiſtrorum populi Dei, quibus iudicandi auctoritas eſt delegata, fames non panis nec cibi, ſed audiendi verbum Dei in terra nata erat Synagogæ, quando lex ipſa per iudaicas traditiones corrupta eſt, ac Pſalmi atque Prophetæ, nec non & hiſtoriæ diuinæ non ſecundum ſuam proprietatem veraciter intellectæ, ſed ſecundum carnalem ſenſum ſtulta interpretatione confuſa ſunt. *Abijt itaque homo de Bethleem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore ſua & duobus liberis.* Hunc hominem quidam Decalogum legis intelligi voluerunt, vxorem autem eius Synagogam, & duos filios, duos honores ſiue ordines dignitatum, qui temporibus veteris teſtamenti regiminis loco dominari videbantur, hoc eſt, Regalis honor, atque Sacerdotalis. Iſti quippe ordines non ſolum in gente Iudæorum, ſed & in cæteris nationibus iure poteſtatis excellebant, atque ideo duarum plebium, Iſrahelitarum videlicet & Proſelitorum, quodammodo ſibi copulam adquirebant, ſicut temporibus Dauid, & Salomonis atque aliorum regum factum eſt. Alij autem ipſum hominem ad Dominum Ieſum Chriſtum referunt, qui per virginem natus in Bethleem Iuda, peregrinationem huius mundi viſitare voluit cum vxore ſua, ſancta videlicet Eccleſia, quam exibuit ſibi formoſam, non habentem maculam aut rugam, & cum duobus liberis, quos intelligere poſſumus duos ordines, hoc eſt, Prophetarum & Apoſtolorum, qui bene liberi dicuntur, quia Redemptoris noſtri ſanguine à peccati iugo & vetuſta ſeruitute liberati eſſe noſcuntur.

I. Amos 8. G H Eph. 5.

Ipſe vocabatur Elimelech, vxor autem eius Noemi, & duo filij, alter Maalon, & alter Chelion, Ephrathei de Bethleem Iuda. Elimelech quippe interpretatur, *Deus meus.* Et quis hoc nomine melius cenſeri poteſt nominatus, quam Saluator noſter? ad quem Pſalmiſta ait: *Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus.* Et Apoſtolus: *Quorum patres,* inquit, *& ex quibus Chriſtus ſecundum carnē, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Vxor autē eius vocabatur Noemi, hoc eſt, *pulchra*, cui ſponſus in cantico canticorum ait: *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Hieruſalem: terri-*

Pſal 5. Rom. 9. Cant.

bilis,

Digitized by Google

A *bilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Duo autem filij Elimelech erant Maalon & Chelion; quorum prior interpretatur, *de feneſtra*, ſiue *à principio*; alter autem, *conſummatio*. Sed prior bene poteſt per typum Prophetas exprimere; quia per ipſos, quaſi de feneſtra, primum fidei lumen in orbem proceſſit: ac ipſi veri luminis, quod eſt Chriſtus, primi *Ioan. 1.* *Luc. 2.* prædicatores fuere. Sequens vero, qui interpretatur, *conſummatio*, demonſtrat Apoſtolus, qui hoc, quod Prophetæ per ænigma deſignauerunt, apertis vocibus explanauerunt, atque ad conſummationem pleni intellectus perduxerunt: *Luc. 10.* ad quos ipſa veritas in Euangelio ait: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & iuſti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Iſti ergo merito Efrathei & de Bethleem Iuda exorti memorantur, quia pane cœleſti ſatiati per prædicationem Euangelij fructus colligebant credentium populorum. Efratheus ergo *frugifer*, & Bethleem *domus panis*, atque Iuda *confeſſio* dicitur. Præcepit ergo Dominus *Luc. 9.* B diſcipulis ſuis in Euangelio, vt turbas ipſi reficerent, dicens eis: *Vos date illis manducare.* Et item: *Euntes*, inquit, *Mar. 16.* *prædicate Euangelium regni.* Et item; *Ego*, ait, *elegi vos de* *Ioan. 15.* *mundo, vt eatis, & fructum aſferatis, & fructus veſter maneat.*

Ingeſſiſque regionem, Moabitidem morabantur ibi. & mortuus eſt Elimelech maritus Noemi. Ordinatis ergo ab ipſo Domino doctoribus & ad ſalutem hominum deſtinatis, qui in Iudæa primitus, ſecundum præceptum Domini, oues, quæ perierant domus Iſrahel, requirere certabant, ſubito paſſio interuenit Redemptoris, qui poſteaquam reſurrexerit à mortuis, cum carne, quam aſſumpſit de homine pro hominibus, aſcendit in cœlum, & ſedit in dextera Dei, remanſitque ſponſa ipſius, hoc eſt, ſancta Eccleſia in incolatu iſtius mundi, cum filijs ſuis, ſanctis vtique doctoribus, qui acceperunt vxores Moabitides, quarum vna vocabatur *Orfa*, & altera *Ruth*, cum Apoſtoli & prædicatores Sancti duarum plebium ſibi aſſociabant conſortium, quia alij ex ipſis directi ſunt ad prædicandum in circumciſionem, alij vero ad gentes conuocandas in ſocietatem fidei. Vnde Apoſtolus Paulus ad Galatas ſcribens, C ait: *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu Circumciſionis,* *Gal. 2.* *operatus eſt & mihi inter Gentes. Et cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi; Petrus & Iacobus & Iohannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ Societatis: vt nos in gentes, ipſi autem in Circumciſionem*, & cætera. Quod bene ipſa nomina mulierum exprimunt; Orfa enim interpretatur, *ceruix eius*, Ruth vero, *videns* vel *feſtinans* ſiue *deficiens*. Et quid per Orfam, niſi credentes ex Iudæis deſignantur? qui ceruicis nomine rite nuncupantur; quia robur fidei, & fortitudinem bonæ operationis poſt reſurrectionem Domini ipſi primi acceperunt, vnde & de primitiua in *Act. 4.* Hieruſalem Eccleſia ſcriptum eſt: *Quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Quid autem per Ruth, quæ videntis vel feſtinantis vel definientis nomine decoratur, niſi obedientia & crudelitas gentium monſtratur? de qua Dominus per Pſal- *Pſal. 17.* miſtam ait: *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi. Ab audi-* *Pſal. 67.* *tu auris obedieunt mihi.* Et item: *Æthiopia*, inquit, *feſtinauit* D *manus eius dare Deo.* Conuocabantur ergo hæ duæ plebes per Doctores ſanctos ad conſortium fidei, & ad ſocietatem electorum per Euangelium ſunt copulatæ, quatenus ex diuerſis gregibus, ſecundum ſententiam Domini, vnum fieret ouile & vnus paſtor. *Ioan. 10.*

Manſeruntque ibi decem annis & ambo mortui ſunt, Maalon videlicet in Chelion, remanſitque mulier orbata duobus liberis & marito. Et ſurrexit. Vt in patriam pergeret cum vtraque nuru ſua de regione Moabitide. Audierat enim, quod reſpexiſſet Dominus populũ ſuum, & dediſſet eis eſcas. Manſerunt ergo duo filij Elimelech in terra peregrinationis ſuę decem annis, & mortui ſunt, cum Apoſtoli, & Prophetæ poſt perfectionem pij laboris, quem habebant in doctrina plebium, & exercitio virtutum, de incolatu iſtius mundi ad cœleſte regnum migrarunt, vt pro expleto Decalogo mandatorum, denarium acciperent æternæ beatitudinis. Remanſitque mulier orbata duobus liberis ac marito, cum ſancta E Eccleſia in peregrinatione huius mundi perſiſtens, poſt Aſcenſionem Dominicam in cœlos, corporali præſentia carebat Saluatoris, licet maieſtate diuinitatis cum ipſa ſit ſemper. Sed neq; ipſi Apoſtoli & Prophetæ poſt obitum præſentis vitæ, corporali conuerſatione, cum ea eſſe poterant, licet orationibus eorum & ſcriptis quotidie adiuuetur. Surrexit quidem mulier, vt in patriam pergeret cum vtraque nuru ſua, eo quod audierat, quod reſpexiſſet Dominus populum ſuum, cum maximo ſtudio hoc agit mater Eccleſia, vt plebes quas Apoſtoli & Prophetæ tempore ſuo inſtruebant, ad vnitatem fidei, & ſocietatem religionis Chriſtianæ perducat: quia veraciter Scriptura *Pſal. 36.* referente, didicit, quod iuſtus nũquam ſit derelictus, nec ſemen eius eguerit pane, illo videlicet pane, qui de cœlo *Ioan. 6.* deſcendit, hoc eſt, pane vitæ, quem qui veraciter manducauerit, non morietur in æternum.

III. *Egreſſa eſt itaque de loco peregrinationis ſuæ cum vtraque nuru, & iam in via poſita reuertendi in terram Iuda, dixit ad eas: Ite in domum matris veſtræ, faciat Dominus vobiſcum miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis & mecum: det vobis inuenire requiem in* F *domibus virorum, quos ſortituræ eſtis, & oſculata eſt eas*, & cætera. Quid eſt, quod hæc mulier aduerſando nuribus ſuis reſiſtere videtur, ne ſecum in terram Iſrahel pergant? Niſi quod ſancta Eccleſia non indiſcrete, ſed rationabiliter ea, quæ agenda ſunt, agit, &, quæ recipienda, recipit; ſicut & Apoſtolus Ioan. in ſua Epiſt. admonet, dicens: *Nolite omni* *1. Ioan. 4.* *ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*: & vt probet, q, dona Dei, quæ in diuinis chariſmatib. conſiſtũt, non inuitis, ſed voluntarijs offeruntur. Gratia enim Chriſti, quæ vltro offertur hominibus, ſpontaneos quærit acceptores, nec placebit Deo opus ſiue donum, quod malo expenditur animo. Vnde ipſe Dominus in lege ab Iſrahel primitias expetens, locutus eſt ad Moyſen, dicens: *Loquere* *Exod. 25.* *filijs Iſrahel, vt tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas.* Hinc & ipſe Saluator in Euangelio Legiſperito temptanti reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi,* *Matth. 19.* *ſerua mandata.* Et item: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia,* *Ibid.* *quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.* Vbi enim cuiuſque voluntas requiritur, iam non neceſſitas imponitur, ſed electio melioris proprio G arbitrio relinquitur. Cæterum ſi ad Synagogam prædicta verba reflexeris, poteſt ei conuenire, quia retrahit eos, qui ad fidem Chriſti conuenire cupiunt, & maxime illud, vbi ſuperata veritate, infirmum ſe agnoſcit, & effetam, dicens: *Reuertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? Num vltra habebo filios in vtero meo, vt viros ex me ſperare poſſitis? Reuertimini filiæ Moabitæ. Iam enim ſenectute confecta ſum, nec apta vinculo coniugali. Etiamſi poſſim hac nocte concipere & parere filios, ſi eos expectare velitis, donec creſcant, & annos impleant pubertatis, ante eritis vetulæ, quam nubatis. Nolite, quæſo, filiæ meæ, quia veſtra anguſtia me magis premit, & egreſſa eſt manus Domini contra me.* Vide Synagogam confitentem veritatem, & ſuperuenientes in ſe culpas non tacentem, à viro ac filijs relictam, hoc eſt, à Deo deſertam, & regibus ac ſacerdotibus ſuis priuatam, & iam ſterilem atque infirmam ad concipiendos atque pariendos filios, aptos ad ſeruitium Dei, quia hoc ſolummodo poſt aduentum Chriſti ſanctæ Eccleſiæ reſeruatum eſt. *Eleuata igitur voce rurſum flere cæperunt, Orfa oſculata eſt ſocrum, ac reuerſa Ruth adhæſit ſocrui ſuæ. Cui dixit Noemi: En reuerſa eſt cognata tua ad populum* H *tuum & ad Deos ſuos: Vade cum ea. Quæ reſpondit: Ne aduerſeris mihi, vt relinquam te, & abeam, quocunque perrexeris pergam: Vbi morata fueris, & ego pariter morabor: Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus. Quæ te morientem terra ſuſceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam ſepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors me à te ſeparauerit.* Per has duas mulieres, quarum vna licet dolorem ſeparationis in luctu oſtenderit, tamen à ſocru receſſit, altera deſtinato animo cum illa perſeuerauit, ſignificatur diſtantia credentium. Nam alij poſt perceptam gratiam Baptiſmi & ſocietatem fidei retro ad errores priſtinos relabuntur, quorum typum geſſit Orfa, quæ ad Deos ſuos & ad populum ſuum reuerſa eſt: alij vero diffinito conſilio & inſtanti ſtudio ſequuntur gratiam, quam perceperunt, quorum figuram Ruth expreſſit. Hæc ergo

A ſuadenti ſocrui, vt rediret cum ſocis in patriam ſuam, ait: *Ne aduerſeris mihi; quocunque perrexeris, vbi morata fueris, & ego pariter morabor*, &c. Quæ vox ſine dubio typum manifeſtat fidei gentium: ſic enim Eccleſia ex gentibus, ad Dominum conuocata, relicta patria ſua, quod eſt idololatria, & omiſſa carnali conuerſatione ac deſiderijs, profitetur Dominum ſuum eſſe, in quem ſancti crediderunt, & illuc ſe ituram, vbi Caro Chriſti poſt paſsionem aſcendit, & pro eius nomine in hoc ſeculo pati vſque ad mortem, & cum ſanctorum populo, Patriarchis ſcilicet, ac Prophetis conſociandam, de quorum ſocietate, q. ſanctis ex ſtirpe Abrahæ venientibus conſociaretur, Moyſes in cantico oſtendit, dicens: *Lætamini gentes cum populo eius*. id eſt, hi qui ex gentibus eſtis, credituri cum illis, qui primi electi ſunt, æterna lætitia exultate. Deut. 32.

IV. *Videns ergo Noemi, quod obſtinato Ruth animo decreuiſſet ſecum pergere, aduerſari noluit nec vltra ad ſuos reditum perſuadere. Profectæque ſunt ſimul, & venerunt in Bethleem quibus vrbem ingreſſis, velox apud cunctos fama percrebuit. Dicebantque mulieres: Hæc eſt illa Noemi, quibus ait; Ne vocetis me Noemi*, id eſt,

B pulchram, *ſed vocate me Mara*, hoc eſt, amaram, *quia valde me amaritudine repleuit omnipotens*. Deſtinato ergo animo plebs gentium ſecuta eſt ſanctos prædicatores in terram ſanctam, & in ciuitatem Dei, Bethleē. vt ibi educata præpararetur ad ſuſcipiendum ſponſum, qui de ſtirpe Abrahæ natus eſt, Semen videlicet illud, in quo benedicentur omnes nationes terræ. Gen. 22. Quod autem dicentibus mulieribus Noemi reſpōdit; *Ne vocetis me Noemi*, id eſt, pulchram; *ſed vocate me Mara*, hoc eſt, amaram, &c. ſignificat, quod ſancta Eccleſia, tribulatione perſecutionum preſſa, præſentis mundi gaudia non amat, ſed futuram gloriam quærit in cœlis; Vnde in Cantico Canticorum ſponſa dicit: Cant. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernaculum Cedar ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare, quod fuſca ſum, quia decolorauit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Si autem ad Synagogam referre volueris prædicta verba Noemi, inuenitur agnouiſſe calamitatem ſuam, quam poſt aduentum Chriſti merito peruerſitatis ſuæ

C perpeſſa eſt; atque ob hoc refugit ſe pulcherrimam vocari, quia tempora proſperitatis ſuæ conſpicit finiri.

V. *Venit ergo Noemi cum Ruth Moabite nuru ſua de terra peregrinationis ſuæ, ac reuerſa eſt in Bethleem, quando hordea primum metebantur.* Rediit quippe Noemi de peregrinatione ſua ad populum ſuum ac vrbem Bethleē, quando lex de doctrina populorum narrationis ſuæ ordinē ad myſterium conuertit incarnationis Chriſti, vt eam auditoribus ſuis exponat atq; commendet, & hoc in tempore meſſis hordiariæ. Quid n. Meſsis hordiaria exprimit, niſi tempus Dominicæ Paſsionis, quæ menſe nouorum, hoc eſt, primo menſe confecta eſt? Bene ergo dicitur, q. Noemi cum nuru ſua meſſe hordiaria ad Bethleem veniret, qñ lex Dominum Saluatorē, quem docet in Bethleē natum, in Paſcha, hoc eſt menſe nouorum p̄dicat occiſum. Similiter & ſancta Eccleſia hoc toto niſu agit, vt plebes, quas ad fidē conuocat, myſterio imbuat Dominicæ incarnationis, paſsionis ac reſurrectionis. Poteſt & meſsis hordiaria non incōuenienter Iudaicæ plebis exprimere credulitatē, quæ peracto ſacramento paſsionis Chriſti, prædicantib. Apoſtolis

D ad fidem primum conuenit. Quæ & alibi quinq; panibus hordeaceis paſta ab ipſo Dño legitur. Ioan. 6. Vnde & in Actibus Apoſtolorum, quando Spiritus S. ſuper Apoſtolos in die Act. 2. Pentecoſtes venit, p̄dicante Petro, & teſtimonio legis ac Prophetarum effuſam gratiam Spiritus ſancti ſuper centum viginti credentes cōprobante, tria millia Iudæorum ad fidem conuerſa baptizabātur in nomine Domini Ieſu.

VI. *Erat autem Elimelech conſanguineus, homo potens, ac magnarum opum, nomine Booz.* Erat, inquit, vir Elimelech conſanguineus. Quis eſt iſte vir, qui cōſanguineus erat Elimelech? niſi Redemptor noſter, qui cognatus erat legis atq; legislatoris, qui per legem promiſſus de patriarcharū ſtirpe eſt natus, & originem habuit ſecundum carnem de gente Iudæorum, de quo ēt Moyſes ipſe ad Iſraelitas loquens ait: Deut. 18. *Prophetā ſuſcitabit vobis Dominus de fratrib. veſtris, tanquam me, ipſum audietis*. Homo hic potēs ac magnarum opum eſſe deſcribitur. Potens vtique, quia mundi principem debellauit atq; vniuerſum orbem ſuo imperio ſubiugauit.

E Ipſe & magnarum opum, qa cœli terræq; poſſeſſor eſt, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſciē. abſconditi*: ad cuius opes ēt omnium virtutum bonarum copia pertinet; qa, ſecundum Apoſtolum, *ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. Nomine Booz.* Booz n. *fortitudo Dei*, nominatur: Vnde & Eſaias, paruulum filium natum commemorans, de eius magnitudine ſubiunxit, dicens: Eſaia 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocatur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis*, & reliqua. *Dixitq; Ruth Moabitis ad ſocrū ſuam: Si iubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ metentium fugerint manus, vbicunque clementis in me patrisfamilias reperero gratiā. Cui illa reſpondit: Vade filia mea. Abijt itaq; & colligebat ſpicas poſt terga metentium.* Agrum hic Eccleſiam fidelium accipere poſſumus: meſſem autem homines ſanctos, qui digni ſunt recolligere in horrea Dñi: meſſores angelos bonos; ſpicas remanentes, quoſdam credētes, qui tranſlatis quibuſdam ſanctis poſt electos angelos ad regnum cœleſte relicti ſunt ad exem-

F plum in præſenti vita degentium. Item ager diſciplinam ſtudij cœleſtis ſignificare poteſt: meſsis intelligētiam ſpiritalem; meſſores prædicatores ſanctos; ſpicæ remanentes, ſententias ſanctarum Scripturarū, quę multis per myſterium occultatis quaſi planiores remanere videntur ad exercitium meditantium. Plebs ergo gentium, inhianter Eccleſiaſticam diſciplinam appetit, vt ad meditationē diuinæ legis, & ad ſocietatem ſanctorū admittatur, vt ſiue ſpiritalibus documentis, ſiue ſanctorum exemplis reficiatur: ne forte vacua virtutibus eſuriem animæ perpetuam ſentiat, ſed alimenta ſpiritalis ſuæ ſaluti cōpetentia adquirat, vt habeat, vnde veraciter viuat; *Accidit aūt, vt ager ille haberet Dominū nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Ecce ipſe veniebat de Bethleē. dixitq; meſſorib. Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus.* Ager ille Booz eſſe deſcribitur, qui erat cognatus Elimelech, quia ſancta Eccleſia ad nullum alium pertinet, niſi ad Dñm ſolum Ieſum, cuius ſolūmodo ſponſa & corpus eſt, de quo & Pſalmiſta ait: *Fortitudo mea & laudatio mea Dominus*. Et itē: Pſal. 117. *Dominus fortis, Dominus potens in prælio*. De quo & Hieremias Pſal. 23. ait: *Dominus mecum eſt, tanquam bellator fortis*. Ipſe cognatus Ier. 20. erat Elimelech, qs de Bethleem, & de ſtirpe Dauid natus,

G teſtimonia habuit à lege & prophetis; qui ſalutis verba ſuę familiæ attulit, qa in eius natiuitate multitudo militię cœleſtis canebat, dicens: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominib. bonæ voluntatis*: Cui ēt ante paſsionem ſuam ad Hieruſalem deſcendenti turba, quæ conuenerat ad diem feſtum obuiam cum laudib. & ramis palmarum p̄ceſsit, dicens: Matth. 21. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Dixitq; Booz iuueni, qui præerat meſſorib. Cuius eſt hæc puella? Qui reſpondit: Hæc eſt Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide, & rogauit, vt ſpicas colligeret remanentes, ſequens meſſorum veſtigia: & de mane vſq; nunc ſtat in agro, & ne ad momentū quidem domum reuerſa eſt.* Quid eſt, q. Booz interrogat priorem meſſorum de Ruth, vnde eſſet? niſi q. Redemptor noſter quemlibet de Apoſtolis, ſeu de præcipuis Doctorib. qui minori gradui ſacerdotum præeſt, quaſi ignorans, de fide gentium ſciſcitatur, cum prouocat eum ad adnunciandum teſtimonium fidei & operibus Eccleſiæ gentiū: Inſtanter ergo poſt metentes, hoc eſt prædicatores myſteria Scriptura-

H rum colligentes ſancta Eccleſia perſeuerat in agro lectionis diuinæ, quatenus recolligat in ſinum mentis ſuæ teſtimonia atq; exempla virtutum ſuę ſaluti ſufficientia: & hoc agit à mane illuceſcentis fidei vſque ad perfectionem ſui operis boni: nec ad domum ſuperſtitionis antiquæ, vnde egreſſa eſt, vnquam reuertitur; quia ea, quæ retro Phil. 3. ſunt, obliuiſcens, in anteriora ſe extendit, ſi quo modo perueniat ad brauium ſupernæ vocationis.

VII. *Vnde & Booz ad Ruth ait: Audi filia, ne vadas ad colligendum in alterum agrum, nec recedas ab hoc loco. Iungere puellis meis, & vbi meſſuerint, ſequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo tibi moleſtus ſit. Sed etiam ſi ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.* Hæc quippe verba nulli melius conueniunt, quam Redemptori noſtro, qui plebi de nationibus ad ſe conuenienti ſuadens præcipit, ne ad momentum quidem à ſtatu rectæ fidei declinet in

Digitized by Google

A errores hæreticorum, atque ſchiſmaticorum, ſed magis
iungat ſe Sanctis animabus, quas ſignificant puellæ Booz,
vt ibi metant, vbi ille meſſuerint, vtique Scripturas ſa-
cras meditando & bonis operibus eas implendo, ſicque
hauſtum ſapientiæ diuinæ ex libris duorum teſtamento-
rum, vnde pueri ſui bibunt, ſancti videlicet Doctores, &
ipſa ſalubriter bibat. *Quæ cadens in faciem ſuam, & adorans ſu-
per terram, dixit ad eum: Vnde hoc mihi, vt inuenirem gratiam
ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem?*
Cui ille reſpondit: *Nunciata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſo-
crui tuæ poſt mortem viri tui, & quod dereliqueris parentes tuos &
terram, in qua nata es, & veneris ad populum quem antea neſcie-
bas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem re-
cipias à Domino Deo Iſrahel, ad quem veniſti, & ſub cuius confu-
giſti alas.* Gratias refert Eccleſia gentium Saluatori, quòd eam
reſpicere miſericordiæ ſuæ intuitu dignatus eſt: cui ille
indicauit, placere ſibi, quod poſt mortem prioris viri, hoc
eſt, erroris atque diaboli, reliquerit parentes ſuos idolo-
latras & terram natiuitatis ſuæ, carnalia vtique deſideria,
B & aſſociare ſe appetiuit populo Sanctorum, qui ſibi antea
ignotus fuit, cum veteris hominis cupiditatem & actus
ſequebatur. *Reddat*, inquit *tibi Dominus pro opere tuo, & ple-
nam mercedem recipias à Domino Deo Iſrahel.* Opus Eccleſiæ
eſt fides Chriſti, vnde ipſa veritas in Euangelio ait: *Hoc eſt
Ioann. 6. opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Hæc plenam mer-
cedem accipiet à Domino, quia poſt finitum præſentis
vitæ laborem æterna Dei viſione perfrui merebitur in
gloria cœleſti; vnde Dominus Apoſtolis ſuis ait: *Petite, &
Ioann. 16. accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Hæc merces redde-
tur Eccleſiæ à Deo Iſrahel, ſub cuius ipſa confugit alas.
Alæ quippe Dei ſunt duo teſtamenta, ſub quibus prote-
git omnes, qui confugiunt ad ſe Chriſtus vnigenitus Dei
Pſal. 16. filius, ad quem Pſalmiſta deſideranter ait: *In vmbra alarum
tuarum ſpero, donec tranſeat iniquitas.*

*Quæ ait: Inueni gratiam ante oculos tuos, Domine mi, qui con-
ſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis
vnius puellarum tuarum.* His verbis humilitas Eccleſiæ ex
gentibus declaratur, quæ ſe imparem tantæ gratiæ adſe-
uerat, nec ſe Eccleſiæ primitiuæ de Iudæis aliquo modo
C æquiparare audet: Vnde in Euãgelio ſub typo Chananææ
Matth. 15. mulieris Domino dicenti: *Non eſt bonum ſumere panem filio-
rũm, & mittere canibus* reſpondit, dicens: *Etiã Domine, nam
& catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuo-
rum.* Hinc & centurio præſentiam Domini ad ſe ire vo-
Matth. 8. lentis verebatur, dicens: *Domine non ſum dignus, vt intres
ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

*Dixitque ad eam Booz: Quando hora veſcendi fuerit, veni huc,
& comede panem, & intingue buccellam tuam in aceto.* Hora
quippe veſcendi fuerat, quando poſt reſurrectionẽ ſuam
Dominus diſcipulis ſuis præcepit, dicens: *Ite, docete omnes
Matth. 28. gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſan-
cti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Antea
Matth. 10. ergo dictum eſt eis: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates
Samaritanorum ne introieritis.* Intingue, inquit, buccellam
tuam in aceto. Quid ergo per acetum, niſi lex vetus, ex-
primitur, quæ diu in populo priore perſeuerans, Phari-
ſæorum traditionibus corrupta, natiuum ſaporem ſer-
uare non potuit? Iubetur ergo Eccleſiæ, vt intinguat buc-
D cellam ſuam in aceto, hoc eſt, vt myſterium incarnatio-
nis Chriſti diſcat in veteri teſtamento eſſe prænunciatum,
& eo fortius illud fide teneat, quo tam longè antea præ-
figuratum non ignorat. *Sedit itaque ad meſſorum latus, &
congeſſit polentã ſibi comeditque, & ſaturata eſt, & tulit reliquias
atque ſurrexit, vt ſpicas ex more colligeret.* Ad latus ergo meſ-
ſorum Ruth ſedit, cum gentilitas ſanctis prædicatori-
bus per fidem ſe coniunxit: congeſſit ſibi polentã, cum
ſingula verba, quæ audiuit, ſubtili diſcretione rimauit,
comedit, & ſaturata eſt, cùm ſcientiam diuinæ legis de-
uota mente capeſcens ſalubriter refecta eſt: tulit reli-
quias, atque inde, vt ſpicas ex more colligeret, ſurrexit;
quia in corde retinens verba, quæ audiuit, vt maiora per-
ciperet, inſtanter meditando laborauit. *Præcepit autem
Booz pueris ſuis, dicens: Etiamſi vobiſcum metere voluerit ne pro-
hibeatis eam; & de veſtris quoque manipulis proijcite de indu-
ſtria, & remanere permittite, & abſque rubore colligat, & colli-
gentem nemo corripiat.* Agnoſcitur pietas patrisfamilias,
qui aduenientem ad ſe myſticam Ruth non ſolum re- E
lictas ſpicas teſtimoniorum colligere permiſit, quin et-
iam manipulos ſcientiæ inſperatæ ex largitate ſua inſu-
per vltro expendit. Et nota, quod abſque rubore eam
colligere præcepit, & vt colligentem nemo ſpernat;
quia rudis plebis infirmitatem non deſpicit, nec priſtinæ
vitæ errores ei improperare conuerſæ permittit; ſed ſtu-
dij ſui ſagacitatem efficaciam habere concedit.

*Collegit ergo in agro vſque ad veſperam, & quæ collegerat, vir- VIII.
ga cædens & excutiens, inuenit hordei quaſi Ephi menſuram,* id
eſt, tres modios. *quos portans reuerſa eſt in ciuitatem, & oſten-
dit ſocrui ſuæ. Inſuper protulit & dedit ei de reliquiis cibi ſui, quo
ſaturata fuerat.* Excutit Ruth de manipulis grana, cum
ſancta Eccleſia virga diſcretionis ſenſum ſpiritalem de le-
gis elicit litera: inuenitque hordei quaſi ephi menſu-
ram, cum in ipſa lectione per ſanctæ Trinitatis confeſ-
ſionem fidem diſcit Catholicam. Nihil aliud ergo in
ephi menſura, quæ tres modios habet, deſignari pu-
to, niſi in vna fide trinam confeſſionem; quia in vna
Deitatis ſubſtantia trium eſt perſonarum proprietas. F
Hæc ergo portans in ciuitatem oſtendit ſocrui ſuæ, cum
plebs gentilis credulitatem ſuam integram ſanctæ ma-
tri oſtendit Eccleſiæ. Vel ſecundum alium ſenſum, Ec-
cleſia gratiam, quam ſponſi ſui munere percepit, Sy-
nagogæ genitrici præſentat, quatenus eam prouocet
ad fidem, & de conceſſo ſecum lætetur dono. Solus
ergo Chriſtus eſt ſponſus, cui illa veniens ex gentibus Ioann. 3.
ſponſa, ante inops atque ieiuna; ſed iam Chriſto meſſe 2. Cor. 11.
diuiti innuba, quæ manipulos fœcundæ ſegetis; verbi- Eph. 5.
que reliquias gremio ligat mentis interno; vt exhau-
ſtam illam viduam morte filij, atque inopem defun-
cti populi matrem nouis paſcat alimentis, non relin-
quens deſtitutam viduam, & nouos quærens. Solus
ergo ſponſus eſt CHRISTVS, qui nec ſynagogæ ipſi
manipulos ſuæ meſſis inuideat, vtinam, ſe non ipſa ex-
cluderet. Habuit quoque per ſe colligere, ſed quia popu-
lus eius eſt mortuus; quaſi filio egena defuncto, per Ec-
cleſiam manipulos, quibus viueret, colligebat, quos ve-
nientes in exultatione portabunt, ſicut ſcriptum eſt: G
Venientes autem venient in exultatione, tollentes manipulos Pſal. 125.
ſuos.

*Dixitque ei ſocrus ſua: Vbi hodie collegiſti, & vbi feciſti opus,
ſit benedictus, qui miſertus eſt tui. Indicauitque ei, apud quem fuiſ-
ſet operata, & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.* Cui
reſpondit Noemi: benedictus ſit à Domino, quoniam
eandem gratiam, quam præbuerat viuis, ſeruauit & mor-
tuis. *Ruſumque, propinquus ait noſter eſt homo. Et Ruth, hoc
quoque, inquit, præcepit mihi, vt tamdiu meſſoribus eius iunge-
rer, donec omnes ſegetes meterentur.* Agnoſcit propinquum
mater Eccleſia per beneficia gratuita, quæ pietas ſum-
mi patrisfamilias contulit populo gentium; & no-
minis ſui ratione recordatur beneficiorum antiquo-
rum, quibus ſæpius vſa eſt: Vnde cum Pſalmiſta ad Do-
minum dicit: *Memor fui dierum antiquorum, & meditatus* Pſal. 142.
*ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum me-
ditabor.* Cognoſcit etiam Synagoga, prædicata Eccle-
ſia gentium, bonitatem & potentiam Domini, forti-
tudinem ac benignitatem ſui protectoris, & tandem, H
veritate cogente, nomen Domini benedicit, eo quod
ſeruauerit gratiam mortuis, quam præbuerat viuis,
Mortuis vtique gentilibus; qui peccatis & Idolola-
tria dudum ſepulti erant; gratiam ſuæ largitatis impen-
dens, quam quondam populo Iudæorum exhibuerat,
cum beneficijs ipſius largiſſime vtebantur; profite-
tur eum ſuum eſſe cognatum, quia reminiſcitur de
ſua ſtirpe Saluatorem ſibi eſſe promiſſum. Propinquus
ergo Synagogæ Chriſtus eſt ſecundum carnis cogna-
tionem, propinquus Eccleſiæ ſecundum ſpiritus con-
iunctionem, quia ipſe caput Eccleſiæ, & Eccleſia cor-
pus ipſius eſt. Quod autem Ruth commemorat, ſibi
Booz præcepiſſe, quatenus cum meſſoribus eius iun-
geretur, donec ſegetes omnes meterentur: Notiſſima
vox eſt ipſius veritatis, quæ omnibus ad ſe venientibus
perſuadet, vt magis cum ſuis ad meſſionem ſpiritalis

Digitized by Google

A ſegetis iungantur, quam cum alienis. Cui perſuaſioni etiam conſentit, ipſa ſocrus dicens: *Melius eſt filia mea, vt cum puellis eius eas ad metendũ, nec in alieno agro quiſpiã reſiſtat tibi.* Quia hoc laudat Eccleſia, hoc contradicere non poteſt ſynagoga, q. veritatis amatores maiorem profectum habeant in coniunctione prædicatorum Euangelij, quam in ſocietate hæreticorum atq; ſchiſmaticorum. Ager enim alienus eſt doctrina nefanda hęreticorum, vbi ſemper iurgia & contentiones ſunt, & nunquam veræ pacis tranquillitas. *Iuncta eſt igitur puellis Booz, & tamdiu meſſuit cum eis, donec hordea & triticum in horreis conderentur.* Quid per hordea, quæ pabula ſunt brutorum animalium, niſi litera legis veteris, quæ Iudæis, tanquam brutis & inſenſatis iumentis, ad paſtum data eſt, exprimitur? Et quid per triticum, niſi gratia noui teſtamenti, quæ quaſi rationabilibus animantibus ad refectionem conlata eſt, dnſignatur? Vbi non iam taurorum arietum atq; hircorum carnes ad altare offeruntur; ſed agni immaculati caro & ſanguis in panis ac vini ſpecie quotidie à fidelibus in ara myſtica immolatur. Iuncta eſt ergo ſpiritalis Ruth puellis Booz, myſtice in metendi officio, donec hordea & triticum in horB reis conderentur, id eſt, tamdiu adhæſit doctoribus in meditatione ſacrarum Scripturarum, donec veteris & noui teſtamenti notitiam pleniter in cellaria cordis ſui reconderet, quatenus haberet ſufficientem animæ ſuæ paſtum, nec egena ſtipe vltra iuxta portas alienas mendicare indiguerit.

IX. *Poſtquam autẽ reuerſa eſt ad ſocrum ſuam, audiuit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, & prouidebo vt bene ſit tibi. Booz iſte, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noſter eſt, & hac nocte aream hordei ventilat. Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus veſtimentis, ac deſcende in aream.* Dat conſilium Eccleſia primitiua gentium plebi, qualiter perueniat ad conſortium veri ſponſi, & ad copulam Filij Dei: *Nocte,* inquit, *hac Booz aream hordei ventilat.* Area autem hæc hordei, quæ eſt alia, niſi ſynagoga Iudæorum? Vbi legis hordeũ conditum eſt. Hanc Booz noſter tunc ventilauit, qñ in Iudæa Euangelium prædicans, ſingulorũ conſilia & voluntates erga ſe diſcuſſit. Vnde de eo ſcriptum eſt in Euangelio: *Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, & non opus ei erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine, ipſe autem ſciebat, quid eſſet in homine.* Lauare igitur, & vngere, & induere cultiorib. veſtimentis, ac deſcende in aream: *Lauare,* ait, hoc eſt, munda temetipſam aqua Baptiſmatis, ſeu pœnitentiæ lachrimis, & vngere oleo Chriſmatis, ſeu ſpiritali vnctione Spiritus ſancti. *Induere cultioribus veſtimentis,* hoc eſt, ornamento omnium virtutum temetipſam præpara; *ac deſcende in aream:* illuc vtiq; propera, vbi cognoſcis Filiũ Dei conuerſari in terra, & humanũ genus ad ſuam fidẽ & gratiã conuocare. Sequitur: *Non te videat homo, donec eſum potumq; finierit.* Quid eſt, q. eam videri ꝓhibet, donec eſum potumq; homo finierit: niſi q. Eccleſiæ gentiũ credulitas non antea manifeſtata apparuit, quam Saluator myſterium incarnationis ſuæ impleuit, qñ inter homines corporaliter viuens, cibo ac potu vſus eſt, & nouiſſime ante paſſionem ſuam cum diſcipulis ſuis cœnans, corporis & ſaguinis ſui ſacramenta illis commendauit. Poſtq̃
D n. impletum eſt myſteriũ diſpenſationis Chriſti, iam Eccleſia de gentibus ad fidẽ Catholicam fiducialiter acceſſit.

Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat: veniesq; & diſcooperies pallium, quo operitur, à parte pedũ, & proijcies te, & ibi iacebis: ipſe autẽ dicet tibi, quid agere debeas. Dormitionem ſomni non aliam hic ſignificari puto, q̃ ſoporem mortis, quem Chriſtus in paſſione ſua pro noſtra ſalute ſuſcepit, vnde omnium rerum poſſeſsionem ſibi adquiſiuit. Ait autem: Et *ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipſum.* Præcipit ergo Eccleſia gentium, vt notet locum paſsionis ac mortis Chriſti, veniatq; & diſcooperiat pallium, quo operitur, à parte pedum, & proijciat ſe, & ibi iaceat: ac ſi dicat: Agnoſce Chriſtũ pro te paſſum, veniaſq; mente deuota, & diſcutias operimentum literæ veteris teſtamenti, in quo ſub velamine figurarũ tegitur incarnationis Chriſti ſacramentum: & cum cognoueris inde ſalutem tibi eſſe promiſſam, humilitate præcipua ad eius auxilium confugias, ibiq; omni tempore ſine vlla erE roris mutatione permaneas. *Ipſe autem dicet tibi, quid agere debeas;* quia neceſſe eſt tibi, vt ab ipſo ſaluationis tuæ ordinem diſcas. Si aũt ad ſynagogam hæc verba Noemi retuleris, reperies hoc in legis & prophetarũ omnium vocibus reſonare, q. poſt Chriſti paſsionẽ ventura ad fidem de gentibus fieret Eccleſia: Vnde eſt illud Eſaiæ Prophetæ: *Propter ſcelus populi mei percuſsi eum, & dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua, eo quod iniquitatem nõ fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuũ, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccatũ multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogauit. Lauda ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni quæ non pariebas, quoniam multi filij tui: deſertæ magis, quam eius quæ habebat virum dicit Dominus.*

F
X. *Quæ reſpondit: Quicquid præceperis, faciam. Deſcenditq; in aream, & fecit omnia, quæ ſibi imperauerat ſocrus.* Obedientia Eccleſiæ meruit deſiderij ſui effectum, conſenſit verbo & ſtatim impleuerat facto, & ideo iuſtiſsimus Iudex ipſius annuit voto. Vnde & ipſe Dñs, laudans fidem ipſius Eccleſiæ in Chananitide muliere, mox conceſsit, quæ petiuit dicens illi: *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Cumq; comediſſet Booz, & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, iuiſſetq; ad dormiendum, iuxta aceruum manipulorum venit abſcondite, & diſcooperto à pedibus eius pallio ſe proiecit.* Comedit Dñs noſter & bibit, cum in cœna myſtica corporis & ſanguinis ſui ſacramenta Apoſtolis ſuis tradidit, *vnde pueri eius* (ſicut ſcriptum eſt) *communicauerunt corpori & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit idem. Factus eſt hilarior,* quia certus erat de ſua reſurrectione & noſtra redemptione: iuitque ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum, cum compleuit paſsionem ſuam iuxta teſtimonia ſacrarũ Scripturarum: Vnde in eadem nocte, qua tradebatur ad diſcipulos ait: *Filius hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo.* Et alibi; *quoniam,* inquit, *neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis, & Pſalmis de me.* Vel certe eius dormire iuxta G aceruum manipulorum eſt, turmas fidelium animarum in morte ſua de clauſtris eripere inferorum; q. ipſe poſtq̃ in cruce emiſit ſpiritũ, deſcendit ad inferos, portas mortis confregit, indeq; triumphans reſurrexit in gloria. Ad iſtum lectum Redemptotis noſtri properauit Eccleſia, & diſcooperto à pedibus eius pallio, hoc eſt, reuelato de incarnatione eius ſacramẽto, illuc ſe humiliter, veniam deprecando, & ſalutem quærendo, proſtrauit. *Et ecce nocte iam media expauit homo, & conturbatus eſt, viditque mulierem iacentem ad pedes ſuos, & ait illi; Quæ es? Illaque reſpondit ego ſum Ruth ancilla tua expãde pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Quid eſt, q. in media nocte homo hæc videns mulierem expauit, niſi q. mundo tenebris errorum inuoluto, Chriſtus eccleſiæ, poſt fidei aduentum celerẽ mirandum nobis oſtendit: vnde legitur ipſe mirari in centurionis fide, qui præfigurauit incredulitatem populi gentilis; non q. ipſe quaſi ignorans aliquid nouum obſtupeſceret; ſed vt omnia ſciens, nobis mirandum oſtenderet in fide H gentium, q. apud eum ſemper fiebat certum. *Vidit mulierem iacentem ad pedes ſuos,* quia Eccleſiam incarnationis ſuæ ſacramentum humiliter venerari conſpexit. *Quæ eſſet, quæſiuit;* quia eius profeſsionem expetiuit. *At illa pallium ſuper ſe expandi poſtulauit,* quia eius fidei ac protectionis gratiam ante omnia deſiderauit. *Et ille, benedicta, inquit, es filia, quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti, quia non es ſecuta iuuenes pauperes ſiue diuites. Noli ergo metuere: ſed quicquid dixeris mihi faciam tibi.* Quę palliũ ſuper ſe expandi poſtulauit, benedictionem accipere meruit: quia quiſquis gratiam fidei pleniter percipit benedictionem virtutum ſpiritalium pariter poſsidebit. *Priorem,* inquit, *miſericordiam poſteriore ſuperaſti, quia non es ſecuta iuuenes pauperes ſiue diuites.* Prior miſericordia erat, quod ſibimetipſi conſulens errores Idololatrię deſeruit. Poſterior miſericordia eſt q. poſtquam ad Chriſtum venit, conſtanter in eius fide perſeuerauit. *Non eſt,* inquit, *ſecuta iuuenes pauperes ſiue diuites.*

Iuuenes

Ioan. 2. *Ioan. 12.* *Eſa. 53.* *Eſa. 54.* *Matth. 15.* *Matth. 26.* *Luc. 24.* *Matth. 8.*

Digitized by Google

A Iuuenes appellat hæreticos ſiue ſchiſmaticos, qui nõ maturitatem veri conſilij habent, ſed ſemper inſtabiles, varios errores ſequuntur. Hos ergo Eccleſia nullo modo eſt ſequuta, quia omnem perfidiam hæreticorum atque laſciuiam peccantium eſt abominata. *Quicquid, ait dixeris, in hi faciam tibi.* Taliter & in Euangelio Dominus diſcipulis ſuis locutus eſt, dicens: *Petite, & accipietis.* Et item: *Petite, dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate & aperietur vobis.* Et iterum: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Quicquid ergo fides plena poſtulat ſalubriter petentis, benignitas concedit ſummi largitoris. (Ioan. 16. Matth. 7. Ioan. 16.)

Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis; nec abnuo me propinquum. Sed eſt alius me propinquior: quieſce hac nocte, & facto mane ſi te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta eſt. Si autem ille noluerit, ego te abſque vlla dubitatione ſuſcipiam. Portæ vrbis Chriſti ſunt Prophetæ & Apoſtoli, de quibus Pſalmiſta ex perſona Eccleſiæ ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.* (Pſal. 72.) B Siue portæ ſunt ipſius vrbis diuini libri, quorum documento ad fidem Catholicam intrauimus. Sciunt ergo omnes, qui iuxta has portas inhabitant, hanc mulierem eſſe virtutis, quia omnium fidelium cordibus hoc firmiter perſuaſum eſt, quod Eccleſia gentium virtutum ope ditiſſima ſit de qua muliere in Prouerbiis ita ſcriptum eſt: *Mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius*, & cætera. Vnde & doctrinæ eius claritas, ſcientiæ magnitudo, fidei veritas, bonorum operum copia, patientiæ conſtantia, & charitatis perfectio vbique prædicatur. Quid eſt autem quod Booz hic non abnuit, ſe Ruth eſſe propinquum, ſed alium aſſerit ſibi eſſe propinquiorem? Quomodo ergo alius eſt propinquior Eccleſiæ, quam Chriſtus, qui caput ipſius eſt? Sed hæc propinquitas ſecundum myſterium non ad cognationem generis, ſed ad moram temporis. Iſte enim propinquus intelligitur eſſe Ioannes Baptiſta, qui putabatur à Iudæis eſſe Chriſtus, ſed ille ſibi nomen ſponſi nullo modo vſurpauit, quin potius illud vero ſponſo venerabiliter reſeruauit, dicens: (Ioan. 1.) C *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit vocem eius.* (Ioan. 3.) Propinquior enim erat Ioannes, quia in mundo prior natu: ſed, ipſo renuente conſortium coniugij, ſponſam ſuam verus accepit ſponſus. Sunt qui hunc propinquum ipſum Decalogum legis intelligi volunt, hic in eo videbatur propinquior eſſe Synagogæ quam Euangelium, quod ſpecialiter illi populo datus eſt per Moyſen, & prior erat tempore, quam gratia. *Dormiuit itaque ad pedes eius vſque ad noctis abſceſſum; ſurrexitque, antequam homines ſe cognoſcerent mutuo.* Dormiuit Ruth ſpiritalis ad pedes Chriſti, cum in ſpe incarnationis eius, vnde ſibi certam ſalutem credebat eſſe venturam, quaſi requieſcens, patienter eum expectabat: & hoc *vſq; ad noctis abſceſſum*, ſcilicet vſque ad tenebrarum infidelitatis remotum. *Surrexit, antequam homines ſe mutuo agnoſcerent*; quia antequam carnales Iudæi, per doctrinam legis imbuti, naturæ ſuæ iura bene cognoſcerent, Eccleſia de gentibus conuocata, de inertiæ ſomno ſe excutiens, diluculo naſcentis fidei ſurrexit, atque ad Chriſti gratiam venire properauit. D *Et dixit Booz: caue, ne quis nouerit, quod huc veneris.* Quomodo ergo latere potuit conuerſio gentium ad fidem Chriſti, cum in toto orbe terrarum hoc prædicatur, hoc laudatur, hoc celebratur? Sed cauere eam præcepit, ne quis nouerit, hoc eſt, vt caueat, ne de conuerſatione ſua laudem humanam, ſed gloriam diuinam quærat. Sic & in Euangelio ipſe Dominus de eleemoſynarum donatione, & orationis exhibitione præcepit, dicens: (Matth. 6.) *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem ſuam. Te autẽ faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſconſo: & Pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi in propatulo. Et cum oratis nõ eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio tuo ora Patrem* E *tuum in abſconſo: & Pater tuus, qui videt in abſconſo reddet tibi in propatulo.*

XI. *Et rurſum, expande, inquit, palliolum tuum, quo operiris, & tene vtraque manu. qua extendente & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam.* Expandere iubet pallium, hoc eſt dilatare fidem, & tenere vtraque manu, opere ſcilicet exercendo, quod corde percepit credulo. Menſus eſt ſex modios hordei & poſuit ſuper eam, cum iuxta intellectus capacitatem ei tribuit perfectæ operationis modum, vt intus foriſque fidei atque virtutum ditaretur munere, & glorioſa vbique appareret diuina largitione. Nec non & illud ſenarius numerus hoc loco ſignificare poteſt, quod ſexta ætate Dominus ipſe hordeum legis Eccleſiæ gentium ad pabulum per myſterium conceſſit, quatenus egena hactenus cibo ſpiritali per gratiam ipſius deinceps ditaretur. *Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem, & venit ad ſocrum ſuam, narrauitque ei omnia, quæ ſibi feciſſet homo*, & cætera. F Ditata Eccleſia gentium donatione Chriſti, atque onerata fructibus virtutum, redit ad ſocrum, hoc eſt, ad primitiuam eccleſiam, ſiue ad Synagogam Iudæorum, narrans ei omnia magnalia, quæ ſibi feciſſet Dominus, quatenus Eccleſiam antiquam incitaret ad congratulationem, vel Synagogam prouocaret ad conuerſionem: quia hoc proprium eſt pietatis, vt non parca nec inuida in datis, ſed larga ac beneuola ſit in bonis poſſeſſis. *Dixitque Noemi; expecta filia, donec videamus, quem res exitum habeat, neque enim ceſſabit homo, niſi compleuerit, quod locutus eſt.* Hoc fideliter prædicat Eccleſia omnibus gentibus hoc fiducialiter, quod Veritas ſua verba impleat, nec vllo modo ſua promiſſa implere ceſſet, dicens illud Euangelicum: *Pœnitentiam agite, adpropinquauit enim regnum cælorum.* (Matth. 4. Marc. 16.) Et item: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et iterum: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret, vt omnis, qui credit in eo, non pereat ſed habeat vitam æternam.* (Ioan. 3.)

XVII. *Aſcendit ergo Booz ad portam & ſedit ibi.* Quid eſt Booz noſtrum aſcendere ad portam, niſi Chriſtum ad effectum perducere prophetiam, quæ de eius incarnatione conſcripta eſt? Ibi ſedebat; quia in virginis aluo, vnde hominibus apparere poſſet, carnem ſumebat: de hac quippe porta G Hiezechiel dudum ſcripſerat, ita dicens: *Et conuerti me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem & erat clauſa, & dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quia Dominus Deus Iſrael, ingreſſus eſt per eam, eritq; clauſa. Princeps ipſe ſedebat in ea, vt comedat panem coram Domino. Per viam veſtibuli portæ ingredietur, & per viam eius egredietur.* (Ezech. 44.)

Cumque vidiſſet propinquum præterire, de quo prius ſermo habitus eſt; dixit ad eum: Declina paulisper, & ſede hic, vocans eum nomine ſuo, qui diuertit & ſedit. Vidit Booz propinquum præterire, dum Chriſtus voluit legem temporaliter plebi Iudæorum conſtitutam eſſe, quam ad ſe declinare iuſſit, quia ad ſuæ diſpenſationis myſterium teſtificandum eam inclinauit. Aliter; vidit propinquum præterire, cum præcurſoris ſui aduentum, quem more vitæ humanæ properare conſpexit, ad officium præconis miſericorditer conuertit, vocans eum nomine ſuo, quando illi videlicet per Gabrielis Archangeli relationem, nomen, quod Ioannes vocaretur, præordinauit. H *Tollens autem Booz decem viros de ſenioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hic. Quibus reſidentibus locutus eſt ad propinquum: Partem agri fratris noſtri Elimelech vendit Noemi, quæ reuerſa eſt de regione Moabitide, quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis ſedentibus & maioribus natu de populo meo. Si vis poſſidere iure propinquitatis, eme & poſſide. Sin autem tibi diſplicet, & hoc ipſum indica mihi, vt ſciam, quid facere debeam. Nullus eſt enim propinquus, excepto te, qui prior es, & me, qui ſecundus ſum.* Decem viri iſti ſeniores, Patres ſignificant veteris teſtamenti, qui Decalogum legis pleniter ſeruauerunt, Chriſtique incarnationem ibidem præfiguratam eſſe cognouerunt. Hos ad ſe Booz noſter prouocauit, cum ſibi teſtes aduentus ſui adhibere voluit, conueniens que legiſperitos partem agri Noemi ad emendum obtulit, cum plebis partem, quæ temporibus apparentis iam gratiæ remanſit, ad ſanandam, magiſtris ſynagogæ oſtendit, quatenus cognoſcerent ſuam infir-

A mitatem, & quod ipſi agere nequirent, ad perficiendum vero medico committerent: Vnde & in Euangelio legi-
Luc. 17. tur, quod ipſe Dominus lepro ſos à ſe mundandos ad ſacerdotes primum ire præceperit, & offerre munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis, qui cum abirent, ſtatim mundati ſunt.

XIII. *At ille reſpondit, ego agrum emam, cui dixit Booz: quãdo emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt ſuſcites nomen propinqui tui in hereditate ſua. qui reſpondit, cedo iure propinquitatis, neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo. tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor.* Quando per agri emptionem, vxoris ſimul copulationem emptori prædixit; ſignificauit, quod non alia eſt poſſeſſio plebis, quam copulatio Eccleſiæ in ſpiritale coniugiũ Chriſti, qui nomen antiquum, *Filij Dei,* quod habuerunt Sancti ab initio, ſicut legitur in
Gen. 6. Geneſi, quod vidiſſent filij Dei filias hominum, eo quod
Luc. 6. eſſent pulchræ: & Adam, ſcripſit Lucas, fuiſſe Filium Dei. Hoc Chriſtus in Eccleſia gentium per gratiam ſuam ſuſcitauit: Vnde legitur in Euangelio Ioannis: *quia quotquot*
B Ioan. 1. *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hoc ergo nomen in nationibus Decalogus legis, licet multos proſelytos ſub ſe haberet, vllo modo ſuſcitare non potuit. Sed poſtquam venit plenitudo temporis quo defungi, hoc eſt, finiri legem ordinatio omnipotẽtis Dei decreuerat, vt ipſe veniret benedictionem dans, qui antè legem dedit: vera-
Oſe 1. citer effecit, vt, *vbi antea dictum eſt, non plebs mea vos, ibi vocarentur filij Dei viui.* Si autem hæc verba ad Ioannem præcurſorem Domini retuleris, inuenies eum cedentem Chriſto iure propinquitatis, quia his verbis ſimilia in Euangelio dixiſſe probat. Nam iſte propinquus hiſtoricus dixit ad Booz: *Cedo iure propinquitatis neq; enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor:* & Ioannes ſciſcitantibus à ſe turbis de eius
Ioan. 1. Baptiſmate reſpondit, dicens: *Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos non ſcitis, ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius non ſum dignus, vt ſoluam*
C *corrigiam calceamenti.* Et alibi, altercantibus ipſius Ioannis
Ioan. 3. diſcipulis cum Iudæis de purificatione dixit: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim: Ego non ſum Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi, hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.* Cedebat ergo Ioannes Chriſto, quia eius dignitatis priuilegium nullo modo ſibi vſurpauit. Cedit & lex vetus Euangelio, quia nequaquam ſalutem gentium ſua induſtria efficere potuit: *Lex n.* vt Paulus
Rom. 5. teſtatur, *ſubintrauit, vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilita-
Heb. 7. tem: *nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum, collata eſt nobis per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.

D *Hic enim erat mos antiquitus in Iſrahel inter propinquos, ſi quando alter alteri ſuo iure cedebat, vt eſſet firma conceſſio, ſoluebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo: hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſrahel. Dixit ergo propinquus Booz, tolle calceamentum: quod ſtatim ſoluit de pede ſuo.* Et quid hic per calceamentum niſi velamen myſteriorũ intelligere poſſumus? Lex ergo de pede ſuo calceamentum ſoluit & Chriſto dedit: quia velamentum ſacramẽtorum in progreſſu literæ per magiſtros ſuos ad intellectum populo manifeſtãdo perducere non potuit: ſed Redemptori noſtro hunc honorem attulit, quia ab ipſo, & non ab alio, hæc gratia ſperanda & adipiſcenda omnibus gentib. fuit. Ioannes ergo non ſibi, ſed Chriſto calceamentum vindicauit; quia non ſibi, ſed ipſi ſponſam nobiliſſimam competere intellexit: Vnde & ſe indignum ſoluere eius calceamentũ perhibuit. Deniq; quia Ioanné homines Chriſtum eſſe putauerunt, quod idem Ioann. negat, recte ſe indignum eſſe ad ſoluendam corrigiam eius calceamenti de-

E nunciat: ac ſi aperte dicat: Ego Redemptoris veſtigia denudare non valeo, quia ſponſi nomen mihi immeritus nõ vſurpo. Quod tamen intelligi & aliter poteſt: quis enim neſciat, quod calceamenta ex mortuis animalibus fiant? In carne vero Dominus veniẽs, quaſi calceatus apparuit, qui in diuinitate ſua morticina noſtræ corruptionis aſſumpſit.
Pſal. 59. vnde etiam per Prophetam dicit: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Per Idumæam quippe gentilitas per calceamentum vero aſſumpta mortalitas deſignatur. In Idumæam ergo Dominus calceamentum ſe extendere aſſerit, quia dum per carnẽ gentibus innotuit, quaſi calceata ad nos diuinitas venit. Sed huius incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit; inueſtigare enim nullatenus poteſt, quomodo corporatur verbum, quomodo ſummus & viuificator Spiritus intra vterum matris animatur, quomodo etiam is, qui initium non habet, exiſtit & concipitur; corrigia ergo calceamenti eſt ligatura myſterij. Ioannes itaque ſoluere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis eius myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit, qui hanc per prophetiæ ſpiri-
F tum agnouit. Quid eſt ergo dicere: *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius,* niſi aperte & humiliter ſuam ignorantiam profiteri? ac ſi patenter dicat: quid mirum, ſi mihi ille prælatus eſt, quem poſt me quidem natum conſidero, ſed natiuitatis eius myſterium non apprehendo?

XIV. *At ille maioribus natu & vniuerſo populo, teſtes vos, inquit, eſtis hodie, quod poſſiderim omnia, quæ fuerunt Elimelech & Chelion & Maalon tradente Noemi, & Ruth Moabitidem vxorem Maalon in coniugium ſumpſerim, vt ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua, ne vocabulum eius de familia ſua ac fratribus & populo deleatur: Vos, inquam, huius rei teſtes eſtis. Reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu nos teſtes ſumus.* Booz teſtes de adquiſita ſibi legitime vxore defuncti & de poſſeſſa ſubſtantia Celion & Maalon, tradente Noemi, adhibet: quia Chriſtus ex vtroque teſtamento teſtificationem ſufficientem habet, quod gentium plebem, quam Decalogus finitus ad ſpiritalis ſobolis procreationẽ perducere non potuit, hanc ipſe, ſemine verbi fœcundatam, ſpiritalis germinis effecit parentem, omnia poſſidens, quæ priores
G & poſteriores ſancti de virtutum poſſeſſione habuerint, quia ad eius gloriam & largitatem pertinet, quicquid vſquam aut vnquam veræ dignitatis & honoris fuit. Decem autem maiorum natu benedictio hoc oſtendit, in nomine Ieſu omnes eſſe gentes ſaluandas ac benedicendas. *Iota* enim apud græcos *decem* ſignificat, quæ prima litera nominis Domini Ieſu ſummam præſcripſit: quę res, vt diximus, omnes gentes per ipſum ſaluandas ac benedicendas eſſe demonſtrat. Ne dubitet ergo quiſpiam hęc, vt dicta ſunt, credere, eum videat vniuerſa & ab initio figuris antecedentibus præcurriſſe, & per aduentum Domini manifeſtata & adimpleta ſic eſſe, & quæ ſuper ſunt, hoc modo perficienda, in veritate conſonantibus omnibus vocibus & figuris ſanctarum Scripturarum, & impletis his, quæ pollicitus eſt per filium ſuum Ieſum Chriſtum, Dominum, Regem & Saluatorem noſtrum.

Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domũ tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrahel, vt ſit
H *exemplum virtutis in Ephratha, & habeat celebre nomen in Bethleem.* Omnis populus Sanctorum imprecatur proſpera Eccleſiæ gentium, quatenus eandem gratiam fœcunditatis, quam habuere primi parentes ſtirpis Iſrahelitarum, hanc iſta pleniter percipiat. Et quia hic partus ſpiritalis eſt, quid per has prædictas mulieres myſtice ſignificetur, dicamus. Quanquam enim duæ liberæ vxores Iacob ad nouum teſtamentum, eo quod in libertate vocati ſumus, exiſtimentur pertinere: non tamen fruſtra duæ ſunt, niſi, quia duæ vitæ nobis in Chriſti corpore prædicantur; vna quidem temporalis, in qua laboramus; alia æterna, in qua dilectionem Dei contemplabimur. Lia namq; interpretatur, *Laborans*; Rachel autem, *viſus, principium,* ſiue *verbum.* Actio ergo huius vitæ, in qua viuimus ex fide, laborioſa eſt in operibus & incerta, quo exitu perueniat ad vtilitatem eorum, quibus conſulere volumus. Ipſa eſt Lia, prior vxor Iacob, ac per hoc & infirmis oculis fuiſſe

comme-

A

Sap. 9. commemoratur; *cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Spes vero æternæ contemplationis Dei, habens certam intelligentiam veritatis, ipſa eſt Rachel, vnde etiam dicitur *bona facie & pulchra ſpecie*; Hanc
Gen. 29. enim amat omnis pie ſtudioſus, & propter hanc ſeruit
Eſa. 1. gratiæ Dei, qua *peccata noſtra, etſi fuerint ſicut phœnicium, tanquam nix dealbabuntur.*

Fiat que domus tua ſicut domus Phares, quem Thamar peperit Iuda, de ſemine, quod dederit tibi Dominus ex hac puella. Conuenienter quidem in benedictione Booz cum Ruth Phares natiuitas de Thamar commemoratur, quia ille populi gentilis figuram tenuit in eo, quod præuenit in
Gen. 38. partu fratrem ſuum Zara, qui prius miſit manum ſuam, in qua obſtetrix ligauit coccinum, ſed, illo manum intrinſecus retrahente, poſterior, qui Phares vocatur, porrexit manum, & naſcendo proceſſit. Figuraliter quippe hoc oſtendit, quod Iſrahel in legis opera manum ſuam primus miſerit, & eam Prophetarum & ipſius Saluatoris pollutã cruore contraxerit: poſtea vero proruperit populus gen-
Matt. 20. tium, ſcilicet, vt futuri eſſent nouiſſimi, qui erant primi,
B & primi futuri eſſent, qui erant nouiſſimi. Nec non & ipſum nomen *Thamar* ad idem myſterium competit: nam Thamar, *commutans*, interpretatur ſiue *amaritudo*; ergo mutans habitum, mutat & nomen; quia quæ fuit ante in idololatria fœda & amara, modo in pœnitentia fit dulcis. Sed quod in ea prorſus nomen amaritudinis manet, non illius eſt amaritudinis, in qua Domino fel miniſtrauit, ſed illius, in qua Petrus amare fleuit: nam & Iuda Latine *confeſſio* eſt, confeſſioni ergo amaritudo miſceatur, vt vera pœnitentia præſignetur. Hac pœnitentia fœcundatur Ec-
Luc. 24. cleſia in omnibus gentib. conſtituta. *Oportebat enim Chriſtum pati & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ieruſalem.* Nam & ipſe habitus meretricis confeſſio eſt peccatorum: typum quippe Eccleſiæ gerit Tha-
Gen. 38. mar ex gentibus euocatę, ſedens cum hoc habitu ad portam Euam vel Enahin, quod interpretatur *fontes*; cucurrit enim, velut ceruus ad fontes aquarum, pertingere ad ſemen Abrahæ. Thamar enim noſtra, Iuda myſtico non
Pſal. 18. cognoſcente, fœtatur, quia de illo prædictum eſt: *Populus,*
C *quem non cognoui, ſeruiet mihi.* Accepit illa in occulto annulum & monile & virgam: quia vocatione ſignificatur, iu-
Rom. 8. ſtificatione decoratur, glorificatione exaltatur. *Quos enim prædeſtinauit, illos & vocauit; quos autem vocauit, illos & iuſtificauit; & quos iuſtificauit illos & glorificauit.* Sed hæc, vt dixi, adhuc in occulto ſunt, vbi fit & conceptio ſancta vbertatis.

Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem, ingreſſusque eſt ad eam, & dedit illi Dominus, vt conciperet, & pareret filium. Poſtquam enim Chriſto per fidem gentium coadunata eſt Eccleſia, Spiritus ſancti illi gratiam tribuens, ſpiritalis ſobolis eam fecit eſſe parentem, vt quæ prius ſterilis & deſpecta habebatur, poſtmodum multorum filiorum mater effiecretur. De qua per Annam Propheteſſam dicitur:
1. Reg. 2. *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Vnde conſequenter ſubiungitur: *Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, vt deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Iſrahel, & habeas, qui conſoletur animam tuam, & enutriat ſenectutem.*
D Semper enim mater Eccleſia, quam Chriſtus Spiritus ſui munere fœcundauit, ſpiritalis germinis abundans & diues eſt, & aliis de hoc ſeculo decedentibus, atque ad lucem perpetuam migrantibus, alii ſtatim in locum eorum ſuccedunt, vt nomen Chriſtianum perpetualiter in orbe terrarũ permaneat, & vt mater hæc ſanctiſſima de noua
Pſal. 72. progenie conſolationem habeat ſenectutis ſuæ, cum viderit genus ſuum de die in diem dilatari & creſcere, ac nequaquam mareſcere. Poteſt enim hæc ſententia, ad patres veteris teſtamenti transferre, qui ſub ſynagoga fuerunt: decedentibus enim patriarchis & Prophetis ſuccedebant Apoſtoli, atque Euangeliſtæ: & ſic fiebat, quod ciuitas Dei Hieruſalẽ nunquam fuiſſet diuino munere egena, ſed ſemper plena, laudans & lætabunda: Vnde Pſalmiſta ad Regem & ad Regis filium loquens ait:
Pſal. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione & progenie.* Sequitur: *de nuru enim tua eſt, qui te diligit, & multum tibi eſt melior, quam ſi ſeptem haberes filios.* Nurus enim ſynagogæ Eccleſia eſt de gentibus congregata, quæ nupſit Chriſto Filio Dei de gente Iudæorum nato. Dicunt enim mulieres, hoc eſt, ſingulæ animæ ſanctorum, ad ſpiritalem Noemi, quæ eſt, ſynagoga, quod melior ſit ei filius, qui de nuru natus eſt, populus videlicet Chriſtianus, natus de Eccleſia matre, quam ſeptem fil i, hoc eſt, multitudo hominum, qui temporibus veteris teſtamenti per legis doctrinam imbuti naſcebantur, de quibus ſcriptum eſt. quod ſemper auerſi fuerint cordibus in Ægyptum, & quod irritauerunt Deum aſcendentes in rubro mare, & pro nihilo habue- Pſal. 105. runt terram deſiderabilem, nec crediderunt in verbis eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis, nec exaudierunt vocem Domini, & immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Nouiſſime autem Matth. 21. poſt confectam cædem ſeruorum, ipſum hæredem in- F terfecerunt, eiicientes eum extra ciuitatem, & pupillos eius occiderunt, vtique Apoſtolos, dicentes: *Non videbit* Pſal. 93. *Dominus, nec intelliget Deus Iacob.*

Suſceptumque Noemi puerum, poſuit in ſinu ſuo, & nutricis ac gerulæ officio fungebatur. Puerum ergo Noemi intelligibilis, quem ipſa per Legem non meruit gignere, ſuſceptum per Prophetiæ myſterium ſub velamine literarum ac figurarum typo portabat occultatum, & quodammodo nutricis ac gerulæ officio fungebatur, quæ matris priuilegio honorari non merebatur. *Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes, natus eſt filius Noemi, vocauerunt nomen eius Obed.* Vicinas autem mulieres ipſas hic intelligere poſſumus, quæ in Euangelio mulieri dragmam per- Luc. 15. ditam inuenienti congratulabantur, poteſtates vtiq; cœleſtes, quæ tanto ſupernæ ſapientiæ iuxta ſunt, quanto ei per gratiam continuæ viſionis appropinquant. Gaudent ergo Angelicæ virtutes atque poteſtates in partu ſpiritali Eccleſiæ, atque nomen eius vocant *Obed*, quod interpretatur *ſeruiens*, cum in ſuperni Regis caſtris ſecum militare illum ac ſeruire exoptent. Vnde in Apocalypſi G Angelus, debitum Deo cultum ſibi ab homine exhiberi metuens, Iohannem ſe adorare volentem prohibuit, dicens: *Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum* Apoc. 19. *Prophetarum, & eorum, qui ſeruant verba libri huius: Deum adora.* & 22.

Quid eſt, quod ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, poſtmodum vero adorari refugiunt? Niſi quod naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe adſumptam conſpiciunt, ſubſtratam ſibi videre pertimeſcunt: nec iam ſub ſe, velut infirmam, contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe, videlicet in cœli Rege, venerantur: nec habere dedignantur hominem ſocium, qui ſuper ſe adorant hominem Deum.

Quod autem de Obed ſubiungitur, quod ipſe eſſet pater Iſai patris Dauid; demonſtrat ſpiritalis generationis proſapiam: Obed enim, vt prædiximus, *ſeruiens*, interpretatur; Iſai, *inſulæ ſacrificium* vel *incenſum*: & Dauid, *fortis manu*, vel *deſiderabilis*. Qui enim Deo ſtrenue H deſeruit, ſacrificium illi gratum atque incenſum ſuauiſſimi odoris per virtutum opera & orationis ſtudium impendit, ſicque roboratus fide & deuotione deſiderabilis erit, & nimium Deo placitus: Vnde & Cornelio centurioni Angelus in viſione apparens, ora- Actor. 10. tiones eius aſſiduas & eleemoſynas frequentes Deo aſſeruit eſſe acceptibiles. Hinc & per ſapientiam dicitur: *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro* Eccl. 29. *te exorabit ab omni malo: ſuper ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſum inimicum tuum pugnabit. Timen-* Eccl. 33. *ti Dominum non occurrent mala, ſed in temptatione DEVS illum conſeruabit & liberabit ab omni malo.*

Hæ ſunt generationes Phares: Phares genuit Eſron, Eſron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naaſſon,

Digitized by Google

A *Naaſſon genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed, genuit Iſai, Iſai genuit Dauid.* Prudens lector nota, quod generationes decem ſunt à Phares, filio Iudæ, filii Iacob vſque ad Dauid: & cognoſces, quod totius legis intentio ad Redemptorem noſtrum, qui de ſemine Dauid natus eſt, tendit, quatenus illius aduentum mundo ſalutarem prædicet, & totius legis plenitudinem atque perfectionem in eo conſiſtere manifeſtet: *Finis enim legis, Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* (Rom. 10.) Ante legem ergo datam Iacob Patriarcha in Iudæ benedictione de incarnatione Mediatoris Dei & hominum ita teſtatus eſt, dicens: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femoribus eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* (B Geneſ. 49.) Ad Dauid autem, qui decimus natu erat de ſemine Iuda taliter Scriptura refert, dicens: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam.* (Pſal. 131.) Et ſic tibi patebit omnium Patriarcharum, atque Prophetarum oracula ad diſpenſationem pertinere Domini Saluatoris ac Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti.

Hrabani Mauri, Archiepiſcopi Moguntini, Commentariorum in Librum Ruth Finis.

HRABA-

HRABANI MAVRI IN QVATVOR LIBROS REGVM, COMMENTARII.

PRÆFATIO.

DOMINO REVERENDISSIMO, ET IN MEMBRIS CHRISTI plurimum Venerando atque colendo, Patri HILCVINO Abbati, & ſacri Palatij Archicapellano HRABANVS, exiguus ſeruorum Dei ſeruus, in Domino æterno perpetuam Salutem.

CVM Venerationem Tuam, ſancte Pater, vbique excellentem ſentiamus, & pluribus profectuoſam eſſe, compertum habeamus: id ipſum vt diuina clementia diutius fieri permittat, & nouiſſime æterna mercede remuneret, aſſiduis precibus inſtanter depoſcimus. De cætero quoque quia veſtra Sanctitas, per quendam fratrem noſtrũ, quem ad palatium præterito anno direximus, noſtræ paruitati ſuggerere dignata eſt, quatenus aliquod volumen vobis vtile mitteremus: Nos hæc ſuggeſtio non parum ſollicitos reddidit, quod vobis, qui diuites eſtis in omnibus, in omni ſcientia, & doctrina, & apud quem librorum maxima copia eſt placitum & condignum accommodare poſſemus. Et quia vos aliquem librum, quem vobis mitterem, nominatim non expreſsiſtis, cogitaui mecum in expoſitionem librorum Regum quoddam opuſculum conficere, & nomini veſtro illud conſecrare, veſtræque prudentiæ approbandum humiliter hoc dirigere. Quod deprecor, eo animo ſuſcipiatis, quo vobis illud tranſmiſi. Non enim arbitror illud eſſe vobis condignum, ſed ex deuoto corde, qualecunque ſit, tamen prolatum. Æſtimo enim, ſi illud relegere volueritis, per omnia vobis non diſplicere: cum cognoueritis, me ad hoc laborare velle, vt ſanctorum patrum dicta, quæ de prædicto libro expoſita in pluribus exemplaribus diſperſa ſunt, in vnum ob commoditatem legentis colligerem: quatenus quid quiſque eorum in ſententiis diuerſis hiſtoriæ Regum per ſingula loca ſenſerit, pariter & ſecundum ordinem à nobis diſpoſitum reperiret. Ibi enim inueniet, quid Pater *Auguſtinus*, quidve inſignis interpres diuinorum librorum *Hieronymus* ſenſerint: quid Papa beatus ac ſuauiſſimus Doctor *Gregorius*, quidve *Iſidorus* Hiſpalenſis Epiſcopus, & quid *Beda*, magiſter Nobilis, ac cæteri Patres, quorum longum eſt nomina recenſere, rite intellexerint. Quorum omnium ſententias, aut ſicuti ab ipſis conſcriptæ ſunt, poſui, aut ſenſum eorum meis verbis breuiando explanaui. Prænotauique in marginibus paginarum, aliquorum eorum nomina, vbi ſua propria verba ſunt; vbi vero eorum ſenſum meis verbis expreſſi, aut vbi iuxta ſenſus eorum ſimilitudinem, prout diuina gratia mihi concedere dignata eſt, de nouo dictaui, M. litteram *Mauri* nomen exprimentem, quod Magiſter meus beatę memoriæ, *Albinus* mihi indidit, prænotare curaui, vt diligens lector ſciat, quid quiſque de ſuo proferat, quidue in ſingulis ſentiendum ſit, decernat. Præterea *Hebræi cuiuſdam* modernis temporibus in legis ſcientia capitulis traditionem Hebræorum habere non paucis locis ſimul cum nota nominis eius inſerui, non quaſi ingerens alicui auctoritatem ipſius, ſed ſimpliciter potius, quod ſcriptum repperi, eius probationem lectoris iudicio derelinquo. Ante omnia autem deprecor, vt præſumptioni meæ veniam tribuas, quod tam imperitus, non ſolum ſermone, ſed etiam ſcientia, tantum opus ſubire præſumpſi. Non enim de mea, ſed de diuina confidebam potentia, de qua ſcri-
ptum eſt: *Quia ſapientia aperit os mutorum, &* Sap. 10.
linguas infantium facit diſertas. Qui & humanam
fecit linguam pecudis reſonare loquelam. Le- Num. 22.
gebam enim eum per Prophetam dixiſſe: *A-*
peri os tuum, & ego adimplebo illud. Et alibi: *Quo-* Pſal. 26.
niam, inquit, *in me ſperauit, liberabo eum, & prote-* Pſal 90.
gam eum quoniam cognouit nomen meum. Nec enim diffido aliquos eſſe qui ſuam volentes oſtentare peritiam, noſtram reprehenſuri ſint inertiam. Quibus non meis, ſed beati Hieronymi reſpondebo ſermonibus: *Legant, qui volunt: qui autem nolunt, abiiciant, & ventilent apices, litteras calumnientur.* Magis veſtra caritate

prouocabor ad ſtudium, quam illorum detractione & odio deterrebor. Si enim hæc parua à veſtra grate ſuſcepta fuerint pietate, Domino opitulante, adhuc aliquod vtile elaborare & veſtræ Sanctitati præſentare conabor. Beatitudinem veſtram Maieſtas Diuina fœlici ſucceſſu pollentem perpetualiter conſeruare dignetur.

JNCIPIVNT CAPITA PRIMI LIBRI.

DE Elcana, & duabus vxoribus eius, hoc eſt, Anna & Ienenna. I.

Canticum Annæ, quod cantauit poſt natiuitatem Samuelis. II.

De miniſterio Samuelis in templo, & de exceſſu filiorum Heli ſacerdotis. III.

Quod increpatur Heli per virum Dei, pro ſcelere filiorum ſuorum, quos non rite pater corripuit, & de mutatione ſacerdotij veteris legis. IV.

De veritate Heli, & terna vocatione Samuelis in tabernaculo, cui prædixit Dominus ea, quæ ipſe facturus erat Heli & filiis eius pro ſcelere commiſſo. V.

Prælium Philiſtiim contra Iſraelem in quo arca Dei capta eſt, & duo filij Heli occiſi, & populus Iſraeliticus fugatus, & Heli defunctus. VI.

De eo, quod Philiſtiim impoſuerunt arcam Dei contra ſimulachrum Dagon, propter quod percuſſit Dominus omnes Philiſtæos in poſterioribus ob inſultationem. VII.

Quod Philiſtæi facientes plauſtrum nouum vaccis fœtis trahentibus remiſerunt arcam Bethſames, eiusq; rei myſtica ſignificatione. VIII.

De eo, quod Samuel allocutus eſt Iſraelem, vt relinqueret Bahalim, & Aſtaroth, & ſeruirent Domino, & quod illo orante liberati ſunt Iſraelitæ à Philiſtæis nec vltra præualuerunt illis in diebus Samuelis. IX.

Quod Samuel duos filios ſuos iudices Iſraeli conſtituit, qui exceſſerunt, quapropter petierunt regem, ipſeq; Saul requirens aſinas ad Prophetam peruenit. à quo in regem vnctus eſt. X.

Bellum Naas Ammonitæ aduerſum Iabes Galaad, quem Saul cum Iſraelitis pugnans proſtrauit. XI.

De eo, quod Saul Rex conſtitutus ordinauit exercitum ſuum, & quod ipſe Saul in offerendo holocauſtum offendit Dominum, & quod Philiſtæi prohibuerunt arma fabricari in omni terra Iſrael. XII.

Quod Saul dimicaturus, aduerſus Philiſtiim, vniuerſo exercitui indixit ieiunium, quod Ionathas ignorans per guſtationem mellis fregit, & ob hoc vix precibus populi à nece liberatus eſt. XIII.

De bello, quod Saul præcepto Domini, contra Amalech geſſit, vbi Dominum offendit per inobedientiam, eo quod non diſperdidit totum Amalech cum omni ſubſtantia propter cupiditatem: vnde Dominus eum exprobauit & per Prophetam increpauit. XIV.

Quod, Saul reprobatus, electus eſt per Samuelem Dauid in Regem, & quod ipſe Dauid coram Saul furente cithera canebat. XV.

De pugna Dauid contra Goliath Philiſtæum, quem iactu lapidis ipſe occidit. XVI.

De pacto Ionathæ cum Dauid, & deſponſatione Michol filiæ Saul, quodq; Saul Dauid Pſallentem cithara voluit lancea configere. XVII.

De illuſione Saul, quomodo per ſtatuam in lecto poſitam, & pellem piloſam caprarum illuſus eſt, cum quærebat Dauid occidere. XVIII.

De eo, quod Saul miſit nuncios ad quærendum Dauid, qui venientes ad cuneum Prophetarum, & ipſi prophetabant, nec non & Saul poſtea illuc veniens, tota die nudus prophetauit. XIX

De verbis Ionathæ ad Dauid, & de ſigno ſagittæ, quod dedit ad ipſum Dauid. XX.

De eo, quod fugit Dauid ad ſacerdotem Abimelech, à quo paſſus eſt, propter quod ipſe ſacerdos à Saul interfectus eſt, & turba ſacerdotum cum eo. XXI.

De fuga Dauid ad Achis Regem Geth. XXII.

De eo, quod Dauid fugit in ſpeluncam Odollam, vbi eum fratres eius & omnis domus patris eius viſitauerunt, & alij plurimi ad eum conuenerunt. XXIII.

Quod Dauid in deſerto Ziph in ſylua latuit, quem Ziphæi prodiderunt Saul. XXIV.

Quod Dauid, in Heremo Engaddi in ſpelunca latitans, oram Chlamidis Saul latenter abſcidit, qui ingreſſus eſt in eandem ſpeluncam, vt purgaret ventrem. XXV.

De morte Samuelis, & de hiſtoria Nabal, & Abigail vxoris eius, quomodo egerunt cū Dauid. XXVI.

Quod Dauid fugiens à facie Saul, cum eum dormientem reperiſſet, non occidit, ſed ſolam lanceam & ſcyphum aquæ abſtulit. XXVII.

De Phitoniſſa, quæ ob rogatū Saulis Samuelē ſuſcitauit, qui ei de vicina morte intimauit. XXVIII.

Quod Dauid Amalechitas ſuperauit, & prædam, quam abſtulerant in Sicelech, eripuit. XXIX.

Pugna Philiſtiim contra Ieruſalem, & de morte Saulis & filiorum eius. XXX.

Explicíunt capita primi Libri.

HRABA-

A E

HRABANI MAVRI IN PRIMVM LIBRVM REGVM, COMMENTARIVS.

CAPVT I.

I. F*VIT vir vnus de Ramatha Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana,* &c.

Dicamus primum de generatione Prophetę ſecundum hiſtoriam, vt poſtea continuatim allegoriam eius inſeramus. Elcana quippe, pater Samuelis Prophetæ, de ſtirpe Leui fuit, ſed non de generatione Aaron ſacerdotis: fuit enim (vt verba de eum narrant.) B Idem Elcana filius Ieroboam, filii Eliel, filii Tan, filii Subh, filii Elcana, filii Maath filii Amaſai, filii Elcana, filii Hiohel, filii Zariæ, filii Sophoniæ, filii Thaath, filii Aſir, filii Abiaſaph, filii Choræ, filii *Saar*, filii Caath filii Leui, filii Iſrael. *Hebr.* Mater quoque eius de tribu Iuda extitiſſe monſtratur in eo, quod Ephratæus, Ephrataus ab Ephrata, vxore Caleb, quam conſtat fuiſſe de tribu Iuda, dictus eſt. Et ſi quem monet, quod ab Ephraim non ab Ephratha Ephrathæus vocetur, videat in ſubſequentibus, qualiter Dauid filius viri Ephratæi vocetur, cum liquido pareat eundem Iſai non de Ephraim, ſed de tribu Iuda extitiſſe, & probet eundem Elcanam Ephrateum ab Ephrata, non ab Ephraim dici. Hic inter medios ciues Effrem fortis exiſtens, *Hier.* Ramath *S*ophim, ciuitatem inhabitabat. Eſt enim ipſa ciuitas in regione Thamnitica iuxta Dioſpolim, vnde fuit *Matt. 27. Marc. 15. Luc 23. Ioan 19* *Ioſeph*, qui in Euangeliis *de Arimathia*, eſſe ſcribitur. *Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen ſecunda Ienenna; fueruntq́; Ienennæ filii, Annæ autem non erant liberi.*

Conuenienter igitur Annæ ſterilitas commemoratur, C cuius partus celebrior futurus erat, inſtar priorum Patrũ, vt maius gaudium poſt longum mœrorem de percepta fœcunditate parentum inſinuetur. Sicut enim Abraham *Gen. 16.* Patriarchæ legitima vxor, quam primitus duxit, Sara videlicet, primum ſterilis fuit, Agar Ægyptia generante filiũ. & ſicut, Iacob ſeruiente ſocero ſuo pro Rachel vxore *Gen. 29.* ipſa Rachel ſterilis fuit, ſorore eius Lia liberos gignente: ita & Elcanæ melior vxor, quæ Prophetam genuit, ſterilis primum fuit, poſt autem per Domini gratiam fœcunda. *Et aſcendebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret & ſacrificaret Domino exercituum in Silo,* &c.

Hier. Silo, ciuitas eſt in tribu Effraim, in quo loco arca teſtamenti manſit ad tabernaculum Domini à temporibus Ioſue filii Nun, poſtquam vicerat gentes, quæ terram promiſſionis poſſederant, vſq; ad tempora *S*amuelis. Narratur enim in libro Ieſu Naue, quod prædictus dux ſorte ibi miſſa coram Domino terram repromiſsionis in ſingulis tribubus diſtribuerit. Eſt autem Silo in nonageſimo milliario Neaſpoleos, in regione Acrabitena. Sed & Iudæ Patriarchæ filium Seloh appellatum legimus. Ad hanc ergo vrbem aſcendit Elcana cum domo ſua ſtatutis diebus ſe- D cundum legem, vt adoraret & ſacrificaret Domino exer- *Hebr.* cituum. Quod autem dicit, *ſtatutis diebus*: hoc eſt tribus feſtiuitatibus Paſcha videlicet, Pentecoſte, & ſolennitate tabernaculorum. Vnde Dominus in Exodo præcepit, di- *Exod. 23.* cens: *Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.* Et *Ibid 34.* item: *Ter,* (inquit,) *in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo in loco, quem elegit Dominus Deus tuus.* Ergo in Silo cum eſſet eo tempore arca Domini: ibi hic Helchana, cum eſſet ipſe Leuita, poſt oblatas victimas cum vxoribus & filiis atq; filiabus pariter veſcebatur. *Deditq́; Ienennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius & filiabus partes. Annæ autem dedit partem vnam triſtis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluſerat vuluam eius. Affligebat quoq́; eam æmula eius, & vehementer angebat in tantum vt exprobaret, quod concluſiſſet Dominus vuluam eius,* &c.

Nota, quod ſicut Saram ſterilem Agar concipiens deſpexit: ita & Annam ſterilem Ienenna prole fœcunda æmulabatur. Malorum eſt enim ſolatium bonos carpere. *Geneſ. 16.*

Porro illa flebat & non capiebat cibum, &c.

Irritata quippe ab æmula ſua, non capiebat cibum læta corporeum. Sed, ſecundum Prophetam, fuerunt illi lachrymæ eius panes die ac nocte, & potum ſuum cum fletu temperabat. *Pſal. 41.*

Surrexit autem Anna poſtquam ederat in Silo & biberat, & Heli ſacerdote ſedente ſuper Sellam ante poſtes templi Domini, &c. F

Heli iſte ſummus ſacerdos erat, & poſt Sampſon populum Iſrael regebat; vt in Hebræorum libro inuenitur, annis quadraginta: ſecundum ſeptuaginta autem interpretes, annis viginti.

Cum eſſet Anna amaro animo, orauit Dominum flens largiter, & votum vouit, dicens. Domine exercituũ, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſq́; ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnes dies vitæ eius, &c.

Recordabatur forſan verborum Beati Iob: quibus dixit: *Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego: inuocabit Dominum,* *Iob 12.* *& exaudiet eum.* Quia ipſe laborem & dolorem conſiderat. De quo ſcriptum eſt: *Tibi, Domine derelictus eſt pauper,* *Pſal. 10.* *pupillo tu eris adiutor:* cui vota iuſtorum ſunt placabilia, & oculi *Prou. 15.* eius ad preces eorum.

Factum eſt ergo, cum illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obſeruaret os eius. Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumq́; labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æſtimabat ergo eam Heli temulentam, dixitq́; ei: vſquequo ebria eris? digere paulliſper vinum, quo mades. Reſponditq́; Anna: Nequaquam, inquit, Domine. Nam mulier infœlix nimis ego ſum. Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi. Sed effudi animam meam in conſpectu Domini: Ne reputes ancillam tuam, G *quaſi vnam de filiabus Belial quia ex multitudine doloris mei locuta ſum vſque in præſens,* & reliqua.

Belial interpretatur, *abſque iugo*. Nota, quod hi, qui ebrietatem ſectantur, filii Belial, vocitentur: hoc loco impletur illud, quod ſcriptum eſt: *Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor.* Quia Heli tantum os deprecantis Annæ *1 Reg 16.* intuebatur, & vocem eius penitus non audiebat, nec motum labiorum cernebat: æſtimabat ebriam eſſe. Illa autem quia ſurſum eleuabat cor, & confitebatur Domino in toto corde ſuo: reſpexit Dominus ad orationem eius, & nõ ſpreuit preces illius. Nobiſq; optimus modus orandi ad exemplum datus eſt, vt non in multiloquio formemus preces noſtras ad Dominum, ſed in compunctione cordis, & effuſione lachrymarum, nos exaudiri ab eo credamus; quia *ſacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum* *Pſal. 50.* *& humiliatum Deus non ſpernit.* Quod tunc digne fit, ſi ora- H tione completa, nos eodem tenore iuſtitiæ permanebimus. Vnde & ſequitur: *Et abiit mulier in viam ſuam & comedit, vultuſque eius non ſunt amplius in diuerſa mutati. Et factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitq́; nomen eius Samuel, eo quod à Domino poſtulaſſet eum,* & reliqua.

Poſt circulum ergo dierum, id eſt, poſt anni reditum, peperit Anna filium, vocauitq; nomen eius, *Samuel,* qui interpretatur, *poſtulatio Dei,* ſiue, *nomen eius Deus:* quia auctor natiuitatis eius Deus erat, qui ab ſterili exoratus, conceſsit habere filium, qui dignus haberetur in templo Dei, cunctis diebus adſiſtere, ad ſeruitium eius. Myſticè autem Elcana pater venerabilis Sa- *ibid.* muelis, qui erat *poſſeſſio DEI* (Elcana quippe in

poſſeſsionem

Digitized by Google

A *poſſeſſionem Dei* transfertur:) animi virtute vir dicitur. Et non ſolum vir, verum etiam vir vnus appellatur. Non enim in diuerſa vagabundus vel mobilis atq; inſtabilis ferebatur, ſed firmus atque inconcuſſus perſiſtens vir vnus erat. Et non ſolum ille vir vnus dicitur, ſed omnes competenter vnus dicuntur, vnam ſapientiam omnes habentes, qui vnum Chriſtum Ieſum confitentur, in vno Spiritu Dei replentur. Inde dicit Apoſtolus: 1 Cor. 9. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam.* Vnuſquiſq; inſipientium non eſt vnus ſed multi. Eccl. 17. Vnde per Scripturam dicitur: *Inſipiens, ſicut Luna, mutatur*: Luna cum videtur vna eſſe per ſubſtantiam, per mutationem dierum ſemper à ſemetipſa, alia eſt, & diuerſa. Sic & peccatores, qui mutantur ſemper ſcientia, & cupiunt diuerſa, inſtabiles ſunt in omnibus viis ſuis. Vnus autem dicitur Deus, non de numero, ſed quia nunquam à ſemetipſo alter efficitur, ideo nunquam mutatur, vt eſt illud. Pſal. 101. *Tu autem idem ipſe eſt, & anni tui non deficient.* Fuit, inquit, vir vnus de Ramatha Sophim, de mõte Ephraim. Ramatha, ſiue Armatha, vt in aliquibus exemplaribus habetur, *altitudo eorum*, interpretatur: Sophim, *ſpecula* ſiue *ſcopulus*: Ephraim, *fructificatio*. B Hier. Qui in monte Ephraim, & in Ramatha Sophim commoraſſe dicitur, in alta ſcilicet contemplatione virtutum, vt à nullis ſubiacentibus & circumlatrantibus vitiorum cogitationibus mentis eius ſublimitas deiiceretur, vel vnitas ſcinderetur, & idcirco non de vallibus, neq; de campis, non de collibus, ſed de monte Ephraim eſſe dicitur, hoc eſt, de monte frugifero, in quo nobilitas omnium virtutum fructificare dinoſcitur. Habuit vir ille duas vxores. Quarum prima (vt prædiximus) nobilior Anna ſterilis erat, Gen. 16. vt fuit prima vxor Abrahæ Sara nobilior, ſecunda quidem, hoc eſt, Ienenna fœcunda fuit, ſicut Abrahæ ſecunda vxor, id eſt, Agar Ægyptia; ſed ignobilior. Et effectus eſt, Abraham primum pater de ignobili, poſtea de nobili coniugio. Ita Elcana, qui, *poſſeſſio Dei*, eſt primum de ſecunda vxore efficitur pater, quia concluſerat Dominus vuluam Annæ, vt primum vuluam Saræ poſt partum Ienennæ aperuit vuluam Annæ. Ienenna, interpretatur, *conuerſio*, Anna, *gratia*, interpretatur. Qui vult effici poſſeſſio Dei, ducat has duas vxores, & C iungat ſibi primum eam, quæ nobilior eſt, hoc eſt, gratiam. Hæc enim prima, per fidem coniungitur homini, vt Epheſ. 2. Apoſtolus ait: *Gratia enim Dei ſaluati eſtis per fidem.* Secundo coniungatur Ienennæ, id eſt, conuerſioni, quia poſt gratiam credulitatis, morum emendatio ſequi debet. Prima filios nobis generat Ienenna, quia primos nobis fructus proferimus per conuerſionem. Niſi enim conuertamur à malo, non poterimus effici patres de Anna. Ienenna filios habet, ſed qui non adſiſtunt altari ſemper, nec tamen inanes fiunt, nam de ſacrificiis diuinis edunt. Vnuſquiſq; ergo, qui conuertitur à peccato, ex conuerſione generat opera iuſtitiæ, & poſtea excitata Anna, id eſt, anima fidelis, per zelum bonam precem fundit Domino, vt ipſa filios generet, qui adſiſtant Deo, hoc eſt, filios gratiæ. Pſal. 1. Qui enim Deo vacat, & ſemper *legem Domini die ac nocte meditatur*, hic eſt filius gratiæ. In Euangelio huius hiſtoriæ forma oſtenditur, vnde Luc. 10. *Martha ſatagit circa frequens miniſterium*, explet opera iuſtitiæ, & per hæc velut filios conuerſionis generat, & Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiens verbum illius, optimam partem D dicitur elegiſſe, & intelligitur velut gratiæ ſobolem procreare, quæ ſemper dicat: Pſal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Anna generat filium Samuel de quo dicitur: Pſal. 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Qui dicitur, *vbi ipſe Deus*; Vbi enim Spiritus 1. Cor. 14. gratiæ, ibi dicitur Deus. Vnde Paulus dicit: *Et cadens in faciem, adorabit Deum, dicens; vere Deus in vobis eſt.* Sic ergo niſi præcedant opera conuerſionis: non poſſumus dona diuini Spiritus generare. *Manſit ergo mulier, & lactauit filium ſuum: donec amoueret eum à lacte. Et adduxit eum ſecum, poſtquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini.* In Hebræo non, *tribus modiis farinæ*, ſed *modio farinæ*, legitur. Quem locum apud Latinos ſcriptorum vitio conſtat eſſe deprauatum. Si enim cum tribus vitulis tres modios farinæ obtulit, contra legis præceptum fecit. E In lege itaque ita præcipitur: Num. 29. *Menſis ſeptimi prima dies venerabilis, & ſancta erit vobis. Omne opus ſeruile non facietis, dies clangoris eſt & tubarum. Offeretiſque holocauſtum, in odorem ſuauiſſimum Domino vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptẽ & in ſacrificiis eorum ſimilæ oleo conſperſa, tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem, vnam decimam per agnum.* Hæc vero decima, decima pars Ephi erat, vnde datur intelligi, quod Elcana non obtulerit tres modios farinæ cum tribus vitulis, ſed nouem decimas, quibus ſecundum Hebraicam menſuram vnus efficitur Ephi. Quod autem Anna, nato puero, noluit illum ducere ad domum Dei, antequam ablactaretur, ſignificat Eccleſiam matrem quemlibet filiorum ſuorum non ante ad ſacerdotium prouehere, quã illum à lacte infantiæ, & paruitate ſenſus educatum effecerit capacem ſpiritalis doctrinæ. Hebr. 5. *Omnis enim*, ait Apoſtolus, *qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonum iuſtitiæ.* Offert eum in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ ſiue modio farinæ, & amphora vini, hoc eſt, in ſacrificio piæ confeſſionis, in exercitio bonæ operationis, & gratia ſacræ eruditionis, & fide ſanctæ Trinitatis pleniter inſtructum, F qui poſſit dicere cum Propheta: Oſe. 14. *Reddemus Domino vitulos labiorum noſtrorum*, & iugiter in domo Dei permanens offerat digne Sacramentum corporis & ſanguinis Domini.

CAPVT II.

II. EXultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo, &c.

Non inuenitur orare in hoc Cantico, niſi per duo verba tantum, vt dicit: *Lætata ſum in ſalutari tuo*; & aliud eſt: *Quia non eſt Deus præter te.* Apoſtolus autem dicit. 1. Theſſ. 5. *Orate ſine intermiſſione.* Illi enim, qui in diuino verſatur officio, omnia geſta eius dictaque pro oratione reputantur, quia iuſtus ſine intermiſſione, quæ iuſta ſunt, agit. Et hoc ſine intermiſſione iuſtus orabit. Et in Pſalmis dicit: Pſal. 140. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Eleuat manus ille, qui eleuat actus ſuos. Aliter: Exod. 17. *Moyſe eleuante manus, vincebat Iſrael: dimittente vero vincebat Amelech.* Quia donec famulus Dei eleuat actus ſuos G ad Dominum, vincit plebs Dei: cum autem dimiſerit actus ſuos, vincit Amelech inimicus Dei. *Exultauit*, inquit, Anna, *cor meum*, & neceſſarie addidit, *in Domino*, vt Paulus dixit: *Gaudete in Domino ſemper*, quia poteſt quis gaudere in carnalibus. Cum me homines laudant, non in Domino gaudeo: ſed gaudio in vanitate. Hinc compungar propter verbum Dei, cum dicit; *Exultauit cor meum in Domino.* Dicat ergo Eccleſia Chriſti, ciuitas regis magni, gratia plena, prole fœcunda: Dicat, quod tanto ante de ſe Prophetatum per os huius piæ matris agnoſcit: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Vere exultauit cor, quia in Domino, & vere exaltatum cornu, quia non ex ſe, ſed in Domino Deo ſuo exaltatum eſt. Et in alio loco dicit: Pſal. 74. *Exaltabuntur cornua iuſti*, quia de Crucis Chriſti apicibus, iuſtis conferuntur hæc cornua. In his ventilabimus atque deſtruemus aduerſarias poteſtates, animæ noſtræ inſidiantes. *Dilatatum eſt, os meum ſuper inimicos meos*: quia & in anguſtiis preſſuratum ſermo Dei non eſt alligatus, nec in præconibus alligatis. *Quia lætata ſum in ſalutari tuo.* Salutaris iſte Dominus eſt H Ieſus Chriſtus quem Simeon, ſicut in Euangelio legitur, Luc. 2. ſenex amplectens paruum, agnoſcens magnum: *Nunc dimittis*, inquit, *Domine ſeruum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Si lætatus fuero in ſalutari Domini, tunc dilatatum eſt os meum. Per meditationem vtique verbi Dei, ad eleuationem cordis venitmus. Vnde Apoſtolus dicit: 2. Cor. 6. *Os noſtrum ad vos patet, ô Corinthij cor noſtrum dilatatum eſt.* Ex latitudine enim cordis, ori ſapientia miniſtratur. *Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus.* Diſtinctione vtitur. Non dixit, *niſi Dominus*, ſed, *nullus eſt ſicut Dominus*, ſanctus & ſanctificans, iuſtus & iuſtificans. *Neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter.* Non eſt, inquit, ſanctus præter te Domine, quia nemo fit, niſi abs te. 1. Cor. 8. *Etſi ſunt, qui dicuntur dij multi*, & Domini multi: nullus tamen naturaliter eſt id, quod Deus eſt, quia ipſe ſolus eſt

qui

Digitized by Google

A Exod. 3. qui dixit ad Moyſen ſeruum ſuum: *Ego ſum, qui ſum.* Nam vmbra ad comparationem corporis non eſt, & fumus ad comparationem ignis non eſt.

Nolite multiplicare loqui, ſublimia gloriantes, &c.

Eccl. 3. Et Salomon dicit: *Altiora te ne quæſieris.* Et alibi: *Dominus in cælo, & tu ſuper terram; ideo ſint pauci ſermones tui.*

Eccl. 5. *Recedāt vetera de ore veſtro.* Hoc eſt, inaniloquiū nō exeat de ore veſtro. Epheſ. 4. *Omnis ſermo malus,* dicit Apoſtol⁹, *ex ore veſtro non procedat.* *Quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* Ipſe vos ſcit, & vbi nemo ſcit. 1. Cor. 2. *Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.* Galat. 6. *Vnde qui putat, ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit: ſeipſum ſeducit.* Hæc dicuntur aduerſariis ciuitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præſumentibus, in ſe, non in Domino gloriantibus. Ex quibus ſunt etiam carnales Iſraheliæ terrenæ Ieruſalem, ciues terrigenæ, qui; Rom. 10. vt dicit Apoſtolus, *ignorantes Dei iuſtitiam,* id eſt, quam dat homini Deus, qui ſolus eſt iuſtus atque iuſtificans, *& ſuam volentes conſtituere,* id eſt, velut à ſe ſibi paratam, non ab illo impertitam, *iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti*, vtique quia ſuperbi de ſuo putantes non de Dei poſſe placere. B Pſal. 93. Sed qui eſt Deus ſcientiarum, ipſe *videt cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt.* Vnde vanæ ſunt niſi, quia propriæ hominum ſunt, & ab illo non ſunt, à quo ipſi homines ſunt? *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.* Infirmatus eſt arcus, id eſt, intentio eorum, qui tam potentes ſibi videntur eſſe, vt ſine Dei dono atque adiutorio, humana ſufficientia, diuina poſſint implere mandata. *Et infirmi accincti ſunt robore,* qui tantum in Dei pietate confidunt, & ab illo ſolatia quærunt, dicentes cum Propheta: Pſal. 6. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.* Infirmus erat populus gentilis, quando alienus à teſtamento Dei fuerat. Epheſ. 6. Nunc ergo præcinctus eſt robore, cum indutus eſt ſcuto fidei, & galea ſalutis, & gladio Spiritus hoſtis antiqui tela ignea proterit.

Saturati prius pro pane ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt, &c.

Qui ſunt intelligendi ſaturati panibus, niſi iidem ipſi quaſi potentes, id eſt, Iſraheliæ, Rom. 3. quibus credita ſunt eloquia Domini? C Sed in eo populo ancillæ filii minorati ſunt, cum ſe ſubtraxerunt, ne crederent in Saluatorem, & in ipſis panibus, id eſt, diuinis eloquiis, quæ illi ſoli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, Pſal. 146. terrena tantum ſapiunt. Gentes autem, quibus lex illa non erat data, poſteaquam per nouum teſtamentum ad eloquia illa venerunt, multum eſuriendo terram tranſierunt; quia in eis non terrena, ſed cœleſtia ſapuerunt. Et hoc, velut quæreretur cauſa, cur factum ſit: *donec ſterilis,* ait, *peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Heb. In Hebræo & in ſeptuaginta translatione, non *plurimi,* ſed *ſeptem* leguntur. Iudæi hunc locum ita intelligunt, quod nato Samuele mortuus ſit filius primogenitus Fenennæ, & ſingulis Annæ filiis naſcentibus ſinguli Fenennæ mortui ſint filii. Sed quærendum eſt, quomodo hoc ſtare poſſit; cum Fenenna ſeptem, Anna autem non pluſquam quinque filios habuerit. Quam quæſtionem Hebræi ſoluentes, duos filios Samuelis cum filiis Annæ annumerant. *Quia ſterilis,* Auguſt. inquit *peperit ſeptem: & multa in filiis infirmata eſt.* Hic totum, quod prophetabatur, eluxit; agnoſcentibus numerum ſeptenarium. Apoc. 1. Propter quod & Ioannes Apoſtolus ad D ſeptem ſcribit Eccleſias, eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere. Et in Prouerbiis Salomonis hoc antea præfigurans: Prou. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, & ſuffulſit columnas ſeptem.* Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei ciuitas, antequam iſte fœtus, quem cernimus, oriretur. Cernimus etiam, quæ multa in filiis, nunc infirmatam Hieruſalem terrenam, quoniam quicunq; filii liberæ in ea erant, virtutis eius erant: nunc vero quoniam ibi littera eſt, & Spiritus non eſt; amiſſa virtute infirmata eſt.

Dominus mortificat & viuificat.

Mortificat illam, quæ multa erat in filiis, & viuificat hanc ſterilem, quæ peperit ſeptem, quamuis commodius poſſit intelligi, eoſdem viuificare, quos mortificauerit. Id enim velut repetiuit addendo:

Deducit ad inferos, & reducit.

E Quibus enim dicit Apoſtolus: Coloſſ. 3. *Si mortui eſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens:* ſalubriter mortificantur vtique à Domino, quibus adiungit: *Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram:* Ibid. vt ipſi ſint illi, qui eſurientes tranſierunt terram. *Mortui enim eſtis,* Ibid. inquit; quoniam ſalubriter mortificat Deus. Deinde ſequitur: *Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Ecce, quomodo eoſdem ipſos viuificat Deus. Sed nunquid eoſdem deduxit ad inferos & reduxit? Hoc vtrumque ſine controuerſia fidelium, in illo potius videmus impletum, capite ſcilicet noſtro, cum quo vitam noſtram in Deo Apoſtolus dixit abſconditam. Rom. 8. Nam *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum,* iſto modo itaque mortificauit & quia reſuſcitauit à mortuis, eundem rurſus viuificauit. Et quia in Propheta vox eius agnoſcitur: Pſal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno:* eundem deduxit ad inferos, & reduxit. Hac eius paupertate ditati ſumus.

Dominus enim pauperes facit & ditat.

F Nam quid hoc ſit, vt ſciamus, quod ſequitur, audiamus:

Humiliat & exaltat.

Vtique ſuperbos humiliat, & humiles exaltat. Quod enim alibi legitur: 1. Pet. 5. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam:* hoc totus habet ſermo, cuius nomen interpretatur, *gratia eius.* Iam vero adiungitur: *Suſcitat à terra pauperem:* de nullo melius, quam de illo intelligo, 2. Cor. 8. *qui propter nos pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt eius paupertate* (ſicut paulo ante dictum eſt) *ditaremur.* Ipſum enim de terra ſuſcitauit tam cito, vt caro eius non videret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo, quod dictum eſt:

Et de ſtercore erigit inopem.

Inops quippe idem, qui pauper. Stercus vero, vnde erectus eſt, rectiſsime intelliguntur perſecutores Iudæi: in quorum numero cum ſe dixiſſet Apoſtolus Eccleſiam perſecutum: Philip. 3. *Quæ mihi fuerunt,* inquit, *lucra, hæc propter Chriſtum damna eſſe duxi: nec ſolum detrimenta, verum etiam ſtercora exiſtimans eſſe, vt Chriſtum lucrifacerem.* De terra ergo ſuſcitatus eſt ille, ſupra omnes diuites pauper erectus eſt, & G de illo ſtercore ſupra omnes opulentos ille inops, vt ſedeat cum potentibus populi, quibus ait. Matt. 19. *Sedebitis ſuper duodecim ſedes* & ſedem gloriæ hæreditatem dans eis.

Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

Pſal. 72. Quia ipſe *dominatur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Domini, inquit, ſunt cardines terræ, hoc eſt, quatuor plagæ mundi, in quibus dilatauit orbem Eccleſiæ ſuæ, quæ à ſolis ortu vſque ad occaſum laudat nomen eius. *Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit,* hoc eſt, electorum ſuorum opera in viam iuſtitiæ diriget. Matth. 22. *Et impij in tenebris conticeſcent.* quia mittentur, *in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium:* vbi conticeſcent, id eſt, ab arrogantia ſuperbiæ ſuæ ceſſabūt. *Quia non in fortitudine ſua roborabitur vir,* hoc eſt, non fortitudine propria, ſed in virtute diuina potens eſt vir; id eſt, populus credentium.

Dominum formidabunt aduerſarij eius, quia Dominus infirmum faciet aduerſarium ſuum.

Poteſt ex ambiguo Græco intelligi: & aduerſarium ſuum. Cum enim Dominus poſſidere nos cœperit: profecto aduerſarius, qui noſter fuerat, ipſius fit, & vincetur H à nobis non viribus noſtris, quia non in virtute propria potens eſt vir. Dominus ergo infirmum faciet aduerſarium ſuum. Dominus ſanctus vt vincatur à ſanctis, quos Dominus ſanctus ſanctorum efficit ſanctos. Ac per hoc: Ier. 9. *Non glorietur potens in ſua potentia, & non glorietur prudens in ſua prudentia, nec diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & ſcire Dominum, & facere iudicium & iuſtitiam in medio terræ.* Non parua ex parte intelligit, & ſcit Dominum, qui intelligit, & ſcit etiam hoc ſibi à Domino dari, vt intelligat & ſciat Dominum. Sed quia retributio iuſta in die iudicii futura eſt à Domino ſuper filios Adæ, inde ſequitur: *Dominus aſcendit,* inquit, *cælos, & tonuit, ipſe iudicabit extrema terræ, quia iuſtus eſt.* Prorſus ordinem tenuit confeſsionis fidelium hæc Propheteſſa. Aſcendit in cælum Dominus Chriſtus, & inde venturus

Digitized by Google

A Epheſ. 4. eſt ad iudicandum viuos & mortuos. *Nam quis aſcendit,* ſicut dicit Apoſtolus, *niſi & qui deſcendit in inferiores partes terræ: Qui deſcendit ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes coelos, vt adimpleret omnia.* Per nubes ergo ſuas tonuit: quas Spiritu ſancto, cum aſcendiſſet, impleuit. De quibus carnali Ieruſalem, hoc eſt, ingratæ vineæ comminatus eſt apud Eſa. 6. Eſaiam Prophetam, *ne pluant ſuper eam imbrem.* Sic autem dictum eſt: *Dominus iudicabit fines terræ,* ac ſi diceretur: Dominus iudicabit extrema hominis, quoniam non iudicabuntur, quæ in melius, vel in deterius medio tempore commutantur, ſed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur. *Et dabit imperium regi ſuo,* hoc eſt, populo Chriſtiano, dat eis virtutem, qua carnem, ſicut Reges, regant, & in illo, qui propter eos fudit ſanguinem ſuum, mundum vincant. Sequitur: *Et ſublimabit cornu Chriſti ſui.* Quomodo exaltabit Chriſtus cornu Chriſti ſui? Omnes quippe vnctos eius chriſmate recte Chriſtos poſſumus dicere, quod tamen totum cum ſuo capite corpus vnus eſt Chriſtus. Hæc Anna prophetauit, mater Samuel ſancti viri, multumque laudati, in quo quidem tunc figurata eſt mutatio veteris ſacerdotii, & nunc impleta, quando infirmata eſt, quæ multa erat in filiis, vt B nouum haberet in Chriſto ſacerdotium ſterilis, quæ peperit ſeptem.

III. Interea Samuel erat miniſtrans in templo Domini, accinctus Ephod Bar, hoc eſt, ſuperhumerali lineo, quod diſtat ab illo Ephod, quo induebatur Pontifex, quia iſtud tantummodo lineum fuit, & conceſſum minoribus gradibus ad vtendum. Illud enim, quod veſtiebat Pontificem, ex quatuor coloribus, id eſt, hyacintho, byſſo, cocco, purpura, & ex auro habebatur contextum. *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, vt immolaret hoſtiam ſolennem Domino.* Tunica hæc parua, quam Anna mater, hoc eſt, gratia formauit & puero tradidit, ſignificat doctrinam facilem, qua imbuendi ſunt rudes animi credentium, 1. Cor. 3. qualibus Paulus dicit: *Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis.* Perfectorum autem cibus eſt ſolidus. Nec non & ſuperhumerale lineum ſignificat caſtitatem C & continentiam cum bonis operibus. Quia quiſquis diuino miniſterio fungi appetit: neceſſe eſt, vt primum caſte continenterque viuat, ac ſic in bonis operibus ſemetipſum exerceat. Porro filii Heli diuina ſacra temerantes peccabant coram Domino. Vnde ſcriptum eſt: *Filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum.* Et paulo poſt: *Erat ergo,* inquit, *peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à ſacrificio Domini.* Ioſephus, hiſtoricus Iudæorum, de his duobus filiis ita refert: *Heli ſacerdoti erant filij duo, Ophni & Phinees, circa homines iniurioſi, & circa diuinitatem impij, nullique iniquitati parcebant, & alia quidem munera ab oblatoris propter honorem ſibimet ſequeſtrabant. Alia vero rapinæ modo tollebant. Mulieribus religionis cauſa venientibus contumelias inferebant. Aliis quidem violentias facientes. Aliis vero perſuadentes donis, nihilque eorum vita à tyrannide peſſima differebat. Vnde & Heli ſacerdos pro eorum iniquitate damnatus eſt: quod eos peccantes minus ſeuera animaduerſione plectebat. Et quidem coërcuit, & quidem corripuit, ſed lenitate & manſuetudine patris: non ſeueritate & auctoritate Pontificis.* D Qua ſententia diſcant, quomodo ſacerdotes propter peccata filiorum, id eſt, propter ſcelera populi puniantur. Quique etiam quamuis ſancti ſint: culpa tamen ſubditorum eiſdem, ſi non coërceant, reputatur. Extraneus quippe à Deo eſt, qui non tenet diſciplinam, & filios non corrigit, vt bene & iuſte viuant. Qui autem non corripit filios ſuos, vt emendent, quæ praue geſſerunt: impie eſt pius, quia indulget vitiis, & conſenſum præbet iniquis in malum ſuum. Ophni quidem interpretatur, *inſania conuerſionis:* & merito ita nuncupatur: quia differt conuerti in melius, & longe efficitur à vera conuerſione ad Dominum, quæ emendat hominem à vitiis Exod. 6. Num. 25. & peccato. Phinees, *oris obturatio,* ſiue *ori parcens,* interpretatur. Duos Phinees ſacerdotes legimus in Scriptura: illum iuſtum, filium Eleazar: & iniuſtum, filium Heli. Sunt autem in ſacerdotibus hodie, qui vtriuſque

E typum tenent. Sacerdotes igitur, qui cuſtodiunt os ſuum & compeſcunt à malo & prauo eloquio ſecundum Apoſtolum, quod omnis ſermo malus ex ore eorum non procedat, hi Phineæ filio Eleazari comparantur. Illi autem, Epheſ. 4. qui obturatum os habent, ſiue imperitia, ſiue vitio, ſiue conſcientia peccatorum, vt proximis ſuis verbum ſalutis rite non impendant: ipſi Phineæ, filio Heli comparantur. Quod autem ſequitur in verbis Heli:

Si peccauerit vir in virum placari poterit Deus. Si in Domino peccauerit vir, quis orabit pro eo?

Non igitur eo modo in virum, quo in Deum peccatur. Quia in virum peccare, peccatum, qualecunque eſt, contra proximum factum, leuiſque eſt eius remiſſio. In Deum vero peccare, id eſt, ab eius cultu recedere, impietatis peccatum eſt, difficiliorque eius remiſſio. Et quoniam cum in virum quis peccat, placato ſibi viro facit Deum ſibi placabilem; in Deum autem cum quis peccat, quis orabit pro eo? Ac ſi dicatur: Per quem ſibi Deum, in quem peccauit, propitium facere poterit? tamen non ita intelligendum eſt, quod nulla venia ſperanda ſit his, qui in diuino officio aliquid deliquerint, etiam ſi digne F pœnitentiam gerant: ſed quod difficilior ſit venia, & maior agenda pœnitentia his, qui in rebus Deo ſacratis offenderint, quam ſi quis proximum ſuum in verbo, vel in facto aliquid læſerit. Quia quanto maior gloria, tanto grauior fit offenſa.

IV. *Venit autem vir Dei ad Heli & ait ad eum. Hæc dicit Dominus: Nunquid non aperte reuelatus ſum domui patris tui, cum eſſet in Ægypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, vt aſcenderet ad altare meum, & adoleret mihi incenſum, & portaret Ephod coram me, & dedi domui patris tui omnia, de ſacrificiis filiorum Iſrael? Quare calce abiicitis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo, & magis honoraſti filios tuos quam me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij Iſrael populi mei? Propterea ait Dominus Deus Iſrael: Loquens locutus ſum, vt domus tua & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc à me. Sed quicunque glorificauerit me, glo-* G *rificabo eum. Qui autem contemnunt me; erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris, vt non ſit ſenex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo in vniuerſis proſperis Iſrael, & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: ſed vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: In die vno morientur ambo,* &c.

Ecce, inquit, *dies veniunt, & præcidam brachium tuum & brachium domus patris tui.* Per brachium dignitatem & ro- Heb. bur ſummi exprimit ſacerdotii. *Vt non ſit,* inquit, *ſenex in domo tua.* Per ſenem ſacerdotem magnum oſtendit. *Et videbis æmulum tuum in templo in vniuerſis proſperis Iſrael.* Aemulus domus Heli Sadoc ſacerdos extitit: qui, abiecto Abiathar, à Salomone ſacerdotium ſuſcepit, ſicut in Malachim legitur: *Proiecitque Salomon Abiathar; ne* 3. Reg. 2. *eſſet ſacerdos Domini, vt impleretur verbum Domini, quod locutus eſt ſuper domum Heli. Verumtamen non auferam* H *penitus virum ex te ab altari meo, vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua.* Ideo Dominus ſe non penitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari ſuo dicit: vt ſemper de domo Heli eſſet in domo Domini vir, qui in dignitatem ſacerdotii alium ſubſtitutum videret, & ſe eadem dignitate priuatum videns, oculi eius deficerent, & anima tabeſceret. Auguſt.

Myſtice autem hæc Prophetia de mutatione ſacerdotii non eſt in Samuele completa, ſed in Domino Ieſu Chriſto extitit adumbrata. Nam poſt Samuelem Prophetam poſtea ſacerdotes fuerunt de genere Aaron, ſicut Sadoc & Abiathar regnante Dauid: & alii deinceps, antequam tempus veniret, quo iſta, quæ de ſacerdotio mutando tanto ante prædicta ſunt, per Chriſtum effici oportebat. Nam cum diceret: *Loquens locutus ſum,*

vt do-

A *vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus. Abſit hoc à me. Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, dicit Dominus.* Ecce iſti ſunt dies, qui pronunciati ſunt. Iam enim nullus ſacerdos eſt ſecundum ordinem Aaron. Quod enim nominat domũ patris eius: non eum de proximo patre dicere, ſed de illo Aaron, qui primus ſacerdos eſt inſtitutus, de cuius progenie cæteri ſequerentur, ſuperiora demonſtrant, vbi ait: *Reuelatus ſum ad domum patris tui, cum eſſent in terra Ægypti ſerui in domo Pharaonis: & elegi domum patris tui, ex omnibus ſceptris Iſrael mihi ſacerdotio fungi.* Quis patrum fuit huius in illa Ægypti ſeruitute, vnde cum liberati eſſent, electus eſt ad ſacerdotium; niſi Aaron? De huius ergo ſtirpe iſto loco dixit futurum fuiſſe, vt non eſſent vlterius ſacerdotes: quod iam videmus impletum. Nullus ſacerdos eſt ſecundum ordinem Aaron. Et quicunque ex eius genere eſt homo, cum videt ſacrificium Chriſtianorum toto orbe pollere: ſibi autem honorem illum magnum eſſe ſubtractum; deficiunt oculi eius, & defluit anima eius præ nimietate mœroris. B Proprie autem ad huius domum Heli, cui hæc dicebantur, quod ſequitur, pertinet:

Et omnis, qui ſuperauerit domui tuæ decidet in gladio virorum. Et hoc tibi ſignum quod venturum eſt duobus filiis tuis, Ophni & Phinees, die vno morientur ambo.

Hoc ergo ſignum factum eſt mutandi ſacerdotii de domo huius: quo ſigno ſignificatum eſt mutandum ſacerdotium domus Aaron. Mors quippe filiorum ſignificauit mortem, non hominum: ſed ipſius ſacerdotii de filiis Aaron. Quod autem ſequitur, ad illum iam pertinet ſacerdotem, cuius figuram geſſit huic ſuccedendo Samuel. Proinde quæ ſequuntur, de Chriſto Ieſu, noui teſtamenti vero ſacerdote dicuntur:

Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia quæ in corde meo, & quæ in anima mea, faciat: & ædificabo ei domum fidelem.

Ipſa æterna & ſuperna eſt Ieruſalem. *Et tranſibit*, inquit, C *coram Chriſto meo omnibus diebus. Tranſibit*, dixit, conuerſabitur: ſicut ſuperius dixerat de domo Aaron: *Dixi, domus tua & domus patris tui tranſibunt coram me in æternum.* Quod autem ait, *cum Chriſto meo tranſibit*: De ipſa domo vtique intelligendum eſt, non de illo ſacerdote, qui eſt Chriſtus, ipſe Mediator atque Saluator. Domus eius coram illo tranſibit. Poteſt &, *tranſibit* intelligi de morte ad vitam, omnibus diebus, quibus peragitur vſque in finem ſeculi huius iſta mortalitas. Quod ait Deus: *Qui omnia, quæ in corde meo, & quæ in anima mea, faciat*: non arbitremur habere animam Deum, cum ſit conditor animæ, ſed ita hoc de Deo tropice, non proprie dicitur: ſicut manus & pes &, alia corporis membra. De Samuele quidem recte poteſt accipi: quod in omnibus, eius voluntati, ſicut homo, Deo paruerit. De Domino autem Saluatore, quod, ſicut filius vnigenitus, paternorum ſit in omnibus conſcius arcanorum, iuxta quod de ſe ipſe manifeſte teſtatur dicens: (Ioan. 8.) *Et à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater, hæc loquor, & qui me miſit, mecum eſt, non reliquit me ſolum, quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Cui domum fidelem ædificat pater. (Hebr. 3.) *Quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque in finem firmam retineamus.* Alioquin, quomodo de D Samuele poteſt accipi, quod ædificata ſit ei domus fidelis, quæ coram Chriſto Domini, id eſt, ipſo Samuele cunctis diebus incederet: cum legamus in ſequentibus, quod filii illius auerſi de viis eius poſt auaritiam declinauerint, & peruerterint iudicium? niſi forte domum eius hoc loco plebem Iſraeliticam intelligamus, quia cunctis diebus ſacerdotii eius Domino ſeruierit, de quo ſcriptum eſt: (1. Reg 7.) *& requieuit omnis domus Iſrael poſt Dominum.* Et paulo poſt: (Ibid.) *Abſtulerunt ergo filii Iſrael Baalim, & Aſtaroth, & ſeruierunt Domino ſoli.* Quod vero ſubditur;

Futurum eſt autem, vt quicquid remanſerit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis.

Non proprie de domo dicitur huius Heli, ſed illius Aaron, de quo genere etiam huc vſque non deſunt, qui veniant, & conuertantur. E De quibus alius Propheta dixit: (Eſa. 16.) *Reliquiæ ſaluæ fient.* Vnde Apoſtolus; (Rom. 11.) *Sic ergo*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* De talibus enim reliquiis bene intelligitur, quod dictum eſt: *Qui remanſerit in domo tua, veniet, vt oretur pro eo.* Profecto qui credit in Chriſto, ſicut temporibus Apoſtolorum ex ipſa gente plurimi venerunt & crediderunt. Neque nunc deſunt, qui licet rariſsimi, tamen credant, vt impleatur in his, quod hic homo Dei locutus eſt. (Rom. 10.) Quod vero continuo ſecutus adiungit: *Offeret nummum argenteum & tortam panis*: quid per nummum argenteum, niſi oris confeſsio deſignatur, quæ fit credentibus ad ſalutem? Argentum enim pro eloquio poni ſolet. Pſalmiſta teſtante, vbi canitur: (Pſal. 12.) *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Offerat & panem ſacrificii altaris, abiectis carnalibus legalium victimarum, dicatque:

Dimitte me, obſecro, ad vnam partem ſacerdotalem, id eſt, ad ipſam plebem Chriſto ſacerdote præclaram. Cui Petrus ait: (1. Pet. 2.) *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* Quia autem addit: *Vt comedam buccellam panis*: etiam ipſum ſacrificii genus eleganter expreſsit. F De quo dicit Sacerdos ipſe: (Ioan. 6.) *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quia enim dixerat ſuperius, dediſſe ſe cibos domui Aaron, de victimis veteris teſtamenti, quæ fuerant ſacrificia Iudæorum: ideo hic dixit, poſtulandam ad comedendum buccellam panis, quod eſt in nouo teſtamento ſacrificium Chriſtianorum, vt pabulum fidelium animarum, ſequitur:

CAPVT III.

PVer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli: & ſermo Domini erat precioſus, hoc eſt, rarus, quod in ſequentibus manifeſtatur, cum dicit: V.

In diebus illis non erat viſio manifeſta.

Propter peccata enim populi & eorum, qui præfuerunt populo, Dominus iam non manifeſte, per viſiones aut per angelicas reſponſiones plebi Iſrael apparuit, ſicut patribus eorum fecit. Et ideo dicit ſcriptor hiſtoriæ, ſermonem Domini in illo tempore eſſe pretioſum.

G *Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur, &c.*

Præ nimia enim ſenectute Heli oculi caligauerant, nec poterat videre lucernam Domini, cum arderet in tabernaculo, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna. Sic enim à Domino per Moyſen iuſſum eſt: vt eadem lucerna luceret vſque mane, ſicut eſt illud in libro Exodi: (Exod. 27.) *Præcipe*, ait Dominus, *Filiis Iſrael, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo Domini, & collocabunt eam Aaron & filii eius, vt vſque mane luceat coram Domino.* Siue hoc ſignificat, quod in cæcitate ſua ipſe Heli permaneret donec funditus cum prole ſua extingueretur, hoc eſt, vita careret corporali. Myſtice autem cæcitas Heli ſignificat cæcitatem cordis Iudæorum, qui præſentem Saluatorem agnoſcere non poterant, nec miraculorum fulgorem, quæ ab eo fiebant, intelligere, nec doctrinam eius corde intento capere, donec ipſum ſacerdotium ſimul cum templo & populo funditus euerteretur. Interea Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat H arca Domini, & à Domino ter vocatus, nouiſſime, qualiter Heli propter filiorum peccata ſimul cum ipſis interiturus eſſet, voce Domini inſtructus eſt. Poteſt hac tertia vocatione præfigurari, quod ipſe puer futurus erat Propheta, Dux, & Sacerdos. Quod autem ſcriptum eſt: *Porro Samuel nec dum ſciebat Dominum*, neſcire Dominum dicitur, quia per Prophetiæ myſterium necdum ei reuelatus fuerat ſermo Domini. Et quod ſequitur:

Dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius, & cætera.

Hoc in loco comminatio Dei eſt ſuper Heli, & ſuper domum eius, eo quod in peccato filiorum Heli, arca Dei caperetur, & Iſrael rueret, & eius filii interirent, & domꝰ Heli ſacerdotio domus Domini priuaretur, & ob id fa-

A ctum, audientiam aures tinnirent ſtupore vehementi.

Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

Quod dictum eſt de Samuele, poſtquam verba diuini oraculi, quæ noctu acceperat, mane Heli retulit, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram: ſignificat, quia nihil ex his, quæ locutus eſt, irritum fuit; ſed omnia ſunt rebus completa, quæ dixit. Cadunt namque in terram verba ſuperuacua, quæ pro nihilo habenda, & vniuerſorum ſunt calcanda deſpectu: Sicut & Beatus Iob dixit: *Iob 29.* *Et lux vultus mei non cadebat in terram.* Quia nimirum in tanta grauitate vultum tenere conſueuerat, vt nunquam contemptibili lætitia reſolueretur, ſed quotieſcunque hilariorem ſe præſentibus exhiberet, certa ſemper hoc cauſa vtilitatis eorum faceret.

Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini, &c.

Per terminos terræ Iudææ deſcriptos vniuerſitatem plebis pariter comprehendit. *Hier.* B Dan viculus eſt in quarto à Paneade miliario euntibus Tyrum, qui vſque hodie ſic vocatur, Terminus Iudææ prouinciæ contra ſeptentrionem. De quo & Iordanis flumen erumpens, à loco ſortitus eſt nomen *or* quippe *fluuium* ſiue *riuum* Hebræi vocant. Dan interpretatur, *iudicium*, ſiue *iudicans*. Berſabee in tribu Iuda ſiue Simeonis eſt vſque hodie vicus grandis in vicesimo à Cebron miliario vergens ad Auſtrum in quo & Romanorum militum præſidium poſitum eſt. A quo loca termini Iudææ terræ incipientes, tendebantur vſque ad Dan, quæ iuxta Paneadem cernitur. Interpretatur vero Berſabee, *puteus ſatietatis*, vel *puteus vij*, ſiue *iuramenti*, eo quod ibi Abraham & Iſaac fœdus cum Abimelech ſociauere iurantes. *Gen. 21. & 26.* Nec mouere debet quempiam, ſi interdum ciuitates Iudæ eaſdem in tribu Simeonis ſiue Beniamin reperiat. Tribus enim Iuda viris bellicoſiſſimis pollens, & crebro aduerſarios ſuperans, in omnibus tribubus tenuit principatum. Et idcirco etiam aliarum tribuum ſortes in eius interdum funiculo nuncupantur. Alioquin in medio tribus Iudę habitaſſe Simeonem Scriptura manifeſtiſſime docet.

C

CAPVT IV.

IGitur poſteaquam hæc in figura mutationis veteris teſtamenti à Propheta illo prænunciata ſunt ad Heli offendentem Dominum Iſrael; V inſtruxerunt aciem Philiſtæi, hoc eſt, Paleſtini, contra eos in Aphec, qui locus eſt iuxta vicum Endor Iezechielis ciuitatis, vbi dimicauit Saul in ſorte Aſer, in qua habitatores priſtini permanſerunt. Interpretatur autem Aphec, *furor nouus*, ſiue *apprehendens*. Quod bene conuenit rebus geſtis. Qui enim iram Domini meruerunt: ab hoſtibus apprehenſi ſunt. *Iſid.* Tollunt autem Iſraelitæ arcam ad tuitionem ſuam. Capta eſt ab hoſtibus arca, ipſique non ſolum victi ſunt, & in fugam verſi; immo etiam magna ſtrages facta eſt occiſorum. Nonnihil tamen futurorum ſignificat res hæc geſta Prophetiæ. Arca enim illa ab alienigenis capta, indicabat teſtamentum Dei tranſiturum ad gentes. Quando enim nunciatum eſt Heli ſacerdoti, captam fuiſſe arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum, & mortuus eſt. Et merito.

D Quia quiſquis retrorſum conuertitur à fide, & veritate, neceſſe eſt, vt cadat, & continuo moriatur. Myſtice autem tranſeunte arca Domini ad Gentes, periit atque interiit ſacerdotium Iudæorum. Duo quoque filii Heli corruerunt, quorum vnius vxor viduata, & mox in partu mortua eſt, propter eandem perturbationem. De quo Ioſephus ita refert: *Cum vir Heli etiam arcam audiſſet ab hoſtibus captam, dolore turbatus, eo quod et præter ſpem tantum onus acceſſerat, ruens de ſede, defunctus eſt, dum viii. & xc. vixiſſet annos, quorum xl. tenuerat principatum. Ea ſiquidem die defuncta eſt & coniunx Phinees eius filij, dum per occaſum mariti nequaquam viuere toleraſſet, cui prægnanti quidem nunciatus eſt luctus viri, peperit autem filium ſeptem menſium, quem ob hoc appellauerunt Ichabod, quod nomen deſignat in glorium, eo quod illo tempore exercitui huiuſmodi deformitas acceſſiſſet.* E

Habuit autem principatum primus Heli ex domo Thamar, qui fuit vnus filiorum Aaron. Nam primitus de domo Eleazari ſacerdotes erant: Ex quo honorem filius à patre percipiebat, & Eleazar Phinees ſuo filio tradidit. Poſt quem Abiezer eius filius hunc honorem accepit, quem Ozi ſuo filio dereliquit. Cui rurſum Ozi filius ſucceſſit ſuus. Et poſt hunc Heli tenuit ſacerdotium, de quo nunc ſermo nobis eſt habitus. Cuius genus vſq; ad tempora Salomonis hoc habuerat. Tunc enim ſacerdotium ex domo Eleazari denuo receperunt. Vnde euidenti ſigno præfiguratum eſt, *Iſidor.* poſt extinctum ſacerdotium Iudæorum carnalem interiiſſe ſynagogam, illi carnaliter adhærentem. Proſtratoque Heli de ſella, Pontifices Iudæorum ſedem habuere vacuam, & gloriam ſacerdotii regnique extinctam.

CAPVT V.

PHiliſtiim autem tulerunt arcam Dei, & aſportauerunt eam à lapide adiutorij in Azotum, & reliqua. F VII.

Lapis adiutorii dicitur locus ille, in quo poſuit Samuel lapidem vnũ inter Maſphat & inter Sem, ſicut in ſequentibus demonſtratur. *Hier.* Azotus, quæ & Aſtro dicitur, eſt vſque hodie nobile municipium Paleſtinæ prouinciæ, & vna de quinque ciuitatibus Allophylorum, decreta quidem tribui Iudæ, non retenta tamen ab ea, quia nequaquam veteres potuit accolas expellere. Interpretatur autem, *ignis patris mei*, vel *incendium*. Et bene *incendium patris* locus ille dicitur, vbi idolum Dagon conſiſtebat: Quis aduentus arcæ Dei in Azotum, incendium erat Diaboli patris omnium iniquorum. Dagon interpretatur, *piſcis triſtitia*, ſignificans hoſtem antiquum, qui in mare iſtius mundi poſitus, deuorat piſcatores. Quem liber Iob *Leuiathan* & *Behemoth* nuncupat. *Iob 3. & 30.* *Iſidor.* Sed quid eſt, quod dum poſuiſſent arcam Domini Philiſtiim in templum Dagonis Dei ſui, introierunt templum, & inuenerunt Dagonem proſtratum, atque confractum caput eius, duæque manus abſciſſæ ſunt? G Statim vt teſtamentum Domini peruenit in gentibus, confeſtim idola, quæ deceptum poſſidebant orbem, deſtructa ſunt, omniſque error ſimulachrorum corruit, præſentiam Domini ferre non ſuſtinens. Nam in manibus Dagon præciſis opus idololatriæ amputatur, & in capite eius ſuperbia Diaboli abſciſſa ſignificatur, à quo initium peccati fuit. Quod vero in limine, vt certum ſcilicet præfinitumque ſui idololatria finem agnoſceret. Limes enim finem itineris ſignificat. etiam & illud ad magnam pertinet ſignificationem, in ipſa ruina Dagon Dei ſui atque fractura, quod dorſum illius ſolum inueniretur, fractis eius omnibus membris. Dorſum quippe fugam ſignificat. Quicunque enim fugiunt, perſequentibus dant dorſum. Vnde & ſcriptum eſt de hoſtibus: *Quoniam pones eos dorſum.* *Pſal. 20.* Vbi ſunt enim idola? Perierunt, & ſi aliqua remanentia ab aliquibus abſconduntur, fugiunt. Quod autem percuſſi ſunt in poſterioribus, hi qui arcam Dei captiuauerunt: hæc pœna ſignum videtur, quia ſi qui ſuſceperint teſtamentum Dei, & poſteriora dilexerint, *Phil 3.* & ipſis iuſtiſſime cruciabuntur, qui, ſicut Apoſtolus, æſtimare debent eadem, ſicuti ſtercora. Qui enim ſic aſſumunt diuinum teſtamentum, vt poſteriora reſpicientes, H veteri ſe vanitate non exuant; ſimiles ſunt hoſtibus illis qui arcam teſtamenti captiuam iuxta idola ſua poſuerunt. Et illa quidem vetera etiam nolentibus cadunt. Quia *omnis caro fœnum, & claritas hominis, vt flos fœni. Aruit fœnum, flos eius decidit, arca Domini manet in æternum;* *Eſa. 40.* *ſecretum ſcilicet teſtamentum regni cælorum, vbi eſt verbum Dei.*

Digitized by Google

A

Capvt VI.

F*Vit ergo arca Domini in regione Philiſtinorum ſeptem menſibus*, &c.

Septem menſes, quibus arca Dei inter gentes fuit, figuraliter exprimunt vniuerſitatem temporum, quæ ſeptenario numero dierum diſcurrit, & ſignificat, teſtamentum Domini vſq; ad conſummationem ſeculi in gentibus permanſurum.

VIII. *Et conuocauerunt Philiſtiim ſacerdotes & diuinos, dicentes: Quid faciemus de arca Dei? Indicate nobis, quomodo remittemus eam in locum ſuum? Qui dixerunt: Si remittitis arcam Dei Iſrael, nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini, & ſcietis quare non recedat manus eius à vobis. Qui dixerunt: Quid eſt, quod pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderunt que eis: Iuxta numerum prouinciarum Philiſtiim quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos, quia plaga vna fuit omnibus vobis & ſatrapes veſtris. Facietiſque ſimilitudines anorum veſtrorum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram, & dabitis Deo Iſrael gloriam ſi forte eleuet manum ſuam à vobis, & à dijs veſtris, & à terra veſtra*, &c.

B Quinque ani aurei & quinque mures ſimiliter aurei, quos fecerunt Philiſtæi poſt plagam, quam perpeſſi ſunt, & attulerunt ad arcam Domini; ſignificant, quod quidam carnales quinque corporis ſenſibus dediti, & illecebras voluptatum ſequentes, cum correpti fuerint à Domino, ſcelera ſua cognoſcentes, ipſas plagas iuſte ſe perpeti à Domino confitentur, & licet coacti, ſtudium vitæ ſuæ meliorandi impendunt. Quod bene ſignificant quinque ciuitates Philiſtinorum, id eſt, Azotus, Gaza, Aſcalon, Geth, Accharon, illos videlicet exprimentes, qui exterioris hominis actus ſequuntur. Gaza ciuitas eſt Euæorum, in qua habitauere Cappadoces, priſtinis cultoribus interfectis. *Hieron.* Apud veteres erat termin *Chananæorũ iuxta Ægyptũ, ceciditq; in ſortem tribus Iudæ, ſed eam tenere non potuit, quia Enachim, id eſt, gigantes Allophylorum fortiſſime reſtiterunt. Et eſt vſque hodie inſignis ciuitas Paleſtinæ. C *Soph. 2.* Quæritur autem, quomodo in quodam Propheta dicatur Gaza futura in tumulum ſempiternum? Quod ſoluitur ita, antiquæ ciuitatis locum vix fundamentorum præbere veſtigia. Hæc autem, quæ nunc cernitur in alio loco pro illa ædificata. Aſcalon autem vrbs eſt nobilis Paleſtinæ. Quæ & ipſa antiquitus vna fuit de quinque ſatrapis Allophylorum, ſeparata quidem per ſortem tribui Iuda decreta, nec tamen retenta ab ea, quia habitatores eius ſuperare non potuit. Geth. Ad quem locum tranſtulerunt arcam teſtamenti de Azoto. nunc vicus grandis vocatur Gechtham inter Antipatridem, & Iamniam. Sed & alia villa appellatur Gechim. Accaron in tribu eſt Dan, ſiue (vt ego arbitror) in tribu Iudæ ad Læuam Chananæorum, vrbs vna de quinq; olim Satrapis Paleſtinæ, & decreta eſt quidem tribui Iudæ, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores priſtinos, nequiuit expellere. Sed & vſque hodie grandis vicus ciuium Iudæorũ Accaron dicitur inter Azotũ & Iamniam ad Orientem reſpiciens. Quidam putant Accaron turrem Stratonis: poſtea Cæſaream nuncupatam. D Azotus (vt ſuperius diximus) interpretatur, *ignis patris mei* vel *incendium*. Gaza interpretatur, *Fortitudo*. Aſcalon *ignis infamis*, aut *ignis ignobilis*. Geth, *torcular*. Accaron quoque interpretatur, *eradicatio triſtitiæ*, vel *ſterilitatis*. Omnis enim concupiſcentia infamis atque ignobilis per Diabolum inflammata, atque per contrarias fortitudines inſtigata, & quaſi per torcular nequitiæ expreſſa vinum profunditamaritudinis in doctrina praua, & in operatione peruerſa. Vnde neceſſe eſt, vt tendat ad mortem, vbi eſt triſticia vera & ſterilitas perpetua. *Interea Paleſtini facientes plauſtrum nouum, in quo poſuerunt arcam, & iuxta eam, capſellam habentem anos & mures aureos, quos exſoluebant pro delicto, collocauerunt, adiungentes duas vaccas fœtas, quibus non erat impoſitum iugum, & vitulos earum concluſerunt domi*, vt probarent, vnde eis plaga veniſſet, &c.

Iſidor. Vaccæ autem illæ Allophylorum arcam geſtãtes, figuram Sanctorum renunciantium ſeculo deſignauerunt, qui nullum delicti iugum traxerunt. Nam ſicut illę pignorum affectibus, à recto itinere minimè digreſſæ ſunt, ita ſancti mundo renunciantes parentali obtentu non debent à bono præpediri propoſito, ſicut Moyſes ait: *Qui dicunt patri ſuo & matri: neſcio vos, & fratribus ſuis: Ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt teſtamentum Dei, & præcepta eius ſeruauerunt: iudicia tua, Iacob, & legem tuam, Iſrael.* *Deut. 33.* Ille enim ſcire Deum familiarius appetit, qui, præ amore pietatis neſcire deſiderat, quodcunque carnaliter ſciunt. *Ibant autem*, inquit, *in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames*, &c.

B *Hiero.* Bethſamis ciuitas eſt ſacerdotalis in tribu Beniamin, quæ vſq; hodie demonſtratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim in decimo miliario contra Orientalem plagam. Bethſamis altera in tribu Neptalim, in qua & ipſi cultores priſtini permanſere. *Et itinere vno gradiebantur pergentes & mugientes, & non declinabant neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtram*, &c.

F Bene dicit, quod itinere vno gradiebantur Bethſamis, hoc eſt, viam regiam incedentes in domum ſolis, in locum videlicet iuſticiæ & veritatis. Betſamis enim interpretatur, *domus ſolis*, & ſignificat cœleſtem Ieruſalem, vbi Sol iuſtitiæ ſemper lucet. *Ibant autem in directum vaccæ, & non declinabant neque ad dexteram neq; ad ſiniſtram*, &c.

Id eſt, non extollebantur proſperis, neque frangebantur aduerſis. Vnde dicit Apoſtolus: *Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces*, &c. *2. Cor. 6.* *Greg.* Si igitur ad æterni ſolis habitationem tendimus, dignum profecto eſt, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute penſandum eſt, quod vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ pergunt & gemunt, dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non reflectunt greſſus. Amorem quidem per compaſſionem ſentiunt, ſed colla poſterius non deflectunt. Sic nimirum prædicatores Dei, ſic fideles quique eſſe intra ſanctam Eccleſiam debent: vt & compatiantur proximis per charitatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compaſſionem. Arcam quippe ſuperpoſitam Bethſamis pergere, eſt cum ſuperna ſcientia ad internæ lucis habitaculum propinquare. G Sed tunc vere Bethſamis tendimus, cum via rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera pro affectu pignorum non declinamus. Sic namq; nunc neceſſe eſt, vt incedere debeant, qui ſacræ legis iugo ſuppoſiti iam per internam ſcientiam Domini arcam portant, quatenus per hoc propinquorum neceſſitatibus condolentes, à cœpto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem noſtram tenere debet, ſed reflectere non debet: ne hæc eadem mens aut, ſi affectu non tangitur, dura ſit: aut plus tacta, ſi inflectitur, remiſſa. Poſt reuerſionem arcæ de terra Philiſtiim ſequitur Scriptura dicens. *Hi ſunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philiſtiim pro delicto Domino. Azotus vnum. Gaza vnum. Aſcalon vnum. Geth vnum. Accaron vnum*, &c.

Quinque anos, & quinq; mures, hæ quinq; ciuitates dederunt. *Heb.* Reliquæ autem ciuitates prouinciarum & villæ, quę erant abſq; muro, mures tantum dederunt. Idcirco dicitur: *ab vrbe murata, vſq; ad villam, quæ erat abſq; muro.*

Quod autem ſequitur: *Et vſque ad Abel magnum, ſuper quem poſuerunt arcam Dei.*

H Abel magnum ciuitas eſt in termino Iſrael. Abel magnum idcirco vocatur, cum antea Bethſamis vocitata ſit: ſiue propter luctum ſuper viris Bethſamitibus ibi factum, ſiue ꝑpter diſtinctionẽ ciuitatis, Abel Bethmatha, de qua exclamauit mulier ſapiens, ad Ioab dicens: *Qui interrogãt interrogent in Abela.* *2 Reg. 20.* Sic itaq; intelligendũ eſt, quod ab vrbe murata vſq; ad villam, quæ erat abſq; muro, & vſque ad Abel magnum dederint mures. Super quem, id eſt, ſuper luctum poſuerunt arcam Domini, quæ erat vſq; in illam diem in agro Ioſue Bethſamitis. Fuit igitur in agro illius, donec in Cariathiarim ducta eſt. Quod dictum eſt de eis, qui videre arcam Domini, reuerſam de terra Philiſtinorum, auſi ſunt, cum non eſſent de ſtirpe Leuitica: *Et percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia ple-*

[A] *bis.* Populus & plebs pro vna eademque re indifferenter accipitur: nam ex vno Græco, quod eſt *Laos*, ſolet vtrumque transferri. Sed mihi videtur eſſe diſtantia, quod in priore commate verſiculi additum eſt, *viros ſeptuaginta.* Viros enim maiores natu ſignificat, vt ſit ſenſus, quia de optimatibus populi ſeptuaginta ſunt percuſſi: de ipſa autem turba vulgari homines quinquaginta millia. Quod ne pateretur in Exodo populus, à longe ſtabat & orabat, ſolus Moyſes aſcendit ad Dominum. *Et dixerunt viri Bethſamitæ: Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius, & ad quem aſcendet à nobis? Miſeruntque nuncios ad habitatores Cariathiarim, dicentes. Reduxerunt Philiſtiim arcam Domini. Deſcendite, & ducite eam ad vos. Venerunt ergo viri Cariathiarim, & duxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa. Eleazarum autem filium eius ſanctificauerunt, vt cuſtodiret arcam Domini, &c.* [Exod. 20.]

Quod autem poſtquam percuſſi ſunt viri Bethſamitę, eo quod indigne viderent arcam Domini, miſerunt eam ad Cariathiarim: quid ſignificare melius poteſt, quam translationem teſtamenti Domini à populo Iudaico ad gentes? [B] Quia cum illi à patrum orbita deuiantes, carnali obſeruantia, & Phariſaicis ſuperſtitionibus legem fœdarent, Saluatoris dicta ſpernebant, & per miniſtros noui teſtamenti verbum ſalutis illis prædicari penitus recuſabant. Vnde dicunt ad eos Apoſtoli poſt reſurrectionem Domini; *Vobis* inquiunt, *oportebat primum prædicare verbum Dei: Sed quia noluiſtis, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* [Actor. 13.] [Hier.] Cariathiarim, quæ & Cariadbal dicitur, ciuitas eſt ſaltuum, vna de vrbibus Gabaonitarum, pertinens ad tribum Iudæ euntibus ad Heliopolim in milliario nono. De hac fuit Vrias Propheta, quem interfecit Ioachim in Ieruſalem ſicut Ieremias ſcribit. [Ier. 26.] Sed in Paralipomenon libro filius Sobal appellatur Cariathiarim. [1. Par. 2.] Et interpretatur ipſa Cariathiarim, *ciuitas* vel *villa ſyluarum.* De qua ciuitate myſtice in Pſalmo ſcriptum eſt: *Inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.* [Pſal. 131.] Locus enim Domini eſt tabernaculum pectoris Chriſtiani populi, & atria Eccleſiæ Catholicæ, quæ ille tanquam cœlum ſemper inhabitat. Ciuitas enim ſyluarum, id eſt, conuentus gentium efficitur locus aptus ad ſuſcipiendam arcam [C] Domini in domum videlicet Abinadab, qui interpretatur, *Pater meus ſpontaneus,* qui cum Pſalmiſta dicere poſſit: *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt.* [Pſal. 53.] Gabaa interpretatur *collis* vel *ſublimitas.* Ibi Eleazar filius Abinadab conſtituitur ſacerdos, vt cuſtodiat arcam Domini. Eleazar quippe, *Dei adiutorium,* interpretatur. Et bene qui cuſtodit arcam Domini, Dei adiutorium dicitur: quia ſancti viri quicquid boni habent, non ad ſe, ſed ad Deum referunt. Vnde dicit Apoſtolus: *Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Dominum, non quod ſufficientes ſimus, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu.* [2. Cor. 3.]

Caput VII.

Et factum eſt, ex qua die manſit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies. Erat quippe iam annus viceſimus, & requieuit omnis domus Iſrael poſt Dominum, &c.

[D] Quod dictum eſt, quia *ex qua die manſit arca in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies: erat quippe iam annus viceſimus, & requieuit omnis domus Iſrael poſt Dominum:* non ita intelligendum eſt, quaſi viginti anni, quibus arca maneret in Cariathiarim, ad octauum vſq; annum regni Dauid, quãdo eam congregata populi frequentia in Ieruſalem adduxit, ſint computandi. Inuenitur namque in ſequentibus, quod temporibus Saulis fuerit elata de hac ciuitate, & allata in caſtra pugnante eo aduerſum Philiſthæos. Sic etenim ſcriptum eſt: *Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. Erat enim ibi arca Dei in die illo cum filiis Iſrael.* [Bed.] [1. Reg. 14.] Et quia conſtat, quod Dauid eam in Ieruſalem adduxerit, ablatam de domo Abinadab, in quam nunc illata eſſe perhibetur: reſtat intelligi, quod in diebus Saulis relata de caſtris, & in præfatam ſit illata ciuitatem: vnde denuo regnante Dauid afferetur in Ieruſalem. [B] Eſt ergo ſenſus memoratę ſententiæ: Quia ex quo manſit arca in Cariathiarim, erat annus viceſimus, cum eam inde transferri temporibus Saul cauſa belli contigerit. Vel certe viceſimus erat annus, cum adhuc omnis domus Iſrael requieuit poſt Dominum: abiectis videlicet idolis, illi ſoli ſeruiens. Quod eam feciſſe toto tempore præſulatus Samuelis, qui (Ioſepho teſte) quindecim annis completus eſt, & primo tempore regni Saul, quod (eodem hiſtorico affirmante) viginti annis tenuit, nullus ſanctæ hiſtoriæ curioſus ignorat: Namq; poſtmodum cum receſſiſſet à Saulo Spiritus Domini, & agitaret eum Spiritus nequam, maxime ad perſequendum Dauid innoxium & iuſtum: neceſſe erat partem militiæ vel plebis eius nonnullam malitiæ illius extitiſſe complicem.

Abſtulerunt ergo filii Iſrael Baalim & Aſtaroth, & ſeruierunt Domino ſoli.

Aſtaroth interpretatur, *factura exploratorum.* Baalim interpretatur, *aſcendentes* ſiue *ſuperiores.* Qui ergo verus Iſraelita eſt, id eſt, *vir videns Dominum,* ſiue *mens videns Dominum,* [F] aufert à ſe omnem facturam malignorum ſpirituum, aufert iactantiam atque ſuperbiam, ac ſic ſeruiet Domino ſoli, quia *nulla ſocietas eſt lucis ad tenebras, nec vlla conuentio Chriſti ad Belial.* [2. Cor. 6.]

Iudicauitque Samuel filios Iſrael in Maſphat, &c.

Maſphat eſt ciuitas in tribu Iuda, apud quam habitauit Iephte iuxta Cariathiarim vrbem, de qua ſupra diximus. [Hieron.] Interpretaturque Maſphat, *ſpeculatio,* vel *contemplatio,* ſiue *intentio,* vel *locus iudicii.* Saphat enim *iudicare* eſt. Et bene conuenit iſte locus tam ſancto viro, qui plebem ſibi commiſſam in iuſtitia & veritate iudicauit, & ſumma prudentia gubernauit.

Tulit autem Samuel agnum lactantem vnum, & obtulit illum holocauſtum Domino. Et clamauit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudiuit eum, &c.

Exclamauit, inquit, Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudiuit eum: *Quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* [Pſal. 33.] Et cum offerret agnum lactantem in holocauſtum, hoc eſt, innocentem vitam: per continentiam ſalutarem hoſtiam Domino mactauit, ac igne charitatis in odorem ſuauitatis totam concremauit. [G]

Accedentes alienigenæ ad pugnam contra populum Domini; intonuit Dominus ſuper eos, & confuſi ſunt, & offenderunt contra Iſrael atque ſuperati ſunt, & percuſſerunt eos vſque ad locum, qui erat ſubter Bethcar.

Bethcar interpretatur, *domus agnitionis* vel *domus agni.* Cum per Prædicatores Euangelii Dominus ſuper hoſtes ſpiritales intonuit, in fugam verſi corruerũt coram Iſrael, id eſt, coram populo Dei. Et perſecuti ſunt eos vſq; in domum agnitionis, hoc eſt, quouſq; omnis error expugnetur, & vere Deus agnoſcatur. *Tunc aſſumpſit Samuel lapidem vnum, & ſtatuit illum inter Maſphat & inter Sen,* (vel, vt alia editio habet, *inter Maſphat nouam & veterem.*) *Et vocauit nomen eius Abenneger,* quod eſt Latine, *lapis adiutorii. Et dixit: Vſque huc adiuuit nos Dominus,* &c. Maſphat (vt ſupra diximus) interpretatur, *intentio.* [Iſidor.] Lapis ille adiutorii, medietas eſt Saluatoris, per quem tranſeundum eſt à Maſphat vetere ad nouam, id eſt, ab intentione, qua expectabatur in carnali regno beatitudo falſa carnalis, ad intentionem, qua per nouum teſtamentum expectatur in regno cœlorum beatitudo veriſſima ſpiritalis. Qua quoniã [H] nihil eſt melius, huc vſq; adiuuat Deus. *Et erat q; pax inter Iſrael & Amorræum.* Amorræus interpretatur, *amarus,* vel *loquens.* Et Apoſtolus ad Epheſios ita dicit. *Vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum. Et medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſum in vnum nouum hominem faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem his, qui prope: quoniam per ipſum habemus acceſſũ ambo in vno Spiritu ad pacẽ.* [Epheſ. 2.] Hactenus Apoſtolus. *Iudicabat quoq; Samuel Iſrael cunctis dieb. vitæ ſuæ. Et ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala & Maſphat, & iudicauit Iſraelem in ſupradictis locis,* &c. Bethel eſt ciuitas in duode- [Hier.]

A cimo ab Hieroſolima lapide, à dextris euntib. Neapolim, quæ prius Luza, id eſt, amigdalon vocabatur, & cecidit in ſortem trib. Beniamin. Vocabatur aũt prius Luza Bethel, vt diximus. Nam & hoc, quod Bethauen aliud oppidum
3 Reg. 12. ſuſpicantur, nõ ita eſt: ſed ex eo tempore, quo ibi à Ieroboam, filio Nabath, vituli aurei fabricati ſunt, & à decem tribubus adorari, vocatum eſſe Bethauen, id eſt, *domus idoli*, quę antea vocabatur *Domus Dei*. Galgala hæc eſt, quam ſupra poſuimus Galgol, ad orientalem plagam antiquæ
Ioſ. 5. Iericho eis Iordanem, vbi Ieſus ſecundo populum circuncidit, & paſcha celebrauit, ac deficiente manna, triticeis panibus vſus eſt Iſrael. In ipſo loco lapides quoq;
Ioſ. 4. quos de alueo Iordanis tulerant, ſtatuerunt, vbi & tabernaculum teſtimonij fixum multo tempore fuit. Cecidit autem in ſortem tribus Iuda, & oſtenditur vſq; hodie locus deſertus in ſecundo à Iericho miliari, ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus. Sed & iuxta Bethel, quidam aliam Galgalam ſuſpicantur. Galgala, interpretatur, *volutatio* ſiue *reuelatio*. Apte igitur Propheta Dei in Bethel,
B Galgala, & Maſſphat, iudicauit Iſrahel. Sicque reuertens in Ramatha, vbi erat domus eius, ibi iudicauit Iſrael, ædificauitq; ibi altare Domino: nobis exemplum tribuens, cum conſiſtit nobis faciendum iudicium in domo Dei, non proterue vel inconſideratè, vel maliuola mente, ſed iuxta id, quod nobis reuelat ſacra Scriptura, & intentione bona, & amore fraterno iudicemus proximos noſtros. Sicque in Ramatha domum noſtram reuertamur: hoc eſt, ad interna pectoribus noſtri redeamus, vt contemplationi Dei vacemus, & vitam noſtram in nobiſmetipſis diiudicemus, quatenus in altari fidei gratas hoſtias bonorum actuum, & bonæ voluntatis Domino immolemus.

CAPVT VIII.

X. *FActum eſt autem, cum ſenuiſſet Samuel: poſuit filios ſuos iudices Iſrael. Fuitque nomen filij eius primogeniti, Ioel: & nomen ſecundi Abia, iudicum in Berſabee. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius, ſed declinauerunt poſt auaritiam*, &c.

C De hoc Ioſephus ita refert: *Igitur illo tempore inter Iſraelitas, & reliquos Cananæos Propheta Samuel ita decreuit, vt depoſito populo Cananæorum, Iudæiſque reddita ciuitate in ea eos conuenire præcepit, & diuerſis artibus admiſicem diſcrepare. Ipſe vero ſecundo in anno circumiens ciuitates iudicabat, & multo tempore ſub æquitate omnia expleuit. Deinde ſenectute grauatus, & agere ſolemnia præpeditus: filiis ſuis tribuit principatum, quorum ſenior quidem dicebatur Ioel, iunior autem Abia. Præpoſuit autem alium quidem in Bethlem ciuitate, vt illic ſederet & iudicaret: alium vero in Berſabea: diuidens populum, qui eorum iudiciis optimi de parentibus exiſterent. Sed vt boni quidem & moderati ex malis: ita & praui producuntur ex bonis. Nam & patris ſui ſtudium non recordantes, & viam contrariam ambulantes, & muneribus turpibuſque lucris iuſtitiam comprimebant, & iudicia non vera, ſed ſecundum præmia proferebant, ad epulas precioſa conuiuia declinantes. Primum quidem, quæ erant inimica Deo gerebant: ſecundo etiam patri reddebantur aduerſi, qui multo ſtudio ac prouidentia geſſerat, vt etiam plebs ſciret ſeruare iuſtitiam. Populus itaque, dum contumeliam priori conuerſationi Prophetæ filij fecerũt, grauiter hoc ferens, ad patrem denuo remeauit, qui in Ramatha
D ciuitate commorabatur, eique iniuſtitias filiorum omnes expoſuit. Et quia cum ſenex eſſet, & tempore iam defectus, rebus præeſſe non poterat: ſupplicabant eum atque rogabant, vt aliquem eorum regem eligeret, qui & contra principatum gentis haberet, & Palæſtinos affligeret, qui eis erant prioris iniuſtitia debitores.* Ioel interpretatur, *incipiens*, vel *fuit Dei*. Abia interpretatur, *pater Dominus*, vel *pater fuit*. Recte ergo qui non in inchoata iuſtitia permanſerũt, & paternitatẽ Domini ſeruare neglexerunt *fuit Dei*, vel *pater fuit*, nominantur, vt ſignificetur, paternitate Dei eos eſſe indignos, qui, iuſtitia relicta in iniquitatem corruerũt. Sed quia filij Samuel (ſicut ſuperius dictum eſt) declinauerunt poſt auaritiam, & acceperunt munera, & tam iniqui iudices extiterunt, vt populus nequaquam eos ferens, regem ſibi in ſimilitudinem cæterarum gentium poſtularet: his petitionibus Deus irritatus, ad dolentem Prophetam ita locutus eſt: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt ſed me ne regnem ſuper eos. Iuxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Aegypto vſque ad diem hanc, ſicut dereliquerunt me, & ſeruierunt Diis alienis, ſic faciunt etiam tibi: Nunc ergo audi vocem eorum: veruntamen conteſtare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus eſt ſuper eos*, &c. E

Saul ergo, qui, offenſo Deo, conſtitutus eſt ſuper Iſraelitas rex, typum tenet populi Iudæorum. Nam ſicut ipſe in regale culmen ſubleuatus iuxta conuenientes mores eorum, qui petierunt ſuper ſe eſſe regem, & manſuetudinem Domini ſpernebant, durus ac rigidus ac ſuperbus effectus eſt, ita vt eos ſeruili onere magis premeret, quam libertati donaret: ſic & populus Iudaicus, licet vnctus in ſacerdotibus & regibus foret, tamen quia filius ancillę erat, quæ in ſeruitutem generabat, nunq̃ libertatem perfectam per ipſam vnctionem conſequi potuit: maximè quia illum ad ſe venientem, qui verè rex erat, & manſuetus ad eos venerat recipere noluerunt, per cuius dominationem liberi, ſi mallent, fieri potuiſſent.

CAPVT IX.

SAul ergo, *petitio*, interpretatur, qui fuit de ſtirpe Beniamin, & filius Cis, *filij Abiel, filij Seror, filij Bechor, filij Aphia.* F

Et hæc nomina bene exprimunt typũ Iudæorũ. Beniamin quidem interpretatur: *filius dextræ*. Cis: *durus* vel *vomitus viri* vel *vomẽs vir*. Abiel. *Pater meus Deus*. Seror: *paruulus* ſiue *turbulentus*. Et Bechor interpretatur: *primogenitus tuus*. Qui ergo fuit primogenitus Dei, ſecundum id, Ier. 31.
quod in Propheta ſcriptum eſt: *Filius primogenitus meus Iſrael*, & pater eius Deus: filius fuit dextræ, quia ſæpe per auxilium Domini confortatus hoſtibus ſuis præualuit. Sed qa ſemper ingratus extitit beneficiorum Dei, & durus ceruice in blaſphemiam erupit; de magno paruulus, & de placido turbulentus effectus eſt. Quod autẽ vnctus eſt in regem imaginem Chriſti portauit. Vnde & beatus Dauid, & ipſe Chriſtus nuncupatus, ait ad eum, qui ſe 2. Reg. 1.
finxerat Saul occidiſſe: *Quomodo non timuiſti inijcere manum tuam in Chriſtum Domini?* Hinc & quod & ab humero ſurſum Saul ſupereminebat omnibus: ſignificat, quia caput noſtrum Chriſtus ſurſum ſuper nos eſt, quem Pater Eph. 1. G
ſuper omnem poteſtatem, & omnem principatum, & ſuper omne nomen, quod nominatur, exaltatum conſedere ſecum fecit in cœleſtibus. Nec non & hoc, quod de Saul dicitur, quod electus & bonus eſſet, & filijs Iſrael non eſſet eo melior; magis ad Chriſtum pertinet, quam ad ipſum Saul. De quo Propheta dicit ex perſona Domini: *Ecce puer meus electus, quem elegi, ponam ſuper eum Spiritum* Eſa. 42.
meum, & iudicium gentibus nunciabit. Et Ieremias ita dicit: Ier. 10.
O Rex gentium, tuum eſt enim decus inter cunctos ſapientes gentium, & in vniuerſis regnis illorum nullus eſt ſimilis tui. Et in Pſal- Pſal. 88.
mo: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei?* Quod autem Saul aſinas patris ſui Cis perditas quæſiuit, & in itinere, quo perrexit, ad Prophetam venit, qui eum in regem vnxit: ſignificat, quod Iudæi ſtultitiam carnalis ſenſus ſequentes per erroris deuia luxum iſtius mundi perquirebant. (Aſinus enim brutum & luxurioſum eſt animal.) Qui ad Prophetam venientes, hoc eſt, ad Moyſen, inuentas eſſe aſinas ab eo audierant, hoc eſt, bona terræ commeſſores eſſe didicerant, H
à quo eis vnctionis oleum infuſum, & regni gubernacula futura prædicta ſunt, in quibus fratres ſuos ad tempus de manibus hoſtium ſuorum eriperẽt. Quod autem Samuel Saul in excelſum ducit, & ibi refectionem præparat: ſignificat, Moyſen & omnes Prophetas doctrinis ſuis populum Hebræorum ſemper ad altiora prouocaſſe, vt ſcientia ſpiritali refecti, in culmine virtutum cõſiſterent, nec relaberentur in foueam vitiorum. Quod autem Samuel Sauli videntem quærenti apparens locutus eſt, dicens:

Ego ſum videns, aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane, & omnia, quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi, & de aſinis, quas perdidiſti nudiuſtertius, ne ſollicitus ſis, quia inuentæ ſunt, &c.

Erat in corde Saul, ſicut Hebræi tradunt, quod rex futurus eſſet, quia viderat per viſum, ſe in vertice arboris Hebr.
palmæ collocari. Quæ viſio ſignum regale erat.

Digitized by Google

A

C a p v t X.

Cvmque abieris inde, & vltra tranſieris, & veneris ad quercum Tabor: inuenient te ibi tres viri, aſcendentes ad Dominum in Bethel,

Vbi Hybiri cauſa orationis ibant in Bethel, Iacob lapidem erexerat.

Poſt hæc venies ad collem Dei.

Collis Dei locus erat, vbi Prophetæ habitabant.

Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, &c.

Propheta ſſe eum ibi Iudæi dicunt de futuro ſeculo, de Gog & Magog, & de præmiis iuſtorum & pœna impiorum.

Quando ergo venerint ſigna hæc omnia tibi fac, quæcunque inuenerit manus tua, quia Deus tecum eſt, &c.

Ac ſi diceret: His ſignis noſce poteris, quia Deus te regem fore voluit: & idcirco omnia, quæ tibi agenda
B ſunt, regaliter age, & Deus tecum eſt. Quod autem ſigna, quæ prædixerat Samuel Sauli, cuncta ita venerunt, & ipſe Saul, pertranſita quercu Thabor, qui mons eſt in medio Galilææ, campo miræ rotunditatis ſublimis, & interpretatur, *veniens lumen*, ad collem Domini perueniens (ita ipſe vocatur locus ob aliquod collatum à Domino beneficium) prophetauit in medio Prophetarum ibi conſiſtentium: ſignificat, quod Iudæis omnia, quæ de eis Legislator, & Prophetæ prædixerant, ita euenerunt, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis. Attamen ipſi libros legis tenentes & prophetarum, quaſi diuinaſſe videntur, cum futura myſteria de Chriſto & Eccleſia, in eis conſcripta legẽdo, & pronunciãdo, proferre noſcuntur.
Hebr. Quod autem de ipſo Saul ſcriptum eſt, quod videntes eum omnes, qui eum nouerant heri & nudius tertius, quod eſſet cum Prophetis & prophetaret, dixerunt ad inuicem:

Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul in Prophetis? Reſpondit alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum? Propterea verſum eſt in prouerbium: Num & Saul inter Prophetas? &c.

C Illud, quod dicitur: *Quis pater eorum?* taliter prolatum eſt: ac ſi diceret: Quis maior illo in dignitate, & in ſapientia? Optimè enim poteſt inter Prophetas verſari, & pater eorum, id eſt, magiſter vocari, qui tam doctus & ſapiens eſt. Pater enim aliquando magiſter in Scripturis vocatur: ſicut Helizæus Heliam patrem, id eſt, magi-
3 Reg. 2. ſtrum vocat, dicens: *Pater mi, pater mi, currus Iſrahel, & auriga eius.* Et in libro Iob Eliu ipſum Iob patrem, hoc eſt
Iob 34. magiſtrum vocat, hoc modo: *Pater mi, probetur Iob vſque ad finem.*

C a p v t XI.

XI. *Poſt hæc aſcendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduerſum Iabes Galaad*, &c.

Quid ſignificat hoc factum, quod Naas Ammonites in hoc ferire cum Iabes Galaad voluit fœdus, vt erueret omnium oculos dextros, quatenus fierent opprobrium in vniuerſo Iſrahel, niſi bellum hæreticorum contra Ec-
D cleſiam? Naas quippe interpretatur, *ſerpens*: Ammon, *comprimens* vel *coanguſtans*, vel *populus mœroris*. Iabes interpretatur, *exſiccata*: Galaad, *aceruus teſtimonij*. Ergo Naas ſerpens antiquus, & Princeps Ammonitarum, hoc eſt, hæreticorum, qui bene populus mœroris dicitur, quoniam gaudium Spiritus ſancti non habent, diſponit fœdus cum populo Eccleſiæ, vt eruat omnium oculos dextros hoc eſt, viſum ſanæ & orthodoxæ fidei auferat. Sic enim vult eos habere fœderatos vt ſiniſtrum oculum habentes; ea tantum, quæ praua ſunt, ſentiant. Sed exſiccata mens fidelium ab omnibus ſordibus vitiorum aceruum teſtimonij, hoc eſt, ſententias ſanctarum Scripturarum congerit, quatinus hoſti nefandiſſimo earum protectione muniti viriliter reſiſtere valeant. Amittuntque in vniuerſos terminos Iſrahel, hoc eſt, ad doctores Eccleſiæ, qui præſunt populis, quatenus ſibi opem ferant, & ſcutum fidei contra hoſtes ex aduerſo opponant. Moxque Saul Spiritu Dñi inſtinctus ſimul cum Samuele Propheta & ſacerdote recenſuit populum, *& inuenit de filijs Iſrael trecenta millia bellatorum, virorum autem Iuda triginta millia.* E

Hier. *Et recenſuit eos*, inquit, *in Bezech.*

Bezech, vrbs eſt regis Adonibezech, hodieque duæ villæ ſunt nomine Beſech, vicinæ ſibi in ſeptimo lapide à Neapoli deſcendentibus Scythopolim. Beſech interpretatur *egeſtas*, & ſignificare (ni fallor) poteſt paucitatem
electorum, vnde & ipſa veritas ait: *Multi autem ſunt vocati, pauci vero electi.* Rex quoque noſter Chriſtus, qui eſt ſacerdos & Propheta, congredi aduerſus hoſtes ſuos parans, de vtroque populo milites elegit Trinitatis fide præclaros, & bonorum actuum perfectione præcipuos: hoſtes ſuos fugat, & percutit eos gladio Spiritus, à mane inluceſcentis fidei, vſque dum lumen ſcientiæ, & ardorem charitatis per totam vrbem Eccleſiæ diffundat. Vnde & bene ſcriptum eſt, quod illi, qui reſidui fuerant de hac clade, diſperſi ſunt, ita vt non relinquerentur ex eis duo pariter, quia prauorum congregatio cum veræ dilectionis copula & fidei vnitate non iungitur, ab inuicem per diſſenſionem ſeparantur, & incerti, & inſtabiles facti per diuini examinis potentiam, ſicut in animo, ita & in corpore ſeiuncti ab inuicem vbique diſpergentur. Hinc Propheta ad Dominum dixit: *Ecce inimici tui Domine, peribunt, & diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem.* Matth. 22. F Pſal. 91.

C a p v t XII.

Qvod autem in verbis Samuel, quæ locutus eſt ad populum, increpans eos de iniqua electione regis terreni, cum haberent ipſum Dominum regem additum eſt:

Et miſit, inquit, *Dominus Ierobaal, & Bedan, & Barach, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum per circuitum, & habitaſtis confidenter*, &c.

Ierobaal ipſum nominat, qui alio nomine in libro Iudicum Gedeon eſt nominatus, & Bedan ipſe eſt Samſon fortiſſimus de quo prædicto libro refertur quod Iſrael contra Philiſtijm defenderet.

Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in die illa, &c.

Iſte Samuel, quem, inuocato nomine Domini, exaudiuit Deus, in tempore meſſis pluuiam impetrauit. Pluuia enim in ſacris Scripturis verba ſunt Euangelij ſiue legis, ſicut Moyſes dixit: *Expectetur ſicut pluuia eloquium meum, & deſcendant, ſicut ros verba mea.* Hanc igitur pluuiam dedit mundo Chriſtus in tempore meſſis, id eſt, quando gentes colligi oportebat: vt ſicut frumentum in horreis, ſic intra Eccleſiæ ſinum gentes congregarentur. G Iſid. Deut. 32.

C a p v t XIII.

Filius erat Saul vnius anni, cum regnare cœpiſſet. Duobus autem annis regnauit ſuper Iſrael. XII.

Per anticipationem dixit de Isboſeth filio Saul. De quo & in ſequentibus ita ſcriptum eſt: *Quadraginta annorum erat Isboſeth, cum regnare cœpiſſet ſuper Iſrael, & duobus annis regnauit.* Si ergo à morte Heli ſimul omne tẽpus concludatur, quo Samuel & poſtea Saul Iſrael rexerãt; inueniũtur anni quadraginta, ſecundum Chronicorum fidem, vſque ad interfectionem Saul. Inde patet, quod quando Saul (ſecundum hanc computationem) regnare cœpit, filium habuit vnius anni, hoc eſt, primi anni: qui, poſteaquam ille diem vltimum clauſit, regnum Iſrahel duobus annis tenuit, donec eo à latronibus occiſo, totum regnum ſimul ad Dauid conceſſit. Sunt, qui volunt de ipſo Saul dictum accipere, vt vnius anni fuiſſet, cum regnare cœpiſſet: id eſt, humilis & manſuetus ſecundum id, quod Pſalmiſta dicit: *Si non humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam*: duobus autem annis regnauerit, id eſt, ritè regnum tenuerit, quod in principio regni ſui eum feciſſe conſtat. Sed poſtquam per inobedientiam à Deo deſertus eſt, & Spiritus eius ab eo receſſit, licet poteſtatem tenuerit, iam non regimen impendere, ſed magis tyrannicam vitam ducere viſus eſt. *Et erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel, mille autem cum Ionatha in Gabaath Beniamin.* Machmas huc vſque vicus grandis oſtenditur H Pſal. 130. Hier.

A in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, octo ab ea millibus diſtans, iuxta villam Rama, & interpretatur, *humilitas*. Gabaath in tribu Beniamin, vrbs eſt Phinees, filij Eleazar, vbi ſepultus ipſe Eleazar. Eſt autem nunc Gabaath villa in duodecimo lapide Eleutheropoleos, vbi & ſepulchrum Prophetæ Abacuc oſtenditur. Gabaath interpretatur, *collis patruelis*. Bene tria millia Iſraelitarum electa ſunt ad pugnandũ contra Philiſtæos, quia hi ſolummodo apti ſunt ad ſpiritalem militiam, vt pugnẽt contra hoſtes Eccleſiæ, qui Trinitatis fidem perfectè habent, in qua ſuperiores hoſtibus ſuis reſiſtere poſſunt. In hoc ergo quod
Hebr. Scriptor hiſtoriæ, vbi de prælio Saul contra Philiſtæos commemorat, ſubſequitur, dicens: *Quod cum vidiſſent viri Iſrael ſe in arcto poſitos (afflictus eſt enim populus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque & antris, & in ciſternis. Hebræi autem tranſierunt Iordanem, in terram Gad & Galaad*: quæſtio non indigna oboritur. Si ſe enim abſcondit Iſrahel in præfatis locis, quid eſt quod ait. *Hebræi autem tranſierunt Iordanem?* Quod ita ſoluitur. Abſconſis enim
B quibuſdam Iſraelitis, qui Saul & populum, qui cum eo erat reliquerant, quædam pars illorum, qui hic Hebræi vocãtur, timore perterriti defecerũt à Saul, & à viris, qui cum eo erant, & deſcenderunt in caſtra Philiſtijm. Quem locũ ad intelligẽdum clarius & manifeſtius ſequentia demonſtrant in eo loco, vbi ait: *Sed & Hebræi qui fuerant cum Philiſtijm heri & nudius tertius aſcenderantq; cum eis in caſtris, reuerſi ſunt, vt eſſent cum Iſrahel, qui erant cum Saul & Ionathan.* Omnes ergo Iſraelitæ, qui ſe abſconderant in monte Ephraim, audientes, quod feciſſent Philiſtijm, ſociauerũt ſe cum ſuis in prælio.

Cumq; adhuc eſſet Saul in Galgala, vniuerſus populus perterritus eſt, qui ſequebatur eum, & expectauit ſeptem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala. Dilapſuſque eſt populus ab eo. Ait ergo Saul: afferte mihi holocauſtum, & pacifica, & obtulit holocauſtum, &c.

Videtur quibuſdam inculpabiliter Saul obtuliſſe holocauſtum, cum Samuel ab eo expectatus iuxta placitum ſeptem dierum non venerit. Quod qui hunc locum bene
C diſtinxerit, inueniet, eum non immerito culpatum fuiſſe, & inobedientiæ redargutum. Locus autem hic apud Hebræos ita diſtinguitur: *Et deſcendes ante me in Galgala, ego quippe deſcendam ad te.* Et poſtea infertur: *Ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas ſeptem diebus expectabis, donec veniam ad te, & oſtendam tibi, quæ facias.* Non ergo Samuel ſuum præſtolari aduentũ Saulis ſeptem dierum tempore præcepit, ſed ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas ſe ab eo eiſdem ſeptẽ diebus voluit expectari. Quod ille nequaq̃ fecit: & ideo merito culpatur, & ſtultitiæ elogio denotatur. Quod aũt Saul mandatum Domini tranſgredienti Samuel ita dixiſſe legitur: *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum. Sed nequaquã regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit Dominus ſibi virũ iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſeruaueris, quæ præcepit Dominus*: non ſic accipiendum
Auguſt. eſt, ac ſi ipſum Saulem Deus in æternum parauerit regnaturum, & hoc poſtea noluerit ſeruare peccanti: neque
D enim eum peccaturum eſſe neſciebat, ſed præparauerat, regnum eius, in quo figura regni eſſet æterni. Ideo ergo addidit: *Et nunc regnum tuum non ſtabit tibi.* Stetit ergo & ſtabit, quod in illo ſignificatum eſt. Sed non hinc ſtabit, quia non in æternum ipſe fuerat regnaturus, nec progenies eius: vt ſaltem per poſteros, alterum alteri ſuccedentes, videretur impleri, quod dictum eſt, *in æternum*.

Et quærit, inquit, *Dominus ſibi hominem*, &c.

Siue Dauid, ſiue ipſum Mediatorem ſignificans teſtamenti noui, qui figurabatur in chriſmate etiam in quo vnctus eſt ipſe Dauid, & progenies eius: non autem quaſi neſciat, vbi ſit, ita ſibi hominem Deus quærit: ſed per hominem, more hominum loquitur, quia & ſic loquendo nos quærit. Non ſolum enim Deo Patri, verum ipſi quoque Vnigenito eius, qui venit quærere, quod perierat, vſque adeo iam eramus noti, vt in ipſo eſſemus electi, ante conſtitutionem mundi. Quæret ſibi ergo, dixit,

ſuum habebit. Vnde in latina lingua hoc verbum accipit præpoſitionem, & *adquiris*, dicitur: quod ſatis apertum eſt, quid ſignificet, quanquam & ſine additamento præpoſitionis, *quærere*, intelligatur, *adquirere*, ex quo lucra vocantur & quæſtus. E

Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael. Cauerant enim Philiſtijm, ne forte facerent Hebræi gladium & lanceam, &c.

Quod autem Philiſtæi, quo facilius Hebræos poſſent ſuperare, prohibuerunt, ne faber ferrarius eſſet in omni terra Iſrael, ne forte facerent gladium aut lanceam: ſignificat, quod diabolus partim per paganos, partim per hæreticos, partim per falſos Chriſtianos prohibere ſtudet, ne ſint doctores in Eccleſia, qui ſpiritualia arma fabricantes accommodent pugnantibus Chriſtianis. Pagani enim (vt in hiſtorijs legimus) prohibuerunt, ne Chriſtiani liberalibus ſtudiis, quæ illi pro maximo ducebant, imbuerentur. Hæreticos ſimiliter legimus perſuaſiſſe, principibus gentium, vt catholicæ fidei defenſores in exilium truderent, quo facilius plebem paſtore deſtitutam à veritate auertere poſſent. Nunc etiam idẽ hoſtis antiquus ſimili modo in pace Eccleſiæ eos, qui populis præſunt, quoſcunque poteſt, ab inſtantia eruditionis auertere ſatagit, ne ſubditis dogma veritatis impendant, quatenus illos incautos lenius decipere poſſit. *Per inuidiam enim Diaboli mors introiuit in totum orbem terrarum.* Imitantur eum enim qui ſunt ex parte eius. Vnde & duplici reatu Diabolus conſtringitur, hoc eſt, ſuperbiæ & inuidiæ. Superbiæ: qua ipſe cecidit. Inuidiæ: qua alios deiicere contendit. Philiſtijm enim interpretantur *duplex ruina*: & Hebræi, *tranſeuntes. Non enim hic habemus domum manentem, ſed æternam requirimus in cœlis.* F Sap. 2. Hebr. 13.

Capvt. XIV.

XIII

INterea Saul, dum pergeret dimicaturus aduerſus Philiſtijm, indixit cuncto exercitui ieiunium, quouſque reuerterentur à prælio. Sed Ionathas filius eius, ſuper faciem agri mel videns, *extendit ſummitatem virgæ, & intinxit in fauum mellis, & guſtauit, & illuminati ſunt oculi eius*, &c.

Non vtique ad videndum illuminati, qui ante videbat: ſed diſcernendum, quia vetita tetigerat. Tunc enim caſus ille, ſicut & Adam, fecit illum attentum, reddiditque confuſum. Quo facto monetur omnes illecebras voluptatum in ſeculo debere contemnere is, qui Deo nititur militare, & ſpiritus ſancti particeps iam factus, ſpiritalibus caſtris ſe inſerit pugnaturus. Quod bene Ionathæ nomen exprimit. Interpretatur enim, *columba donum*, vel *donum Domini*. Recte quidem ille *columba* vel *Domini donũ* dicitur, qui, gratia Spiritus ſancti accepta, mundi parat ſpernere illecebras. Non enim poteſt cõtra Allophylos ſpiritales, id eſt, aduerſus principes tenebrarum virilibus animis incurrere, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare: *Mel enim diſtillant labia meretricis*, hoc eſt, voluptas carnalis delectationem ingerit illicitam, de qua putatur (iuxta myſticos intellectus) hunc guſtaſſe Ionatham, & forte deprehenſum vix populi precibus liberatum. Vnde manifeſte patet, indigere illum, qui voluptatibus atque illecebris, mundi ſuperatur, ſanctorum ſuffragiis, & fraternis orationibus, quia quanto maiore proteruia contra vnanime conſilium Eccleſiaſticæ regulæ refragatus eſt, tanto maiore eget auxilio pluiimorum: vt qui ſuo merito ſaluari non poteſt, aliorum deuotis precibus reconciliatus ab inſtante periculo liberetur. Iſid. G Prou. 5. Suffragia ſanctorum. H

Deſatigatus eſt, populus nimis, & verſus ad prædam, tulit oues & boues, & vitulos & mactauerunt in terra, comeditque populus cum ſanguine. Nunciauerunt autem Saul, dicentes, quod populus peccaſſet Domino, comedentes cum ſanguine. Qui ait: præuaricati eſtis, voluite ad me iam nunc ſaxum grande. Et dixit Saul: Diſpergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnuſquiſque bouem ſuum & arietem, & occidite ſuper iſtud, & veſcimini & non peccabitis Domino comedentes cum ſanguine. Adduxit itaque omnis populus, vnuſquiſque bouem in manu ſua, vſque ad noctem & occiderunt ibi, &c.

Peccaſſe Domino, & comediſſe enim ſanguine dicuntur: quia mactatis victimis non obtulerũt ad ſanctuarium

A ſacerdotibus, iuxta legis præceptum, adipem & ſanguinem, cum videlicet ſanctuarium ſecum haberent. Quando locus ſanctuarij procul fuerat, iubebatur ſanguis victimarum fundi in terram, de his videlicet victimis, quas ad ſuos eſus præparabant. Quando vero ſanctuarium præſens erat, ſanguis hoſtiarum ſuper altare Domini iu-
Deut. 12. bebatur fundi: ſicut eſt illud in libro Deuteronomij. *Sanguinem hoſtiarum tuarum fundes in altari, carnibus autem ipſe veſceris:* Quod præfatus populus non fecit, & idcirco dicitur Domino peccaſſe, & cum ſanguine dicitur comediſſe. Sequitur.

Aedificauit autem Saul altare Domino &c.

Tunc primum cœpit ædificare altare Domino. Quærendum itaq; , cum antea legatur ædificaſſe altare, quãdo à Samuele increpatus eſt; cur hic dicatur: *Tunc primum cœpit ædificare altare Domino?* Ædificaſſe itaque antea legitur altare, ſed quia inobedienter illud ædificauit, non Domino ædificaſſe, intelligitur. Hic autem quia obedienter & recte illud ædificauit, Domino ædificaſſe perhibetur.

B

Capvt. XV.

ET dixit Samuel ad Saul: Me miſit Dominus, vt vngerem te in regem ſuper Iſrabel populum eius. Nunc ergo audi vocem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: Recenſui, quæcunque fecit Amalech Iſraeli, quomodo reſtitit ei in via, cum aſcenderet de Aegypto: Nunc ergo vade & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem & paruulum atque lactantem, bouem & ouem, camelum & aſinum.

Hebr. Ideo autem iumenta Amalech Dominus iubet demoliri, vt nec in iumentis eius memoria fieret. Dominus enim dixerat ſe deleturum memoriam Amalech de ſub cœlo. Idcirco præcipitur Sauli, vt eum penitus ab homine vſque ad iumenta deleret. Et quia eius memoria, id eſt, Amalech penitus deleta non fuit, Saulis peccatum & inobedientia extitit in cauſa. De quo Amalech, ita in libro
Deut. 25. C Deuteronomij dicitur: *Memento quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris de Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant ceciderit.* Laſſos hic Hebræi immundos ſecundum legem extra caſtra manentes intelligunt: Quos cecidiſſe Amalechitæ dicuntur, quia (ſicut ipſi tradunt) eorum circuncisionem amputauerunt, & in ſubſannationem Dei, in cœlum proiecerunt.

Dixitque Saul Cinæo, Abite, recedite atque deſcendite, ne forte inuoluam te cum eo. Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cum aſcenderent de Aegypto, &c.

Cinæus ipſe eſt Ietro, cognatus Moyſi, de cuius genere erant Chinæi, qui deſcenderant ad Amalech, & habitabant cum eo, qui vtrique eorum conſanguineus erat, & hæreditatem in eius terra habebat. Miſericordiam vero Cinæus cum filiis Iſrahel feciſſe dicitur, ſiue quia Moyſen fouit in terra Madian, ſiue quia conſilium dedit Moyſi, qualiter multitudinem populi gubernaret.

XIV. Inijt ex præcepto Domini Saul prælium aduerſum Amalech: interfectiſque cunctis hoſtibus; pepercit Agag regi, nec voluit diſperdere omnia iuxta mandatum Do-
D mini. Iraſciturque pro hoc ei Dominus, & venit Samuel poſt hæc ad Saul, & increpauit eum pro hoc facto dicens:

Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſrabel? &c.

Quid per increpationem Dominicæ vocis, niſi ſuperbia elati regis abiicitur? Quod ad correctionem ſuam poterit ſalubriter quiſque conuertere, qui Prælatus eſt. Cum ergo Saul paruulum ſe in ſuis oculis æſtimaret, caput in tribubus Iſrael factus eſt; ſed fultus temporali potentia, iam ſe paruulum non videbat. Cæterorum namque comparationi ſe præferens, quia plus cunctis poterat, magnum ſe præ omnibus æſtimabat. Miro autem modo cum apud ſe paruulus, apud Dominum magnus: cum vero apud ſe magnus apparuit, apud Dominum paruulus fuit. Plerumque ergo dum ex ſubiectorum affluentia animus inflatur; in luxum ſuperbiæ, ipſo potentiæ faſtigio lenocinante, corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam nouerit, & impugnare. Bene hanc regit, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, ſcit in illa cum E cæteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur etiam, cum nulla poteſtate fulcitur: quanto magis in altum ſe erigit, cum ſe ei etiam poteſtas adiungit? Quam tamen poteſtatem certè diſpenſat, qui ſollicite nouerit ſumere ex illa, quod adiuuet, & expugnare, quod temptat, & æqualem ſe cum cæteris cernere, & tamen ſe peccantibus zelo vltionis anteferre. Scri- Eccli. 32.
ptum namque eſt: *Ducem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis.* Illoque excuſante quod omnia ſeruauerit, iuxta quod ſibi præceptum fuerat, atque dicente: *Audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam me miſit Dominus, & adduxi Agag regem Amelech, & Amalech interfeci. Tulit autem populus de præda oues & boues, primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis:* ait Samuel: *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quam victima: & auſcultare magis quam offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.*

F
Auguſt. Obedientia victimis iure præponitur quia per victimas aliena caro: per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quiſq; Deum citius placat: quanto ante eius oculos, repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Quoniam contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur: vt quanta ſit virtus obedientia demonſtretur: Ex aduerſo ergo melius oſtenditur: quid de eius laude ſentiatur. Si enim quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: ſola eſt, quæ fidei meritum poſſidet: qua ſiue quiſque infidelis conuincitur, etiam ſi fidelis eſſe videatur. Hinc per Salomonem in oſtenſione obedientiæ dici- Prou. 21.
tus: *Vir obediens loquitur victorias.* Vir quippe obediens loquitur victorias: quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus: Hinc in Euange- Ioann. 6.
lio Veritas dicit: *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras, quia de cœlo deſcendi, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Quid enim ſi ſuam faceret, eos, qui ad ſe veniunt, repuliſſet? Quis autem neſciat, quod voluntas Filij à Patris voluntate non diſcrepet? Sed quoniam primus homo, qui ſuam voluntatem facere voluit, à gaudio paradiſi exiuit: ſecundus ad redemptionem hominum G veniens, dum voluntatem ſe Patris, & non ſuam facere oſtendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non ſuam, ſed Patris voluntatem facit, eos, qui ad ſe veniunt, foras non eiicit, quia dum exemplo ſuo, nos obedientiæ ſubiicit: viam nobis egreſſionis claudit. Hinc rurſum ait: Ioan. 5.
Non poſſum ego à me facere quicquam: ſed ſicut audio, iudico. Nobis quippe obedientia vſque ad mortem ſeruanda præcipitur. Ipſe autem ſi ſicut audit, iudicat, tunc quoque obediet, cum iudex venerit. Ne igitur nobis vſque ad præſentis vitæ terminum obedientia laborioſa appareat: Redemptor noſter iudicat, qui hanc, etiam cum iudex venerit, ſeruat. Quid ergo mirum, ſi peccator homo obedientiæ in præſentis vitæ breuitate ſe ſubiicit, quando hanc Mediator Dei & hominum, & cum obedientes remunerat, non relinquit? Sciendum vero eſt, nunquam per obedientiam malum fieri. Aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti. Neque Gen. 2.
enim mala in paradiſo arbor extitit, quam Deus homini, H ne contingeret, interdixit: ſed vt per melius obedientiæ meritum homo bene conditus creſceret: dignum fuerat, vt hunc etiam à bono prohiberet, quatenus tanto verius hoc, quod ageret, virtus eſſet, quanto & à bono ceſſans auctori ſuo ſe ſubditum humilitas exhiberet. Sed notandum, quod illic dicitur: *Ex omni ligno paradiſi edite, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne tetigeritis.* Qui enim ab quolibet ſubiectos vetat: neceſſe eſt, vt multa concedat ne obedientis mens funditus intereat: ſi à bonis omnibus penitus repulſa ieiunat. Omnes autem paradiſi arbores ad eſum Dominus conceſſit, cum ab vna prohibuit, vt creaturam ſuam, quam nolebat extingui, ſed prouehi, tanto facilius ab vna reſtringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret. Sed quia nonnunquam nobis huius mundi proſpera, nonnunquam vero iubentur aduerſa: ſciendum ſummopere eſt, quod obedientia aliquando ſe de

Digitized by Google

A ſuo aliquid habeat, nulla eſt: aliquando ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. Nam cum huius mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur; is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem euacuat: ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Neq; enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius vitæ proſpera libidine propriæ ambitionis ſeruit. Rurſum cum mundi deſpectus præcipitur, cum probra adipiſci, & contumeliæ iubentur: niſi hæc & ex ſemetipſo animus appetat: obedientiæ ſibi meritum minuit: qui ad ea, quæ in hac vita deſpecta ſunt, inuitus nolenſque deſcendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur: cum mentem ad ſuſcipienda probra huius ſeculi nequaquam ex parte aliqua etiam ſua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduerſis ex ſuo aliquid habere: & rurſum in proſperis ex ſuo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in aduerſis tanto ſit glorioſior, quanto diuino ordine etiam ex deſiderio iungitur, & in proſperis tanto ſit verior, quanto à præſenti ipſa, quam diuinitus percipit, gloria funditus interea ſeparatur.

B *Dixitque Saul ad Samuel: Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæſo, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum. Et ait Samuel ad Saul: Non reuertar tecum, quia proiceciſti ſermonem Domini, Et proiecit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael.*

Corripit Propheta regem pro inobedientia, qua Domini mandatum explere non curauit, prædicitque eum regnum amiſſurum, quia certitudinem mandatorum Dei ſequi noluit. Et merito ille de poteſtatis culmine abiicitur, qui rite regnum tenere neſcit. Ipſe enim regimen rite tenet, qui ſe ſuperiori per humilitatem ad obediendum ſubiicit, & inferiori per authoritatem ad docendum anteponit. Si enim Saul Dei mandatis obediret, rite populo præeſſet.

Et conuerſus eſt Samuel, vt abiret, ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

Matth. 26. C Nota myſterium, quod ſicut in paſſione Domini Pontifex veſtimentum ſcidit: ita & rex Saul veſtem Prophetæ nunc ſcindere deſcribitur. Per vtranq; enim poteſtatem & regalem videlicet ac ſacerdotalem ſciſſio veſtimentorum facta eſt: vt demonſtraretur, ſtabilitatem regni ſeu ſacerdotij in populo Iudæorum fieri non poſſe, qui verum regem & ſacerdotem ad ſe venientem, Dominum videlicet Chriſtum, recipere noluerunt.

Porro triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur. Neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam, &c.

Triumphator in Iſrael Dominus eſt, cui omnis victoria recte aſſcribitur, quia mutabilis non eſt: ſed ſecundum iuſtitiam & veritatem vniuerſa diiudicat. Notandum autem, quod alia editio habet: *Non reuertar,* inquit Samuel, *tecum, quia ſpreuiſti verbum Domini & ſpernit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael. Et conuertit Samuel faciem ſuam, vt abiret, & tenuit Saul pinnulam diploidis, & diſrupit eam. Et dixit ad eum Samuel: Diſrupit Dominus regnum Iſrael de manu tua hodie, & dabit proximo tuo bono ſuper te. Et diuidetur Iſrael in duo, & non conuertetur, neque pœnitebit eum, quoniam non eſt, ſicut homo, vt pœniteat eum, ipſe minatur, & non permanet.* Iſte cui

D Aug. dicitur: *Spernit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael, & diſrupit Dominus regnum ab Iſrael de manu tua hodie:* quadraginta regnauit annis ſuper Iſrael, tanto ſcilicet temporis ſpacio, quanto & ipſe Dauid, & audiuit hoc primo tempore regni ſui, intelligamus ideo dictum, quia nullus de eius ſtirpe fuerat regnaturus: & reſpiciamus ad ſtirpem Dauid,

1 Tim. 2. vnde exortus eſt ſecundum carnem *Mediator Dei & hominum, & homo Chriſtus Ieſus.* Non autem Scriptura, quod in pleriſque latinis codicibus legitur: *Diſrupit Dominus regnum Iſrael de manu tua:* ſed ſicut à nobis poſitum eſt inuentum in græcis: *Diſrupit Dominus regnũ ab Iſrael de manu tua:* & intelligatur, *de manu tua,* q, eſt, *ab Iſrael.* Populi quoque Iſrael perſonam figurate gerebat homo iſte, qui populus regnum fuerat amiſſurus, Chriſto Ieſu Domino noſtro per nouum teſtamentum non carnaliter, ſed ſpiritaliter regnaturo. De quo dum dicitur: *Et dabit illud proximo tuo:* E ad carnis cognationem id refertur. Ex Iſrael enim Chriſtus ſecundum carnem: vnde & Saul. Quod vero additum eſt, *bono ſuper te:* poteſt quidem intelligi, *meliori te:* nam & quidam ſic ſunt interpretati. Sed melius ſic accipitur, *bono ſuper te,* vt quia ille bonus eſt, ideo ſit ſuper te, iuxta illud aliud propheticum: *Donec ponam omnes inimicos tuos ſub* Pſal. 109. *pedibus tuis,* in quibus eſt & Iſrael, cui ſuo perſecutori regnum abſtulit Chriſtus, quamuis fuerit illic & *Iſrael ita, in* Ioan. 1. *quo dolus non erat,* quoddam frumentum quaſi illarum palearum. Nam vtique inde erant Apoſtoli, inde tot martyres, quorum primus Stephanus, inde tot Eccleſiæ, quas Act. 7. Apoſtolus Paulus commemorat, in conuerſione magnificantes Dominum. De qua re non dubito intelligẽdum, quod ſequitur: *Et diuidetur Iſrael in duo.* In Iſrael ſcilicet inimicum Chriſto, & Iſrael adhærẽtem Chriſto: in Iſrael, ad ancillam, & Iſrael ad liberam pertinentem. Nam iſta duo genera primum ſimul erant, velut Abraham adhuc adhæret ancillæ, donec ſterilis per Chriſti gratiam fœcundata clamaret: *Ejce ancillam & filium eius.* Propter pecca- Gen. 21. F tum quidem Salomonis, regnante filio eius Roboam, ſcimus Iſrael in duo fuiſſe diuiſum, atque ita perſeueraſſe, habentibus ſingulis partibus reges ſuos, donec illa gens tota à Chaldæis eſſet ingenti vaſtatione ſubuerſa atque tranſlata. Sed hoc quid ad Saulem, cum, ſi tale aliquod comminandum eſſet, ipſi Dauid potius fuerit comminandum, cuius erat filius Salomon? Poſtremo nunc inter ſe gens Hebræa diuiſa non eſt, ſed indifferenter in eiuſdem erroris ſocietate diſperſa per terras. Diuiſio vero illa, quam Deus ſub perſona Saulis illius regni & populi figuram gerentis eidem regno populoque minatus eſt: æterna atque immutabilis ſignificata eſt. Per hoc adiunctum eſt: *Et non conuertetur, neque pœnitebit eum, quoniam non eſt ſicut homo, vt pœniteat eum: ipſe minatur & permanet:* id eſt, homo minatur, & nõ permanet: non autem Deus, quem non pœnitet, ſicut hominem. Vbi enim legitur, quod pœniteat eum: mutatio rerum ſignificatur, immutabili præſcientia manente diuina. Vbi ergo non pœnitere dicitur: non mutare intelligitur. Prorſus inſolubilem videmus per hæc verba prolatam diuinitus fuiſſe ſententiam de iſta diuiſione populi Iſrael & omnino perpetuam. Quicunque enim ad Chriſtum tranſierunt, vel H tranſeunt, vel tranſibunt: inde non erant, inde ſecundum Dei præſcientiam, non ſecundum generis humani vnam eandemque naturam. Prorſus quicunque ex Iſraelitis adhærentes Chriſto perſeuerant in illo, nunquam erunt cum Iſraelitis, qui eius inimici vſque in finem vitæ huius eſſe perſiſtunt: ſed in diuiſione, quæ hic prænunciata eſt, perpetuo permanebunt.

Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amelech. Et oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus. Et dixit Agag: Siccine ſeparat nos amara mors. Et ait Samuel: Sicut fecit abſque liberis inter mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. Et fruſtra concidit Samuel Agag coram Domino in Galgalis, &c.

Quando legunt quidam in Scripturis, quod ſancti nulli hoſtium parcant, efficiuntur crudeles: & humanum ſanguinem ſitientes, dicunt: quia & iuſti ira percuſſerunt G hoſtes, vt non relinqueretur ab eis, qui ſaluus fieret. Et non intelligunt, in his verbis obumbrari myſteria. Et hoc nobis magis indicari, vt pugnantes aduerſus vitia nullum penitus ex his relinquere debeamus, ſed omnia interimere. Nam ſi pepercerimus: ſcire debemus reputari nobis in culpa, ſicut reputatum eſt Saul, qui viuum ſeruauerat regem Amalech. Quomodo enim quiſque iuſtus manebit, ſi adhuc aliquid peccati in ſemetipſo ſeruauerit, ſicut Saul? At vero ſancti in figura Samuelis ita ſæuiunt ſuper hoſtes ſuos, id eſt, ſuper vitia peccatorum, vt non permittant relinqui aliquod peccatum impunitum.

❧ (?) ☙

CAPVT

Digitized by Google

A XV.

Capvt XVI.

Dixitque Dominus ad Samuelem: Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni & mittam ad Iſai Bethleemitem, prouidi enim in filijs eius mihi regem, &c.

Itaque, Saule propter inobedientiam reprobato, miſit Deus Samuel ad Iſai, & ſumpto cornu olei vnxit in regem Dauid. Sed videamus eundem Dauid, quomodo Chriſtum propheticè ſignificauerit. Dauid enim interpretatur, *manu fortis*, ſiue *deſiderabilis*. Et quid fortius leone illo de tribu Iuda, qui vicit mundum? Et quid deſiderabilius illo de quo dicitur: *Venit deſideratus cunctis gentibus?* Vngitur iſte Dauid in regem futurum, denuncians per vnctionem illam Chriſtum. Chriſtus enim à chriſmate appellatur. Reprobatis ſeptem filijs Iſai maioribus, minimus ætate electus eſt ad regnum. Quia ſpreto Iudaico ſacerdotio, & regno prioris videlicet populi, qui ſabbatiſmum ſecundum legem ſeruabat: Chriſtus Dominus noſter caput minoris populi ſacerdotio perpetuo functus eſt, & in regem vnctus, cuius regnum non habet finem, & cui omnes gentes, linguæ, & tribus ſeruient. Dauid ab officio paſtorali pecorum ad hominum regnum transfertur. Noſter autem Dauid, ipſe Ieſus, à bobus Iudaicæ plebis ablatus eſt, & in regnum gentium translatus eſt. In Iudæa enim non eſt modo Chriſtus, ablatus eſt inde: nunc gentium greges paſcit. Igitur recedente à Saul Domino propter inobedientiam, arreptus eſt maligno ſpiritu *& exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino.*

[Apoc. 5. Ioan. 16. Agg. 2. — B — Dan. 7. Mich. 4. Luc. 1.]

Dixeruntque ſerui Saul ad eum: Ecce exagitat te ſpiritus Domini malus. &c.

In hoc libro quæri ſolet de ſpiritu, qui agitabat Saul: ſi Domini, cur malus; ſi malus, cur *D*omini dicatur? Hæc ſententia duobus verbis comprehenſa eſt, & in *Deo* poteſtas iuſta, & in diabolo poteſtas iniuſta. Nam idem eſt ſpiritus malus per nequiſſimam voluntatem, & idem ſpiritus *D*omini per acceptam iuſtiſſimam poteſtatem. Vnde ergo ſpiritus *D*omini appellatur diabolus? propter miniſterium; quia omnibus etiam ſpiritibus malis bene vtitur Deus, vel ad damnationem quorundam, vel ad emendationem, vel ad probationem. Et quamuis malignitas à Deo non ſit; poteſtas tamen, niſi à Deo, non eſt. Sicut antiquus humani generis inimicus, quia licet afflictionem iuſtorum ſemper appetat, tamen ſi ab Auctore noſtro poteſtatem non accipit; ad tentationis articulum nullatenus conualeſcit. Vnde & omnis voluntas diaboli iniuſta eſt: & tamen, permittente Deo, omnis poteſtas iuſta. Ex ſe enim temptare quoslibet iniuſtè appetit, ſed eos, qui tentandi ſunt & prout tentandi ſunt non niſi tentare Deus iuſte permittit. Bene ergo nunc, dicitur: *Spiritus Domini malus exagitat te.* Ecce vnus idemque ſpiritus & Domini appellatur, & malus: Domini videlicet per licentiam poteſtatis iuſtæ, malus autem per deſiderium voluntatis iniuſtæ. Sic & alibi dictum eſt etiam: *Sopor Domini*, qui occupauerat milites eiuſdem Saul, cum Dauid haſtam & ſcyphum abſtuliſſet à capite dormientis: non quia ſopor tunc à Domino erat, vt ipſe dormiret, ſed quia ille ſopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infuſus, ne Dauid ſerui eius in eo loco præſentia ſentiretur. Dicitur ergo ſpiritus Dei malus, hoc eſt, miniſter Dei ad faciendum in Saul, quod eum pati Iudex omnium potentiſſimus iudicabat, quoniam ſpiritus ille voluntate, qua malus erat, non erat Dei: creatura vero, qua conditus erat, & poteſtate, quam non ſua, ſed Domini omnium æquitate acceperat: *D*ei erat, formidari igitur non debet, quia nihil, niſi permiſſus, valet. Nam & in Euangelio expellenda de homine legio *D*omino dicebat: *Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Sola ergo vis illa timenda eſt, quæ cum hoſtem ſæuire permiſerit, ei ad vſum iuſti iudicij & iniuſta illius voluntas ſeruit. Erat autem Dauid in canticis muſicis eruditus. *D*iuerſorum enim ſonorum rationabilis moderatuſque concentus, concordi varietate compacta, ordinatæ Eccleſiæ inſinuat vnitatem, quæ varijs modis cotidie reſonat, & ſuauitate myſtica modulatur. Iſte adhuc puer in cythara ſuauiter, immo fortiter canens malignum ſpiritum, qui operabatur in Saule, compeſcuit, non quod cytharæ illius tanta vis erat, ſed quod figura crucis Chriſti, quæ de ligno & extenſione neruorum myſtice gerebatur, ipſaque paſſio, quæ cantabatur, iam tunc ſpiritus dæmoniacos opprimebat. Tropologice autem hoc facto Dauid ad compatiendum proximo inſtruimur. Plerumque enim ſuperbus diues exhortationis blandimento placandus eſt: quia & plerumque dura vulnera per lenia fomenta molleſcunt, & furor inſanorum ſæpe ad ſalutem, medico blandiente, reducitur. Cumque eis in dulcedinem condeſcenditur, languor inſaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum eſt, quod cum Saulem ſpiritus aduerſus inuaderet, adprehenſa Dauid cythara eius veſaniam ſedabat. Quid enim per Saulem, niſi elatio potentium? Et quid per Dauid innuitur, niſi humilis ſanctorum vita? Cum ergo Saul ab immundo ſpiritu arripitur, Dauid canente, eius inſania temperatur; quia cum ſenſus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum eſt, vt ad ſalutem mentis, quaſi dulcedine cytharæ, locutionis noſtræ tranquillitate reuocetur.

[C — Greg. — Iſid. 1 Reg. 26. — D — Greg. Matth. 8. — Iſid. — E — F]

Capvt XVII.

XVI.

Poſt hæc, Philiſtijm agmina ſua in prælium conduxerunt in Sochot Iuda. & caſtra metati ſunt inter Sochot, & Azecha, in finibus Dommim.

Sochot eſt oppidum in tribu Iuda. Sunt autem vſque hodie viculi duo pergentibus Æliam de Eleutheropoli in nouo miliario viæ publicæ: vnus in monte, & alter in campo ſitus, qui Sochot nuncupantur. Interpretatur vero *ramus* vel *humilitas*. Azecha ciuitas eſt Cananæorum in parte tribus Iudæ, ad quam vſque perſecutus eſt Ieſus quinque reges, Sed & hodie vocatur villa Azecha inter Eleutheropolim & Æliam. Azecha interpretatur, *fortitudo* ſiue *decipula*. Duma ſiue Dommim in tribu Iuda vicus grandis eſt in Daroma, hoc eſt ad auſtralem plagam in finibus Eleutheropoleos, decem & ſeptem ab ea millibus diſtans. *D*uma interpretatur, *ſilentium* ſiue *gaudium*.

[Hier. — Ioſu. 10.]

Porro Saul & viri Iſrael congregati in valle Terebinthi.

Terebinthus eſt in Sicimis, ſub qua abſcondit Iacob idola iuxta Neapolim.

[H — Gen. 35.]

Et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philiſtijm, &c.

Hinc Ioſephus: *Poſt non multa ſiquidem tempora Palæſtini denuo congregati, & magnum ſuper omnes Iſraelitas exercitum colligentes inter Sochos & Azecha caſtra metati ſunt. Contra quos denuo Saul produxit exercitum, & ſuper quendam montem caſtra ponens, coegit Palæſtinos priora quidem caſtra relinquere, & ex aduerſo montis, quem Saul apprehenderat, aduenire. Diuiſitque eorum exercitus, medius mons, qui erat poſitus inter eos. Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum, nomine Goliat de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmo, & caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica induebatur. Porro pondus loricæ eius quinque millia ſiclorum æris. Et ocreas æreas habebat in cruribus, & clipeus æreus tegebat humeros eius. Haſtile autem haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium. Ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri, & armiger eius antecedebat eum. Stanſque clamabat aduerſus omnes phalangas Iſrael, & dicebat eis: Quare veniſtis parati ad prælium: Nunquid ego non ſum Philiſthæus. & vos ſerui Saul? Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen, qui ſi ouerit pugnare mecum, & percuſſerit me; erimus vobis ſerui. Si autem ego præualuero. & percuſſero eum; vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis. Et aiebat Philiſthæus: Ego exprobraui agminibus Iſraelis hodie. Date mihi virum, qui ineat mecum ſingulare certamen.* &c.

[G]

Spurius dicitur, quia patre gigante, matre vero Gethæa natus erat.

[H. Hebr.]

Dauid autem erat filius viri Ephratæi de Bethleem Iuda, cui nomen erat Eſai, qui habebat octo filios.

Quæritur, cur hic octo filios habere dicatur, cum in Paralipomenon non amplius quam ſeptem legantur? Quod ita ſoluitur. Nathan itaque Prophetam filium Semaa, filij ſui, in loco filij educauerat & nutriuerat. Nam coram Samuele ſeptem eius filij leguntur ad-

[1. Par. 1.]

A

ducti fuiſſe, & octauus eſſe in paſcuis, inter quos Nathan adductum fuiſſe manifeſtum eſt, qui & Ionathan vocatur. De quo in extrema parte Samuelis dicitur: *Percuſſit autem* [2. Reg. 21.] *eum Ionathan, filius Sammaa, fratris Dauid.* Et notandum, quod vbicunque Propheta vocatur, *Nathan* ſcribitur, non Ionathan. *Pugna vero Philiſtinorum cõtra Iſrael*, non inconuenienter malignorum ſpirituum prælium aduerſus Eccleſiam Dei accipi poteſt. Inde egreditur, de caſtris ſcilicet Philiſtinorum, vir ſpurius, nomine Goliath, nimiæ magnitudinis, qui bene poteſt ſignificare diaboli ſuperbiam, q̃ Dauid noſter ſingulari certamine congreſſus proſtrauit, ac populum Dei à timore eius eripuit, qui leonem & vrſum necauit; vrſum videlicet diabolum, leonem Antichriſtum, alterum nunc hominib. latenter inſidiantem, alterum in poſterum manifeſtiſſime ſæuientem. [Iſidor.] Iſte Dauid in prælio gigantem ſuperauit, cum aduerſus populum Dei alienigenæ dimicarent. Prouocauit ſuperbia humilitatem; prouocauit diabolus Chriſtum. Accepit arma bellica S. Dauid, vt aduerſus Goliam procederet. Hæc

B

arma per ætatem & paruam ſtaturã corporis portare non valuit, abiecit onerantia, accepit quinq; lapides de flumine, & poſuit in vaſe paſtorali. His armatus proceſſit & vicit. Hoc quidem ille Dauid, ſed ſi myſteria perſcrutamur, in Dauid Chriſtus intelligitur, qui tempore reuelationis noui teſtamenti inſinuandæ & commendandæ gratiæ p̄uidens arma depoſuit, quinq; lapides tulit. Depoſuit ergo corporalia ſacramenta legis, quæ non ſunt impoſita gentibus. Depoſuit, quæ non obſeruamus. Quia n. in veteri lege & legimus, & non obſeruamus, ſed tñ aliquam ſignificationem præmiſſa & poſita intelligimus. Deniq; hæc arma depoſuit, tanq̃ onera ſacramentorum veteris legis, & ipſam legẽ accepit. Quinq; enim lapides, quinq; libros Moyſi ſignificant. Tulit ergo illos quinq; lapides de flumine, id eſt, de ſeculo. Labitur n. mortale ſeculum, & p̄terfluit, quicquid venit in mundum. Erant n. in flumine, tanquam lapides in populo illo. Primo erant illic inutiles & vacabant, nihil proderant, tranſibat ſupra fluuius. Sed

C

quid fecit Dauid? Vt lex ipſa vtilis eſſet, accepit gratiam. Lex enim ſine gratia impleri nõ poteſt. *Plenitudo legis cha-* [Rom. 13.] *ritas eſt.* Quia ergo gratia facit legem impleri (ſignificatur enim gratia lacte: hoc eſt n. in carne gratuitum, vbi mater non quærit accipere, ſed ſatagit dare: hoc mater gratis dat, & contriſtatur, ſi deſit, qui accipiat:) commonſtrare ergo oſtendit Dauid legem ſine gratia operari non poſſe, niſi cum illos lapides quinq; (quibus ſignificabatur lex in libris quinq;) coniungere volens gratiæ, poſuit in vaſe paſtorali, quo lac mulgeri conſueuerat. His armatus p̄ceſſit aduerſus Goliam ſuperbum, ſe iactantem, & de ſe præſumentem. Tulit vnum lapidem & deiecit diabolum. In fronte percuſſit, & excidit in eo loco corporis, vbi ſignũ Chriſti non habuit. Hoc quoq; licet attendas. Quinq; lapides poſuit, vnum miſit. Quinq; libri electi ſunt: ſed vnitas vicit. *Plenitudo* ergo *legis charitas*, vt ait Apoſtolus: *ſuffe-* [Epheſ. 4.] *rentes inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Deinde, illo percuſſo atq; deiecto, gladium eius abſtulit: & deinde caput abſcidit. Et fecit hoc noſter Dauid, deiecit diabolum de ſuis, quando credebant magni eius, quos ille in manu habebat, & de quibus terras a-

D

nimas trucidabat. Conuertunt linguas ſuas cõtra diabolum, & ſic Goliæ de gladio ſuo caput inciditur. Item vir [Greg.] certa fide plenus, quæ ſanctis ſolet ad iuſtitiam deputari, ea ipſa Scripturæ ſacræ, quæ hæreticus affert, teſtimonia colligit, & erroris eius pertinaciam inde conuincit. Contra nos namq; dum ſacræ legis teſtimonia adportant, ſecum nobis adferunt vnde vincantur. Vnde & Dauid typum Domini, qui videlicet, *fortis manu*, interpretatur: Golias vero, *reuelatus* ſiue *tranſmigrans*: hæreticorum ſuperbiam ſignans: hoc rebus locuti ſunt, quod nos verbis aperimus. Golias quippe cum gladio, Dauid vero cum pera paſtorali venit ad prælium. Sed eundem Goliam Dauid ſuperans, ſuo occidit gladio. Quod nos quoq; agimus, qui promiſſa Dauid membra ex eius fieri dignatione meruimus: nam ſuperbientes hæreticos & ſacræ Scripturæ ſententias deferentes eiſdem verbis atq; ſententiis quas proferunt vincimus. *Aſſumens autem Dauit caput Philiſtæi*

E

attulit illud in Ieruſalẽ, arma vero eius poſuit in tabernaculo ſuo. [Heb.] Quod dicit attuliſſe Dauid caput Philiſtæi in Ieruſalem, anticipatio eſt, quod poſtea fecit. Arma vero eius, id eſt, Philiſtæi, non eſt intelligendum, quod in ſuo poſuerit tabernaculo, ſed in tabernaculo Domini: de quo tabernaculo poſtea hæc ab Abimelech ſacerdote accepit. Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſtæum, ait ad Abner principem militiç: *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner? Dixitque Abner: Viuat anima tua, Rex ſi noui.* Secundum illud locutionis genus hoc dictum eſt, quo dictum eſt illud: *Benedixit Naboth Deo & re-* [3 Reg 21.] *gi*, Ac ſi diceret: non viuat anima tua, Rex, ſi noui, aut videam mortem tuam, ſi noui. Aliter: Quia, *ſi*, coniunctio aliquando ponitur pro *non* aduerbio: vt eſt illud Pſalmiſtæ: *Si introibunt in requiem meam*, id eſt, *non introibunt in re-* [Pſal 94.] *quiem meam. Si noui* poteſt pro *non noui* dictum accipi. Vtitur enim modo iurandi per vitam Regis, & affirmat ſe non noſſe, vnde Dauit ſit. Hoc enim modo & in Geneſi Ioſeph Patriarcha contra fratres ſuos vſus eſt, quando di-

F

xit: *Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus.* [Gen 42.]

Capvt XVIII.

PEracta victoria, qua Dauid gigantem interfecit, dicit Scri- XVII. *ptura, quod anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & ita dilexiſſet eum Ionathan: quaſi animam ſuam*, &c.

Ionathas optime typum tenet eorum, qui ex Iudæis in Chriſtum crediderunt, qui accepta Spiritus ſancti gratia, pro Chriſti amore relictis omnibus, quæ in mundo habere poterant, ipſum Redemptorem ſecuti ſunt. Vnde & Petrus Apoſtolus de ſe & ſocijs ſuis dixit ad Ieſum: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Et in Actibus [Matth. 19.] Apoſtolorum ita ſcriptum eſt: *Quotquot poſſeſſores agrorum* [Actor. 4.] *erant, veniebant & vendebant & afferebant precia eorum ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Sic enim Ionathas dedit veſtimenta ſua, à tunica vſq;

H

ad Baltheum, cum credentes quiq; quicquid habere poterant in hoc mundo, omnia in lucrum Chriſti conferre ſatagebant. *Porro cum reuerteretur Dauid, percuſſo Philiſtæo: egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saul regis: in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris, & præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Quod regis animus indigne tulit. Hinc inuidia Saulis, & ſemina odiorum aduerſum Dauid orta ſunt. Ita & Iudæi audientes Chriſtum prædicari in Eccleſijs, quem ipſi neci tradiderunt, & de victoria [Iſid.] eius, quo hoſtem antiquum triumphauit, credentes in laudibus ipſius congratulari; grauiter inde offenſi ſunt. Nam Saul callidus ſimulator vt ſine ſuis inſidiis poſſit Dauid offerre diſcrimini, ſtuduit eum Michol filiæ ſuæ nuptijs alligare: ſi centum ſibi Allophylorum præputia victor offerret: pro quibus centum ducenta dedit ille. Et vnde creditus eſt regio perire voto, inde auctus eſt glorioſiore trophæo: ita & Iudæi dum contra voluntatem Dei, Chriſtum interficere nituntur: per id ſalutem gentium egerunt, per quod crediderunt extinguere. Quod vero

G

Dauid prius alienigenarum præputia attulit, & ſic denuo Saul filię nuptijs hæſit: ſignificat, quod Chriſtus non prius ſynagogam connubio ſuo ſponderet, niſi ante glorioſus in gentibus fieret. Prius enim in nationibus reſecauit carnis pollutionem, & poſtea copulatus eſt ſynagogæ. Scriptum eſt enim: *Poſtquam intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus erit.* Dupla autem, hoc eſt, ducenta præputia obtulit, ſiue pro Iudæis & gentibus adquiſitis ſiue quia maior eſt numerus adquiſitionis populi gentium, quam credẽtium Iudæorum. Auxit deinde odium Saul aduerſus Dauid in tantum vt rex ob medelam ſui ſpiritus Dauid de more pſallentem iaculo conaretur configere.

(?)

A

CAPVT XIX.

SEd quid eſt, quod dum Saulem ſpiritus aduerſus inuaderet, apprehenſa Dauid cythara, eius veſaniam mitigabat? Per Saulem enim Iudæorum elatio: per Dauid autem humilitas Chriſti ſignificatur. Cum ergo ab immundo Spiritu Saul arripitur; Dauid canẽte, eius veſania temperatur, quia cum ſenſus Iudæorum per blaſphemiam in furorem vertitur: dignum eſt, vt ad ſalutem mentes eorum, quaſi dulcedine cytharæ, locutionis Euangelicæ tranquillitate reuocentur. Niſus eſt Saul Dauid pſallentem configere lancea in parietem, & declinauit Dauid à facie Saul. Lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem. Sic & prædicante Chriſto Euangelium, Iudæi meditati ſunt ei mortem inferre. Sed dum ille ab eis ad ſalutem gentium viuus ſeceſſit: ſolam duritiam mentis illorum malitia eorum læſit.

XVIII. *Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficerent mane. Abſceſſit autem Dauid nocte, & fugit, atq; ſaluatus eſt. Cumq; veniſſent nuntij Saul, inuenerunt ſtatuam in lecto poſitam, & pellem piloſam caprarum ad caput eius,* &c.

B Audiamus ergo, quid hoc ſignificat, quod miſerit Saul ad cuſtodiendam domum Dauid, vt interficeretur? Hoc non ad crucem Domini, ſed tamẽ ad paſſionem eius pertinet. Crucifixus enim Chriſtus & mortuus eſt, ac ſepultus. Erat ergo illa ſepultura, tanquam domus, ad quam cuſtodiendam miſit regnum Iudæorum, quando cuſtodes adhibiti ſunt ſepulchro Chriſti. Quomodo ergo cuſtodita eſt domus, ſi Dauid figurabat Chriſtum, vt Chriſtus interficeretur, dum Chriſtus non in ſepultura, ſed in cruce ſit interfectus? Refertur hoc ad corpus Chriſti, quia interficere Chriſtum erat tollere nomen Chriſti: Neque enim crederetur in Chriſtum, ſi mendacium præualeret cuſtodum, qui corrupti ſunt, vt dicerent: *Quia dormientibus nobis, venerunt diſcipuli & abſtulerunt eum.* (*Matth. 28.*) Hoc eſt itaque velle Chriſtum interficere, nomen eius reſurrectionis extinguere, vt mendacium Euangelio præferretur. Sed ſicut illud non valuit Saul, vt interficeret Dauid, ſic nec potuit regnum Iudæorum efficere, vt memoriam Chriſti deleret. Iſti ſũt qui de Saul virtute, id eſt, de regno Iudæorum in Chriſtum præſumere voluerunt, offenderunt in lapidem offenſionis, tanquam in ſtatuam, & hœdus eis viſus erat agnus. Quia in quo peccatum non inuenerunt, quaſi peccatorem perſecuti ſunt.

C *Nunciatum eſt autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha,* &c.

Hier. Naioth locus eſt in Ramatha, vbi Dauid ſedit. Rama vero in tribu Beniamin ciuitas eſt Saulis in ſexto milliario ab Helia ad ſeptentrionalem plagam contra Bethel. Meminit huius & Ieremias. Alia autem Rama eſt in tribu Aſer: Naioth, *pulchritudo,* interpretatur; & Rama, *excelſum.* Bene ergo conueniunt hæc nomina locorum rebus in his expletis, quia Prophetarum dicta & celſitudinem habent ſcientiæ, ac venuſtatem locutionis.

Miſit ergo Saul lictores, vt caperent Dauid. Qui cum vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuel ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam ſpiritus Domini ſuper eos, & prophetare cœperunt etiam ipſi, &c.

D *Iſidor.* Igitur Dauid regiæ manus ictum deuitans, eiuſq; perſecutiones declinans, fugit, venitque ad Samuelem, & miſit Saul nuncios, qui apprehenderent Dauid. Qui cum vidiſſent Samuel inter Prophetas, & cœtum Prophetarum, qui in illo tempore prophetabant, nuncij, qui miſsi ſunt, accepto eodem ſpiritu, prophetauerunt. Miſsiſque alijs hoc contigit, & tertijs nihilominus. Poſtea vero cum & ipſe Saul veniſſet: factus eſt ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat egrediens, & prophetabat.

Heb. Quæſtio magna hic oritur, cum in præcedẽtibus legatur: *Et non vidit Samuel Saulem vſque in diem mortis ſuæ:* quomodo hic prophetaſſe coram Samuele dicatur? Quam quæſtionem Hebræi his duobus modis ſoluunt. Aut non vidit eum, quia quando iunctus eſt Saul cuneo prophetarum, abſcondit ſe Samuel, ne videretur ab eo: aut non vidit eum indutum habitu regio, quo indutus erat, quãdo dictum eſt; *Non vidit eum vſque in diem mortis ſuæ;* ſubauditur, *indutum habitu regio.* Expoliaſſe vero ſe nõ omnibus veſtimentis, ſed regalibus intelligendum eſt. Item quæritur, quomodo & illi nuntij, qui miſsi eſſent ad tenẽdum hominem, & ad necem ducendum, talis ſpiritus participes effici meruerint? Et Saul ipſe, qui miſerat, veniens, & ipſe ſanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit ſpiritũ illum, & prophetare. (E *Iſid.*) Quantum enim ad literam attinet, nõ eſt mirum, hominem reprobum ad momentum tranſitoriè prophetaſſe: dum etiam ſimiles multi prophetiæ donum leguntur habuiſſe, Sicut & Balaam ille reprobus, quem non tacet Scriptura iudicio diuino eſſe damnatum: ſed tamen Prophetam habebant. (*Num. 22. 23. & 24.*) Nec illa verba parum teſtantur huic ſententiæ, quæ in Euangelio ſcripta ſunt multos dicturos in illa die: *Domine, Domine, in nomine tuo,* * manducauimus, & bibimus *& in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Quibus tamen dicturus eſt: *Non noui vos vnquam: Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* (*Mat. 7.* * *prophetauimus & dæmonia eiecimus. Ibid.*) Myſtice autem exemplum huius Saul nunciorumque eius in hac ſententia, figurat nonnullos hæreticos, qui aliquid boni de muneribus ſancti Spiritus habent, ſicut teſtamenta legis & Euangelij, baptiſmi ſacramenta: (F) quia cum ad Eccleſiam Catholicam veniunt, non eſt illo modo in eis violandum, aut, quaſi non habeant, tradendum. Sed tamen eos non ideo debere ſalutem confidere; quia non improbamus, quod per illos accepiſſe concedimus. Sed oportet eos cognoſcere vnitatem, & ſocietatem in vinculo pacis, ſiue qua omnino quicquid habere potuerunt, quamuis ſit ſanctum atque venerandum, ipſi tamen nihilominus ſunt tanto indigniores effecti præmio vitæ æternæ: quanto illis donis non bene vſi ſunt, quæ in hac vita, quæ tranſitoria eſt, acceperunt. Item exemplum atque imago huius Saul, nunciorumque eius in hoc loco, Iudæorum non incongruè geſtat perſonam, qui dum aduerſari cupiunt Chriſto, habent in ore ſacramenta legis & Prophetarum ad teſtimonium Chriſti, & cum Eccleſia quaſi cum Prophetis de Scripturis diſputant, ſicut illi cum Prophetis vaticinabantur.

CAPVT XX.

G QVod dicente Ionathan ad Dauid, quem inſecutionibus patris ſui non iuſtis dolebat fatigari; *Si vixero facies mihi miſericordiam Domini. Si vero mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuam è domo mea, vſque in ſempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra:* Cum adiungeret Scriptura: *pepigit ergo fœdus Ionatham cum domo Dauid:* continuo ſubintulit dicens: *Et requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid,* &c.

Per anticipationem vtique fecit, prius hiſtoriæ interſerendo, quod multo poſt tempore factum eſt, cum, interfecto Saule, regnum ad Domum Dauid translatum eſt, & qui innocentem eum iniuſte perſequebantur, iuſta ſunt diuinitus vltione mulctati. Tunc enim requiſiuit Dominus de manu inimicorum Dauid, quare virum ſanctum afflixerint, tunc cogebantur rationem reddere odiorum, quibus tanto tempore contra illum ſæuierant. Quod & de Abſalon, & de Siba filio Bochri, & de cæteris hoſtibus Dauid æque poteſt intelligi. Aliter: Si ſcire vis, quid de manu inimicorum Dauid requiſierit Dominus, poteſt (niſi fallor) in ſuperiore ſententia, qua dictum eſt, quod fœdus pepigerit Ionathan cum domo Dauid, à * pocynu intelligi, quod hoc de manu inimicorum Dauid requiſierit, id eſt, quare non & ipſi fœdus cum eo pacis inire voluerint, cum quo eſſe Dominum viderunt. (H * *poſteriori.*) Idcirco autem Scriptura hic ſententiam hanc præoccupando interponere videtur, vt teſtimonium Ionathæ, quo dixerat: *Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra:* verum eſſe comprobaret, quia videlicet eradicati ſunt inimici Dauid de terra, non ipſo Dauid ſe de aduerſarijs vlciſcente, ſed iudicante Domino pro illo. Bene autem ſubiungit: *Et addidit Ionathan deierare Dauid, eo quod diligeret illum. Sicut enim animam ſuam, ita diligebat eum:* vt ille nimirũ, qui tam perfecto iuxta legẽ Dei amore cõplectebatur Dauid, à perditione inimicorũ eius oſtẽderetur immunis. Qui etſi cito morte preptus, regnum cum eo, vt ſperabat, terrenũ habere nequiuit commune:

abſque

A abſque vlla tamen contradictione regni cœleſtis conſortium cum eo, quem pro gloria virtutum tantiſper dilexit, cum eſſet & ipſe vir virtutum, accepit. *Venit Ionathan in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo, & ait ad puerum ſuum: Vade & affer mihi ſagittas, quas ego iacio.* &c.

Quid eſt, quod Ionathan Dauid ſeruare volens, cum ille lateret in agro iuxta lapidem ad ſignum duas iecit ſagittas, quas puer paruulus ignorãs, quid fecerit, collegit, & in ciuitatem retulit: niſi quod Deus Pater Filium ſuum vnigenitum, quem ad ſalutẽ humani generis mittendum decreuerat, in littera legis, Iudæis neſcientib. abſconditũ habuerat? Dauid ergo abſconditus eſt in agro, id eſt, Chriſtus celatus eſt in mundo. De quo Euangeliſta Ioannes dicit: *In mundo erat, & mũdus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Ioan. 1. Iuxta lapidem ſedebat, quia in tabulis legis conſcriptus erat, vt eſt illud: *Audi Iſrael. Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Deut 6. Exod. 20. Et: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* Nam Saul odio habens Dauid, inter epulas ſedens, filium eum mortis eſſe iudicabat. Et Iudaica perfidia, in paſchæ epulis conuiuans, de nece Chriſti tractabat. B Cum ergo illuxiſſet mane venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo. Iecit vnam ſagittam, iecit & aliam. Et Deus Pater illuceſcente mane credulitatis primum teſtimonium legis de Chriſto protulit. Deinde Prophetas miſit, qui de aduentu eius teſtificarentur. Vnde ſcriptum eſt: Zach. 9. *In lumine iacula tua ibunt, in ſplendore fulguris armorum tuorum.* Collegit autem puer Ionathę ſagittas, & attulit ad Dominum ſuum, & quid ageretur penitus ignorabat.

Sic & Iudaicus populus libros legis & Prophetarum portans quaſi diuinitus conſcriptos honorabat, ſed eum, & quem Moyſes & Prophetæ ſignauerant, præſentialiter inter ſe manentem non cognouerat.

CAPVT. XXI.

SVrrexit itaque Dauid iterum, & fugit in die illa à facie Saul: venitque ad ſacerdotem Abimelech, à quo & gladium Golia ſuſtulit, & panes propoſitionis accepit.

Quæ res & ſacerdoti mortem attulit, & animaduerſionem religioſæ intulit ciuitati. C Primo videndum eſt, qd ſit, quod Dauid interroganti reſpondit ſacerdoti, & dixit. *Et quidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta.* Hebr. Hoc quoque taliter accipi poteſt: Abimelech interrogat, vtrum Dauid & pueri ſiii, quos in illum & illum locum conduxiſſe ſe dixerat, mundi eſſent? Dauid vero ænigmate pluraliter de ſe ipſo reſpondit, dicens: *Et fuerunt vaſa puerorum ſancta*, ſcilicet, à concubitu coniugali. Quod vero ait: *Porro via hæc polluta eſt;* & in Hebræo legitur: *Porro via hæc laica eſt:* ſic eſt intelligendum: *Via hæc laica eſt:* ac ſi diceret: In lege præceptum eſt, vt extraneus non comedat ex eis: & tu interrogas, vtrum mundi ſint pueri, qui etiam ſi mundi eſſent, nequaquam eis veſci deberẽt? Idcirco via laica eſt, quia tu laicaliter interrogas. Quod vero ſequitur: *Sed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis*, ipſa vtiq; in vaſis, id eſt, mente ſanctificari dicit; quia niſi neceſſitate corporis, & periculo vitæ vrgente, nequaquam veſceretur eis. Et hæc itaque geſtorum fides eſt. Iſid. D Sed quantum ad ſacramentum prophetiæ pertinet, in Chriſto Domino noſtro impletum eſt. Qui poſitus in carne, dum inſectationem declinaret Iudaicam, ad Apoſtolos tranſiuit, cum quibus & deſideratum ſibi cibum ſumpſit: Luc. 22. *Deſiderio enim deſiderauit manducare paſcha.* Ex quibus Goliæ, id eſt, arma Luc. 11. diaboli ſuſtulit: fortis enim ſpolia ipſe diripuit. His ergo à quibus receptus eſt Chriſtus, tribulationes induxit diabolus, & mortem. 2. Tim 3. *Omnes enim*, vt ait Apoſtolus, *qui in Chriſto pie volunt viuere, perſecutionem patiuntur.* Et Dominus. Ioan. 15. *Si me*, inquit, *perſecuti ſunt, & vos perſequentur.*

Erat autem ibi quidam vir de ſeruis Saul in die illa intus in tabernaculo, & nomen eius Doeg Idumæus.

Hebr. In Hebræo habetur, *obligatus in conſpectu Domini:* Obligatus idem Doeg Idumæus erat voto, quo ſe obligauerat aliquot dieb. in tabernaculo Domini immoraturum, & orationi vacaturum. Doeg autem iſte Idumæus (qui camelorum, i. e. infructuoſi gregis, & tortuoſi, cuſtos erat, & interpretatur, *motus* ſiue *ſollicitus*, qui & percuſſit Abimelech ſacerdotem magnum: Nam Abimelech interpretatur, *frater meus rex*) in nomine Iudæ proditoris perſonam geſtat, E per quem fraude contra Redemptorem noſtrum, qui vere rex eſt, operatus diabolus, vt, eius proditione facta, etiam poſtea perſecutionem Eccleſia pateretur, & occiderentur quamplurimi diſcipuli Chriſti, & ſacerdotes, & pro nomine eius perſecutiones grauiſſimas perferrent. Sed in domo Abimelech, ſolus Abiathar princeps ſacerdotum à perſecutore Saul immunis eſt: quia nemo poteſt nocere Chriſto principi ſacerdotum, qui victor ad cœlos aſcendit.

Interea Dauid, cum fugeret Saul, latere voluit apud regem quendam Geth, nomine Achis. XXII. Sed cum gloria eius ſic fuiſſet cõmemorata, ne per liuorem rex, ad quem confugerat, in eum aliquid mali machinaretur, finxit inſaniam, &, quaſi furore correptus, *mutauit os ſuum, defluebantque ſaliua in barbam eius, collabebaturq; in manibus eorum, & procidebat ad oſtia portæ.*

Et dixit Achis: Quid huc mihi adduxiſtis iſtum? Nunquid deerant nobis furioſi? Et ſic eum dimiſit.

F Achis interpretatur, *quomodo eſt*, per quod ſignificatur Iſid. ignorantia, & verbum mirantis & agnoſcentis: quod in gente Iudæorum impletum eſt. Qui dum Chriſtum viderunt, non agnouerunt, coram quib. mutauit os ſuum, & abijt. Erant enim ibi præcepta legis carnalia, erat ſacrificium ſecundum Aaron, & poſteà ipſe de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. *Sacrificiũ corporis & ſanguinis Domini.* Mutauit os ſuum in ſacerdotio, mutauit in præceptis, dans aliud teſtamentum, euacuata carnali operatione: atque collapſus eſt in manibus eorum quando eum comprehendentes crucifixerunt. Et procidebat ad oſtium portæ, id eſt, humiliabat ſe. Hoc eſt enim procidere vſque ad oſtium fidei noſtræ. Oſtium enim portæ, initium eſt fidei. Inde incipit Eccleſia, & peruenit vſq; ad ſpeciem. Et cum credit ea, quæ non videt, merebitur illorum perfrui, cum eum facie ad faciẽ videre cœpit. Quod vero in illo quaſi furioſo ſaliuæ decurrebant ſuper barbam eius: Apoſtolus hæc aperit, dicens: 1. Cor. 1. *Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis vero vocatis, Iudæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam; quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientia eſt hominibus.* G Saliuæ enim ſignificant infirmitatem. Sed quia ſtultum Dei fortius eſt hominibus: nota quia ſaliuę oſtendant. Sed attende, quia ſuper barbam decurrunt. Quomodo enim in ſaliuis infirmitas: ſic in barba virtus oſtenditur. Texit ergo virtutẽ ſuam corpore infirmitatis ſuæ: & quia forinſecus infirmabatur, tanquam in ſaliua apparebat: intus autem diuina virtus, tanquam barba, tegebatur.

CAPVT XXII.

XXIII. *FVgit Dauid in ſpeluncam Odollam, vbi eum fratres eius, & omnis domus patris eius viſitauerunt, & conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps,* &c.

Quid eſt, quod, Dauid manente in ſpelunca, venerunt ad eum fratres eius, & omnis domus patris eius? hoc eſt, illi, qui ex ſynagoga in eum crediderunt, venerunt ad illum. H Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno. Hoc eſt, quod ipſe ad ſe venire inuitans dixit: Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos.* Omnes quippe, qui ſe agnoſcunt in anguſtijs vitiorum conſtitutos, nec habent latitudinem charitatis, & oppreſſi ſunt ære alieno, hoc eſt, cenſu peccatorum, quem exſoluebant diabolo, quando exhibuerunt membra ſua ſeruire iniquitati ad iniquitatem, Rom. 6. neceſſe eſt, vt amaro ſint animo, hoc eſt, vt digne pœnitentiam gerant de delictis ſuis præteritis, & veniant ad Dauid, ad deſideratum videlicet noſtrum, quatenus fiat eorum princeps; quia ipſe eſt, qui *conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Act. 10. *Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis, cuius regni non erit finis.* Eſa. 9. *Et dominabitur à mari vſque ad mare & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Pſal. 71. *Cuius poteſtas, eſt æterna, & regnum eius alteri non dabitur.* Dan. 7. Dixitq; Gad Pro-

A *pheta* ad Dauid: *Noli manere in præſidio, proficiſcere, & vade in*
terram Iuda, &c.
Miro modo hic introducitur Gad Propheta, cum in
præcedentibus huius nulla facta fuerit mentio. Sic itaque
introducitur, ſicut Helias Propheta in loco, vbi dicitur:
3 Reg. 17. *Et dixit Helias Thesbites, de habitatoribus Galaad.* Ex ore ita-
que Domini Gad Propheta Dauid dixit, vt non morare-
tur inter gentes, & in terra polluta, ſed in terram Iudæ re-
diret, & ibi iuxta voluntatem Domini perſecutionem
inimicorum ferret.

Caput XXIII.

Porro eo tempore, quo fugerat Abiathar filius Achimelech, ad
Dauid, in die illa Ephoth ſecum habens, deſcenderat. Ephoth
Exod. 39. illud erat, quod Moyſes, iubente Domino, fecerat, ſicut
& Rationale, in quo erat doctrina & veritas, in quo et-
iam conſulit Dauid Dominum.
Et ait Dauid ad Dominum: Si tradent me viri Ceilæ in ma-
nus Saul, & ſi deſcendet ipſe, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine
B *Deus Iſrael indica ſeruo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet*, &c. Ac
ſi diceret: Si hic ſteteris, deſcendet Saul. & tradent te viri
Ceilæ in manus eius. Eorum voluntatem ei indicabat. Et
merito viri Ceilę, qui ingrati beneficijs Dauid extiterant,
cum eos ipſe de manibus Philiſtiim eruerit, ſignificant in-
fidelitatem, ſeu inconſtantiam Iudæorum, qui Redem-
ptoris noſtri ſemper pietati ingrati exiſtẽtes, apud ſeculi
poteſtates contra eum inſidiando meditabãtur. Interpre-
tatur autem Ceila, *ad fundam iacta*, ſiue *extollens ſibimet*. Et
Pſal. 11. in Pſalmo ſcriptum eſt: *In circuitu impij ambulant.* Et alibi:
Exod. 27. *Stultus, vt luna, mutatur.*
Porro Dauid erat in deſerto Ziph in ſylua, &c.
XXIV. Ziph mons ſqualidus vel caligãs, ſiue nebuloſus. Iuxta
Hier. Ziph, in quo ſedit Dauid pp Chermelam, quæ in Scriptu-
ris Carmelus appellatur. Sic enim appellatur vicus hodie
Iudæorum, vnde fuit Nabal Carmelus. Sed & vnus de po-
1. Par. 2. ſteris Chaleb dictus eſt Ziph, lege Paralipomen. Quid eſt
ergo, quod Ziphei Dauid apud ſe latitantem Saul prodi-
derunt, & cum eo mortẽ eius meditati ſunt: niſi, q. Iudæi,
C quod Ziphei merito ſignificant, & interpretantur, ger-
minantes, cum in terreno regno germinare appetebant,
apud principes ſuos tractabant de nece Saluatoris, quali-
ter eum, per diſcipulum ſuum, proditum apprehende-
rent, & præſidi ad interficiendum traderent.

Caput XXIV.

XXV. *Aſcendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutiſſimis, En-*
Iſid. *gaddi*, &c.
In Heremo Engaddi, cum perſequendum Dauid Saul
appeteret; ingreſſus eſt Dauid ſpeluncam, & ibi latitabat.
Sed rex improuiſis exceptus inſidijs, quod innocuo mo-
Pſal. 7. liebatur, inciderat. Scriptum eſt enim: *Qui fodit foueam pro-*
Eccle. 27. *ximo ſuo, incidet in eam.* Dauid bona pro malis retribuens,
inimicum non occidit; ſed pro teſtimonio facti, oram re-
giæ chlamydis amputans abſtulit. Cum vtiq; facilius ſit,
exceptum inſidijs aduerſarium perdere, magis q̃ fallere.
Quid ergo eſt, q. iſte fugiens à facie Saul in ſpelunca latuit?
Quare aũt latuit: niſi, vt occultaretur vt non inueniretur?
D Quid eſt contegi ſpelunca, niſi contegi terra? Qui n. fugit
in ſpeluncam terra tegitur, ne videatur. Portabat Ieſus
carnem, q̃ acceperat de terra, & in ea ſe occultabat, ne ab
1. Cor. 2. Iudæis inueniretur Deus. *Si enim cognouiſſent, nunquam Do-*
minum gloriæ crucifixiſſent. Quare ergo Dominum gloriæ
non inuenerunt? Quia ſpelunca ſe texerat, id eſt, carnis
infirmitatem oculis obiiciebat, & maieſtatem Diuinita-
tis in corporis tegmine, tanquam ſpeluncæ abdito, con-
tegebat. Illi non cognoſcentes Deum, perſecuti ſunt ho-
minem: nec mori potuit, niſi in homine, nec crucifigi po-
tuit, niſi in homine; qua nec teneri poſſet, niſi in homine.
Oppoſuit ergo male quærentibus terram: ſeruauit bene
quærentibus vitam. Fugit ergo ſecundum carnem in ſpe-
luncam à facie Saul, quia paſſus eſt: vſq; adeo ſe occultans
coram Iudæis, vt moreretur. Sed quare vſque ad mortem
eſſe patiens voluit: vt fugeret à facie Saul in ſpeluncam,
quæ inferior pars terrę poteſt accipi? Et recte manifeſtum
& notum eſt omnibus, eum in monumento poſitum
eſſe, quod exciſum fuerat in petra. Hoc ergo monumen- E
tum ſpelunca erat. Illuc fugit noſter Dauid à facie Saul. Matth. 27.
Tam diu enim, perſecuti ſunt illum Iudæi: quouſque po-
neretur in ſpelunca. Sed quid eſt, quod Saul perſecutor
ad purgandum ventrem ſpeluncam ingreditur: niſi quod
Iudæi conceptam in Chriſtum malitiam mentis, quaſi o-
dorem fœtidum, emiſerunt, & cogitata apud ſe noxia fa-
ctis deterioribus, dum Chriſtum perimunt, oſtenderunt?
Sed tamen Dauid Saulem occidere noluit. Et cum in ab-
dito occultatus antro haberet in poteſtate: ſeruare potius
quam occidere maluit. Ita & Chriſtus dum eſſet in ſpe-
lunca carnis, perſecutorem populũ in poteſtate habuit,
& nõ occidit. Scriptũ enim erat de eis per Prophetam; *Ne*
occideris eos. Deniq; Dauid tantummodo ſummitatẽ chla- Ier. 41.
mydis eius ſilenter abſcidit: vt oſtẽderet Prophetia, Chri-
ſtum Iudæos non occidiſſe, ſed eis tantum regni gloriam
abſtuliſſe, ſicq; eos pro perſecutione ſua vacuos ſede vel
imperio reliquiſſe. Chlamydis enim abſciſio, regni eſt am-
putatio. Hoc etiam alio loco idem Saul cum per inobedi-
entiam peccaſſet, oſtendit. Nam cum veniam precare- F
tur, rogaretq; Samuelem, vt reuerteretur cum illo ad pla-
candum Deum, & noluiſſet, atque conuertens faciem
ſuam abiret: tenuit Saul pinnulam veſtimenti eius, & diſ-
rupit eam, & dixit ad eum Samuel: *Diſrupit Dominus re-* 1. Reg. 15.
gnum Iſrael de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo, & di-
uidetur Iſrael in duos populos. Ergo rex iſte perſonã figuratè
gerebat Iudæorum: ſignificans, quod inde amiſſurus erat
regnum, dum perſequitur Chriſtum. Item moraliter hu-
ius rei geſtum ſi quis quæſierit, ita accipere poteſt: vt per
Saul mali rectores deſignentur. Saul igitur ventrem pur- Greg.
gare eſt: prauos præpoſitos conceptam in corde malitiam
vſque ad opera miſeri odoris extendere, & cogitata apud
ſe noxia factis exteriorib. exequendo monſtrare. Quem
tamen Dauid ferire metuit; quia piæ ſubditorum mentes
ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, præpoſito-
rum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam eum de
imperfectione reprehendunt. Qui & ſi quando propter
infirmitatem ſeſe abſtinere vix poſſunt, vt extrema quæ-
dam atq; exteriora propoſitorum mala, ſed tamen humi-
liter loquantur: quaſi oram chlamydis ſilenter incidunt. G
Quia videlicet dum prælati dignitati ſaltem innoxiæ &
latenter derogant, quaſi regis ſuperpoſiti veſtem fœdant.
Sed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; vehementiſſimè
vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt. Vnde
& bene & illic ſcriptũ eſt: *Poſt hæc Dauid percuſſit cor ſuum,*
eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul. Facta quippe Præpo-
ſitorum oris gladio ferienda non ſunt: etiam cum repræ-
hendenda certè iudicantur. Si quando vero contra eos
vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt, vt afflictione pœ-
nitentiæ comprimatur: quatenus ad ſemetipſam redeat,
cum præpoſitæ poteſtati deliquerit; eiuſq; contra ſe iudi-
cium, qui ſibi prælatus eſt, perhorreſcat. Nam cum præ-
poſitis delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis præ-
tulit, obuiamus. Vnde Moyſes quoque cum contra ſe, &
Aaron populum conqueri cognouiſſet, ait: *Nos enim quid* Exod. 16.
ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.

Caput XXV.

Poſt hæc ſequitur Scriptura narrans de morte Sa- H
muelis, & de fuga Dauid, ita dicens: *Mortuus eſt autem* XXVI.
Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum,
& ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. Conſurgenſque Da-
uid deſcendit in deſertum Pharan, &c.
Pharan nunc eſt oppidum trans Arabiam, iunctum Hier.
Saracenis, qui in ſolitudine vagi errant. Per hoc iter fece-
runt filij Iſrael, cum de monte Synai caſtra mouiſſent. Eſt
ergo (vt diximus) trans Arabiam, contra auſtralem pla-
gam, & diſtat ab Aila contra Orientem itinere trium die-
rum. In deſerto autem Pharan Scriptura commemorat, Gen. 21.
habitaſſe Iſmahelem. Vnde & Iſmahelitæ, qui nunc Sara-
ceni dicuntur. Legimus Codorlaomor regem percuſſiſ-
ſe eos, qui erant in deſerto Pharan.
Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & poſſeſſio eius
in Carmelo, &c.

A Hiſtoria, quæ de Nabal & Abigail vxore eius narrat, myſticum intellectũ quærit. Nabal enim, de quo dictum eſt, quod vir durus & peſsimus & malitioſus eſſet, typum tenet populi Iudæorum. Quorum aliqui vua fellis, & botro amaritudinis inebriati, dura ceruice, & incircumciſi cordib. ſemper Spiritui ſancto reſiſtebant, atq; carnalem ſenſum in lege ſequ:ntes, ſtulti facti ſunt. Quod bene nomen Nabal exprimit. Interpretatur n. *inſipiens*, vel *demens*. Vnde & Chriſtum venientem, & per Apoſtolos ab eis refectionem fidei & bonæ operationis expetẽtem, reſpuerunt, dicentes: *Hunc autem neſcimus, vnde ſit? Nos Moyſi diſcipuli ſumus.* Abigail vero, de qua refert Scriptura, q. mulier prudẽtiſſima & ſpecioſa fuerit, typum tenet plebis illius, qui ex Iudæis ad fidem conuerſi Dño placere meruerunt. Quod bene nomen Abigail ſonat. Interpretatur n. *patris mei exultatio.* Vnde & Dñs in Euangelio dicit: *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Hæc ſæpius in Prophetis & in Apoſtolis pro ſalute populi Iudaici deprecans, Dauid noſtro oblationem acceptabilem bonorum operum, & piæ deuotionis obtulit. Quam ille poſt mortem viri ſui, qui demens in ſtultitia ſua perijt, adſciuit in coniugium: & exhibuit ſibi ſponſam non habentem maculam aut rugam. Quod Abigail interpellãs pro ſe, & pro domo ſua ait ad Dauid, quem vir eius ſtultitia & ebritate ſopitus offenderat. *Si n. ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quaſi in impetu & circulo fundæ*, &c.

Ioan. 9.

Luc. 15.

B

Eph. 5.

Bed.

Pulcherrima comparatione ſtatum Iuſtorum à reproborum ſorte diſcernit. Horum quippe animas appellat viuentes: vt illorum è contrario ſpiritali morte præoccupatas inſinuet, iuxta illud Prophetæ: *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Hos faſciculo, illos lapidi fundæ aſſimilat. Faſciculus n. conſtringitur, vt integer maneat & conſeruetur. Lapis in funda expeditus ponitur, vt abijciatur. Sic etenim ſic in hoc ſeculo electi preſſuris tribulationũ coanguſtantur: vt his admoniti arctius ſe adinuicem mutua charitate cõnectant, coadunati ad inuicem manu ſui Redemptoris in perpetuum conſeruentur. At vero reprobi quanto latius in hac vita voluptatib. proprijs, velut liberi, dimittũtur: tanto longius in futuro à diuinæ viſionis gloria proijciuntur, vt de eis merito dicatur: *Et quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt.* Mire autem omnipotentem prouidentiam deſcribit ſuperni pectoris: cum dicit, animam viri ſancti, quaſi in faſciculo viuentium, apud Dñm eſſe cuſtoditam. Sicut n. faciliimum eſt cuilibet faſciculum herbæ vel fœni ſua manu retentum conſeruare: ita virtus Dñi & Saluatoris noſtri omnes per orbẽ electos ab initio vſq; in finem ſeculi, ne quis ex eis vlla ratione pereant, ſine labore tuetur, iuxta quod ipſe in Euangelio ſub figura ouium de eis loquens; *Et ſequentur me*, inquit, *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, nec capiet eas quiſquam de manu mea.* Sicut faſciculus vnus quibuslibet vinculis alligatur: ita omnis ſanctorum cœtus, vna eademq; fide, ſpe & charitate adinuicem conſtringitur, vno diuinæ protectionis munimine circumdatur. Ad literam aũt patet ſenſus: quia anima Dauid, perſequentibus licet hoſtibus, cuſtodita ſemper fuit in ſorte viuentiũ. Porro inimici eius, inſiſtentibus ſibi aduerſitatibus, ſicut lapis funda circumactus, ſic inſtabili motu perturbandi & ſuis eſſent expellendi de finibus, vel etiam humanis rebus auferendi.

Ezech. 18.

C

Ioan. 10.

D

Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, &c.

Greg. Quid nobis Abigail per renuntiationis ſuæ diſpenſationem innuit, niſi q. iracundos melius corrigimus, ſi in ipſa iræ ſuæ cõmotione declinamus? Perturbati quippe, quid audiant, ignorant. Sed cum ad ſe redeunt, tanto libentius exhortationis verba recipiũt, quanto ſe tranquillius toleratos erubeſcunt. Menti autem furore ebriæ omne certum (q. dicitur) peruerſum videtur. Vnde & recte Nabal ebrio culpam ſuam Abigail laudabiliter tacuit: quam, digeſto vino, laudabiliter dixit. Idcirco n. malum quod fecerat cognoſcere poterat: quia hoc ebrius non audiuit. *Saul autem dedit Michol filiam ſuam, vxorem Dauid, Phalthi filio Lais, qui erat de Gallim*, &c. Vt Hebræi, non cognouit eam idẽ Phalthi: quoniã ſi cognouiſſet eam, nunquam Dauid ſibi eam poſtea ſociaſſet, quia in lege penitus huiuſmodi prohibetur coitus. Idem namq; Phalthi de Gallim, hoc eſt, de inundatione erat. Inundatio hæc lex intelligitur. Legis enim doctor erat de Baurim, id eſt, de electis. Quãdo autem à Saule Michol ei datur: *Phalthi*, id eſt, *euadens*, interpretatur. Quando vero ab eo eadem Michol aufertur: *Phaltiel*, id eſt *euadens à Deo*, interpretatur. *Euadens à Deo* dicitur; quia cuſtodiuit eum, ne tangeret eam, ne fieret tranſgreſſor legis. *Secutuſq; eſt eam vir ſuus plorans vſque Bahurim.* Ploraſſe dicitur præ gaudio, eo quod Dominus eum cuſtodiſſet: ne eam tangeret.

E Bed.

2 Reg. 3.

Capvt XXVI.

Et venerunt Ziphei ad Saul in Gabaa, dicentes. Ecce Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ ex aduerſo ſolitudinis. Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, &c. XXVII.

Iterum item Dauid fugiens à facie Saul in caſtra regis, cum dormientem offendiſſet, non percuſſit, non occidit; ſed ſolam lanceam, quæ ad caput eius erat, & lenticulam ſuſtulit. F

Dormientibus cunctis egreſſuſque è caſtris, tranſiuit in cacumine montis.

Quid ergo hoc eſt, niſi quod perſequebãtur Chriſtum Iudæi? Sed perſequẽdo dormiebant: quia non vigilabant corde. Duritia enim cordis obdormitio eſt. Dormiunt in vita veteri: non vigilant in noua. Venit Chriſtus, non eos occidit, ſed tulit ab eis ſcyphum aquæ, id eſt, gratiam legis: tulit & ſceptrum regale, regni ſcilicet poteſtatem, quam pro magno habebant, & vnde ſe protegebant temporaliter, & quam aduerſus Dominum per incredulitatem gerebant. Deinde victor Dauid noſter de caſtris eorum regreſſus tranſcendit in altitudinem montis cœlorum. Iſid.

Capvt XXVII.

Et aſcendit Dauid, & viri eius: & agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus. Hi pagi non erant ſub poteſtate Achis. Habitati in terra antiquitus dicuntur: quia quieti & ſecuri habitati fuerant, & nullius hoſtis deprædationes perpeſſi. G

Capvt XXVIII.

Samuel autem mortuus eſt: fleuitq; eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Rama vrbe ſua, &c.

Supra namque dicitur ſepultus fuiſſe in domo ſua in Rama. *In domo ſua*; in familia videlicet & cognatione ſua. Quæritur namq; cum ſuperius iam mortuus legatur, cur hic repetatur mortuus? Mortuus hic (vt Hebræi volunt) reſuſcitationis ſuæ cauſa repetitur: & vt damnatio Saulis, qui in peccatis mortuus erat, &c, relicto Deo, contra legem, Pythonem conſulebat, iuſta eſſe manifeſtaretur.

Capvt XXIX.

Poſt mortem autem Samuelis cogregati ſunt Philiſtijm contra Iſrael, conſuluitque Saul Dominum: & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, &c. H

Hebr. Hebræus habet: *Neque per doctrinam, neque per Prophetas.* Reſpondebat Dominus per ſomnia, ſicut idem Hebræi aſſerunt: eo quod ieiunando & orando, poſcebant oraculum ſibi fieri diuinum, & Dominus illis per ſomnia reuelabat ea, quæ futura erant: quod in hoc loco minime Saul feciſſe legitur. *Per doctrinam*, per Ephod ſcilicet, quod ſacerdos in pectore geſtabat. *Neque per Prophetas:* quia illis conſulentibus Dominus nequaquam reſpondebat. Hi prophetæ dicuntur fuiſſe diſcipuli Samuelis: quibus prophetantibus iunxit ſe Saul & prophetauit. Quæſiuitque Saul Pythoniſſam, quæ ſuſcitaret illi Samuelem. Statimque ſuſcitatus, ait ad eum:

Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer, &c.

Digitized by Google

A

Quæſtio notatu digniſſima.

Aug.

Quæritur ſecundum hiſtoriam, vtrum Pythoniſſa ipſum Prophetam de inferno euocauerit: an aliā aliquam imaginariam illuſionem fallacia dœmonum factam? De hac quæſtione beatæ Memoriæ Auguſtinus Epiſcopus Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo ita ſcripſit: *Inquiris,* inquam, *vtrū potuerit malignus ſpiritus excitare animam iuſti, & tanquam de abditis mortuorum repagulis euocare: vt videretur & loqueretur cum Saule? Nonne magis mirandum ſit, quia Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam templi?*

Mat. 4. Mar. 1. Luc. 1.

Quolibet enim modo fecerit; factum eſt, ita vt Samuel excitaretur, ſimiliter latet, niſi forte quis dixerit faciliorē diabolo fuiſſe licentiam ad Dominum viuum, vnde voluit aſſumendum, & vbi voluit, conſtituendum: quam ad Samuelis defuncti ſpiritum è ſuis ſedibus excitandum. Quod ſi illud in Euangelio nos ideo non conturbat, quia Dominus voluit atque permiſit, nulla diminutione ſuæ poteſtatis & diuinitatis id fieri, ſicut ab ipſis Iudæis, quanquam peruerſis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri ſe & vinciri, & illudi, & crucifigi, atq; interfici paſſus eſt: non eſt abſurdum credere, ex aliqua diſpenſatione voluntatis diuinæ permiſſum

B

fuiſſe, vt non inuitus, nec dominante magica potentia, ſed volens atque obtemperans occultæ diſpenſationi Dei, quæ Pythoniſſam illam & Saulem latebat, ſpiritum proferre ſancti, vt ſe oſtenderet aſpectibus Regis, diuina eum ſententia percuſſurus. Quanquam in hoc facto poteſt adeſſe alius facilior intellectus, vt nō vere ſpiritum Samuelis excitatum à requie ſua credamus, ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionē diaboli machinationibus factam, quam propheta ſcripturus nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt. Sicut omnia, quæ pinguntur atque finguntur, earum rerum, quarum imagines ſunt, nominibus appellantur: Sicut hominis pictura cum pingitur, proprium quodque nomen incunctanter adhibetur, & dicitur: Ille Cicero eſt, ille Saluſtius, ille Achilles, iſte Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: cum aliud nihil ſint, quam pictæ imagines.

Exod. 25.

Vnde Cherubim cum ſint cœleſtes virtutes, facti tunc ex metallo, quo imperauit Deus ſuper arcam teſtamenti, magnæ rei ſignificandæ gratia, non aliud quam Cherubin, illa quoque figmenta vocitabantur. Itemque dum quiſque videt ſomnium, non dicit, vidi imaginem Auguſtini *ſed,* vidi Aguſtinum, *cum eo tempore, quo aliquid tale aliquis vidit, ignoraret hoc Auguſtinus.*

C

Gen. 41.

Vſque adeo manifeſtum eſt non ipſos homines ſed imagines eorum videri. Et Pharao ſpicas ſe dixit vidiſſe in ſomnis, & boues, non ſpicarum aut boum imagines. Si igitur conſtat liquido nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, eaſdem imagines appellari, non mirum eſt quod Scriptura dicit Samuelem viſum, etiam ſi forte imago Samuelis apparuit per ficta machinamenta

1. Cor. 11.

eius, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, & miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros iuſtitiæ. Iam vero ſi illud, inquit, *mouet, quomodo à maligno ſpiritu Sauli vera prædicta ſint: Poteſt & illud videri mirum, quomodo dæmones agnouerunt Chriſtum, quem Iudæi non agnoſcebant.*

Luc. 8. Act. 19.

Cum enim vult Deus etiam infimos ſpiritus aliqua vera agnoſcere temporalia duntaxat ad iſtam mortalitatem pertinentia: facile eſt & non incongruum, vt omnipotens & iuſtus ad eorum pœnam, quibus iſta prædicūtur, vt malum quod eis imminet, antequam veniat, prænoſcendo patiantur, occulto apparatu myſteriorum ſuorum etiam ſpiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, & quod audiunt ab Angelis, prænuncient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus

Act. 16.

D

atque moderator vel iubet vel ſinit. Vnde etiam ſpiritus Pythonis in Actibus Apoſtolorum atteſtatur Paulo Apoſtolo, & Euangeliſta eſſe conatur. Miſcent tamen iſti fallacias: & quod verum noſſe potuerunt, non docendi magis quam decipiendi fine prænunciant. Et forte hoc eſt: quia cum illa imago Samuelis Saulem prædicat moriturum, dixit etiam ſecum futurum, quod vtique falſum eſt.

Luc. 16.

Magno quippe interuallo ſeparari bonos à malis poſt mortem, in euangelio legimus, cum inter ſuperbum illum diuitem, qui iam apud inferos tormenta pateretur, & illum, qui ad eius ianuam vlceroſus iacebat, iam in requie conſtitutum, magnum chaos interiectum eſſe teſtatur. Aut ſi propterea Samuel, ei dixit: Mecum eris; *vt non ad æqualitatem fœlicitatis ſed ad parem conditionem mortis referatur, quod vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit: iamque mortuus mortem viuo prænunciabat: ſecundum vtrumque igitur intellectum, habere exitum hanc lectionem, quæ non ſit contra fidem manifeſtum eſt. Niſi forte profundiori inquiſitioni inueniatur ad liquidum, vel poſſe vel non poſſe animam, cum ex hac vita migrauerit, magicis carminibus euocari, & viuorum*

E

apparare aſpectibus, etiam corporis lineamenta geſtantem, vt non ſolū videri valeat, ſed & agnoſci. Et ſi poteſt vtrumque anima iuſti non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtendi occultioribus myſterijs ſummæ legi obtemperans, vt ſi fieri poſſe claruerit, non ** imperiis.* *vterque ſenſus in huius Scripturæ tractatione admittatur: ſed illo excluſo imaginatione ſimilitudo Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam ſiue illud fieri poſſe, ſiue non poſſit, tamen fallacia Satanæ, atque imaginum ſimilandarum callidi operatio, decipiendis ſenſibus humanis, multiformis inuigilat, pedetemptim quidem, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, ſed potius exiſtimemus tale aliquid factum in maligno ſpiritu, Pythoniſſæ illius miniſterio, quam diu nobis aliquid amplius excogitare atq; explicare non datur.* Hæc ſunt: quæ tunc de Pythoniſſa & Samuele ſcripſit beatiſſimus Auguſtinus.

CAPVT XXX.

XXIX.

F

INterea dum pergeret Dauid cum Achis rege Philiſtinorum in prælium aduerſus Iſrael: inſurgentes Amalachitæ irruerunt in Sicelech, & ſuccendentes eam, captiuauerunt omnia, quæ erant Dauid & puerorum eius. Reuerſus ergo Dauid ad perſequendos Amelechitas, inuenit Ægyptium puerum laſſeſcentem: quem Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerunt. Hunc Dauid inuentum cibo reficit, ducemque ſui itineris fecit, ſicque Amalechitas perſequitur, epulantes reperit, & funditus extinguit.

Aug.

Conſiderandum eſt ergo, quid ſit, quod Amalechitæ, abſente Dauid, Sicelech inuadunt & prædam capiunt. Amalechitæ quippe, *populus lambens*, vocatur. Et quid per lambentem populum niſi mentes ſecularium deſignantur? quæ terrena cuncta ambiendo quaſi lambunt, dum ſolis temporalibus delectantur. Quaſi enim populus lambens prædam facit: dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerāt. Et hoc, abſente Dauid, agunt: quia Redemptorem ante oculos cordis habere negligunt. Qnid eſt enim quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere laſſatur, niſi quod amator præſentis ſeculi, peccati ſui nigredine opertus, ſæpe ab eodem ſeculo infirmus deſpectuſque relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, ſed fractus aduerſitate torpeſcat? Sed hunc Dauid

G

inuenit: quia Redemptor noſter, veraciter manu fortis, nonnunquam quos deſpectos à mundi gloria repperit, in ſuum amorem conuertit. Cibo paſcit: quia ſcientia verbi reficit. Ducem itineris eligit: quia ſuum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitam ſequi nō valuit: dux Dauid efficitur: quia is, quem indignum mundus deſerit, non ſolum conuerſus in ſuam mentem, Dominum recipit: ſed prædicando hunc etiam vſq; ad aliena corda perducit. Quod videlicet duce Dauid Amalechitam conuiuantem inuenit extinguit: qnia ipſis Chriſtum prædicantibus mundi lætitiam deſtruit, quos comites mundus habere deſpexit. Plerumque ergo ipſi prædicando mentes ſecularium ſuperant: qui prius cum ſecularibus in hoc mundo currere non valebant.

CAPVT XXXI.

H

IGitur exorto prælio percuſſerunt Philiſthijm Iſrael plaga magna, corrueruntq; in prælio Saul & Ionathan. Arripuitque Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul: irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo, &c.

Hebr.

Armigerum iſtum Hebræi Doeg Idumæum dicunt fuiſſe: qui cernens Saul mortuum, ſeipſum ob metum Dauid interemerit. *Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius & vniuerſi viri eius,* &c.

Viri iſti, pueri domnſtici eius intelligendi ſunt. Hl tres filij Saul cum eo interfecti ſunt, Ionathan, Abinadab, qui & Ieſui, & Melciſua. Isboſed autem domi erat. Qui anno, quo Saul rex conſtitutus eſt, natus fuiſſe dicitur, qui etiam quadraginta annorum fuiſſe legitur, cum regnare cœpiſſet. Vnde colligitur, Saul quadraginta annos regnaſſe. Quærendum, cur alibi legatur Ieſui, & alibi Abinadab? Ieſui enim interpretatur, *æqualis.* Æqua-

A ils ideo dicitur, quia æqualis meriti fuiſſe filius cum patre memoratur. Abinadab interpretatur, *Pater meus ſponte.* Spōte etenim ſua pater eius Saul male agēdo adquiſiuit: vt taliter vna cum filiis perimeretur. Denique prius Propheta Dauid figuraliter deflet Saul & Ionathan, qui cum potentes eſſent, & ſemper hoſtibus præualerent, ſauciati ilico ac vulnerati, in medio prælio corruerunt. *Quomodo*, inquit, *ceciderunt potentes in medio pugnæ*? Hoc etiam modo plum Chriſtianorum genus, nunc deflet eos, qui repugnantes dæmonibus labuntur in ſeculo, quod eſt lubricum, (Gelboe enim, *montes lubrici*, interpretantur,) & ſpem recuperationis ſuæ omittentes, proprio mucrone, deſperatione videlicet pernicioſa euadendi hoſtem antiquum, ſemetipſos interficiunt, ſicut Saul irruens ſuper gladium ſuum mortuus eſt. Cuius rei Philiſtæi, hoc eſt, maligni Spiritus de interfectis ſpolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini adſcribunt victoriam, quæ iuſta permiſſione Dei in talibus euenit. Sed Dauid noſter in membris ſuis, hoc eſt, in electis & ſanctis viris, corruentium caſum gemit: nec lætatur in perditione morientium, ſed contradicit, ne in vrbibus Allophylorum talis fama prædicetur hoc eſt, præcipit fidelibus, vt caute ſe cuſtodiant, & ſcuto fidei vndique ſe muniant, induti lorica iuſtitiæ, habentes galeam ſalutis, & gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei aduerſariis ſuis reſiſtant, ne fortè vlterius ignominioſe ſuperati gaudium inimicis ſuis faciant. B

Commentariorum HRABANI MAVRI in Lib. I Regum Finis.

A *Quæſtio notatu digniſſima.* *Aug.* Quæritur ſecundum hiſtoriam, vtrum Pythoniſſa ipſum Prophetam de inferno euocauerit: an aliã aliquam imaginariam illuſionem fallacia dæmonum factam? De hac quæſtione beatæ Memoriæ Auguſtinus Epiſcopus Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo ita ſcripſit: *Inquiris,* inquam, *vtrũ potuerit malignus ſpiritus excitare animam iuſti, & tanquam de abditis mortuorum repagulis euocare: vt videretur & loqueretur cum Saule? Nonne magis mirandum ſit, quia Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam templi?* *Mat. 4. Mar. 1. Luc. 4.* *Quoslibet enim modo fecerit; factum eſt, ita vt Samuel excitaretur, ſimiliter latet, niſi forte quis dixerit faciliorẽ diabolo fuiſſe licentiam ad Dominum viuum, vnde voluit ad ſumendum, &, vbi voluit, conſtituendum: quam ad Samuelis defuncti ſpiritum è ſuis ſedibus excitandum. Quod ſi illud in Euangelio nos ideo non conturbet, quia Dominus voluit atque permiſit, nulla diminutione ſua poteſtatis & diuinitatis id fieri, ſicut ab ipſis Iudeis, quanquam peruerſis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri ſe & vinciri, & illudi, & crucifigi, atq; interfici paſſus eſt: non eſt abſurdum credere, ex aliqua diſpenſatione voluntatis diuinæ permiſſum* B *fuiſſe, vt non inuitus, nec dominante magica potentia, ſed volens atque obtemperans occulta diſpenſationi Dei, quæ Pythoniſſam illam & Saulem latebat, ſpiritum proferre ſancti, vt ſe oſtenderet aſpectibus Regis, diuina eum ſententia percuſſurus. Quanquam in hoc facto poteſt adeſſe alius facilior intellectus, vt nõ vere ſpiritum Samuelis excitatũ à requie ſua credamus, ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionẽ diaboli machinationibus factam, quam propheta ſcripturus nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt. Sicut omnia, quæ pinguntur atque finguntur, earum rerum, quarum imagines ſunt, nominibus appellantur: Sicut hominis pictura cum pingitur, proprium quodque nomen incunctanter adhibetur, & dicitur: Ille Cicero eſt, ille Saluſtius, ille Achilles, iſte Hector, hoc flumen Simois, illa Roma, cum aliud nihil ſint, quam picta imagines.* *Exod. 25.* *Vnde Cherubim cum ſint cæleſtes virtutes, facti tunc ex metallo, quo imperauit Deus ſuper arcam teſtamenti, magnæ rei ſignificandæ gratia, non aliud quam Cherubin, illa quoque figmenta vocitabantur. Itemque dum quiſque videt ſomnium, non dicit,* vidi imaginem Auguſtini *ſed,* vidi Aguſtinum, *cum eo tempore, quo aliquid tale aliquis videt, ignoraret hoc Auguſtinus.* C *Vſque adeo manifeſtum eſt non ipſos homines ſed imagines eorum videri.* *Gen. 41.* *Et Pharao ſpicas ſe dixit vidiſſe in ſomnis, & boues, non ſpicarum aut boum imagines. Si igitur conſtat liquido nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, eaſdem imagines appellari: non mirum eſt quod Scriptura dicit Samuelem viſum, etiam ſi forte imago Samuelis apparuit per ficta machinamenta eius, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, & miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros iuſtitiæ.* *1. Cor. 11.* *Iam vero ſi illud,* inquit, *mouet, quomodo à maligno ſpiritu Saulis vera prædicta ſint: Poteſt & illud videri mirum, quomodo dæmones agnouerunt Chriſtum, quem Iudæi non agnoſcebant.* *Luc. 8. Act. 19.* *Cum enim vult Deus etiam infirmos ſpiritus aliqua vera agnoſcere temporalia duntaxat ad iſtam mortalitatem pertinentia: facile eſt & non incongruum, vt omnipotens & iuſtus ad eorum pœnam, quibus iſta prædicũtur, vt malum quod eis imminet, antequam veniat, prænoſcendo patiantur, occulto apparatu myſteriorum ſuorum etiam ſpiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, & quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel iubet vel ſinit.* *Act. 16.* D *Vnde etiam ſpiritus Pythonis in Actibus Apoſtolorum atteſtatur Paulo Apoſtolo, & Euangeliſta eſſe conatur. Miſcent tamen iſti fallacias: & quod verum noſſe potuerunt, non docendi magis quam decipiendi fine prænunciant. Et forte hoc eſt: quia cum illa imago Samuelis Saulem prædicat moriturum, dixit etiam ſecum futurum, quod vtique falſum eſt.* *Luc. 16.* *Magno quippe interuallo ſeparari bonos à malis poſt mortem, in euangelio legimus, cum inter ſuperbum illum diuitem, qui iam apud inferos tormenta pateretur, & illum, qui ad eius ianuam vlceroſus iacebat, iam in requie conſtitutum, magnum chaos interiectum eſſe teſtatur. Aut ſi propterea Samuel, ei dixit:* Mecum eris: *vt non ad æqualitatem fœlicitatis ſed ad parem conditionem mortis referatur, quod vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit: iamque mortuus mortem viuo prænunciabat: ſecundum vtrumque igitur intellectum, habere exitum hanc lectionem, qui non ſit contra fidem manifeſtum eſt. Niſi forte profundiori inquiſitioni inueniatur ad liquidum, vel poſſe vel non poſſe animam, cum ex hac vita migrauerit, magicis carminibus euocari, & viuorum apparare aſpectibus, etiam corporis lineamenta geſtantem, vt non* E *ſolũ videri valeat, ſed, & agnoſci. Et ſi poteſt vtrumque anima iuſti non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtendi occultioribus myſterijs ſummæ legi obtemperans,* [* imperiis.] *vt ſi fieri poſſe claruerit, non vterque ſenſus in huius Scripturæ tractatione admittatur: ſed illo excluſo imaginatione ſimilitudo Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam ſiue illud fieri poſſit, ſiue non poſſit, tamen fallacia Satanæ, atque imaginum ſimulandarum callidi operatio, decipiendis ſenſibus humanis, multiformis inuigilat, pedetemptim quidem, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, ſed potius exiſtememus tale aliquid factum in maligno ſpiritu, Pythoniſſæ illius miniſterio, quam diu nobis aliquid amplius excogitare atq; explicare non datur.* Hæc ſunt: quæ tunc de Pythoniſſa & Samuele ſcripſit beatiſsimus Auguſtinus.

CAPVT XXX.

XXIX. INterea dum pergeret Dauid cum Achis rege Philiſtinorum in prælũ aduerſus Iſrael: inſurgentes Amalachitæ irruerunt in Sicelech, & ſuccendentes eam, captiuauerunt omnia, quæ erant Dauid & puerorum eius. F Reuerſus ergo Dauid ad perſequendos Amelechitas, inuenit Ægyptium puerum laſſeſcentem: quem Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerunt. Hunc Dauid inuentum cibo reficit, ducemque ſui itineris fecit, ſicque Amalechitas perſequitur, epulantes reperit, & funditus extinguit.

Aug. Conſiderandum eſt ergo, quid ſit, quod Amalechitæ, abſente Dauid, Sicelech inuadunt & prædam capiunt. Amalechitæ quippe, *populus lambens*, vocatur. Et quid per lambentem populum niſi mentes ſecularium deſignantur? quæ terrena cuncta ambiendo quaſi lambunt, dum ſolis temporalibus delectantur. Quaſi enim populus lambens prædam facit: dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerãt. Et hoc, abſente Dauid, agunt: quia Redemptorem ante oculos cordis habere negligunt. Quid eſt enim quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere laſſatur, niſi quod amator præſentis ſeculi, peccati ſui nigredine opertus, ſæpe ab eodem ſeculo infirmus deſpectuſque relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, ſed fractus aduerſitate torpeſcat? Sed hunc Dauid G inuenit: quia Redemptor noſter, veraciter manu fortis, nonnunquam quos deſpectos à mundi gloria repperit, in ſuum amorem conuertit. Cibo paſcit: quia ſcientia verbi reficit. Ducem itineris eligit: quia ſuum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitam ſequi nõ valuit: dux Dauid efficitur: quia is, quem indignum mundus deſerit, non ſolum conuerſus in ſuam mentem, Dominum recipit: ſed prædicando hunc etiam vſq; ad aliena corda perducit. Quod videlicet duce Dauid Amalechitam conuiuantem inuenit extinguit: quia ipſis Chriſtum prædicantibus mundi lætitiam deſtruit, quos comites mundus habere deſpexit. Plerumque ergo ipſi prædicando mentes ſecularium ſuperant: qui prius cum ſecularibus in hoc mundo currere non valebant.

CAPVT XXXI.

IGitur exorto prælio percuſſerunt Philiſthijm Iſrael plaga magna, corrueruntq; in prælio Saul & Ionathan. H Arripuitque Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul: irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo, &c.

Hebr. Armigerum iſtum Hebræi Doeg Idumæum dicunt fuiſſe: qui cernens Saul mortuum, ſeipſum ob metum Dauid interemerit. *Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius & vniuerſi viri eius,* &c.

Viri iſti, pueri domeſtici eius intelligendi ſunt. Hi tres filij Saul cum eo interfecti ſunt, Ionathan, Abinadab, qui & Ieſui, & Melciſua. Isboſed autem domi erat. Qui anno, quo Saul rex conſtitutus eſt, natus fuiſſe dicitur, qui etiam quadraginta annorum fuiſſe legitur, cum regnare cœpiſſet. Vnde colligitur, Saul quadraginta annos regnaſſe. Quærendum, cur alibi legatur Ieſui, & alibi Abinadab? Ieſui enim interpretatur, *æqualis*. Æqua-

lis ideo

A lis ideo dicitur, quia æqualis meriti fuiſſe filius eum patre memoratur. Abinadab interpretatur, *Pater meus ſponte*. Spōte etenim ſua pater eius Saul male agēdo adquiſiuit: vt taliter vna cum filiis perimeretur. Denique prius Propheta Dauid figuraliter deflet Saul & Ionathan, qui cum potentes eſſent, & ſemper hoſtibus præualerent, ſauciati ilico ac vulnerati, in medio prælio corruerunt. *Quomodo*, inquit, *ceciderunt potentes in medio pugnæ*? Hoc etiam modo pium Chriſtianorum genus, nunc deflet eos, qui repugnantes dæmonibus labuntur in ſeculo, quod eſt lubricum, (Gelboe enim, *montes lubrici*, interpretantur,) & ſpem recuperationis ſuæ omittentes, proprio mucrone, deſperatione videlicet pernicioſa euadendi hoſtem antiquum, ſemetipſos interficiunt, ſicut Saul irruens ſuper gladium ſuum mortuus eſt. Cuius rei Philiſtæi, hoc eſt, maligni Spiritus de interfectis ſpolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini adſcribunt victoriam, quæ iuſta permiſſione Dei in talibus euenit. Sed Dauid noſter in membris ſuis, hoc eſt, in electis & ſanctis viris, corruentium caſum gemit: nec lætatur in perditione morientium, ſed contradicit, ne in vrbibus Allophylorum talis fama prædicetur hoc eſt, præcipit fidelibus, vt caute ſe cuſtodiant, & ſcuto fidei vndique ſe muniant, induti lorica iuſtitiæ, habentes galeam ſalutis, & gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei aduerſariis ſuis reſiſtant, ne fortè vlterius ignominioſe ſuperati gaudium inimicis ſuis faciant. B

Commentariorum HRABANI MAVRI in Lib. I Regum Finis.

A *Quæſtio notatu digniſſima.* *Aug.* Quæritur ſecundum hiſtoriam, vtrum Pythoniſſa ipſum Prophetam de inferno euocauerit: an aliã aliquam imaginariam illuſionem fallacia dœmonum factam? De hac quæſtione beatæ Memoriæ Auguſtinus Epiſcopus Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo ita ſcripſit: *Inquiris,* inquam, *vtrũ potuerit malignus ſpiritus excitare animam iuſti, & tanquam de abditis mortuorum repagulis euocare: vt videretur & loqueretur cum Saul? Nonne magis mirandum ſit, quia Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam templi?* [Mat. 4. Mar. 1. Luc. 4.] *Quoslibet enim modo fecerit; factum eſt, ita vt Samuel excitaretur, ſimiliter latet, niſi forte quis dixerit faciliorẽ diabolo fuiſſe licentiam ad Dominum viuum, vnde voluit ad ſumendum, &, vbi voluit, conſtituendum: quam ad Samuelis defuncti ſpiritum è ſuis ſedibus excitandum. Quod ſi illud in Euangelio nos ideo non conturbet, quia Dominus voluit atque permiſit, nulla diminutione ſuæ poteſtatis & diuinitatis id fieri, ſicut ab ipſis Iudæis, quanquam peruerſis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri ſe & vinciri, & illudi, & crucifigi, atq; interfici paſſus eſt: non eſt abſurdum credere, ex aliqua diſpenſatione voluntatis diuinæ permiſſum* B *fuiſſe, vt non inuitus, nec dominante magica potentia, ſed volens atque obtemperans occultæ diſpenſationi Dei, quæ Pythoniſſam illam & Saulem latebat, ſpiritum proferre ſancti, vt ſe oſtenderet aſpectibus Regis, diuina eum ſententia percuſſurus. Quanquam in hoc facto poteſt adeſſe alius facilior intellectus, vt nõ vere ſpiritum Samuelis excitatũ à requie ſua credamus, ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionẽ diaboli machinationibus factam, quam propheta ſcripturus nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt. Sicut omnia, quæ pinguntur atque finguntur, earum rerum, quarum imagines ſunt, nominibus appellantur: Sicut hominis pictura cum pingitur, proprium quodque nomen incunctanter adhibetur, & dicitur: Ille Cicero eſt, ille Saluſtius, ille Achilles, iſte Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: cum aliud nihil ſint, quam pictæ imagines.* Exod. 25. *Vnde Cherubim cum ſint cœleſtes virtutes, facti tunc ex metallo, quo imperauit Deus ſuper arcam teſtamenti, magnæ rei ſignificandæ gratia, non aliud quam Cherubin, illa quoque figmenta vocitabantur. Itemque dum quiſque videt ſomnium, non dicit,* vidi imaginem Auguſtini *ſed,* vidi Aguſtinum, *cum eo tempore, quo aliquid tale aliquis videt, ignoraret hoc Au-* C *guſtinus. Vſque adeo manifeſtum eſt non ipſos homines ſed imagines eorum videri.* Gen. 41. *Et Pharao ſpicas ſe dixit vidiſſe in ſomniis, & boues, non ſpicarum aut boum imagines. Si igitur conſtat liquido nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, eaſdem imagines appellari: non mirum eſt quod Scriptura dicit Samuelem viſum, etiam ſi forte imago Samuelis apparuit per ficta machinamenta* 1. Cor. 11. *eius, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, & miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros iuſtitiæ. Iam vero ſi illud,* inquit, *mouet, quomodo à maligno ſpiritu Sauli vera prædicta ſint: Poteſt & illud videri mirum, quomodo dæmones agnouerunt Chriſtum, quem* Luc. 8. Act. 19. *Iudæi non agnoſcebant. Cum enim vult Deus etiam infimos ſpiritus aliqua vera agnoſcere temporalia duntaxat ad iſtam mortalitatem pertinentia: facile eſt & non incongruum, vt omnipotens & iuſtus ad eorum pœnam, quibus iſta prædicũtur, vt malum quod eis imminet, antequam veniat, prænoſcendo patiantur, occulto apparatu myſteriorum ſuorum etiam ſpiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, & quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel iubet vel ſinit.* Act. 16. D *Vnde etiam ſpiritus Pythonis in Actibus Apoſtolorum atteſtatur Paulo Apoſtolo, & Euangeliſta eſſe conatur. Miſcent tamen iſti fallacias: & quod verum noſſe potuerunt, non docendi magis quam decipiendi fine prænunciant. Et forte hoc eſt: quia cum illa imago Samuelis Saulem prædicat moriturum, dixit etiam ſecum futurum, quod vtique falſum eſt.* Luc. 16. *Magno quippe interuallo ſeparari bonos à malis poſt mortem, in euangelio legimus, cum inter ſuperbum illum diuitem, qui iam apud inferos tormenta pateretur, & illum, qui ad eius ianuam vlceroſus iacebat, iam in requie conſtitutum, magnum chaos interiectum eſſe teſtatur. Aut ſi propterea Samuel, ei dixit:* Mecum eris: *vt non ad æqualitatem fœlicitatis ſed ad parem conditionem mortis referatur, quod vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit: iamque mortuus mortem viuo prænunciabat: ſecundum vtrumque igitur intellectum, habere exitum hanc lectionem, qui non ſit contra fidem manifeſtum eſt. Niſi forte profundiori inquiſitioni inueniatur ad liquidum, vel poſſe vel non poſſe animam, cum ex hac vita migrauerit, magicis carminibus euocari, & viuorum* E *apparare aſpectibus, etiam corporis lineamenta geſtantem, vt non ſolũ videri valeat, ſed, & agnoſci. Et ſi poteſt vtrumque anima iuſti non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtendi occultioribus myſterijs ſummæ legi obtemperans, vt ſi fieri poſſe claruerit, non* [* imperiis.] *vterque ſenſus in huius Scripturæ tractatione admittatur: ſed illo excluſo imaginatione ſimilitudo Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam ſiue illud fieri poſſit, ſiue non poſſit, tamen fallacia Satanæ, atque imaginum ſimilandarum callidi operatio, decipiendis ſenſibus humanis, multiformis inuigilat, pedetemptim quidem, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, ſed potius exiſtememus tale aliquid factum in maligno ſpiritu, Pythoniſſæ illius miniſterio, quam diu nobis aliquid amplius excogitare atq; explicare non datur.* Hæc ſunt: quæ tunc de Pythoniſſa & Samuele ſcripſit beatiſsimus Auguſtinus.

CAPVT XXX.

XXIX. INterea dum pergeret Dauid cum Achis rege Philiſtinorum in prælium aduerſus Iſrael: inſurgentes Amalachitæ irruerunt in Sicelech, & ſuccendentes eam, captiuauerunt omnia, quæ erant Dauid & puerorum eius. Reuer- F ſus ergo Dauid ad perſequendos Amelechitas, inuenit Ægyptium puerum laſſeſcentem: quem Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerunt. Hunc Dauid inuentum cibo reficit, ducemque ſui itineris fecit, ſicque Amalechitas perſequitur, epulantes reperit, & funditus extinguit.

Aug. Conſiderandum eſt ergo, quid ſit, quod Amalechitæ, abſente Dauld, Sicelech inuadunt & prædam capiunt. Amalechitæ quippe, *populus lambens,* vocatur. Et quid per lambenrem populum niſi mentes ſecularium deſignantur? quæ terrena cuncta ambiendo quaſi lambunt, dum ſolis temporalibus delectantur. Quaſi enim populus lambens prædam facit: dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerãt. Et hoc, abſente Dauid, agunt: quia Redemptorem ante oculos cordis habere negligunt. Qnid eſt enim quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere laſſatur, niſi quod amator præſentis ſeculi, peccati ſui nigredine opertus, ſæpe ab eodem ſeculo infirmus deſpectuſque relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, ſed fractus aduerſitate torpeſcat? Sed hunc Dauid G inuenit: quia Redemptor noſter, veraciter manu fortis, nonnunquam quos deſpectos à mundi gloria repperit, in ſuum amorem conuertit. Cibo paſcit: quia ſcientia verbi reficit. Ducem itineris eligit: quia ſuum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitam ſequi nõ valuit: dux *Dauid* efficitur: quia is, quem indignum mundus deſerit, non ſolum conuerſus in ſuam mentem, *Dominum* recipit: ſed prædicando hunc etiam vſq; ad aliena corda perducit. Quod videlicet duce Dauid Amalechitam conuiuantem inuenit extinguit: quia ipſis Chriſtum prædicantibus mundi lætitiam deſtruit, quos comites mundus habere deſpexit. Plerumque ergo ipſi prædicando mentes ſecularium ſuperant: qui prius cum ſecularibus in hoc mundo currere non valebant.

CAPVT XXXI.

IGitur exorto prælio percuſſerunt Philiſtijm Iſrael plaga H magna, corrueruntq; in prælio Saul & Ionathan. Arripuitque Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul: irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo, &c.

Hebr. Armigerum iſtum Hebræi Doeg Idumæum dicunt fuiſſe: qui cernens Saul mortuum, ſeipſum ob metum Dauid interemerit. *Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius & vniuerſi viri eius,* &c.

Viri iſti, pueri domeſtici eius intelligendi ſunt. Hi tres filij Saul cum eo interfecti ſunt, Ionathan, Abinadab, qui & Ieſui, & Melciſua. Isboſed autem domi erat. Qui anno, quo Saul rex conſtitutus eſt, natus fuiſſe dicitur, qui etiam quadraginta annorum fuiſſe legitur, cum regnare cœpiſſet. Vnde colligitur, Saul quadraginta annos regnaſſe. Quærendum, cur alibi legatur Ieſui, & alibi Abinadab? Ieſui enim Interpretatur, *æqualis.* Æqua-

A lis ideo dicitur, quia æqualis meriti fuiſſe filius cum patre memoratur. Abinadab interpretatur, *Pater meus ſponte.* Spōte etenim ſua pater eius Saul male agēdo adquiſiuit: vt taliter vna cum filiis permeretur. Denique prius Propheta Dauid figuraliter deflet Saul & Ionathan, qui cum potentes eſſent, & ſemper hoſtibus præualerent, ſauciati ilico ac vulnerati, in medio prælio corruerunt. *Quomodo*, inquit, *ceciderunt potentes in medio pugnæ*? Hoc etiam modo plum Chriſtianorum genus, nunc deflet eos, qui repugnantes dæmonibus labuntur in ſeculo, quod eſt lubricum, (Gelboe enim, *montes lubrici*, interpretantur,) & ſpem recuperationis ſuæ omittentes, proprio mucrone, deſperatione videlicet pernicioſa euadendi hoſtem antiquum, ſemetipſos interficiunt, ſicut Saul irruens ſuper gladium ſuum mortuus eſt. Cuius rei Philiſtæi, hoc eſt, maligni Spiritus de interfectis ſpolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini adſcribunt victoriam, quæ iuſta permiſſione Dei in talibus euenit. Sed Dauid noſter in membris ſuis, hoc eſt, in electis & ſanctis viris, corruentium caſum gemit: nec lætatur in perditione morientium, ſed contradicit, ne in vrbibus Allophylorum talis fama prædicetur hoc eſt, præcipit fidelibus, vt caute ſe cuſtodiant, & ſcuto fidei vndique ſe muniant, induti lorica iuſtitiæ, habentes galeam ſalutis, & gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei aduerſariis ſuis reſiſtant, ne fortè vlterius ignominioſe ſuperati gaudium inimicis ſuis faciant. B

Commentariorum HRABANI MAVRI in Lib. I Regum Finis.

A *Quæſtio notatu digniſſima.* *Aug.*

Quæritur ſecundum hiſtoriam, vtrum Pythoniſſa ipſum Prophetam de inferno euocauerit: an aliā aliquam imaginariam illuſionem fallacia dæmonum factam? De hac quæſtione beatæ Memoriæ Auguſtinus Epiſcopus Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo ita ſcripſit: *Inquiris,* inquam, *vtrū potuerit malignus ſpiritus excitare animam iuſti, & tanquam de abditis mortuorum repagulis euocare: vt videretur & loqueretur cum Saul? Nonne magis mirandum ſit, quia Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam templi?* (*Mat. 4. Mar. 1. Luc. 4.*) *Quoslibet enim modo fecerit; factum eſt, ita vt Samuel excitaretur, ſimiliter latet, niſi forte quis dixerit faciliorē diabolo fuiſſe licentiam ad Dominum viuum, vnde voluit ad ſumendum, &, vbi voluit, conſtituendum: quam ad Samuelis defuncti ſpiritum è ſuis ſedibus excitandum. Quod ſi illud in Euangelio nos ideo non conturbet, quia Dominus voluit atque permiſit, nulla diminutione ſuæ poteſtatis & diuinitatis id fieri, ſicut ab ipſis Iudæis, quanquam peruerſis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri ſe & vinciri, & illudi, & crucifigi, atq; interfici paſſus eſt: non eſt abſurdum credere, ex aliqua diſpenſatione voluntatis diuinæ permiſſum fuiſſe, vt non inuitus, nec dominante magica potentia, ſed volens atque obtemperans occultæ diſpenſationi Dei, quæ Pythoniſſam illam & Saulem latebat, ſpiritum proferre ſancti, vt ſe oſtenderet aſpectibus Regis, diuina eum ſententia percuſſurus.* B *Quanquam in hoc facto poteſt adeſſe alius facilior intellectus, vt nō vere ſpiritum Samuelis excitatū à requie ſua credamus, ſed aliquod phantaſma, & imaginariam illuſionē diaboli machinationibus factam, quam propheta ſcripturus nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt. Sicut omnia, quæ pinguntur atque finguntur, earum rerum, quarum imagines ſunt, nominibus appellantur: Sicut hominis pictura cum pingitur, proprium quodque nomen incunctanter adhibetur, & dicitur: Ille Cicero eſt, ille Saluſtius, ille Achilles, iſte Hector, hoc flumen Simois, illa Roma cum aliud nihil ſint, quam pictæ imagines.* (*Exod. 25.*) *Vnde Cherubim cum ſint cœleſtes virtutes, facti tunc ex metallo, quo imperauit Deus ſuper arcam teſtamenti, magnæ rei ſignificandæ gratia, non aliud quam Cherubin, illa quoque figmenta vocitabantur. Itemque dum quiſque videt ſomnium, non dicit,* vidi imaginem Auguſtini *ſed,* vidi Aguſtinum, *cum eo tempore, quo aliquid tale aliquis videt, ignoraret hoc Auguſtinus. Vſque adeo manifeſtum eſt non ipſos homines ſed imagines eorum videri.* C (*Gen. 41.*) *Et Pharao ſpicas ſe dixit vidiſſe in ſomnis, & boues, non ſpicarum aut boum imagines. Si igitur conſtat liquido nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, eaſdem imagines appellari: non mirum eſt quod Scriptura dicit Samuelem viſum, etiam ſi forte imago Samuelis apparuit per ficta machinamenta eius, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, & miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros iuſtitiæ.* (*1. Cor. 11.*) *Iam vero ſi illud,* inquit, *mouet, quomodo à maligno ſpiritu Sauli vera prædicta ſint: Poteſt & illud videri mirum, quomodo dæmones agnouerunt Chriſtum, quem Iudæi non agnoſcebant.* (*Luc. 8. Act. 19.*) *Cum enim vult Deus etiam infirmos ſpiritus aliqua vera agnoſcere temporalia duntaxat ad iſtam mortalitatem pertinentia: facile eſt & non incongruum, vt omnipotens & iuſtus ad eorum pœnam, quibus iſta prædicūtur, vt malum quod eis imminet, antequam veniat, prænoſcendo patiantur, occulto apparatu myſteriorum ſuorum etiam ſpiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, & quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel iubet vel ſinit.* (*Act. 16.*) D *Vnde etiam ſpiritus Pythonis in Actibus Apoſtolorum atteſtatur Paulo Apoſtolo, & Euangeliſta eſſe conatur. Miſcent tamen iſti fallacias: & quod verum noſſe potuerunt, non docendi magis quam decipiendi fine prænunciant. Et forte hoc eſt: quia cum illa imago Samuelis Saulem prædicat moriturum, dixit etiam ſecum futurum, quod vtique falſum eſt. Magno quippe interuallo ſeparari bonos à malis poſt mortem, in euangelio legimus,* (*Luc. 16.*) *cum inter ſuperbum illum diuitem, qui iam apud inferos tormenta pateretur, & illum, qui ad eius ianuam vlceroſus iacebat, iam in requie conſtitutum, magnum chaos interiectum eſſe teſtatur. Aut ſi propterea Samuel, ei dixit:* Mecum eris: *vt non ad æqualitatem fœlicitatis ſed ad parem conditionem mortis referatur, quod vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit: iamque mortuus mortem viuo prænunciabat: ſecundum vtrumque igitur intellectum, habere exitum hanc lectionem, quæ non ſit contra fidem manifeſtum eſt. Niſi forte profundiori inquiſitioni inueniatur ad liquidum, vel poſſe vel non poſſe animam, cum ex hac vita migrauerit, magicis carminibus euocari, & viuorum* E *apparare aſpectibus, etiam corporis lineamenta geſtantem, vt non ſolū videri valeat, ſed, & agnoſci. Et ſi poteſt vtrumque anima iuſti non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtendi occultioribus myſterijs ſummæ legi obtemperans,* (* *imperiū,*) *vt ſi fieri poſſe claruerit, non vterque ſenſus in huius Scripturæ tractatione admittatur: ſed illo excluſo imaginatione ſimilitudo Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam ſiue illud fieri poſſit, ſiue non poſſit, tamen fallacia Satanæ, atque imaginum ſimilandarum callidi operatio, decipiendis ſenſibus humanis, multiformis inuigilat, pedetemptim quidem, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, ſed potius exiſtemenius tale aliquid factum in maligno ſpiritu, Pythoniſſæ illius miniſterio, quam diu nobis aliquid amplius excogitare atq; explicare non datur.* Hæc ſunt: quæ tunc de Pythoniſſa & Samuele ſcripſit beatiſsimus Auguſtinus.

Capvt xxx.

XXIX. F

INterea dum pergeret Dauid cum Achis rege Philiſtinorum in prælū aduerſus Iſrael: inſurgentes Amalachitæ irruerunt in Sicelech, & ſuccendentes eam, captiuauerunt omnia, quæ erant Dauid & puerorum eius. Reuerſus ergo Dauid ad perſequendos Amelechitas, inuenit Ægyptium puerum laſſeſcentem: quem Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerunt. Hunc Dauid inuentum cibo reficit, ducemque ſui itineris fecit, ſicque Amalechitas perſequitur, epulantes reperit, & funditus extinguit.

Aug.

Conſiderandum eſt ergo, quid ſit, quod Amalechitæ, abſente Dauid, Sicelech inuadunt & prædam capiunt. Amalechitæ quippe, *populus lambens,* vocatur. Et quid per lambentem populum niſi mentes ſecularium deſignantur? quæ terrena cuncta ambiendo quaſi lambunt, dum ſolis temporalibus delectantur. Quaſi enim populus lambens prædam facit: dum terrena diligentes, lucra de alienis damnia exaggerāt. Et hoc, abſente Dauid, agunt: quia Redemptorem ante oculos cordis habere negligunt. Quid eſt enim quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere laſſatur, niſi quod amator præſentis ſeculi, peccati ſui nigredine opertus, ſæpe ab eodem ſeculo infirmus deſpectuſque relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, ſed fractus aduerſitate torpeſcat? G Sed hunc Dauid inuenit: quia Redemptor noſter, veraciter manu fortis, nonnunquam quos deſpectos à mundi gloria repperit, in ſuum amorem conuertit. Cibo paſcit: quia ſcientia verbi reficit. Ducem itineris eligit: quia ſuum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitam ſequi nō valuit: dux *Dauid* efficitur: quia is, quem indignum mundus deſerit, non ſolum conuerſus in ſuam mentem, *Dominum* recipit: ſed prædicando hunc etiam vſq; ad aliena corda perducit. Quod videlicet duce Dauid Amalechitam conuiuantem inuenit extinguit: quia ipſis Chriſtum prædicantibus mundi lætitiam deſtruit, quos comites mundus habere deſpexit. Plerumque ergo ipſi prædicando mentes ſecularium ſuperant: qui prius cum ſecularibus in hoc mundo currere non valebant.

Capvt xxxi.

H

IGitur exorto prælio percuſſerunt Philiſthijm Iſrael plaga magna, corrueruntq; in prælio Saul & Ionathan. Arripuitque Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul: irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo, &c.

Hebr.

Armigerum iſtum Hebræi Doeg Idumæum dicunt fuiſſe: qui cernens Saul mortuum, ſeipſum ob metum Dauid interemerit. *Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius & vniuerſi viri eius,* &c.

Viri iſti, pueri domeſtici eius intelligendi ſunt. Hi tres filij Saul cum eo interfecti ſunt, Ionathan, Abinadab, qui & Ieſui, & Melciſua. Isboſed autem domi erat. Qui anno, quo Saul rex conſtitutus eſt, natus fuiſſe dicitur, qui etiam quadraginta annorum fuiſſe legitur, cum regnare cœpiſſet. Vnde colligitur, Saul quadraginta annos regnaſſe. Quærendum, cur alibi legatur Ieſui, & alibi Abinadab? Ieſui enim interpretatur, *æqualis.* Æqua-

A

lis ideo dicitur, quia æqualis meriti fuiſſe filius cum patre memoratur. Abinadab interpretatur, *Pater meus ſponte.* Spõte etenim ſua pater eius Saul male agẽdo adquiſiuit: vt taliter vna cum filiis perimeretur. Denique prius Propheta Dauid figuraliter deflet Saul & Ionathan, qui cum potentes eſſent, & ſemper hoſtibus præualerent, ſauciati ilico ac vulnerati, in medio prælio corruerunt. *Quomodo*, inquit, *ceciderunt potentes in medio pugnæ*? Hoc etiam modo plum Chriſtianorum genus, nunc deflet eos, qui repugnantes dæmonibus labuntur in ſeculo, quod eſt lubricum, (Gelboc enim, *montes lubrici*, interpretantur.) & ſpem recuperationis ſuæ omittentes, proprio mucrone, deſperatione videlicet pernicioſa euadendi hoſtem antiquum, ſemetipſos interficiunt, ſicut Saul irruens ſuper gladium ſuum mortuus eſt. Cuius rei Philiſtæi, hoc eſt, maligni Spiritus de interfectis ſpolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini adſcribunt victoriam, quæ iuſta permiſſione Dei in talibus euenit. Sed Dauid noſter in membris ſuis, hoc eſt, in electis & ſanctis viris, corruentium caſum gemit: nec lætatur in perditione morientium, ſed contradicit, ne in vrbibus Allophylorum talis fama prædicetur hoc eſt, præcipit fidelibus, vt caute ſe cuſtodiant, & ſcuto fidei vndique ſe muniant, induti lorica iuſtitiæ, habentes galeam ſalutis, & gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei aduerſariis ſuis reſiſtant, ne fortè vlterius ignominioſe ſuperati gaudium inimicis ſuis faciant. B

Commentariorum HRABANI MAVRI in Lib. I Regum Finis.

A pheta ad Dauid: *Noli manere in præſidio, proficiſcere, & vade in terram Iuda*, &c.

Miro modo hic introducitur Gad Propheta, cum in præcedentibus huius nulla facta fuerit mentio. Sic itaque introducitur, ſicut Helias Propheta in loco, vbi dicitur: 3 Reg. 17. *Et dixit Helias Thesbites, de habitatoribus Galaad*. Ex ore itaque Domini Gad Propheta Dauid dixit, vt non moraretur inter gentes, & in terra polluta, ſed in terram Iudæ rediret, & ibi iuxta voluntatem Domini perſecutionem inimicorum ferret.

Capvt XXIII.

Porro eo tempore, quo fugerat Abiathar filius Achimelech ad Dauid, in die illa Ephoth ſecum habens, deſcenderat. Ephoth Exod. 39. illud erat, quod Moyſes, iubente Domino, fecerat, ſicut & Rationale, in quo erat doctrina & veritas, in quo etiam conſulit Dauid Dominum.

Et ait Dauid ad Dominum: Si tradent me viri Ceila in manus Saul, & ſi deſcendet ipſe, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine B *Deus Iſrael indica ſeruo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet*, &c. Ac ſi diceret: Si hic ſteteris, deſcendet Saul, & tradent te viri Ceilæ in manus eius. Eorum voluntatem ei indicabat. Et merito viri Ceilę, qui ingrati beneficijs Dauid extiterant, cum eos ipſe de manibus Philiſtiim eruerit, ſignificant infidelitatem, ſeu inconſtantiam Iudæorum, qui Redemptoris noſtri ſemper pietati ingrati exiſtētes, apud ſeculi poteſtates contra eum inſidiando meditabātur. Interpretatur autem Ceila, *ad fundam iacta*, ſiue *extollens ſibimet*. Et Pſal. 11 in Pſalmo ſcriptum eſt: *In circuitu impij ambulant*. Et alibi: Exod. 27. *Stultus, vt luna, mutatur*.

Porro Dauid erat in deſerto Ziph in ſylua, &c.

XXIV. Hier. Ziph mons ſqualidus vel caligās, ſiue nebuloſus. Iuxta Ziph, in quo ſedit Dauid pp Chermelam, quæ in Scripturis Carmelus appellatur. Sic enim appellatur vicus hodie Iudæorum, vnde fuit Nabal Carmelus. Sed & vnus de po1. Par. 2. ſteris Chaleb dictus eſt Ziph, lege Paralipomen. Quid eſt ergo, quod Ziphei Dauid apud ſe latitantem Saul prodiderunt, & cum eo mortē eius meditati ſunt: niſi, q; Iudæi, C quod Ziphei merito ſignificant, & interpretantur, germinantes, cum in terreno regno germinare appetebant, apud principes ſuos tractabant de nece Saluatoris, qualiter eum, per diſcipulum ſuum, proditum apprehenderent, & præſidi ad interficiendum traderent.

Capvt XXIV.

XXV. Iſid. *Aſcendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutiſſimis, Engaddi*, &c.

In Heremo Engaddi, cum perſequendum Dauid Saul appeteret, ingreſſus eſt Dauid ſpeluncam, & ibi latitabat. Sed rex improuiſis exceptus inſidijs, quod innocuo moliebatur, inciderat. Scriptum eſt enim: *Qui fodit foueam pro-* Pſal. 7. Eccle. 27. *ximo ſuo, incidet in eam*. Dauid bona pro malis retribuens, inimicum non occidit; ſed pro teſtimonio facti, oram regiæ chlamydis amputans abſtulit. Cum vtiq; facilius ſit, exceptum inſidijs aduerſarium perdere, magis q̄ fallere. Quid ergo eſt, q; iſte fugiens à facie Saul in ſpelunca latuit? Quare aūt latuit: niſi, vt occultaretur vt non inueniretur? D Quid eſt contegi ſpelunca, niſi contegi terra? Qui n. fugit in ſpeluncam terra tegitur, ne videatur. Portabat Ieſus carnem, q̄ acceperat de terra, & in ea ſe occultabat, ne ab 1. Cor. 2. Iudæis inueniretur Deus. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Quare ergo Dominum gloriæ non inuenerunt? Quia ſpelunca ſe texerat, id eſt, carnis infirmitatem oculis obiiciebat, & maieſtatem Diuinitatis in corporis tegmine, tanquam ſpeluncæ abdito, contegebat. Illi non cognoſcentes Deum, perſecuti ſunt hominem: nec mori potuit, niſi in homine, nec crucifigi potuit, niſi in homine; qua nec teneri poſſet, niſi in homine. Oppoſuit ergo male quærentibus terram: ſeruauit bene quærentibus vitam. Fugit ergo ſecundum carnem in ſpeluncam à facie Saul, quia paſſus eſt: vſq; adeo ſe occultans coram Iudæis, vt moreretur. Sed quare vſque ad mortem eſſe patiens voluit: vt fugeret à facie Saul in ſpeluncam, quæ inferior pars terrę poteſt accipi? Et recte manifeſtum & notum eſt omnibus, eum in monumento poſitum E eſſe, quod exciſum fuerat in petra. Hoc ergo monumentum ſpelunca erat. Illuc fugit noſter Dauid à facie Saul. Matth. 27. Tam diu enim, perſecuti ſunt illum Iudæi: quouſque poneretur in ſpelunca. Sed quid eſt, quod Saul perſecutor ad purgandum ventrem ſpeluncam ingreditur: niſi quod Iudæi conceptam in Chriſtum malitiam mentis, quaſi odorem fœtidum, emiſerunt, & cogitata apud ſe noxia factis deterioribus, dum Chriſtum perimunt, oſtenderunt? Sed tamen Dauid Saulem occidere noluit. Et cum in abdito occultatus antro haberet in poteſtate: ſeruare potius quam occidere maluit. Ita & Chriſtus dum eſſet in ſpelunca carnis, perſecutorem populū in poteſtate habuit, & nō occidit. Scriptū enim erat de eis per Prophetam; *Ne occideris eos*. Deniq; Dauid tantummodo ſummitatē chla- Ier. 41. mydis eius ſilenter abſcidit: vt oſtēderet Prophetia, Chriſtum Iudæos non occidiſſe, ſed eis tantum regni gloriam abſtuliſſe, ſicq; eos pro perſecutione ſua vacuos ſede vel imperio reliquiſſe. Chlamydis enim abſciſio, regni eſt amputatio. Hoc etiam alio loco idem Saul cum per inobedientiam peccaſſet, oſtendit. Nam cum veniam precare- F tur, rogaretq; Samuelem, vt reuerteretur cum illo ad placandum Deum, & noluiſſet, atque conuertens faciem ſuam abiret: tenuit Saul pinnulam veſtimenti eius, & diſrupit eam, & dixit ad eum Samuel: *Diſrupit Dominus re-* 1. Reg. 15. *gnum Iſrael de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo, & diuidetur Iſrael in duos populos*. Ergo rex iſte perſonā figuratē gerebat Iudæorum: ſignificans, quod inde amiſſurus erat regnum, dum perſequitur Chriſtum. Item moraliter huius rei geſtum ſi quis quæſierit, ita accipere poteſt: vt per Saul mali rectores deſignentur. Saul igitur ventrem pur- Greg. gare eſt: prauos præpoſitos conceptam in corde malitiam vſque ad opera miſeri odoris extendere, & cogitata apud ſe noxia factis exterioribus, exequendo monſtrare. Quem tamen Dauid ferire metuit; quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, præpoſitorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui & ſi quando propter infirmitatem ſeſe abſtinere vix poſſunt, vt extrema quædam atq; exteriora propoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquantur: quaſi oram chlamydis ſilenter incidunt. G Quia videlicet dum prælati dignitati ſaltem innoxiæ & latenter derogant, quaſi regis ſuperpoſiti veſtem fœdant. Sed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; vehementiſſimè vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt. Vnde & bene & illic ſcriptū eſt: *Poſt hæc Dauid percuſſit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul*. Facta quippe Præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt: etiam cum reprehendenda certè iudicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt, vt afflictione pœnitentiæ comprimatur: quatenus ad ſemetipſam redeat, cum præpoſitæ poteſtati deliquerit; eiuſq; contra ſe iudicium, qui ſibi prælatus eſt, perhorreſcat. Nam cum præpoſitis delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus. Vnde Moyſes quoque cum contra ſe, & Aaron populum conqueri cognouiſſet, ait: *Nos enim quid* Exod. 16. *ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum*.

Capvt XXV.

H XXVI. *Poſt hæc ſequitur Scriptura narrans de morte Samuelis, & de fuga Dauid, ita dicens: Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha. Conſurgenſque Dauid deſcendit in deſertum Pharan*, &c.

Hier. Pharan nunc eſt oppidum trans Arabiam, iunctum Saracenis, qui in ſolitudine vagi errant. Per hoc iter fecerunt filij Iſrael, cum de monte Synai caſtra mouiſſent. Eſt ergo (vt diximus) trans Arabiam, contra auſtralem plagam, & diſtat ab Aila contra Orientem itinere trium dierum. In deſerto autem Pharan Scriptura commemorat, Gen. 21. habitaſſe Iſmahelem. Vnde & Iſmahelitæ, qui nunc Saraceni dicuntur. Legimus Codorlaomor regem percuſſiſſe eos, qui erant in deſerto Pharan.

Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & poſſeſſio eius in Carmelo, &c.

A Hiſtoria, quæ de Nabal & Abigail vxore eius narrat, myſticum intellectũ quærit. Nabal enim, de quo dictum eſt, quod vir durus & peſſimus & malitioſus eſſet, typum tenet populi Iudæorum. Quorum aliqui vua fellis, & botro amaritudinis inebriati, dura ceruice, & incircumciſi cordib. ſemper Spiritui ſancto reſiſtebant, atq; carnalem ſenſum in lege ſequentes, ſtulti facti ſunt. Quod bene nomen Nabal exprimit. Interpretatur n. *inſipiens*, vel *demens*. Vnde & Chriſtum venientem, & per Apoſtolos ab eis refectionem fidei & bonæ operationis expetẽtem, reſpuerunt, dicentes: *Ioan. 9.* *Hunc autem neſcimus, vnde ſit? Nos Moyſi diſcipuli ſumus.* Abigail vero, de qua refert Scriptura, q; mulier prudẽtiſſima & ſpecioſa fuerit, typum tenet plebis illius, qui ex Iudæis ad fidem conuerſi Dño placere meruerunt. Quod bene nomen Abigail ſonat. Interpretatur n. *patris mei exultatio*. Vnde & Dñs in Euangelio dicit: *Luc 15.* *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Hæc ſæpius in Prophetis & in Apoſtolis pro ſalute populi Iudaici deprecans, Dauid noſtro oblationem acceptabilem bonorum B operum, & piæ deuotionis obtulit. Quam ille poſt mortem viri ſui, qui demens in ſtultitia ſua perijt, adſciuit in *Eph. 5.* coniugium: & exhibuit ſibi ſponſam non habentem maculam aut rugam. *Bed.* Quod Abigail interpellãs pro ſe, & pro domo ſua ait ad Dauid, quem vir eius ſtultitia & ebrietate ſopitus offenderat. *Si n. ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quaſi in impetu & circulo funda*, &c.

Pulcherrima comparatione ſtatum Iuſtorum à reproborum ſorte diſcernit. Horum quippe animas appellat viuentes: vt illorum è contrario ſpiritali morte præoccupatas inſinuet, iuxta illud Prophetæ: *Ezech. 18.* *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Hos faſciculo, illos lapidi fundæ aſſimilat. Faſciculus n. conſtringitur, vt integer maneat & conſeruetur. Lapis in funda expeditus ponitur, vt abiiciatur. Sic etenim ſic in hoc ſeculo electi preſſuris tribulationũ coanguſtantur: vt his admoniti arctius ſe adinuicem mutua charitate cõnectant, coadunati ad inuicem manu ſui Re- C demptoris in perpetuum conſeruentur. At vero reprobi quanto latius in hac vita voluptatib. proprijs, velut liberi, dimittũtur: tanto longius in futuro à diuinæ viſionis gloria proiiciuntur, vt de eis merito dicatur: *Ioan. 10.* *Et quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt.* Mire autem omnipotentem prouidentiam deſcribit ſuperni pectoris: cum dicit, animam viri ſancti, quaſi in faſciculo viuentium, apud Dñm eſſe cuſtoditam. Sicut n. facillimum eſt cuilibet faſciculum herbæ vel fœni ſua manu retentum conſeruare: ita virtus Dñi & Saluatoris noſtri omnes per orbẽ electos ab initio vſq; in finem ſeculi, ne qui ex eis vlla ratione pereant, ſine labore tuetur, iuxta quod ipſe in Euangelio ſub figura ouium de eis loquens; *Et ſequentur me*, inquit, *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, nec rapiet eas quiſquam de manu mea.* Sicut faſciculus vnus quibuslibet vinculis alligatur: ita omnis ſanctorum cœtus, vna eademq; fide, ſpe & charitate adinuicem conſtringitur, vno diuinæ protectionis munimine circumdatur. Ad literam aũt patet ſenſus: quia anima Dauid, perſequentibus licet hoſtibus, cu- D ſtodita ſemper fuit in ſorte viuentiũ. Porro inimici eius, inſiſtentibus ſibi aduerſitatibus, ſicut lapis funda circumactus, ſic inſtabili motu perturbandi & ſuis eſſent expellendi de finibus, vel etiam humanis rebus auferendi.

Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, &c.

Greg. Quid nobis Abigail per renuntiationis ſuæ diſpenſationem innuit, niſi q; iracundos melius corrigimus, ſi in ipſa iræ ſuæ cõmotione declinamus? Perturbati quippe, quid audiant, ignorant. Sed cum ad ſe redeunt, tanto libentius exhortationis verba recipiũt, quanto ſe tranquillius toleratos erubeſcunt. Menti autem furore ebriæ omne certum (q; dicitur) peruerſum videtur. Vnde & certe Nabal ebrio culpam ſuam Abigail laudabiliter tacuit: quam, digeſto vino, laudabiliter dixit. Idcirco n. malum quod fecerat cognoſcere poterat: quia hoc ebrius non audiuit. *Saul autem dedit Michol filiam ſuam, vxorem Dauid, Phaltbi filio Lais, qui erat de Gallim*, &c. E Vt Hebræi, non cognouit eam idẽ Phalthi: *Bed.* quoniã ſi cognouiſſet eam, nunquam Dauid ſibi eam poſtea ſociaſſet, quia in lege penitus huiuſmodi ꝓhibetur coitus. Idem namq; Phalthi de Gallim, hoc eſt, de inundatione erat. Inundatio hæc lex intelligitur. Legis enim doctor erat de Baurim, id eſt, de electis. Quãdo autem à Saule Michol ei datur: *Phalthi*, id eſt, *euadens*, interpretatur. Quando vero ab eo eadem Michol aufertur: *Phal-tiel*, id eſt *euadens à Deo*, interpretatur. *Euadens à Deo* dicitur; quia cuſtodiuit eum, ne tangeret eam, ne fieret tranſgreſſor legis. *Secutuſq; eſt eam vir ſuus plorans vſque Bannim.* *1 Reg. 1.* Ploraſſe dicitur præ gaudio, eo quod Dominus eum cuſtodiſſet: ne eam tangeret.

Capvt XXVI.

Et venerunt Ziphei ad Saul in Gabaa, dicentes. Ecce Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ ex aduerſo ſolitudinis. Et ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, &c. XXVII.

F Iterum item Dauid fugiens à facie Saul in caſtra regis, cum dormientem offendiſſet, non percuſſit, non occidit; ſed ſolam lanceam, quæ ad caput eius erat, & lenticulam ſuſtulit.

Dormientibus cunctis egreſſuſque è caſtris, tranſiuit in cacumine montis.

Iſid. Quid ergo hoc eſt, niſi quod perſequebãtur Chriſtum Iudæi? Sed perſequẽdo dormiebant: quia non vigilabant corde. Duritia enim cordis obdormitio eſt. Dormiunt in vita veteri: non vigilant in noua. Venit Chriſtus, non eos occidit, ſed tulit ab eis ſcyphum aquę, id eſt, gratiam legis: tulit & ſceptrum regale, regni ſcilicet poteſtatem, quam pro magno habebant, & vnde ſe protegebant temporaliter, & quam aduerſus Dominum per incredulitatem gerebant. Deinde victor Dauid noſter de caſtris eorum regreſſus tranſcendit in altitudinem montis cœlorum.

Capvt XXVII.

Et aſcendit Dauid, & viri eius: & agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis. Hi enim pagi G *habitabantur in terra antiquitus.* Hi pagi non erant ſub poteſtate Achis. Habitati in terra antiquitus dicuntur: quia quieti & ſecuri habitati fuerant, & nullius hoſtis deprædationes perpeſſi.

Capvt XXVIII.

Samuel autem mortuus eſt: fleuitq; eum omnis Iſrael, & ſepelierunt eum in Rama vrbe ſua, &c.

Supra namque dicitur ſepultus fuiſſe in domo ſua in Rama. *In domo ſua*; in familia videlicet & cognatione ſua. Quæritur namq; cum ſuperius iam mortuus legatur, cur hic repetatur mortuus? Mortuus hic (vt Hebræi volunt) reſuſcitationis ſuæ cauſa repetitur: & vt damnatio Saulis, qui in peccatis mortuus erat, &, relicto Deo, contra legem, Pythonem conſulebat, iuſta eſſe manifeſtaretur.

Capvt XXIX.

H *Poſt mortem autem Samuelis cogregati ſunt Philiſtijm contra Iſrael, conſuluitque Saul Dominum: & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes*, &c.

Hebr. Hebræus habet: *Neque per doctrinam, neque per Prophetas.* Reſpondebat Dominus per ſomnia, ſicut idem Hebræi aſſerunt: eo quod ieiunando & orando, poſcebant oraculum ſibi fieri diuinum, & Dominus illis per ſomnia reuelabat ea, quæ futura erant: quod in hoc loco minime Saul feciſſe legitur. *Per doctrinam*, per Ephod ſcilicet, quod ſacerdos in pectore geſtabat. *Neque per Prophetas:* quia illis conſulentibus Dominus nequaquam reſpondebat. Hi prophetæ dicuntur fuiſſe diſcipuli Samuelis: quibus prophetantibus iunxit ſe Saul & prophetauit. Quæſiuitque Saul Pythoniſſam, quæ ſuſcitaret illi Samuelem. Statimque ſuſcitatus, ait ad eum:

Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer, &c.

Digitized by Google

A lis ideo dicitur, quia æqualis meriti fuiſſe filius cum patre memoratur. Abinadab interpretatur, *Pater meus ſponte*. Spōte etenim ſua pater eius Saul male agēdo adquiſiuit: vt taliter vna cum filiis perimeretur. Denique prius Propheta Dauid figualiter deflet Saul & Ionathan, qui cum potentes eſſent, & ſemper hoſtibus præualerent, ſauciati ilico ac vulnerati, in medio prælio corruerunt. *Quomodo*, inquit, *ceciderunt potentes in medio pugnæ*? Hoc etiam modo pium Chriſtianorum genus, nunc deflet eos, qui repugnantes dæmonibus labuntur in ſeculo, quod eſt lubricum, (Gelboe enim, *montes lubrici*, interpretantur,) & ſpem recuperationis ſuæ omittentes, proprio mucrone, deſperatione videlicet pernicioſa euadendi hoſtem antiquum, ſemetipſos interficiunt, ſicut Saul irruens ſuper gladium ſuum mortuus eſt. Cuius rei Philiſtæi, hoc eſt, maligni Spiritus de interfectis ſpolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini adſcribunt victoriam, quæ iuſta permiſſione Dei in talibus euenit. Sed Dauid noſter in membris ſuis, hoc eſt, in electis & ſanctis viris, corruentium caſum gemit: nec lætatur in perditione morientium, ſed contradicit, ne in vrbibus Allophylorum talis fama prædicetur hoc eſt, præcipit fidelibus, vt caute ſe cuſtodiant, & ſcuto fidei vndique ſe muniant, induti lorica iuſtitiæ, habentes galeam ſalutis, & gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei aduerſariis ſuis reſiſtant, ne fortè vlterius ignominioſe ſuperati gaudium inimicis ſuis faciant. B

Commentariorum HRABANI MAVRI in Lib. I Regum Finis.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI REGVM.

QVod David nuncium ſceleris Amalechitem iuſſit ante ſe percuti pro morte Ionatha & patris & fratrum eius. I.

De luctu David, quo plangebat interfectos Saul, & Ionathan, & quod præcepit filios Iuda docere arcum. II.

Quod David in Regem vnctus ſuper domum Iuda, viris Iabes Galaad per nuncios gratias referebat, pro ſepultura Saul & filiorum eius. III.

De eo, quod Abner, filius Ner, Isboſed, filium Saul, Regem conſtituit ſuper Iſrael, David regnante in Hebron ſuper ſolam tribum Iuda. IV.

De eo, quod Abner & pueri Isboſed contra Ioab & pueros David in Gabaon certauerunt, & de interfectione Aſael, fratris Abner. V.

Longa concertatio inter domum David & Saul, ſed & nomina ſex filiorum David, qui nati ſunt ei in Hebron. VI.

Quod Abner exhortatus eſt populum, vt, relicto Isboſed filio Saul ſe transferret ad David, quem Ioab dolo interfecit, & ob hoc à David maledictionis ſententia per Prophetiam percutitur. VII.

Quod Rechab & Banaias Isboſed filium Saul interfecerunt. VIII.

Quod vniuerſa tribus Iſrael, & ſenes de Iſrael venerunt ad David in Hebron, qui triginta annorum regnare incipiens, quadraginta annos regnando compleuit. IX.

De eo quod David contra Iebuſæum dimicans cœpit arcem ciuitatis, quam appellauit ciuitatem David. X.

De vxoribus & concubinis David, quas habuit in Ieruſalem, & filiis, & filiabus eius. XI.

De pugna David contra Philiſtæos. XII.

De eo, quod David arcam adducens, ob caſum contrarium, id eſt, percuſſionem Ozæ leuitæ, diuertit eam ad domum Obed-Edom, indeque eam tranſtulit in domum ſuam. Cumque compleſſet offerens holocauſta & pacifica, partitus eſt cibum vniuerſæ multitudini Iſrael. XIII.

Quod David ſaltans coram arca Domini à Michol filia Saul irriſus eſt. XIV.

Quod David Deo domum ædificare volens, à Propheta Nathan, Domini ſermone prohibitus eſt, eo quod filius eius hoc completurus eſſet, Dei prouidentia diſponente. XV.

De pugna David contra Philiſtæos, & quod Moabitas percutiens menſus eſt funiculo coæquans terræ. Nec non, quod Syros percuſſit in valle Salinarum, & de filiis David ſacerdotibus. XVI.

De pugna David contra Ammon Regem filiorum Ammon, eo quod dehoneſtaret nuncios David miſſos ad ſe. XVII.

De delicto David, quod commiſerat in Bethſabee vxore Vriæ Ethæi. XVIII.

Conſilium Ioab Ducis, dicentis ad David: Adeſto victoriæ belli, ne poſtmodum adſcribatur victoria mihi, ſed potius tibi. *Quod David perficiens, Ammonitas contribuit, ac ſuper eos ferrata carpenta circumegit.* XIX.

Inceſtus Amnon, quem cum ſorore ſua Thamar commiſit, quem Abſalon frater eius ob hoc occidit XX.

Quod Ioab per Thecuitem mulierem Regem cum Abſalon pacificare ſtuduit. XXI.

De coniuratione Abſalon contra David ſecundum traditionem Hebræorum. XXII.

De eadem conſpiratione ſecundum allegoriam. XXIII.

De pugna ſeruorum David contra Iſrael, & nece Abſalon, quem mortuum plorabat David. XXIV.

De aduentu Miphiboſed in occurſum Regis & de reditu totius Iſrael ad David & conſpiratione Seba filiÿ Bochri contra David. XXV.

De eo, quod Ioab Amaſam dolo interfecit. XXVI.

De fame trium annorum, quæ contigerat in Iſrael ob interfectionem Gabaonitarum, quos Saul quaſi zelo interfecit, in cuius recompenſatione ſtirps Saul deleta eſt. XXVII.

Bella quatuor David contra Philiſtæos, vbi reperti ſunt viri ſtatura proceri, in quibus vnus eorum ſenos digitos habuit in manibus ſiue in pedibus. XXVIII.

Canticum David, quod cantauit Domino in die, qua liberauit eum de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul. XXIX.

De catalogo virorum fortium David, & de inſignibus actibus eorum. XXX.

De offenſa David, quia offendit Dominum in dinumeratione Iſrael, & de plaga ob hoc in Iſrael directa. XXXI.

Quod David placabat Dominum offerendo holocauſta in area Areuna Iebuſæi. XXXII.

Finis Capitum ſecundi Libri.

Digitized by Google

A E

HRABANI MAVRI IN SECVNDVM LIBRVM REGVM, COMMENTARIVS.

CAPVT I.

FACTVM eſt autem, poſtquam mortuus eſt Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalech: & maneret in Siceleg dies duos. In die autem tertia apparuit homo veniens de caſtris Saul, veſte conſciſſa, & puluere aſperſus caput: & vt venit ad Dauid, cecidit ſuper faciem ſuam, & adorauit. Dixitque ad eum Dauid: Vnde venis? Qui ait ad eum: De caſtris Iſrael fugi. Dixit ad eum Dauid: Quod eſt verbum, quod factum eſt? indica mihi. Qui ait: Fugit populus de prælio, & multi corruentes de populo mortui ſunt. Sed & Saul & Ionathan filius eius interierunt, &c.

B

Hebr. Hominem iſtum Amalechiten Hebræi filium Doeg fuiſſe dicunt. Amalechites enim & Idumæus vnum eſt, quia filius primogenitus Eſau, Elifaz fuit, & huius filius Amalech. Diadema autem & armillam, quæ Dauid detulit, à patre Doeg commendata ſibi fuiſſe Hebræi perhibent. Quid eſt autem, quod ille Amalechites, qui ſe finxit coram Dauid Saul Regem interfeciſſe, ab eo iuſtæ vltionis pœnam mulctatus accepit, niſi quod omnis, qui proximo ſuo machinatur malum, vel de eius gaudet interitu, iuſtæ retributionis pœnam à ſuperno iudice recipiet? iuxta illud quod ſcriptum eſt: *Omnis enim, qui fodit foueam, incidet in eam.* Et: *Qui percuſſerint gladio, gladio peribunt.* Et item: *Os, quod mentitur, occidit animam.*

Eccl. 27. Matth. 20. Sap. 1.

C

Apprahendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit: omneſque viri, qui erant cum eo. Et planxerunt & fleuerunt & ieiunauerunt vſq; ad veſperam ſuper Saul, ſuper Ionathan filium eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, &c.

Hebr. Populum Domini ſacerdotes, & domum Iſrael, generaliter omnem populum Iſrael dicit.

Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius. Et præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum, &c.

Quod ſcriptum eſt de Dauid, quando plangebat interfectos Saul, & Ionathan, quia præceperit, vt docerent filios Iuda arcum: ideo fecit, vt quia Philiſthæos ſagittariis abundare iam nouerat, vnde & Saul maxime horum ictibus perierat, eandem bellandi artem & ſui milites ad reuincendos eos diſcerent. Aliter: Præcepit Dauid, vt docerent filios Iuda arcum, hoc eſt, vt Reges Iuda docerent fortitudinem, ſcilicet vt fortes & intenti eſſent in timore Domini, & in præceptis Dei, ne per inobedientiam à fortitudine & timore Domini, ſicut Saul, recederent, & eo modo, quo ille perierat, perirent. Quod vero ſequitur:

Hebr.

D

Sicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum, &c.

Num. 21. Ipſum librum hodie nunquam neque apud ipſos Hebræos inueniri poſſe aſſeuerant, ſicut nec librum bellorum Domini, cuius in libro Numerorum mentio eſt, neque carmina Salomonis, neq; diſputationes eius ſapientiſſimas de lignorum natura, herbarumq; omnium, itemque iumentorum, volucrum, reptilium, & piſcium. Vel quod in libro verborum dierum dicitur: *Reliqua vero opera Salomonis priorum & nouiſſimorum, ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Abiæ Silonitis, in viſione quoq; Addo Videntis, contra Hieroboam filium Nabat:* & multa huiuſmodi volumina, quæ Scriptura quidem fuiſſe probat ſcripta, ſed hodie conſtat non eſſe. Vaſtata namq; à Chaldæis Iudæa, & Bibliotheca antiquitus congregata inter alias prouinciæ opes hoſtili eſt igne conſumpta: ex qua pauci, qui nunc in ſancta Scriptura continentur libri, poſtmodũ Ezræ Pontificis Prophetæ ſunt induſtria reſtaurati. Vnde ſcriptum eſt de eo: *Aſcendit Ezras de Babylone, & ipſe ſcriba velox in lege Moyſi.* Velox videlicet, quia promptiores litterarum figuras, quam eatenus Hebræi habebant, reppererit. Et in Epiſtola Regis Perſarum ita ſcriptum eſt: *Artaxerſes, Rex Regum, Ezræ ſacerdoti ſcribæ legis Domini cœli doctiſſimo ſalutem.* Sunt tamen, qui dicunt, hunc librum iuſtorum intelligi debere ipſum librũ Regum, vbi continentur Prophetæ iuſti, Samuel videlicet, Gad & Nathan. In quorum libro ſcriptum eſt, qualiter Saul, recedens à timore Domini, per inobedientiam ſuam periit.

1. Par. 9. 1. Eſdr. 7. Ibid.

F

Incliti tui Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt, &c.

In Hebræo habetur: *ſuper excelſa tua.* Et eſt ſenſus: O Saul, glorioſi Iſrael ſuper excelſa tua interfecti ſunt, quia in peccata inobedientiæ tuæ vna tecum perierũt. Inobedientia namq; tua pro idolis, id eſt, excelſis reputata eſt, ſicut eſt illud in libro Samuelis: *Melior eſt enim obedientia, quam victima; & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere.* Hebr. 1. Reg. 15.

Quomodo ceciderunt fortes? Nolite annunciare in Geth. Neq; annuncietis in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum, &c.

Obſtupeſcens Propheta gemit ſubitaneum caſum Principum populi ſui, & prohibet, ne vllus lætetur in tali caſu, neque fama hoc diuulget in ciuitates inimicorum. Geth enim & Aſcalon ciuitates ſunt Allophylorum.

G

Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum; quia ibi abiectus eſt clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo &c.

Propter caſum fortium & ruinam populi ſui, quaſi indignans loquitur ad ipſum locum interfectionis, abominans factum, quod in eo fuerat geſtum: tamen non ſine grandi myſterio ſicut paulo poſt oſtenditur.

Sagitta Ionathan nunquam rediit retrorſum: & gladius Saul non eſt reuerſus inanis, &c.

Hoc vult inſinuare, quod Ionathas & Saul temporibus ſuis bellicoſiſſimi & fortiſſimi fuerunt in præliis.

Saul & Ionathan amabiles & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi. Aquilis velociores, leonibus fortiores, &c.

Laudat decorem formæ, laudat & conſtantiam animi, adiungens, per hyperbolis tropum, ſimilitudinem Aquilæ atque leonis.

Filiæ Iſrael ſuper Saul flete: qui veſtiebat vos coccino in delitiis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro, &c.

H

Veſtiebat eas coccino, & præbebat ornamenta aurea cultui earum de prædis hoſtium quas agebat. *Quomodo ceciderunt fortes in prælio.* Subauditur, *in peccato tuo: Ionathan in excelſis tuis occiſus eſt.* In Hebræo non habetur, *eſt.* Eſt enim ſenſus: O Saul, Ionathan, in excelſis tuis, id eſt, in peccato inobedientiæ tuæ occiſus, ſubauditur, *eſt.* Ecce Rex & Propheta Dauid, qui retribuentibus mala non reddidit, cum Saul & Ionathas bello occumberet, in lamentatione ſua Gelboe montibus maledicit, dicens: Hebr.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant, neque ſint agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo, &c.

Quid ergo montes Gelboe, Saul moriente, deliquerũt, quatenus in eis nec ros, nec pluuia caderet & ab omni eos viriditatis germine ſẽtẽtiæ ſermo ſiccaret? Sed quia Gelboe

inter-

A interpretatur, *decurſus*, per *Saul* autem vnctum & mortuum, mors noſtri Mediatoris exprimitur: nō immerito per Gelboe mōtes ſuperba Iudæorum corda deſignātur. Quæ dum in huius mundi deſideriis defluunt, in Chriſti, id eſt, vncti ſe morte miſcuerunt. Et quia in eis vnctus rex corporaliter moritur: ipſi ab omni gratiæ rore ſiccantur.
Eſa. 10. De quibus & bene dicitur: *Vt agri primitiarum eſſe non poſſint*. Superbæ quippe Hebræorum mentes primitiui fructus non fuerunt, qui in Redemptoris aduentu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei ſequi noluerunt. Sancta namque Eccleſia in primitiis ſuis multitudine gentium fœcundata, vix in mundi fine Iudæos, quos inuenerit, ſuſcipit: & extrema colligens, eos, quaſi reliquias frugum, ponit. De quibus nimirum reliquiis Iſaias dicit: *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris; reliquiæ ſaluæ fient*. Poſſunt tamen idcirco Gelboe montes ex ore Prophetæ maledici, vt dum fructus, exareſcente terra, non oritur: poſſeſſores terræ ſterilitatis damno feriantur, quatenus ipſi maledictionis ſententiam acciperent, quia apud ſe mortem Regis *ſuſcipere, iniquitate ſua exigente, meruiſſent*.
B

II. CAPVT II.

AScendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. Sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid ſingulos cum domo ſua: & manſerunt in oppidis Hebron.

Aſcenſus iſte Dauid cum duabus vxoribus ſuis in Hebron ſignificat conuocationes duarum plebium in Eccleſiam Catholicam. Hebron enim interpretatur, *coniugium*. Et bene ſola ſancta Eccleſia coniugium nominatur: ſola & bona eſt ſponſa videlicet cœleſtis Regis, de
Cant. 6. qua in Canticis Canticorum dicitur: *Sexaginta ſunt reginæ, & octaginta concubinæ, & adoleſcentularum quarum non eſt numerus. Vna eſt columba mea perfecta mea: vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ*. Illuc duxit Dauid ſingulos viros cum domo ſua: quia vnuſquiſque fidelium in illam ſocietatem per prædicationem Euangelii conuocatur.
Rom. 10. Galat. 3. *Nec eſt ibi diſtinctio Iudæi & Græci*, Barbari & Scythæ, ſerui & liberi: ſed omnia & in omnibus Chriſtus.
C *Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda*. Vngunt viri Iuda Dauid in Regem: vt regnet ſuper domum Iuda: quia, ſuperbis ac contemptoribus ſpernentibus gratiam Dei, electi quique bona fama ſacræ prædicationis & virtutum ſtudio rite confitentur Chriſtum eſſe Regem in vniuerſo populo ſuo, ac ipſum eſſe, cui *omnis poteſtas à Pa-*
Matt. 28. *tre data eſt in cœlo, & in terra, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*.

Et nunciatum eſt Dauid, quod viri Iabes Galaad ſepeliſſent Saul, &c.

Hoc plenius in Paralipomenon libro, quomodo geſtum ſit, narratur:
1. Par. 10. *Cum audiſſent*, inquit, *viri Iabes Galaad omnia ſcilicet, quæ Philiſtiim fecerunt ſuper Saul: coniunxerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul, & filiorum eius, attuleruntque ea in Iabes, & ſepelierunt oſſa eorum ſubter quercum quæ erat in Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus. Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas: eo quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud. Sed etiam inſuper Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Do-*
D *mino, propter quod & interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai*. Quid eſt, quod viris Iabes Galaad Dauid gratias refert, eo quod ſepelierunt oſſa Saul & filiorum eius, niſi quod Redemptori noſtro multum placet, quando quis praua opera malorum, qui in peccatis ſuis mortui ſunt, obliuioni damnando tradit, nec ea actione imitatur, quæ ſcit Domino diſplicuiſſe: ſed ea magis eligit facienda, quæ recordatur Dominum in mandatis dediſſe.

Abner autem filius Ner, Princeps exercitus Saul tulit Isboſed filium Saul, & circumduxit eum per caſtra, regemque conſtituit ſuper Galaad & ſuper Geſſuri, & ſuper Iezrael & ſuper Ephraim, & ſuper Beniamin, & ſuper Iſrael vniuerſum, & cætera.

Hebr. In Hebræo habetur: *Transduxit eum in Manaim*: quæ
E interpretatur, *caſtra*. Transduxit eum, intelligendum eſt, vltra Iordanem: & in Manaim Regem eum conſtituiſſe ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri. Hebræus habet, *Aſuri*, id eſt, ſuper tribum Aſer.

Sola autem domus Iuda ſequebatur Dauid.

Quid eſt autem, quod filius Saul Isboſed, qui interpretatur, *vir confuſionis*, Abner auxiliante, qui interpretatur, *patris lucerna*, regnauit ſuper Iſrael vniuerſum, & domus Iuda ſola ſequebatur Dauid, niſi quod ſolis credentibus & vere Dominum confitentibus, ex priori populo Dauid noſtrum Dominum videlicet Saluatorem ſequentibus, in cæteris adhuc error confuſionis regnat, Diabolo inſtigante, qui ſæpe transfiguratur in Angelum lucis?

Et fuit numerus dierum, quos commoratus eſt Dauid, imperans in Hebron ſuper domum Iuda, ſeptem annorum, & ſex menſium, &c.

Et bene Dauid ſeptem annis, & ſex menſibus regnauit in Hebron, quæ interpretatur, *coniugium*, vt ſupra diximus, aut *viſio ſempiterna*: quia Saluator noſter in Eccle-
F ſia Catholica, quæ & ſponſa eius eſt, per omne tempus iſtius vitæ, quod ſeptenario dierum numero decurrit, regnat ſecundum illud: *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omni-* Matth. 28.
bus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Et poſt expletionem ſenarii numeri, hoc eſt, perfectionem boni operis, omnes electos ſuos ad Sabbatum verum, id eſt, ad requiem ſempiternam perducet, vbi & perfruentur Dei viſio- Eſai. 66.
ne perpetua. Eſt autem Hebron ciuitas in tribu Iuda, Hiero.
quæ quondam vocabatur Arbe, licet male in Græcis codicibus, *Arbor*. Corrupte igitur in noſtris codicibus *Arbor* ſcribitur, cum in Hebræis legatur *Arbe*, id eſt, *iui*, ex eo, quod ibi tres Patriarchæ, Abraham, Iſaac & Iacob ſepulti ſunt, & Adam magnus, vt in Ieſu libro ſcriptum eſt, licet eum quidam conditum in loco Caluariæ ſuſpicentur. Hæc eſt autem eadem Hebron, olim metropolis Philiſtinorum, & habitaculum gigantum, regnumque, poſtea Dauid in tribu Iuda, ciuitas ſacerdotalis & fugitiuorum, diſtat ad Meridianam plagam ab Ælia milibus circiter viginti duobus. Vbi & quercus Abraham, quæ &
Mambre, vſque ad Conſtantii Regis Imperium monſtra- G
batur, & Mauſoleum eius in præſentiarum cernitur. Gen. 13. 14.
Cumque à noſtris ibidem Eccleſia iam conſtructa ſit: in 23. 24. 35. 49.
circuitu à cunctis gentibus terebinthi locus ſuperſtitione & 50.
colitur, & quod ſub ea Abraham Angelos quondam hoſpitio ſuſceperit. Hæc ergo primum *Arbe*, poſtea *Hebron* ab vno filiorum Caleb ſortita vocabulum eſt. Lege ver- 1. Par. 2.
ba dierum. Condita eſt autem ante ſeptem annos, quam eam vrbs Ægypti conderetur.

Egreſſuſque Abner filius Ner, & pueri Isboſed filij Saul de caſtris in Gabaon. Porro Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egreſſi ſunt, & occurrerunt eis iuxta piſcinam Gabaon. Et cum in vnum conueniſſent, è regione ſederunt; hi ex vna parte piſcinæ, & illi ex altera. Dixitque Abner ad Ioab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et reſpondit Ioab: Surgant. Surrexerunt ergo, & tranſierunt numero duodecim de Beniamin ex parte Isboſed filij Saul, & duodecim de pueris Dauid. Apprehenſoque vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt ſimul, &c.

Hunc locum Ioſephus ita exponit: *Abner autem promouit electum nimis exercitum, vt congrederetur cum tribu Iu-* H
da. Iraſcebatur enim aduerſus eos: à quibus Rex Dauid fuerat ordinatus. Huic autem occurrit miſſus à Dauid Ioab, filius Saruiæ ſororis eius, de patre Sar natus. Hic autem erat contra Abner conſtitutus militiæ Princeps. Cum quo etiam fuerunt & ſui fratres Abiſſai, Aſael & omnes armati Dauid. Itaque veniens ad quendam fontem in ciuitate Sabaa, aciem conſtituit ad pugnandum. Dicente vero Abner ad eum, velle ſe probare, quis eorum robuſtiorem exercitum haberet: conuenit inter vtroſque vt duodecim viros pugnaturos mitterent, & procedentes inter medias acies qui ex vtraque parte electi fuerant à certamine, relictiſque gladiis, viri Dauid, & tenentes capita hoſtium eorum, lumbos & latera ſuis gladiis perforarunt, donec omnes quaſi ex vno conſtituto perimerent. His autem cadentibus, etiam reliquus diriptus exercitus. Et dimicatione fortiſſima procedente, Abner populus victus, fugienteſque Ioab perſequi non ceſſabat

præci-

Digitized by Google

[A] *præcipiens armatus, vt poſt eorum veſtigia feſtinarent, & nequaquam occidendo deficerent. Cuius etiam fratres decertati ſunt promiſſione, inter quos clarior fuit præcipue iunior Aſael. Qui tantam gloriam habuit in pedum velocitate, vt non ſolum homines, ſed etiam equos ad currendum certamine ſuperaret. Is igitur perſequebatur Principem Abner, recto greſſu in neutra parte declinans. Cumque reſpexiſſet Abner, & conſideraſſet impetum ſequentis, & dixiſſet, vt vnius militis arma ſumens ab eius perſecutione quieſceret, & ille rurſus nequaquam à ſuo conamine penitus abſtineret, momente illo denuo, vt recederet, ne coactus eum percuteret, & ante eius fratrem vlterius fiduciam non haberet: verba eius illo deſpiciente fugiens poſt tergum lanceam emiſit coactus, eumque repente mortali vulnere penetrauit. Locutus eſt ergo Abner ad Aſael, dicens: Recede, noli me ſequi, ne compellar confodere te in terra. Qui contempſit & noluit declinare. Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit eum, & mortuus eſt,* &c.

Cuius Aſael typum tenuit niſi eorum, quos vehementer arripiens furor in præceps ducit? Qui in eodem furoris impetu tanto cautius declinandi ſunt: quanto inſane rapiuntur. [B] Vnde & Abner, qui ſermone noſtro, *patris lucerna*, dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ ſuperum Dei lumen iudicat, cum pie abrupta furoris mentem cuiuſpiam ferri conſpicit, cumque contra iraſcentem diſſimulat verborum iacula reddere, quaſi perſequentem non vult ferire. Sed cum iracundi nulla conſideratione ſe mitigant, quaſi Aſael perſequi & inſanire non ceſſant, neceſſe eſt, vt hi, qui furentes reprimere conantur, nequaquam ſe in furore erigant: ſed, quicquid eſt tranquillitatis, oſtendant: quædam vero ſubtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum purgent. Vnde & Abner cum contra perſequentem ſubſtitit, non eum recta, ſed auerſa haſta, transforauit. Ex mucrone quippe percutere eſt impetu apertæ increpationis obuiare. Auerſa vero haſta perſequentem ferire, eſt furentem tranquille ex quibuſdam tangere, & quaſi parcendo ſuperare. Aſael autem protinus occumbit, quia commotæ mentes dum & parci ſibi ſentiunt, & tamen reſponſorum ratione in intimis ſub tranquillitate tanguntur; ab eo, quod ſe erexerant, ſtatim cadunt. [C] Qui ergo à furoris ſui impetu ſub lenitatis percuſſione reſiliunt, quaſi ſine ferro moriuntur.

Caput III.

FACTA eſt ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid. Dauid proficiens & ſemper ſeipſo robuſtior. Domus autem Saul decreſcens quotidie.

Domus ergo Dauid, quæ eſt alia, quam ciuitas Dei, Ieruſalem videlicet cœleſtis, quæ partim adhuc peregrinatur in terris, partim iam cum Domino regnat in cœlis? Et quæ eſt domus Saul, ſuperbi & impii Regis, niſi Babylon illa confuſionis plena, quæ ſeducit, & fornicari facit omnes gentes in proſtitutione ſua? [Apoc. 17. & 18.] Longa ergo concertatio inter domum Saul, & domum Dauid eſt; quia perſequitur illa, quæ ſecundum carnem eſt, eam, quæ ſecundum Spiritum. [Galat. 4.] Sed domus Dauid eo magis profectu filiorum ſuorum gaudebit, quo domus Saul perſecutionibus contra eum ſæuit. Illa autem quotidie deficiens in iniquitate ſua tabeſcet, & ad extremum ſecundum merita ſua ſimul cum capite ſuo in profundum Abyſſi mergetur. [D]

Natique ſunt filij Dauid in Hebron: fuitque primogenitus eius Ammon de Achinoam Iezraelitide, & poſt eum Cheleab de Abigail, vxore Nabal Carmeli. Porro tertius Abſalon, filius Maacha filiæ Tholmai Regis Geſſur. Quartus autem Adonias filius Haggith, & quintus Saphatia filius Abital. Sextus quoque Iethraam de Egla vxore Dauid, &c.

Quæritur, cum aliæ vxores Dauid ſupra notatæ ſint, & non dicantur vxores Dauid; cur hic ſola Egla vxor dicatur Dauid? [Hebr.] Egla enim ipſa eſt Michol. Quæ ideo vxor eius hic ſola vocatur, eo quod in adoleſcentia primum ipſam ſortitus fuerit in vxorem, quæ etiam partu occubuiſſe dicitur. Vnde & in ſequentibus ſcriptum eſt: *Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius, vſque ad diem mortis ſuæ, quia in ipſo partu occubuit.* [E] Et quid ſex filii, qui ei nati ſunt in Hebron, niſi perfectionem Sanctorum in fide, ſermone & opere ſignificant, quæ ab Eccleſia matre ſponſo ſuo, Saluatori videlicet noſtro quotidie generatur. Ex coniugio ergo ſpirituali per Spiritus ſancti gratiam in æternam vitam quotidie filii lucis oriuntur.

Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael dicens: Tam heri quam nudius tertius quærebatis Dauid, vt regnaret ſuper vos. Nunc ergo facite, quoniam Dominus locutus eſt ad Dauid, dicens: In manu ſerui mei Dauid, ſaluabo populum meum Iſrael de manu Philiſthiim, & omnium inimicorum eius, &c.

Quid eſt ergo, quod Abner populum vniuerſum Iſrael exhortatur, vt, relicto Iaboſeth filio Saul, ad Dauid prompto ac deuoto animo conueniat, niſi quod doctores ſancti, qui *patris lucerna* merito dicuntur, lumine fidei, & ſcientiæ plenisſimi, in vniuerſis gentibus nomen Domini prædicant & exhortantur, quatenus, ſpreta idolorum cultura, & relicto errore confuſionis cum auctore ſuo Diabolo, ad Dauid noſtrum, qui vere *manufortis & deſiderabilis* eſt, qui *deſideratus cunctis gentibus* eſſe à Propheta deſcribitur, ſine mora feſtinent venire, & ſub eius imperio perpetuo ſtudeant permanere? [F] [Agg. 2.] Nam & Ioab, qui Abner dolo loquens & percutiens in inguine interfecit, non alium quam hoſtem antiquum ſignificat: qui fictis ſuaſionibus quotidie fideles ſubuertere ſatagit, & per libidinis noxiæ contagionem interficere molitur. Ioab enim *inimicus*, vel *idem pater*, interpretatur. Omnium enim iniquorum Diabolus caput. Vnde & Saluator talibus in Euangelio dicit: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere.* [Ioan. 8.] Ab hac ergo percuſſione Dauid noſter immunis eſt, quia *Deus neminem tentat. Ipſe autem intentator malorum eſt*, [Iac. 1.] *qui vult omnes homines ſaluos eſſe, & ad agnitionem veritatis peruenire.* [1. Tim. 2.] *Per inuidiam enim Diaboli mors introiuit in totum orbem terrarum.* Imitantur autem eum, qui ſunt ex parte eius. [Sap. 2.] Poteſt nomen & perſona Ioab non inconuenienter ad populum Iudaicum per ſignificationem transferri, qui inimici ſemper prædicatorum Euangelii extiterunt, & fidem Chriſti, vbicunque potuerunt, perſequebantur. [G] De quibus Paulus Theſſalonicenſibus ſcribens ait: *Vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu. Quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos gentibus loqui vt ſalui fiant, vt impleant peccata ſua ſemper. Præuenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem.* [1. Theſſ. 2.] Quod autem Dauid ſe excuſans de nece inſontis dixit: *Mundus ego ſum, & Regnum meum apud Deum vſque in ſempiternum à ſanguine Abner filii Ner, & veniat ſuper caput Ioab, & ſuper omnem domum patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane:* Iudæorum denotat perfidiam atque miſeriam. Super caput enim Ioab, id eſt, ſuper principes & ſuper ſacerdotes ipſius populi, & ſuper omnem domum patris eius, ſynagogam videlicet Satanæ, atque conuentum malignantium veniet iniquitas impiorum, *vt requiratur ab eis omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ.* [Matt. 23.] Nec deficiat de domo iſtius Ioab, *fluxum ſeminis ſuſtinens*, id eſt, variis deſideriis diffluens, quia in voluptatibus iſtius vitæ tales totam ſpem ſuam ponunt, vbi & *leproſi* ſunt *tenentes fuſum*, id eſt, variis erroribus maculati, inſtabilitatem hæreſis ac mundani luxus ſequentes. [H] *Qui iuxta deſideria cordis ſui coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes quidem auribus, & à veritate auditum auertent.* Ibi etiam non deficiet cadens gladio, & indigens pane: quia, cum pane illo, qui de cœlo deſcendit, ſemper egent, & non refici ab eo merentur, futuræ vltionis gladium non euadent.

* * *

A

CAPVT IV.

VI. *VEnientes filij Remmon Berothitæ Rechab, & Baana ingreſſi ſunt feruenti die domum Isboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie. Ingreſſi ſunt autem domum, & hoſtiaria domus, purgans triticum, obdormiuit. Aſſumentes ſpicas tritici, latenter ingreſſi ſunt, & percuſſerunt eum in inguine,* & reliqua.

Hebr. Duo viri iſti Principes erant ſuper expeditiones Isboſeth. Mortuo vero Abner, vt Hebræi tradunt, conſiliati ſunt cum Miphiboſeth, vt vna interficerent Isboſeth, & eundem Miphiboſeth conſtituerent Regem, & eiuſdem conſilii delatorem eundem Miphboſeth extitiſſe: & idcirco hic idem Miphboſeth ſubintroducitur hoc modo.

Erat autem Ionathæ, filio Saul, filius debilis pedibus. Quinquennis vero fuit, quando venit nuncius de Saul & Ionatha ex Iezrael, &c.

B

Videntes vero Baana & Rachab, à Miphiboſeth ſuum proditum conſilium eſſe, timore perterriti fuga lapſi ſunt in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ vſque ad tempus illud. *Tempus illud* intelligendum eſt, quando inde reuerſi domum Isboſeth feruenti die ingreſſi ſunt, aſſumentes ſpicas tritici & percutientes eum in inguine: Spicas tritici quaſi cauſa primitiarum tulerunt, vt honorem Regi deferre viderentur, & eorum dolus nequaquam deprehenderetur. *Greg.* Myſtice autem hoſtiaria triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo virtutes à vitiis ſeparat. Quæ ſi obdormierit, in mortem proprii Domini inſidiatores admittit: quia cum diſcretionis ſollicitudo ceſſauerit, ad interficiendum animum malignis ſpiritibus iter pandit. Qui ingreſſi ſpicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, eſt: vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquã vero Isboſeth iſte inopinata morte ſuccumberet, ſi non ad ingreſſum domus mulierem, id eſt, ad mentis aditum, mollem cuſtodiam deputaſſet. Fortis namque vigilque ſenſus præponi

C

cordis foribus debet: quem negligentiæ ſomnus non opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Vnde bene & Isboſeth appellatus eſt, qui, cuſtode fœmina, hoſtilibus gladiis nudatur: Isboſeth quippe *vir confuſionis* dicitur. Vir autem confuſionis eſt, qui forti mentis cuſtodia munitus non eſt: quia dum virtutes ſe agere æſtimat: ſubintrantia vitia neſcientem necant. Tota namque virtute muniendus eſt aditus mentis: nequando eam inſidiantes hoſtes penetrent foramine neglectæ cogitationis.

CAPVT V.

VII. *ET venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauid in Hebron,* dicentes: *Ecce nos os tuum & caro tua ſumus,* &c.

Quid conuentus iſte tribuum Iſrael ad Dauid ſignificat, niſi conuentum omnium gentium ad Chriſtum, quæ illi quaſi blandiendo dicunt: *Ecce nos os tuum & caro tua ſumus*, cum in illo incarnationem, quam ex noſtra natura in Virginis vtero ſuſcepit, diligunt atque venerantur, eiuſque ditioni ſubdere ſe appetunt, eique ſeruire omni

D

Pſal 21. tempore deſiderant. Vnde Pſalmiſta dicit: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſæ fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium. Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Venerunt quoque *& ſenes de Iſrael ad Regem in Hebron*, cum Prophetæ & Apoſtoli vna fide, & pari deuotione ad Mediatorem noſtrum concurrunt. De quibus ſcriptum eſt: *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: *In conſpectu ſenum ſuorum gloriabitur.* *Pſal 46. Pſal. 106.*

Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpiſſet: & quadraginta annis regnauit. In Hebron regnauit ſuper Iudam ſeptem annis, & ſex menſibus. In Ieruſalem autem regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſrahel & Iudam, & cætera.

Hebr. Quæritur, cur non in ſumma, quadraginta anni, & ſex

E

menſes adnumerentur? Quod ab Hebræis duobus ſoluitur modis. Dicunt enim, quia Dauid ſex menſibus Abſalon filium ſuum fugerit: merito eoſdem ſex menſes à ſumma regni illius eſſe excluſos. Dicunt etiam aliter: Quod ſex menſibus in Hebron Dauid quadam infirmitate corporis laborauerit: & idcirco eoſdem ſex menſes non ſupputari in regno eius. Ex eo namque tempore illum regnaſſe dicunt in Hebron, ex quo, deuictis Amalechitis, de ſpoliis eorum miſit dona ſenioribus Iuda, his, qui erant in Hebron, & his, qui erant in Bethel, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipſe & viri eius. Myſtice autem quod Dauid triginta annorum regnare cœpit: præfigurabat, quod Dominus noſter triginta annorum venit ad Baptiſmum, & incipiebat Euangelium regni prædicare, cuius regnum, regnum ſempiternum, & poteſtas eius alteri non dabitur. Quadragenarius enim numerus, qui ex quater denis conſtat, plenitudinem temporum, & rerum perfectionem ſignificat. *Dan 7. Luc. 1.*

VIII. *Et abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo, in Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ. Dictumque eſt ad Dauid ab eis:*

F

Non ingredieris huc: niſi abſtuleris cæcos & claudos. (dicentes, non ingredietur Dauid huc.) Cœpit autem Dauid arcem Sion. Hæc eſt autem ciuitas Dauid. Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas & abſtuliſſet claudos & cæcos odientes animam Dauid. Idcirco dicitur in Prouerbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid. Et ædificauit per gyrum à Mello & intrinſecus, & ingrediebatur proficiens atque ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo, &c.

Ioſeph. Hæc Ioſephus ille narrat: *Exurgens Dauid cum omnibus venit in Ieroſolymam Iebuſæis habitantibus ciuitatem, qui erant ex genere Cananæorum, & claudentibus ei portas, & cæcos aſpectu, & claudos omneſque leproſos ad deriſionem Regis conſtituentibus ſuper murum, & dicentibus: quia prohiberent eum cæci ingredi ciuitatem. Quæ tamen agebant deſpicientes eum proxima munitione murorum. Iratus Rex Ieroſolymam obſidere cæpit: & multo ſtudio & labore conari, vt eam caperet, quatenus in ipſo principatus initio ſuam fortitudinem demonſtraret. Interminatus itaque & ipſis & aliis, ſi qui forte haberent aduerſus eum reſiſtendi conatũ: inferiorem ciuitatem magna virtute cæpit. Cumque adhuc arcem obtinere non poſſet, cæpit honores & munera promittendo Rex pronus ad opus bellicum milites prouocare: vt quicunque per ſubiectos colles in arcem conſcenderet, eamque caperet, principatum militiæ totius populi poſſideret. Cunctis itaque conſcendere feſtinantibus, & nullo labore pro muneris promiſſi retributione tardantibus: Saruiæ filius Ioab præuenit vniuerſos, & aſcendens in cacumine clamauit ad Regem, exigens militiæ principatum. Expulſis itaque Rex de ſumma arce Iebuſæis, & reædificans ciuitatem, eam Ieroſolymam nuncupauit: & omni tempore in ea ſui habitauit imperij.*

G

Myſtice autem Dauid Iebuſæum habitatorem terræ de Ieruſalem eiiciens ſignificat, Redemptorem noſtrum contrarias poteſtates de cordibus fidelium expellere, ſic ibidem ſuam manſionem conſtituere. Iebuſæus enim interpretatur, *calcatus*: Ieruſalem, *viſio pacis*: Non ſolum enim Dominus noſter per myſterium crucis omnem principatum Diaboli deſtruendo ſibimet trophæum gloriæ adquiſiuit: immo fidelibus ſuis ſuper omnem virtutem Diaboli poteſtatem tribuit. Vnde in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem, calcandi ſuper ſerpentes, & ſuper ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* *Luc. 10.* Bene ergo dictum eſt, quod Dauid, electis

H

cæcis & claudis, qui odiebant animam Dauid, cœperit arcem Sion, ſuamque ciuitatem eam vocauerit: quia cum Saluator noſter malignos Spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, ſibique eam per illuminationem ſapientiæ vſurpauerit: merito *arx Sion*, id eſt, *ſpeculationis*, & *viſio pacis* ipſa tunc vocabitur, atq; de ea tunc recte per Pſalmiſtam dicetur: *Notus in Iudæa Deus in Iſrael magnum nomen eius, & factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit cornua arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.* *Pſal 75.*

IX. *Cognouit Dauid quoniam confirmaſſet eum Dominus Regem ſuper Iſrael, & quoniam exaltaſſet regnum eius ſuper populum*

A *ſuum Iſrael. Accepit ergo adhuc concubinas & vxores de Ieruſalem, poſtquam venerat de Hebron, natiq; ſunt Dauid & alij filij & filiæ,* &c.

Sed fortaſſe quis dicat: Si Dauid imaginem Chriſti gerebat, quomodo multas vxores & concubinas habuiſſe ſcribitur, cum has Rex Chriſtus & horreſcat & damnet? Reſp. Hoc per figuram fiebat. Multæ enim vxores Dauid multarum gentium & nationum imaginem indicabant, quæ per fidem Chriſti conſortio iunguntur. Concubinæ vero eius ſignificant hæreticorum Eccleſias, quæ ſub Chriſti nominis titulo ſe manere gloriantur: Sed quia propter carnalia lucra Chriſtum ſectantur, non coniuges, ſed concubinæ vocantur. Denique nunc Reges ſi plures habeant vxores vel concubinas, crimẽ eſt, quia iam tranſierunt figuræ, pro quibus vxorum vel concubinarum venia concedebatur. At nunc, quia figuræ tranſierunt, venia nulla datur.

X. *Audierunt vero Philiſtiim, quod vnxiſſent Dauid in Regem ſuper Iſrael, & aſcenderunt vniuerſi, vt quærerent Dauid. Quod cum audiſſet Dauid, aſcendit in præſidium.* B *Philiſtiim autem venientes diffuſi ſunt in valle Raphaim. Et conſuluit Dauid Dominum, dicens: Si aſcendam ad Philiſtiim, & ſi dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid: Aſcende, quia tradens dabo Philiſtiim in manu tua. Venit ergo Dauid in Baal Pharaſim, & percuſſit eos ibi. Et dixit: Diuiſit Dominus inimicos meos coram me, ſicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum eſt nomen loci illius Baal Pharaſim. Et reliquerunt ibi ſculptilia ſua, quæ tulit Dauid & viri eius.*

Hebr. Tulit ea Dauid, & igni iuſſit exuri, ſicut liber Paralipomenon declarat, ita dicens: *Dereliqueruntq; ibi Deos ſuos, quos Dauid iuſſit exuri.* 1.Par.14 *Conſuluit autem Dauid Dominum. Qui reſpondit: Non aſcendas, ſed gyra poſt tergum illorum, & venies ad eos ex aduerſo pirorum.* Hebr. In Hebræo non, *pirorum*, ſed, *flentium*, legitur. Ex aduerſo itaque flentium eum venire iubet, hoc eſt, ex aduerſo idolorum ſuorum, vbi ſcilicet idola eorum erant, in quibus confidebant. Quæ idola idcirco *flentium* vocantur: quia fletu digna ſunt, & eos, qui ea colunt, ad fletum miſeriarum perducunt. Flentium itaque eorum idola ob blaſphemiam hic ſermo diuinus vocat: ſicut alibi vocatur idolum Moab, C *contaminatio* Moab. *Et cum audieris ſonitum gradientis in acumine flentium,* &c.

Hoc eſt, cum audieris, à poteſtatibus Angelicis eorum idola, in quibus omnis eorum fortitudo eſt conteri & conculcari: tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſtiim. In eorum namq; idolis, Dominus iudicia fecit, ſicut & in Diis Ægyptiorum.

Capvt VI.

XI. *Congregauit autem rurſum omnes electos Iſrael, triginta millia vt adduceret arcam Dei, imponentes eam in plauſtrum nouum. Poſtquam autẽ venerunt ad aream Nachon: extendit manum Oza ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam: & percuſſit eum ſuper temeritate. Qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei,* &c.

Bed. In hiſtoria beati Regis & Prophetæ Dauid, qui arcam Dei adduxiſſe narratur, humilitas approbata, ſuperbia damnata, & temeritas vindicata monſtratur. D Quia & ipſe Dauid, qui coram arca Domini humiliter ſaltare non erubuit, mox promiſsionem Filii Dei ex ſua ſtirpe naſciturì ſuſcipere promeruit: & coniux, quæ eandem humilitatem deſpexit, eius ſemine fœcundari non merita, perpetuæ ſterilitatis pœnas luit. Sacerdos quoque, qui arcam inconſiderata temeritate tetigit, auſus ſui reatum immatura morte purgauit. Vbi intueri neceſſe eſt, quantum delinquat, qui ad Corpus Domini reus acceſſerit, ſi deuotus ille ſacerdos morte mulctatur, qui arcam illam, *Dominici* videlicet Corporis figuram, minori, quam debuit, veneratione corripuit. Verum, iuxta allegoriam, *Dauid* Chriſtum, arca Eccleſiam ſignificat. Quæſiuit autem *Dauid* arcam in ciuitatem ſuam adducere: ſed, cauſa interueniente contraria, ad tempus eam alibi diuertit, ac ſic deinceps, quod multum delectauerat expleuit. E Quia *Dominus* in carne apparens, Euangelium filiis Iſrael, ſuæ videlicet genti prædicauit: *ſed cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* Rom. 11. Sed vt hæc enucleatius pateant, per ſingula videamus. Congregauit *Dauid* omnes electos ex Iſrael, triginta millia, quia *Dominus* Eccleſiam primitiuam in Iſrael inſtituit: non quidem omnem Iſrael, ſed electos quoſque ſibi conſocians. *Non enim omnes qui ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ ſed filij promiſſionis deputantur in ſemine.* Rom. 9. Qui triginta millia fuiſſe referuntur, id eſt, fidei operis & ſpei firmitate perfecti. *Tria* enim propter confeſsionem *Sanctæ* Trinitatis ad fidem pertinent. *Decem* propter *Decalogum* legis ad opera: *Mille* propter ſui perfectionem ad ſpem vitæ æternæ, qua ſuperius aliquid non eſt, ſicut numerus millenario maior nullus eſt. Etſi enim millia, ſi triginta, ſi etiam mille millia dixeris: non ipſum mille numerando tranſcendis, ſed vel per ſe, vel per minores numeros ſæpius ducendo multiplicas. Tria ergo per decem multiplica, ne fides ſine operibus mortua ſit. Item triginta F per mille multiplica, vt fides, quæ per dilectionem operatur, non alibi, quam in cœlis retributionem ſperet. Electi igitur ex Iſrael, populos recte credentes, operantes, ſperantes inſinuent. Viri autem Iuda, qui erant cum *Dauid*, ipſos Apoſtolos & doctores, qui lateri Chriſti quaſi familiarius adhærebant, indicent. Quo vtroque ſtipatos exercitu *Dominus*, arcam adducere, id eſt, Eccleſiam dilatare, & in eorum, qui non crediderunt cordibus, inſerere gaudet. Imponitur autem arca plauſtro nouo, vt noui teſtamenti gratia renouatis in Baptiſmo mentibus infundatur, vinumque nouum nouis vtribus conſeruandum mandetur. Erat quidem prius arca in domo Abinadab, qui erat in Gabaa: quia eadem, quæ nunc prædicatur, Eccleſiæ fides & ante Incarnationis *Dominicæ* tempus florebat in his, qui Patriacharum Prophetarumque ſunt deuotionem ſecuti. Abinadab enim, qui interpretatur, *Pater meus ſpontaneus*, & Abraham patrem fidei, & Moyſen legiſlatorem ſignificat. Qui vterque in Gabaa cuſtodit arcam, quia ſublimi virtutis exemplo credentium pectora munit. G Vnde & Gabaa, *collis* interpretatur, qui eſt locus in ciuitate Cariathiarim. Elata ergo foris arca, ludebat *Dauid*, & omnis Iſrael coram *Domino*, diuerſis muſicorum generibus; quia mox, inchoante nouæ gratiæ præconio, *Dominus* ad exhibendas *Deo* Patri laudes humilitatis omnes inuitat dicens: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur:* Ioan. 12. *alij dando per Spiritum ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, alij genera linguarum, alij gratiam ſanationum,* &c. 1.Cor. 12. Sed his atque huiuſmodi chariſmatum generibus progrediente arca, id eſt, creſcente Eccleſia primitiua: ventum eſt ad aream Nachon, id eſt, aream præparatam gentium videlicet Eccleſiam, fidei veritate conſecrandam, de qua Ioannes ait: *Quia permundabit aream ſuam.* Matt. 3. Vbi ſacerdos, qui arcam incautius, quaſi corrigendo, tetigit, mox à *Domino* percuſſus occubuit. Quia Iudæorum populus dum gentibus inuidet, ſalutis ſe munere priuat: dum legem vult Euangelio miſcere, vtriuſque ſibi gratiam tollit.

Et tenuit, inquit, *eam, quoniam calcitrabant boues.*

H Boues quippe calcitrare, eſt prædicatores Euangelii liberius circa fidem agere, neque ſecundum conſuetudinẽ legis ingredi, ſed *Sabbatha*, neomænias, circumciſionem, victimaſque ſpiritualiter interpretari. Quos velut errantes corrigere tentabant, qui deſcendentes de Iudæa docebant fratres: quia *niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalui fieri.* Act. 15. Et de quibus Iacobus ad Paulum: *Vides*, inquit, *frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes hi æmulatores ſunt legis?* Act. 21. Ob cauſam ergo ſacerdotis occiſi, Dauid noluit diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem *Dauid*, ſed diuertit eam in domum Obededom Gethæi: quia reſpuentibus verbum Iudæis, ne amplius audita & non ſuſcepta prædicatio noceret, Apoſtoli ab eis ablati, & ad gentes imbuendas ſunt miſſi.

Vnde & locus areæ Nachon, quæ gentium fidem, do-

A

mum gratiæ, præparatam demonſtrat, percuſſio Oza nuncupatur: videlicet, *quia illorum delicto ſalus contigit gentibus.* [Rom. 11.] Obededom namque, qui interpretatur, *ſeruiens homo,* homo eſt vtiq; , de quo Dominus ad Patrem: *Conſtitues*, inquit, *me in caput gentium. Populus, quem non cognoui, ſeruiet mihi:* [Pſal. 17.] vbi & Iudæorum abiectionem, quaſi Ozæ mortem promittens ait: *Eripies me de contradictionibus populi.* [Ibid.] Nomen quoque vrbis congruit. *Geth* enim interpretatur, *torcular:* ſignificans crucem, in qua *vitis vera* calcari & exprimi dignata eſt: [Ioan. 15.] à qua cunctus gentium populus merito *Gethæus* appellari poteſt, cum dicit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* [Galat. 6.]

Tres autem menſes, quibus ibidem arca demoratur, Fides, Spes, & charitas eſt. Sicut enim diebus adimpletur menſis: ita ſingulæ virtutes ſuis quæque paſſibus ad perfectionem perueniunt. Hi menſes, quouſque plenitudo gentium intret, currere non ceſſant. Tandem rediens Dauid arcam in ciuitatem Dauid inducet: quia Dominus, Enoch & Helia prædicantibus, conuertet corda patrum in filios. [Luc. 1.]

B

Boues & arietes immolans.

Hoc eſt, eos, qui aream Domini triturant, & ouium eius ducatum gerunt, martyrii ſanguine coronans, & ipſe quoque ſuæ incarnationis & paſſionis exemplum, catenus Iudæis non crediturum, palam manifeſtans. Hoc enim ſignificat, quod & ipſe Dauid accinctus erat Ephod lineo. Nam linum, quod de terra procreatum multiplici labore ad candorem veſtis peruenit, veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis oſtendit. Verum cunctis exultantibus, & ad arcem cœleſtis introitus hymnos reſonantibus, ſola Michol filia Saul arcam ducentibus abeſt. Quin etiam è ſpeculis Dauid humiliatum deſpicit: quia, credentibus in mundi fine Iudæis, erunt nonnulli, qui Chriſtum tantum profeſſione, ſed opere ſequentur Antichriſtum. Quibus merito congruit, quod eadem Michol, quæ ob figurandam inſtabilitatem carnalium, *aqua* omnis, interpretatur, non vxor Dauid, ſed filia Saul appellatur, quia Chriſto fidetenus ſeruiunt, non illius regno coronandi, ſed perſecutorum eius, quos imitauere, ſunt anathemate damnandi. Verum praui ſuccenſeant, humilitatem Eccleſiæ contemnant: nihilominus arca Domini ſuum locum ingreditur.

C

Ponitur in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid:

Id eſt, fides Eccleſiæ prædicatur, proficit, inſeritur cordibus omnium, quos Dominus ad vitam præordinauerat æternam. [Actor 13.] Offert Dauid holocauſta & pacifica coram *Domino*, id eſt, fidem, deuotionemque Eccleſiæ commendat Patri Chriſtus, *qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis,* qui in exemplum Dauid fideles humileſque benedicens ſalutaris myſterii paſcit alimentis. [Rom. 8.] *Partitus ſingulis collyridam panis vnam*, illius vtique, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam huic mundo. *Et aſſaturam bubulæ carnis vnam,* illius ſcilicet vituli ſaginati, qui pro reuertente ad patrem filio iuniore mactatus, & igne paſſionis aſſatus eſt, dicens: [Luc. 15.] *Exaruit, velut teſta virtus mea. Et ſimilam f ixam oleo:* [Pſal. 21.] carnem videlicet a peccati labe mundiſſimam, ſed * ſed ob humanæ ſalutis cauſas vberrimam delectationibus crucis ſartagine toſtam. [* Ob humanæ ſalutis vberrimam delectionem crucis, &c.] Et merito vna panis collyrida, vna carnis aſſatura datur: quia *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium.* [Epheſ. 4.] Aliter hæc munera fideles accipiunt: quando *vnus panis, & vnum corpus multi ſumus* in Chriſto, & ſuæ carnis ſinguli laſciulam caſtigantes ac ſeruituti ſubiicientes, ſancti Spiritus igne decoquunt: [1. Cor 10.] nec non & fructus operum bonorum miſericordiæ pinguiſſimos compaſſione proximi feruere faciunt.

D

At contra filia *Saul* fruſtra cubiculum Regis ingreſſa, nullos concepti ſeminis fructus dat: quia qui verbum *Dei* auretenus percipiunt, abſque boni operis prole diem perpetuæ mortis expectant. Sæpe quia intelligi non valent, deterioribus diſplicent vel facta, vel dicta meliorum. [Gregor.] Sed eo ab eis non temere repræhendenda ſunt, quo appræhendi veraciter nequaquam poſſunt. Sæpe aliquid à maioribus diſpenſatorie agitur: quod à minoribus error putatur. *Sæpe* multa à fortibus dicuntur: quæ idcirco infirmi diiudicant, quia ignorant.

E

Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa teſtamenti arca ſignificat. Quam quia caſuram credens Leuites erigere voluit, mox ſententiam mortis accepit. Quid namque eſt mens iuſti, niſi arca teſtamenti? Quæ geſtata bobus calcitrantibus inclinatur. Quia nonnunquam etiam qui bene præeſt, dum ſubiectorum populorum confeſsione concutitur, ad diſpenſationis condeſcenſionem ex ſola delectatione permouetur. Sed in hoc, quod diſpenſatione agitur, inclinatio ipſa fortitudinis caſus putatur imperitis.

Vnde & nonnulli ſubditi contra hanc manum repræhenſionis mittunt, ſed à vita protinus ipſa ſua temeritate deficiunt. Leuites ergo, quaſi adiuuans, manum tetendit, ſed delinquens vitam perdidit: quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipſi à viuentium ſorte reprobantur. Aliquando etiam ſancti viri quædam minimis condeſcendentes dicunt, quædam vero ſumma contemplantes, proferunt. Dumque vim vel condeſcenſionis, vel altitudinis neſciunt: audaciter hæc ſtulti repræhendunt.

F

Et quid eſt, iuſtum de ſua condeſcenſione velle corrigere, niſi inclinatam arcam ſuperba repræhenſionis manu releuare? Quid eſt iuſtum de incognita locutione repræhendere, niſi motus eius fortitudinem, erroris lapſum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumide ſubleuat; quia nequaquam quis ſanctorum corrigere recta præſumeret, niſi de ſe prius meliora ſenſiſſet. Vnde & Leuites idem recte Oza dicitur: quod videlicet, *robuſtus Domini*, interpretatur. Quia præſumptores quique, niſi audaci mente robuſtos ſe in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma, iudicarent.

Ingreſſa Michol filia Saul, in occurſum Dauid ait: Quam glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, &c.

Quod Dauid dum arcam Domini Ieruſalem ſaltando reduceret, à Michol, filia *Saul*, vxore ſua, irriſus eſt, intueri libet, quanta virtutum munera Dauid ipſe perceperat, atque in his omnibus quam fortem ſe humilitate ſeruabat.

G

Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, vrſorum brachia diſsipare, deſpectis pluribus fratribus eligi, reprobato Rege ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis, vno lapide Goliath ſternere, A Rege propoſita, extinctis Allophylis, numeroſa præputia reportare, promiſſum tandem regnum percipere, cunctumque Iſraeliticum populum ſine vlla contradictione poſsidere? Et tamen cum arcam Dei Ieruſalem reuocat: quaſi oblitus, prælatum ſe omnibus, adiunxtus populis ante arcam ſaltat.

Et quia coram arca ſaltare (vt creditur) vulgi mos fuerat: Rex ſe in diuino obſequio per ſaltatum rotat. Ecce quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, iſte quoque ſub Domino, & exæquando minimis, & abiectè exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit debilia vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia.

H

Quid de eius factis ab aliis ſentiatur, Ignoro. Ego Dauid ſaltantem plus ſtupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hoſtem ſubdidit, ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore Regii generis inſana, cum humilitatem deſpiceret dicens: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris:* protinus audiuit: *Ludam ante Dominum; qui elegit me potius, quam patrem tuum.* Ac paulo poſt: *Ludam & vilior fiam pluſquam factus ſum, eroque humilis in oculis meis.* Ac ſi aperte dicat: Vileſcere coram hominibus appeto: quia ſeruare mihi coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli,

A qui de ſemetipſis humilia ſentiunt, qui in honoribus poſiti nihil ſe eſſe, niſi puluerem fauillamq; perpendunt: ſed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, & contra hoc, quod de ſe interius cogitant, quaſi rigida exterius venuſtate pallientur. Et ſunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne, quod ſunt, deiectos ſe exhibendo, contemnunt: ſed tamen apud ſe introrſus, quaſi ex ipſo merito oſtenſæ vtilitatis, intumeſcunt, & tanto magis in corde elati ſunt, quanto amplius in ſpecie elationem premunt. Quæ vtraque vnius elationis bella, magna Dauid circumſpectione depræhendit: mira virtute ſuperauit. Quia enim de ſemetipſo intus humilia ſentiens, honorem exterius non quærit, inſinuat dicens: *Ludam & vilior fiam.* Et quia per hoc, quod vilem ſe exterius præbuit, nequaquam interius intumeſcit: adiungit: *Eroque humilis in oculis meis.* Ac ſi aperte dicat: Qualem me exterius deſpiciens exhibeo, talem me interius attendo. Quid ergo acturi ſunt, quos doctrina eleuat, ſi Dauid ex carne ſua venturum Redemptorem mouerat, eiuſque gaudia prophetando nunciabat?
B & tamen in ſemetipſo ceruicem cordis valida deſpectionis calce deprimebat dicens: *Eroque humilis in oculis meis.*

CAPVT VII.

VIII. *FACTVM eſt autem cum ſediſſet Rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis dixit ad Nathan Prophetam: Videſne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne, quod eſt in corde tuo, vade fac quia Dominus tecum eſt. Factum eſt autem in nocte illa, ecce ſermo Domini ad Nathan, dicens: Vade & loquere ad ſeruum meum Dauid. Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitaui in domo ex die qua eduxi filios Iſrael de terra Ægypti, vſque in diem hanc, ſed ambulabam in tabernaculo & in tentorio per cuncta loca, quæ tranſiui cum omnibus filiis Iſrael* &c.

C Quod Propheta interrogatus à Rege reſpondit: *Omne, quod eſt in corde tuo, vade fac:* & poſtea à Domino admonitus eadem prohibuit, quæ ante conceſſit: patet profecto, quod Prophetiæ Spiritus Prophetarum mentes non ſemper irradiat, quia, ſicut de Spiritu ſancto ſcriptum eſt, *vbi vult, ſpirat.* (Ioan. 3.) Hinc eſt enim, quod Heliſæus cum mulierem flentem cerneret cauſamque neſciſſet, ad prohibentem hanc puerum dixit: (4. Reg. 4.) *Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me: & non indicauit mihi.* Quod omnipotens Deus ex magna pietatis diſpenſatione diſponit: quia dum Prophetiæ Spiritum aliquando dat, & aliquando ſubtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celſitudine, & cuſtodit in humilitate: vt & accipientes Spiritum, inueniant, quod de Deo ſint, & rurſum Prophetiæ Spiritum non habentes cognoſcant, quid ſint de ſemetipſis. Quod autem Dauid prohibitus eſt domum Dei ædificare, quia vir ſanguinum eſſet: innuitur moraliter, quod mundus in ſe eſſe à vitiis debet, qui curat aliena corrigere. Vt terrena non cogitet, vt deſideriis infimis non ſuccumbat, quatenus in tanto perſpicacius aliis fugienda videat, quanto hæc ipſe per ſcientiam & vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in mem-
D bro conſiderat oculus, quem puluis grauat. Et ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Quoad antiquæ tranſlationis ſeriem: bene ad Dauid erga exteriora bella laborantem per ſignificationem diuina vox innuit cum dicit: *Non tu ædificabis mihi templum: quia vir ſanguinum es.* Dei templum ædificat, qui corrigendis inſtitutis proximorum mentibus vacat. Templum Dei quippe nos ſumus: quia ad veram vitam ex eius inhabitatione conſtruimur, Paulo atteſtante qui ait: (1. Cor. 3.) *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sed vir ſanguinum templum Dei ædificare prohibetur, quia qui adhuc actibus carnalibus incubat: neceſſe eſt, vt inſtituere ſpiritualiter proximorum mentes erubeſcat. (Hebr.) *Per cuncta,* inquit, *loca, quæ tranſiui cum omnibus filiis Iſrael.* Hæc loca, per quæ ſe tranſiſſe Dominus dicit, intelligenda ſunt Sylo, Galgalo

E & Nobe, & cætera loca, vbi tabernaculum, & arca Domini collocata ſunt. *Nunquid loquens locutus ſum alicui iudici de tribubus Iſrael, cui præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael: Quare non ædificaſti mihi domum cedrinam.* Idcirco à nullo iudicum ſibi ædificari domum cedrinam iuſſit: quia ab omnibus contra hoſtes pugnatum fuit, & omnes effuſores fuerunt ſanguinum. Filius tamen tuus cui non inſtabunt bella hoſtium, & qui non erit vir ſanguinum, ipſe ædificabit mihi domum.

Et nunc hæc dices ſeruo meo Dauid. Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges.

Et poſt pauca: *Fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.*

Feci, inquit, *tibi Dominus nomen grande,* id eſt, ſicut feci Abraham, Iſaac, & Iacob, & Moyſi, & Ioſue, quorum nomina famoſiſſima ſunt in terra. *Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo.* Hoc in loco tempus Salomonis ſermo deſcribit diuinus, quo filii Iſrael pacem eſſent habituri per circuitum, & non eſſent
F affligendi & opprimendi, ſicut tempore Iudicum fuerant oppreſſi & afflicti. *Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum: & in plagis filiorum hominum,* & cætera.

Virgam virorum gladium vocat inimicorum. Plagæ vero filiorum hominum ſunt incommoditates corporum humanorum, quibus pro peccatis ſuis à Domino merito homines flagellantur. Hæc ſecundum hiſtoriam dicta, ita ſentiri poſſunt. Cæterum quid ſecundum allegoriam inſinuent, altius perſcrutandum eſt. Cum ergo Regi Dauid multa proſpera prouenissent: cogitauit facere Domino domum. (August.) Templum illud ſcilicet excellentiſſime diffamatum, quod à Rege Salomone filio eius poſtea fabricatum eſt. Hoc eo cogitante, factum eſt verbum Domini ad Nathan Prophetam, quod perferret ad Regem: vbi cum dixiſſet Deus, quod non ab ipſo Dauid ſibi ædificaretur domus, neque per tantum tempus mandaſſet cuiquam in populo ſuo vt ſibi faceret domum cedrinam: *Et nunc,* inquit, *Hæc dices ſeruo meo Dauid. Hæc dicit Dominus omnipotens: Accepi te de ouili ouium, vt eſſes in ducem ſuper populum meum Iſrael: & eram tecum in omnibus, quibus ingrediebaris: & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua, & feci te nominatum ſecundum nomen magnorum, qui ſunt ſuper terram. Et ponam locum populo meo Iſrael & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum: & non ſollicitus erit vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum ſicut ab initio à diebus, quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael, & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, & nunciabit tibi Dominus, quoniam domum ædificabis ipſi. Et erit, cum repleti fuerint dies tui & dormies cum patribus tuis: ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum eius. Hic ædificabit domum nomini meo, & dirigam thronum illius vſque in æternum. Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium. Et cum venerit iniquitas eius redarguam illum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Miſericordiam autem meam non amouebo ab eo, ſicut moui à quibuſdam, quos amoui à facie mea. Et fidelis erit domus eius, & regnum eius vſque in æternum coram me: & thronus eius erit erectus in æternum.*

Hanc tam grandem promiſſionem qui putat in Salomone fuiſſe completam, multum errat. Attendit enim, quod dictum eſt: *Hic ædificabit mihi domum:* quoniam Sa-
H lomon templum illud nobile ſtruxit: & non attendit, quod dicit: *Fidelis erit domus eius & regnum eius vſque in æternum coram me.* Attendat ergo & aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus deos falſos, & ipſum ab eis Regem aliquando ſapientem in eandem idololatriam ſeductum atque deiectum, & non audeat exiſtimare, Deum vel hoc promiſiſſe mendaciter, vel talem Salomonis domum eum futuram non potuiſſe præſcire. Non hinc debemus amplius ambigere, cum in Chriſto Domino noſtro, *qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem,* (Rom. 1.) iam viderimus iſta compleri, ne vane atque inaniter hic alium aliquem requiramus ſicut inanes Iudæi. Nam & ipſi vſque adeo filium, quem loco iſto Regi Dauid promiſſum legunt, intelligunt non fuiſſe Salomonem: vt eo, qui promiſſus eſt, tanta iam mani-

ſeſtatione declarato, adhuc mirabili cæcitate alium ſperare ſe dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone: in eo, quod templum ædificauit, & pacem habuit ſecundum nomen ſuum. Salomon quippe, *pacificus*, eſt Latine. Et in exordio regni ſui mirabiliter laudabilis fuit. Sed eadem ſua perſona per vmbram futura prænunciabat, etiam ipſe Chriſtum Dominum non exhibebat. Vt de quædam de illo ita ſcripta ſunt, quaſi de ipſo iſta prædicta ſint, cum Scriptura ſancta etiam de rebus geſtis Prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros diuinæ hiſtoriæ, vbi regnaſſe narratur, Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis eius inſcriptus eſt, in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non poſſunt, Domino autem Chriſto aptiſsima perſpicuitate conueniunt: vt euidenter appareat, quod in illo qualiſcunque adumbrata ſit: in illo autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim, quibus terminis regnum concluſum fuerat Salomonis: & tamen in eo Pſalmo legitur, vt alia taceam: *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ*: quod in Chriſto videmus impleri. A flumine quippe dominandi ſumpſit exordium: vbi Baptizatus à Ioanne, eodem monſtrante, cœpit agnoſci à diſcipulis, qui non ſolum magiſtrum, verum etiam Dominum appellauerunt, Nec ob aliud viuente adhuc patre ſuo Dauid, regnare Salomon cœpit, (quod nulli Regum illorum contigit) niſi vt huic quoq; ſatis eluceat, non eſſe ipſum, quem Prophetia iſta præſignat, quæ ad eius patrem loquitur, dicens: *Et erit, cum repleti fuerint dies tui & dormies cum patribus tuis, & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de ventre tuo, & præparabo regnum illius.*

Quomodo ergo propter id quod ſequitur: *Hic ædificabit mihi domum:* iſte Salomon putabitur prophetatus, & non potius propter id, quod præcedit: *Cum repleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te:* alius pacificus intelligitur eſſe promiſſus, qui non ante, ſicut iſte, ſed poſt mortem Dauid prænunciatus eſt ſuſcitandus? Quamlibet enim longo interpoſito tempore Chriſtus Ieſus veniret; procul dubio poſt mortem Regis Dauid, cui ſic eſt promiſſus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de lignis & lapidibus, ſed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apoſtolus, hoc eſt, fidelibus Chriſti: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* (1. Cor. 3.) Benedictio Domini quippe in ſemine Dauid, non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit: ſed in æternum ſperanda eſt, in qua certiſsima ſpe dicitur: *Fiat fiat*, ſicut in Pſalmo octogeſimo octauo ſcriptum in fine eſt: *Benedictus*, inquit, *Dominus in æternum. Fiat fiat*. Illius enim ſpei eſt confirmatio, verbi huius iteratio. Hoc ergo intelligens Dauid ait in ſecundo Regnorum libro:

Et locutus es pro domo ſerui tui in longinquum.

Ideo autem poſt paululum ait:

Nunc incipe, & Benedic domum ſerui tui vſque in æternum, &c.

Quia tunc geniturus erat filium: ex quo progenies eius duceretur ad Chriſtum: per quem futura erat domus eius æterna, eademque domus Dei. Domus enim Dauid propter genus Dauid. Domus autem Dei eadem ipſa propter templum Dei, de hominibus factum, non de lapidibus, vbi habitet in æternum populus cum Deo, & in Deo ſuo & Deus cum populo, & in populo ſuo: ita vt Deus ſit implens populum ſuum & populus plenus Deo ſuo *& Deus erit omnia in omnibus*. (1. Cor. 15.) Ipſe in pace præmium: qui virtus in bello. Ideo cum ſic eundum ſeptuaginta in verbis Nathan dictum ſit: *Et nunciabit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipſi:* poſtea dictum eſt verbis Dauid: *Quoniam tu Dominus omnipotens Deus Iſrael, reuelaſti autem ſeruo tuo, dicens: domum ædificabo tibi.* Hanc enim domum & nos ædificabimus bene viuendo: & Deo, vt bene viuamus, opitulando; (Pſal. 126.) quia *niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant ædificantes eam.* Cuius domus cum venerit vltima dedicatio, tunc fiet illud, quod hic per Nathan locutus eſt Deus, dicens:

Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum: & non ſollicitus erit vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à diebus quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.

Hoc tam magnum bonum quiſquis in hoc ſeculo & in hac terra ſperat: inſipienter ſapit. Ante quiſpiam putabit in pace Salomonis id eſſe completum. Pacem quippe illam Scriptura in vmbra futuri excellenti prædicatione commendat. Cui ſuſpicioni vigilanter occurſum eſt, cum poſteaquam dictum eſt: *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum:* continuo ſubiunctum eſt: *Sicut ab initio à diebus, quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.* Iudices namque prius, quam Reges ibi eſſe cœperunt, ſuper illum populum fuerant conſtituti: ex quo terram promiſsionis accepit. Et vtique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc eſt, hoſtis alienigena per interualla temporum, quibus leguntur paces alternaſſe cum bellis, & inueniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit, qui quadraginta regnauit annos. Nam ſub eo iudice, qui eſt appellatus Ahod, octoginta anni pacis fuerunt. (Iud. 3.) Abſit ergo, vt Salomonis tempora in hac promiſsione promiſſa eſſe credantur: multo minus itaque cuiuslibet Regis alterius. Non enim quiſquam eorum in tanta, quanta ille, pace regnauit: nec vnquam omnino gens illa ita Regnum tenuit, vt ſollicita non fuerit, ne hoſtibus ſubderetur, quia in tanta mutabilitate rerum, nulli aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas, vt huic vitæ hoſtiles non formidaret incurſus. Locus ergo, qui promittitur tam pacatæ ac ſecuræ habitationis, æternus eſt, æternisque debetur, in matre Ieruſalem libera, vbi erit veraciter populus Iſrael. Hoc enim nomen interpretatur, *videns Deum*. Cuius præmii deſiderio pia per fidem vita in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda.

Ingreſſus eſt itaque Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit: *Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque? Sed & hoc parum eſt viſum in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum. Iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.*

(Hebr.) Iſta eſt lex Adam, Domine Deus, hoc eſt, lex hominis eſt Domine Deus, vt tibi in ſimplicitate cordis, & puritate ſeruiat, & tu facias ei iuxta miſericordiam tuam, ſicut modo dignatus es facere ſeruo tuo. Sequitur:

Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu enim ſcis ſeruum tuum, Domine Deus. Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc.

Propter verbum tuum, quod promiſiſti Abraham, Iſaac & Iacob feciſti omnia hæc mihi ſeruo tuo. Quod dicit, *ſecundum cor tuum*: intelligitur, ſecundum miſericordiam tuam.

Quia non eſt ſimilis tui, neque enim eſt Deus extra te in omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris.

Non eſt, inquit, Deus ſimilis tui, qui fecerit magnalia quæ audiuimus auribus noſtris.

A facie populi tui: quem redemiſti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius.

Hebræos habet: *Gentibus & Diis earum*. Et eſt ſenſus: A facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto, de manu ſcilicet Ægyptiorum quos in mari rubro peremiſti: & de Diis eorum, in quibus iudicia feciſti.

Quia tu, Domine exercituum, Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: Domum ædificabo tibi. Propter hoc inuenit ſeruus tuus cor ſuum: vt oraret te oratione, &c.

Aurem eius Dominus per Prophetam reuelauerat, ſe illi domum ædificaturum: idcirco Dauid inueniſſe ſe dicit cor ſuum, id eſt, inuenit audaciam in corde ſuo, vt oraret eum oratione hac.

Caput VIII.

IX. FACTVM *eſt autem poſt hæc, percuſſit Dauid Philiſtiim, & humiliauit eos: & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſtiim*, &c.

Frænum tributi quinque erant ciuitates Philiſtinorum:

Digitized by Google

A rum: quæ frequenter Iſrael ſibi tributarium faciebant, quas eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque ſibi tributarios. Vnde & in Pararalypomenon legitur: 1. Par. 18. *Percuſſit Dauid Philiſtiim, & humiliauit eos: & tulit Geth & filias eius de manu eorum.*

Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ. Menſus eſt autem duos funiculos: Vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo, &c.

Quod ſcriptum eſt de Dauid: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ*: Hiperbolice debet accipi. Non enim fieri poterat, vt homines in terra viuentes in tantum humiliarentur, donec ipſius terræ dorſo, funiculo ſuperextenſo comprobante, apparerent æquales: ſed immenſam humiliationem captæ & expreſſæ gentis voluit Scriptura hoc verbo accumulare, vt diceret coæquatis eos terræ. Quaſi adeo eſſent euirati atque contempti, vt in nullum amplius homines in terra degentes, quam terra ea, quæ nullos haberet homines, poſſent valere. Cuiuſmodi locutionis plura habes exempla in Scripturis.
B Quale illud Euangelii: Ioan. 21. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Quomodo enim caperet mundus libros, qui ſcribi potuiſſent in mundo? Sed ad inſinuandam magnitudinem ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit vti Scriptura. Et in planctu Dauid: 2. Reg. 1. *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Cui ſimillimum eſt illud & ſecularium litterarum:

Virgil. Æneid 12. *Qui candore niues anteirent curſibus auras.*

Quod autem menſos eos funiculo dixit: funiculum allegorice pro ſorte poſuit: ex quod funiculo ſoleant agrorum ſpacia metiri. Vnde ſcriptum eſt: Pſal. 77. *Et ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Significat autem, quod tam libera diſpoſitione Dauid regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, diuideret: quam ſi poſſeſſor quilibet agros proprios ad nutum ſuum ducto hinc inde funiculo dirimeret. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendũ & vnum ad viuificandũ.* Et hoc allegorice dictum ſignificans, quod in ſua Dauid poteſtate habuerit, nullo vtiq; contradicente: quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis.
C Quod autem Dauid Moab, qui interpretatur *de patre*, & Syriam Damaſci & cæteras regiones ditioni ſuæ ſubiugans, fecit tributarias eſſe: myſtice ſignificat, quod Chriſtus omnes gentes ſub ſua dominatione tenens, facit penſum ſeruitutis reddere, dum ſingulæ quæque nationes in nominis eius confeſſione adunatæ, deuotæ ſenſum bonorum operum illi exſoluunt. Damaſcus enim nobilis eſt vrbs Phenicis eodem vocabulo, quo & Maſec ancillæ Abraham filius appellatus eſt: & Damaſcus interpretatur, *ſanguinis poculum*: Siria vero interpretatur, *ſublimis* ſiue *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine, ſuperba Spiritu, ſanguinem humanum inexplicabiliter ſitiebat: nunc mundata Baptiſmate Chriſti, ſublimis profectu virtutum, ſanguinis eius poculum deſiderat percipere. Quid autem ſignificat, quod Dauid vaſa aurea & argentea atque ærea quæ tulerat de vniuerſis gentibus ſanctificauit Domino, niſi quod Chriſtus omnes, quos de vniuerſis gentibus conuocat ad fidem ſuam, alios auri loco, hoc eſt, ſenſu ſpirituali præclaros, alios argenti, hoc eſt, eloquentiæ nitore ſplen-
D dentes, alios vero prædicatione diuina ſonorus ſignificat Domino, vt in tabernaculo fideliter deſeruientes, ipſius miniſterio in æternum decentiſſime perfungantur.

Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur, capta Syria in valle Salinarum cæſis decem & octo millibus, & cætera.

Hebr. Feciſſe ſibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus, erexit ſibi fornicem triumphalem. Fecit etiam ſibi nomen, quia victa Syria Damaſci, & Syria Soba; erexiſſe ſibi dicitur alteram fornicem triumphalem. Et ſi quem mouet, quod in pleriſque latinorũ codicibus inuenitur, Dauid nõ decem & octo millia in valle Salinarum, ſed duodecim millia cæcidiſſe: nouerit huc vitio Scriptorum in eiſdem codicibus molitum eſſe. Veraciter tamen Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo millia cæcidit, Ioab vero duodecim millia, ſicut in titulo quinquageſimi octaui Pſalmi ſcribitur. Quid in percuſſa à Dauid multitudine in valle Salinarum deſignatur, niſi quia Redemptor noſter ſui examinis diſtrictione, in his, qui de illo praua ſentiunt, ſtultitiam immoderati ſoporis extinguit? Vnde & per quendam ſapientem dicitur: Eccl. 3. *Cor durum male habebit in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.* B

Filij autem Dauid ſacerdotes erant.

Capvt IX.

ET dixit Dauid: Putaſne, eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan? Erat autem de domo Saul ſeruus, nomine Siba. Quem cum vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? Et ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus. Et ait Rex: Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei: Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathan, debilis pedibus.

F Ecce Dauid non oblitus iuramenti ac fœderis ſui, quod cum Ionatha olim pepigerat: 1. Reg. 20. ſed miſericordiam, patri promiſerat, impleuit in filio. Quæ res & fidelitatem probauit ſecundum hiſtoriam in viro, & ſacramenta iuxta allegoriam oſtendit in facto. Sæpe enim dictum eſt, Dauid perſonam Chriſti figurare, nec non & in ſuperioribus commemoratum eſt, Ionathan, qui interpretatur, *columba donum*, vel *Domini donum*, typum tenere gratiæ Spiritus ſancti. Habuit ergo Ionathan filium paruulum, nomine Miphiboſeth, vtroque pede claudum, vt Scriptura teſtatur. Quem Dauid ad ſe accerſiri iuſſit: cum prædeſtinatio & præſcientia Dei eum, quem ad ſeculi miniſteria & mundana negotia exercenda ſermone & actione debilem conſpicit, ad diuinum miniſterium elegit: quia quem mundus per faſtum elationis ſpernit, hunc Deus propter deuotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboſeth, *de ore ignominia*. Is ergo, cuius loquelam & præſentiam ſuperbia mundi deſpicit, Dei dono vtilis ad ſpirituale miniſterium in Eccleſia apparebit. Quid eſt ergo, quod Dauid Sibam, ſeruum Saul, de ſtirpe Saul quæritans, eo reuelante Miphiboſeth inuenit, niſi quod Redemptor noſter electorum numerum diſcutiendo inter eos, qui contempti mundum reliquerunt, ad ſe venire fecit? G Siba enim, *egreſſus venit*, interpretatur. Interrogatus ergo Siba à Rege, Miphiboſeth filiũ Ionathæ in domo Machir filii Ammiel in Lodabar eſſe reſpondit.

Quæ res præſenti expoſitioni bene conuenit. Interpretatur enim Machir, *vendens*, vel *de infirmitate*: Ammiel, *populus eius Deus*: Lodabar, *ipſe verbum*. Denique Dauid 1. Cor. 1. noſter contemptibiles huius mundi, & ea, quæ non ſunt, eligens, vt ea, quæ ſunt, deſtruat: eos vendibiles mundo, & in infirmitate conſtitutos, reperiendo populo ſuo dignos, verbo prædicationis adſciuit, eiſque regium honorem inter filios habere conceſſit. Vnde & Dauid agros Saul & ſeruitia Miphiboſeth donans, ipſum Miphiboſeth conuiuam ſuum ſuper menſam ſuam ſimul cum filiis eſſe præcepit.

Quia Mediatoris noſtri gratia, quæ, ſecundum Mariæ vocem, *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*: &, iuxta Luc. 1. Prophetiam Annæ, *ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*: H 1. Reg. 2. contemptibiles perſonas de mundo auferens, poſſeſſores virtutum efficit, & ſcientia ſpirituali ſuper menſam Scripturarum ſanctarum quotidie ſecum reficit. Vnde euenit, vt tales ſobolem gignant, quæ interpretatur Micha. *Micha* enim, *quis eſt iſte*, Latine reſonat: quia frequenter in ammirationem populi tales veniunt, qui nuper de deſpectu mundi ablati glorioſi in Eccleſia Dei dono apparebunt.

Digitized by Google

A ſeſtatione declarato, adhuc mirabili cæcitate alium ſperare ſe dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone in eo, quod templum ædificauit, & pacem habuit ſecundum nomen ſuum. Salomon quippe, *pacificus*, eſt Latine. Et in exordio regni ſui mirabiliter laudabilis fuit. Sed eadem ſua perſona per vmbram futura prænunciabat, etiam ipſe Chriſtum Dominum non exhibebat. Vt de quædam de illo ita ſcripta ſunt, quaſi de ipſo iſta prædicta ſint, cum Scriptura ſancta etiam de rebus geſtis Propheteans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros diuinæ hiſtoriæ, vbi regnaſſe narratur, Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis eius inſcriptus eſt, in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non poſſunt, Domino autem Chriſto aptiſsima perſpicuitate conueniunt: vt euidenter appareat, quod in illo qualiſcunque adumbrata ſit: in iſto autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim, quibus terminis regnum concluſum fuerat Salomonis: & tamen in eo Pſalmo legitur, vt alia taceam: *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ*: quod in Chriſto videmus impleri.

B A flumine quippe dominandi ſumpſit exordium: vbi Baptizatus à Ioanne, eodem monſtrante, cœpit agnoſci à diſcipulis, qui non ſolum magiſtrum, Verum etiam Dominum appellauerunt, Nec ob aliud viuente adhuc patre ſuo Dauid, regnare Salomon cœpit, (quod nulli Regum illorum contigit) niſi vt huic quoque ſatis eluceat, non eſſe ipſum, quem Prophetia iſta præſignat, quæ ad eius patrem loquitur, dicens: *Et erit, cum repleti fuerint dies tui & dormies cum patribus tuis, & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum illius.*

Quomodo ergo propter id quod ſequitur: *Hic ædificabit mihi domum:* iſte Salomon putabitur prophetatus, & non potius propter id, quod præcedit: *Cum repleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te:* alius pacificus intelligitur eſſe promiſſus, qui non ante, ſicut iſte, ſed poſt mortem Dauid prænunciatus eſt ſuſcitandus? Quamlibet enim longo interpoſito tempore

C Chriſtus Ieſus veniret: procul dubio poſt mortem Regis Dauid, cui ſic eſt promiſſus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de lignis & lapidibus, ſed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apoſtolus, hoc eſt, fidelibus Chriſti:

1. Cor. 3. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Benedictio Domini quippe in ſemine Dauid, non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit: ſed in æternum ſperanda eſt, in qua certiſsima ſpe dicitur: *Fiat fiat*, ſicut in Pſalmo octogeſimo octauo ſcriptum in fine eſt: *Benedictus*, inquit, *Dominus in æternum. Fiat fiat.* Illius enim ſpei eſt confirmatio, verbi huius iteratio. Hoc ergo intelligens Dauid ait in ſecundo Regnorum libro:

Et locutus es pro domo ſerui tui in longinquum.

Ideo autem poſt paululum ait:

Nunc incipe, & Benedic domum ſerui tui vſque in æternum, &c.

Quia tunc geniturus erat filium: ex quo progenies eius duceretur ad Chriſtum: per quem futura erat domus eius æterna, eademque domus Dei. Domus enim

D Dauid propter genus Dauid. Domus autem Dei eadem ipſa propter templum Dei, de hominibus factum, non de lapidibus, vbi habitet in æternum populus cum Deo, & in Deo ſuo & Deus cum populo, & in populo ſuo: ita vt Deus ſit implens populum ſuum & populus plenus Deo

1. Cor. 15. ſuo *& Deus erit omnia in omnibus.* Ipſe in pace præmium: qui virtus in bello. Ideo cum ſecundum ſeptuaginta in verbis Nathan dictum ſit: *Et nunciabit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipſi*: poſtea dictum eſt verbis Dauid: *Quoniam tu Dominus omnipotens Deus Iſrael, reuelaſti autem ſeruo tuo, dicens: domum ædificabo tibi.* Hanc enim domum & nos ædificabimus bene viuendo: & Deo, vt bene viuamus,

Pſal. 126. opitulando; quia niſi *Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant ædificantes eam.* Cuius domus cum venerit vltima dedicatio, tunc fiet illud, quod hic per Nathan locutus eſt Deus, dicens:

E *Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum: & non ſollicitus erit vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à diebus quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.*

Hoc tam magnum bonum quiſquis in hoc ſeculo & in hac terra ſperat: inſipienter ſapit. Ante quiſpiam putabit in pace Salomonis id eſſe completum. Pacem quippe illam Scriptura in vmbra futuri excellenti prædicatione commendat. Cui ſuſpicioni vigilanter occurſum eſt, cum poſteaquam dictum eſt: *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum:* continuo ſubiunctum eſt: *Sicut ab initio à diebus quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.* Iudices namque prius, quam Reges ibi eſſe cœperunt, ſuper illum populum fuerant conſtituti: ex quo terram promiſsionis accepit. Et vtique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc eſt, hoſtis alienigena per interualla temporum, quibus leguntur paces alternaſſe cum bellis, & inueniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit, qui quadraginta regnauit annos. Nam ſub

Iud. 3. F eo iudice, qui eſt appellatus Ahod, octoginta anni pacis fuerunt. Abſit ergo, vt Salomonis tempora in hac promiſsione promiſſa eſſe credantur: multo minus itaque cuiuslibet Regis alterius. Non enim quiſquam eorum in tanta, quanta ille, pace regnauit: nec vnquam omnino gens illa ita Regnum tenuit, vt ſollicita non fuerit, ne hoſtibus ſubderetur, quia in tanta mutabilitate rerum, nulli aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas, vt huic vitæ hoſtiles non formidaret incurſus. Locus ergo, qui promittitur tam pacatæ ac ſecuræ habitationis, æternus eſt, æterniſque debetur, in matre Ieruſalem libera, vbi erit veraciter populus Iſrael. Hoc enim nomen interpretatur, *videns Deum.* Cuius præmii deſiderio pia per fidem vita in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda.

Ingreſſus eſt itaque Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit: *Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque? Sed & hoc parum eſt viſum in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum. Iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.*

Hebr. G Iſta eſt lex Adam, Domine Deus, hoc eſt, lex hominis eſt Domine Deus, vt tibi in ſimplicitate cordis, & puritate ſeruiat, & tu facias ei iuxta miſericordiam tuam, ſicut modo dignatus es facere ſeruo tuo. Sequitur:

Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu enim ſcis ſeruum tuum, Domine Deus. Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc.

Propter verbum tuum, quod promiſiſti Abraham, Iſaac & Iacob feciſti omnia hæc mihi ſeruo tuo. Quod dicit, *ſecundum cor tuum*: intelligitur, ſecundum miſericordiam tuam.

Quia non eſt ſimilis tui, neque enim eſt Deus extra te in omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris.

Non eſt, inquit, Deus ſimilis tui, qui fecerit magnalia quæ audiuimus auribus noſtris.

A facie populi tui: quem redemiſti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius.

Hebræos habet: *Gentibus & Diis earum.* Et eſt ſenſus: A facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto, de manu ſcilicet Ægyptiorum quos in mari rubro peremiſti: &

H de Diis eorum, in quibus iudicia feciſti.

Quia tu, Domine exercituum, Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: Domum ædificabo tibi. Propter hoc inuenit ſeruus tuus cor ſuum: vt oraret te oratione, &c.

Aurem eius Dominus per Prophetam reuelauerat, ſe illi domum ædificaturum: idcirco Dauid inueniſſe ſe dicit cor ſuum, id eſt, inuenit audaciam in corde ſuo, vt oraret eum oratione hac.

Capvt VIII.

IX. FACTVM eſt autem poſt hæc, percuſſit Dauid Philiſtiim, & humiliauit eos: & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſtiim, &c.

Frænum tributi quinque erant ciuitates Philiſtinorum:

A

rum: quæ frequenter Iſtael ſibi tributarium faciebant, quas eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque ſibi tributarios. Vnde & in Pararalypomenon legitur: *Percuſſit Dauid Ph. liſtıım, & humıliauit eos: & tulit Geth & filias eius de manu eorum.* 1. Par. 18.

Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terra. Menſus eſt autem duos funiculos: Vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo, &c.

Quod ſcriptum eſt de Dauid: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ:* Hiperbolice debet accipi. Non enim fieri poterat, vt homines in terra viuentes in tantum humiliarentur, donec ipſius terræ dorſo, funiculo ſuperextenſo comprobante, apparerent æquales: ſed immenſam humiliationem captæ & expreſſæ gentis voluit Scriptura hoc verbo accumulare, vt diceret coæquatis eos terræ. Quaſi adeo eſſent euirati atque contempti, vt in nullo .mplius homines in terra degentes, quam terra ea, quæ nullos haberet homines, poſſent valere. Cuiuſmodi locutionis plura habes exempla in Scripturis.

B

Quale illud Euangelii: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Ioan. 21. Quomodo enim caperet mundus lib.os, qui ſcribi potuiſſent in mundo? Sed ad inſinuandam magnitudinem ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit vti Scriptura. Et in planctu Dauid: *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* 2. Reg. 1. Cui ſimillimum eſt illud & ſecularium litterarum:

Qui candore niues anteirent curſibus auras. Virgil. Æneid. 12.

Quod autem menſos eos funiculo dixit: funiculum allegorice pro ſorte poſuit: ex quo funiculo ſoleant agrorum ſpacia metiri. Vnde ſcriptum eſt: *Et ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Pſal. 77. Significat autem, quod tam libera diſpoſitione Dauid regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, diuideret: quam ſi poſſeſſor quilibet agros proprios ad nutum ſuum ducto hinc inde funiculo dirimeret. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendũ & vnum ad viuificandũ.* Et hoc allegorice dictum ſignificans, quod in ſua Dauid poteſtate habuerit, nullo vtiq; contradicente: quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis.

C

Quod autem Dauid Moab, qui interpretatur *de patre*, & Syriam Damaſci & cæteras regiones ditioni ſuæ ſubiugans, fecit tributarias eſſe: myſtice ſignificat, quod Chriſtus omnes gentes ſub ſua dominatione tenens, facit penſum ſeruitutis reddere, dum ſingulæ quæque nationes in nominis eius confeſſione adunatæ, deuotæ ſenſum bonorum operum illi exſoluunt. Damaſcus enim nobilis eſt vrbs Phenicis eodem vocabulo, quo & Maſec ancillæ Abraham filius appellatus eſt: & Damaſcus interpretatur, *ſanguinis poculum*: Siria vero interpretatur, *ſublimis* ſiue *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine, ſuperba Spiritu, ſanguinem humanum inexplicabiliter ſitiebat: nunc mundata Baptiſmate Chriſti, ſublimis profectu virtutum, ſanguinis eius poculum deſiderat percipere. Quid autem ſignificat, quod Dauid vaſa aurea & argentea atque ærea quæ tulerat de vniuerſis gentibus ſanctificauit Domino, niſi quod Chriſtus omnes, quos de vniuerſis gentibus conuocat ad fidem ſuam, alios auri loco, hoc eſt, ſenſu ſpirituali præclaros, alios argenti, hoc eſt, eloquentiæ nitore ſplendentes, alios vero prædicatione diuina ſonoros ſignificat Domino, vt in tabernaculo fideliter deſeruientes, ipſius miniſterio in æternum decentiſſime perfungantur.

D

Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur, capta Syria in valle Salinarum cæſis decem & octo millibus, & cætera.

Feciſſe ſibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus, erexit ſibi fornicem triumphalem. Hebr. Fecit etiam ſibi nomen, quia victa Syria Damaſci, & Syria Soba; erexiſſe ſibi dicitur alteram fornicem triumphalem. Et ſi quem mouet, quod in pleriſque latinorũ codicibus inuenitur, Dauid nõ decem & octo millia in valle Salinarum, ſed duodecim millia cæcidiſſe: nouerit hoc vitio Scriptorum in eiſdem codicibus molitum eſſe. Veraciter tamen Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo millia cæcidit, Ioab vero duodecim millia, ſicut in titulo quinquageſimi octaui Pſalmi ſcribitur.

B

Quid in percuſſa à Dauid multitudine in valle Salinarum deſignatur, niſi quia Redemptor noſter ſui examinis diſtrictione, in his, qui de illo praua ſentiunt, ſtultitiam immoderati ſoporis extinguit? Vnde & per quendam ſapientem dicitur: *Cor durum male habebit in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.* Eccl. 3.

Filij autem Dauid ſacerdotes erant.

Capvt IX.

ET dixit Dauid: Putaſne, eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan? Erat autem de domo Saul ſeruus, nomine Siba. Quem cum vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? Et ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus. Et ait Rex: Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei: Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathan, debilis pedibus.

F

Ecce Dauid non oblitus iuramenti ac fœderis ſui, quod cum Ionatha olim pepigerat: ſed miſericordiam, patri promiſerat, impleuit in filio. 1. Reg. 20. Quæ res & fidelitatem probauit ſecundum hiſtoriam in viro, & ſacramenta iuxta allegoriam oſtendit in facto. Sæpe enim dictum eſt, Dauid perſonam Chriſti figurare, nec non & in ſuperioribus commemoratum eſt, Ionathan, qui interpretatur, *columba donum*, vel *Domini donum*, typum tenere gratiæ Spiritus ſancti. Habuit ergo Ionathan filium paruulum, nomine Miphiboſeth, vtroque pede claudum, vt Scriptura teſtatur. Quem Dauid ad ſe accerſiti iuſſit: cum prædeſtinatio & præſcientia Dei eum, quem ad ſeculi miniſteria & mundana negotia exercenda ſermone & actione debilem conſpicit, ad diuinum miniſterium elegit: quia quem mundus per faſtum elationis ſpernit, hunc Deus propter deuotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboſeth, *de ore ignominia*. Is ergo, cuius loquelam & præſentiam ſuperbia mundi deſpicit, Dei dono vtilis ad ſpirituale miniſterium in Eccleſia apparebit.

G

Quid eſt ergo, quod Dauid Sibam, ſeruum Saul, de ſtirpe Saul quæſitans, eo reuelante Miphiboſeth inuenit, niſi quod Redemptor noſter electorum numerum diſcutiendo inter eos, qui contempti mundum reliquerunt, ad ſe venire fecit? Siba enim, *egreſſus venis*, interpretatur. Interrogatus ergo Siba à Rege, Miphiboſeth filiũ Ionathæ in domo Machir filii Ammiel in Lodabar eſſe reſpondit.

Quæ res præſenti expoſitioni bene conuenit. Interpretatur enim Machir, *vendens*, vel *de infirmitate*: Ammiel, *populus eius Deus*: Lodabar, *ipſe verbum*. Denique Dauid noſter contemptibiles huius mundi, & ea, quæ non ſunt, eligens, vt ea, quæ ſunt, deſtruat: 1. Cor. 1. eos vendibiles mundo, & in infirmitate conſtitutos, reperiendo populo ſuo dignos, verbo prædicationis adſciuit, eiſque regium honorem inter filios habere conceſſit. Vnde & Dauid agros Saul & ſeruitia Miphiboſeth donans, ipſum Miphiboſeth conuiuam ſuum ſuper menſam ſuam ſimul cum filiis eſſe præcepit.

H

Quia Mediatoris noſtri gratia, quæ, ſecundum Mariæ vocem, *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*: Luc. 1. &, iuxta Prophetiam Annæ, *ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*: 1. Reg. 2. contemptibiles perſonas de mundo auferens, poſſeſſores virtutum efficit, & ſcientia ſpirituali ſuper menſam Scripturarum ſanctarum quotidie ſecum reficit. Vnde euenit, vt tales ſobolem gignant, quæ interpretatur Micha. *Micha* enim, *quis eſt iſte*, Latine reſonat: quia frequenter in ammirationem populi tales veniunt, qui nuper de deſpectu mundi ablati glorioſi in Eccleſia Dei dono apparebunt.

A ſeſtatione declarato, adhuc mirabili cæcitate alium ſperare ſe dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago ici futuræ etiam in Salomone: in eo, quod templum ædificauit, & pacem habuit ſecundum nomen ſuum. Salomon quippe, *pacificus*, eſt Latine. Et in exordio regni ſui mirabiliter laudabilis fuit. Sed eadem ſua perſona per vmbram futura prænunciabat, etiam ipſe Chriſtum Dominum non exhibebat. Vt de quædam de illo ita ſcripta ſint, quaſi de ipſo iſta prædicta ſint, cum Scriptura ſancta etiam de rebus geſtis Prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros diuinæ hiſtoriæ, vbi regnaſſe narratur, Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis eius inſcriptus eſt, in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non poſſunt, Domino autem Chriſto aptiſsima perſpicuitate conueniunt: vt euidenter appareat, quod in illo qualiſcunque adumbrata ſit: in iſto autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim, quibus terminis regnum concluſum fuerat Salomonis: & tamen in eo Pſalmo legitur, vt alia taceam: *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ*: quod in Chriſto videmus impleri. B A flumine quippe dominandi ſumpſit exordium: vbi Baptizatus à Ioanne, eodem monſtrante, cœpit agnoſci à diſcipulis, qui non ſolum magiſtrum, Verum etiam Dominum appellauerunt, Nec ob aliud viuente adhuc patre ſuo Dauid, regnare Salomon cœpit, (quod nulli Regum illorum contigit) niſi vt huic quoq; ſatis eluceat, non eſſe ipſum, quem Prophetia iſta præſignat, quæ ad eius patrem loquitur, dicens: *Et erit, cum repleti fuerint dies tui & dormies cum patribus tuis, & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum illius.*

Quomodo ergo propter id quod ſequitur: *Hic ædificabit mihi domum:* iſte Salomon putabitur prophetatus, & non potius propter id, quod præcedit: *Cum repleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te:* alius pacificus intelligitur eſſe promiſſus, qui non ante, ſicut iſte, ſed poſt mortem Dauid prænunciatus eſt ſuſcitandus? Quamlibet enim longo interpoſito tempore C Chriſtus Ieſus veniret: procul dubio poſt mortem Regis Dauid, cui ſic eſt promiſſus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de lignis & lapidibus, ſed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus. Hanc enim domum dicit Apoſtolus, hoc eſt, fidelibus Chriſti: 1. Cor. 3. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Benedictio Domini quippe in ſemine Dauid, non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit: ſed in æternum ſperanda eſt, in qua certiſsima ſpe dicitur: *Fiat fiat*, ſicut in Pſalmo octogeſimo octauo ſcriptum in fine eſt: *Benedictus*, inquit, *Dominus in æternum. Fiat fiat.* Illius enim ſpei eſt confirmatio, verbi huius iteratio. Hoc ergo intelligens Dauid ait in ſecundo Regnorum libro:

Et locutus es pro domo ſerui tui in longinquum.

Ideo autem poſt paululum ait:

Nunc incipe, & Benedic domum ſerui tui vſque in æternum, &c.

Quia tunc geniturus erat filium: ex quo progenies eius duceretur ad Chriſtum: per quem futura erat domus eius æterna, eademque domus Dei. Domus enim D Dauid propter genus Dauid. Domus autem Dei eadem ipſa propter templum Dei, de hominibus factum, non de lapidibus, vbi habitet in æternum populus cum Deo, & in Deo ſuo & Deus cum populo, & in populo ſuo: ita vt Deus ſit implens populum ſuum & populus plenus Deo 1. Cor. 15. ſuo *& Deus erit omnia in omnibus.* Ipſe in pace præmium: qui virtus in bello. Ideo cum ſecundum ſeptuaginta in verbis Nathan dictum ſit: *Et nunciabit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipſi*: poſtea dictum eſt verbis Dauid: *Quoniam tu Dominus omnipotens Deus Iſrael, reuelaſti autem ſeruo tuo, dicens: domum ædificabo tibi.* Hanc enim domum & nos ædificabimus bene viuendo: & Deo, vt bene viuamus, Pſal. 126. opitulando; quia *niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant ædificantes eam.* Cuius domus cum venerit vltima dedicatio, tunc fiet illud, quod hic per Nathan locutus eſt Deus, dicens:

E *Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum: & non ſollicitus erit vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à diebus quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.*

Hoc tam magnum bonum quiſquis in hoc ſeculo & in hac terra ſperat: inſipienter ſapit. Ante quiſpiam putabit in pace Salomonis id eſſe completum. Pacem quippe illam Scriptura in vmbra futuri excellenti prædicatione commendat. Cui ſuſpicioni vigilanter occurſum eſt, cum poſteaquam dictum eſt: *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum:* continuo ſubiunctum eſt: *Sicut ab initio à diebus, quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.* Iudices namque prius, quam Reges ibi eſſe cœperunt, ſuper illum populum fuerant conſtituti: ex quo terram promiſsionis accepit. Et vtique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc eſt, hoſtis alienigena per interualla temporum, quibus leguntur paces alternaſſe cum bellis, & inueniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit, qui quadraginta regnauit annos. Iud. 3. Nam ſub eo iudice, qui eſt appellatus Ahod, octoginta anni pacis fuerunt. F Abſit ergo, vt Salomonis tempora in hac promiſsione promiſſa eſſe credantur: multo minus itaque cuiuslibet Regis alterius. Non enim quiſquam eorum in tanta, quanta ille, pace regnauit: nec vnquam omnino gens illa ita Regnum tenuit, vt ſollicita non fuerit, ne hoſtibus ſubderetur, quia in tanta mutabilitate rerum, nulli aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas, vt huic vitæ hoſtiles non formidaret incurſus. Locus ergo, qui promittitur tam pacatæ ac ſecuræ habitationis, æternus eſt, æterniſque debetur, in matre Ieruſalem libera, vbi erit veraciter populus Iſrael. Hoc enim nomen interpretatur, *videns Deum*. Cuius præmii deſiderio pia per fidem vita in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda.

Ingreſſus eſt itaque Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit: *Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque? Sed & hoc parum eſt viſum in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum. Iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.*

Hebr. Iſta eſt lex Adam, Domine Deus, hoc eſt, lex hominis G eſt Domine Deus, vt tibi in ſimplicitate cordis, & puritate ſeruiat, & tu facias ei iuxta miſericordiam tuam, ſicut mihi dignatus es facere ſeruo tuo. Sequitur:

Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu enim ſcis ſeruum tuum, Domine Deus. Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc.

Propter verbum tuum, quod promiſiſti Abraham, Iſaac & Iacob feciſti omnia hæc mihi ſeruo tuo. Quod dicit, *ſecundum cor tuum*: intelligitur, ſecundum miſericordiam tuam.

Quia non eſt ſimilis tui, neque enim eſt Deus extra te in omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris.

Non eſt, inquit, Deus ſimilis tui, qui fecerit magnalia quæ audiuimus auribus noſtris.

A facie populi tui: quem redemiſti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius.

Hebræos habet: *Gentibus & Diis earum*. Et eſt ſenſus: A facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto, de manu ſcilicet Ægyptiorum quos in mari rubro peremiſti: & de Diis eorum, in quibus iudicia feciſti. H

Quia tu, Domine exercituum, Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: Domum ædificabo tibi. Propter hoc inuenit ſeruus tuus cor ſuum: vt oraret te oratione, &c.

Aurem eius Dominus per Prophetam reuelauerat, ſe illi domum ædificaturum: idcirco Dauid inueniſſe ſe dicit cor ſuum, id eſt, inuenit audaciam in corde ſuo, vt oraret eum oratione hac.

CAPVT VIII.

IX. FACTVM *eſt autem poſt hæc, percuſſit Dauid Philiſtiim, & humiliauit eos: & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſtiim,* &c.

Frænum tributi quinque erant ciuitates Philiſtino-

Digitized by Google

A

rum: quæ frequenter Iſrael ſibi tributarium faciebant, quas eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque ſibi tributarios. Vnde & in Pararalypomenon legitur: *1. Par. 18.* *Percuſſit Dauid Philiſtæum, & humiliauit eos: & tulit Geth & filias eius de manu eorum.*

Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ. Menſus eſt autem duos funiculos: Vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo, &c.

Quod ſcriptum eſt de Dauid: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ:* Hiperbolice debet accipi. Non enim fieri poterat, vt homines in terra viuentes in tantum humiliarentur, donec ipſius terræ dorſo, funiculo ſuperextenſo comprobante, apparerent æquales: ſed immenſam humiliationem captæ & expreſſæ gentis voluit Scriptura hoc verbo accumulare, vt diceret coæquatis eos terræ. Quaſi adeo eſſent euirati atque contempti, vt in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea, quæ nullos haberet homines, poſſent valere. Cuiuſmodi locutionis plura habes exempla in Scripturis.

B *Ioan 21.*

Quale illud Euangelii: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, néc ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Quomodo enim caperet mundus libros, qui ſcribi potuiſſent in mundo? Sed ad inſinuandam magnitudinem ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit vti Scriptura. Et in planctu Dauid: *2. Reg. 1.* *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Cui ſimillimum eſt illud & ſecularium litterarum:

Virgil. Æneid 12. *Qui candore niues anteirent curſibus auras.*

Quod autem menſos eos funiculo dixit: funiculum allegorice pro ſorte poſuit: ex quod funiculo ſoleant agrorum ſpacia metiri. Vnde ſcriptum eſt: *Pſal 77.* *Et ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Significat autem, quod tam libera diſpoſitione Dauid regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, diuideret: quam ſi poſſeſſor quilibet agros proprios ad nutum ſuum ducto hinc inde funiculo dirimeret. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendũ & vnum ad viuificandũ.* Et hoc allegorice dictum ſignificans, quod in ſua Dauid poteſtate habuerit, nullo vtiq; contradicente: quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis.

C

Quod autem Dauid Moab, qui interpretatur *de patre*, & Syriam Damaſci & cæteras regiones ditioni ſuæ ſubiugans, fecit tributarias eſſe: myſtice ſignificat, quod Chriſtus omnes gentes ſub ſua dominatione tenens, facit penſum ſeruitutis reddere, dum ſingulæ quæque nationes in nominis eius confeſſione adunatæ, deuotæ penſum bonorum operum illi exſoluunt. Damaſcus enim nobilis eſt vrbs Phenicis eodem vocabulo, quo & Maſec ancillæ Abraham filius appellatus eſt: & Damaſcus interpretatur, *ſanguinis poculum*: Siria vero interpretatur, *ſublimis* ſiue *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine, ſuperba Spiritu, ſanguinem humanum inexplicabiliter ſitiebat: nunc mundata Baptiſmate Chriſti, ſublimis profectu virtutum, ſanguinis eius poculum deſiderat percipere. Quid autem ſignificat, quod Dauid vaſa aurea & argentea atque ærea quæ tulerat de vniuerſis gentibus ſanctificauit Domino, niſi quod Chriſtus omnes, quos de vniuerſis gentibus conuocat ad fidem ſuam, alios auri loco, hoc eſt, ſenſu ſpirituali præclaros, alios argenti, hoc eſt, eloquentiæ nitore ſplendentes, alios vero prædicatione diuina ſonoros ſignificat Domino, vt in tabernaculo fideliter deſeruientes, ipſius miniſterio in æternum decentiſſime perfungantur.

D

Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur, capta Syria in valle Salinarum cæſis decem & octo millibus, & cætera.

Hebr.

Feciſſe ſibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus, erexit ſibi fornicem triumphalem. Fecit etiam ſibi nomen, quia victa Syria Damaſci, & Syria Soba; erexiſſe ſibi dicitur alteram fornicem triumphalem. Et ſi quem mouet, quod in pleriſque latinorũ codicibus inuenitur, Dauid nõ decem & octo millia in valle Salinarum, ſed duodecim millia cæcidiſſe: nouerit hoc vitio Scriptorum in eiſdem codicibus molitum

B

eſſe. Veraciter tamen Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo millia cæcidit, Ioab vero duodecim millia, ſicut in titulo quinquageſimi octaui Pſalmi ſcribitur. Quid in percuſſa à Dauid multitudine in valle Salinarum deſignatur, niſi quia Redemptor noſter ſui examinis diſtrictione, in his, qui de illo praua ſentiunt, ſtulritiam immoderati ſoporis extinguit? Vnde & per quendam ſapientem dicitur: *Eccl. 3.* *Cor durum male habebit in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.*

Filij autem Dauid ſacerdotes erant.

Capvt IX.

Et dixit Dauid: Putaſne, eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan? Erat autem de domo Saul ſeruus, nomine Siba. Quem cum vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? Et ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus. Et ait Rex: Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei: Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathan, debilis pedibus.

F *1. Reg 20.*

Ecce Dauid non oblitus iuramenti ac fœderis ſui, quod cum Ionatha olim pepigerat: ſed miſericordiam, patri promiſerat, impleuit in filio. Quæ res & fidelitatem probauit ſecundum hiſtoriam in viro, & ſacramenta iuxta allegoriam oſtendit in facto. Sæpe enim dictum eſt, Dauid perſonam Chriſti figurare, nec non & in ſuperioribus commemoratum eſt, Ionathan, qui interpretatur, *columba donum*, vel *Domini donum*, typum tenere gratiæ Spiritus ſancti. Habuit ergo Ionathan filium paruulum, nomine Miphiboſeth, vtroque pede claudum, vt Scriptura teſtatur. Quem Dauid ad ſe accerſiri iuſſit: cum prædeſtinatio & præſcientia Dei eum, quem ad ſeculi miniſteria & mundana negotia exercenda ſermone & actione debilem conſpicit, ad diuinum miniſterium elegit: quia quem mundus per faſtum elationis ſpernit, hunc Deus propter deuotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboſeth, *de ore ignominia*. Is ergo, cuius loquelam & præſentiam ſuperbia mundi deſpicit, Dei dono vtilis ad ſpirituale miniſterium in Eccleſia apparebit. Quid eſt ergo, quod Dauid Sibam, ſeruum Saul, de ſtirpe Saul quæſitans, eo reuelante Miphiboſeth inuenit, niſi quod Redemptor noſter electorum numerum diſcutiendo inter eos, qui contempti mundum reliquerunt, ad ſe venire fecit? Siba enim, *egreſſus venit*, interpretatur. Interrogatus ergo Siba à Rege, Miphiboſeth filiũ Ionathæ in domo Machir filii Ammiel in Lodabar eſſe reſpondit.

G

Quæ res præſenti expoſitioni bene conuenit. Interpretatur enim Machir, *vendens*, vel *de infirmitate*: Ammiel, *populus eius Deus*: Lodabar, *ipſe verbum*. Denique Dauid *1. Cor. 1.* noſter contemptibiles huius mundi, & ea, quæ non ſunt, eligens, vt ea, quæ ſunt, deſtruat: eos vendibiles mundo, & in infirmitate conſtitutos, reperiendo populo ſuo dignos, verbo prædicationis adſciuit, eiſque regium honorem inter filios habere conceſſit. Vnde & Dauid agros Saul & ſeruitia Miphiboſeth donans, ipſum Miphiboſeth conuiuam ſuum ſuper menſam ſuam ſimul cum filiis eſſe præcepit.

Quia Mediatoris noſtri gratia, quæ, ſecundum Mariæ vocem, *Luc. 1.* *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*: &, iuxta Prophetiam Annæ, H *1. Reg. 2.* *ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*: contemptibiles perſonas de mundo auferens, poſſeſſores virtutum efficit, & ſcientia ſpirituali ſuper menſam Scripturarum ſanctarum quotidie ſecum reficit. Vnde euenit, vt tales ſobolem gignant, quæ interpretatur Micha. *Micha* enim, *quis eſt iſte*, Latine reſonat: quia frequenter in ammirationem populi tales veniunt, qui nuper de deſpectu mundi ablati glorioſi in Eccleſia Dei dono apparebunt.

Digitized by Google

A feſtatione declarato, adhuc mirabili cæcitate alium ſperare ſe dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone in eo, quod templum ædificauit, & pacem habuit ſecundum nomen ſuum. Salomon quippe, *pacificus*, eſt Latine. Et in exordio regni ſui mirabiliter laudabilis fuit. Sed eadem ſua perſona per vmbram futuri prænunciabat, etiam ipſe Chriſtum Dominum non exhibebat. Vt de quædam de illo ita ſcripta ſunt, quaſi de ipſo illa prædicta ſint, cum Scriptura ſancta etiam de rebus geſtis Prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros diuinæ hiſtoriæ, vbi regnaſſe narratur, Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis eius inſcriptus eſt, in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non poſſunt, Domino autem Chriſto aptiſsima perſpicuitate conueniunt, vt euidenter appareat, quod in illo qualiſcunque adumbrata ſit: in iſto autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim, quibus terminis regnum concluſum fuerat Salomonis: & tamen in eo Pſalmo legitur, vt alia taceam: *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ*: quod in Chriſto vi-

B demus impleri. A flumine quippe dominandi ſumpſit exordium: vbi Baptizatus à Ioanne, eodem monſtrante, cœpit agnoſci à diſcipulis, qui non ſolum magiſtrum, Verum etiam Dominum appellauerunt. Nec ob aliud viuente adhuc patre ſuo Dauid, regnare Salomon cœpit, (quod nulli Regum illorum contigit) niſi vt huic quoq; ſatis eluceat, non eſſe ipſum, quem Prophetia iſta præſignat, quæ ad eius patrem loquitur, dicens: *Et erit, cum repleti fuerint dies tui & dormies cum patribus tuis, & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum illius.*

Quomodo ergo propter id quod ſequitur: *Hic ædificabit mihi domum*: iſte Salomon putabitur prophetatus, & non potius propter id, quod præcedit: *Cum repleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te*: alius pacificus intelligitur eſſe promiſſus, qui non ante, ſicut iſte, ſed poſt mortem Dauid prænunciatus eſt ſuſcitandus? Quamlibet enim longo interpoſito tempore

C Chriſtus Ieſus veniret: procul dubio poſt mortem Regis Dauid, cui ſic eſt promiſſus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de lignis & lapidibus, ſed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apoſtolus, hoc eſt, fidelibus Chriſti:

1.Cor. 3. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Benedictio Domini quippe in ſemine Dauid, non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit: ſed in æternum ſperanda eſt, in qua certiſsima ſpe dicitur: *Fiat fiat*, ſicut in Pſalmo octogeſimo octauo ſcriptum in fine eſt: *Benedictus*, inquit, *Dominus in æternum. Fiat fiat.* Illius enim ſpei eſt confirmatio, verbi huius iteratio. Hoc ergo intelligens Dauid ait in ſecundo Regnorum libro:

Et locutus es pro domo ſerui tui in longinquum.

Ideo autem poſt paululum ait:

Nunc incipe, & Benedic domum ſerui tui vſque in æternum, &c.

Quia tunc geniturus erat filium: ex quo progenies eius duceretur ad Chriſtum: per quem futura erat domus eius æterna, eademque domus Dei. Domus enim

D Dauid propter genus Dauid. Domus autem Dei eadem ipſa propter templum Dei, de hominibus factum, non de lapidibus, vbi habitet in æternum populus cum Deo, & in Deo ſuo & Deus cum populo, & in populo ſuo: ita vt Deus ſit implens populum ſuum & populus plenus Deo

1.Cor. 15. ſuo *& Deus erit omnia in omnibus.* Ipſe in pace præmium: qui virtus in bello. Ideo cum ſecundum ſeptuaginta in verbis Nathan dictum ſit: *Et nunciabit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipſi*: poſtea dictum eſt verbis Dauid: *Quoniam tu Dominus omnipotens Deus Iſrael, reuelaſti autem ſeruo tuo, dicens: domum ædificabo tibi.* Hanc enim domum & nos ædificabimus bene viuendo: & Deo, vt bene vi-

Pſal. 126. uamus, opitulando; quia *niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant ædificantes eam.* Cuius domus cum venerit vltima dedicatio, tunc fiet illud, quod hic per Nathan locutus eſt Deus, dicens:

E *Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum: & non ſollicitus erit vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à diebus quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.*

Hoc tam magnum bonum quiſquis in hoc ſeculo & in hac terra ſperat: inſipienter ſapit. An te quiſpiam putabit in pace Salomonis id eſſe completum. Pacem quippe illam Scriptura in vmbra futuri excellenti prædicatione commendat. Cui ſuſpicioni vigilanter occurſum eſt, cum poſteaquam dictum eſt: *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum*: continuo ſubiunctum eſt: *Sicut ab initio à diebus, quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael.* Iudices namque prius, quam Reges ibi eſſe cœperunt, ſuper illum populum fuerant conſtituti: ex quo terram promiſsionis accepit. Et vtique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc eſt, hoſtis alienigena per interualla temporum, quibus leguntur paces alternaſſe cum bellis, & inueniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit, qui quadraginta regnauit annos. Nam ſub

Iud. 3. F eo iudice, qui eſt appellatus Ahod, octoginta anni pacis fuerunt. Abſit ergo, vt Salomonis tempora in hac promiſsione promiſſa eſſe credantur: multo minus itaque cuiuslibet Regis alterius. Non enim quiſquam eorum in tanta, quanta ille, pace regnauit: nec vnquam omnino gens illa ita Regnum tenuit, vt ſollicita non fuerit, ne hoſtibus ſubderetur, quia in tanta mutabilitate rerum, nulli aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas, vt huic vitæ hoſtiles non formidaret incurſus. Locus ergo, qui promittitur tam pacatæ ac ſecuræ habitationis, æternus eſt, æterniſque debetur, in matre Ieruſalem libera, vbi erit veraciter populus Iſrael. Hoc enim nomen interpretatur, *videns Deum*. Cuius præmii deſiderio pia per fidem vita in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda.

Ingreſſus eſt itaque Rex Dauid, & ſedit coram Domino, & dixit: *Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc vſque? Sed & hoc parum eſt viſum in conſpectu tuo, Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum. Iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.*

Hebr. G Iſta eſt lex Adam, Domine Deus, hoc eſt, lex hominis eſt Domine Deus, vt tibi in ſimplicitate cordis, & puritate ſeruiat, & tu facias ei iuxta miſericordiam tuam, ſicut mihi dignatus es facere ſeruo tuo. Sequitur:

Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu enim ſcis ſeruum tuum, Domine Deus. Propter verbum tuum, & ſecundum cor tuum feciſti omnia magnalia hæc.

Propter verbum tuum, quod promiſiſti Abraham, Iſaac & Iacob feciſti omnia hæc mihi ſeruo tuo. Quod dicit, *ſecundum cor tuum*: intelligitur, ſecundum miſericordiam tuam.

Quia non eſt ſimilis tui, neque enim eſt Deus extra te in omnibus, quæ audiuimus auribus noſtris.

Non eſt, inquit, Deus ſimilis tui, qui fecerit magnalia quæ audiuimus auribus noſtris.

A facie populi tui: quem redemiſti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius.

Hebræus habet: *Gentibus & Diis earum.* Et eſt ſenſus: A facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Ægypto, de manu ſcilicet Ægyptiorum quos in mari rubro peremiſti: &

H de Diis eorum, in quibus iudicia feciſti.

Quia tu, Domine exercituum, Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: Domum ædificabo tibi. Propter hoc inuenit ſeruus tuus cor ſuum: vt oraret te oratione, &c.

Aurem eius Dominus per Prophetam reuelauerat, ſe illi domum ædificaturum: idcirco Dauid inueniſſe ſe dicit cor ſuum, id eſt, inuenit audaciam in corde ſuo, vt oraret eum oratione hac.

CAPVT VIII.

IX. F*ACTVM eſt autem poſt hæc, percuſſit Dauid Philiſtiim, & humiliauit eos: & tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſtiim*, &c.

Frænum tributi quinque erant ciuitates Philiſtinorum:

A

rum: quæ frequenter Iſrael ſibi tributarium faciebant, quas eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque ſibi tributarios. Vnde & in Paralypomenon legitur: *Percuſſit Dauid Philiſthiim, & humiliauit eos: & tulit Geth & filias eius de manu eorum.*

1. Par. 18.

Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ. Menſus eſt autem duos funiculos: Vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo, &c.

Quod ſcriptum eſt de Dauid: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ:* Hiperbolice debet accipi. Non enim fieri poterat, vt homines in terra viuentes in tantum humiliarentur, donec ipſius terræ dorſo, funiculo ſuperextenſo comprobante, apparerent æquales: ſed immenſam humiliationem captæ & expreſſæ gentis voluit Scriptura hoc verbo accumulare, vt diceret coæquatis eos terræ. Quaſi adeo eſſent euirati atque contempti, vt in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea, quæ nullos haberet homines, poſſent valere. Cuiuſmodi locutionis plura habes exempla in Scripturis.

B

Ioan 21.

Quale illud Euangelii: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quaſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Quomodo enim caperet mundus libros, qui ſcribi potuiſſent in mundo? Sed ad inſinuandam magnitudinem ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit vti Scriptura. Et in planctu Dauid: *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Cui ſimillimum eſt illud & ſecularium litterarum:

2. Reg. 1.

Virgil. Æneid 12.

Qui candore niues anteirent curſibus auras.

Quod autem menſos eos funiculo dixit: funiculum allegorice pro ſorte poſuit: ex quod funiculo ſoleant agrorum ſpacia metiri. Vnde ſcriptum eſt: *Et ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Significat autem, quod tam libera diſpoſitione Dauid regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, diuideret: quam ſi poſſeſſor quilibet agros proprios ad nutum ſuum ducto hinc inde funiculo dirimeret. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendũ & vnum ad viuificandũ.* Et hoc allegorice dictum ſignificans, quod in ſua Dauid poteſtate habuerit, nullo vtiq; contradicente: quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis.

Pſal 77.

C

Quod autem Dauid Moab, qui interpretatur *de patre*, & Syriam Damaſci & cæteras regiones ditioni ſuæ ſubiugans, fecit tributarias eſſe: myſtice ſignificat, quod Chriſtus omnes gentes ſub ſua dominatione tenens, facit penſum ſeruitutis reddere, dum ſingulæ quæque nationes in nominis eius confeſſione adunatæ, deuotæ ſenſum bonorum operum illi exſoluunt. Damaſcus enim nobilis eſt vrbs Phenicis eodem vocabulo, quo & Maſec ancillæ Abraham filius appellatus eſt: & Damaſcus interpretatur, *ſanguinis poculum*: Siria vero interpretatur, *ſublimis* ſiue *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine, ſuperba Spiritu, ſanguinem humanum inexplicabiliter ſitiebat: nunc mundata Baptiſmate Chriſti, ſublimis profectu virtutum, ſanguinis eius poculum deſiderat percipere. Quid autem ſignificat, quod Dauid vaſa aurea & argentea atque ærea quæ tulerat de vniuerſis gentibus ſanctificauit Domino, niſi quod Chriſtus omnes, quos de vniuerſis gentibus conuocat ad fidem ſuam, alios auri loco, hoc eſt, ſenſu ſpirituali præclaros, alios argenti, hoc eſt, eloquentiæ nitore ſplendentes, alios vero prædicatione diuina ſonoros ſignificat Domino, vt in tabernaculo fideliter deſeruientes, ipſius miniſterio in æternum decentiſſime perfungantur.

D

Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur, capta Syria in valle Salinarum cæſis decem & octo millibus, & cætera.

Heb.

Feciſſe ſibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus, erexit ſibi fornicem triumphalem. Fecit etiam ſibi nomen, quia victa Syria Damaſci, & Syria Soba; erexiſſe ſibi dicitur alteram fornicem triumphalem. Et ſi quem mouet, quod in pleriſque latinorũ codicibus inuenitur, Dauid nõ decem & octo millia in valle Salinarum, ſed duodecim millia cæcidiſſe: nouerit hoc vitio Scriptorum in eiſdem codicibus molitum eſſe. Veraciter tamen Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo millia cæcidit, Ioab vero duodecim millia, ſicut in titulo quinquageſimi octaui Pſalmi ſcribitur.

B

Quid in percuſſa à Dauid multitudine in valle Salinarum deſignatur, niſi quia Redemptor noſter ſui examinis diſtrictione, in his, qui de illo praua ſentiunt, ſtultitiam immoderati ſoporis extinguit? Vnde & per quendam ſapientem dicitur: *Cor durum male habebit in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.*

Eccl. 3.

Filij autem Dauid ſacerdotes erant.

Capvt IX.

Et dixit Dauid: Putaſne, eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan? Erat autem de domo Saul ſeruus, nomine Siba. Quem cum vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? Et ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus. Et ait Rex: Nunquid fuperest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei: Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathan, debilis pedibus.

F

1. Reg 20.

Ecce Dauid non oblitus iuramenti ac fœderis ſui, quod cum Ionatha olim pepigerat: ſed miſericordiam, patri promiſerat, impleuit in filio. Quæ res & fidelitatem probauit ſecundum hiſtoriam in viro, & ſacramenta iuxta allegoriam oſtendit in facto. Sœpe enim dictum eſt, Dauid perſonam Chriſti figurare, nec non & in ſuperioribus commemoratum eſt, Ionathan, qui interpretatur, *columba donum*, vel *Domini donum*, typum tenere gratiæ Spiritus ſancti. Habuit ergo Ionathan filium paruulum, nomine Miphiboſeth, vtroque pede claudum, vt Scriptura teſtatur. Quem Dauid ad ſe accerſiri iuſſit: cum prædeſtinatio & præſcientia Dei eum, quem ad ſeculi miniſteria & mundana negotia exercenda ſermone & actione debilem conſpicit, ad diuinum miniſterium elegit: quia quem mundus per faſtum elationis ſpernit, hunc Deus propter deuotionem humilitatis adquirit. Interpretatur enim Miphiboſeth, *de ore ignominia*. Is ergo, cuius loquelam & præſentiam ſuperbia mundi deſpicit, Dei dono vtilis ad ſpirituale miniſterium in Eccleſia apparebit. Quid eſt ergo, quod Dauid Sibam, ſeruum Saul, de ſtirpe Saul quæſitans, eo reuelante Miphiboſeth inuenit, niſi quod Redemptor noſter electorum numerum diſcutiendo inter eos, qui contempti mundum reliquerunt, ad ſe venire fecit? Siba enim, *egreſſus venit*, interpretatur. Interrogatus ergo Siba à Rege, Miphiboſeth filiũ Ionathæ in domo Machir filii Ammiel in Lodabar eſſe reſpondit.

G

Quæ res præſenti expoſitioni bene conuenit. Interpretatur enim Machir, *vendens*, vel *de infirmitate*: Ammiel, *populus eius Deus*: Lodabar, *ipſe verbum*. Denique Dauid noſter contemptibiles huius mundi, & ea, quæ non ſunt, eligens, vt ea, quæ ſunt, deſtruat: eos vendibiles mundo, & in infirmitate conſtitutos, reperiendo populo ſuo dignos, verbo prædicationis adſciuit, eiſque regium honorem inter filios habere conceſſit. Vnde & Dauid agros Saul & ſeruitia Miphiboſeth donans, ipſum Miphiboſeth conuiuam ſuum ſuper menſam ſuam ſimul cum filiis eſſe præcepit.

1 Cor. 1.

Quia Mediatoris noſtri gratia, quæ, ſecundum Mariæ vocem, *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*: &, iuxta Prophetiam Annæ, *ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*: contemptibiles perſonas de mundo auferens, poſſeſſores virtutum efficit, & ſcientia ſpirituali ſuper menſam Scripturarum ſanctarum quotidie ſecum reficit. Vnde euenit, vt tales ſobolem gignant, quæ interpretatur Micha. *Micha* enim, *quis eſt iſte*, Latine reſonat: quia frequenter in ammirationem populi tales veniunt, qui nuper de deſpectu mundi ablati glorioſi in Eccleſia Dei dono apparebunt.

Luc. 1.

H

1. Reg. 2.

mum gratiæ, præparatam demonſtrat, percuſſio Oza nuncupatur: videlicet, *quia illorum delicto ſalus contigit gentibus.* [Rom. 11.] Obededom namque, qui interpretatur, *ſeruiens homo*, homo eſt vtiq; , de quo Dominus ad Patrem: *Conſtitues*, inquit, *me in caput gentium.* [Pſal. 17.] *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi:* vbi & Iudæorum abiectionem, quaſi Ozæ mortem promittens ait: *Eripies me de contradictionibus populi.* [Ibid.] Nomen quoque vrbis congruit. *Geth* enim interpretatur, *torcular:* ſignificans crucem, in qua *vitis vera* calcari & exprimi dignata eſt: [Ioan. 15.] à qua cunctus gentium populus merito *Gethæus* appellari poteſt, cum dicit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* [Galat. 6.]

Tres autem menſes, quibus Ibidem arca demoratur, Fides, Spes, & charitas eſt. Sicut enim diebus adimpletur menſis: ita ſingulæ virtutes ſuis quæque paſſibus ad perfectionem perueniunt. Hi menſes, quouſque plenitudo gentium intret, currere non ceſſant. Tandem rediens Dauid arcam in ciuitatem Dauid inducet: quia Dominus, Enoch & Helia prædicantibus, conuertet corda patrum in filios. [Luc. 1.]

Boues & arietes immolant.

Hoc eſt, eos, qui aream Domini triturant, & ouium eius ducatum gerunt, martyrii ſanguine coronans, & ipſe quoque ſuæ incarnationis, & paſſionis exemplum, eatenus Iudæis non creditum, palam manifeſtans. Hoc enim ſignificat, quod & ipſe Dauid accinctus erat Ephod lineo. Nam linum, quod de terra procreatum multiplici labore ad candorem veſtis peruenit, veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis oſtendit. Verum cunctis exultantibus, & ad arcem cœleſtis introitus hymnos reſonantibus, ſola Michol filia Saul arcam ducentibus abeſt. Quin etiam è ſpeculis Dauid humiliatum deſpicit: quia, credentibus in mundi fine Iudæis, erunt nonnulli, qui Chriſtum tantum profeſſione, ſed opere ſequentur Antichriſtum. Quibus merito congruit, quod eadem Michol, quæ ob figurandam inſtabilitatem carnalium, *aqua* omnis, interpretatur, non vxor Dauid, ſed filia Saul appellatur, quia Chriſto fidetenus ſeruiunt, non illius regno coronandi, ſed perſecutorum eius, quos imitauere, ſunt anathemate damnandi. Verum praui ſuccenſeant, humilitatem Eccleſiæ contemnant: nihilominus arca Domini ſuum locum ingreditur.

Ponitur in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid.

Id eſt, fides Eccleſiæ prædicatur, proficit, inſeritur cordibus omnium, quos Dominus ad vitam præordinauerat æternam. [Actor. 13.] Offert Dauid holocauſta & pacifica coram *Domino*, id eſt, fidem, deuotionemque Eccleſiæ commendat Patri Chriſtus, *qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, qui in exemplum Dauid fideles humileſque benedicens ſalutaris myſterii paſcit alimentis. [Rom. 8.] *Partitus ſingulis collyridam panis vnam*, illius vtique, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam huic mundo. *Et aſſaturam bubulæ carnis vnam*, illius ſcilicet vituli ſaginati, qui pro reuertente ad patrem filio iuniore mactatus, [Luc. 15.] & igne paſſionis aſſatus eſt, dicens: *Exaruit, velut teſta virtus mea. Et ſimilam frixam oleo*: [Pſal. 21.] carnem videlicet a peccati labe mundiſſimam, ſed * ſed ob humanæ ſalutis cauſas vberrimam delectationibus crucis ſartagine toſtam. [* Ob humanæ ſalutis vberrimam delectionem crucis, &c.] Et merito vna panis collyrida, vna carnis aſſatura datur: quia *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium.* [Epheſ. 4.] Aliter hæc munera fideles accipiunt: quando *vnus panis, & vnum corpus multi ſumus* in Chriſto, [1. Cor. 10.] & ſuæ carnis ſinguli laſciuiam caſtigantes ac ſeruituti ſubiicientes, ſancti Spiritus igne decoquunt: nec non & fructus operum bonorum miſericordiæ pinguiſſimos compaſſione proximi feruere faciunt. At contra filia Saul fruſtra cubiculum Regis ingreſſa, nullos concepti ſeminis fructus dat: quia qui verbum Dei auretenus percipiunt, abſque boni operis prole diem perpetuæ mortis expectant. [Gregor.] Sæpe quia intelligi non valent, deterioribus diſplicent vel facta, vel dicta meliorum. Sed eo ab eis non temere reprehendenda ſunt, quo apprehendi veraciter nequaquam poſſunt. Sæpe aliquid à maioribus diſpenſatorie agitur: quod à minoribus error putatur. Sæpe multa à fortibus dicuntur: quæ idcirco infirmi diiudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa teſtamenti arca ſignificat. Quam quia caſuram credens Leuites erigere voluit, mox ſententiam mortis accepit. Quid namque eſt mens iuſti, niſi arca teſtamenti? Quæ geſtata bobus calcitrantibus inclinatur. Quia nonnunquam etiam qui bene præeſt, dum ſubiectorum populorum confeſſione concutitur, ad diſpenſationis condeſcenſionem ex ſola delectatione permouetur. Sed in hoc, quod diſpenſatione agitur, inclinatio ipſa fortitudinis caſus putatur imperitis.

Vnde & nonnulli ſubditi contra hanc manum reprehenſionis mittunt, ſed à vita protinus ipſa ſua temeritate deficiunt. Leuites ergo, quaſi adiuuans, manum tetendit, ſed delinquens vitam perdidit: quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipſi à viuentium ſorte reprobantur. Aliquando etiam ſancti viri quædam minimis condeſcendentes dicunt, quædam vero ſumma contemplantes, proferunt. Dumque vim vel condeſcenſionis, vel altitudinis neſciunt: audaciter hæc ſtulti reprehendunt. Et quid eſt, iuſtum de ſua condeſcenſione velle corrigere, niſi inclinatam arcam ſuperba reprehenſionis manu releuare? Quid eſt iuſtum de incognita locutione reprehendere, niſi motus eius fortitudinem, erroris lapſum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumide ſubleuat; quia nequaquam quis ſanctorum corrigere recta præſumeret, niſi de ſe prius meliora ſenſiſſet. Vnde & Leuites idem recte Oza dicitur: quod videlicet, *robuſtus Domini*, interpretatur. Quia præſumptores quique, niſi audaci mente robuſtos ſe in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma, iudicarent.

Ingreſſa Michol filia Saul, in occurſum Dauid ait: Quam glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, &c.

Quod Dauid dum arcam Domini Ieruſalem ſaltando reduceret, à Michol, filia Saul, vxore ſua, irriſus eſt, intueri libet, quanta virtutum munera Dauid ipſe perceperat, atque in his omnibus quam fortem ſe humilitate ſeruabat. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, vrſorum brachia diſſipare, deſpectis pluribus fratribus eligi, reprobato Rege ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis, vno lapide Goliath ſternere, A Rege propoſita, extinctis Allophylis, numeroſa præputia reportare, promiſſum tandem regnum percipere, cunctumque Iſraeliticum populum ſine vlla contradictione poſſidere? Et tamen cum arcam Dei Ieruſalem reuocat: quaſi oblitus, prælatum ſe omnibus, adiunctus populis ante arcam ſaltat.

Et quia coram arca ſaltare (vt creditur) vulgi mos fuerat: Rex ſe in diuino obſequio per ſaltatum rotat. Ecce quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, ſe quoque ſub Domino, & exæquando minimis, & abiectè exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit debilia vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia.

Quid de eius factis ab aliis ſentiatur, ignoro. Ego Dauid ſaltantem plus ſtupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hoſtem ſubdidit, ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore Regii generis inſana, cum humilitatem deſpiceret dicens: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris:* protinus audiuit: *Ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum.* Ac paulo poſt: *Ludam & vilior fiam pluſquam factus ſum, eroque humilis in oculis meis.* Ac ſi aperte dicat: Vileſcere coram hominibus appeto: quia ſeruare mihi coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli,

Digitized by Google

A qui de ſemetipſis humilia ſentiunt, qui in honoribus poſiti nihil ſe eſſe, niſi puluerem fauillamq; perpendunt: ſed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, & contra hoc, quod de ſe interius cogitant, quaſi rigida exterius venuſtate pallianeur. Et ſunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne, quod ſunt, deiectos ſe exhibendo, contemnunt: ſed tamen apud ſe introrſus, quaſi ex ipſo merito oſtenſæ vtilitatis, intumeſcunt, & tanto magis in corde elati ſunt, quanto amplius in ſpecie elationem premunt. Quæ vtraque vnius elationis bella, magna Dauid circumſpectione depræhendit: mira virtute ſuperauit. Quia enim de ſemetipſo intus humilia ſentiens, honorem exterius non quærit, inſinuat dicens: *Ludam & vilior fiam.* Et quia per hoc, quod vilem ſe exterius præbuit, nequaquam interius intumeſcit: adiungit: *Eroque humilis in oculis meis.* Ac ſi aperte dicat: Qualem me exterius deſpiciens exhibeo, talem me interius attendo. Quid ergo acturi ſunt, quos doctrina eleuat, ſi Dauid ex carne ſua venturum Redemptorem
B mouerat, eiuſque gaudia prophetando nunciabat? & tamen in ſemetipſo ceruicem cordis valida deſpectionis calce deprimebat dicens: *Eroque humilis in oculis meis.*

Capvt VII.

VIII. F*ACTVM eſt autem cum ſediſſet Rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis dixit ad Nathan Prophetam: Videſne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne, quod eſt in corde tuo, vade fac quia Dominus tecum eſt. Factum eſt autem in nocte illa, ecce ſermo Domini ad Nathan, dicens: Vade & loquere ad ſeruum meum Dauid. Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitaui in domo ex die qua eduxi filios Iſrael de terra Ægypti, vſque in diem hanc, ſed ambulabam in tabernaculo & in tentorio per cuncta loca, quæ tranſiui cum omnibus filiis Iſrael.* &c.

Quod Propheta interrogatus à Rege reſpondit: *Omne, quod eſt in corde tuo, vade fac*: & poſtea à Domino admonitus eadem prohibuit, quæ ante conceſſit: patet profecto,
C quod Prophetiæ Spiritus Prophetarum mentes non ſemper irradiat, quia, ſicut de Spiritu ſancto ſcriptum eſt: *vbi vult, ſpirat.* Hinc eſt enim, quod Heliſæus cum mulierem flentem cerneret cauſamque neſciſſet, ad prohibentem hanc puerum dixit: *Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me: & non indicauit mihi.* Quod omnipotens Deus ex magna pietatis diſpenſatione diſponit: quia dum Prophetiæ Spiritum aliquando dat, & aliquando ſubtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celſitudine, & cuſtodit in humilitate: vt & accipientes Spiritum, inueniant, quod de Deo ſint, & rurſum Prophetiæ Spiritum non habentes cognoſcant, quid ſint de ſemetipſis. Quod autem Dauid prohibitus eſt domum Dei ædificare, quia vir ſanguinum eſſet: innuitur moraliter, quod mundus in ſe eſſe à vitiis debet, qui curat aliena corrigere. Vt terrena non cogitet, vt deſideriis infimis non ſuccumbat, quatenus in tanto perſpicacius aliis fugienda videat, quanto hæc ipſe per ſcientiam & vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in mem-
D bro conſiderat oculus, quem puluis grauat. Et ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Quoad antiquæ translationis ſeriem: bene ad Dauid erga exteriora bella laborantem per ſignificationem diuina vox innuit cum dicit: *Non tu ædificabis mihi templum: quia vir ſanguinum es.* Dei templum ædificat, qui corrigendis inſtitutis proximorum mentibus vacat. Templum Dei quippe nos ſumus: quia ad veram vitam ex eius inhabitatione conſtruimur, Paulo atteſtante qui ait: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sed vir ſanguinum templum Dei ædificare prohibetur, quia qui adhuc actibus carnalibus incubat: neceſſe eſt, vt inſtituere ſpiritualiter proximorum mentes erubeſcat. *Per cuncta*, inquit, *loca, quæ tranſiui cum omnibus filiis Iſrael.* Hæc loca, per quæ ſe tranſiſſe Dominus dicit, intelligenda ſunt Sylo, Galgalo

Ioan. 3.
4. Reg. 4.
1. Cor. 3.
Hebr.

E & Nobe, & cætera loca, vbi tabernaculum, & arca Domini collocata ſunt. *Nunquid loquens locutus ſum alicui iudici de tribubus Iſrael, cui præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael: Quare non ædificaſti mihi domum cedrinam.* Idcirco à nullo iudicum ſibi ædificari domum cedrinam iuſſit: quia ab omnibus contra hoſtes pugnatum fuit, & omnes effuſores fuerunt ſanguinum. Filius tamen tuus cui non inſtabunt bella hoſtium, & qui non erit vir ſanguinum, ipſe ædificabit mihi domum.

Et nunc hæc dices ſeruo meo David. Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges.

Et poſt pauca: *Fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.*

Feci, inquit, *tibi Dominus nomen grande*, id eſt, ſicut feci Abraham, Iſaac, & Iacob, & Moyſi, & Ioſue, quorum nomina famoſiſſima ſunt in terra. *Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo.* Hoc in loco tempus Salomonis ſermo deſcribit diuinus, quo filii Iſrael pacem eſſent habituri per circuitum, & non eſſent
F affligendi & opprimendi, ſicut tempore Iudicum fuerant oppreſſi & afflicti. *Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum: & in plagis filiorum hominum*, & cætera.

Virgam virorum gladium vocat inimicorum. Plagæ vero filiorum hominum ſunt incommoditates corporum humanorum, quibus pro peccatis ſuis à Domino merito homines flagellantur. Hæc ſecundum hiſtoriam dicta, ita ſentiri poſſunt. Cæterum quid ſecundum allegoriam inſinuent, altius perſcrutandum eſt. Cum ergo Regi Dauid multa proſpera prouenissent: cogitauit facere Domino domum. Templum illud ſcilicet excellentiſſime diffamatum, quod à Rege Salomone filio eius poſtea fabricatum eſt. Hoc eo cogitante, factum eſt verbum Domini ad Nathan Prophetam, quod perferret ad Regem: vbi cum dixiſſet Deus, quod non ab ipſo Dauid ſibi ædificaretur domus, neque per tantum tempus commandaſſet cuiquam in populo ſuo vt ſibi faceret domum cedrinam: *Et nunc*, inquit, *hæc dices ſeruo meo David. Hæc di-*
G *cit Dominus omnipotens: Accepi te de ouili ouium, vt eſſes in ducem ſuper populum meum Iſrael: & eram tecum in omnibus, quibus ingrediebaris: & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua, & feci te nominatum ſecundum nomen magnorum, qui ſunt ſuper terram. Et ponam locum populo meo Iſrael & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum: & non ſollicitus erit vltra & non apponet filius iniquitatis humiliare eum ſicut ab initio à diebus, quibus conſtitui iudices ſuper populum meum Iſrael, & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, & nunciabit tibi Dominus, quoniam domum ædificabis ipſi. Et erit, cum repleti fuerint dies tui & dormies cum patribus tuis: ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum eius. Hic ædificabit domum nomini meo, & dirigam thronum illius vſque in æternum. Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium. Et cum venerit iniquitas eius redarguam illum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Miſericordiam autem meam non amouebo ab eo, ſicut moui à quibuſdam, quos amoui à facie mea. Et fidelis erit domus eius, & regnum eius vſque in æternum coram me: & thronus eius erit erectus in æternum.*

Hanc tam grandem promiſſionem qui putat in Salomone fuiſſe completam, multum errat. Attendit enim, quod dictum eſt: *Hic ædificabit mihi domum*: quoniam Sa-
H lomon templum illud nobile ſtruxit: & non attendit, quod dicit: *Fidelis erit domus eius & regnum eius vſque in æternum coram me.* Attendat ergo & aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus deos falſos, & ipſum ab eis Regem aliquando ſapientem in eandem idololatriam ſeductum atque deiectum, & non audeat exiſtimare, Deum vel hoc promiſiſſe mendaciter, vel talem Salomonis domum eum futuram non potuiſſe præſcire. Non hinc debemus amplius ambigere, cum in Chriſto Domino noſtro, *qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, iam viderimus iſta compleri, ne vane atque inaniter hic alium aliquem requiramus ſicut inanes Iudæi. Nam & ipſi vſque adeo filium, quem loco iſto Regi Dauid promiſſum legant, intelligunt non fuiſſe Salomonem: vt eo, qui promiſſus eſt, tanta iam mani-

Auguſt.
Rom. 1.

A rum: quæ frequenter Iſrael ſibi tributarium faciebant, quas eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque ſibi tributarios. Vnde & in Paralypomenon legitur: *Percuſſit Dauid Philiſtijm, & humiliauit eas: & tulit Geth & filias eius de manu eorum.* 1. Par. 18.

Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ. Menſus eſt autem duos funiculos: Vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo, &c.

Quod ſcriptum eſt de Dauid: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ:* Hiperbolice debet accipi. Non enim fieri poterat, vt homines in terra viuentes in tantum humiliarentur, donec ipſius terræ dorſo, funiculo ſuperextenſo comprobante, apparerent æquales: ſed immenſam humiliationem captæ & expreſſæ gentis voluit Scriptura hoc verbo accumulare, vt diceret coæquatis eos terræ. Quaſi adeo eſſent euirati atque contempti, vt in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea, quæ nullos haberet homines, poſſent valere. Cuiuſmodi locutionis plura habes exempla in Scripturis.

B Quale illud Euangelii: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Quomodo enim caperet mundus libros, qui ſcribi potuiſſent in mundo? Sed ad inſinuandam magnitudinem ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit vti Scriptura. Et in planctu Dauid: *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Cui ſimillimum eſt illud & ſecularium litterarum: Ioan 21. 2. Reg. 1.

Qui candore niues anteirent curſibus auras. Virgil. Æneid. 12.

Quod autem menſos eos funiculo dixit: funiculum allegorice pro ſorte poſuit: ex quod funiculo ſoleant agrorum ſpacia metiri. Vnde ſcriptum eſt: *Et ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Significat autem, quod tam libera diſpoſitione Dauid regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, diuideret: quam ſi poſſeſſor quilibet agros proprios ad nutum ſuum ducto hincinde funiculo dirimeret. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendū & vnum ad viuificandū.* Et hoc allegorice dictum ſignificans, quod in ſua Dauid poteſtate habuerit, nullo vtiq; contradicente: quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis. Pſal 77.

C Quod autem Dauid Moab, qui interpretatur *de patre*, & Syriam Damaſci & cæteras regiones ditioni ſuæ ſubiugans, fecit tributarias eſſe: myſtice ſignificat, quod Chriſtus omnes gentes ſub ſua dominatione tenens, facit penſum ſeruitutis reddere, dum ſingulæ quæque nationes in nominis eius confeſſione adunatæ, deuotæ ſenſum bonorum operum illi exſoluunt. Damaſcus enim nobilis eſt vrbs Phenicis eodem vocabulo, quo & Maſec ancillæ Abraham filius appellatus eſt: & Damaſcus interpretatur, *ſanguinis poculum*: Siria vero interpretatur, *ſublimis* ſiue *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine, ſuperba Spiritu, ſanguinem humanum inexplicabiliter ſitiebat: nunc mundata Baptiſmate Chriſti, ſublimis profectu virtutum, ſanguinis eius poculum deſiderat percipere. Quid autem ſignificat, quod Dauid vaſa aurea & argentea atque ærea quæ tulerat de vniuerſis gentibus ſanctificauit Domino, niſi quod Chriſtus omnes, quos de vniuerſis gentibus conuocat ad fidem ſuam, alios auri loco, hoc eſt, ſenſu ſpirituali præclaros, alios argenti, hoc eſt, eloquentiæ nitore ſplendentes, alios vero prædicatione diuina ſonoros ſignificat Domino, vt in tabernaculo fideliter deſeruientes, ipſius miniſterio in æternum decentiſſime perfungantur. D

Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur, capta Syria in valle Salinarum cæſis decem & octo millibus, & cætera.

Feciſſe ſibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus, erexit ſibi fornicem triumphalem. Fecit etiam ſibi nomen, quia victa Syria Damaſci, & Syria Soba; erexiſſe ſibi dicitur alteram fornicem triumphalem. Et ſi quem mouet, quod in pleriſque latinorū codicibus inuenitur, Dauid nō decem & octo millia in valle Salinarum, ſed duodecim millia cæcidiſſe: nouerit hoc vitio Scriptorum in eiſdem codicibus molitum eſſe. Veraciter tamen Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo millia cæcidit, Ioab vero duodecim millia, ſicut in titulo quinquageſimi octaui Pſalmi ſcribitur. Quid in percuſſa à Dauid multitudine in valle Salinarum deſignatur, niſi quia Redemptor noſter ſui examinis diſtrictione, in his, qui de illo praua ſentiunt, ſtultitiam immoderati ſoporis extinguit? Vnde & per quendam ſapientem dicitur: *Cor durum male habebit in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.* Hebr. B Eccl. 3.

Filij autem Dauid ſacerdotes erant.

Capvt IX.

Et dixit Dauid: Putaſne, eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionathan? Erat autem de domo Saul ſeruus, nomine Siba. Quem cum vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei: Tune es Siba? Et ille reſpondit: Ego ſum ſeruus tuus. Et ait Rex: Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei: Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathan, debilis pedibus.

F Ecce Dauid non oblitus iuramenti ac fœderis ſui, quod cum Ionatha olim pepigerat: ſed miſericordiam, patri promiſerat, impleuit in filio. Quæ res & fidelitatem probauit ſecundum hiſtoriam in viro, & ſacramenta iuxta allegoriam oſtendit in facto. Sæpe enim dictum eſt, Dauid perſonam Chriſti figurare, nec non & in ſuperioribus commemoratum eſt, Ionathan, qui interpretatur, *columba donum*, vel *Domini donum*, typum tenere gratiæ Spiritus ſancti. Habuit ergo Ionathan filium paruulum, nomine Miphiboſeth, vtroque pede claudum, vt Scriptura teſtatur. Quem Dauid ad ſe accerſiri iuſſit: cum prædeſtinatio & præſcientia *Dei* eum, quem ad ſeculi miniſteria & mundana negotia exercenda ſermone & actione debilem conſpicit, ad diuinum miniſterium elegit: quia quem mundus per faſtum elationis ſpernit, hunc *Deus* propter deuotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Miphiboſeth, *de ore ignominia*. Is ergo, cuius loquelam & præſentiam ſuperbia mundi deſpicit, *Dei* dono vtilis ad ſpirituale miniſterium in Eccleſia apparebit. Quid eſt ergo, quod *Dauid* Sibam, ſeruum Saul, de ſtirpe Saul quæſitans, eo reuelante Miphiboſeth inuenit, niſi quod Redemptor noſter electorum numerum diſcutiendo inter eos, qui contempti mundum reliquerunt, ad ſe venire fecit? Siba enim, *egreſſus venit*, interpretatur. Interrogatus ergo Siba à Rege, Miphiboſeth filiū Ionathæ in domo Machir filii Ammiel in Lodabar eſſe reſpondit. 1. Reg 20. G

Quæ res præſenti expoſitioni bene conuenit. Interpretatur enim Machir, *vendens*. vel *de infirmitate*: Ammiel, *populus eius Deus*: Lodabar, *ipſe verbum*. Denique *Dauid* noſter contemptibiles huius mundi, & ea, quæ non ſunt, eligens, vt ea, quæ ſunt, deſtruat: eos vendibiles mundo, & in infirmitate conſtitutos, reperiendo populo ſuo dignos, verbo prædicationis adſciuit, eiſque regium honorem inter filios habere conceſſit. Vnde & *Dauid* agros Saul & ſeruitia Miphiboſeth donans, ipſum Miphiboſeth conuiuam ſuum ſuper menſam ſuam ſimul cum filiis eſſe præcepit. 1. Cor. 1.

Quia Mediatoris noſtri gratia, quæ, ſecundum Mariæ vocem, *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*: & iuxta Prophetiam Annæ, *ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*: contemptibiles perſonas de mundo auferens, poſſeſſores virtutum efficit, & ſcientia ſpirituali ſuper menſam Scripturarum ſanctarum quotidie ſecum reficit. Vnde euenit, vt tales ſobolem gignant, quæ interpretatur Micha. *Micha* enim, *quis eſt iſte*, Latine reſonat: quia frequenter in ammirationem populi tales veniunt, qui nuper de deſpectu mundi ablati glorioſi in Eccleſia *Dei* dono apparebunt. Luc. 1. H 1. Reg. 2.

A XV.

Capvt X.

F*ACTVM eſt autem poſt hæc, vt moreretur Rex Ammon, & regnaret Ammon filius eius pro eo. Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Ammon filio Naas ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam*, &c.

1. Reg. 22. Quando fugit Dauid à facie Achis Regis Geth, venit ad Naas Regem Ammon, qui fecit cum eo miſericordiam multam, impertiens ei bona. De Naas itaque venit in ſpeluncam Odollam, vbi venerunt ad eum pater eius, & mater, & omnis domus eius. Inde peruenit ad Moab, & dimiſit apud eum patrem & matrem, & omnem domum ſuam. Quod vero dixit Achis Rex Geth: 1. Reg. 21. *Hiccinne ingredietur domum meam*, abiit inde Dauid, & fugit in ſpeluncam Odollam, &c. *Abiit inde*, ſubaudiendum, *de domo Naas*, & inde fugiſſe illum in ſpeluncam Odollam. Si vero quæritur, cur ad eum, id eſt, ad Achis Dauid redierit, ante cuius faciem fugerat? Intelligendus eſt iſte Achis filius fuiſſe illius Achis, à quo fugit B Dauid. Vnde & in ſequentibus Achis, cum quo Dauid in prælium contra Saul deſcendebat, filius fuiſſe dicitur Maoch. Non enim à patre hoc nomen patronymicum ſed à matre ſumpſit, quæ Maacha vocabatur, & idcirco non à patre hoc ſumpſit nomen, eo quod Dauid a ſe abiecerit. Igitur Ammon Rex Ammonitarum. Dauid nuntios male tractans, *raſit dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes medias vſque ad nates, & dimiſit eos. Quod cum nunciatum eſſet Dauid miſit in occurſum eorum. Erant enim viri confuſi turpiter valde, & mandauit eis Dauid dicens: Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & tunc reuertimini*, &c.

Quod autem ſignificant, niſi bellum Diaboli aduerſus Eccleſiam? Ammon enim, qui interpretatur, *dolor eorum*, quis melius intelligi poteſt, quam *Diabolus*? Quia Ammonitarum ſpiritualium, id eſt, malignorum ſpirituum, rector videtur eſſe, populi videlicet mœroris, & ſemper in anguſtia conſtituti, qui comprimere vel coanguſtare homines deſiderat. Radit ergo Ammon barbam dimidiam nunciorum Dauid, cum antiquus hoſtis quo- C rundam prædicatorum verbi Dei ſermonem vel conuerſationem corrumpendo maculat ac dehoneſtat. Præcidit vero tunicas vſque ad inguina, cum turpia facta, quæ ipſe perſuaſerat, in oculis hominum reuelat. Sed neceſſe eſt talibus, quos Diabolus ita confundit, vt ſedeant in Iericho donec creſcant barbæ eorum, id eſt, ſint opprobrium & ignominia meliorum, atque efficiantur anathema omnium, donec per ſtudium bonum barbarum ſpecies, hoc eſt, virtutum incrementa in eis naſcantur, & digni habeantur præſentia Regis ſui. Nec credendum eſt vtique, quod Dauid noſter milites ſuos multos eſſe patiatur, quin hoſtes ſuos exercitu congregato ſuperat ac vindicat iniuriam ſuorum, cum non ſolum aduerſarios ſuos nunc per ſanctorum ſuorum victoriam confundit: ſed etiam in extremo iudicio per iuſtam ſententiam perpetuis ignibus cruciandos tradet.

Factum eſt ergo, vertente anno eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere: miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & cætera.

Hebr. D In Hebræo ita legitur: *Eo tempore, quo Reges ad bella proceſſerant, miſit Dauid Ioab*, &c.

Hos Reges dixit, qui proceſſerunt contra Dauid in pugnam, ſcilicet Regem Roob & Iſtob & Soba, & Maacha, qui vtique Reges Syriæ fuerunt, & pugnare voluerunt: conducti mercede à Rege Moab contra Dauid, à quo triumphati eſſe leguntur.

B XI.

Capvt XI.

C*VM hæc agerentur, accidit, vt ſurgeret Dauid de ſtratu ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus Regiæ. Viditque mulierem ſe lauantem ex aduerſo; ſuper ſolarium ſuum. Erat autem mulier pulchra valde. Miſit ergo Rex, & requiſiuit, quæ eſſet mulier? Nunciatumque eſt ei: quod ipſa eſſet Berſabee, filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi. Miſſiſque Dauid nunciis, tulit eam. Quæ cum ingreſſa eſſet ad illum: dormiuit cum ea. Statimque ſanctificata eſt ab immunditia ſua: & reuerſa eſt domum ſuam, concepto fœtu*, &c. Iſidor.

Nunc & peccatum Dauid, quid in Prophetia ſignauerit, quanta poſſum breuitate perſtringam. Nomina quippe ipſa interpretata, ſatis oſtendunt, quod etiam hoc factum præfigurauerit. Dauid (vt diximus) interpretatur, *manufortis* ſiue *deſiderabilis*. Berſabee interpretatur: *puteus ſatietatis*, ſiue *puteus ſeptimus*. Quamlibet autem hanc nominis eius interpretationem in id, quod dicere intendimus, adſumamus: ſatis congruit. Nam Cant. 4. in Cantico Canticorum ſponſa, quæ illius Eccleſia eſt, F vocatur *puteus aquæ viuæ*: & huic puteo ſeptenarii numeri nomen, Spiritus ſancti ſignificatione coniungitur pro- Act. 2. pter rationem Pentecoſtes, quo die de cœlo miſſus Spiritus ſanctus venit. Ad quadraginta autem nouem, quod eſt ſepties ſeptem, vnum additur: quoniam vni- Ephes. 4. tas commendatur. In hac ratione viuit Apoſtolica illa ſententia: *Sufferentes inuicem ad dilectionem, ſtudentes ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*. Dono itaque ſpirituali, Ioan. 4. hoc eſt, ſeptenario facta eſt Eccleſia puteus ſatietatis: quia factus eſt in ea *fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam, quem qui habuerit non ſitiet in æternum*. Iam vero qui fuerit maritus eius, quid aliud quam diabolum nominis eius in Ephes. 5. interpretatio ſignificat? Huius erant peſſimo coniugio deligati omnes, quos gratia Dei liberat, vt Eccleſia *ſine macula & ruga* Saluatori primo copuletur. Vrias enim interpre- Ioan. 8. tatur, *lux mea Dei*. Ethæus autem *abſciſſus* eſt, ſiue quia *in veritate non ſtetit*: ſed à luce ſua ſuperna, quam de Deo habebat, ſuperbiæ merito abſciſſus eſt, ſiue quia cadendo, 2. Cor. 11. veris viribus perditis, *transfigurat ſe in Angelum lucis*, au- G dens Deo dicere: *lux mea Dei eſt*. Ergo iſte quidem Dauid grauiter ſceleratęque peccauit. Quod ſcelus eius etiam Agg. 2. per Prophetam Deus arguit increpando, & ipſe abluit pœnitendo. Verumtamen ille *deſiderabilis omnibus genti-* Psal. 18. *bus*, quaſi in ſolario deambulans, quia *in ſole poſuit tabernaculum ſuum*, adamauit Eccleſiam ſuper tectum ſe lauantem, id eſt, mundantem ſe à ſordibus ſeculi, & domum luteam ſpirituali contemplatione tranſcendentem atq; calcantem, & inchoata cum illa primæ conuentionis noticia, poſtea habebat penitus ſeparatum diabolum, occidit eum: eamque ſibi perpetuo connubio copulauit. O- 1. Theſſ. 4. derimus ergo peccatum: ſed Prophetiam non extingamus. Amemus illum Dauid, quantum amandus eſt: qui nos à Diabolo per miſericordiam liberauit. Amemus & Greg. pœnitentem iſtum Dauid: qui tam graue in ſe vulnus iniquitatis ex humilitatis confeſſione ſanauit. Ad hoc ergo in Scriptura ſacra virorum talium, id eſt, Dauid & Petri peccata ſunt indita: vt cautela ſit minorum ruina maiorum. Ad hoc vero vtrorumque illic & pœnitentia inſinua- H tur & venia: vt ſpes pereuntium ſit recuperatio perditorũ. De ſtatu ergo ſuo Dauid cadente nemo ſuperbiat, de lapſu etiam ſuo Dauid ſurgente nemo deſperet. Ecce quã mirabiliter Scriptura ſacra eodem verbo humiles leuat. Vnã namq; rem geſtã retulit: & diuerſo modo ſuperbos quidẽ ad humilitatis formidinem humiles vero ad ſpei fiduciam reuocauit. O inæſtimabile noui generis medicamentũ: quod vno eodemq; ordine propoſitũ & premẽdo tumentia exſiccat, & ſubleuando arentia infundit. De maiorum nos lapſu terruit; ſed de reparatione roborauit. Sic quippe ſemper, ſic nos diuinæ diſpẽſationis miſericordia & ſuperbiẽtes reprimit: & ne ad deſperationẽ corruamus, fouet. Sed quia, exigente cauſa, Dauid ad mediũ deducto, tanti facinoris memoriã fecimus: lectoris fortaſſe anim' moueatur: cur omnipotẽs Deus eos, quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque ſpiritalium cul-

men

A menaſſumit, illæſos à corporalibus vitiis non cuſtodit. Vnde quia ſatis fieri citius credimus, breuiter reſpondeamus. Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impenſam gratiam bonorum operum in ſuperbiæ vitium cadunt: ſed tamen quo ceciderint, non agnoſcunt. Proinde contra eos hoſtis antiquus, qui iam interius dominatur, exterius etiam ſubire permittitur, vt qui in cogitatione elati ſunt, per carnis luxuriam proſternantur. Scimus autẽ quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cum minus turpis ſuperbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubeſcunt homines, quia ſimul omnes turpem nouerunt. Vnde fit plerumque vt nonnulli poſt ſuperbiam in luxuriam corruentes ex aperto caſu malum culpæ latentis erubeſcant: & tunc etiam maiora corrigant, cum proſtrati in minimis grauius confunduntur. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe liberos inter grauiora crediderunt. Pia ergo Domini diſpenſatione laxatus nonnunquam malignus
B ſpiritus de culpa ad culpam trahit. Et dum plus percutit, inde eum quem acceperat amittit. Atq; vnde viciſſe cernitur: inde ſuperatur. Conſiderare libet intra munitum gratiæ ſinum, quanto Deus miſericordiæ fauore nos continet. Ecce qui de virtute ſe extollit, per vitium ad humilitatem redit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur: nõ gladio ſed (vt ita dixerim) medicamẽto vulneratur. Quid eſt virtus, niſi medicamentum? Et quid eſt vitium, niſi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus: facit ille de vulnere medicamentum, vt qui virtute percutimur: vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in vſum vitiorũ: ille vitiorum illecebras aſſumit in arcem virtutũ & ſalutis ſtatũ percutit, vt ferueat: vt qui humilitatem curantis fugimus, ei ſaltem cadentes hæreamus. Sed inter hæc ſciendum eſt: quod plerique hominum, quo in multis corruunt, arctius ligantur. Cumque eos antiquus hoſtis ex vno vitio percutit, vt concidant: ex alio quoq; ligat, ne ſurgant. Conſideret itaq; homo, cum quo aduerſario bellum gerat. Et ſi iam ſe in aliquo deliquiſſe perpendit: ſaltem ad culpam pertrahi ex culpa pertimeſcat, vt ſtudioſe vitentur vulnera, quibus frequen-
C ter interficiet: quia valde rarum eſt, quod hoſtis noſter electorum ſaluti etiam vulneribus ſeruiat. Ad erudiendum enim (ſicut diximus) electos ſuos Dominus ſæpe temptatori ſubijcit. Sicut poſt paradiſi clauſtra, poſt ter-
2.Cor.12. tij cœli ſecreta ne reuelationis magnitudine Paulus extolli potuiſſet, ei Satanæ Angelus datus eſt. Sed (vt præfati ſumus) ipſa hac tentatione diſponitur, vt qui elati perire poterant, humiliati à perditione ſeruentur. Secreto ergo diſpenſationis ordine, vnde ſæuire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei. Quia aduerſarius noſter inde obtemperat nutibus ſupernæ gratiæ, vnde exercet iram nequiſſimæ voluntatis ſuæ. Poteſt autem & aliter ſecundum myſticos ſenſus hæc eadem res accipi: ſi quis eam puro intellectu rimare voluerit. Cuius autem Dauid in ſolarium deambulans typum tenet,
Psal.18. niſi eius de quo ſcriptum eſt: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum?* Et quid eſt, Berſabee ad ſe perducere, niſi legem litteræ carnali populo coniunctam ſpiritali ſibi intellectu
D ſociare? Berſabæe enim, *puteus ſeptimus*, dicitur, quia nimirum per cognitionem legis, infuſione ſpiritalis gratiæ, perfecta nobis ſapientia miniſtratur. Quid vero Vrias niſi Iudaicum populum ſignat? Cuius nomen interpretatum, dicitur, *lux mei Dei*. Iudaicus populus quia de accepta legis ſcientia extollitur: quaſi de Dei luce gloriatur. Sed huic Dauid vxorem abſtulit, ſibique coniungit: quia videlicet *manu fortis*, quod *Dauid* dicitur, in carne redemptor apparens, dum de ſe ſpiritaliter loqui legem innotuit: per hoc, quod iuxta litteram tenebatur, hanc Iudaico populo extraneam demonſtrauit, ſibiq; coniunxit, quia ſe per illam prædicare declarauit. Vriam tamen ad domum ire Dauid ammonet, pedes lauare: quia incarnatus Dominus veniens Iudaico populo præcipit, vt ad conſcientiam redeat. & ſordes operum fletibus tergat, vt ſpiritaliter mandata legis intelligat: & poſt tantam duritiam præceptorum fontem baptiſmatis inueniens ad aquam poſt laborem

recurrat. Sed Vrias, qui arcam Domini eſſe ſub pellibus meminit, reſpondit, quod domum ſuam intrare non poſſet. E Ac ſi Iudaicus populus dicat: Ego mandata Dei in ſacrificiis carnalibus video: & redire ad conſcientiam per ſpiritalem intelligentiam non requiro. Quaſi enim arcam eſſe ſub pellibus dicit: quia præcepta Dei non niſi adhibẽdo miniſterium ſacrificij carnalis, intelligit. Hunc tamen Vriam etiam redire ad domum nolentem Dauid ad menſam vocat: quia quamuis Iudaicus populus ad conſciẽtiam reuerti contemnat: tamen Redemptor veniens mandata ſpiritalia prædicat, dicens: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit.* Ioan 5. Legem itaq; Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatẽ loquitur: cui idem populus credere dedignatur. Vnde & Vrias ad Ioab cũ epiſtolis, ex quibus occidi debeat, mittitur: quia idem ipſe Iudaicus populus legem portat, qua conuincente moriatur, dum enim mandata legis retinens implere nititur, ipſe nimirum defert iudicium, vnde damnetur. Quid ergo per factum iſtud Dauid ſceleſtius, quid Vria mundius dici poteſt? Sed rurſum per myſterium quid Dauid ſacratius? F quid Vria infidelius inuenitur, qñ & ille per vitæ culpam prophetiæ ſignat innocentiam, & iſte per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam? Virtus namq; ſacri eloquij, ſic tranſacta narrat, vt ventura exprimat: ſic in facto rem approbat, vt ei in miniſterio contradicat: ſic geſta damnat, vt hæc myſtice gerenda perſuadeat.

CAPVT XII.

POſtquam enim Nathan Propheta increpauerat regem ſuper malo, quod fecerat: (*Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixit Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: nõ morieris*, &c. Si peccatum Dauid tam deteſtabile Dñs tranſtulit, quid eſt, q̃ omnia, quæ de eodem peccato per Prophetam ei à Dño dicta ſunt, poſtmodum tolerauit? Greg. Sed proculdubio Dñs delictum ſine vltione non deſerit. Aut n. ipſe homo in ſe pœnitens punit: aut Deus cum homine vindicãs percutit. Nequaq̃ igitur peccato parcitur: qa nullatenus ſine vindicta laxatur. Si enim Dauid audire poſt confeſſionem meruit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*: & tamen multis poſt cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum culpæ, quam perpetrauerat exſoluit: G ſic nos ſalutis vnda à culpa primi parentis abſoluimur, ſed tamen reatum eiuſdem culpæ diluentes, abſoluti quoque adhuc carnaliter obimus, quia delicta noſtra ſiue per nos, ſiue per ſemetipſum Dominus reſecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim ſuis iniquitatũ maculas ſtudet temporali afflictione tergere: quas in eis perpetuo non vult videri.

Et conſolatus eſt Dauid vxorem ſuam Berſabee. Ingreſſuſque ad eam dormiuit cum ea. Quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum. Miſitque in manu Nathan Prophetæ: & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus, &c.

Et vocauit, inquit, nomen eius, *Amabilis Domino*, eo q̃ diligeret eum Dominus. In Hebræo ita legitur: *Et vocauit nomen eius Ididam*, id eſt, *dilectus Domini, propter Dominum*. Hebr. Dilectus Domini propter Dominũ dicitur, propter ſuam ſcilicet miſericordiam gratuitam, qua eum diligere dignatur, cum vtique eius dilectione, & miſericordia indignus exiſteret, quem conſtabat manzerem eſſe.

H XVII. *Igitur pugnabat Ioab contra Rabab filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam, miſitq; Ioab nuntios ad Dauid, dicẽs: Dimicaui aduerſum Rabath: & capienda eſt vrbs aquarum*. &c.

Notandum, q̃ in Hebræo qñ cum adiectione nominũ ponitur *Rabbath*, ſicut eſt Rabbath filiorum Ammon: ſic *Rabbath* ſcribitur: quãdo vero ſine adiectione nominum; non *Rabbath*, ſed *Rabba* ſcribitur. *Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem; & cape eam: ne cum à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo adſcribatur victoria.* Hinc Ioſephus: *Porro*, inquit, *Ioab Ammonitas obſeſſione fortiter affligebat aquam eis auferens, & rerum cæterarum vbertatem, multumque eos cogebat cibi & potus inopia laborare. Ex modico namque puteo bibebant omnes. Et licet eſſet illis forte auxilium: ne tamen deficerent non eo largius vtebantur. Quo facto: ſcripſit ad Dauid, has ſignificans: rogans eum, vt veniret*

Digitized by Google

A *ad ciuitatem quatenus victoriam eius nomini designaret. Congregauit itaque Dauid omnem populum: & profectus est aduerſum Rabbath. Cumque dimicaſſet, cœpit eam: & tulit diadema regis eorum de capite eius pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper caput Dauid,* &c.

In Paralipomenon quoque ita ſcriptum eſt: *Tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius: & inuenit in ea auri pondo talentum, & precioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde diadema.* (1.Par.10.) Melchom quippe non nomen proprium eſt regis: (Hebr.) ſed *Melchom* interpretatur, *rex eorum*. Rex eorum vocatur (vt Hebræi volunt) idolum illorum: quod hic vocatur Melchom, cuius diadematis aurum & gemmas conflaſſe & purgaſſe dicitur Dauid ſecundum legem: & feciſſe inde ſibi diadema, quod hic poſitum ſuper caput eius dicitur. *Sed & prædam ciuitatis aſportauit multam valde, populumq; eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitque cultris, & transduxit in typo laterum. Sic fecit vniuerſis ciuitatibus filiorum Ammon,* &c. Hinc verba dierum ita narrant: (1.Par.20.) B *Manibus quoque vrbis plurimas tulit, populum autem, qui erat in ea, eduxit & fecit ſuper eos tribulas & trahas & ferrata carpenta tranſire, ita vt diſciderentur & contererentur. Sic fecit Dauid cunctis vrbibus filiorum Ammon: & reuerſus eſt cum omni populo in Ieruſalem. Serrauit enim eos ferratis carpentis, & diuiſit cultris, ſicut lateres diuidi ſolent, qui ex paleis & luto conficiuntur.* Victoria autem hæc Dauid in Ammonitis, quam dux ſuus bellando inchoauit, ſed rex ipſe perfecit, quid ſignificat, niſi Regis noſtri victoriam in cunctis gentibus? Dux enim Dauid contra hoſtes bellum agit: cum ordo ſanctorum prædicatorum cõtra mundi potentes ſcutum fidei opponit. Sed finis certaminis & triumphus belli, ad Regem Chriſtum ſolum, modo defertur; quia ipſi omnis poteſtas & potentia regni aſcribitur. *Deus eſt enim,* ſecundum Apoſtolum, (Phil. 2.) *qui operatur in nobis & velle & perficere: & ipſe triumphat nos ſemper in Chriſto Ieſu.* (2.Cor. 2.) Coronam ergo regis populi hoſtilis Dauid de capite tulit, & ſibimet diadema inde formauit: cum Redemptor noſter ex contraria poteſtate regnum auferens, ſibimet inſigne decorum parauit. Quæ autem melius corona veri Dauid intelligitur: C quam conuentus populi catholici, quæ caput noſtrum, Regem videlicet Chriſtum, corde credulo nobiliter ambit, & digne conuerſans decenter coronat. Omnis enim ſanctorum labor & certamen atque victoria ad honorem cœleſtis regis refertur, quia ipſe eſt, (Phil.2.) *cui omne genu cœleſtium & terreſtrium atque infernorum flectitur vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.* Rabath ergo ciuitas eſt regni Ammon, quæ nunc Filadelphia vocatur, cuius meminit & Ieremias Propheta. Interpretatur ergo Rabbath, *multi*. (Ier.49.) Et Saluator in Euangelio dicit: (Matth.8.) *Quia multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum.*

Capvt. XIII.

XVIII. F*Actum eſt autem poſt hæc, vt Abſalon filij Dauid ſororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamar, adamaret Ammon filius Dauid, & deperiret propter eam valde,* &c.

Inceſtum ergo, quod Ammon, Dauid maior filius, in ſorore ſua Thamar confecit, & parricidiũ, quod Abſalon D in Ammon fratre ſuo perpetrauit, quid ſpiritaliter ſignificare poſſit, non inuenio, niſi forte moraliter nos tale factum moneat, quod ſemper caute & prudenter agamus, ne forte dominentur in nobis vitia, & princeps peccati, qui falſam pacem periclitantibus ſpondet, ne nos imparatos inueniat atque ex improuiſo trucidet. Abſalon ergo, *Pater pacis*, ſiue *Patris pax*, interpretatur: Ammon, *donans*: (Rom.6.) & Thamar, *amaritudo*, latine pronũciatur. Qui enim membra ſua donat libidini, & ſemetipſum tradit ſeruire iniquitati ad iniquitatem: in peccati amaritudinem cadit, licet inimicus ſe quaſi patrem pacis oſtentet, & proſpera prouenire pro talibus factis falſo promittat. Neceſſe eſt enim, cito ad pœnitentiam poſt commiſſum ſcelus redeamus, ne forte diabolus, ſi adhuc ebrietati inſeruierimus, & in luxum huius ſeculi reſoluemur, per obtemperantes ſibi malignos ſpiritus in necem noſtram conſpiret, ac morti perpetuæ tradat.

Porro Abſalon fugiens, abijt ad Tolmai, filium Ammiud, regem Geſſur, &c. E (Hebr.)

Tolmai pater fuit Maacha matris Abſalon, quam dicunt Hebrai à Dauid in prælio captam, & cæſarie & vnguibus præſciſis, ſecundum legem eam vxorem ſibi Dauid ſociaſſe, (Deut.21.) & ex ea generaſſe Thamar & Abſalon. *Ceſſauit itaque Dauid rex perſequi Abſalon.* In Hebræo legitur: *Ceſſauit itaque rex exire poſt Abſalon.* Voluiſſe idem Dauid exire perhibetur, vt reduceret Abſalon: ſed pertractans in corde ſuo, quod quotiens eum videret, totiens dolorem mortis Ammon ei ad memoriam reduceret: idcirco ceſſaſſe dicitur exire poſt Abſalon: ſubauditur: vt eum ad propria reuocaret. Quod vero ait: *eo quod conſolatus eſſet ſuper Ammon interitu*: intelligendum eſt, quia poſtquam voluit exire poſt Abſalon, vt reduceret eum, & videretur ab eo, cœpit conſolari ſuper mortem Ammon. Quamdiu enim putabatur idem Abſalon reduci, vt videretur ab eo, ſemper mors Ammon, filij ſui, animo eius occurrebat. Siue aliter conſolatus fuiſſe ſuper Ammon interitu dicitur, eo quod nouerat eum flagitioſum & dignum morte, meritoque perijſſe. F

Capvt XIV.

I*Ntelligens autem Ioab, filius Saruiæ, quod cor regis verſum eſſet ad Abſalon,* &c. XIX.

Cor regis verſum eſſe ad Abſalon vidiſſe dicitur, eo quod videret eum idem Ioab pro Abſalon ſuſpirare, & in eo intellexit, quod cor eius verſum eſſet ad Abſalon.

Miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem.

Thecua ciuitas eſt, de qua fuit Amos Propheta. Putatur autem ab Hebræis vidua aula fuiſſe eiuſdem Amos Prophetæ.

Quæ reſpondit: Heu mulier vidua ego ſum. Mortuus eſt enim vir meus, & ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati ſunt aduerſus ſe in agro, nulluſque erat, qui eos prohibere poſſet & percuſſit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce vniuerſa cognatio aduerſus ancillam tuam, dicit: trade eum qui percuſſit fratrem ſuum, &c.

In veritate autem (vt Hebræi tradunt) hæc mulier vidua duos filios habuit, qui rixati ſunt in agro ſuper hæreditatem patris ſui, & alter ab altero interemptus: ſe- G ipſam tamen eadem vidua in perſona Dauid poſuit, & duos filios ſuos in perſona Ammon & Abſalon. Cognationem vero, quæ conſurrexit aduerſus filium ſuum, in perſona cæterorum filiorum Dauid.

Dixitque mulier Thecuites ad regem: In me, Domine mi rex, ſit iniquitas, & in domo patris mei, rex autem & thronus eius ſit innocens, &c.

Ac ſi diceret: Pro eo, quod alter filius meus conſurrexit aduerſus alterum: in me ſit iniquitas, ſi tamen aliqua eſſe debet: in te autem, ô rex Dauid, nulla ſit iniquitas, quia abſque culpa es in eo, quod illi duo fratres inter ſe conflixerunt. Et ſicut ego abſq; culpa ſum, pro eo quod duo filij mei conſurrexerunt aduerſum ſe, & interfectus eſt alter ab altero: ita & tu abſq; culpa es, pro eo q, Abſalon Ammon dignum morte interfecit. *Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei ſui, vt non multiplicentur proximi ſanguinis ad vlciſcendum, & nequaquam interficient filium meum.* Recordatio hic pro iuramento poſita eſt. Ac ſi diceret: Recordetur rex promiſſionis ſuæ, immo iuramenti, quo mihi per H Dominum Deum ſuum pollicitus eſt, vt non multiplicentur proximi ſanguinis ad vlciſcendum.

Dixitque mulier: Quare cogitaſti iſtiuſmodi rem contra populum Dei? Et locutus eſt rex verbum iſtud, vt peccet, & non reducat eiectum ſuum? &c.

Ex hoc loco demonſtratur illud, quod paulo ſuperius dictum eſt: *Ceſſauit Dauid rex ire poſt Abſalon,* id eſt, ceſſauit, vt non exiretur ab aliquo, & reduceretur Abſalon. Inde ait mulier: *Et locutus eſt rex verbum iſtud, vt peccet, & non reducat eiectum ſuum.* Quod vero ait: *Quare cogitaſti iſtiuſmodi rem contra populum Dei?* Populum Dei vocat eundem Abſalon, ſiue eos, qui cum illo ierant, qui quaſi captiui & eiecti erant, eo quod non reducerentur ad hæreditatem Dei, ne forte coacti Dijs alienis in terra aliena ſeruierent. Nec vult Deus perire animam, ſed retractat, cogitans, ne pe-

A seat penitus, quia abiectus eſt. Ac ſi diceret: Deus peccatores, qui à diabolo captiui detinentur, vt ad ſe conuertantur, vocat. Et tu qui eum imitari debes, cur non eo modo agis?

Capvt XV.

XX. *Poſt quadraginta autem annos dixit Abſalon ad regem: Vadam & reddam vota mea quæ voui Domino in Hebron*, &c.

1.Reg.22. Quadrageſimus agebatur annus ex eo tempore, quo Saul Nobe ciuitatem cum ſacerdotib. octoginta quinq; propter Dauid interemit: Et ideirco hic idem quadrageſimus annus ponitur, vt monſtretur, diuinam vltionem ſuſcitari ſuper Dauid, eo quod Abimelech ſacerdotem fefellit, & propter eum tot ſacerdotum cædes factę fuerint. Caue lector plerosque mendoſos codices, in quibus ſcriptum inuenitur; *poſt quatuor*; non; *poſt quadraginta annos*. In veracioribus vero codicibus, & in Hebraica veritate, non quatuor, ſed quadraginta ſcribuntur anni. Si quis vero contentioſius eoſdem quatuor annos adſtruere voluerit, ab eo tempore, quo Abſalon Ammon fratrem ſuum interfecit, vſque ad illud tempus, quo patri dixit: *Vadam & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron*: Perſpicue ſe errare, ſi diligenter perſcrutatus fuerit, inueniet, cum vtique Abſalon, interfecto Ammon, in Geſſur apud Tolmai regem tribus annis, & in Ieruſalem, inde reuocatus non viſo patre, duobus moratus fuerit annis, & ſexto anno faciem patris viderit, & contra eum per duellionem præparauerit. Votum namque ſe vouiſſe mentiendo dixit, id eſt orationem facturum in loco, quo requieſcunt Abraham, Iſaac, & Iacob. *Venit autem Sadoch & vniuerſi leuitæ cum eo portantes arcam fœderis Dei, & depoſuerunt arcam Dei. Et aſcendit Abiathar, donec expletus eſſet omnis populus, qui egreſſus fuerat de ciuitate.* Ideo arcam Dei depoſuiſſe dicuntur, vt Dominus ab Abiathar ſacerdote conſuleretur, quo verius Dauid ire deberet. Aſcendiſſe autem Abiathar dicitur; id eſt, oraſſe. Et quia oraculum diuinum non ei reſponſum eſt, ideirco in ſubſequentibus dixit Dauid, vt reportaretur arca Dei in vrbem.

Capvt. XVI.

C *Et ait rex: Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite, vt maledicat*; ſed tantum maledicat. Abiſai ſolus dixerat: *Vadam, & amputabo caput eius*: & Dauid ad Abiſai & ad Ioab reſpondit, dicens: *Quid mihi & vobis filij Saruiæ?* Ac ſi diceret: Nunquid vultis interficere iſtum ſicut interfeciſtis Abner? *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis eſt, qui dicat, quare ſic fecerit?* Subauditur, quare ſic fecerit: nō Dominus, ſed Semei. Semei, qui maledixit Dauid, ipſe eſt (vt Hebræi dicunt) Nabaath, pater Ieroboam, qui filius Gemini dicitur, & in zelo domus Saul maledicebat Dauid. Nomen vero aui eius Gemini fuit, & ipſe Semei ex tribu Ephraim filij Ioſeph extitit, vnde & idem

2.Reg.19. Semei ad Dauid: *Primus quoque veni hodie de omni tribu Ioſeph. Cum autem veniſſet Chuſai Arachites, amicus Dauid, ad Abſalon, locutus eſt ad eum: Salue rex, ſalue rex. Ad quem Abſalon: Hæc eſt*, inqt *gratia ad amicum tuū.* In Hebræo legitur: *Hæc*, inquit, *miſericordia tua ad amicum tuum*: non affirmando, ſed negando pronunciandum eſt. Et eſt ſenſus: Miſericordia eſt aut dici debet, quod Dauid amicum tuum

D dimiſiſti, & cum eo non iſti?

Capvt XVII.

Dixit Achitophel ad Abſalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte, & irruens ſuper eum, quippe qui laſſus eſt reſolutis pedibus, percutiam eum. Cumque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam regem deſolatum, & reducam vniuerſum populum, quomodo omnes reuerti ſolent. Scilicet ſicut reuerti ſolent hi, qui, amiſſo in prælio, rege reuertuntur: ſicut vniuerſus populus Iſrael reuertetur ad te.

Et cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet: Facta eſt plaga in populo, qui ſequebatur Abſalon: & fortiſſimus quiſque cuius cor eſt quaſi leonis pauore ſoluetur. In Hebræo ita habetur; *Et fortiſſimus ipſe cuius cor eſt quaſi leonis pauore ſoluetur.*

Quod non affirmando, ſed negando pronunciandum eſt. Fortiſſimus iſte Dauid intelligendus eſt: quod & ſequentia declarant: B

Scit enim omnis Iſrael, fortem eſſe patrem tuum, & robuſtos omnes, qui cum eo ſunt. Ionathas autem & Achimaas ſtabant iuxta fontem Rogel. Abijt ancilla, & nuntiauit eis: & illi profecti ſunt.

Hæc ancilla, quaſi lauandi gratia, cum pannis ad fontem Rogel ierat: vt penitus res non deprehenderetur. Puer autem, qui rem indicauit Abſalon, filius eiuſdem ancillæ paruulus dicitur fuiſſe. Dauid autem venit in caſtra, quæ *Manaim* hebraicè leguntur: in quo loco obuiam fuerunt Angeli Dei Iacob, ſicut in Geneſi ſcribitur: *Et vocauit Iacob nomen loci Manaim*, id eſt, *caſtra*. Hæc vero iuxta Hebræi ſenſum, ſecundum hiſtoriam dicta ſufficiant. Gen.32.

XXI. Hier. Iſid. Cæterum autem ſecundum allegoriam conſiderari oportet, quid illud ſignificet, quod parricida filius Abſalon patrem inſequitur. Primo pater eius declinans fugit ante faciem eius, ſecurus de victoria, quia ſciebat impium perire, quem etiam fleuit ille magno luctu, & deplorauit exitum parricidæ. Scribitur enim fugiſſe Dauid à facie bellantis aduerſum ſe filij. Et alibi ſcriptum eſt de populo Ieruſalem, Domino dicente: *Filios enutriui & exaltaui: ipſi autē ſpreuerunt me.* Filius ergo eius impius tropice accipi poteſt Iudaicus populus, qui eum tradidit. *Abſalon* autem (ſicut ante iam dictum eſt) intelligitur *patris pax*. Quod mirum videtur in hiſtoria, quemadmodum poſſit intelligi patris pax, qui patrem bello eſt perſecutus? Sed qui diligenter allegoriam intendunt: inſpiciunt, Abſalon eſſe Ieruſalem, quæ etiam & ipſa, *pax*, interpretatur, à cuius facie Chriſtus fugit, quando patiendo eam deſerens, in gentibus per fidem ſeceſſit. Alij Abſalon Iudam proditorem accipiunt, quem tanta & admiranda patientia Chriſtus pertulit, tanquam eius cogitationes ignoraret, cum adhibuit in conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit & tradidit. Quod denique in ipſa traditione & oſculum accepit: bene intelligitur pacem Chriſtum exhibuiſſe traditori ſuo, quamuis ille tam ſceleratæ cogitationis interno bello vaſtaretur. Et ideo Abſalon patris pax dicitur, quia pater habuit pacem, quam ille non habuit. Achitophel igitur, qui recedens à Dauid, ad Abſalō tranſmigrauit, hæreticos ſignificat, qui recedentes à tramite veritatis, ſe ſociant hoſti antiquo, & ſubſequuntur errorem. Interpretatur autem Achitophel *frater meus cadens*; Gilonites vero, *tranſmigrauit*. contra quos Propheta increpans dicit: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: tranſmigra in montem, ſicut paſſer*, &c. Et merito tales laqueo doli atque malitiæ ſuæ vitam propriam finiunt, qui alienam prauis ſuaſionibus corrumpere ſatagebant, ſicut Achitophel, in propria domo ſuſpendio interiit, qui in aliena, vitę Dauid inſidiatus eſt. Vnde ſcriptum eſt: *Qui fodit foueam, incidit in eam.* Et: *In inſidijs ſuis capientur iniqui.* Chuſai vero Arachites, antiquus amicus Dauid, ſignificat credentes ex gentib. qui licet cum Abſalon aliquando viſi ſunt: tamen prauis eius operibus non cōmunicantes, nec Achitophel iniquis ſuggeſtionibus vnquam conſentientes, ſed cum Dauid fideliter permanſerunt. Interpretatur autem Chuſai, *æthiops*: Arachites *longitudo mea*. Hinc quoq; in Propheta ſcriptum eſt: *Vertit æthiops pellem ſuam*, Et in Pſalmo: *Aethiopia*, inquit *feſtinet manus eius dare Deo.* Quia gentilis populus poſtquam ſe nigredine peccatorum exuit, nunquam à tergo Domini receſſit. Quod autem concubinas Dauid, quas ipſe ad cuſtodiendam domum dimiſit, ſtuprādo corrupit: ſignificat, quod apoſtata Angelus quoſdam, qui videntur regere & cuſtodire populum Dei, hæretica prauitate ſeducendo decipit. Ad quas tamen Dauid vltra non ingreditur, ſed in cuſtodia poſitis alimenta præbet. Ipſæ quoque in viduitate viuentes clauſæ ſunt vſque ad diem mortis ſuæ. Quia cum hæretici, à via veritatis oberrantes, denuo ad eam redire diſſimulant; non ſunt digni cohabitatione CHRISTI, ſed clauſi, id eſt, ſeparati erunt à conſortio eius alieni. Ille tamen, *qui ſolem ſuum oriri facit* Matth.5.

Margin: E (beside "Abſalon Ammon"); F Eſai.1. (beside "Filios enutriui"); C, G (beside Caput XVI); Pſal.10. (beside "In Domino confido"); Eccli.27. Prou.26. (beside "Qui fodit foueam"); H Ier.13. Pſal.67. (beside "Vertit æthiops").

A *ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, non renuit beneficijs ſuis paſtum talibus in hoc mundo præbere, vt per collata beneficia occaſionem tribuat conuertendi. Quiſquis fidelium diuinæ gratiæ illuſtratione componitur ſancto deſiderio de imis ad ſumma vehi ſupernæ contemplationis penna ſuſtinet, ſanctorum præcedentium patrum geſta ante mentis oculos ponat, atque in eorum ſe imitatione exercendo proficiat, & quod in præſenti titillat ex vitio, vel præteritorum malorum memoria reprimat, vel donorum præcedentium conſolatione reſtingat, vel etiam imitatione (vt dictum eſt) patrum præcedentium prouocetur ad melius. Quod neceſſe eſt vt (ſicut propoſuimus) exemplis euidentioribus approbemus. Vt enim vnum de multis loquar, quatenus ſtudioſus lector multa in vno intelligat: quiſquis verborum contumelijs preſſus, cum virtutem patientiæ ſeruare non ſufficit, Dauid factum ad memoriam reducat. Quem cum Semei tot conuitijs vrgeret, & armati proceres vlciſci contenderent; ait: *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret*
B *Dauid. Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Et paulo poſt: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptū Domini, ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac die hodierna.* Quibus profecto verbis indicat, quia pro perpetrato Berſabeæ ſcelere exurgentem contra ſe filium fugiens reduxit ad animū malum, quod perpetrauit, & æquanimiter pertulit, quod audiuit, & contumelioſa verba non tam conuitia quam adiutoria credidit, quibus ſe purgari, ſibique miſereri poſſe iudicauit. Tunc enim illata conuitia bene toleramus, cum in ſecreto mentis ad male perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur, quod iniuria percutimur, dum in actione noſtra conſpicimus, quia peius eſt, quod meremur. Sicq; fit, vt contumeliis gratia magis, quam ira debeatur, quarum interuentu, Deo iudice, pœna grauior declinari poſſe confiditur. Quod autem Ionathas, qui interpretatur, *columbæ donum*, & Achimaas, qui interpretatur *frater meus quis*, qui ad explorandum factum Abſalon & Dauid renunciandum decreti, fugientes, Abſalon, declinauerunt in domū cuiuſdam viri in Bahurim, qui habebat puteum
C in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum: *Tulit autem mulier & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas, & ſic res latuit*: non ſine myſterio eſſe credendum eſt. Quid ſignificant iſti duo iuuenes, Ionathan videlicet & Achimaas, niſi eos, qui per gratiam ſancti Spiritus renati, & in numero fratrum aſcripti ſunt? qui recedentes ab Abſalon fugiunt, cum malignos ſpiritus euadere quærunt. Hi ergo ſtabant iuxta fontem Rogel, qui interpretatur, *triſtis* vel *deorſum*, cum luctum & deſpectum in hoc mundo appetunt habere, propter cœleſtis regni deſiderium. *Declinant ergo concito gradu fugientes in domo cuiuſdam viri in Bahurim*: (qui locus interpretatur *electus ſiue iuuentus*) cum adoleſcentiæ tempora in memoriam reducunt. *Deſcendunt in puteum, qui erant in veſtibulo*: cum pœnitentiæ ſe humiliter ſubijciunt, quæ cunctis neceſſaria eſt in hoc tempore, ante finem ſcilicet præſentis vitæ. *Et expandit mulier velamen ſuper os putei*: cum Eccleſia precum aſſiduitate delicta iuuentutis & ignorantiæ ſuorum filiorum abſcondere certat.
D *Quaſi ſiccans ptiſanas*; Cum carnis laſciuiam per continentiæ rigorem ſtringit. *Et ſic res latet*: Transgreſsionis videlicet humanæ vitæ, quia per aſſiduitatem precum in compunctione lachrymarum, & per caſtigationem corporis omnia delicta abſconduntur, ac homines à perſecutione antiqui hoſtis protecti liberantur.

Cumque veniſſet Dauid in caſtra Madian, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Amiel de Lodabar, & Berzelai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei ſtratoria & tapetia & vaſa fictilia, frumentum & hordeum, & farinam polentam, & fabam, & lentem frixum cicer, & mel, & butyrum, oues & pingues vitulos, dederuntque Dauid, & populo qui cum eo erat ad veſcendum. Suſpicati enim ſunt populum fame & ſiti fatigari in deſerto, &c.

Iſte Sobi filius fuit Naas regis, cum quo pugnauit Saul. Ipſe etiam Naas fecit miſericordiam cum Dauid, quando
1.Reg.10. fugiebat à facie Saul. Quo mortuo, dixit Dauid: *Faciam*
E *miſericordiam cum Ammon, ſicut fecit pater eius mecum.* Interempto vero à Dauid Ammon, qui ei in decaluandis ſeruis ſuis iniuriam fecerat, conſtitutus eſt ab eodem Dauid in loco fratris iſte Sobi, quia ad Dauid legitur cum cæteris veniſſe, & ſtratoria, & tapetia, & vaſa fictilia, & cætera, quæ ſequuntur ei obtuliſſe.

Capvt XVIII.

Itaque egreſſus eſt populus in campum contra Iſrael, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraim. Et cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu Dauid, factaque eſt plaga magna in die illa viginti millium. Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos ſaltus conſumpſerat de populo, quam hi, quos vorauerat gladius in bello, &c. XXII.

Saltum hunc, qui plures conſumpſiſſe, quam gladius voraſſe legitur, beſtias ferociſſimas, quæ in ſaltu erant, Hebræi autumant, à quibus plures conſumpti, quam à gladio vorati fuerint.

F *Accidit autem, vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid, ſedens mulo. Cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus, cui inſederat pertranſiuit, &c.*

Quid ſignificat, quod Abſalon, mulo fugiens, in quercu per cæſariem capitis ſuſpenſus eſt, niſi quod Iudæi ſtultitiæ carnalis ſenſus incumbentes, propter ſuperſtitioſitatem phariſaicam legē corrumpentes, per ipſam, quam ad correctionem vitæ acceperant, mortis occaſionem habuerunt? Vnde & Saluator in Euangelio dixit ad eos: *Nolite arbitrari, quod ego accuſaturus ſim vos apud Patrem meum.* Ioan.5. *Moyſes enim, in quem vos confiditis, ille vos accuſat.* Ioab ergo in cor Abſalon tres lanceas infigit; Cum autem noſter hoſtis ſuperbiam, auaritiam, & inuidiam ſeu perfidiam in cor Iudaici populi immiſit, quæ illis maxime cauſa perditionis erant. Superbi fuerunt: qui in contemptum Dei idola fabricauerunt. Cupidi fuerunt: qui res tranſitorias virtutum delitijs præponebant. Perfidi vero & inuidi fuerunt: quod non ſolum dictis legis & prophetarum repugnagnabant: ſed etiam ipſius Saluatoris præſentiam ſpernebant, & beneficijs eius ingrati extiterant. Hinc in paſſione ſua blaſphema voce ad Pilatum dicebant: *Non habemus*
G *regem, niſi Cæſarem*: Et: *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris.* Ioan.19. Abſalon quoque poſt interitum, in foueam grandem miſſus eſt: cum iniquus quiſque poſt obitum carnis in lacum inferni mergetur. Super quem aceruus lapidum congeritur: cum duritia mentis ſuæ illi approbatur. Dauid ergo extinctum Abſalon plorauit, cum interitu populi Iudaici Dominus fleuit, ſicut in Euangelio legitur: quia *videns ciuitatem Ieruſalem fleuit ſuper illam*, cuius miſeriæ in tantum compaſſus eſt; vt etiam vſque ad mortem crucis in eruditione eius, & cura ſalutis ſuæ permanſerit. Luc 19.

Capvt XIX.

Venitque vniuerſus populus coram rege: Iſrael autem fugit in tabernacula ſua, &c.

Vniuerſus populus, qui coram rege veniſſe legitur, hi ſunt, qui cum Dauid permanſerant. Quod vero ait; *Iſrael fugit in tabernacula ſua*; hi intelligendi ſunt, qui cum Abſalon per duellionem rebelles extiterant. *Miphiboſeth quoque*
H *filius Ionathan deſcendit in occurſum regis illotis pedibus.* Et notandum, quod in Hebræo non, *illotis*, ſed, *inflexis* legitur *pedibus*. Fecerat namque ſibi idem Miphiboſeth (vt Hebræi tradunt) ligneos pedes, quibus vti quaſi pro naturalibus ſolebat, ſicut ſolent facere claudi, quemadmodum & ille erat.

Ait autem rex ad Miphiboſeth: Quid vltra loqueris? Fixum eſt, quod locutus ſum. Tu & Siba diuidite poſſeſsiones, &c.

In Hebræo ita legitur: *Dixi: tu & Siba diuidite agrum.* Pro eo, quod in hoc loco Dauid immemor fuit amicitiæ & fœderis, immo iuramenti, quod habuit cum Ionathan, & tamen crudele dedit iudicium, dicens: *Tu & Siba diuidite agrum*; idcirco Roboam & Ieroboam diuiſerunt eius regnum. Miphiboſeth enim in Samuelis libro legitur, & interpretatur, *os verecundum.* In Paralipomenō vero idem 1 Par.8.&

Miphibo-

A Miphiboſeth Meribaal legitur, & interpretatur, *litigans cum altiſſimo.* Litigans enim cum altiſſimo, id eſt, Deo fuiſſe dicitur: eo quod Dauid reduxiſſet cum pace. Et quod ait idem Miphiboſeth regi: *Etiam cuncta accipiat, poſtquam reuerſus eſt Dominus meus rex in domum meam pacifice:* non hoc dixiſſe ſuſpicatur gratulanti animo, ſed inſultanti, & quaſi contra Deum murmuranti, eo quod Dauid Dominus in pace redux eſſet.

Et ait Berzellai ad regem: Quot ſunt dies annorum vitæ meæ, vt aſcendam cum rege Ieruſalem? Eſt autem ſeruus tuus Chamaan, &c. In Hebræo: *Ecce ſeruus tuus Chamaam, ipſe vadat tecum, Domine mi rex.*

Chamaam interpretatur, *ſuſpirans.* Quamdiu cum patre permanſit, ſuſpirans vocatus eſt. Poſtquam vero in doctrinam Dauid regis tranſijt, non *Chamaam,* ſed *Chanaon,* (quod interpretatur, *fidelis*) appellatus eſt. Sermo dicitur
2 Reg. 20 in veteri prouerbio: *Qui interrogant, interrogent in Abela, & ſic proficient.* In hebræo nō habetur prouerbio. Iſte ſermo,
B ſermo legis eſt, in qua iubetur à Domino per Moyſen, vt
Deut. 20. quando ingreſſuri eſſent terram Chanaan, & gentes deleturi, primum pacem offerant. Et ſi pax ab eis reciperetur: pacem recipientes tributarij eorum efficerentur. Et ſi pacem non reciperent, tunc à filijs Iſrael delerentur. Idcirco exclamaſſe mulier ſapiens de ciuitate fertur: *Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem in Iſrael, & tu quæris ſubuertere ciuitatem?* Quare præcipitas hæreditatem Domini? Ac ſi diceret: Cur vis deſtruere ciuitatem hanc, antequam pacem interrogando offeras, ſicut in lege iubetur? Cur etiam non eandem legem in nobis Iſraelitis ſeruas, quæ in alienis olim ſeruata eſt? Reditus itaque Iſraelitici populi ad Dauid poſt interfectionem Abſalon, non niſi reditum prioris populi ad Chriſtum poſt interitum prauorum magiſtrorum ſignificat. Siba ergo filius Bochri, qui populum ſeducendo à Dauid auertebat, quem melius quam errorem ſignificat, qui in ſynagoga Iudæorum diutius dominabatur, & à veritatis auditu populum ſubuertebat? Interpretatur autem Siba, *ſecta,* à ſecando, non à ſectando. Bochri autem interpretatur, *primogenitus meus.* Iſrael ergo
Exod. 20. de quo ſcriptum eſt: *Filius meus primogenitus Iſrael, quē eduxi*
C *de Ægypto:* Sibam, id eſt, errorem ſecutus, ſe ſequeſtrabat à domo Dauid, hoc eſt, ab Eccleſia ſemetipſum ſeparabat, cum eius conuentū execrando ſpernebat. Hic ergo poſtquam per mulieris ſapientis ſuggeſtionem, hoc eſt, ſpiritalis doctrinæ eruditionem caput Siba abſciderat, hoc eſt, diabolum à corde ſuo abiecerat: mox ad Dauid reuertitur, cum Chriſtum filium Dei corde credulo veneratur.

Capvt XX.

XXIV. *Dixit itaque Ioab ad Amaſam: Salue mi frater: & tenuit manu dextera mentum Amaſæ quaſi oſculans eum. Porro Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab. Qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, & mortuus eſt, nec ſecundum vulnus appoſuit,* &c.

Greg. Quid eſt, quod Ioab Amaſæ mentum dextera manu tenuit, ſed ſiniſtram ad gladium latenter mittens, eius viſcera effudit, niſi hoc quod patenter datur intelligi? Dextera namque mentum tenere eſt, quaſi ex benignitatibus
D blandire. Sed ſiniſtram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.

Capvt XXI.

XXV. *Facta eſt quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter. Et conſuluit Dauid oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas,* &c.

Hebr. Filij Saul, qui cum Doeg Idumæo dum adhuc pueri eſſent, ſacerdotes & Gabaonitas in Nobe occiderunt, hi ſunt: Armoni & Miphiboſeth, quos peperit ei Reſpha, filia Aia, & quinque filij Michol filiæ Saul, quos genuerat Adrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi. Quæritur, cur filij Michol dicantur, cum non Michol, ſed eius ſoror Merab vxor fuerit Adrieli filio Berzellai? Quod ita ſoluitur: Merab quippe eos naturaliter genuit, & Michol vxor Dauid, quę & Ægla dicitur, eos in loco filiorum nutriuit: & ſibi in filios adoptauit: idcirco eius filij dicuntur. E
Filij quippe Iſrael iurauerant eis, & voluit Saul percutere eos zelo quaſi pro filijs Iſrael & Iuda, dicens, Ioſue gratis eoſdem Gabaonitas viuere permiſiſſe, & filiis Iſrael & Iuda prædam eorum iniuſtè abſtuliſſe: idcirco eos perimere iubet, quaſi pro zelo Iſrael & Iuda. Ioſu. 9. Huius vltionis cauſa in Gabaonitas Achimelech ſacerdos extitit. Hiſtoria hæc, quæ famem factam in Iſrael propter Gabaonitas occiſos figuraliter narrat, ſignificat ſterilitatem bonorum operum in plebibus propter negligentiam doctorum, qui non procurant paſtum verbi Domini impēdere ſubditis, dum inſeruiunt cupiditatibus terrenis. Vnde &, ſecundum Prophetam, *non famem, nec ſitim aquæ patiuntur: ſed famē & ſitim audiendi verbum Domini.* Amos 8. Necantur ergo Gabaonitæ, cum ſtudium certæ conuerſationis, & reſtauratio pœnitentiæ poſt lapſum ab incautis per hæreticos ſiue per malignos ſubtrahitur ſpiritus. Gabaon enim, *collis mærorum,* interpretatur. Et bene Gabaonitæ interfecti dicuntur, cum deſidioſi quique poſt perpetrata ſcelera vana ſpe ſecuritatis à F diabolo deluduntur, qui dicunt: *Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt.* Rom. 3. *Sed Reſpha,* quæ interpretatur, *neoſtraton* ſiue *curſus,* filia Achia, qui interpretatur, *frater eius, tollens cilicium ſubſtrauit ſibi ſuper petram, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo. Et non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem:* cum pia ſollicitudo ſanctorum talibus ſuccurens, rigore ieiunij atque inſtantiæ precum incumbit, donec miſericordiam Dei impetret ſuper eos de cœlo, compeſcens videlicet prauos homines, nec non & malignos ſpiritus prauis ſuggeſtionibus eorum vitam vlterius corrumpere.

Factum eſt autem rurſum prælium Philiſtinorum aduerſum XXVI.
Iſrael, & deſcendit Dauid & ſerui eius cum eo, & pugnabant. Deficiente autem Dauid, Ieſbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius haſta trecentas vncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo, niſus eſt percutere Dauid. Præſidioque fuit Abiſai filius Saruiæ, & percuſſum Philiſtæum interfecit. Tunc iurauerunt viri Dauid, dicentes: Non egredieris nobiſcum ad bellum, ne extinguas lucernam Iſrael. Secundum quoque fuit bellum in Gob contra Philiſtæos. Tunc percuſſit Sobochai de Huſati Saph de ſtirpe Arapha. Tertium quoque fuit bellum in Gob, contra Philiſtæos: in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus, Polymitarius, Bethleemites, Goliath Gethæum, cuius haſtile haſtæ erat quaſi liciatorium texentium, &c. G

Hebræus ergo de Adeodato ita exponit, dicens: Gob enim interpretatur, *lacus.* Idcirco lacus: quia ſicut in lacum leonum quis mittitur, ita ſemetipſum contra Goliath Dauid miſit. Heb. *Adeodatus:* ipſe eſt Dauid. Idcirco dicitur Adeodatus, quia à Deo eſt electus in regnum. *Filius ſaltus;* quia de ſaltu, vbi oues paſcebat, eſt eductus. *Polymitarius,* quia de genere Beſeleel mater eius fuit. *Bethleemites,* quia Noemi & Ruth tempore vbertatis reuerſæ ſunt in Bethleem. Ruth 1. Et quia panis cauſa Ruth Booz nota eſt. Ruth. 2. Et propterea idem locus *domus panis* vocatus eſt. Quod vero Adeodatus ipſe ſit Dauid: ſequentia declarant, vbi ait: *Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth: & ceciderunt in manus Dauid, & ſeruorum eius.* Iudæi quoque hanc Arapham matrem gigantem, Orpham nurum Noemi eſſe arbitrantur. Notandum autem, quod Ioſephus Hiſtoriographus Iudæorum, vbi iſtius loci in libro Antiquitatum H ſeptimo meminit, in duobus prælijs contra Paleſtinos peractis concordat cum Scriptura Regum. De tertio vero prælio ita dicit: *Poſt hanc vero compreſſionem Paleſtini denuo pugnauerunt ſuper quos exercitum mittente Dauid, vir fortis apparuit Ephan cognatus eius. Nam contra ſingulos fortiſſimos Paleſtinorum ſolus pugnando peremit eos, & alios cōuertit in fugam, quorum etiam multi in prælio ceciderunt.* Vtrum autem ipſum Adeodatum Ephan appellauerit, vel alium quemlibet hoc nomine notauerit: incertum eſt.

Quartum bellum fuit in Geth, in quo vir excelſus, qui ſenos in manibus pedibuſque habebat digitos, id eſt, viginti & quatuor, & erat de genere Arapha, blaſphemauit Iſrael. Percuſſit autem eum Ionathan, filius Samaa, fratris Dauid. Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid & ſeruorum eius, &c.

Digitized by Google

A Quid autem quatuor bella iſta Dauid & ſeruorum eius contra Paleſtinos ſignificant, niſi bellum Chriſti, quod omni tempore iſtius vitæ in membris ſuis contra perfidos quoſque iſtius ſeculi, & contra ſpiritales nequitias inceſſanter agit? Licet enim faſtus mundanus, vel proteruitas malignorum ſpirituum ſe erigat cōtra Eccleſiam Chriſti; omnis tñ principatus aduerſariorum, vero Dauid hoc eſt, Rege Chriſto imperante, ac prælia ſeruorum ſuorum diſponente, cedit: & omnes aduerſarij vincuntur, proſternuntur atque ad nihilum rediguntur. Vnde Pſalmiſta ex
Pſal 59. perſona Eccleſiæ confidenter dicit: *Vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Capvt XXII.

XXVII. *Locutus eſt autem Dauid Domino verba carminis huius, in die, qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul, & ait: Dominus petra mea, & robur meum, & ſaluator meus. Deus Dominus fortis meus: ſperabo in eum,* &c.

B *Pſal.* Quæritur autem, cur ſolus decimus ſeptimus Pſalmus ex libris Regum reperiatur conſcriptus? Nec immerito pſalmus iſte in regnorũ libris ſolus reperitur, qui regnum illius ſignificat, vbi aduerſarium non habemus. Titulus enim eius eſt: *In die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.* Quis enim figuratur in Dauid, niſi ille, qui venit ſecundum carnem ex ſemine Dauid? Qui vtique in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, adhuc patitur inimicos: vnde & illud perſecutori, quem voce mactauit & in ſuum corpus traijciens aliquo modo
Act. 9. manducauit, intonuit de cœlo: *Saule, Saule, quid me perſe-*
1. Cor. 15. *queris?* Quando autem eripitur hoc corpus eius, de manu omnium inimicorum eius, niſi eum & illa *nouiſſima inimica* deſtruetur *mors*, vt perueniatur ad regnum Dei. *Dominus*, inquit, *petra mea, & robur meum.* Pſalmus hic vni tantum non poteſt conuenire perſonæ: ſed quatuor diuiſionibus ſubiacebit. Nam primo ordine Propheta loquitur, gratias agens, quod eum de grauibus periculis diuina pietas liberare dignata eſt. *Circumdederunt me gemitus mortis.*
C Secundo Eccleſia loquitur, quæ ante aduentum Domini innumeras pertulit calamitates, poſteaquam miſertus ei medicinam ſanctæ incarnationis indulſit, & baptiſmatis beneficio Chriſtianum populum de Orbis vniuerſitate collegit. *Deus qui accinxit me virtute.* Tertio, in rore miſericordiæ vox Chriſti Saluatoris illabitur, vbi pulcherrimis alluſionibus virtus eius, poteſtaſque deſcribitur. *Viuit Dominus, & benedictus Deus meus.* Quarto, iterum Eccleſię Catholicæ dicta proferuntur: & cum magna exultatione diuinitatis conceſſa munera laudantur.

Capvt XXIII.

HAec autem ſunt verba nouiſſima, quæ dixit Dauid filius Iſai, &c.

Cur autem verba nouiſſima, niſi quia vltimam confeſſionem laudis ſignificant, quam ſuperato hoſte, & peracta victoria mortis, laudem ſancti in æternum Deo can-
D tabunt?

Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob egregius pſaltes Iſrael.

Nobilis videlicet Pſalmiſta, qui Propheta luculentiſſime de Chriſto filio Dei, & de incarnatione eius, ac redemptione humani generis prophetauit.

Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Deus Iſrael mihi locutus eſt, fortis Iſrael, dominator hominum iuſtus, &c.

Spiritus enim Domini, qui eſt Spiritus ſanctus, & ſermo Domini, qui eſt Filius Dei, ea, quæ Propheta vaticinauerat, per gratiam ſuam veraciter proferre donauerat.

Dominator in timore Dei, ſicut lux auroræ, oriente ſole mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuijs germinat herba de terra.

Qui enim in timore Dei dominationem in ſubditos exercet, lucis opera per ſolem iuſtitiæ illuminata profert, nec in eis aliquid remanebit obſcurum, ſed imbre cœleſtis gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne viuens fructificat. *Nec tanta eſt domus mea apud Deum, vt pactum* E *æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas, nec eſt quicquam ex ea, quod non germinet.*

Hinc idem Propheta in Pſalmis dicit, quod *beatus vir,* *Pſal. 1.* *qui in lege Domini meditatur die ac nocte, ſit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non decidet, & omnia, quæcunque fecerit, proſperabuntur.*

Præuaricatores autem, quaſi ſpina, euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus, & ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque ſuccenſa comburentur vſque ad nihilum, &c.

Hinc in Euangelio ſcriptum eſt: *Omnis arbor, quæ non* *Matth. 3. & 7.* *facit fructum bonum, excidetur & ignem mittetur.* Et item: *Filius hominis*, inquit, *mittet Angelos, & colligent de regno eius o-* *Matth. 13.* *mnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ille ſcilicet, quaſi tangens ſpinas, *armabitur ferro & ligno lanceato*, qui communicans peccatis alienis propter cordis ſui duri- F tiam iniquitatum pondere premitur, & iaculis peccatorum ſuorum confoditur, eiuſque opera æternis gehennæ ignibus digna ad nihilum redigentur.

De hinc texitur catalogus virorum fortium in figura XXVIII. ſanctorum, qui quamuis virtutum ſublimitatem perfi- *Iſidor.* ciant, tamen vſque ad excellentiam diuinæ Trinitatis nequaquam attingunt. Inde eſt, quod ſcriptum eſt ibi: *Vſque* *Beda.* *ad tres primos non perueniit. Quis enim æquabitur Domino, aut* *Pſal. 88.* *quis ſimilis erit Deo inter filios Dei?* Igitur quod dicitur de principe fortium Dauid (cuius quidem nomen in Regum libro tacetur, at vero in libro Paralipomenon Ieſbaam *1. Par. 11.* nominatur, & fuiſſe filius Achamom commemoratur) *Ipſe eſt tenerrimus ligni vermiculus*: virtus ſimul bellica & modeſta viri deſignatur ciuilitas, quia videlicet ſicut vermiculus ligni tener quidem & fragilis toto ſuo corpore, nec non & permodicus apparet, nihilominus tamen fortiſsimum ligni robur exedens conſumit, &* cauernoſum ** vel cariosum.* reddit, vnde & terendo ligna *teredonis* nomen habet: Sic ille affabilis omnibus domi & quietus atque humilis videbatur, at in certamine publico robuſtum ſe atque in- G tolerabilem hoſtibus exhibebat. Sed hunc principem fortium, Hebræus ipſum ſuſpicatur eſſe Dauid: de quo ita ſcriptum eſt: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.*

Dixi enim in his verbis expreſſam eſſe ſapientiam Dauid, humilitatem & fortitudinem: hoc eſt, ſapientiam in ſapientiſsimo, in exemplo vermiculi humilitatem, in interfectione octingentorum fortitudinem eius maximam.

Poſt hũc Eleazar filius patrui eius Ahothites inter tres fortes qui erant cum Dauid, quando exprobrauerunt Philiſtijm, & congregati ſunt illuc in prælium. Cumque aſcendiſſent viri Iſrael, ipſe ſtetit, & percuſſit Philiſthæos, donec deficeret manus eius, & obrigeſceret cum gladio, &c.

Et poſt hunc Semma, filius Age de Arari, & congregati ſunt Philiſtijm in ſtatione. Erat quippe ager plenus lente. Cumque fugiſſet populus à facie Philiſtijm, ſtetit ille in medio agri, percuſſitq. Philiſthæos, & fecit Dominus ſalutem magnam, &c.

De iſtis ergo fortibus Ioſephus hoc loco ita narrat: *Pri-* H *Ioſeph.* *mus itaque omnium erat Euſebius filius Achinea, qui aciem hoſtium frequenter irrumpens, nequaquam pugnando ceſſauit, donec ex eis nongentos occideret. Poſt hunc erat Eleazar filius Dodi, qui cum rege fuerat in Sarpha. Hic aliquando Iſraelitis formidantibus Paleſtinorum exercitum, & ob hoc fugientibus, ſolus reſtitit irruens ſuper hoſtes, occidit eorum multos, ita vt ſanguine occiſorum gladius eius hæreret in dextera. Et cum Iſraelitæ Paleſtinos viderent in fugam eſſe conuerſos; deſcendentes de montibus perſecuti ſunt eos: & mirabilis ac famoſiſſima victoria tunc peruenit, cum Eleazar tantos interfeciſſet hoſtes, eoſque Iſraelitæ perſequerentur, & ſumerent ſpolia peremptorum. Tertius autem fuit filius Heli, nomine Semeias. Et hic enim in Paleſtinorum certaminibus, dum in locum, qui dicitur maxilla, aciem poſuiſſent, & rurſus Hebræi eorum metuentes exercitum refugerent: ſolus eorum aciem exercitumque portauit. Quorum alios quidem proſtrauit: alios autem non ferentes eius vim & fortitudinem perſecutus eſt conuerſos*

in fugam.

A *in ſugam. Nec non & ante deſcenderant tres, qui erant principes inter triginta, & venerant tempore meßis ad Dauid in ſpeluncam Odollam. Caſtra autem Philiſtijm erant poſita in valle gigantum, & Dauid erat in præſidio.*

Ioſeph. Hinc Ioſophus: *Hæc*, inquit, *opera manuum tuarum ac præliorum tres iſti demonſtrauerunt: quo tempore cum rex eſſet in Ieroſolymis: Paleſtinorum ad bellandum ſuperuenit exercitus. Tunc Dauid in arcem ciuitatis aſcendit, ſicut prædiximus, vt de bello conſuleret Dominum. Caſtra vero inimicorum erant in valle fixa, vſque ad ciuitatem Bethleem, quæ ab Ieroſolymis procul eſt ſtadijs viginti. Dauid itaque ſociis ait: Bonam aquam habemus in regione mea: & præcipue laudabat eam, quæ erat iuxta puteum in porta. Mirabatur, ſi eſſet, qui ex eo poculum ei præberet: quod magis optaret, quam ſi quis ei magnam pecuniam ad tempus afferret. Et hæc cum audiſſent iſti tres viri: mox occurrentes, & per medium hoſtium iter facientes venerunt ad Bethleem, & haurientes aquam, denuo ad regem per eorum caſtra reuerſi ſunt ita vt Paleſtini eorum fiduciam & magnanimitatem obſtupeſcentes, quia ſic pauci eos contemnerent, à migratione ceſſarent.*

B Tres iſtos ſcilicet, qui aquam de Bethleem afferebant, illos tres voluit intelligi, qui ſupra nominati ſunt, hoc eſt Ieſbaam filium Achamoni, quem ille nuncupat Euſebium filium Achimæ, & Eleazarum filium Achai, quem dicit eſſe filium Dodi, atque Semmaa filium Age, quem nuncupat Semegem filium Heli. Sed Hebræus ille, cuius in plurimis locis iſtius libri ſenſum expoſui, tres iſtos arbitratus eſt fuiſſe Abiſai filium Saruiæ, & Subbochai, Vſathiten, & Ionathan filium Semma fratris Dauid, qui ſupra commemorati ſunt in præliis Philiſtinorum, cuius ſenſui fauere mihi videtur Scriptura, quæ ita concludit narrationem de prædictis tribus viris aquam Dauid afferentibus: *Abiſai quoque, frater Ioab, filius Saruiæ, princeps erat de tribus iſtis: ipſe eſt, qui eleuauit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit nominatus in tribus, & inter tres nobilior, eratque eorum princeps; ſed vſque ad tres primos non peruenerat.* Hinc apparet, quod Abiſai princeps erat, & nominatus inter tres ſequentes. Sed vſque ad tres primos, qui ſupra nominati ſunt, non peruenit, hoc eſt, Ieſbaam, Eleazarum & Semma, quorum actus

C fortiſſimos ſupra narrauit. Quod autem Dauid oblatam
Iſid. ſibi aquã bibere noluit, ſed Domino eam libauit; exemplum præbuit militibus ſuis fortitudinis & conſtantiæ. Vicit ergo naturam, vt ſitiens non biberet, quo ſuo exemplo omnis exercitus tolerare ſitim diſceret. Quod ſi altius velis expectare & introſpicere myſterium: ſitiebat Dauid non aquam, quæ eſt in Bethleem, ſed oriundum in eadem Bethleem ex virgine Chriſtum in ſpiritu prævidebat. Ergo volebat bibere non aquam fluminis, ſed lauacrum ex latere Chriſti fluens: hoc eſt, non aquarum ſitiebat Dauid elementum, ſed ſanguinem Chriſti. Vnde non bibit oblatam aquam, ſed Domino fudit, ſignificans ſitire ſe Chriſti ſacrificium, non naturæ fluentum; illud ſacrificium, in quo eſt remiſſio peccatorum; illum ſitire fontem æternum, qui non periculis
Greg. quæritur alienis, ſed pericula aliena deleret. Cogitandum ſummopere eſt, vt qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, vt qui commiſit

D prohibita, ſibimetipſi abſcidere debeat etiam conceſſa, vt ſe reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquiſſe. Lex rectè veteris teſtamenti alienam vxorem concupiſcere prohibet, à rege vero fortia iuberi militibus vel deſiderari aquam non pœnaliter vetat. Et cuncti nouimus, quod Dauid concupiſcentiæ mucrone transfixus alienam coniugem & appetiuit & abſtulit: cuius culpam digna verbera ſunt ſecuta: & malum, quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe poſt contra hoſtium cuneos ſederet, aquam bibere ex eorum ciſterna ex deſiderio voluit. Cuius electi milites, inter cateruas aduerſantium medias erumpentes, aquam, quam deſiderauerat, illæſi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus ſemetipſum protinus cum periculo militum aquam deſideraſſe reprehendit, eamque Domino fundens libauit, ſicut illic ſcriptum eſt: *Libauit eam Do-*

mino. In ſacrificium quippe Domini effuſa aqua conuerſa E
eſt: quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam reprehenſionis ſuæ. Qui ergo quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, poſt etiam, quia aquam concupiſſet, expauit. Quia enim ſe illicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus etiam à licitis abſtinebat.

Et Banaias filius Ioada viri fortißimi magnorum operum de Capſabel.

Notandum autem, quod, iuxta Hebræum prædictum, in Hebræo non habetur, *magnorum operum*, ſed, *magiſter operum*. Capſahel interpretatur, *congregatio Dei*. Magiſter enim erat de congregatione Dei, id eſt, Cerethi & Phelethi, qui interpretantur, *occidentes*, & *viuificantes. Ipſe percußit duos leones Moab.* Quos Paralipomenon *duos Ariel* 1. Par. 11.
Moab nominat. Viri ergo fortiſſimi iſti fuerunt in regno Moab: vnde Ariel vel leones nuncupantur. Ariel enim interpretantur, *prælia Dei*. Quos Banaias, dum prouocatus eſſet ab illis, ſuperatos interfecit. Quod autem dicitur de Banaia: *Et ipſe deſcendit & percußit leonem in medio ciſternæ in diebus niuis*: Quomodo ſit factum, Ioſephus narrat apertius: quia videlicet ciſterna fuerit nimium profunda, quæ tempore hyemis, cum eſſent omnia niuibus plena, ipſa quoque nimio niuium aggeſtu fuerit coæquata. Quam cum leo ſuperueniens periculi neſcius incidiſſet, ibidemque concluſus grandi rugitu clamaret: accurrebant homines, videre, quid eſſet. Et dum cum aliis ad tale ſpectaculum veniret Banaias, reſiluit ſtatim in ciſternam, & aggreſſum mediis in niuibus percuſſit, & interfecit leonem. Nix itaque nunc innocentiæ nitor & gratiæ, nunc hyemis & frigus charitatis intelligi poteſt. Quod autem legimus in regnorum libris, Banaiam quendam de fortibus Iſrael deſcendiſſe in ciſternam, & percuſſiſſe leonem in tempore niuis: indifferenter puto in locis illis poſitam niuem. Quia & Chriſti gratia, quæ in hoc mundo reſplenduit, & frigus charitatis Dei, quo infrixerunt homines, niuis nomine potuit Scriptura ſacra ſignificari: Banaiam vero figuraliter intelligimus ſaluatorem, qui iuxta vim nominis ſui, *ipſe ædificator Dominus*, interpretatur, de quo Propheta vaticinauerat, quia per eum ædificanda Eccleſia eſſet, di- G
cens: *Ædificans Ieruſalem Dominus*. Itemque; *Dominus ædificauit Sion.* Quod verbum in factura Euæ, quæ Eccleſiæ Pſal. 164. Pſal. 101.
typum habuit, Scriptura propria ſignificatione poſuit, dicens: *Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Et Paulus conſtrui eam videns Gen. 2.
ait: *Dei ædificatio eſtis.* Nec prætereundum, quod Hebræus 1 Cor. 3.
ille leonem hunc, quem Banaias interfecit, Ioab intelligi oportere putat, qui in medio ciſternæ, id eſt, in domo Domini, vbi cornua altaris tenebat, occiſus eſt. Ergo altare ciſterna dicitur, quia ſicut aqua ciſternæ mun- 3 Reg. 2.
diciam affert: ita etiam nihilominus hæc ciſterna, id eſt ſanctuarium Domini peccata expiabat. *In diebus niuis*, quia per mortem expiauit peccatum iuxta illud Pſalmiſtæ: *lauabis me*, quod impletum eſt in medio ciſternæ: *Et ſuper niuem dealbabor*, quod impletum eſt in Pſal. 50.
eo, quod ait *diebus niuis*. De eo autem, quod ſubſequenter narratur: *Ipſe quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum ſpectaculo*: Virum iſtum Semei, filium Iere eſſe arbitratur, qui maledixit Dauid. Sciendum, quod idem H
Semei de Bauicim fuerit, id eſt, electis. Ideo Aegyptius dictus, quia opera illius Aegyptij Deum blaſphemantis, quem Moyſes, iubente Domino, interfecit in heremo, opera imitatus fuit. Ille enim blaſphemauit Deum & iſte maledixit Prophetam & regem. *Dignum ſpectaculo*: ſpectabatur etiam, vt, ſi regrederetur Ieruſalem, interficeretur. *Habentem in manu haſtam*, id eſt, legem Dei, quam ſi meditatus fuiſſet permanendo in Ieruſalem, non perimeretur. Quia ergo præceptum regis irritum fecit, exeundo foras Ieruſalem: idcirco in eum à Banaia in virga, id eſt, in rectitudine iuſtitiæ deſcenſum eſt, & haſta, quam iam non rectam tenebat, vi ab eo extorta eſt.

Hæc fecit Banaias, filius Ioada, & ipſe nominatus inter tres robuſtos, qui erant inter triginta nobiliores, verumtamen vſque

A *ad tres non peruenerat.* Intelligitur, quia ipſe nominari dignus eſſet inter tres robuſtos, id eſt, Abiſai & Sibachai & Ionathan, quippe qui viribus eis æquiparari poſſet. Hi etiam tres erant ſuper triginta. Et ne quem moueat, quod in ſumma non *triginta*, ſed *triginta ſeptem* legantur: triginta enim & ſeptem ſunt hoc modo. Septem videlicet fortiores hi ſunt: Dauid, qui appellatur Adeodatus, Abiſai, Sibachai, Ionathan, Eleazar, Semma, filius Age, de Arari, & Banaias. Ecce ſeptem: triginta autem hi ſunt, Aſael Eleanam, Semma, Sarath, Elichaeles, Ira, Abiezer, Mobonnai, Selmon, Maarai, Eled, Itai, Banaian, Eufronites, Abdas, Abialbon, Azmauet, Eliaba, Semma de Arari, Aiam, Elipheleth, Eliam, Eſrai, Farai, Giga, Albani, Seleth, Naarai, Ira, Iareb, Vria, Ethæus. Ideo ergo Vria Ethæus vltimus ponitur propter id, quod ſequitur.

CAPVT. XXIV.

B XXIX. ET *addidit furor Domini iraſci contra Iſrael.*

Iam enim vltio facta fuerat in Dauid & in domo eius: in prælio vero qui noluit reſiſtere Dauid in pereundo Vria, hæc nondum vltio diuina facta fuerat. Idcirco hic vltimus ponitur, vt vltio mortis eius in prælio monſtraretur.

Commouitque Dauid in eis dicentem: vade, numera Iſrael & Iudam. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus ſui: Perambula omnes tribus Iſrael à Dan vſque Berſabee. Et numerate populum, vt ſciam numerum eius, &c.

Pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, vt ſæpe pro malo gregis, etiam viri boni delinquat vita paſtoris. Ille enim, Deo atteſtante, laudatus, ille ſupernorum myſteriorum conſcius Dauid Propheta tumore repentino elationis inflatus populum numerando peccauit, & tamen vindictam populus, Dauid peccante, ſuſcepit. Cur hoc? Quia videlicet ſecundum meritum plebium diſponuntur corda rectorum. Iuſtus vero iudex ex ipſorum animaduerſione corripuit peccantes, Rex quorum cauſa peccauit. Sed quia ipſe, ſua ſcilicet voluntate ſuperbiens, C à culpa alienus non fuit; vindictam culpæ ipſe etiam ſuſcepit. Nam ira ſæuiens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore proſtrauit.

Certe verum eſt, quod ita ſibi inuicem & rectorum merita connectantur & plebium, vt ſæpe ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex merito plebium mutetur vita paſtorum. Sed quia certiores habent iudicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt non temere vitam iudicare regentium. Neque enim Ioan.2. fruſtra per ſemetipſum Dominus *et nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas euertit*: nimirum ſignificans, quia per magiſtros quidem vitam iudicat plebium, ſed per ſemetipſum facta examinat magiſtrorum, quamuis etiam ſubditorum vitia, quæ à magiſtris modo diſſimulantur vel iudicari nequeunt, eius (procul dubio) iudicio reſeruantur. Igitur dum ſalua fide res agitur, virtutis eſt merito, ſi, quicquid prioris D eſt, toleratur. Debet tamen humiliter ſuggeri, ſi fortaſſe valeat, quod diſplicet, emendare. Sed curandum ſummopere eſt: ne in ſuperbiam tranſeant iuſtitiæ inordinatæ defenſiones, dum rectitudo incaute diligitur, ipſa magiſtra rectitudinis humilitas amittatur, ne eum ſibi præeſſe quiſque deſpiciat, quem, fortaſſe contigit, vt in aliqua actione reprehendat.

Contra hunc tumorem ſuperbiæ ſubditorum mens ad cuſtodiam humilitatis edomatur, ſi infirmitas propria inceſſanter attenditur. Has vires noſtras veraciter examinare negligimus, & quia de nobis fortiora credimus; idcirco eos, qui nobis prælati ſunt, diſtricte iudicamus. Quo enim noſmetipſos minus agnoſcimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Signa hæc mala ſunt, quæ à ſubditis ſæpe in prælatis, ſæpe à prælatis in ſubditis committuntur, quia & omnes ſubditos hi, qui præſunt, minus, quam ipſi ſunt, ſapientes arbitrantur: & rurſum qui ſubiecti ſunt, rectorum ſuorum actiones iudicant: & ſi ipſos regimen tenere contingeret, ſe potuiſſe agere melius putant. Vnde plerumque fit, vt & rectores minus prudenter ea, quæ agenda ſunt, videant; quia eorum oculos ipſa nebula elationis obſcurat: & nonnunquam is, qui ſubiectus eſt, hoc, cum prælatus fuerit, faciat quod dudum fieri ſubditus arguebat, & pro eo, quod illa, quæ iudicauerat, perpetrat, ſaltem quia iudicauit, erubeſcat. Igitur ſicut prælatis curandum eſt, ne eorum corda, æſtimatione ſingularis ſapientiæ, locus ſuperior extollat: ita ſubiectis prouidendum eſt, ne ſibi rectorum facta deſpiciant. Si autem magiſtrorum vita iure reprehenditur: oportet, vt eius ſubditi, etiam cum diſplicet, magiſtrum venerentur. Sed hoc ſolerter intuendum, ne quem mutari conſpicis, venerari contemnas. E

Subtilis etenim via tenenda eſt rectitudinis & humilitatis, & ſic repræhenſibilia magiſtrorum facta diſpliceant, quatenus ſubditorum mens à ſeruanda magiſterij reuerentia non recedat. F

Dedit ergo Ioab numerum deſcriptionis populi regi. Et inuenta ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quinquagin millia pugnatorum.

Notandum autem, quod in Paralipomenon legitur, *mille millia centum millia de Iſrael, & de Iuda quadringenta & ſeptuaginta millia.* 1.Par.21. Quod quidem intelligendum eſt à Ioab numeratos eſſe, ſed ſummam eorum noluiſſe oſtendere Dauid, niſi tantum, quantum in Samuelis libro ſcribitur.

Percuſsit autem cor Dauid eum poſtquam numeratus eſt populus, & dixit ad Dominum Dauid: Peccaui valde in hoc facto, ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egi nimis, &c.

In libro quoque Exodi ita ſcriptum eſt: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Quando tuleris ſummam filiorum* Exod.30. *Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli precium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Siclus viginti habet obolos, media pars ſicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis* G *& ſupra, dabit precium. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam, quæ collata à filijs Iſrael, trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.*

Hoc vero oblitus Dauid facere, idcirco offendit Deum, & ob hoc plaga venit in Iſrael. Huius ergo loci mentionem faciens Ioſephus ita refert, dicens: *Prophetis itaque declarantibus Dauid, quod ei Deus iraſceretur: ſupplicare cœpit, eumque rogare vt propitius eſſet, & veniam peccati concederet. Tunc ergo Gad Prophetam miſit ad eum Dominus, tres ſupplicij conditiones portantem, vt earum, quam probaret, eligeret, vtrum vellet famem in prouincia generari annis ſeptem, an tribus menſibus pugnando vinceretur ab hoſtibus, an certe morbus & languor accederet tribus diebus Hebræis. Ille vero in anxietatem huius electionis omnium rerum peſſimarum incurrens, tribulabatur & vehementer animo videbatur eſſe confuſus. Cumque Propheta diceret, hoc omnimodo imminere, & reſponſum velociter exigeret, vt electam ab eo conditionem renunciaret* H *Deo, cogitans rex, quia ſi famem eligeret, contra alios hoc facere videretur, quando ipſe quidem habens multa frumenta non pateretur inopiam, reliquis vero eſſet anguſtia. Item ſi eligeret trium menſium victoriam hoſtium, ipſe quidem habens circa ſe viros fortiſsimos, & cuſtodes, nihil omnino metueret: noci vero eius exercitus ſubiaceret. Inter hæc autem communem potius paſſionem & regum & ſubiectorum elegit, in qua timor omnibus eſt æqualis, dicens: Quia multo melius in Dei magis quam in hoſtium manus incidere. Hæc audiens Propheta renunciabat Domino. Qui morbum & interitum miſit in exercitum Hebræorum. Moriebantur enim non vno modo, & facile languor potuiſſet agnoſci: ſed mors quidem in omnibus, multis vero languorum occaſionibus, & quæ non poſſent cognoſci facile peribant. Alius enim ſuper alium moriebatur, & latenter imminens malum velociter ferebat interitum. Alij ſiquidem perire cum vehementibus doloribus & amaro gemitu animam relinquebant. Alij vero ipſis paſſionibus marceſcebant, ita vt neque curam exhibere*

A *corporibus pram lateat, ſed pro labore defecerent. Alij autem repentinis tenebris eorum conatus arripientibus ſuffocati, protinus exſpirabant. Alij ſuper mortuos quos ſepeliebant, ipſi quoque moriebantur imperfectas relinquentes ſepulturas. Incipiente itaque peſtifero languore eos ab hora matutina peruenire, vſque ad horam prandij conſummata ſunt millia ſeptuaginta. Erat autem Angelus Domini iuxta Areuna Iebuſæi.*

1. Par. 21. In Paralipomenon quoque ita ſcriptum eſt: *Porro Angelus Domini ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi, leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit Angelum Domini ſtantem inter terram & cœlum, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Ieruſalem: & ceciderunt tam ipſe quam maiores natu veſtiti cilicijs proni in terram.*

XXX. *Dixitque Dauid ad Dominum cum vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccaui, ego inique egi. Iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Aſcende conſtitue Domino altare in area Ornan Iebuſæi* &c.

B Denique Areuna interpretatur, *area:* & Ornan latine reſonat, *lumen nobis.* Bene ergo Dauid cum Dominum pro offenſa, qua peccauit, placare vellet, altare iubetur in area Areuna vel Ornæ conſtruere, vt inde vnuſquiſque conijciat, quia aliter Diuinitas ab homine placari non poteſt, niſi in area cordis per lumen certæ fidei & veræ dilectionis altare illi deuotæ humilitatis conſtituat, in quo ſacrificium piæ confeſſionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod certè per eundem Prophetam in Pſalmis manifeſtatur, vbi dicitur ex perſona Domini: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et idem: *Sacrificium,* inquit, *Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Area Areuna vel area Ornæ, ipſa eſt videlicet Ieruſalem. Emit ergo Dauid aream & boues argenti ſiclis quinquaginta, quod in Paralipomenon ita legitur: *Dedit ergo Dauid Ornam pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.* Intelligendum namque eſt, boues argenti ſiclis quinquaginta, aream vero ſexcentis aureis emiſſe. C Pſal. 49. Pſal. 50. 1. Par. 21.

Et ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocauſta & pacifica. & repropitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.

Hinc quoque verba dierum ita narrant: *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon, & non præualuit Dauid ire ad altare vt ibi obſecraret Deum, nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini. Dixitque Dauid. Hæc eſt domus Domini, & hoc altare in holocauſtum Iſrael. Et præcepit, vt congregarentur omnes proſelyti de terra Iſrael. & conſtituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Dei.* In illo ſiquidem loco (vt Hebræi autumant) aliquando contigerat Abraham offerre filium ſuum Iſaac, quando, cum iam paratus eſſet occidere filium ſuum, & in holocauſtum exhibere, improuiſo aries apparuit, & altare circumſtetit, quem Abraham pro filio, ſicut prædiximus, immolauit. Ibid. D

Hrabani Mauri Commentariorum in Lib. II. Regum Finis.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI TERTII.

De ſenectute Dauid, & frigiditate, quem cale- faciebat Abiſag, Sunamitis. I.

De Adonia, qui regnare appetebat pro Dauid patre ſuo, qui & Abiſag Sunamitem expetebat ſibi fieri vxorem, quodque Dauid Salomoni in mandatis dat de aduerſarijs ſuis. II.

Iudicium Salomonis de mulieribus quæ de infantibus diſceptabant. III.

De poteſtate Salomonis, qua imperabat vniuerſis, vt de ſapientia eius, de diuitijs atque delitijs, & de pace, quam habebat in regno ſuo. IV.

Quod Salomon tria milia parabolarum locutus eſt, & quod fuerint carmina eius, quinque milia, quodque ipſe diſſeruit de iumentis, volucribus, reptilibus & piſcibus. V.

De ædificio domus Dei, & quod ædificatio tabernaculi vnam eandemque Chriſti Eccleſiam deſignet. VI.

Quomodo Iram rex Salomonem in opere templi iuuerit. VII.

Quot operarios Salomon in opere templi habuerit. VIII.

De quali lapide templum ſit factum. IX.

Quando vel vbi ædificatum ſit templum. X.

Cuius menſura ſit factum. XI.

De feneſtris eius, & tabulis per gyrum. XII.

De aſcenſu & factura medij & tertij cœnaculi. XIII.

Quod parietes cedro, & pauimentum ſit abiete tectum. XIV.

De diſtincta menſura templi ipſius & oraculi. XV.

Quod omnis domus ſit cedro veſtita & auro. XVI.

Quod altare oraculi cedro ſit tectum & auro. XVII.

De factura Cherubin. XVIII.

Quod parietes ſculpti, & pauimentum ſit auro veſtitum. XIX.

De ingreſſu oraculi ſiue templi. XX.

De atrijs domus Domini. XXI.

Quot annis templum ſit ædificatum. XXII.

De columnis æreis. XXIII.

De mari æneo. XXIV.

De baſibus decem & luteribus. XXV.

Quod in regione Iordanis facta ſunt vaſa domus Domini. XXVI.

De altari vtroque. XXVII.

De menſis decem aureis. XXVIII.

De decem candelabris. XXIX.

De cardinibus oſtiorum, & perfectione operis domus Domini. XXX.

Quod, illata arca Domini in oraculum templi in ſanctum ſanctorum, vectes eius vltra non apparebant extrinſecus, ſicut prius apparere conſueuerant. XXXI.

De eo, quod nebula impleuit domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam; & de dedicatione templi per Salomonem & populum Iſrael. XXXII.

De eo, quod Salomon fecit feſtiuitatem celebrem, & omnis Iſrael cum eo ſeptem, & ſeptem diebus, id eſt, quatuordecim diebus. XXXIII.

Quod Salomon poſt ædificationem templi & domus regis, ædificauit vrbes plurimas, & vicos ad ſe pertinentes muniuit muris, & quod alienigenas fecit ſibi ſeruos & tributarios, filios autem Iſrael conſtituit eſſe viros bellatores. XXXIV.

De eo, quod Salomon tribus vicibus per annos ſingulos offerebat holocauſta, & quod claſſem inſtituit ad ducendum aurum de Ophir. XXXV.

De regina Saba, quæ venit audire ſapientiam Salomonis. XXXVI.

Quod fecit Salomon de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & cytharas, & lyras, nec non & ſcuta & haſtas de auro, & poſuit eas in domum Domini. XXXVII.

Quod Salomon fecit ſibi thronum de ebore grandem, quem veſtiuit auro, & quod omnia vaſa, de quibus potabat ipſe rex, erant de auro mundiſſimo, & quod magnificatus eſt ſuper omnes reges terræ, diuitijs & ſapientia. XXXVIII.

De alienigenis mulieribus, quas amauit Salomon. XXXIX.

De diuiſione decem tribuum à domo Dauid propter peccatum Salomonis, & quod Roboam, derelicto ſeniorum conſilio, iuuenum obediuit perſuaſioni. XL.

De propheta, qui Ieroboam increpauerat ob idololatriam, & ſeductus ab pſeudopropheta cōtra præceptum Domini comedit, & ob hoc à leone in via occiſus eſt. XLI.

De Seſac rege Ægypti, quomodo propter peccata Roboam ſpoliauerit Ieruſalem, ſublatis theſauris domus Domini & theſauris regis, ſcutis quoque aureis, quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manu ducum ſcutariorum, quodque bellum fuit ſemper inter Roboam & Ieroboam, & inter Aſa regem Iuda, & Baaſa regem Iſrael, cunctis diebus eorum. XLII.

Quod ſermo Domini factus eſt ad Iehu, filium Anani, contra Baaſa, regem Iſrael, prædicens pœnas ei futuras, eo quod peccare fecerat Iſrael, & de Amri rege Iſrael, quomodo emerit montem Samariæ. XLIII.

De temporibus Achab, & quomodo Achiel de Bethel ædificauit Iericho, in Abiran primogenito ſuo fundans eam, & in Segub nouiſſimo ſuo ponens portas eius. XLIV.

De Helia Thesbite, quod dixerit de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto: *quomodo abſconſum in torrente Carith paſcebant eum corui, de-*

ferentes

deferentes ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſpere, &c. XLV.

De Sareptana vidua, quæ paſcebat Prophetam, cuius farina & oleo ob hoc benedixit Dominus. XLVI.

De filio mulieris matrisfamiliæ, quem ſuſcitauit Helias. XLVII.

De diſceptatione Heliæ contra prophetas Achab, & quomodo immolando oſtenderit, Deum verum eſſe Deum Iſrael, Idola autem falſos Deos, quos colebat Achab. Et de pluuia, quam impetrauit Helias. XLVIII.

De fuga Heliæ, qua fugiebat Iezabel, & quomodo ſedens in vmbra iuniperi petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, quem Angelus Domini ſubcinericio pane & aqua ibi paſcebat. XLIX.

Quomodo Helias in monte Oreb in ſpelunca latitans multimoda locutione Domini ibi conſolatus eſt, cui & delegat Dominus vngere reges, & Heliſæum Prophetam pro ſe, & dat eis poteſtatem percutiendi gladio. L.

Bellum Benadad, regis Syriæ, contra Achab regem Iſrael, cum apparuit Propheta confortans eum, & data eſt ei victoria per pueros principum prouinciarum. LI.

De eo, quod Benadad, rex Syriæ, ſemel victus inſtaurat prælium iterum contra Iſrael: ſed ſimiliter ab eo ſuperatur, qui confugiens ad clementiam regis Iſrael ſine iuſſu Domini fœderatus eſt cum eo, ob quod per Prophetam à Domino miſſum corripitur. LII.

De eo, quod Achab rex concupiuerat vineam Naboth Iezraelitæ, quam, illo occiſo per Iezabelis conſilium, ſibi vſurpauerat, & ob hoc per Heliam prophetam corripitur. LIII.

De viſione Michææ prophetæ, qui Achab, regis Iſrael, prædicit necem futuram. LIV.

Finis Capitum Libri tertij.

HRABANI MAVRI IN TERTIVM LIBRVM REGVM, COMMENTARIVS.

CAPVT I.

I. *ET Rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies. Cumque operiretur veſtibus, non caleſiebat. Dixerunt ergo ei ſerui ſui: Quæramus Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram rege, & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat Dominum noſtrum regem. Quæſierunt igitur adoleſcentulã ſpecioſam in omnibus filijs Iſrael. Et inuenerunt Abiſag Sunamitem, & adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & miniſtrabat ei. Rex vero non cognouit eam,* &c.

Hier. Dauid, annos natus ſeptuaginta, bellicoſus quondam vir, ſenectute frigeſcente, non poterat calefieri. Quæritur itaque puella de vniuerſis filiis Iſrael Abiſag Sunamitis, quæ cum rege dormiret, & ſenile corpus calefaceret. Nonne tibi videtur, ſi occidentem ſignaris literam, vel figmentum eſſe de mimo, vel arte lanarum ludicra? Frigidus ſenex obuoluitur veſtimentis, &, niſi complexu adoleſcentulæ, non tepeſcit. Viuebat adhuc Berſabée, ſupererat Abigail & reliquæ vxores & concubinæ, quas Scriptura commemorat, omnes quaſi frigidæ repudiantur, & in vnius tantum grandæuus caleſcit amplexibus. Abraham vero multo Dauid ſenior fuit: & tamen viuente Sara, aliam non quæſiuit vxorem. Iſaac duplices Dauid annos habuit: & cum Rebecca iam vetula nunquam refrixit. Taceo de prioribus ante diluulum viris, qui poſt annos nongentos non dico ſenilibus, ſed penè iam carioſis artubus, nequaquam puellares quæſiuere complexus. Certè Moyſes, dux Iſraelitici populi, centum & viginti annos habebat, & Sephoram non mutauit. Quæ eſt igitur iſta Sunamitis vxor, & virgo tam feruens, vt frigidum calefaceret, tam ſancta, vt calentẽ ad libidinem non prouocaret? Exponat ſapientiſſimus Salomon patris ſui delicias, & pacificus bellatoris viri narret amplexus. Prou. 4. *Poſſide ſapientiam, poſſide intelligentiam, ne obliuiſcaris, & ne declinaueris à verbis oris mei. Ne derelinqueris eam, & apprehendet te: ama illam, & ſeruabit te. Principium ſapientiæ poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua poſſide intelligentiam, Circunda illam, & exaltabit te. Honora illam, & amplexabitur te, vt det capiti tuo coronam gratiarum, corona quoque deliciarum proteget te.* Omnes pene virtutes corporis mutantur in ſenibus, &, creſcẽte ſolâ ſapientia, decreſcũt cætera. Ieiunia, chameuniæ, huc illucque deſcenſus, peregrinorum ſuſceptio, defenſio pauperum, inſtantia orationum, & perſeuerantia, viſitatio languentium, labor manuum, vnde præbeantur eleemoſynæ: & (ne ſermonem longius traham) cuncta, quæ per corpus exercentur, fracto corpore, minora fiunt. Nec hoc dico, quod in iuuenibus & adhuc ſolidioris ætatis his duntaxat, qui labore & ardentiſſimò ſtudio, vitæ ſanctimonia quoque & orationis ad Dominum frequentiâ ſcientiam conſecuti ſunt, frigeat ſapientia, quæ in pleriſque ſenibus ætate marceſcit, ſed quod adoleſcentia multa corporis ſuſtinet bella, & inter incentiua vitiorum & carnis titillationis, quaſi ignis in lignis viridibus, ſuffocetur vt ſuum non poſſit explere fulgorem. Senectus vero eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis actibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, Psal. 1. ætate fit doctior, vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſsimos fructus metet. Sed ipſius nominis Abiſag ſacramentum ſapientiam ſenum indicat ampliorem; interpretatur enim, *pater meus ſuperfluus*, vel *patris mei rugitus*. Verbum *ſuperflui* ambiguum eſt, ſed in præſenti loco virtutem ſonat, quod amplior ſit in ſenibus, & redundans ac larga ſapientia. In alio autem loco *ſuperfluus*, quaſi, *non neceſſarius*, ponitur. Abiſag autem, id eſt, *rugitus*, propriè nuncupatur, quod maris fluctus reſonat, & (vt ita dicam) de pelago veniens fremitus audiatur: ex quo oſtenditur, abundatiſsimum & vltra humanam vocem in ſenibus diuini ſermonis tonitruum commorari. Porro *Sunamitis* in lingua noſtra, *coccinea*, dicitur, vt ſignificet calere ſapientiam, & diuina lectione feruere. Quod licet Dominici Sanguinis indicet ſacramentum, tamen & feruorem oſtendit ſapientiæ. Vnde & obſtetrix illa in Geneſi coccinum ligat in manu Phares, qui ab eo, quod parietem diuiſerat, duos populos ante ſeparantem *Diuiſoris* nomen, id eſt, *Phares*, ſortitus eſt. Et Raab meretrix in typo Eccleſiæ reſticulam myſterium ſanguinis continentem, vt Iericho pereunte domus eius ſaluaretur, appendit. Vnde etiam in alio loco de viris ſanctis Scriptura commemorat: *Hi ſunt, qui venerunt de calore domus Rechab.* Et Dominus noſter in Euangelio; *Ignem*, inquit, *veni mittere ſuper terram, & quam volo, vt ardeat?* Qui diſcipulorum corde ſuccenſus, cogebat eos dicere: *Nonne cor noſtrum erat ardens in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*

Gen. 38. Ioſ. 2. 1. Par. 2. Luc. 12. Luc. 24.

II. *Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque ſibi currum & equites, & quinquaginta viros, qui ante eum currerent,* &c.

Quod autem Adonias filius Dauid maior in regnum pro patre ſuccedere voluit per faſtum ſuperbiæ, non per virtutem diſciplinæ: quid ſignificat, niſi quod Iudaicus populus, qui quaſi maior filius videtur eſſe, cum prior legem ſuſceperit, gentilem populum, qui per gratiam Dei poſterior vocatus eſt, ſpernens, ſolum ſecum Dominum æſtimabat regnaturum. Vnde & bene nomen Adoniæ, qui *dominator Dominus*, interpretatur, eius typum expreſſit, qui ſolum ſe dominari cum Domino arbitratus eſt. Sed Eccleſię populus cum vero Salomone, id eſt, pacifico noſtro, cuius ipſe corpus eſt, per diuinam ordinationem in regnum ſubſtituitur: de quo merito perfidiæ, maior filius, id eſt, prior populus præcipitatus eſt. Ephes. 1. Hic ergo Adonias, Berſabee interueniente, quæ interpretatur, *filia ſaturitatis*, Abiſag Sunamitidem corrumpere geſtiuit: quia Iudaicus populus per obſeruantiam cæremoniarum legis, qua ſaturus & pleniſsimus erat, veram ſapientiam ſpiritalis ſenſus, quæ Dauid noſtro coniuncta eſt, ſtuprare volens, non meruit eius conſortium, cuius violare appetit immaculatum thorum. Quod autem Dauid Salomoni filio ſuo præcepit de iuſta retributione eorum, qui ſibi ſolatio fuerunt, vel iniuſtè nocuerunt, licet ipſe patientiſsime eos regnans toleraret: quid melius ſignificare poteſt, quam futuram retributionem iudicij futuri, in qua impij pro mercede pœnam perpetuam, iuſti autem æternam beatitudinem percipient? In præſenti quoque tempore patientia Dei ſæpe bonos tribulari, atque anguſtiari permittit, & è contrario reprobos delitiis temporalibus, & proſperitate terrena

vti con-

Digitized by Google

A vti concedit: quibus tamen vtriſque per Iudicem viuorum & mortuorum præmia certa in futuro reſtituet, quando *his, qui ad dexteram eius ſunt, dicturus erit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Illis autem qui ad ſiniſtram eius erunt, dicet: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* Matth. 24.

CAPVT III.

T*VNC venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteteruntque coram eo. Quarum vna ait: Obſecro, mi Domine ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eã in cubiculo. Tertia vero die poſtquam ego peperi, peperit & hæc, & eramus ſimul, nullusque alius in domo nobiſcum, exceptis nobis duabus. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppreſſit eum. Et conſurgens intempeſta nocte ſilentio tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo. Suum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo. Cumque ſurrexiſſem mane, vt darem lac filio meo, apparuit mortuus, quem* B *diligentius intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum, quem genueram. Reſponditque altera mulier: Non eſt ita, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Atque in hunc modum contendebant coram Rege,* &c.

Greg. Notandum, quod poſtquam Dominus erroris noſtri tenebras luce ſuæ cognitionis illuſtrat: mox temptationis aculeo viſitando probat: quia accedendo corda noſtra ad virtutes prouehit, & recedendo concuti temptatione permittit. Si enim poſt virtutum munera nulla temptatione concutitur, hoc iam ſe animus habere ex ſeipſo gloriatur. Vt ergo ea firmitatis dona habeat, & infirmitatem ſuam humiliter agnoſcat: per acceſſum gratiæ ad alta ſuſtollitur, & per receſſum, quod ex ipſo ſit, probatur. Quod bene nobis ex hiſtoria ſacræ lectionis innuitur, qua Salomon & diuinitus accepiſſe ſapientiam, & tamen, poſt eandem ſapientiam, meretricum ſtatim pulſatus quæſtione memoratur. Mox enim vt gratiam tantæ reuelationis accepit: certamen turpium mulierum pertulit. Quia nimirum ſæpe cum mentem noſtram C conceſſis virtutibus reſpectus intimę largitatis illuminat: hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant, vt quę ſubleuata immenſo munere exaltatur, etiam temptatione pulſata, quid ſit, inueniat. Sic Helias & viſitatus deſuper 3. Reg. 18. ſermone cœlos aperuit: & tamen probatus ſubito infirmus, per deſerta fugiens, vnam mulierem expauit. Sic 3. Reg 19. Paulus ad tertium cœlum ducitur, Paradiſi penetrans ſecreta conſiderat: & tamen ad ſemetipſum rediens, con- 2. Cor. 12. tra carnis bellum laborat: Legem aliam in membris ſu- Rom 7. ſtinet, cuius in rebellione fatigari Spiritus legem dolet. Quod poſt donationem ergo muneris idcirco *Deus* hominem probat: quia collato munere ſubleuat, &, abſtracto paululum, ipſum ſibi hominem demonſtrat. Quod eo vſque proculdubio patimur, quo de terra funditus labe peccati ad promiſſæ incorruptionis ſubſtantiam reformemur. Quantum ad ſimplicem hiſtoriam pertinet, perſpicua eſt, quod puer annorum duodecim, contra ætatis ſuæ menſuram de intimo humanæ naturæ iudicaret affectu. Vnde & admiratus eſt, & pertimuit illum omnis Iſrael: quod ſcilicet eum manifeſta non fugerent: qui D tam prudenter abſcondita deprehendiſſet. Quantum ad 1. Cor. 10. typicos pertinet intellectus, dicente Apoſtolo: *Hæc omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem de nobis, in quos fines ſeculorum deuenerunt*: Quidam Græcorum autumant ſuper ſynagogam & Eccleſiam ſentiendum, & ad illud tempus cætera referenda, quando poſt crucem & reſurrectionem tam in Iſrael quam in Gentium populum verus Salomon, id eſt, pacificus regnare cœperit. Quod autem adulteræ & meretrices ſynagoga & Eccleſia in Scripturis dicantur: nulla dubitatio eſt. Et hoc prima fronte videtur eſſe blaſphemum. Cæterum ſi recurramus ad Prophetas, Oſee videlicet, qui accepit vxorem fornica- Oſe. 1. riam, & generat filios fornicationis, & deinde adulteram: & ad Ezechiel, qui Ieruſalem, quaſi meretricem, arguit: Ezech. 16. quod ſecuta ſit amatores ſuos, & diuaricauerit omni B tranſeunti pedes: lupanarque in loco celebri extruxerit: animaduertamus, Chriſtum idcirco veniſſe, vt meretrices donaret matrimonio, & de duobus gregibus vnum ouile faceret, medioque pariete deſtructo, in eaſdem Ioan 10. caulas oues prius morbidas congregaret. Hæ ſunt duæ Epheſ. 2. virgæ, quæ iunguntur in Ezechiel, & de quibus per Zachariam Dominus refert: *Et aſſumpſi mihi duas virgas, vnam* Zach. 11. *vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem.* Mulier quoque illa meretrix in Euangelio, quæ *Ieſu pedes lachrymis lauit, crine detterſit, & cui peccata omnia dimittuntur*, Luc. 7. manifeſte ſignificat Eccleſiam de gentibus congregatam. Hæc idcirco in prima fronte replicaui, ne cui videatur incongruum, ſi meretrices dicantur, quarum vna Salomonis iudicio filii poſſeſſione donata eſt. Prudens quærat auditor, quomodo meretrix ſignificet Eccleſiam, quæ non habet maculam neque rugam. Non dicimus, Eccle- Epheſ 5. ſiam permanſiſſe meretricem, ſed fuiſſe. Nam & Simonis leproſi domo Saluator ſcribitur iniſſe conuiuium, vti- Matt. 26. que non quia leproſus erat eo tempore quo habebat hoſpitem Saluatorem: ſed quia leproſus ante fuerat. Mat- F thæus quoque in catalogo Apoſtolorum publicanus di- Matth. 10. citur: non quod permanſerit publicanus poſt Apoſtolicam dignitatem, ſed quia prius fuerat publicanus, vt vbi abundauerat peccatum, ſuperabundaret gratia. Simul- Rom 5. que conſidera, quid dicat Eccleſia contra ſynagogam calumniatricem: *Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna.* Poſt reſurrectionem enim Domini Saluatoris vna de vtroque populo congregata eſt. Et quam eleganter Eccleſia, *peperi*, inquit, *apud eam in cubiculo*: Eccleſia enim de gentibus, quæ non habebat prius legem & Prophetas, peperit in domo ſynagogæ, nec egreſſa eſt de cubiculo, ſed ingreſſa. Vnde dicit in Cantico Canticorum: *Introduxit me Rex in cubiculum ſuum.* Et iterum equidem non ſper- Cant 2. nentem aſſumens: *Introducam te in domum matris meæ*, & Cant 8. in cubiculum eius, quæ concepit me.

Tertia autem die, poſtquam ego peperi, peperit & hæc

Si conſideres Pilatum lauantem manus atque dicentem: *Mundus ego ſum à ſanguine iuſti iſtius*: Si centurionem Matth. 27. ante patibulum confitentem: *Vere hic erat filius Dei*: Si Ibid eos, qui ante paſſionem, per Philippum, Dominum vi- G dere deſiderant: haud ambiges, primam peperiſſe Eccle- Ioan 12. ſiam: & poſtea natum populum Iudæorum: Pro quo Dominus precabatur: *Pater ignoſce illis, quid enim faciunt neſciunt.* Vnaque die crediderunt tria millia, & alia quinque Luc 23. Actor 2. millia. *Eramus ſimul. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* Actor 4. Ibid.

Nullus quoque alius in domo nobiſcum, exceptis nobis duabus.

Non blaſphemantium Iudęorum, non gentilium idolis ſeruientium.

Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte.

Dum legis ſequitur obſeruantiam, & gratiam Euangelii iugo Moſaicæ doctrinæ copulat, tenebrarum errore cooperta eſt. *Oppreſſitque eum dormiens mater ſua*, quæ non potuit dicere: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5.

Media nocte conſurgens tulit filium de latere.

Eccleſiæ dormientis.

Et in ſuo collocauit ſinu.

Relege totam Apoſtoli ad Galatas Epiſtolam, & animaduertes, quomodo filios Eccleſiæ ſuos facere feſtinet ſy- H nagoga. Et dicit Apoſtolus: *Filioli mei, quos iterum parturio,* Galat. 4. *donec formetur Chriſtus in vobis.* Vnum tulit, non vt poſſideret, ſed vt occideret: non enim amore fecit hoc filii, ſed æmulæ odio. Et ſuum mortuum per legis cerimonias in ſinu Eccleſiæ ſuppoſuit. Longum eſt, ſi velim per ſingula currere, quomodo per Apoſtolum Paulum, & Eccleſiaſticos viros intellexerit Eccleſia, non eſſe ſuum filium, qui tenebatur in lege, & in luce cognouerit, quem in tenebris non videbat. Inde iurgium ortum eſt præſente Rege, altera dicente: *Filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit*: altera reſpondente; *Mentiris, filius quippe meus viuit, filius tuus mortuus. Atque in hunc modum contendebant coram Rege.*

Tunc Rex Salomon, qui manifeſte Saluator accipitur

A (ſecundum Pſalmum ſeptuageſimum primum, qui titu-
lis Salomonis inſcribitur, vbi nulla dubitatio eſt, quin cæ-
tera, quæ dicuntur, non Salomoni mortuo, ſed Chriſti
conueniant maieſtati) ſimulat ignorantiam, & humanos
pro diſpenſatione carnis mentitur affectus, ſicut in alio
Ioan 11. loco: *Vbi poſuiſtis Lazarum?* Et ad mulierem fluentem ſan-
guinem; *Quis me tetigit?* Gladium poſtulat, de quo dixe-
Marc 5. Matth.10. rat: *Nolite putare, quod venerim pacem mittere ſuper terram; non
veni pacem mittere ſed gladium. Veni enim diuidere hominem
contra patrem ſuum: & filiam contra matrem ſuam, & nurum
contra ſocrum ſuam: & inimici hominis, domeſtici eius.* Et tem-
perat naturam, naturæ Dominus, vultq;, ſecundum vtri-
uſq; voluntatem, viuentem filium in legem gratiamque
diuidere, non quo hoc probet, ſed quo ad arguendã calu-
mniam ſynagogæ hoc velle ſe dicat: Illa, quæ nolebat Ec-
cleſiæ filium in gratia viuere, nec per Baptiſmum liberari,
libenter habet diuidi puerum, non vt poſſideat: ſed vt in-
terficiat. Eccleſia, quę ſcit ſuum eſſe, libenter concedit æ-
mulæ dum viuat ſaltẽ apud aduerſarium: ne inter legem
diuiſus & gratiam, Saluatoris mucrone feriatur: vnde di-
B Galat. 5. cit Apoſtolus: *Ecce ego Paulus dico vobis, quod ſi legem obſerue-
Greg. tis, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* Item alio modo: Quid in hac
ſententia melius, per matrum lactantiũ nomina, niſi do
ctorum ordo? Quid vero per earum filios, niſi diſcipulorũ
perſona ſignatur? Nam magiſtri, nimirũ vigilantes quidẽ
ſcientia, ſed vita dormientes, auditores ſuos, quos per vi-
gilias prædicationis nutriunt, dum quod dicũt facere ne-
gligunt, per ſomnum torporis occidunt & negligendo
opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Vnde
plerumque dum ipſi reprehenſibiliter viuunt, & habere
diſcipulos vitæ laudabilis nequeunt: alienos ſibi attrahe-
re conantur, quatenus dum bonos ſe habere ſequaces o-
ſtendunt, apud iudicia hominum excuſent mala, quæ a-
gunt, & quaſi ſubditorum vita mortiferam tegant negli
gentiã. Vnde & illa mulier, quæ filium extinxit propriũ,
quæſiuit alienũ. Sed tamen veram matrẽ Salomonis gla-
dius inuenit, quia videlicet cuius fructus viuat, vel cuius
intereat, extremo examine ita diſtricti iudicis demõſtrat.
Ibi & illud eſt ſollerter intuendũ, quod viuens filius prius
diuidi pręcipitur, vt ſoli poſtmodum matri reddatur: quia
C in hac vita quaſi partiri conceditur vita diſcipuli: dum ex
illa nonnunquam alter apud Deum meritum: alter vero
apud homines laudem habere permittatur. Sed falſa ma
ter eum, quem non genuit, occidi non metuit: quia arro-
gantes magiſtri & charitatis ignari, ſi pleniſſimum nomẽ
laudis ex alienis diſcipulis conſequi nequeunt: eorum vi-
tam crudeliter inſequuntur. Inuidię enim facib. ſuccenſi
nolunt aliis viuere, quod ſe conſpiciunt non poſſe poſſi-
dere. Vnde & illic peruerſa mulier clamat:

Nec meus ſit, nec iſtius.

Vt enim diximus, quos ſibi obſequi non vident ad glo-
riam temporalem, eos aliis inuident viuere per veritatẽ.
Vera autem mater ſatagit: vt eius filius ſaltem apud ex-
traneam ſit & viuat: quia concedunt veracis magiſtri di-
ſcipuli, vt ex eorum diſcipulis alii quidem magiſterii lau-
dem habeant, ſed integritatem vitæ iidem diſcipuli non
amittant. Perque pietatis viſcera, hæc eadem mater vera
agnoſcitur omnino: quia magiſterium in examine chari-
tatis approbatur. Et ſola totũ recipere meruit, quæ quaſi
totũ ceſsit: quia fideles præpoſiti pro eo, quod ex bonis
D diſcipulis ſuis non ſolum aliis laudem non inuident, ſed v-
tilitatẽ eis etiam profectus exorant, ipſi integros & viuen-
tes filios recipiunt, quando in ſupremo examine eorum
vitæ perfectæ retributionis gaudia conſequuntur.

CAPVT IV.

IV. ENumeratis ergo principibus Salomonis, qui in regno
eius variis officiis deputati fuerant, ſeu diuerſis pro-
uinciis præerant: ſequitur Scriptura ita dicens: *Salomon
autem erat in ditione ſua habens omnia regna terræ Philiſtiim: à
flumine vſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera, &
ſeruientium ei cunctis diebus vitæ eius.*

Et quis in hoc melius ſignificatur, quam Pacificus no-
ſter, quem præfigurabat idem Salomon? Ipſe enim omnia
regna terræ à ſolis ortu vſq; ad occaſum in ditione ſua ha- B
bet, Scriptura teſte, *à mari vſq; ad mare & à flumine vſque ad* Pſal 71.
*terminos Orbis terræ: ipſi ſeruient omnes populi, linguæ & tribus
offerentes ei ſcilicet munera:* rectæ fidei & bonorum operum.

Reges, inquit, *Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Ara-
bum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges ter-
ræ, omnes gentes ſeruient ei.* Quod autem ſubditur: *Cunctis
diebus vitæ eius:*

Hoc eſt, in ſeculum ſeculi: quia ipſe permanebit ſem-
per: *eiuſque poteſtas, poteſtas eſt æterna, cuius anni non deficient,* Dan 7. Pſal.101.
& regni eius non erit finis. Luc. 1.

*Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta chori ſi-
milæ, & ſexaginta chori farinæ, decem boues pingues, & viginti
boues paſcuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum,
caprearum atq; bubalorum & auium altilium.*

Quid ergo cibus iſte Salomonis ſignificat: niſi refe-
ctionem Regis noſtri Ieſu Chriſti: qui bene paſcitur re-
cta fide, & operibus bonis, quæ illi quotidie offeruntur ab
ab Eccleſia Catholica? *Triginta* ergo *chori ſimilæ* poſsint ex-
primere fidem ſanctæ Trinitatis: iuxta quod in lege Do-
F mini ſcriptum continetur. Et *ſexaginta chori farinæ* per-
fectionem bonorum operum: *decem boues pingues*, docto-
res decalogi: & *viginti boues paſcuales*, prædicatores noui te-
ſtamenti: qui quaſi geminatum decalogum in ſe habent,
cum nouum & vetus teſtamentum æqualiter prædicant,
pleni dilectione Dei & proximi. *Centum arietes* quos me-
lius ſignificant: quam eos qui in grege Domini bene do-
minantes, ſimul cum ſibi ſubditis, æternæ beatitudinis
gloriam conſequi feſtinant? *Venatio* quoque *diuerſorum
animalium* non inconuenienter accipi poteſt, adquiſitio
hominum: qui ex diuerſis gentibus quotidie retibus Eu-
angelii, per *ſpirituales venatores* capiuntur, & in paſtum Sal- Ier. 16.
uatoris noſtri rediguntur.

*Habebat quoque Salomon pacem ex omni parte in circuitu:
habitauit Iudas & Iſrael abſque timore vllo vnuſquiſque ſub vi-
te ſua, & ſub ficu ſua à Dan vſque Berſabee: cunctis diebus Salo-
monis*, &c.

Iſaias quoq; de Redemptore ita dicit: *Multiplicabitur e-* Eſa.9.
ius imperium, & pacis non erit finis. Sub cuius defenſione ve-
rus Iudas & verus Iſrael abſque timore vllo habitant cum
G cordibus erectis ad Deum: cætera terrena deſpiciunt, nec
hoſtium minas pertimeſcunt, ſed in laudibus Dei iugiter
perſeuerant: delectantes in gratia Dei, & in dulcedine
charitatis: quam inceſſanter habent ad Deum & ad pro-
ximum. *Habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorũ
curruleum & duodecim millia equeſtrium. Nutriebantq; eos ſu-
pradicti Regis præfecti.* Quid per quadragenariũ numerum Exod. 34.
niſi tempora legis priſcæ deſignantur? Quia & Moyſes, il-
lam accepturus, quadraginta diebus ieiunauit: & populus
Iſraeliticus, qui per eam inſtruebatur, quadraginta annis
in Heremo manſit. Duodenarius vero numerus præſens
tempus ſignificat, in quo Apoſtolica doctrina noui teſta-
menti populum nutrit. Bene quoq; per quadragenarium
ſiue duodenarium numerum præſepia equorum Salomo
nis numerantur: quia in vtroque populo, legali videlicet
& Euangelico, illi quatenus intelligentes fuerunt ad præ-
ſepia ſanctarum Scripturarum inuitantur: vt pabulum ibi
ſacræ doctrinę acciperent, quatenus equitatui ſummi re-
gis habiles fierent. *Nutriebantq; eos ſupradicti Regis præfecti*,
cum vnuſquiq; doctorum ſermone rectæ fidei, exemplo
H bonæ operationis ſatagit paſtum illis ſalubrem conferre.
Vnde ſubſequens Scriptura de eis dicit: *Sed & neceſſaria
menſæ Regis Salomonis cum ingenti cura præbebant tempore ſuo.
Hordeum quoque & paleas equorum & iumentorum.*

Quia ne quid deſit his, qui in domo Regis manent, to-
tus ordo ſanctorum prædicatorum (ſcribendo ſcilicet &
loquendo) laborat: vt menſa Domini abundet in copia
librorum, & decentem paſtum inde habeant quiq; fide-
lium.

*Dedit quoq; Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam mul-
tam nimis & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore
maris. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium O-
rientalium & Ægyptiorum: & erat ſapientior cunctis homini-
bus*, &c.

Dedit vtiq; Deus Salomoni noſtro ſapientiam & pru-

Digitized by Google

A *Ioan. 3.* dentiam victa omnes homines, & omnem creaturam rationabilem. De quo Ioannes dicit: *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* *Ioan. 5.* *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Et alibi Veritas ipſa dicit: *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Hinc Paulus ait de ipſo *Col. 1.* Domino Chriſto: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni ſiue dominationes: ſiue principatus, ſiue poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe caput Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit* *Col. 2.* *ipſe in omnibus primatum tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter. Et in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Omnibus ergo veri Salomonis ſapientia antecellit: quia multum diſtat inter eos, qui participatione ſapientiæ ſapientes ſunt, & illum, qui eſt fons ſapientiæ, & origo virtutum. Hinc eſt illud, quod ſequitur: *Et erat nominatus* B *in vniuerſis gentibus per circuitum;* quia nomen eius prædi- *Actor. 4.* catur in vniuerſo mundo. *Nec eſt nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat ſaluos fieri.*

V. *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque millia, &c.*

Iſidor. Quid enim per tria millia parabolarum, niſi plenitudo fidei in lege, & in Euangeliis & Chriſto tradita deſignatur? Quia dum tota multipliciter per allegoriarum ſenſus ſub myſterio Trinitatis diſſeritur: quaſi tria millia parabolarum nuncupantur. Carmina autem eius quinque millia per quinque ſenſus corporis intelliguntur, quos qui diuerſis virtutibus bene regit, beatus eſt, & per eos quaſi quinque millia Domino carmina canit. *Diſputauit autem Salomon à cedro vſque ad Hyſopum.* Cedri nomine celſitudo gloriæ, in electis accipitur. Vnde Propheta teſta- *Pſal. 91.* tur dicens: *Iuſtus, vt palma florebit, & ſicut cedrus, quæ in Libano eſt, multiplicabitur.* Hyſopus autem herba eſt humilis, ſaxo hærens, qua ſignatur humilitas Chriſti. Redemptor quippe noſter à cedro vſque ad Hyſopum diſputauit: quia ab alta excellentia gloriæ cœleſtis vſque ad car- C nis humilitatem deſcendendo peruenit. Siquidem & cedri nomine prauorum ſuperba elatio deſignatur, ſicut & *Pſal. 28.* per Dauid dicitur: *Vox Domini confringentis cedros.* A cedro itaque Chriſtus vſque ad Hyſopum diſputat: quia ipſe ſuperborum corda & humilium iudicat. Super ligna autem diſputauit, dum in cruce pependit. Tunc enim in cedro, ſeculi arrogantia inclinauit, quam etiam vſque ad Hyſopi humilitatem, id eſt, vſque ad crucis ſtultitiam ac contemptibilem ſermonem deduxit fidei. Hinc Paulus *1. Cor. 1.* ait: *Verbum enim pereuntibus quidem ſtultitia eſt: His autem, qui ſalui fiunt, id eſt, nobis virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim:* *Eſai. 29.* *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo,* Et poſt pauca: *Nam quia in Dei ſapientia non cogno-* *1. Cor. 1.* *uit mundus per ſapientiam Deum placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Et diſſeruit Salomon de iumentis* *Hebr. 4.* *& volucribus & reptilibus, & piſcibus.* Diſſerit Salomon noſter de ſingulis ſpeciebus animalium, quia *omnia nuda & aper-* *Pſal. 193.* *ta ſunt oculis eius, nec eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius.* *Pſal. 146.* *Ipſe enim nouit omnes cogitationes hominum, ipſe numerat mul-* *Pſal. 138.* *titudinem ſtellarum,* ipſi patet abyſſus, & infernus non eſt D abſconditus coram eo. Quaſi enim diſputare ipſius eſt, cum ſingulorum rationem nobis proponit, & in Scripturis ſuis manifeſtat ſacramenta, quæ fuerant abſcondita à ſeculis & generationibus, vt conſideremus beatitudinem Angelorum, vtilitatem hominum, & calliditatem malignorum ſpirituum: ſicque, quod malum eſt reprobantes, quod bonum eſt, eligamus: & ipſum ſectemur ſemper in inuicem & in omnes.

Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis regionibus terræ: & audiebant ſapientiam eius.

Eſa. 2. Hinc Propheta Iſaias ait: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* E

Domus Dei, quam ædificauit Rex Salomon in Ieruſa- VI. *Bed.* lem, in figuram facta eſt ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ: quæ à primo electo vſq; ad vltimum, qui in fine mundi tranſiturus eſt, quotidie per gratiam Regis pacifici, ſui videlicet Redemptoris, ædificatur, quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim euaſis peregrinandi ærumnis, cum illo iam regnat in cœlis: vbi peracto vltimo iudicio, tota eſt regnatura cum illo. Ad hanc domum pertinent electi Angeli: quorum nobis ſimilitudo in futura vita promittitur, dicente Domino: *Illi autem, qui di-* *Luc. 20.* *gni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt neque ducunt vxores: neque enim vltra mori poterunt. Æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cum ſint filij reſurrectionis.* Ad hanc pertinet ipſe Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ipſo atteſtante cum ait: *Soluite tem-* *Ioan. 2.* *plum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod exponens Euangeliſta ſubiunxit: *Hoc autem dicebat de templo corpo-* *Ibid.* *ris ſui.* Dixit Apoſtolus de nobis: *Neſcitis, quia templum* F *Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Si ergo ille tem- *1. Cor. 3.* plum Dei per aſſumptam humanitatem factus eſt: conſtat vtique, quod figuram omnium noſtrum, & ipſius, videlicet Domini & membrorum eius, quæ nos ſumus, templum illud materiale tenuit. Sed ipſius, tanquam lapidis angularis ſingulariter electi & pretioſi in funda- *1. Pet. 2.* mento fundati: noſtri autem, tanquam lapidum viuo- *Epheſ. 2.* rum ſuperædificatorum ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum: hoc eſt, ſuper ipſum Dominum. Deſignat eandem domum Dei ſpiritualem etiam tabernaculum quondam factum in heremo per Moyſen. Verum quia illa domus in itinere, quo ad terram repromiſſionis veniebatur: hæc autem ædificabatur in ipſa terra repromiſſionis, & in ciuitate Ieruſalem: illa, vt de loco ad locum crebro Leuitarum miniſterio portata, tandem in terram promiſſæ hæreditatis induceretur: hæc, vt mox in patria ipſa & ciuitate Regia conſtructa, inuiolabi ſemper fundamento conſiſteret: donec inditum ſibi figurarum cœleſtium munus impleret: poteſt in illa præſentis Eccleſiæ labor & exilium, in hac futura requies & bea- G titudo figurari. Vel certe quia illa à ſolis filiis Iſrael: hæc autem à proſelytis etiam & gentibus facta eſt: poſſunt in illa principaliter patres veteris teſtamenti, & antiquus ille Dei populus: in hac autem congregata de gentibus Eccleſia figuraliter exprimi. Quamuis ædificium vtriuſque domus enucleatius ſpirituali ſenſu excuſſum eſt, vt labores præſentis Eccleſiæ quotidianos, & præmia in futuro perennia, gaudiaque regni cœleſtis, & Eccleſiæ primæ de Iſrael electionem, & ſalutem omnium gentium in Chriſto multimodis oſtendatur inſinuare figuris.

Capvt V.

Narrat autem Regum hiſtoria, quod Salomon ædifi- VII. caturus domum Domino, quæſierit auxilium ab Hiram Rege Tyri, qui erat amicus Dauid omni tempore, & cum ipſo quoque & Salomone, poſtquam regno potitus eſt, pacem habuerit, promptumque mox Salomon ad adiuuandum ſe in omnibus eius inuenerit animum: ita vt & H artifices illi, & ligna & aurum, prout opus habebat, dederit, ob cuius beneficii gratiam Salomon ei annos ſingulos, plurimos tritici & olei choros in cibum domui eius dabat. Nulli autem dubium, quod Salomon, qui interpretatur, *pacificus*, & ipſo nomine, & sereniſſimo regni ſui ſtatu illum ſignificet, de quo dixit Iſaias: *Multiplicabi-* *Eſa. 9.* *tur eius imperium, & pacis non erit finis.* Hiram vero, qui Latine dicitur, *viuens excelſe*, credentes ex gentibus, & vita ſimul cum fide glorioſos, figuraliter exprimit. Neque aliquid prohibet, quin Hiram, quia Rex erat, regalique potentia Salomonem in ædificio domus Domini iuuabat, conuerſos ad fidem earum rerum Dominos typice denuntiet, quorum ope conſtat Eccleſiam ſæpius adiutam ac nobiliter augmentatam, & contra hæreticos, ſchiſmaticos & paganos principalibus erectam eſſe decretis.

Digitized by Google

A Petiit ergo Salomon, in opere templi, auxilium ab Hiram; quia cum veniens in carne Dominus dilectam ſibi domum, videlicet Eccleſiam, ædificare diſponeret, non de Iudæis tantummodo, verum etiam de Gentibus adiutores operis elegit: nam de vtroque populo miniſtros ſermonis aſſumpſit. Miſit Hiram Salomoni præciſa de Libano ligna cedrina, & abiegna, quæ in domum Domini ponerentur: quia conuerſa gentilitas miſit ad Dominum viros, quondam ad ſeculum claros, ſed ſecuri Dominicæ increpationis de monte ſuæ ſuperbiæ iam deiectos & humiliatos: qui ad normam Euangelicæ veritatis inſtituti in ædificatione Eccleſiæ pro ſuo quiſq; merito vel tempore collocarentur.

Miſit etiam artifices:

Quia conuerſos ad veram ſapientiam Philoſophos, qui gratia eruditionis populis quoq; regendis iure præponerentur, Domino gentilitas obtulit, qualis fuit ipſis Apoſtolorum temporibus Dionyſius Areopagita, qualis deinceps doctor ſuauiſſimus ac fortiſſimus martyr Cyprianus aliiq; quam plurimi.

B *Miſit & aurum:*

Quod in eadem pene ſignificatione accipitur: quia nimirum viros ſapientia & ingenio præclaros oſtendit. pro quibus cunctis oblationibus gentilitas à Domino dona expectat gratiæ cœleſtis, triticum videlicet verbi Dei & oleum charitatis atque vnctionis & illuminationis Spiritus ſancti. Conuenit autem apte rebus Eccleſiæ, quod auxilium operis ſancti flagitans, ait ad Hiram Salomon: *Præcipe igitur, vt præcidant mihi cedros de Libano, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis.* Serui quippe Hiram, qui præcidebant Salomoni cedros de Libano, doctores ſunt electi de gentibus: quorum officii eſt, eos, qui in hoc mundo rebus & gloria lætabantur, à ſuperbiæ faſtu corrigendo ſternere, atque ad obſequium ſui Redemptoris eorum vota transferre, cum quibus videlicet ſeruis erant & ſerui Salomonis, ac pariter memorato inſtabant operi; quia primi doctores ex gentibus neceſſe habebant ipſorum Apoſtolorum, qui à Domino didicerant eruditionem, verbo fidei inſtitui, neſi abſque magiſtris docere inciperent, magiſtri exiſterent erroris. Idcirco etenim Salomon ſeruos
C Hiram cædere ſibi voluit ligna de Libano, quia doctiores erant ſeruis ſuis ad cædendum. ſed idcirco etiam ſeruos ſuos ſimul adeſſe voluit: vt oſtenderet cædentibus, cuius menſuræ ligna fieri deberent. Cuius rei figura in promptu eſt, quia nimirum Apoſtoli certius verbum Euangelii, quod à Domino audiere, nouerunt. Sed gentiles ab errore conuerſi, atq; ad veritatem Euangelii transformati, melius ipſos gentium errores nouerant, & quo certius nouerunt, eo artificioſius hoc expugnare atque euacuare didicerunt.

VIII. *Legitque Salomon operarios de omni Iſrael. Et erat indictio triginta virorum millia, mittebatq; eos in Libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis, &c.*

Vbi primo notandum, quod non fruſtra Salomon operarios de omni Iſrael elegit, neque erat vlla portio populi, de qua non digni tanto opere viri aſſumerentur. Quia nimirum non de vna ſtirpe Aaron ſacerdotes eligendi, ſed de omni ſunt Eccleſia quærendi, qui ædificare domum Domini vel exemplo ſuo vel dicto ſufficiant: &
D vbicunque inuenti fuerint, mox in officium doctorum abſque vlla perſonarum acceptione promouendi: taleſque cum ad erudiendos infideles, atque in collegium Eccleſiæ vocandos ordinantur, quaſi ad cædendas in Libano templi materias viri ſtrenui atque electi mittuntur. Et quidem numerus triginta millium, quo iidem lignorum cæſores recenſebantur, poteſt ad eorum figuram apte referri, qui in fide ſanctæ Trinitatis ſunt perfecti: quod doctoribus maxime congruit. Verum quia triginta millia ita erant ordinata, vt dena millia per menſes ſingulos operi ſancto inſtarent; magis denarii numeri ſacramentum perpendere debemus. Dena namque millia virorum de Iſrael ad cædenda ligna in opus domus Domini mittuntur: quia quicunque doctores atque inſipientium eruditores ſunt ordinandi, decem præcepta legis per omnia & ipſi obſeruare, & auditoribus ſuis debent obſeruanda monſtrare: ſed & præmia in cœlis futura, quæ denario ſolent figurari, & ipſi ſperare, & auditoribus ſuis ſperanda debent ſemper intimare. E Terni autem menſes, quorum diſtantia ſingulis erat lignorum cæſoribus impoſita, perfectionem trium virtutum Euangelicarum typice denunciant: eleemoſynæ videlicet, orationis & ieiunii. Per eleemoſynam namque comprehenduntur omnia, quæ ad dilectionem proximi explendam beneuole in fratres operamur. Per orationem omnia, quibus per internam compunctionem noſtro conditori coniungimur. Per ieiunium omnia, quibus nos à contagione vitiorum, & illecebris ſeculi obſeruamus, vt libera mente, & corpore caſto dilectioni valeamus inhærere ſemper noſtri Conditoris & proximi. Et iſti ſunt tres menſes operariorum templi. Nam quia menſis plenitudine dierum Lunaris circuli perficitur, recte per illum plenitudo virtutis cuiuſque ſpiritualis oſtenditur, in qua mens fidelium à Domino quotidiana illuſtratione, quaſi Luna à Sole, reſpicitur.

Et Adoniram, erat ſuper huiuſcemodi indictionem, & cætera. F

Adoniram quippe, qui Latine dicitur, *Dominus meus excelſus*, quem melius, quam ipſum, quem nomine imitatur, inſinuat? Dominum videlicet Saluatorem. Et tunc Adoniram operariis templi præponitur, vt ſua prouiſione rite ordinet, quibus menſibus ſinguli ad operandum exeant, quibus denuo ad curandam domum ſuam redeant, cum Dominus & Saluator noſter mentes ſanctorum prædicatorum ſua familiarius illuſtratione informat ad diſcernendum, quando oporteat ædificandæ Eccleſiæ opus inire prædicando, vel alia pietatis officia præſtando: & quando rurſum conueniat ad ſuam ipſorum conſcientiam examinandam, quaſi ad inſpiciendam domum ſuam reuerti, & hanc orationibus ac ieiuniis ſuperno Inſpectore ac viſitatore dignam reddere.

Fuerunt itaque Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia Latomorum in monte, abſq; præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium trecentorum præcipientium populo, & his, qui faciebant opus, & cætera. G

Latomos dicit lapidum cæſores, idem autem lapidum cæſores, quo & lignorum cæſores, figurate deſignant: hoc eſt, ſecundum prædicationes, quod mentes inſipientium dolabro verbi Dei exercent, eiſque ab ea, in qua nati ſunt, fortitudine ac deformitate tranſmutare contendunt, ac regulariter inſtitutos vnitati fidelium, ædificio videlicet domus Dei, aptos reddere curant. Quod autem & ligna & lapides in monte cæduntur, & cæſa ac præparata vtraque materies ad montem domus Domini transfertur: patet ſenſus, quod omnes in monte ſuperbiæ nati ſumus. Quia de præuaricatione primi hominis, quam ſuperbia fecit, originem carnis traximus. Quicunq; autem gratia Dei præordinati ſumus ad vitam, excidimur catechizando, & ſacramenta fidei percipiendo de monte ſuperbiæ, & in montem Domini transferimur, quia eruti de poteſtate tenebrarum, ad arcem virtutum, quæ eſt in vnitate ſanctæ Eccleſiæ, peruenimus. Notandum autem, quod iidem operarii ita erant diſtributi, vt pars in monte lapides cæderent, pars item onera portarent. Diuerſa namque ſunt dona Spiritus, quod quidam dicendi ac proteruos arguendi conſtantiam habent, quidam mitiores ad conſolandos puſillanimes, & infirmos ſubleuandos exiſtunt, quidam vtriuſq; virtutis munere H præditi ad opus domus Domini conueniunt, quales fieri voluit eos, quibus loquitur Apoſtolus, dicens: *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* 1. Theſſ. 5. Præpoſiti autem, qui præerant ſingulis operibus, ipſi ſunt ſacræ conditores Scripturæ, quorum magiſterio in omnibus erudimur, quomodo mitiores docere, & contemptores corripere, quomodo nos inuicem onera noſtra portare, vt impleamus legem Chriſti, conueniat. Galat. 6. Recte præfati operarii ſeptuaginta millia, & octoginta millia eſſe perhibentur. *Septuaginta* videlicet propter Sabbatiſmum animarum, ſeptimus enim dies in

Sabba-

A Sabbatum, id eſt, requiem conſecratus eſt. *Octoginta* propter ſpem reſurrectionis, quæ octaua die, id eſt, poſt Sabbatum in Domino proceſſit, & in nobis quoque octaua die ſimul & octaua ætate futura ſperatur. Propoſiti autem erant tria millia trecenti, propter fidem nimirum ſanctæ Trinitatis, quam ſancta nobis eloquia prædicant. Quod vero pro tribus millibus trecentis propoſitis in libro

2. Par. 2. Paralipomenon tria millia ſexcenti ſunt ſcripti, ad eandem prorſus ſublimium virorum perfectionem reſpicit. Nam quia in ſenario numero mundi ornatum compleuit, recte in eo perfecta bonorum opera ſolent figurari. Et quia ſacra Scriptura cum fide veritatis opera iuſtitiæ docet habenda, recte præpoſiti operum templi tria millia, & ſexcenti fuiſſe perhibentur. Nec prætereundum, quod hæc ſeptuaginta & octoginta millia portantium onera & Latomorum cum præpoſitis ſuis non fuere de Iſrael, ſed de proſelytis, id eſt, aduenis, qui morabantur inter eos. Scriptum namq; eſt in libro Paralipomenon: *Numerauit igitur*

Ibid. *Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſrael, poſt denumerationem, quam denumerauit Dauid pater eius, & inuenti*

B *ſunt centum quinquaginta millia, & tria millia ſexcenti: fecitq; ex eis ſeptuaginta millia, qui humeris onera portarent*, &c. Proſelyti autem vocabantur Græce qui ex aliis nationibus progeniti, in fidem & conſortium populi Dei, accepta circumciſione, tranſierunt. Fuerunt itaq; operarii domus Domini de filiis Iſrael, fuerunt de proſelytis, fuerunt de Gentibus. De filiis videlicet Iſrael illi triginta millia ad præcidendas de Libano cedros miſſi ſunt: de proſelytis iſti ſunt, de quibus nunc locuti ſumus, lapidum cæſores: de Gentibus Hiram ipſe & ſerui eius, qui cum ſeruis Salomonis ligna cædebant de Libano. Omne igitur hominũ genus, per quod ędificanda erat Eccleſia, in ædificatione templi præceſſit. Iudæi namque, proſelyti & gentiles conuerſi ad veritatem Euangelii vnam eandemque Chriſti Eccleſiam ſiue recte viuendo, ſiue etiam docendo conſtruunt.

IX. *Præcepitque Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides precioſos, in fundamentum templi, & quadrarent eos*, &c.

C Fundamentum templi nullum eſt myſtice intelligendum, quam illud quod oſtendit Apoſtolus dicens: *Funda-*

1. Cor. 3. *mentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Qui propterea fundamentum domus Domini poteſt recte vocari: quia, ſicut ait Petrus:

Actor. 4. *Non eſt aliud ſub cælo datum nomen hominibus, in quo oporteat ſaluos fieri.* In quod fundamentum lapides grandes, & precioſi tolluntur, cum præcipui factis ac ſanctitate viri familiari mentis ſanctitate ſuo adhærent Conditori, vt quo firmius in illo ſpem ſuam ponunt, eo fortius aliorum vitam dirigere (quod eſt latitudinem parietis portare) ſufficiant. Lapides ergo, qui in fundamentum templi ad portandum ædificium omne ponebantur, proprie ſunt Prophetæ & Apoſtoli, qui verbum & ſacramenta veritatis ſiue viſibiliter, ſiue inuiſibiliter ab ipſa Dei ſapientia perceperunt. Qui bene lapides primo quadrati, ac ſic in fundamento poni iubentur. Quadratum namq; omne quocunq; vertitur, fixum ſtare conſueuit. Cui nimirum figuræ corda aſſimulantur electorum, quæ ita in fidei firmitate conſiſtere didicerunt, vt nulla occurrentium rerum aduerſitate, nec ipſa etiam morte à ſui rectitudine poſſint ſtatus inclinari.

D *Quos dolauerunt cementarij Salomonis & cementarij Hiram.*

Dolantur namque lapides precioſi, cum electi quique præcedentium ſanctorum inſtructione & inſtantia, quicquid in ſe habent noxium & inane, relinquunt: atque ante conſpectum ſui Creatoris inſitæ ſibi iuſtitiæ regulam, quaſi ſtabilem quadraturæ formam, oſtendunt. Dolauerunt autem hos lapides non ſolum cementarii Salomonis, ſed & cementarii Hiram: quia ex vtroque populo doctores fuere ſanctæ Eccleſiæ. *Porro Giblij præ-*

Ezech. 27. *parauerunt ligna, & lapides ad ædificandam domum.* Giblos eſt ciuitas Phœnicis, cuius meminit Ezechiel dicens: *Sapientes tui, Tyre facti ſunt gubernatores tui, ſenes Giblij & prudentes eius.* Pro quo in Hebræo continetur *Gobal* ſiue *Gebal*: quod interpretatur, definiens, ſiue *diſterminans*: quod

E vocabulum apte conuenit eis, qui corda hominum ad ædificium ſpirituale, quod ex virtutibus animæ conſtituitur, parant: ſic etenim ſolummodo ſuos auditores fidem & opera iuſtitiæ docere ſufficiunt: dum ipſi prius ſacris paginis edocti, diligenter, quæ ſit fides tenenda, quo virtutum calle incedendum, certa definitione veritatis didicerint. Nam fruſtra officium ſibi doctoris vſurpat: qui diſcretionem Catholicæ fidei ignorat, neque ſanctuarium Domino, ſed ruinam ſibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipſi non didicere, conantur. In ædificanda ergo domo Dei primo ſunt ligna & lapides cædendi de monte: quia eos, quos in fide veritatis inſtituere quærimus, primo neceſſe eſt, vt abrenuntiare Diabolo, ac de ſorte primæ præuaricationis, in qua nati ſunt, doceamus renaſcendo etui. Deinde quærendi ſunt lapides pretioſi & grandes, atque in fundamentum templi ponendi, vt meminerimus. abdicata conuerſatione priori, eorum in omnibus vitam moreſque in ſpicere, eos noſtris auditoribus imitandos proponere, quos per virtutem humilitatis ſpecialiter Domino adhærere nouerimus. Addendus eſt in altum paries operum bonorum, F

& quaſi ſuper impoſitis ſibi inuicem ordinibus lapidum, ambulandum eſt ac proficiendum *de virtute in virtutem.* Pſal. 83.

Vel certe lapides fundamenti grandes pretioſi & quadrati primi ſunt (vt ſupra diximus) Eccleſiarum magiſtri, qui ab ipſo Domino verbum audiere ſalutis. Superpoſiti autem ordines lapidum ſiue lignorum ſequentes ſunt, ſuo quique tempore ſacerdotes ac doctores. Quorum vel prædicatione ac miniſterio fabrica creſcit Eccleſiæ: vel ornatur virtutibus. Quales autem colore fuerint lapides, quibus factum eſt templum, in libro Paralipomenon aperte declaratum eſt, dicente Dauid ad Salomon: cum ei impenſas templi quas præparauerat oſtenderet: *Omnem pretioſum lapidem, & marmor Parium* 1. Par. 29.

abundantiſſime præparaui. Marmor autem Parium, marmor candidum dicit, quale eadem inſula gignere conſueuit. Eſt autem vna de Cycladibus, quo videlicet lapide templum fuiſſe factum, & Ioſephus inſinuat, dicens: *Eleuauit itaque templum vſque ad cameram & lapide* G

albo conſtructum. Altitudo fuit ſexaginta cubitorum. Nec myſterii ſenſus in abdito eſt. Cuiuis etenim patet, quod marmor candidum, ex quo domus Domini conſtructa eſt, mundam electorum actionem, ſimul & conſcientiam ab omni næuo corruptionis caſtigatam deſignat: quales eſſe voluit ſapiens ille architectus eos, quos ſuper fundamentum Chriſti locabat lapides precioſos, auro argentoque redimitos. *Chariſſimi*, inquit, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.*

CAPVT VI.

FACTVM eſt igitur quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti in anno quarto, menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus Regis Salomonis ſuper Iſrael: ædificare cæpit domum Domino, &c.

Quod dicitur: *In anno quarto menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundi Regis Salomonis ſuper Iſrael*: ordo ſenſus eſt: In anno quarto Regis Salomonis ſuper Iſrael menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus. Menſem autem ſecundum Maium dicit. Namque Aprilis, quo paſcha celebratur, principium menſium apud Hebræos primus erat in menſibus anni. Ex quo manifeſte claret: quod mox, peracto paſcha, cæpit ædificare domum Domini. Et conſecratus myſtica ſolemnitate populus, manus ad myſticum opus miſit. Fit autem commemoratio egreſſionis ex Ægypto, quando tabernaculum ædificari cœptum eſt, vt admoneatur lector, quot annorum tempus inter ædificationem vtriuſque domus tranſierit: & huic quoque ſummæ temporis Sacramentum ineſſe ſpirituale cognoſcat. Quater namque centeni & viceni quadringentos & octoginta faciunt. Quatuor autem Euangelicæ perfectioni apte conueniunt: propter H

ipſum

A ipſum Euangeliſtarum numerum. Centum doctrinæ legali: propter annos legislatoris totidem. In quo etiam numero virorum, gratiam ſancti Spiritus primitiua ſuſcepit Eccleſia patenter oſtendens, quia qui lege legitime vtuntur, id eſt, qui Chriſti in ea gratiam cognoſcentes amplectuntur: iure Spiritus eius gratia replentur, qua in charitate eius amplius igneſcant. Diximus autem per tabernaculum, quod fecit Moyſes & filii Iſrael in deſerto, ſynagogam: per templum vero, quod Salomon & filii Iſrael cum proſelytorum & gentilium auxilio conſtruxit, Eccleſiam gentium poſſe deſignari. Permanſit autem cultus & religio tabernaculi annos quadringentos & octoginta: ac ſic templum ædificari incepit. Quod autem quarto anno Regis Salomonis ædificari cœpta eſt domus Domini: poteſt eo referri myſtice, quod poſt repletam diſpenſationem Dominicæ Incarnationis, quæ in quatuor Euangelii libris ſcripta eſt, miſſo de cœlis Spiritu ſancto, Eccleſiæ ſtructura cœpit. Et quod menſe ſecundo cœpta eſt: poteſt ad electionem gentium referri, quæ ſecundo loco poſt Iſrael ædificationem in ſe ſui ſuſcepere creatoris. B Vnde & ſecundus menſis in lege conceſſus eſt ad faciendum paſcha his, qui *immundi ſuper animam, vel in via procul poſiti* (Num. 9.), ad faciendum in primo menſe paſcha occurrere nequirent. Vbi nos aperriſſime deſignati ſumus, qui immundi ſuper morte animæ noſtræ & procul adhuc poſiti à populo *Dei*, non potuimus primum paſcha facere, quod in carne & ſanguine agni fiebat. Celebramus autem hodie paſcha ſecundum, quod in corpore & ſanguine Redemptoris noſtri, à quo quæſiti & mundati ſumus, actum eſt. In quo autem loco templum ſit ædificatum, manifeſtius in libro Paralipomenon oſtenditur: vbi ſcriptum eſt: (2. Par. 3.) *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalem in monte Moria: qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius in loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Iebuſæi.* Ædificatur ergo domus Domini *in Ieruſalem*, hoc eſt, *in viſione pacis*, quia dilatata per totum orbem Eccleſia in vna eademque fide & veritatis Catholicæ ſocietate conſiſtit. Namque in ſciſſura mentium Deus non eſt: ſed *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* (Pſal. 75.) Ædificatur *in monte*: videlicet in ipſo Domino Saluatore: de quo Iſaias ait: (Pſal. 2.) *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* C Et ipſe de ſe in Euangelio ait: (Matth. 5.) *Non poteſt*, inquit, *ciuitas abſcondi ſuper montem poſita.* Ipſe eſt enim mons montium, qui de terra quidem per originem aſſumptæ carnis ortus eſt: ſed omnium terrigenarum potentiam ac ſanctitatem ſingularis culmine dignitatis tranſcendit. In quo nimirum monte ciuitas ſiue domus Domini conſtructa eſt: quia ſi non in illo radicem figat: Spes & Fides noſtra nulla eſt. Qui recte mons *Moria*, id eſt, *viſionis*, vocatur: quia electos ſuos, quos ad æternam ſuæ claritatis viſionem conſeruat, in hac interim vita laborantes videre & adiuuare dignatur. *Qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius.* Oſtenſus namque erat Dauid, ſicut & cæteris Prophetis venturus in carne Dominus. Bene idem locutus in area erat Ornan Iebuſæi: (2. Reg. 24.) quia & Eccleſia *areæ* ſolet vocabulo deſignari: dicente Ioanne de Domino: (Matth. 3.) *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam.* Ornan, qui interpretatur, *illuminatus*: & erat natione Iebuſæus: natione quidem gentiles ſignificat: nomine autem eoſdem illuſtrandos à Domino, atque in D filios Eccleſiæ commutandos oſtendit: quibus merito dicit Apoſtolus: (Epheſ. 5.) *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Iebus, eadem eſt ciuitas, quæ & Ieruſalem, & *Iebus* quidem interpretatur, *conculcata*: *Ieruſalem* autem *viſio pacis*. In qua quamdiu Ornan gentilis regnabat, Iebus dicta eſt: cum vero in ea Dauid locum holocauſti emeret: cum Salomon in ea templum Domino ædificaret: non iam Iebus, ſed Ieruſalem vocata eſt: quia nimirum gentilitas quamdiu diuini cultus neſcia perdurabat: conculcabatur, & illudebatur ab immundis ſpiritibus, ad ſimulachra muta, prout ducebatur, ſequens. Cum vero illam gratia ſui Conditoris reſpexit, continuo pacis in ſe & locum inuenit, & nomen.

XI. *Domus autem, quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine, &c.* E Longitudo domus, longanimitatem deſignat ſanctæ Eccleſiæ, qua in exilio peregrinationis huius patienter aduerſa quæq; tolerat: donec ad patriam, quam expectat, perueniat. Latitudo inſinuat charitatem: qua dilatato ſinu mentis non ſolum amicos in Deo: ſed & inimicos diligere gaudet (Matth. 5.) propter Deum: donec veniat tempus, quando ſiue ad pacem ſuam conuerſis, ſeu funditus omnibus extinctis inimicis cum ſolis gaudeat amicis in Deo. Altitudo ſpem denunciat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæque, ſiue quæ demulcent, ſeu quæ aduerſantur, contemnit: vſque dum, vtriſque tranſcenſis, ſola mereatur *videre bona Domini in terra viuentium.* (Pſal. 26.) Vbi notandum, quod triginta cubiti altitudinis, non vſque ad tectum templi, ſed vſque ad cœnaculum inferius pertingebant. Namq; in libro Paralipomenon aperte ſcriptum eſt, (2. Par. 3.) quod altitudo centum viginti cubitorum erat: de quo poſt hæc dicturi ſumus.

Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis: iuxta menſuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. F

Templum namque erat conuerſum ad Orientem, ſicut & tabernaculum, habebatque oſtium porticus ab Oriente contra oſtium templi, iuxta quod hiſtoricus Iudæorum Ioſephus apertiſſime docet, ita vt Sol æquinoctialis Oriens directis radiorum ſuorum lineis, per oſtia porticus videlicet & templi, & oraculi, arcam teſtamenti perfundere poſſet. Quia vero templum ſanctam Eccleſiam deſignat, porticus, quæ erat ante templum, & propior lucem ſolis accipere ſolebat: quid apertius quam illam eius partem, quæ Dominicæ Incarnationis tempora præceſſit, typice denunciat? In qua ſunt Patriarchæ & Prophetæ: qui Orientem huic mundo *Solem Iuſtitiæ* (Mal. 4.) primi ſuſceperunt, & naſcenti in carne Domino teſtimonium, ſiue viuendo, ſiue prædicando, ſiue etiam moriendo præbuerunt? Oſtium ergo templi Dominus eſt, (Ioan. 14.) quia nemo venit ad patrem niſi per ipſum, & ſicut alibi dicit. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur.* (Ioan. 10.) Oſtium porticus, ſermo Propheticus, qui quaſi recto calle ingredientes ad oſtium templi perducebat, quia gratiam templi Domini Saluatoris, qua mundum erat redempturus, aperte prædicabat. G Factura ergo porticus tota fideles illius temporis ſignat: Oſtium vero in porticu, doctores, qui cæteris lucem vitæ, ianuamque intrandi ad Dominum pandebant, exprimit. Et bene vnum oſtium: propter conſonam in omnibus ſanctis fidem, ac dilectionem veritatis. Quæ videlicet porticus iuxta latitudinem templi viginti cubitis longa erat: quia nimirum antiqui iuſti per longanimitatem deuotæ mentis deſiderabant venire ad dilatationem Eccleſiæ, in charitate DEI, quæ eſt in CHRISTO Domino noſtro.

XII. *Fecitq; in templo feneſtras obliquas.*

Feneſtræ templi, doctores ſancti & ſpirituales quique in Eccleſia, quibus mente excedentibus Deo archana ſecretorum cœleſtium ſpecialius cæteris videre conceditur. Qui dum ea, quæ in occulto vident, publice fidelibus pandunt: quaſi ſuſcepto lumine Solis feneſtræ cuncta templi penetralia replent. Vnde bene eædem feneſtræ obliquæ, id eſt, intus fuiſſe latiores perhibentur, quia nimirum neceſſe eſt, vt quiſquis iubar ſupernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox H ſinum cordis amplius caſtigando dilatet: atque ad maiora capeſſenda ſolliciti exercitatione præparet.

Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. Tabulatum, quod ſuper erat, quinque cubitos habebat latitudinis: & medium tabulatum ſex cubitos latitudinis: & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis.

Hæc tabulata in Euangelio, vbi Dominus temptatur à Diabolo, (Matth. 4.) *pinnacula templi* vocantur. Sed & Iacobum, fratrem Domini, Apoſtolum in pinnaculum templi, vnde ad populum concionaretur, leuatum eſſe legimus. Vtrum

Digitized by Google

A autem moris fuerit doctoribus, vt in his ſedentes tabulatis: ad circumſtantem inferius turbam fecerint ſermonem: nuſquam ſcriptum inuenimus patet vero Sacramenti ratio, quod tabulata hæc tria totidem fidelium gradus, coniugatorum videlicet, continentium, & virginum deſignant: diſtinctos quidem altitudine profeſsionis: ſed ſocietate fidei, & veritatis eiuſdem omnes ad domũ Domini pertinentes, eique fixa mente inhærentes. Vbi pulchre dicitur, quia tabulatum, quod ſupererat, quinq; cubitos habebat latitudinis, medium ſex, tertium ſeptẽ. Supremum ergo tabulatum erat cæteris anguſtius, medium ſupremo latius: ſed infimo erat factum anguſtius: quia nimirum altior profeſſio virtutis arctiorem debet viam tenere viuendi. Singula autem tabulata habebant in circuitu latera, id eſt loriculas, ne facile quis in eiſdem tabulatis conſiſtens ſiue reſidens: poſſet ad inferiora decidere, quod Achaziæ Regi contigiſſe in Samaria legimus. (4. Reg. 1) Quæ nimirum latera, non incongrue quotidiana diuinæ protectionis erga nos munimina deſignant. De quibus Pſalmiſta: (Pſal. 33.) *Immittet*, inquit, *Angelum Dominus in circuitu timentium eum: & eripiet eos.* B Aſcendit quidem in cœnaculum Achazias Rex Samariæ, qui ſe à domo Dauid ſeparauerat: ſed per cancellos cecidit: quia etſi hæretici, ſiue ſchiſmatici aliquam bonæ actionis arcem conſcendere videntur, quia tamen compagem Eccleſiaſticæ vnitatis non habent: quaſi patentibus & non ſolidis laterum præſidiis ſemper ad vitiorum infima relabuntur: dum diuino deſtituti auxilio, ſuæ pertinaciæ faſtu intereunt. Qua autem arte præfata tabulata parietibus templi ſint adfixa, declaratur cum ſubditur:

Trabes autem poſuit in domum per circuitum forinſecus, vt non hærerent muris templi, &c.

Trabes autem, quæ intrinſecus domum muniebant & ornabant, tantæ erant longitudinis, vt capita earum forinſecus prominerent: in infimo quidem ordine cubitorum ſeptem, in medio ſex, in ſummo quinque, atque in eiſdem capitibus earum tabulata componerentur, nequaquam muris templi infixa, ſed iuxta muros trabibus, quæ de muris exierant, ſuperpoſita. Quid itaque per trabes domus, quæ tabulata, portabant, niſi prædicatores ſancti C ſunt typice deſignati? Qui dum ipſi ſublimem atque honorabilem in Eccleſia Dei locum tenent, infirmiores quoſque ac fragiles ſuis prædicationibus ab infirmorum appetitu ſuſtollunt, atque ad cœleſtia deſideranda ac ſperanda ſuſpendunt; ſuis etiam interceſſionibus, vt in (2. Par. 3.) cœptis perſiſtant, adiuuant. Legimus autem in Paralipomenon, quod trabes templi, ſicut & cætera eius interiora, fuerint auro veſtitæ. Quod ita factum eſſe non dubium eſt: vt illæ trabum partes, quæ intus in templo erant, auri eſſent laminis tectæ: quæ vero foris parebant, hæ minime deauratæ, ipſam cedri ſpeciem formamque cunctis oſtenderent, in qua tamen impoſita ſibimet tabulata geſtabant. Quod ergo extrinſecus eminebat trabium, vitam ſanctorum, quæ nobis in terris innoteſcere potuit, deſignat. Quod intus in templo deauratum fulgebat: claritatem illam, qua in cœleſti patria in aſpectu ſui gaudent Creatoris, figurate denuntiat. *Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata eſt. Et malleus & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* Hæc ad illam Eccleſiæ partem, D quæ poſt huius ſeculi labores & certamina ad æterna præmia meruit introduci, proprie pertinent. Ibi enim perfecti ſolummodo & immaculati, atque ab omni labe iniquitatis caſtigati ingrediuntur. (Apoc. 21.) *Non enim intrabit in illam ciuitatem aliquid coinquinatum, faciens abominationem & mendacium*, ſicut in Apocalypſi ſcripſit Ioannes. Vbi malleus & ſecuris, & omne ferramentum non auditur: quia hic tundimur aduerſitatibus, & diſciplina veritatis exercemur, vt illic locis iuxta meritum congruis diſponamur: caſtigatione ceſſante, ſolo amoris glutino quo adinuicem copulemur, vno impleti ſpiritu perfundamur.

XIII. *Oſtium lateris medij in parte erat domus dextræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum: & à medio in tertium*, &c.

E Quidam, hunc locum male intelligentes, putant, oſtium templi à meridie fuiſſe: non attendentes, quia ſi hoc ſignificare voluiſſet Scriptura, non ita diceret: *oſtium lateris medij in parte erat domus dextra*: ſed ita potius ſimpliciter: *& habebat domus oſtium ad meridiem.* Nunc autem longe aliud ſignificat. Partem namque domus dextræ, latus templi meridianum dicit: in cuius parte Orientali oſtium erat in ipſo Angulo factum iuxta terram: in quod introeuntes ſtatim ad altiora gradatim aſcendebant: habentes viam aſcenſus per ipſa parietis interiora: donec tali itinere ad medium cœnaculum & à medio perueniretur ad tertium. Nec dubitandum, quamlibet hoc Scriptura non dicat, quia ſic aſcendentes crebertimas habebant à Meridie feneſtras: quarum luce certum per omnia & ſine offenſione iter agerent. Qui nimirum locus proprie ad Corpus Dominicum, quod de virgine ſumpſit, reſpicit. Oſtium namque lateris medii in parte erat domus dextræ, quia, defuncto in cruce Domino, *vnus militum lancea latus eius aperuit.* Et bene, (Ioan. 19.) *in parte domus dextra*: quia dextrum ei latus à milite apertum, ſancta credit Eccleſia. F Vbi apto etiam verbo vſus eſt Euangeliſta, vt non diceret: *percuſſit latus eius*: aut: *vulnerauit*: ſed: *aperuit*, videlicet, quaſi *oſtium lateris medij*: per quod nobis iter ad cœleſtia panderetur. Denique ita ſubiunxit: *Et continuo exiuit ſanguis & aqua.* (Ibid.) Aqua ſcilicet, qua abluimur in baptiſmo: & ſanguis, quo conſecramur in calice ſancto. Per hoc namque oſtium nobis eſt aſcenſus in medium cœnaculum, & a medio in tertium: quia per fidem & myſteria noſtri Redemptoris de præſenti Eccleſiæ conuerſatione ad requiem animarum poſt mortem aſcendimus: rurſumque de requie animarum, adueniente die iudicii, ad immortalitatem quoque corporum, quaſi in tertium cœnaculum, ſublimiore profectu penetrabimus: ex quo in magna amborum, & corporis videlicet & animæ, beatitudine perpetuo viuamus.

Quod quidem iter inuiſibiliter agebatur, ita, vt ſoli hoc, qui intrauerant, noſſent: quamuis ipſum oſtium etiam foris poſiti viderent: quia nimirum actus fidelium in hoc ſeculo, & celebrationes ſacramentorum, etiam reprobi poſſunt intueri. G Verum arcana fidei, intimæ gratiam dilectionis, nullus niſi qui per hæc, Domino duce, ad cœleſtia ſcandit, agnoſcit. *Qui enim dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* (1. Ioan. 2.) Notandum ſane, quod triginta cubiti altitudinis, de quibus ſupra legitur, vſque ad medium cœnaculum pertingebant: deinde alii triginta cubiti vſque ad tertium cœnaculum addebantur, quouſque porticuum, quæ erant circa templum ab auſtro, & aquilone & occaſu tectum perueniebat, vt, Ioſepho narrante, didicimus. Deinde vſque ad ſupremum templi tectum alii ſexaginta cubiti numerabantur: & ſic tota altitudo domus iuxta librum Paralipomenon in centum viginti cubitos conſummata eſt. (2. Par. 3.) Porticus quoque, quæ erat ante frontem templi ad Orientem, iuxta fidem præfati voluminis, eandem cubitorum ſummam in altitudine habebat. Qui videlicet liber illas, de quibus prædiximus, porticus circa templum cellaria vocat & cubicula. *Dedit autem*, inquit, *David Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis.* (1. Par. 28.) Vbi etiam exteriorum domorum, quæ erant extra atrium ſacerdotum in circuitu templi, fecit mentionem: cum H protinus adiunxit: *Nec non & omnium, quæ cogitauerat, atriorum, & exedrarum per circuitum in theſauris domus Domini, & in theſauris ſanctorum.*

Quod autem omnis altitudo templi centum viginti fuit cubitorum: ad idem Sacramentum reſpicit, quod & primitiua in Hieroſolymis Eccleſia, poſt paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem Domini in (Act. 1. & 2.) cœlos, in hoc numero virorum, gratiam Spiritus ſancti accepit: Quindecim namque, quæ ex ſeptem & octo conſtant, ſolent nonnunquam ad ſignificationem referri vitæ futuræ, quæ nunc in ſabbatiſmo geritur animarum fidelium: perficietur autem in fine ſeculi reſurrectione corporum immortalium. Ipſa autem xv. in

Digitized by Google

A trigonum ducta, id eſt, cum omnibus ſuis partibus adnumerata, centum triginta faciunt. Quapropter apte numero centenario & vicenario magna Electorum beatitudo in futura vita deſignatur: apte in hoc tertium domus Domini cœnaculum conſummatur, quia poſt præſentes fidelium labores, poſt acceptam in futuro requiem animarum, plena totius Eccleſiæ fælicitas, in reſurrectionis gloria complebitur.

Ædificauit domum & conſummauit eam. Texit quoque domum laquearibus cedrinis, &c.

Laquearia ſunt tabulata, quæ magno decore compoſita & ornata, ab inferiore parte trabibus affiguntur. Et quia ter geminæ altitudinis domus Domini facta erat: terna nimirum habebat laquearia. Quid autem apertius per laquearia, quam ſublimiores quoſque in ſancta Eccleſia iuſtos ſignificari credamus? Quorum opus & doctrina cunctis in exemplo propoſita, quaſi longius in alto præminet, quique ſuis interceſſionibus & exhortationibus animos infirmorum, ne in tentationibus deficiant, protegunt. Quæ nimirum laquearia, recte cedrina eſſe deſcribuntur. B Cedrus namque arbor eſt imputribilis omnino naturæ: odoris iucundi, aſpectus nitidi: ſerpentes accenſa nidore fugans ac perimens. Quæ vniuerſa perfectis quibuſque conueniunt: quorum inſuperabilis eſt patientia, fama virtutum eximia, præſentia cunctis gratiſſima bonis, auctoritas ad reuincendos confutandoſque eos, qui veritati reſiſtunt, conſtantiſſima: qui & in hac vita & in futura ſingulari præ cæteris eminentia fulgent. *Et ædificauit tabulatum ſuper omnem domum quinque cubitis altitudinis.* Loriculas ſignificat, quæ in ſupremo domus tecto per circuitum erant factæ, ne quis ad altiora perueniens, repente laberetur ad ima: quod in omni domo,

Deut. 22. quam quiſque ædificaret, Moyſes fieri præcepit: *Cum ædificaueris*, inquiens, *domum nouam: facies murum tecti per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.* Hæc autem tabulata ſiue oriculæ ſupra ſunt latera vocata; vbi cum dictum eſſet: *Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi, & oraculi*: continuo ſubiectum eſt: *Et fecit latera in circuitu.* C In quibus nimirum lateribus intelleximus diuina eſſe præſidia deſignata: quæ nos in hoc adhuc ſeculo laborantes, ac pro captu noſtro ad ſuperiora nitentes, quotidie ne deficiamus, adiuuant. Bene autem in hoc ſupremo tabulato, in tecto domus Domini, quinque cubitos altum eſſe memoratur: quia nimirum ita nos in illa patria diuinæ præſentia claritatis adimplet, vt nihil aliud viſus noſter, nihil auditus, nihil olfactus, nihil guſtus, nihil tactus dulce habeat; niſi diligere

Deut. 6. Dominum Deum noſtrum, ex toto corde tota anima, tota virtute, diligere & proximum tanquam noſmetipſos.

Et operuit domum lignis cedrinis.

Hic ſupremum ipſum domus tectum dicit, id eſt, tabulatum illud, quod ſupremis trabibus ſuperpoſitum erat. Non enim habebat templum culmen in ſuperioribus, ſicut nec tabernaculum: ſed erat æquale, quomodo omnibus in Paleſtina, & Ægypto domus ædificantibus facere moris eſt. Id ipſum autem hoc tabulatum, quo operta eſt domus, quod & laquearia deſignat; id eſt, eximios quoſque in reſurrectionis gloria viros, & ſingulari D ſanctitate ad ipſum virtutis apicem peruenientes. De quorum vna voce dicitur: *Inter natos mulierum non ſurrexit*

Matth. 11. *maior Ioanne Baptiſta*: Cuius ſi comparem magnitudinis

Luc. 1. ſcire vis, audi, quid patri ipſius Angelus ait: *Et ipſe præcedet ante Dominum in Spiritu & virtute Heliæ.*

XIV. *Et ædificauit parietes domus intrinſecus tabulatis cedrinis à pauimento domus vſque ad ſummitatem parietum, & vſque ad laquearia operuit lignis intrinſecus*, &c.

Intrinſecus quidem domus cedro erat veſtita. Nam forinſecus tanto nitore lapis ille, de quo facta fuerat, fulgebat, ac ſi calculo eſſet candido tecta. Iuxta ſenſus vero myſticos, parietes templi, ſunt fidelium populi, ex quibus ſancta vniuerſalis conſiſtit Eccleſia, quorum dilatationem, per Orbem latitudo deſignat parietum, ſpem vero & intentionem omnem ad cœleſtia erectam altitudo. E Vel certe altitudo parietis, quæ ex ordinibus lapidum ſuper inuicem poſitis conſtat, præſentis ſtatum Eccleſiæ ſignificat, vbi electi, ſuper fundamentum Chriſti omnes ædificati, ſibi inuicem in ordine per temporum curricula ſuccedunt: ſeſeque inuicem portantes legem Chriſti, quæ eſt charitas adimplent. Dum enim qui nunc à præcedentibus erudiuntur magiſtris, rurſum ipſi alios Galat. 6. erudiunt, quaſi ſuper inuicem poſitis ordinibus quique lapidum virorum in domo Dei, ſic ab aliis fixa conſtantia portantur, vt ad portandos alios & ipſi ſufficiant vſque ad vltimos, qui in fine mundi naſcituri ſunt, iuſtos. Qui quaſi in ſummo domus Dei cacumine locati docentur quidem & portantur ab aliis; ſed quos doceant quorumve fragilitatem tolerent ipſi non habent. Qui videlicet parietes intrinſecus tabulatis cedrinis operiuntur: cum corda fidelium amore virtutum redundant. Sicut enim cedri natura perfectos homines (vt ſupra Dominus) typice denuntiat: ita etiam locis oportunis celſitudinem virtutum quibus ad eandem perfectionem venitur, non immerito deſignat. Teguntur autem omnia lignis à pauimento domus vſque ad ſummitatem parietum, vſque F ad laquearia: cum electi à primis fidei rudimentis, vſque ad perfectionem bonæ actionis, & vſque ad ingreſſum patriæ cœleſtis, bonis inſudare non deſiſtunt operibus, cum à primis iuſtis vſq; ad vltimos in conſummatione ſeculi, omnes virtutibus ſtudent, quarum merito iure valeant proteſtari: quia *Chriſti bonus odor ſumus Deo* in omni 2. Cor. 2. loco. *Et texit pauimentum tabulis abiegnis.* Hoc quomodo factum ſit; plenius in libro Paralipomenon explicatur vbi ſcriptum eſt: *Strauit quoq; pauimentum pretioſiſſimo mar-* 2. Par. 3. *more decore multo.* Vnde patet, quod tabulas abiegnas, quibus pauimentum texerat nequaquam in terra poſuit: ſed primum illud marmore prætexit, ac deinde tabulas marmori ſuperpoſuit, ac tertium his duobus auri veſtitum ſuperaddidit, vt in ſequentibus legitur. Sicut autem altitudo parietis in altum exurgens atque vſq; ad laquearia perueniens, profectus virtutum, quibus electi ad regnum cœleſte perueniunt, vel certe ipſos Electorum choros ſibimet per tempora variantia ſuccedentes ſignificat: ita æqualitas pauimenti concordem eorundem G humilitatem, qua in temporali adhuc vita poſiti ſocialiter inuicem charitate dictante conuerſantur, non immerito demonſtrat.

Quod videlicet pauimentum pretioſiſſimo erat marmore ſtratum decore multo, idemque marmor mox tabulis tectum abiegnis: quia nimirum vita ſanctorum primo fidei firmitate præmunienda in corde; ac deinde ſpiritualium virtutum latitudine eſt adornanda in opere. Alioquin quid vtilitatis habebat decor marmoris pretioſiſsimi lignorum tabulis obtectus, ſi non myſticum aliquod tacite ſignabat, ac bonorum amplitudinem operum fortitudine fidei intemeratæ ſubfulciendam eſſe docebat? Abies vero propter altitudinem ſui, & robur diu durabile, mentem Electorum infima quæque deſideria ſpernentem, & cœleſtium contemplationi ſemper intentam, virtute quoque patientiæ ſingulariter excellentem, non incongrue demonſtrat. Auri autem laminæ, quæ marmori ac tabulis ſunt abiegnis ſuperpoſitæ, ipſa eſt latitudo *charitatis*, decor *de corde puro, & conſcientia bo-* 1. Tim. 1. *na, & fide non ficta*: quæ ſicut aurum aliis pretioſius eſt metallis: ita cæteris eximior virtutibus in templo Dei ſingu- H lari luce fulget.

XV. *Ædificauit quoque viginti cubitorum ad poſteriorem partem templi tabulata cedrina à pauimento vſque ad ſuperiora; & fecit interiorem domum oraculi in ſancto ſanctorum*, & cætera.

Poſteriorem partem templi Occidentalem dicit. Ab ortu enim ſolis ingreſſum habebat templum, & ab occaſu domum interiorem, hoc eſt, ſancta ſanctorum. Quod autem tabulata, quæ interiorem domum ab exteriore ſeparabant, à pauimento vſque ad ſuperiora eſſe dicuntur ædificata: non vſque ad laquearia ſignificat, quæ triginta cubitis erant in ſublime à pauimento ſuſpenſa, vt ſupradictum eſt; ſed tantum vſque ad cubitos viginti altitudinis, in ſequentibus aperte legitur. Reli-

A ctum vero erat ſuper hæc tabulata apertum & mane vſque ad laquearia cubitorum decem altitudinis, & cubitorum viginti longitudinis, iuxta latitudinem domus: per quam nimirum ianuam fumus incenſorum de altari thymiamatis ſolebat in ſancta ſanctorum aſcendere: atque ad arcam Domini operiendam penetrare. In qua diſtinctione domus Domini patet figura myſterii, Apoſtolo exponente, luce clarior: quia prior domus, in quam ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes, præſens eſt Eccleſia, vbi quotidie piis inſiſtentes operibus Domino ſacrificia laudis offerimus.

Interior vero domus, quæ ad poſteriorem partem templi erat facta, ipſa eſt promiſſa nobis vita in cœlis. Interior quidem, quo ad conuerſationem noſtri exilii: quia in præſentia Regis ſummi perpes ibi beatorum & Angelorum, & hominum ſolemnitas agitur. Vnde de ea bene merito ſeruo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui.* Sed Matth. 25. poſterior tempore: quia poſt huius ſeculi labores ad illius ingreſſum perducimur. Tabulata autem, quæ vtramque domum ab inuicem diuidunt, ipſa ſunt clauſtra cœli, quorum nobis apertionem quotidie ſuſpiramus: & quantum nobis Dominus donauerit, pia ſemper inſtantia, donec aperiantur, & intrare liceat, pulſamus. Vbi etſi necdum ante ſolutionem corporum, intrare permittitur, apertam tamen habemus ianuam diuinæ pietatis, qua orationum noſtrarum, eleemoſynarum, ieiuniorum, cæterorumq; bonorum operum thymiamata præmittamus.

B

Hinc eſt enim quod paries cedrinus domus interioris ianuam habebat in ſuperioribus per totum, vbi fumus incenſorum intraret, quia *oculi Domini aperti ſunt ſuper domum eius nocte ac die, & aures eius in orationes ſeruorum ſuorum intendentes:* & hoc per totam latitudinem diffuſæ per Orbem Eccleſiæ. Altare namque thymiamatis, quod in domo quidem exteriori, ſed prope oſtium ſtabat domus interioris, typus fuit perfectorum, qui carne quidem adhuc in mundo retenti: ſed omni deſiderio ſunt ad cœleſtia ſuſpenſi, &, velut incenſo thure, fumum aſcendentem in ſancta ſanctorum emittunt: quia ſuperno amore flagrantes, crebris orationum vocibus aures ſui pulſauit Auctoris. Apertamque late ianuam fumus incenſorum in ſuperioribus inuenit: quia quanto mundiores quique in terris & quaſi viciniores cœleſti patriæ commorantur: tanto citius a Domino cuncta, quæ poſcunt, accipiunt. Bene autem interior domus viginti cubitos longa facta eſt, propter myſterium ſcilicet geminæ dilectionis: de quo & ſupra diximus. Quæ in hac interim vita ex parte maxima Electorum mentes illuſtrat: ſed in illa patria, ceſſantibus aliarum virtutum operibus, ſola perpetuo regnat.

Pſal. 33.

C

1. Cor. 13.

Porro quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus oraculi.

Diximus, ipſum templum pro foribus oraculi, præſentis Eccleſiæ typum geſſiſſe. Vnde recte quadraginta fuit cubitorum. Qui numerus ſæpe in ſignificatione ponitur præſentis fidelium laboris, quomodo quinquagenarius in ſignificatione futuræ quietis & pacis. Denario namque numero tenentur præcepta, quorum obſeruatione ad vitam peruenitur. Denario æque ſignificatur ipſa, quam deſideramus, & pro qua laboramus, vita perennis. Quadratus vero eſt mundus, in quo pro adquirenda eadem vita certamus. Vnde Pſalmiſta, congregandam Eccleſiam de gentibus prævidens, aiebat: *De regionibus congregabit eos, à ſolis ortu & occaſu ab aquilone & mari.*

D

Pſal. 106.

XVI.

Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas ſuas & iuncturas fabrefactas, & celaturas eminentes, & cætera.

Diximus de cedro, quod inſuperabilem virtutum venuſtatem ſignaret, quo nimirum ligna omnis domus Domini intrinſecus veſtiuntur: cum corda iuſtorum ſolo bonorum operum amore niteſcunt. Habetq; domus in tabulis cedrinis tornaturas ſuas, & iuncturas fabrefactas: cum iidem electi ſeſe ad inuicem pulcherrima charitatis copula connectunt: ita vt cum innumera ſit multitudo fidelium: vnum tamen cor, vnam habere animam, pro communis fidei ac dilectionis ſocietate merito dicantur. Namque tornaturæ, quæ iuncturis tabularum apponebantur, vt vnum ex omnibus fieret tabulatum, ipſa ſunt officia charitatis, quibus ad inuicem fraternitas ſancta copulatur, atque in vnam Chriſti domum toto terrarum orbe componitur. Quæ etiam domus habet celaturas eminentes: cum opera virtutum ſancti nequaquam occulta tegunt: ſed manifeſta expreſſione foris omnibus, quales ſint ipſi, quid agant, in exemplum viuendi proferunt. E Actor. 4.

Omnia cedrinis tabulis veſtiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete. Et lapides parietis ſiue pauimenti & tabulæ & aurum, &c.

Sanctorum in Eccleſia vitam omnia deſignant, ſed ea vtique diſtinctione, cum pariter ponuntur: vt *lapides* viui ſint ſancti, fortitudine fidei in vnam eandemque regulam ſibimet adglutinati. *Tabulæ cedrinæ* ſiue *abiegnæ*: ſunt ſancti, latitudine variarum virtutum ſecundum donationes Spiritus ſancti, in vna eademque fide ſibimet alterutrũ connexi. *Auri laminæ* ſunt ſancti, habẽtes ſupereminentem ſcientiæ charitatem, huiuſque fulgore gratiſſimo ad inuicem congaudentes. Quæ tria beatus Apoſtolus vna ſententia complexus eſt dicens: *Nam in Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Fidei namque inuictæ *Lapis* figuram tenuit, *cedrus* actionis odoriferæ, *aurum* tranſcendentis omnia dilectionis. Veſtiturque lapideus paries tabulis cedrinis: cum profeſſio fidei bonis ornatur operibus: ne otioſa iudicetur vel eſſe mortua. Verum quia lex in lapide deſcripta: doctrina vero Euangelii per lignum eſt Dominicæ paſſionis confirmata: vnde & populus ille lapide circumcidebatur in præputio, nos ſigno crucis conſecramur in fronte: poſſunt non incongrue parietes templi lapidei, ſiue pauimentum pretioſiſſimo marmore ſtratum, eorum, qui in lege fideliter ac perfecte vixerunt, typum tenere: tabulæ vero cedrinæ ſiue abiegnæ noui teſtamenti iuſtos indicare: qui volentes poſt Dominum venire, abnegant ſemetipſos: & ſumpta cruce ſua quotidie ſequuntur illum. Et quoniam vtriuſq; temporis iuſtos communis gloria ſupernæ manet retributionis: lapidib. ac lignis pretioſis tertia ſpecies eſt aurearum adiuncta laminarum. Nec contrarium debet videri, quod ſupradiximus: porticum, quæ erat ante templum, antiquorum figuram geſtare fidelium: ipſum autem templum eorum, qui poſt Incarnationis Dominicæ tempus in mundum venerunt: porro domum interiorem regni cœleſtis gaudia, quæ vtriſque iuſtis dantur, figurare: nunc autem dicimus, parietes lapideos antiquũ Dei populum, tabulata cedrina nouum, aureas laminas vtriuſq; in cœlis præmia deſignare: cum iidem parietes templi & in porticu, & in ipſo templo, & in ſanctis ſanctorum pari fuerint modo. *De lapidibus & lignis & auro cõpactis.* Multiplex namque eſt in diuerſis rebus eorundem repetitio figurarum. Sed & hoc dicendum, quia fuerunt & in lege & ante ſcriptam legem plurimi: qui legaliter Domino deſeruirent, non Occidentes, non fornicantes, non furtum facientes, non falſum teſtimonium contra proximum loquentes, honorantes patrem & matrem, & diligentes proximos ſicut ſeipſos: hi ad parietes & porticus lapideos pertinebant. Fuerunt aliqui maiore perfectione, qui, relictis mundi negotiis, & aſſumpta cruce ſua, ſequebantur Dominum, qui, vt Apoſtolus ſcribit, *Ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, temptati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti quibus dignus non erat mundus.* Hi, qui ante manifeſta tempora Euangelii, vitam duxere Euangelicam quid, niſi ante ingreſſum templi vt tabulata cedrina in porticu fulgebant, & quos vtroſq; quia idem regnum cœleſte communiter, quamuis in manſionibus diſcretis, recepit: quaſi porticus templi, poſt lapidem & cedrum, intrinſecus eſt auro cooperta. Sunt in hoc tempore perplures, qui legalib. contenti præceptis, quæ ſupra cõmemorauimus,

F

Rom. 6. [illegible]

Matth. 16.

G

H

Hebr. 11.

[A] mus, ſufficere ſibi credunt: tantum ſi ad vitam venire mereantur. Sunt alii, qui ad perfectionem nitentes, venditis, quæ habent, omnibus, Dominũ ſequuntur, memores promiſſi illius, quo talibus in reſurrectione non ſolum vitam, ſed & ſpecialem prædixit honorem eſſe tribuendum: **[Matth. 19.]** *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ: ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Hi ad parietes templi albo de lapide factos: illi figuraliter ad cedrinas pertinent tabulas: vtrique præmia à Domino perpetuæ lucis, quaſi auri laminas, quibus decorentur, expectant. Sunt in aliis lapides pretioſi: ſunt tabulæ ligni aromatici, vtraque auro cooperta: quia & illi, qui in lege Domini immaculati ambulauerant: & qui gratiam Euangelii perfecte ſuſceperant, pariter æterna vita perfruuntur. *Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis Domini.* Hoc ſuperius præoccupando expoſitum eſt. Quia videlicet interior domus, ſecreta patriæ cœleſtis; arca fœderis, Dominum Saluatorem, in quo ſolo fœdus pacis apud Patrem **[B]** habemus, deſignaret, qui poſt reſurrectionem ſuam, aſcendens in cœlum, carnem, quam ex Virgine ſumpſerat, in Patris dextera collocauit.

Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis: & viginti cubitos latitudinis: & viginti cubitos altitudinis, & cætera.

Quod dicit, *viginti cubitos altitudinis*; parietem ſignificat cedrinum, qui oraculum, id eſt, ſancta ſanctorum ab æde exteriori ſegregabat: ſicut & ſupradiximus. Oraculum vero, vbi erat arca, habebat vicenos cubitos in longitudine, & latitudine & altitudine, id eſt, per quadrum: quia in ſuperna illa patria, vbi Regem Chriſtum in decore ſuo vident oculi ſanctorum, ſola charitatis diuinæ ac fraternæ gratia per omnia fulget. Quod ſequentibus quoque verbis aſtruitur, cum dicitur:

Et operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo.

Quod eſt aperte dicere: quia ſupernæ mœnia ciuitatis, gratia charitatis impleuit.

[XVII.] *Sed & altare veſtiuit cedro.*

[C] Altare dicitur thymiamatis, quod erat ante oraculum, de quo paulo poſt ſubinfertur: *Sed totum altare oraculi texit auro*: Vnde intelligi datur, quod idem altare de lapide quidem fuerit factum, & cedro veſtitum, ac deinde auro coopertum.

Significat autem typice perfectorum vitam iuſtorum, qui quaſi in vicinia oraculi ſunt poſiti: quia, deſertis infimis delectationibus, de ſolo regni cœleſtis ingreſſu curam omnem impendunt. Vnde bene in hoc altari non carnes victimarũ, ſed ſola incendebantur thymiamata: quia tales non adhuc peccata carnis & illecebras cogitationum in ſe mactare opus habent, ſed tantum orationum ſpiritualium, & cœleſtium deſideriorum odoramenta per ignem intimi amoris in conſpectu ſui Conditoris offerunt.

Domum quoque ante oraculum operuit auro puriſſimo: & affixit laminas clauis aureis.

Domum ante oraculum præſentis Eccleſiæ typum tenere diximus: vbi ita Redemptoris noſtri amore flagramus, vt tamen necdum ipſum videre facie valeamus ad **[D]** faciem. Vnde apte domus hæc auro quidem puriſſimo cooperta: ſed interpoſita erat medio pariete ab oraculo ſecreta. Oraculum namq; vocatur: cum vel diuina hominibus, vel angelica allocutio, cum ſecretorum quorumq; reuelatione conceditur. Vnde bene oraculum in aditis, hoc eſt, in interiori domo factum eſt, quia in ſuperna patria, & angelorum nobis viſio atque allocutio, & ipſa Dei præſentia reuelabitur. Domus ergo ante oraculum auro tecta eſt: quia perfecti quiq; iuſti in hac vita, vbi necdum palam de Patre audire, id eſt, necdum palam Patrem videre queunt, fidem & opus iuſtitiæ diuino ornant amore, per quem ad plenam Dei cognitionem mereantur attingere. Laminæ auri, quibus operta eſt domus, operationes ſunt multifariæ pietatis, quas in obſequium vel ſui Creatoris, vel fraternæ neceſſitatis, amor caſtus exhibet. Claui aurei, quibus erant affixæ laminæ, ipſa ſunt præce- **[E]** pta charitatis, ſiue promiſſa æternæ claritatis, per quæ in exercitio ſtudioq; virtutum ne deficiamus, donãte Chriſti gratia, continemur. Vnde bene de eiſdem clauis in libro Paralipomenon ſcriptum eſt: **[2. Par. 3.]** *Sed & clauos fecit aureos, ita vt ſinguli claui ſiclos quinquagenos appenderent.* Quinquagenario namque numero ſolet in Scripturis remiſſio peccatorum & gratia Spiritus ſancti, & requies æterna figurari.

Et quinquagenorum erant ſiclorum claui ſinguli, quibus lamina auri affigebantur in parietibus domus Domini.

Quia nimirum verba cœleſtia, quib. in amore bonorũ operum proficimus & conſeruamur, veniam nobis promittunt peccatorum, gratiam ſancti Spiritus, & ſabbatiſmum in futuro pollicentur æternum. **[Eſai. 66.]** Et hi quidem ſunt claui dilectionis. Sunt vero alii claui timoris, quibus incipientes quiq; & necdum ad perfectionem peruenientes, illecebras vitiorum, carnaliumque voluptatum mortificant: illi videlicet ſermones veritatis, quorum inſtitutione carnem noſtram crucifigere cum vitiis & concupiſcẽ- **[F]** tiis edocemur: quos habere deſiderabat Propheta, cum ait: **[Pſal. 118.]** *Confige clauis à timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Qui rurſum ad perfectiora perueniens, dicit de clauis dilectionis: **[Pſal. 72.]** *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* *Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur, ſed totum altare oraculi texit auro.* Deaurata eſt quippe porticus ante templum: quia patres veteris teſtamenti Deo per charitatem placuerunt. Deauratum eſt ipſum templum: quia eadem ipſa **[Rom. 5.]** *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Deaurata eſt domus interior: quia in ſuperna patria ſola charitas regnat: **[1. Cor. 13.]** ſed ibi eo verius & ſecurius, quo præſens ipſe Deus, qui eſt charitas, videtur: **[1. Ioan. 4.]** ibi eo certius, quo ipſe Mediator Dei & hominum, qui ſolus paternorum eſt conſcius ſecretorum, velut arca teſtamenti, ſemper aſpicitur. Quod autem cœnacula quoq; tecta ſunt auro: ad eundem ſenſum reſpicit. Sicut enim interior domus ſancti ſanctorum, vbi erat arca, internam ſanctorum vitam in conſpectu ſui Conditoris & Redemptoris ſignificat, iuxta illud Pſalmiſtæ: **[Pſal. 30.]** *Abſcondes eos in abſcondito vultus tui à conturbatione hominum*: ita cœnacula in **[G]** alto eandem vitam, hoc eſt, in cœlis eſſe, & non in hoc mundo, deſignant, dicente Apoſtolo: **[Col. 3.]** *Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.*

Et fecit in oraculo duo Cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis, &c. **[XVIII.]**

Cherubim (ſicut Propheta Ezechiel aperte declarat) **[Ezech. 10.]** angelicæ dignitatis vocabulum eſt, numeroque ſingulari *Cherub* dicitur: plurali *Cherubim*. Vnde apte in figuris Cherubim, qui erant in oraculo facti, angelica miniſteria, quæ Conditori ſuo in cœlis ſemper adſiſtunt, poſſunt intelligi: qui recte de lignis oliuarum facti eſſe perhibentur: quia nimirum virtutes angelicæ gratia Spiritus ſancti, ne vnquam ab amore Dei areſcant, vnctæ ſunt. Decem autem ſunt cubitorum altitudinis: quia denario vitæ æternæ fruuntur, habentes inuiolatam in ſe ſui Conditoris imaginem: ſeruata perpetuo ſanctitate & iuſtitia & veritate: quam prima conditione perceperunt. Denarius namq; decem obolis conſtat: & continere in ſe nomen Regis & imaginem conſueuit. **[H]** Quapropter & figuræ regni cœleſtis aptiſſime congruit: vbi & angeli ſancti imaginem ſui Conditoris, ad quam facti ſunt, ſemper retinent: & electi homines imaginem eius, quam peccando amiſerant, recipiunt.

Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera: id eſt, *decem cubitos habens à ſummitate alæ vſq; ad alæ alterius ſummitatem.*

Alæ cum in ſanctorum hominum figura ponuntur: virtutes ſignificant eorum, quibus ad cœleſtia ſemper volare, atque in his conuerſationem delectantur habere.

Cum vero in ſignificatione Angelorum ponuntur alæ: quid aptius, quam gratiam demonſtrant perpetuæ & indeflexibilis fœlicitatis eorum: qui ſemper in cœleſtibus in miniſterio ſui perſiſtunt

Auctoris

A Auctoris: vel certe quia leuitate ſpiritualis naturæ ſunt præditi, ita vt, vbicunque voluerint, ſtatim quaſi volando perueniant: & hic cum alis figurati, & Prophetis ſunt cum alis oſtenſi. Bene autem dicitur, quod quinque cubitorum fuerit ala Cherub vna; & quinque cubitorum ala Cherub altera: quoniam virtutes Angelicæ legem Dei, quæ in quinque libris deſcripta eſt, indefeſſa deuotione cuſtodiunt: diligendo videlicet Dominum Deum ſuum ex omnibus viribus ſuis: diligendo & proximos, tanquam ſeipſos. *Plenitudo enim legis, charitas eſt.* Proximi autem eorum & ipſi adinuicem ſunt Angelici Spiritus, & homines electi eorum æque conciues: vnde Cherub vtraque ala eiuſdem menſuræ perhibetur: quia videlicet eadem ipſa deuotione, qua ſeſe alterutrum in Deo diligunt, noſtram quoque ad ſe aſcendentium ſocietatem deſiderant, ſicq; ſimul alæ decem cubitos complent: cum in gemina charitatis exhibitione Angeli de Conditoris ſui præſentia lætantur.

Decem quoque cubitorum erat Cherub ſecundus, menſura pari: & opus vnum erat in duobus Cherubim, & cætera.

B Duo erant facti Cherubim propter conſortium eiuſdem, de qua loquimur, charitatis ſignificandum: quia minus, quam inter duos, charitas ſtare non poteſt. Vnde & Saluator binos ad prædicandum diſcipulos mittere curauit: vt tacite doceret, eis, qui verbum fidei prædicarent, virtutem dilectionis ante omnia eſſe tenendam. Vniuſque menſuræ & operis erant duo Cherubim: quia diſparilitas voluntatum ſiue cogitatuum in ſuperna patria nulla eſt: vbi vna omnes eademque Dei præſentis viſione & gloria illuſtrantur. *Poſuitque Cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas ſuas Cherubim & tangebat ala vna parietem: & ala Cherub ſecundi tangebat parietem alterum. Alæ autem alteræ in medio pariete templi ſe inuicem contingebant.* Manifeſtum eſt ex his, quæ prædicta ſunt, quare Cherubim in medio templi interioris ſunt poſiti: quorum habitatio eſt ſemper in cœlis. Extendebant autem alas Cherubim, quaſi ad volandum: quia Spiritus Angelici ſemper habent animum ad obſequium diuinæ voluntatis paratum. C Quod vero ala vna tangebat parietem, & ala Cherub ſecundi alterum parietem: ad illam charitatis adminiſtrationem, quam nobis exhibent Angeli, pertinet. Quod alæ alteræ in medio templi ſe inuicem contingebant: eam dilectionis gratiam, qua ſe alterutrum complectuntur, exprimit. Bene autem ſequitur:

Texit quoq; Cherubim auro:

Quia & naturam eorum Conditor immortali claritate ſublimauit, & mentem vera dilectionis atque humilitatis luce repleuit. Notandum ſane, quod Moyſes dum tabernaculum faceret, fecit & duos Cherubim aureos, (*Exod. 37.*) quos poſuit in propitiatorio, quod erat ſuper arcam, Salomon autem addidit alios duos multo maiores, quos in templo poneret: ſub quorum alis arcam in medio poneret cum propitiatorio & Cherubim prioribus. Sicque factum eſt, vt in tabernaculo quidem eſſent Cherubim duo, in templo autem quatuor: ad vnam vero eandemque ſignificationem vtrique pertinent. Sed repetitum eſt opus atque auguſtius factum per Salomonem, vt typice doceretur: quia, multiplicata poſt Incarnationem Dominicam Eccleſia, D latius eſſet gentibus ſublimitas cœli ciuium pandenda. Qui ſic Conditorem de collato ſibi munere beatitudinis collaudant: vt de noſtra quoque ereptione atque ad eandem beatitudinem introductione congaudeant: extendunt enim alas adinuicem ſuper arcam: cum ad laudem Domini Saluatoris referunt bonum omne, quod acceperunt: extendunt alteras alas ad parietes oraculi: cum ſanctos etiam homines ſecum videre lætantur: eoſque velut alarum ſuarum ſummitatibus tangunt, quos conſortes atque imitatores fuiſſe in hac vita ſuæ puritatis exultant. Duos autem æque parietes alis ſuis tangunt: quia fideles vtriuſque populi, Iudæi ſcilicet & Gentilis poſſeſſores ſecum habent aulæ cœleſtis: non quod in illa patria diſtinctio ſit localis inter vtrumque populum: ſed quia maior fiat feſtiuitas internæ beatitudinis de conſortio adunatæ in Deo fraternitatis. (B) Extendunt ergo Cherubim ad vtrumque parietem oraculi alas ſuas: quia lætantes in cœleſti patria iuſtos vtriuſque plebis, viſione ſuæ gloriæ, ad laudem ſui Creatoris excitant. Nec ſolum de illorum, quos ſecum intus habent, hominum iuſtorum fœlicitate lætantur agmina cœleſtia: verum etiam noſtri, qui foris adhuc poſiti de profundis ad Dominum clamamus, curam gerunt ſedulam. Vnde bene de eiſdem Cherubim in libro Paralipomenon ſcriptum eſt: *Ipſi autem ſtabant erecti pedibus, & facies eorum verſæ erant ad exteriorem domum:* (*2. Par. 3.*) quia nos ab huius ærumna peregrinationis erectos ad ſuum deſiderant peruenire conſortium. Sic ergo pedibus ſtant erectis, ſic alas ſuas ad auro textos oraculi parietes extendunt, vt facies habeant ad domum verſas exteriorem: quia ſic Angeli ſuam perpetuo innocentiam conſeruant: ſic de animarum ſanctarum in cœlis beatitudine congaudent: vt eis quoque, quos in terris adhuc peregrinari conſpiciunt, electis opem ferre non deſinant; donec & illos ad cœleſtem patriam introducant. F *Omnes enim ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* (*Hebr. 1.*) Poſſunt etiam per duo Cherubim duo teſtamenta figurari, qui nimirum Cherubim in oraculo ſunt facti: quia in conſilio diuinæ prouiſionis nobis vtique inacceſſibili atque incomprehenſibili ante ſecula diſpoſitum eſt: quando & qualiter, quibuſve authoribus ſacra Scriptura conderetur. *De lignis oliuarum ſunt facti*, quia lucem nobis ſcientiæ tribuunt, iuuante flamma charitatis Dei, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris. *Decem cubitis ſunt alti*, quia per obſeruantiam decalogi legis Deo ſeruiendum prædicant: quia Deo fideliter ſeruientes denario remunerandos eſſe regni perpetis oſtendunt. *Geminas habent alas*: quia teſtamenti ſui conditores per aſpera æque, vt proſpera, indefeſſo propoſito ſemper ad cœleſtia tetendiſſe ac perueniſſe declarant; qui hoc idem ſuis auditoribus faciendum eſſe demonſtrant. *Quinque cubitorum ala Cherub vna: & quinque cubitorum ala Cherub altera.* Quia in omni labentium rerum varietate ſancti vniuerſos ſui corporis ſenſus in obſequium ſui Conditoris extendunt. G

Et opus vnum erat in duobus Cherubim.

Quia vtriuſque teſtamenti ſcriptores vna eademque caſtitate operis, & charitatis deuotione Deo ſeruiunt: vna & conſona Deum voce ac fide prædicant. *Alæ igitur Cherubim interiores ſuper arcam ſe inuicem contingebant:* quia teſtamenta pari de Domino atteſtatione conſentiunt. Item alis exterioribus iſte vnum parietem, ille alterum contingebat: quia vetus teſtamentum proprie antiquo Dei populo ſcriptum: nouum vero nobis, qui poſt Incarnationem Dominicam ad fidem venimus, & ſecundo parieti, hoc eſt, ſeptentrionali recte comparantur, quibus, poſt frigora ac tenebras idololatriæ, lucem veritatis cognoſcere datum eſt. *Verſas habent facies Cherubim ad exteriorem domum:* quia noſtri gratia, qui adhuc foris ſtamus, (*Rom. 8.*) neque re ipſa, ſed *ſpe ſalui facti ſumus*, diuini ſunt libri conditi: quia ſcriptores eorum iam regnantes cum Domino, illumque collaudantes in cœlis, curam noſtræ gerunt ſalutis, proque noſtris erratibus apud eius pietatem interpellant.

Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cœlaturis & torno, &c. H XIX.

Omnes parietes templi per circuitum, omnes ſanctæ Eccleſiæ populi ſunt, quibus ſuper fundamentum Chriſti locatis totius ambitum orbis repleuit, cœptumque fidei ædificium quotidie noua membrorum ſuorum progenie, quaſi lapidum precioſorum adpoſitione, ſuperaugmentare non deſiſtit. Qui nimirum parietes variis cœlaturis ſculpuntur: cum *alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia curationum in vno Spiritu alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum:* (*1. Cor. 12.*) & vt ad alias veniamus, quas omnes habere valeamus, virtutes, *Charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, benignitas, bonitas,*

A Galat. 5. *fidei, modeſtia, continentia,* & cæteri fructus Spiritus: quid niſi cœlaturæ ſunt parietum templi, quia ornatus ſunt mentium populi Dei? *Sculpuntur iidem parietes & torno:* cum prompto pollent animo fideles ad faciendum cuncta, quæ Dominus præcipit: ad patiendum cuncta, quæ permittit: dicentes ex animo per ſingula, quæ Pſal. 33. Pſal. 56. occurrunt: *Benedicam Domino in omni tempore.* Et: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo & Pſalmum dicam Domino.* Sculpuntur torno: cum in tantum virtutibus operam impendunt: vt ab harum tramite nullis circumſtantium rerum contrarietatibus, nullis poſſint blandimentis auerti. Quia enim tornatura cæteris artibus velocitate præcellit, & ipſa ſibi regulam, qua ſine errore opus perficiat, ſeruat: apte per hanc pia ſanctorum vita ſignatur, quæ & parata eſt ſemper ad obſequium diuinæ voluntatis, & hoc abſque diuerticulo errandi complere longo virtutum didicit vſu exercitata. *Et fecit in eis Cherubim & palmas & picturas varias, quaſi prominentes de pariete & egredientes.* Cherubim namque in parietibus templi facit Salomon: cum electos ſuos Dominus ad B regulam Scripturarum ſanctarum, in quibus eſt multitudo ſcientiæ, vitam ſuam dirigere donat: *Cherubim facit,* cum eos in hoc mundo caſtitatem Angelicæ conuerſationis pro modulo ſuo docet imitari: quod maxime vigiliis ac laudibus diuinis dilectione ſyncera, Conditoris & proximi geritur. *Palmas facit:* cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit: vt eo minus ab arce iuſtitiæ labi queant: quo mercedem iuſtitiæ ſemper ante cordis oculos habent: *Facit picturas varias, quaſi prominentes, de pariete egredientes:* cum multifarias virtutum operationes fidelibus tribuit. Verbi gratia, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modeſtiam.

Pauimentum domus texit auro intrinſecus & extrinſecus, &c.

Intrinſecus, & extrinſecus, in oraculo & in ipſo templo ſignificat. Texit ergo Salomon pauimentum domus auro intrinſecus & extrinſecus. Quia Rex noſter pacificus & Angelos atque animas iuſtorum in cœlis perfecte ac plenarie dono dilectionis, à cæterorum mortalium vilitate ſecreuit.

C XX. *Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum, poſteſque angulorum quinque, & duo oſtia de lignis oliuarum.*

Quod primo dixerat, *fecit oſtiola de lignis oliuarum:* hoc ipſum videtur apertius explicare voluiſſe, cum adiunxit: *& duo oſtia de lignis oliuarum.* Vnus quippe erat ingreſſus oraculi, ſed idem ingreſſus duobus oſtiis claudebatur, rurſumq; reſeratis eiſdem aperiebatur, ſicut etiam templum, ſicut porticus ante templum vnum non amplius habebant introitum, certi vtique cauſa myſterii, quia *vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus.* Vnus in Epheſ. 4. Eccleſiam præſentem per baptiſma, vnus in regnum cœleſte per opera fidei eſt ſperandus introitus. Nam quod vnus eſſet ingreſſus oraculi: teſtatur hoc, quod inferius de arca ſcriptum eſt: *Cumque eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris ſanctuarium ante oraculum: non apparebant vltra extrinſecus.* Vbi patenter (ni fallor) oſtenditur: quod erat vnus ingreſſus oraculi: & hic è regione factus arcæ, quæ in medio eiuſdem ſtabat oraculi, cuius ingreſſus oſtiola per ſignificationem multifarie poſſunt accipi. Nam & Angelicos Spiritus, quorum miniſterio D in habitationem patriæ cœleſtis introducimur, aptiſſime Luc. 16. deſignant: & Apoſtolorum æque, Apoſtolicorumque virorum, quibus claues regni cœlorum ſunt datæ, tenent figuram: qui, accepta à Domino poteſtate ligandi atque ſoluendi, & dignos intra regni ianuam admittunt, & contumaces, impuros ac ſuperbos excommunicando ſiue anathematizando ab ingreſſu vitæ perennis eliminant.

Sed & opera iuſtitiæ, quorum merito ad regnum cœleſte peruenitur, recte per oſtia, per quæ in ſancta ſanctorum ingrediebatur, poſſunt typice deſignari, iuxta hoc, quod in libro Sapientiæ ſcriptum eſt: *Cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem* Sap. 6. *facit eſſe proximum Deo. Concupiſcentia itaque ſapientiæ, deducet ad regnum perpetuum.* Quibus omnibus apte congruit, quod eadem oſtiola de lignis fiunt oliuarum: quia nimirum & Angeli & homines perfecti fructu miſericordiæ, & operibus lucis ſeſe in domo Dei glorioſos exhibent: immo omnes electi per arma lucis & pietatis aditum ſibi patriæ cœleſtis aperiunt. *Duo ſunt autem oſtiola:* ſiue quia Deum ac proximos diligunt & Angeli & homines ſancti: neque vllus ianuam vitæ, niſi per geminam dilectionem hanc, poterit intrare: ſeu quia vtriuſque populi fidelibus, & Iudæi ſcilicet & Gentilis, eadem vitæ ianua reſeratur. E

Poſtes habent Angulorum quinque:

Quia non ſolum animas Electorum aula cœli recipit: ſed & corporibus immortali gloria præditis in iudicio ſuas fores aperit.

Et ſculpſit in eis picturam Cherubim, & palmarum ſpecies, & Anaglypha valde prominentia, & texit ea auro, & cætera.

Anaglypha Græcè, quæ Latinè dicitur cœlatura, quia virtutum operibus quibus per totum Orbem Eccleſia in ſanctis ſuis ac perfectis exercetur, illi præcipue, quibus F fidelium cura commiſſa, & claues regni cœlorum ſunt datæ, omni debent ſollertia inſiſtere, vt quantum gradu præeminent cæteris: tantum merito præcellant bonæ actionis. *Habent namque in ſe picturam Cherubim ſculptam:* cum Angelicam in terris vitam, quantum mortalibus poſſibile eſt, & mente imitantur & opere. *Habent palmarum ſpecies,* cum dona ſupernæ retributionis fixa ſemper intentione meditantur. Palma namque manus victoris ornatus eſt. *Habent Anaglypha valde prominentia,* cum certiſſima bonorum operum documenta, & quæ nemo in ſiniſtram partem interpretari vllatenus valeat cunctis ſeſe intuentibus oſtendunt. *Et hæc omnia ſunt auri lamina operta:* cum (ſicut ſæpe dictum & ſemper dicendum eſt) cæteris virtutum floribus ſpecialibus in magnis Eccleſiæ membris fulgor ſupereminet amoris. His oſtiolis etiam velum fuiſſe additum verba dierum narrant: *Fecit quoque velum,* inquit, *ex hyacintho, purpura,* 2. Par. 3. *coccino, & byſſo, & intexuit ei Cherubim.* Quod decoris quidem gratia factum eſt: vt inter parietes deauratos etiam holoſericum fulgeret, ſed in eiuſdem myſterii, G cuius & oſtiola, congrua ſignificatione ante arcam atque ingreſſum oraculi appenſum: vt ſicut oſtiola congruis horis aperiebantur: & velum reuelaretur, quotiens aduenirent, quibus in ſancta ſanctorum eſſet ingrediendum.

Huius ergo veli ſedula reuelatio ſecundum legem apertionem ſignificat regni cœleſtis, quæ nobis per incarnationem Domini & Saluatoris noſtri donata eſt. Vnde & *Baptizato ei cœli aperti ſunt:* Vt oſtenderetur, quod per Matth. 3. Baptiſma, quod nobis ipſe conſecrauit, ianuam patriæ cœleſtis deberemus ingredi: & moriente illo in cruce, idem *velum ſciſſum eſt medium à ſummo vſque deorſum:* vt a- Matth. 27. perte doceretur, quia figuræ legales iam tunc ad finem veniſſent: ac veritas Euangelii, arcanaque cœleſtia. & ipſe cœli ingreſſus non adhuc prophetandus ac figuraliter ſignificandus: ſed iam iamque eſſet proxime omnibus aperiendus, qui ab initio mundi vſque ad id temporis in fide veritatis de mundo tranſierunt. Bene idem velum, ſub quo in oraculum intrabatur, ex hyacintho, purpura, coccino, & byſſo factum eſſe; ei quoque Cherubim intexti eſſe memorantur: hyacinthus quippe, qui cœli colorem imitatur, supernorum deſide- H riis apte comparatur. Purpura, quæ ſanguine conchyliorum conficitur, & ſanguineam ipſa præfert ſpeciem, non immerito ſacramentum Dominicæ ſignat paſſionis: quo nos initiari, crucem noſtram portando, debemus. Coccino, quod rubeo colore flammeſcit, congrue virtus exprimitur amoris: de quo mirantes dixere, qui cum Domino ambulauerant, diſcipuli: *Nonne cor* Luc. 24. *noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Byſſus, quæ de terra virenti germine naſcitur, & longo artificum exercitio natiuum exuit viroren, atque ad albentem perducitur ſpeciem, congrue caſtigationem carnis noſtræ inſinuat: cuius quaſi humorem ingenitum exſiccari iubet Apoſtolus, di-

A Col. 3. cens: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram fornicationem immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malam: & auaritiam, quæ eſt ſymulachrorum ſeruitus.* Ad quantam vero candoris gratiam hanc velit perduci, alias oſtendit, Rom. 12. dicens: *Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Intexuntur vero Cherubim eiſdem, quæ quatuor eximijs coloribus conficiuntur; cum in vniuerſis, quæ pie agimus, à venenatis dæmonum telis per Angelica præſidia, Domino donante, protegimur. Intexuntur velo Cherubim, cum in bonis, quæ agimus, multitudine ſcientiæ indeſinenter vtimur: reſpicientes ſemper ad eloquia diuina; & ne forte à virtutum calle aberremus, horum intuitu cõtinuo veſtigia noſtra regimus.

Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum quadrangulatos; & duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus: & vtrumque oſtium duplex erat; & ſe inuicem tenens aperiebatur, &c.

Sicut ingreſſus oraculi, quo ad arcam Domini, Cherubimque perueniebatur, introitum ſignificat regni cœleſtis; B quo ad viſionem noſtri conditoris, ſupernorumq; ciuium nos introduci ſperamus ac deſideramus; ita introitus in templum primordia noſtræ ſtructuræ ad Deum conuerſionis, quando in præſentem Eccleſiam ingredimur, typice demonſtrat. Iſte ingreſſum noſtrum ad fidem, ille deſignat ad ſpeciem. Vnde aperte poſtes huius introitus quadrangulati ſunt facti; ſiue propter quatuor Euangelij libros, quorum doctrina in fide veritatis erudimur; ſeu propter totidem virtutes principales, *Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam,* quarum veluti fundamine quodam firmiſsimo, omnis bonorũ actuum ſtructura innititur. *Prudentia* eſt namque, qua diſcimus, quid nos agere, qualiter viuere deceat: *Fortitudo*, per quam ea, quæ agenda didicimus, implemus: quas vno verſiculo virtutes Propheta breuiter complectitur, dicens: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea.* Illuminatio vi-
Pſal. 26. delicet, vt, quæ agere debeamus, edoceat: ſalus vero, vt ad hæc nos peragenda confirmet. *Temperantia* eſt, qua diſcernimus, ne plus aut minus iuſto prudentiæ ſiue fortitudini operam dare inueniamur. Et quia quiſquis prudentia ac fortitudine temperanter vtitur, abſque vlla C contradictione iuſtus eſſe probabitur: virtus quarta poſt prudentiam, fortitudinem & temperantiam, iuſtitia ſequitur. Duo oſtia, quæ in hunc ingreſſum facta ſunt: dilectio eſt Dei & proximi. Quæ bene altrinſecus facta eſſe dicuntur: quia ad inuicem reſpiciunt adeo vt vna ſine altera nequaquam poſsit haberi. *Omnis*
1. Ioan. 5. *enim, qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt: & omnis qui diligit eum, qui genuit: diligit etiam eum, qui*
1. Ioan. 4. *natus eſt ex eo.* Et ſicut iterum dicit: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt quomodo poteſt diligere?* Vnde recte oſtium exterius dilectio fraterna; interius eſt dilectio intelligenda diuina. Quia illa prior tempore: hæc eſt diuinitate ſublimior, & per illam ad hanc intratur: quia in amore proximi diſcitur: qualiter amari Conditor debeat. Notandum ſane, quod in ingreſſu oraculi, duo quidem fuiſſe oſtia dicuntur; ſed hæc duplicia fuiſſe non dicuntur. In templi vero, id eſt, domus prioris introitu, ita erant duo oſtia, vt duplex D eſſet vtrumque, quia nimirum in præſenti talem nos ingredi ac ducere vitam neceſſe eſt; in qua dilectionem Dei & proximi per fidem & operationem, per patientiam & benignitatem ſeruemus; in futura autem vita, vbi Deum & proximos in luce internæ beatitudinis videbimus, eadem vtique dilectione gemina abſque vllo prorſus labore, immo in magna multitudine diuinæ dulcedinis fruemur. Vnde apte introitus interioris domus duo quidem oſtia; ſed hæc ſimplicia habebat. Non enim ibi fides neceſſaria eſt; vbi ea, quæ nunc credimus ac ſperamus, omnia manifeſta luce videbimus. Non labor operum neceſſarius; vbi mercede perpetua eorum, quæ hic laboramus, donabimur. Non neceſſaria patientia: vbi nemo aduerſi aliquid irrogat. Non munificentia benignitatis vbi nemo indiget, opus eſt. Hæc de oſtiorum figura pro modulo noſtro, ſequentes patrum veſtigia, diſſeruimus. Verum iuxta formam ipſius operis decoris gratia prouiſum eſt: vt in vno eodemque templi ingreſſu, duo eſſent oſtia. Neceſſe etenim erat parietes domus, quæ centum viginti cubitos habebant in altitudine, nonnullos etiam craſſitudinis cubitos habere, in cuius nimirum craſſitudinis extrema parte oſtia erant adfixa: ita vt æquale parieti eſſet oſtium vtrumque, vt ſiue intus, ſiue foris templum quiſque poſitus oſtium inſpiceret, vnus ei per omnia paries eſſe videretur. Similiter & cedrinus paries cum vicenorum in longitudine & altitudine eſſet cubitorum: non paruam & ipſe debuit habere craſſitudinem. Quapropter & in huius ingreſſu, duo facta ſunt oſtia; vt videlicet ab vtroque latere, hoc eſt, & intus & foris æquale parieti oſtium pateret. Et quoniam eaſdem picturas oſtium, quas & paries habebat, veraciter vnus per omnia & continuatim extentus paries videretur, vnum decoris gratia prætendens, aliud myſterij diſpenſatione præfigurans. Quod vero, deſcriptis templi oſtiis, ſequitur: *Et ſculpſit Cherubim, & palmas & cælaturas valde eminentes. operuitque omnia laminis aureis, opere quadro ad regulam,* quia nimirum eadem arcana fidei, ſpei, & charitatis, quæ ſublimes quique ac perfecti ſublimiter capiunt: quæque omnes electi plene in diuina viſione præſciunt: etiam catechizandis rudibus, pro ſuo cuique captu diſcenda & conferenda traduntur, quatenus ſacris initiati myſteriis, quandoque etiam ad capienda ea, quæ pie credidere, perueniant.

Et ædificauit rex Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum: & vno ordine lignorum cedri, &c.

De interiori atrio breuiter loquitur: de exteriori prorſus videtur tacere. Verum in verbis dierum vtriuſque fit mentio, vbi ita ſcriptum eſt: *Fecit etiam atrium ſacerdotum & baſilicam grandem, & oſtia in baſilica, quæ texit ære.* 2. Par. 4. Atrium ergo interius, quod vocatur ſacerdotũ, eo quod ſacerdotes & leuitæ in ea miniſtrarent, ex omni parte erat templo circumdatum. Sed ab oriente, vnde templi erat ingreſſus multo longius à templo quam à cæteris tribus plagis ſecretum. Quia nimirum in ea plaga, id eſt, in facie templi fiebant miniſteria ſanctorum: ibi altare æneum ad hoſtias Domino offerendas, ibi decem luteres ad eaſdem hoſtias lauandas. G Ibi mare æneum erat poſitum ad lauandas manus pedeſque ſacerdotum, cum ad miniſtrandum intrarent. Habebat autem hoc atrium tres cubitos altitudinis, vt Ioſephus narrat: quatenus vt ab ingreſſu templi cæteros prohiberet: & ſolis ſacerdotibus hoc licere ſignificaret. Eratque ei ianua ad orientalem plagam: ad quam vſque populus hoſtias ſuas & ſacrificia inferebat: inde ſuſcipienda à ſacerdotibus atque ad altare proferenda. De exteriori vero atrio, quod verba dierum baſilicam grandem vocant, ita ſcribit Ioſephus: *Extrinſecus autem huius templi* Ioſ. *altam ædificauit aulam: quadranguli ſchemate factam, erigens maximas porticus atque latas: & portas excelſas & amplas per quatuor mundi partes in eo conſtituens: quarum ſingula ad vnumquemque ventum, quatuor angulis attendebant: vbi aureas ianuas collocauit.* Et paulo poſt: *In hoc ergo ſatrarium omnes populi, quibus purgatio legitimorum inerat, introibant.* Has vero porticus Caſſiodorus ſenator in pictura templi, quam in pandecte poſuit (vt ipſe in Pſalmorum H expoſitione commemorat) triplici ordine diſtinguit: Primum videlicet ordinem ponens extra atrium ſacerdotum ex omni parte per quadrum: Secundum eodem modo extra intimas porticus vndique verſum in gyro: Extremum ſimiliter ex omni latere priorum porticuum circuitu. Sicque templum triformi ædificiorum præſidio ab omni erat parte munitum, facto pauimento ſub dio inter ædificia ſingula de marmore & parietibus domorum interioribus, hoc eſt, eis qui ad templum reſpiciebant factis in columnis: exterioribus vero ſolidis. Sicque fiebat, vt omnis ſtructura templi pro graduum eſſet varietate rationabiliter diſtincta. Namque in ſancta ſanctorum ingrediebatur Põtifex: in ipſum templum ſacerdotes purificati, & non purificati vna cum leuitis & cantoribus: In intimum atrium baſilicæ maioris, viri Iudæi purificati ſtantes & orantes ſub dio, ſi fere-

A num eſſet: ſi tempeſtas, in porticus proximas ſeſe recipientes. In exterius mulieres Iudææ purificatæ: in extremum atrium gentiles & Iudæi, qui nuper venerant ex gentibus vſque ad ſextum purificationis diem. Hæc vt in pictura Caſſiodori diſtincta repperimus, breuiter annotare curauimus, rati eum ab antiquis hæc Iudæis didiciſſe: neque virum tam eruditum voluiſſe in exemplum legendi proponere quæ non ipſe prius vera eſſe cognouiſſet. Hæc ſunt loca, quorum meminit ſupremus graduum
Pſal. 133. pſalmus, qui ita incipit: *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.* In his porticibus Ieremias & alij Prophetæ, in his Dominus, & Apoſtoli verbum populo prædicabant, in ha-
Ioan 8. rum aliqua Dominus ſedebat docẽs: quando eũ tentantibus Phariſæis mulier illi adultera indicanda oblata eſt, in
Ioan 2. his inuenit vendentes & ementes oues, boues, & columbas, hoſque cum ſuis mercimonijs eliminauit è templo.
Act. 3. In his Petrus & Ioannes claudum inuenientes ſanarunt: ac ſecum ingredientes interius ad orandum duxerunt.
B In his orabat omnis multitudo populi: quando incenſum
Luc. 1. ponenti Zachariæ Angelus ad altare thymiamatis apparuit, eumque de præcurſoris Domini natiuitate docuit. Non autem hæc atria cum porticibus ſuis aſpectum templi de longe aſpectantibus abſcondere potuerunt: quia locus, in quo templum erat ſitum, multo ſublimior erat, quam vbi fundatæ porticus fuere. Nam (ſicut Ioſephus ſcribit (extremæ atriorum fabricæ cum in quadringentis cubitis eſſent tantum erectæ, ad verticem vſque montis, in quo templum ædificatum eſt, peruenerunt. Hæc quidem de ſtructura templi ſtudioſo lectori credidimus intimanda. Verum in eis quæcunque Scriptura ſacra referre commodum duxit, figuras myſteriorum quæramus: cæteris pro hiſtoriæ cognitione ſimpliciter vtamur. Ædificium templi intra atria ſacerdotum, perfectorum in ſancta Eccleſia, & ſublimium vitam exprimit virorum: eorum videlicet, qui & excellentia virtutum Domino appropinquare; & alijs verbo atque opere ducatum ſolent oſtendere ſalutis. Sacerdos namque ab eo latine nomen accepit, quod ſacrum præbere ducatum minoribus debeat: quo nomine in Scripturis myſtice non ſoli altaris
C miniſtri, Epiſcopi videlicet & presbyteri: ſed & omnes vtique cenſentur, qui altitudine rectæ conuerſationis ac doctrinæ ſalutaris eminent. Nec ſibimetipſis tantum-
Rom 12. modo, ſed & pluribus, qui dum corpora ſua, *hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem* exhibent, ſacerdotale profecto miniſterium ſpiritaliter exercent. Neque enim Epiſcopis ſolum & presbyteris: verum omni Dei Eccleſiæ
1 Pet. 2. loquebatur Apoſtolus Petrus, cum ait: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Cuius honore dignitatis etiam antiquus populus Dei erat
Exod. 19. inſignitus: dicente ipſo ad Moyſen: *Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Iſrael.* Et paulo poſt: *Et eritis vos mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Baſilica vero grandis, quæ erat extra atrium ſacerdotum, in qua omnis populi multitudo adorare ſiue ad verbum audiendum confluere ſolebat, carnalium in ſancta Eccleſia vitam moreſque figu-
1. Cor. 3. raliter inſinuat, qualibus dicit Apoſtolus: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam*
D *paruulis in Chriſto. Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Qui bene per baſilicam grandem deſignantur: quia abſque vlla dubietate multo maior eſt in ſancta Eccleſia talium quam perfectorum numerus: ſed quantum numero præſtant, tantum ſuccumbunt merito. Vnde aptè baſilica hæc grandis etſi multos capit: non eos tamen in interiora templi deaurati ad altaris officium, non in ipſum ſaltem atrium ſacerdotum intromittit. Quia carnales quique atque infirmi adhuc in Eccleſia etſi ob meritum caſtæ fidei ac pietatis Domino deuote ad electorum ſortem pertinent: longe tamen abeſt, vt illis æquentur, qui cum fi-
Rom 15. ducia profantur: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium verbo & factis.*
2. Tim 4. Et iterum: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Accedebat quidem vulgus vſque ad atrium ſacerdotum, hoſtiaſque ſuas ad huius vſque ianuam deferebat ſuſceptas

E à ſacerdotibus, atque in altari oblatas oculis proſequebatur. In ipſum etiam templum, cum aperiebatur, intuitum ſuum à longe dirigebat: nec tamen atrium ſacerdotum intrandi facultatem habebat. Verum de inferioribus clamabat ad Dominum. Quia nec carnalium in Eccleſia ſimplicitas à Domino deſpicitur, quando fideliter ea, quæ valent, illi vota pietatis offerunt. Dirigunt enim viſus à longe in templum Dei: cum vitam ſublimium diſcere & admirari ſedulo gaudẽt: & quos virtutis imitatione ſequi nequeunt, piæ venerationis complectuntur affectu. Vident hoſtias ſacerdotum in altari igne ſacroſancto conſumi: quia magnorum opera cognoſcunt à Domino per Spiritum ſanctum dignanter accipi. Afferunt & ſuas hoſtias ad atrium ſacerdotum offerendas Domino per illos: dum bona, quæ præualent, operantes, maiorum ac doctiorum & confirmantur exhortatione, & interceſſione Domino commendantur. Offerunt etiam tunc hoſtias ſuas ſacerdotibus per eos Domino commendandas, cum ſanctis quibuſque egentibus neceſſaria mundi huius, quibus ipſi abundant, ſummæ mercedis intuitu Do- F
minotribuunt admonenti ac dicenti: *Facite vobis amicos* *Luc. 16.*
de mammona iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Bene atrium ſacerdotum tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri ædificatum eſſe memoratur. Tres quippe ordines ſunt lapidum politorum, *Fides, Spes, Charitas.* Et recte, *politorum:* quia certa neceſſe eſt diſcendi ſolertia quiſque, quomodo credere, quid ſperare, ſiue diligere debeat, dinoſcat. Vnus autem ordo lignorum cedri, ipſa eſt bona operatio, ac ſine corruptione ſimulationis exhibita, ſine cuius ſuperadiectione fides, ſpes, charitas, vera eſſe non valet. Dictum namque eſt ſæpius, quod ligna cedri propter odoris gratiam, & imputribilem ſuæ naturæ potentiam, perſeuerantiam, famamque piæ deſignant actionis. Ad hoc atrium vſque vniuerſi conſcendunt electi, qui fide, ſpe, dilectione atque opere Deo placere appetunt. Hoc alta meritorum gratia tranſcendunt perfecti: cum in tanto virtutum culmine proficiunt, vt dicere ſuis auditori-
bus poſsint: *Imitatores noſtri eſtote, ſicut & nos Chriſti:* glori- *1 Cor. 11.*
enturque & dicant: *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus,* *1. Cor. 6.*
quanto magis ſecularia? G

Anno quarto fundata eſt domus Domini, in menſe zio. & in XXII.
anno vndecimo, menſe Ebul (ipſe eſt menſis octauus) perfecta eſt domus in omni opere ſuo & in vniuerſis vtenſilibus. Ædificauitque eam annis ſeptem, &c.

Patet allegoriæ ſenſus, quare domus domini ædificata ſit annis ſeptem: quia nimirum ſancta Eccleſia toto huius ſeculi tempore, quod ſex ſeptem dierum circuitu peragitur, ex electis conſtruitur animabus, & cum fine ſeculi ſuum quoque crementum ad finem ipſa perducit. Vel recte ſeptem annis ædificatur ob ſignificationem gratiæ ſpiritalis, per quam Eccleſia ſolum, vt ſit Eccleſia, perci-
pit. Septem quippe dona Spiritus ſancti enumerat Iſaias: *Iſa. 11.*
ſine quibus nemo vel fidelis effici, vel fidem ſeruare, vel merito fidei ad coronam poteſt peruenire iuſtitiæ. Quod autem in octauo anno & in octauo eius menſe perfecta eſt domus in omni opere ſuo & in vniuerſis vtenſilibus ad futurum ſeculum, diemque iudicij pertinet, quando ad tantam iam perfectionem ſancta Eccleſia perueniet: H
vt, quid ei amplius addi poſsit, inueniri non poſsit. Habebit enim tunc, quod pius ille deſiderator ſupplex à Do-
mino quærebat; dicens: *Domine, oſtende nobis patrem, & ſuffi-* *Ioan. 14.*
cit nobis. Sed non contemnenda naſcitur quæſtio, quomodo dicatur domus Domini in menſe octauo perfecta in omni opere ſuo, & in vniuerſis vtenſilibus, cum in ſequentib. legatur, menſe ſeptimo dedicationem eius eſſe completam? Neque autem credibile eſt, quod ſeptem quidem annis templum ædificans Salomon, octauo menſe, octaui anni perfecerit; ſed vſque ad ſeptimum anni noni menſem dedicationem perfecti diſtulerit. Vnde potius veriſimile videtur, domum ſeptem annis ac ſeptem menſibus ædificatam; ita vt eodem menſe ſeptimo dedicationis ſit celebrata ſolemnitas, ac die viceſimo tertio ipſius menſis, vt verba dierum narrant, populos
Salomon ad tabernacula ſua dimiſerit; ſicque poſt vnam *2. Par. 7.*

ſeptima-

Digitized by Google

[A] ſeptimanam adueniente menſe octauo, perfecta inuenta ſit domus Domini, & operibus videlicet eius vniuerſis, & ipſa dedicatione prius completa. Niſi forte putandum eſt poſt dedicatum templum aliquid adhuc vtenſilium in miniſteria eius additum fuiſſe vſque ad ingreſſum octaui menſis, accelerante rege; vt omnino menſe ſeptimo, qui erat totus ſolemnis, templum dedicaretur: atque ita verum reperiatur vtrumque; & templum videlicet octauo menſe in omni opere atque vtenſilibus perfectum, & ipſum ſeptimo menſe deditatum.

Capvt. VII.

[XXIII.] *Miſit quoque rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ, & ex tribu Nepthalim, patre Tyrio, artificem ærarium, plenum ſapientia, & intelligentia & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum veniſſet ad regem Salomonem fecit omne opus eius,* &c.

[B] Et hoc myſterij gratia factum eſt. Artifex quippe Tyrius, quem adiutorem Salomon ſui aſſumpſit operis, electos de gentibus verbi miniſtros ſignificat. Qui videlicet artifex pulchre dicitur, *quia filius erat mulieris viduæ de Iſrael:* in qua perſona ſolet nonnunquam præſentis temporis Eccleſia figurari: pro qua vir ſuus, videlicet CHRISTVS, morte guſtata, reſurrexit, atque in Cœlos aſcendens eam interim peregrinantem à ſe reliquit in terris. Non autem laborandum in explanando, quomodo huius viduæ filij ſancti ſint prædicatores, cum omnes electi viritim ſe filios eſſe fateantur Eccleſiæ: cum etiam de eiſdem prædicatoribus noui teſtamenti ſpecialiter ei promittatur, dicente Propheta: [Pſal. 44.] *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Fecit autem Hiram omne opus Salomonis:* quia nimirum doctores ſancti dum miniſterio verbi fideliter inſiſtunt, opus vtique Dei operantur, quoniam loquendo foris viam veritatis aperiunt, quos intus illuſtrando ipſe ad vitam præordinauit æternam. [1. Cor. 3.] *Ego,* inquit, *plantaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit.* Fecit hoc opus ex ære: quia illis committere verbum quærit doctor ſtrenuus: qui hoc pie ſuſcipere ac perſeueranter cuſtodire deſiderent: quique etiam alijs prædicando latius diffamare quæ ipſi didicerint, recta ſatagant. [C] Æris namque metallum valdę eſſe durabile conſtat, atque omnimodo ſonorum.

Et finxit duas columnas æreas, decem & ſeptem cubitorum altitudinis columnam vtramque.

Hæ ſunt columnæ, de quibus Paulus ait: [Gal. 2.] *Iacobus, Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis: vt nos in gentibus illi autem in circumciſionem.* Quibus verbis quaſi exponere videtur myſterium columnarum materialium: & quid videlicet figurauerint, & quare duæ ſint factæ. Apoſtolos namque & doctores cunctos ſpiritales ſignificant: fortes nimirum fide atque opere, & contemplatione ad ſuperna erectos. *Duæ ſunt autem:* vt & gentes & circumciſionem prædicando in Eccleſiam introducant. Stabant in porticu ante fores tempil: & ingreſſum illius ſuo decore ac pulchritudine ex vtraque parte mirabiliter ornabant. [D] Oſtium autem templi Dominus eſt: quia [Ioan. 14.] nemo venit ad Patrem, niſi per ipſum. Et ſicut alibi [Ioan. 10.] dicit: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Quod videlicet oſtium columnæ ab vtroque latere coram poſitæ circumſtant; cum miniſtri ſermonis vtrique populo introitum regni cœleſtis oſtendunt; vt ſiue à luce ſcientiæ legalis quiſque, ſiue ex rigore gentilitatis ad fidem Euangelij venerit, habeat paratos eos, qui ſibi iter ſalutis & verbo demonſtrent & exemplo. Vel certè, quia de eiſdem columnis in libro Paralipomenon ita ſcriptum eſt: [2. Par. 3.] *Ipſaſque columnas poſuit in veſtibulo templi, vnam à dextris & alteram à ſiniſtris:* Ideo ſunt duæ factæ columnæ atque ita diſpoſitæ, vt nobis & in proſperis & in aduerſis ingreſſum patriæ cœleſtis ante oculos mentis habendum eſſe doceant. Notandum ſane in hac ſententia Paralipomenon, quam poſui, quod ea porticus templi, etiam veſtigium templi vocabatur. [E] Et quod in Prophetis legimus, quia inter veſtibulum & altare orabant ſacerdotes; inter porticum & altare debere intelligi. Bene autem vtraque columna decem & octo cubitos altitudinis habere memoratur: ter etenim ſeni, decem & octo faciunt. Tria vero ad fidem pertinere propter ſanctam Trinitatem; ſex ad operationem, quod in eo dierum numero mundus ſit factus, luce clarius eſt. Et tria per ſex multiplicantur: cum [Hab. 2.] *iuſtus ex fide viuit;* cognitionemque piæ credulitatis executione bonæ actionis accumulat. Columna ante fores templi decem & octo cubitis alta eſt; cum prædicator quiſque egregius palam cunctis inſinuat: non, niſi per fidem & opera iuſtitiæ, nos ad ſupernæ gaudia vitæ poſſe peruenire. *Et linea cubitorum duodecim ambigebat columnam vtramque:* cum quiſque doctor ſiue Iudæis ſeu gentibus prædicare miſſus, ea tantum facerę curat ac docere, quæ ſancta per Apoſtolos accepit ac didicit Eccleſia. [F] Nam ſi quis aliter viuere ſiue prædicare voluerit, & vel Apoſtolica decreta ſpernere, vel pro ſuo libitu noua quælibet ſtatuere maluerit: non eſt talis columna templo Dei apta: quia dum Apoſtolica ſtatuta ſequi contemnit; quaſi vel exilitate inertiæ ſuæ, vel elationis tumidæ groſſitudine duodecim cubitorum lineæ non conuenit.

Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum fuſilia ex ære; quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum, &c.

Capita etenim columnarum, hoc eſt, ſuprema pars earum, præcordia ſunt fidelium doctorum, quorum Deo deuotis cogitationibus, ſicut capite membra, ita ipſorum omnia & opera diriguntur & verba. Duo autem capitella, quæ his capitibus erant ſuperpoſita, duo ſunt teſtamenta, quorum meditationi atque obſeruantiæ doctores ſancti toto & animo ſubduntur & corpore. Vnde bene vtrumque capitellum quinque cubitos habebat altitudinis: quia nimirum quinque libris Scriptura Moſaicæ legis comprehenſa eſt. Quinque etiam ſeculi ætates tota veteris teſtamenti ſeries complexa eſt. [G] Nouum vero teſtamentum non alia nobis aliqua prædicat, quam quæ Moyſes prædicanda per hoc eſſe prædixerat & Prophetæ.

Et quaſi in modum retis & cathenarum ſibi inuicem miro opere contextarum, vtrumque capitellum columnarum fuſile erat.

Quod in libro Paralipomenon ita ſcriptum eſt [2. Par. 3.] *Nec non & quaſi catenulas in oraculo: & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum.* Species namque cathenarum & ſimilitudo retis in capitellis varietas eſt virtutum ſpiritalium in ſanctis, de qua Domino cantatur in Pſalmis: [Pſal. 44.] *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* hoc eſt, in veſtitu fulgidæ dilectionis, circumamicta varietate diuerſorum chariſmatum. Vel certe multiplex conceptio cathenarum & retis expanſio multifarias electorum perſonas inſinuat. Quæ cum verbis ſanctorum prædicatorũ fideliter auſcultando atq; obediendo adhærẽt: quaſi columnarum capitibus ſuperpoſitæ retes & cathenulæ miraculum ſuæ connexionis cunctis aſpectantibus præbent.

Septena verſuum retiacula in capitello vno: & ſeptena retiacula in capitello altero.

[H] Septenario namque numero Spiritus ſancti ſolet gratia deſignari: Ioanne atteſtante in Apocalypſi. Qui cum vidiſſe ſe diceret agnum habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem, mox exponendo ſubiunxit: [Apoc. 5.] *Qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in vniuerſam terram.* Quod Propheta Iſaias apertius explicat; cum de naſcituro in carne Domino loquens; [Eſai. 11.] *Et requieſcet,* inquit, *ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Septena ergo verſuum retiacula erant in capitello vtroque; quia patres vtriuſq; teſtamenti per gratiam vnius euſdemque ſpiritus ſeptiformis, vt eſſent electi, acceperunt.

Et fecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum, vt tegerent capitella.

A

Duo quidem ordines erant retiaculorum in gyro capitelli: ſed vterque ordo ſeptemplici verſuum numero currebat: donec, circumacto capitello, rurſum in ſe ipſum, quaſi circulo facto, rediret. Nec figura ſacramenti in abſcondito eſt; quare duo ordines ſint retiaculorum: cum conſtet geminæ diſcretionis eſſe virtutem dilectionis, quando videlicet Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum, tanquam noſipſos, amare præcipimur. Sed vterque ordo ille ſeptem habet verſuum retiacula: quia nec Deus abſque gratia Spiritus ſancti poteſt amari, nec proximus. Facta ſunt autem retiacula hæc, vt tegerent capitella, hoc eſt, vndique in gyro circundarent: quia omnis Scripturæ ſanctæ pagina, cum recte intelligitur, gratiam per omnia charitatis ſonat ac pacis. Capitella enim volumina diuinorum eloquiorum, retiacula ſunt vincula mutuæ dilectionis: & retiaculis teguntur capitella; cum ſacra eloquia (vt ita dixerim) dono charitatis vndique probantur eſſe veſtita. Nam & in eis, quæ in Scripturis non intelligimus, charitas latet: & in eis, quæ intelligimus, charitas late patet. Bene autem de eiſdem retiaculis ſiue capitellis adiungitur:

B

Quæ erant ſuper ſummitatem malagranatorum.

Malagranata namque (quorum natura eſt, vno foris cortice multa interius grana circundare) apte in figura ſanctæ ponuntur Eccleſiæ, quæ Catholico vnius fidei munimine innumera electorum agmina ſolet includere. Poteſt autem & vnuſquiſque iuſti vitam moreſque deſignare: qui, velut plurima vno cortice grana, circumplectens multa cogitationum virtutumque ſpiritalium inſignia, ne forte diffluant, firma fidei & humilitatis curat vallare cuſtodia. Et apto prorſus myſterio capita columnarum malagranatis erant in gyro circumdata: quia doctores ſanctos neceſſe eſt priorum vitam fidelium ad memoriam reuocare, eorumque ſemper exemplis actus ſuos ac ſermones omni ex parte communire: ne, ſi aliter forte, quam illorum habet regula, vixerint aut docuerint, errẽt. Cum vero dictum ſit de retiaculis, vt tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatẽ malagranatorum: videtur iuxta ordinem operis ipſius, quia malagranata fuerint facta in circuitu capitellorum à parte inferiori: atque ex eiſdem malagranatis oriantur retiacula, quibus capitella, ex parte aliqua tegerentur. Patetque figura myſterij: quare retiacula ſuper ſummitatem fuerint malagranatorum adnexa: quæ ad vnam pene ſignificationem ſiue perſonarum ſeu virtutum pertinent ſpiritalium. Scimus enim virtutes de virtutibus naſci: & ſanctos ambulare *de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Syon*: qua virtute nulla poteſt maior adiri. Vnde & Apoſtolus. *Scientes*, inquit, *quia tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero ſpem.* *Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant, in porticu quatuor cubitorum.*

C

Pſal. 83. Rom. 5.

Quid enim per lilia, niſi ſupernæ claritas patriæ, atque immortalitatis floribus redolens, paradiſi deſignatur amœnitas? Quid per quatuor cubitos, niſi euangelicus ſermo, qui introitum nobis æternæ illius beatitudinis promittit? & iter, quo ad hanc perueniatur, oſtendit? Cur ergo ſancti doctores promiſſa nobis limina regni cœleſtis in quatuor ſancti Euangelij libris oſtendunt: quaſi capita columnarum, opus in ſe lilij quatuor cubitorum exhibent. Vbi notandum iuxta litteram, quia cum opus lilij in capitellis quatuor cubitorum eſſe memoratur, neque additur, *latitudinis*, aut, *altitudinis*: lectoris vtique iudicio, vtrum in altitudine, an in latitudine intelligi debeat, relictum eſt. Conſtat autem abſque vlla prorſus dubietate: quod columna, quam duodecim cubitorum, reſtis ambiebat, quatuor cubitos habebat groſſitudinis. Omnis enim circulus quantum ſpacij in diametro: tantum habet ter in gyro. Denique mare æneum quia diametrum habebat decem cubitorum, vt in ſequentibus legitur; conſequenter habebat triginta cubitos in gyro. Verum quia dicitur, opus lilij quatuor fuiſſe cubitorum, ſiue latitudinem, ſeu deſignet altitudinem; nihilominus ratio figuræ perſpicua eſt; qa non, niſi per Euangeliũ, exoptatiſſima illa mundo vox inſonuit: *Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*

D

Matth. 4.

E

Quod vero ſequitur: *Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper iuxta menſuram contra retiacula.* Iuxta menſuram columnæ tantæ amplitudinis, quanta erat & columna, cuius tamen altitudo quanta fuerit, minime narratur. Hæc autem capitella qualiacunque & quantacunque fuerit (non enim menſuram eorum aperte Scriptura deſignat) more liliorum videntur eſſe appoſita. De quorum factura ſi quid myſticum inquirere delectat; illa regni perennis ſublimitatem poteſt non incongrue deſignare, quam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Verum quia eadem ſupernorum ſocietas ciuium, vtriuſque populi fidelibus tribuitur, recte ſubiungitur; *Malagranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli ſecundi.*

Eſai. 64. 1. Cor. 2.

Diximus autem, malagranata vel totius ſanctæ Eccleſiæ, vel ſingulorum quorumque fidelium typum tenere. Centenarius vero numerus, qui ad dexteram manum primus peruenit, nonnunquam in æternæ beatitudinis figura poni conſueuit. Duplicatur autem hic numerus malagranatorum in circuitu capitelli ſecundi; vt inſinuetur myſtice, quod vtriuſque teſtamenti populus adunandus in Chriſto, atque ad æternam vitæ ſit introducendus coronam.

F

Et ſtatuit duas columnas in porticu templi. Cum ſtatuiſſet columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachim, firmitas. Similiter erexit columnam ſecundam, & vocauit nomen eius Booz in robore, &c.

Dextra columna (vt ſupra diximus) illorum exprimit figuram doctorum; qui primitiuam in Hieroſolymis inſtituerunt Eccleſiam: ſecunda eorum, qui ad prædicandum gentibus deſtinati ſunt. Vel certe dextra columna eos ſignificat, qui venturum in carne Dominum prophetando prædixerant: ſecunda eos, qui hunc iam veniſſe & mundum ſuo ſanguine redemiſſe teſtantur. Et apte ſimili vocabulo ambæ cenſebantur columnę; cum vna, *firmitas*, altera, *in robore*, dicta eſt; vt vna fidei & operis fortitudo cunctis in eſſe doctoribus monſtraretur; noſtrique temporis inertia tacite notaretur: vbi ſe nonnulli doctores, ſacerdotes & columnas domus Dei videri atque appellari volunt: cum nil in ſe prorſus firmæ fidei ad contemnendas ſeculi pompas, ac deſideranda bona inuiſibilia; nil habeant roboris ad corrigendos: nil induſtriæ ſaltem ad intelligendos eorum, quibus prælati ſunt, errores.

G

Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum, à labio vſque ad labium, rotundum in circuitu, &c.

XXIV.

Mare hoc fuſile in figuram lauacri Saluatoris, quo in remiſſionem peccatorum emundamur, factum eſt. Namque ſacerdotes in eo lauabantur, vt verba dierum aperte teſtantur. Sacerdotes autem conſtat omnes electos typice in Scripuris vocari, eo quod ſint membra Summi Sacerdotis, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et recte huic vaſi Scriptura *maris* nomen indidit: in memoriam videlicet maris rubri, in quo prius per extinctionem Ægyptiorum, & populi Dei liberationem baptiſmi forma præceſſit; exponente Apoſtolo ac dicente: *Quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes tranſierunt mare: & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Sacramentum autem baptiſmi, & vitæ nobis munditiam quærit in hoc ſeculo; & vitæ nobis æternæ gloriam promittit in futuro. Quod vtrumque in mari hoc æneo vna ſententia deſignatur; cum eſſe *decem* cubitorum à labio vſque ad labium perhibetur. *Decem* namque præceptis in lege Dominus omnia, quæ facere debeamus, expreſsit; *denario* æque mercedem bene factorum ſignificauit, cum hunc in vincula laborantibus dandum eſſe prædixit.

2. Par. 4. 1. Cor. 10.

H

Matth. 20.

Erat ergo mare decem cubitorum à labio vſque ad labium. Quia à primo baptizato in nomine Ieſu Chriſti vſque ad vltimum, qui in fine ſeculi crediturus & baptizandus eſt, omnis fidelium Chorus vnam eandemque viam veritatis ingredi, & communem debet à Domino coronam ſperare iuſtitiæ. *Rotundum erat in circuitu*: vt Orbis vniuerſus in gyro lauacro vitæ à ſorde peccatorum deſignaretur eſſe mundandus. De quo bene ſubditur: *Quinque cubitorum altitudo eius.* Quia nimirum quicquid viſu, quicquid

auditu,

Digitized by Google

A auditu, quicquid olfactu, quicquid guſtu, quicquid tactu delinquimus; totum hoc nobis gratia Dei per ablutionem viuifici fontis relaxat. Sed non ſufficit præteritorum remiſſio peccatorum, ſi non quiſque deinceps bonis ſtuduerit inſiſtere operibus. Alioquin diabolus, qui exierat de homine ſi hunc à bonis vacare actibus viderit: multiplicius redit, facitque *nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Matth.12. Vnde aptè ſubditur.

Et reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum, &c.

Per reſticulam namque diſciplina præceptorum cœleſtium, qua à noſtris voluntatibus religamur, poteſt aptè ſignari, Scriptura dicente: *Quia funiculus triplex difficile rumpitur.* Eccleſ.4. Quia nimirum obſeruatio mandatorum Dei, quæ in cordibus electorum fide ſpe & dilectione ſupernæ retributionis firmata eſt, nullo temporalium rerum poteſt obſtaculo diſſolui.

Et ſculptura ſubter labium circumibat illud decem cubitis ambiens mare. Duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum erant fuſiles.

B Cum prædictum ſit ſupra, quod reſticula triginta cubitorum mare circumierit: & nunc addatur, quod ſculptura hac ſubter labium poſita decem cubitis ambierit: patet ex vtraque relatione, quia vas erat in modum phialæ repandum ac diffuſum, quo à triginta cubitis circuitus, quos habebat in labio, vſque ad decem eſt cubitos coartatum. Sculptura autem hiſtriata eſt, quæ hiſtorias rerum aliquas imitatur. Vnde rectè per ſculpturas hiſtriatas, quibus mare circumdabatur, exempla ſunt priorum temporum deſignata: quæ neceſſe eſt nos ſolerter intueri: vt videamus, quibus operibus ſancti placuerint Deo ab initio: qua obſtinatione in ſceleribus perdurarint: quanta infœlicitate ob ſcelera perierint reprobi.

Et ſtabat ſuper duodecim boues: è quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad meridiem, & tres ad Orientem.

Duodecim ergo boues, duodecim ſunt Apoſtoli, & omnes, qui vice eorum regendam in Chriſto ſuſceperunt Eccleſiam ſanctam. Qui nimirum boues mare ſibi ſuper impoſitum portant: cum Apoſtoli, C Apoſtolorumque ſucceſſores iniunctum ſibi euangelizandi officium prompta implere deuotione ſatagunt. Treſque ad Aquilonem, & tres ad occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem reſpiciunt: cum in vniuerſis quadrati Orbis partibus fidem prædicant ſanctæ Trinitatis.

Quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant.

Intrinſecus namque latitaut vniuerſa boum poſteriora: quia qua mercede ſancti prædicatores in perpetuum donentur, in interni arbitris examine iam diſpoſitum eſt: ſed nobis, qui adhuc foris ſumus, manet omnimodis occultum. Quibus tamen hoc eſſe occultum nullatenus poteſt: quod omnis qui lauacrum baptiſmi ad ſalutem accipit & vitam, fidem ſpem, & charitatem debet habere, nec ſine his tribus virtutibus quiſque aliquid iam operari, neque intrare ad vitam valet. Vnde rectè ſequitur:

D *Craſitudo autem luteris trium vnciarum erat.*

Craſsitudo etenim luteris in mari, firmitas, eſt virtutis in baptiſmo. Et trium vnciarum eſt hæc craſsitudo: dum robore fidei, ſpei, & dilectionis perceptio baptiſmi communitur: neque aliter proficuum eſſe accipientibus oſtenditur, niſi harum firma certitudo virtutum, mentem accipientium ſimul & opera confirmet.

Labiumque eius, quaſi labium calicis: & folium repandi lilij.

Per labium quippe calicis, guſtus dominicæ paſsionis per folium repandi lilij, patefacta claritas reſurrectionis ipſius exprimitur.

Duo millia batos capiebat, &c.

Millenarius namque numerus pro ſignificatione perfectionis ſolet poni in Scripturis: quia nimirum denarium numerum quadratum ſolidum facit. Decem quippe decies ducta centum faciunt: quæ videlicet figura iam quadrata, ſed adhuc plena non eſt. Verum vt in altitudinem ſurgat, & ſolida efficiatur multiplica centum per decem; & fiunt mille. E Quo perfecto numero, ſtabilis & inſuperabilis & velut conquadrata iuſtorum conſcientia deſignatur: quocunque enim verteris quadratum, ſtabit. Sic & animus electorum nullo temptationum occurſu nouit à ſtatu ſuæ certitudinis inclinari. Batus autem Hebræorum menſura eſt, quam ipſi *Bath* nominant, habens modios tres. Ipſa eſt ephi, quod illi *epha* nuncupant. Sed ephi ad menſuram pertinet variarum frugum, tritici, hordei, leguminum. Batus vero eſt in ſpeciebus liquidis, vino, oleo, aqua. Itaque Batus, quia certæ norma menſuræ eſt, opera deſignat æquitatis & iuſtitiæ, quibus hi, qui in remiſsionem peccatorum baptizantur, neceſſe habent inſtitui. Batos quippe mille capiebat mare: cum aqua baptiſmatis plebem Iudæorum abluens, ad regnum cœleſte tranſmiſit. Recipiebat & alios mille: cum etiam turbas nationum eodem fonte renatas & operibus iuſtitię confirmatas eiuſdem regni perennis fecit eſſe participes.

XXV. F *Et fecit baſes decem, quatuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas: & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis,* &c.

Multifarie & multis modis vna eademque noſtræ ſalutis ſacramenta præfigurantur. Namque ijdem Apoſtoli, virique Apoſtolici, qui per boues mare portantes deſignati ſunt, deſignantur etiam per baſes: quæ portandis erant luteribus præparatæ: quomodo ipſi luteres eiuſdem lauacri ſpiritalis, cuius & mare, typum gerebant. Siquidem, vt verba dierum narrant, omnia in eis, quæ in holocauſtum oblaturi erant, lauabant. 2.Par.4. Holocauſtum autem Domini generaliter omnis electorum multitudo poteſt intelligi: quæ, iuxta vocem præcurſoris Baptiſtæ, eſt ab ipſo baptizata in Spiritu ſancto & igni. Matth.3. Sicut ergo ſacerdotes, qui in mare lauabantur, formam exprimunt eorum, qui per Baptiſma efficiuntur ſummi conſortes ſacerdotij, quod eſt in Domino Ieſu Chriſto: ita etiam holocauſta eorundem figuram aptiſsime prætendunt: cum poſt ablutionem Baptiſmi gratia ſancti Spiritus implentur. Lauatur namque in lutere hoſtia: cum quis fidelium aqua Baptiſmi perfunditur. Offertur vero in holocauſtum: cum per impoſitionem manus Epiſcopi donum ſancti Spiritus accipit. G Quod vero ad portandos luteres, decem ſunt baſes factæ poterat ita myſtice interpretari: quia myſtici lauacri vitalis, ad æterna gaudia beatitudinis, (quæ denario ſolent numero figurari) eos, quos imbuunt, vocent. Verum quia de eiſdem luteribus diſtincte in ſequentibus ſcriptum eſt, quod videlicet quinque ex his poſiti ſunt ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram: magis in eis quinarij numeri ſunt intuenda myſteria. In vtraque etenim parte templi ſunt poſitæ baſes luterum, vt vtrique Dei populo ſacri fontis gratia deſignaretur eſſe pandenda. Et quinque ſunt in vtraque parte, (ſicut in expoſitione maris, quod quinque cubitis altum eſt, iam diximus) demonſtraretur typice, vniuerſa fidelibus, quæ per quinque ſenſus corporis deliquerant, per lauacrum baptiſmatis eſſe remittenda. Sicut ergo in vno mari duodecim bobus ſuperpoſito vnitas exprimitur baptiſmatis, quæ per Apoſtolos toto erat orbi prædicanda: ita etiam per duos ordines luterum myſtice oſtenditur: H quia Gentilitas cum Iudæa in vnum fidei conſortium per baptiſmatis erat vndam colligenda. Quod autem quatuor cubitorum longitudinis, & quatuor cubitorum latitudinis, trium cubitorum altitudinis baſes ſingulæ fuere: facile intellectu eſt: longitudo etenim ad patientiam longanimitatis, latitudo ad dilatationem dilectionis, altitudo pertinet ad ſpem ſupernæ retributionis. Quatuor autem ſunt principales virtutes, quibus cætera virtutum ſtructura imminet: Prudentia ſcilicet, Fortitudo, Temperantia, Iuſtitia: & ideo quaternorum erat cubitorum longitudo & latitudo baſium: quia ſancti prædicatores ſiue aduerſa mundi, & longitudinem exercitij, ac laborum præſentium fortis tolerent: ſeu cor in dilectione ſui Conditoris, ſuorumq; proximorum, interna exultatione dilatent: ſemper operam dare virtutibus curanti Prudéter videlicet inter bona & mala diſcer-

A nentes, fortiter aduerſa ſuſtinentes, cor ab appetitu voluptatum temperantes, Iuſtitiam in operatione tenentes. Trium vero cubitorum fit altitudo baſium: cum per exercitium virtutum, quas cum patientia malorum, & dilectione bonorum exercent, continua intentione ad viſionem ſanctæ Trinitatis peruenire ſatagunt.

Et ipſum opus baſium interraſile erat: & ſculptura inter iuncturas.

Iuncturas dicere videtur eas, quibus ipſe luterum tabulæ ſibimet inuicem connexæ ſunt: vt ſcilicet quatuor ſiue quinque tabulis vna fieret baſis. Quales ſculpturas baſes inter has iuncturas, id eſt, in ipſis ſuis lateribus ante & retro, dextra & ſiniſtra, & ſupra quoque habuerint, ſubdendo aperitur, cum dicitur:

Inter coronulas & plectas leones & boues & Cherubim & iuncturas ſimiliter deſuper.

Non ergo plana erat vlla ex parte ſuperficies baſium; ſed vndique verſum myſticis ſculpta figuris: quia ſanctorum mentes, immo vniuerſa eorum conuerſatio virtutum in omnibus gratiam prætendit: neque aliqua illos
B hora inanis & vacua præterit: in qua pijs vacare operibus vel ſermonibus vel certe cogitationibus deſiſtant. Coronulas quippe in ſe ſculptas habent: cum ad ingreſſum vitæ perennis infatigabili deſiderio anhelant. Plectas habent, cum inter deſideria vitæ cœleſtis, quæ ſurſum eſt, nunquam fraternæ ſocietatis, quæ iuxta eſt, vincula diſſoluūt. Habent inter coronulas & plectas leones: cum ita ad ſperanda cœleſtia mentem erigunt; ita ad diligendos proximos dilatant, vt in peccantes quoſque, qui ſibi commiſſi ſunt, feruorē aſperæ inuentionis exercere non tardent. Habent cum leonibus boues: quando ipſam inuectionem corripiendi cum ſpiritu manſuetudinis exhibent; quando in feruore arguendi nunquam fiſſam habere vngulam diſcretæ actionis ac loquelæ: nunquam verba diuinæ lectionis velut ruminando in ore voluere ceſſant.

Et ſuper leones & boues quaſi lora ex ære dependentia.

Super leones & boues lora dependent: quando ſancti doctores, & in ſeueritate diſtrictionis, qua peccantes iudicant, & in manſuetudine lenitatis, qua pœnitentibus
C remittunt, iudicium ſui tenent auctoris: ne forte, iniuſtè ligando, aut ſoluendo quempiam, iam iuſtè ligari ipſi ab eo, cuius iudicium errare nequit, mereantur.

Et quatuor rotæ per baſes ſingulas, & axes ærei. Et per quatuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles contra ſe inuicem reſpectantes.

Quatuor rotæ, quatuor ſunt Euangeliorum libri. Qui aptiſsime rotis comparantur: quia ſicut volubilitas rotæ citiſsimo curſu quocunque ducitur, currit: ita euangelicus ſermo, iubente Domino, per Apoſtolos vniuerſas in breui mundi plagas impleuit. Sicut rota impoſitum ſibi currum à terra ſubleuat, & ſubleuatum, quo auriga dirigit, portat: ita euangelica prædicatio mentes electorum à terrenis cupiditatibus in cœleſtia deſideria ſuſpendit: ac ſuſpenſas ad profectum bonæ actionis ſiue ad miniſterium prædicationis quocunque adiuuans gratia Spiritus voluerit, ducit. Namque in ſequentibus dicitur:

D *Quia tales erant rotæ, quales ſolent in curru fieri.*

Legimus autem de ſanctis: *Currus Dei decem millibus*
Pſal. 67. *multiplex millia lætantium.* Si ergo baſes luterum, ſancti ſunt doctores, qui lauacrum nobis vitæ miniſtrant: & rotæ quaternæ baſium, quatuor ſunt libri Euangeliorum: quid axes rotarum, qui baſes geſtant, niſi ipſa eorundem ſunt corda doctorum, quæ dum præceptis Euangelicis ſedulo intendentia, eos ab infirmorum appetitu ſuſtollunt: velut immiſsi rotis axes altius baſim à terra ſubleuant? Porro humeruli, qui rotis antepoſiti, ne ab axibus delabi poſſent, obſiſtebant; ſignificant præconia prophetarum, quibus Euangelica & Apoſtolica Scriptura ne cui legentium in dubium forte veniat, confirmatur. Bene autem dicitur, quod humeruli, qui per quatuor partes ſubter luterum erant poſiti, contra ſe inuicem fuerint reſpectantes; quia nimirum omnis Scriptura prophetica ſibimet inuicem conſentanea eſt: vtpote vno Dei Spiritu

E condita. Quatuor autem fuere per baſes ſingulas humeruli: videlicet iuxta numerum rotarum: non quia quatuor ſunt tantum libri prophetici: ſed quia in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ & Moyſes, dictis quatuor Euangeliſtarum teſtimonium præbuere, vt ex conſenſu vtriuſque teſtamenti vna fides & dilectio Chriſti noſtra omnium corda firmaret.

Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate, & quod forinſecus apparebat vnius cubiti erat totum rotundum; pariterque habebat vnum cubitum & dimidium.

Os luteris vnius erat cubiti propter vnitatem confeſſionis & fidei, qua omnes in confeſsione Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizamur, dicente Apoſtolo: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium.* Epheſ. 4.
Et ipſum os in capitis erat ſummitate, vt ad cœleſtia nobis regna per baptiſma iter eſſe patefactum doceret. Ipſe vero luter in amplitudine cubitum habebat vnum & dimidium; per operis nimirum perfectionem, & initium contemplationis. Integre etenim cubitus in lutere, perfectionem bonæ deſignat actionis, quam abſque vlla dubietate habebat ille, de quo temptatori antiquo Dominus aiebat: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis ſuper terram, homo ſimplex, & rectus ac timens Deum,* Iob. 1.
& recedens à malo? Eſt vero alter cubitus diuinæ viſionis, qui ex parte nonnulla etiam in hac adhuc vita retentis fidelibus donari conſueuit: vt idem Iob, deuicto aduerſario, cum Domino loquens ait: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Iob. 42.
Scriptum eſt namque in ſequentibus. *Vna rota habebat altitudinis cubitum & ſemis.* Et paulo poſt: *In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas vnius & dimidij cubiti: ita fabrefacta, vt luter deſuper poſſet imponi.*

Luterum quippe menſura vnius erat cubiti & dimidij; quia nimirum ea fide in fonte vitæ lauamur, vt per opera iuſtitiæ ad vitam intrare mereamur: quamuis ſine peccato, dum hic viuimus, eſſe nequimus: Ipſam vero vitæ cœleſtis dulcedinem guſtare ex parte, ac diligere in hac interim vita: perfecte autem videre nulla ratione valeamus. Rotæ quoque vno ac dimidio cubitu menſurantur, quia Scriptura lectionis Euangelicæ, qualiter hi, qui perfecti eſſe velint, viuere eſſe debeant, oſtendit, ſpemque æternæ retributionis in præſenti demonſtrat: ipſam vero retributionis illius qualitatem in futuro nobis pandendam ſimul & donandam eſſe promittit. Baſes etiam ipſæ vnum habebant cubitum ac ſemiſſem amplitudinis in ſummitate ſui, vbi luteres reciperent: quia ipſi doctores ſummi ac miniſtri lauacri ſalutaris opere quidem perfecti in hac vita fulſerunt, ſed luce contemplationis ex parte ſunt fruiti. Vnde & aiunt: *Ex parte enim cognoſcimus, &* 1. Cor. 13.
ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. In hunc modum fecit decem baſes fuſura vna, & menſura ſculpturaque conſimili: fecit quoque decem luteres æreos.

Quare decem ſint baſes factæ, totidemque eis ſuperpoſiti luteres; ſupra iam dictum eſt. Quod vero vna erat fuſura, menſuraque & ſculptura conſimilis omnium baſium ſiue luterum; non in ea ſignificatione factum eſt, quod æqualia poſſint eſſe omnium merita doctorum,
G ſed in ea potius, quod vna fides Euangelij, quo inſtituuntur: vnum eſt ſacramentum Baptiſmi, quo abluuntur,
H vnus idemque eſt Spiritus, quo omnes conſecrantur electi, tametſi donationes habent diuerſas in ipſo Spiritu, qui *diuidit ſingulis, prout vult.* 1. Cor. 12.

Quadraginta batos capiebat luter vnus.

Quadragenarius numerus ſolet magnæ perfectionis typum tenere: quia nimirum quater deni faciunt quadraginta. Decem autem ſunt præcepta, quibus omnis noſtra operatio in lege diuina præfixa eſt. Quatuor vero Euangeliorum libri, in quibus per diſpenſationem Dominicæ Incarnationis, cœleſtis patriæ nobis eſt patefactus introitus. Et quia omnes, qui ad myſterium ſacri baptiſmatis pertinent, cum fide & ſacramentis Euangelij fructum debent rectæ operationis oſtendere: aptè luteres ſinguli, in quibus holocauſta lauabantur, quadraginta batos capiebant. Quod vero ſequitur: *Erat quatuor cu-*

Digitized by Google

A *bitorum*, ſiue altitudine ſeu in latitudine, quid ſignificet, intellectus myſterij in promptu eſt. Luter enim vnus quatuor erat cubitorum, vel propter quatuor ſancti Euangelij libros, in quibus forma nobis baptiſmi præfixa eſt; vel propter quatuor cardinales virtutes, quibus quiſque fidelis, ſi non fruſtra fidelis eſt, debet inſtitui: vel recte propter quatuor mundi plagas, quibus lauacrum ſalutis miniſtratur, dicente Pſalmogropho: *Quos redemit de* Pſal. 106. *manu inimici: de regionibus congregauit eos. A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari.* Quod vero ſupra dixit: *Pariterque habebat vnum cubitum & dimidium*: & neque ibi altitudinem an amplitudinem ſignificaret, adiecit: videtur, quia fundum ipſius luteris, huius eſſe amplitudinis voluerit intelligi: quod ex menſura (ni fallor) baſis, in qua poſitus erat quiſque luter, facillime coniicitur, quæ ita deſcribitur.

In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas, vnius & dimidij cubiti ita fabrefacta vt luter deſuper poſſet imponi.

B Latitudo ergo fundi in luteribus vnius erat cubiti ac dimidij; ipſa vero capacitas luterum quatuor habebat cubitos, ſed vtrum in altitudine, an in amplitudine, an in vtroque; dicat, qui nouerit.

Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, quinque ad ſiniſtram.

Dexteram partem templi & ſiniſtram, non intus in ipſo templo, ſed ante templum dicitur; ad orientalem plagam videlicet in atrio interiore, quod ſacerdotum proprie vocabatur. Quinque autem poſuit ad dexteram partem templi propter Iudæos, qui ſole iuſtitiæ per doctrinam legis antiquitus vti ſolebant: & quinque ad ſiniſtram propter nos, qui cœco diutius corde ſeruituti adhærebamus eius, qui ait: *Ponam ſedem meam in Aquilonem.*
Eſai. 14. Quod eſt aperte dicere; Illis in cordibus requieſcere, deſidero, quæ à luce veritatis & flamine diuinæ charitatis aliena eſſe conſidero.

Mare autem poſuit ad dextram partem templi contra Orientem ad Meridiem.

Et hoc in eodem atrio poſitum eſt ad Orientem. Quod autem ait ad dexteram partem templi, hoc eſt, quod repetit, dicens; *Ad Meridiem.* Ingredientibus enim atrium
C ab Oriente, primo diuertendum erat ad Meridiem, vbi mare in ipſo angulo ſtabat, ad lauandum ſacerdotibus paratum. Deinde progredientibus intro occurrebant luteres ad lauandas hoſtias ab vtraq; parte poſiti. Intra hos baſis erat ænea, quinque cubitorum longitudinis; & quinque cubitorum latitudinis; & trium cubitorum altitudinis; in qua ſtans Salomon dedicabat templum. Deinde vltra progredientibus occurrebat altare holocauſti, contra medium atrij. Deinde porticus templi ſiue veſtibulum, in quo erant columnæ æreæ circa oſtium templi. Quod ergo mare poſuit ad dextram partem templi; ſignificat, nos per lauacrum Baptiſmi ad regnum cœleſte, quod iure vocabulo *dextra* figuratur, debere peruenire. *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Nam- Mat. 16.
que vbi dextra ſimul & ſiniſtra in bono accipiuntur: vel Iudæam & Gentilitatem, vt in expoſitione baſium ſupradiximus, vel præſentem Eccleſiæ vitam & futuram: vel læta ſeculi & triſtia, vel aliquid deſignat huiuſmodi.
D Vbi vero abſolute in bono accipitur *dextra*: æterna ſæpius gaudia demonſtrat. Quod vero contra Orientem poſuit mare, ad eandem proprie ſignificationem reſpicit, quod videlicet per lauacrum ſacri fontis ſplendor nobis internæ claritatis aperitur. Quod ad meridianum latus atrij, ſignificat fideles per acceptionem ſancti Spiritus ad flagrantiam ſolere veræ charitatis accendi. Feruor etenim meridiani ſolis conſueuit in Scripturis & ardorem dilectionis, & illuſtrationem ſignificare ſancti Spiritus: per quem eadem dilectio diffunditur in cordibus electorum.

XXVI. *Omnia vaſa quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de auricalcho erant. In regione Iordanis fudit ea rex in argilloſa terra,* &c.

Apte in regione Iordanis fuſa ſunt vaſa domus Domini: in quo videlicet flumine Dominus noſter baptizari dignatus eſt, eiuſq; tinctus vndis, aquarum nobis elementum in ablutionem peccatorum conuertit. Et quia omne
E fidelium baptiſma, quo Domino conſecrantur, in exemplum celebratur baptiſmatis illius, quo ipſe aquas ſanctificauit: recte in regione Iordanis vaſa ſunt domus Domini facta. Neque enim aliter vaſa electionis & miſericordiæ fieri poſſumus, niſi & baptiſma eius, quod illo in flumine ſubiit, reſpicientes, & ipſi vitali flumine ſatagamus ablui. Notandum autem, quod non tantum in regione Iordanis, ſed etiam campeſtri regione illius facta dicit eadem vaſa: ſignificans multiplicationem fidelium, quæ non ſolum in Iudæa, ſed & in omnium nationum erat latitudine futura: expleta prophetia, qua dicitur: *Gaudebunt* Pſal. 95.
campi, & omnia quæ in eis ſunt. Argilloſa autem terra, de qua factæ ſunt formæ ad fundenda vaſa Domini: quæ melius quam Scriptura ſacra, de qua regulam bene viuendi accipimus, valet intelligi? Quaſi enim argilla ignibus durata formam vaſis Domini, quanta & qualia fieri debeant, exhibet: cum nobis Scriptura regulam iuſtitiæ, qua inſequamur, oſtendit: ſanctorumque nobis exempla, qui in igne tribulationum inuincibiles perſeuerauerunt, in omnibus ſequenda præmonſtrat, ſi vaſa in domo Domini
F electa ac pretioſa eſſe concupiſcimus. Æſque igne liquefactum argillæ formas ingreditur: quo vas poſsit aptum miniſteriis cœleſtibus effici, cum ipſi ſalubriter humiliati, & flamma ſuæ diuinæ charitatis, ſiue etiam humanæ aduerſitatis emolliti, viam patrum bene operando intramus, vt ad præmia Patrum bene currendo perueniamus.

Fecitque Salomon omnia vaſa, altare aureum, & menſam ſu- XXVII.
per quam ponerentur panes propoſitionis, auream, &c.

Altare aureum corda ſignificat perfectorum iuſtorum, internæ charitatis & caſtitatis luce coruſca, quorum ſublimitati ſignificandæ etiam locus conuenit eiuſdem altaris. Stabat enim ante oſtium ſancti ſanctorum, vt in factura tabernaculi manifeſte legimus. In quo videlicet altari non hoſtiarum ſanguis, neque libamina, ſed thymiamata tantum incendebantur: quorum fumus ad ſuperiora aſcendens operiebat arcam, atque oraculum odore ſuauitatis impleuit: in quo figura exprimebatur ſanctorum, qui dum, neglectis temporalium rerum cupiditatibus, tota intentione cœleſtia quærunt: velut in-
G tus in vicino oraculi ſunt poſiti. Nec longe ſunt remoti à velo, quo templum & ſancta ſanctorum dirimuntur: quia corpora tantum terram incolunt, cœterum ſecundum interiorem hominem totam habent conuerſationem in cœlis. Aſcenditque ab huiuſmodi altari fumus incenſorum intra ſancta ſanctorum, vbi Arca eſt recondita cum orationes ſanctorum flamma charitatis excitatæ ad cœlum vſque perueniunt, *vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſe-* Col. 3.
dens. Non enim in hoc altari ſanguis hoſtiarum, ſed thymiama tantum incenditur: quia tales viri non habent opera carnis & ſanguinis, quæ in ara ſui cordis immolantes Domino mactent: ſed ſolummodo lachrymarum & orationis ei vota pro deſiderio regni cœleſtis offerunt. Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis. Et quidem altare thymiamatis Moyſes fecit in Exod. 37.
Eremo: habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, & duos cubitos in altitudine. Quantæ autem ma-
H gnitudinis hoc Salomon fecerit, Scriptura non dicit: ſed tantum, quod altare aureum fecerit, dicit. Cõſtat autem, quia tantum facere nõ potuit, quantum fecit holocauſti: quia ſi viginti cubitorum in longitudine & latitudine factum eſſet: totam templi latitudinem impleret. Quanto igitur exterius erat poſitum, altare holocauſti, quam incenſi, quantumque genere oblationis ac vtilitate metalli ignobilius fuit: tantum quantitate menſuræ & hoſtiarum frequentia præſtabat. Quia nimirum plures ſunt multo, quibus dicatur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua manda-* Matth. 19.
ta: quam quos audire delectet: *Si vis perfectus eſſe, vade, ven-* Ibid.
de, quæ habes, & da pauperibus. Nec tamen huius menſura altaris myſtici, ratione caret & numero. Habet enim viginti cubitos longitudinis, & totidem latitudinis, & decem cubitos altitudinis: de quo quidem numero ſupra in expoſitione templi, & veſtibuli eius diximus, ſed & nunc dicendum breuiter, quia ſi altare holocauſti illorum in Eccleſia typum tenet, qui ſuum corpus & animam

A Deo conſiderare per ignem amoris illius quærunt: perſeuerantia horum in bona operatione per longitudinem altaris, amplitudo in charitate Dei ac proximi. Per latitudinem, ſpes in expectatione diuinæ viſionis, per altitudinem figurantur. Quod autem longitudo & latitudo altaris vicenorum erat cubitorum: magnam vtiq; perfectionem deſignat eiuſdem indefeſſæ longitudinis ac ſynceræ dilectionis: quæ per vtriuſq; teſtamenti nobis obſeruantiam tribuitur. Quater enim quini vicenarium numerum complēt. Quinq; autem libri Moſaicę legis: quatuor ſunt Euangelicæ libertatis. Et cum ad intelligentiam atq; cuſtodiam legis ſpiritalem, illuſtrante euangelij gratia, peruenimus: vicenarium profecto numerum perficimus.

XXVIII. Sitque idem numerus in longitudine & latitudine altaris: cum corda electorum, docente vtroque teſtamento, & adiuuante ipſo vno vtriuſque teſtamenti auctore, & perſequerantiam boni operis etiam in perſecutionibus ſeruant; & hilaritatem dilectionis etiam in eos, qui perſequūtur, exhibent. Denario autem numero ſpes cœleſtium prēmiorum ſolet deſignari, Domino affirmante; B *Matth. 20.* cum eos, qui in vinea magni patrisfamilias laborant, denario remunerandos eſſe teſtatur. Et idem altare, quod in figura factum eſt electorum, ob ſignificandam eorum vitam perpetuā, decem erat cubitis altū. Cum vero dictum eſt, q̄a fecit Salomon altare aureū, additum eſt continuo.

XXIX. *Et menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream,* &c.

Menſa autem aurea Scriptura eſt ſacra ſpiritalis intelligentiæ claritate fœcunda. De qua Pſalmiſta Domino: *Pſal. 24.* *Paraſti,* inquit, *in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Ne enim nos, aduerſarij tribulantes ad errorem inflectant: menſam nobis conditor noſter ſcientiæ cœleſtis, per quam in fide veritatis confortemur parauit. Panes namque propoſitionis ſancti ſunt doctores; quorum vel opera nobis, vel verba ſalutaria ad exemplum vitæ propoſita, ſemper in diuinis paginis, quiſquis bene quærit, inuenit. Vnde apte ijdem panes in Exodo duo- *Leuit. 24.* decim fieri præcepti ſunt: videlicet propter Apoſtolos duodecim, quorum miniſterium nobis Scriptura teſtamenti condita eſt, & inſtrumenti veteris, donante Do- C mino, reuelata myſteria. Quo nimirum numero non tantum ijdem Apoſtoli, ſed omnes ſunt deſignati, qui, verbum prædicando, pabulum vitæ fidelibus miniſtrant: quia omnes vtiq; ipſam doctrinæ formam, quam in Dn̄o Apoſtoli accepere, ſequūtur. Quod vero in verbis dierum *2. Par. 4.* legimus, quia *fecit Salomon menſas decem, poſuitq; eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, phialas quoque aureas centum*: non has menſuras tam ad panes propoſitionis, q̄ ad vaſa Domini portanda factas eſſe credibile eſt, Phialas videlicet, quas pariter factas Scriptura refert: thimiamateria, turibula, mortariola, & cætera, quæ in ſequentibus leguntur. Nam quod paulo poſt in eodem verborum vo- *Ibid.* lumine ſubinfertur: *Fecitque Salomon omnia vaſa domus Dei, & altare aneum & menſas: & ſuper eas panes propoſitionis*: vel pluralem numerum pro ſingulari poſuit more Scripturis *Ioſ. 4.* vſitatiſsimo, vt in Ieſu Naue: *Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate*; cum Achan D ſolus, & non plures filij Iſrael hoc fecerint. Vel certe quia panes propoſitionis ſolebant ante ſabbatum coqui, vt in ſabatho mox poni poſſent in menſam propoſitionis; potuit fieri, vt panes noui, nouiter cocti, mox in his menſis imponerentur; ibidemque nocte illa ſeruarentur operti; donec primo mane, oblatis veteribus ſuper menſam propoſitionis ponerentur calidi. Non autem hæ menſæ decem à figura vnius menſæ propoſitionis diſcrepant. Nam ſicut vna menſa duodecim panibus onuſta, vnanimem totius Scripturę concordiam auctoritate Apoſtolica munitam deſignat; ita non immerito decem menſæ aureæ diuinæ legis Prophetarum eloquia figuratè denunciant; quæ vel refectionem nobis verbi Dei, quaſi panes propoſitionis, offerunt: vel nobis exempla fidelium, quaſi poſitorum in ſe vaſorum Domini claritatem & miracula, proponunt. Recte autem bis quinæ ſunt menſæ: non ſolum quia legislator quinque volumina ſcripſit; verum etiam quia tota teſtamenti ſeries quinque ætates ſeculi comple- E ctitur. Geminatur vero numerus mēſarum quinarius: & quinque à dextris, quinq; à ſiniſtris ponuntur: cum poſt Incarnationē Dominicam eadē Scriptura ſiue vtriq; Dei populo, Iudæo ſcilicet & gentili, cōmittitur: ſiue Euangelicis plena figuris oſtenditur, quæ quondam antiquo Dei populo iuxta literam ſolum intelligenda eſſe putabatur.

Et candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum ex auro primo: & quaſi lilij flores & lucernas deſuper aureas. XXX. Sicut enim menſę in typo ſanctę Scripturæ rectę ponuntur, quæ & eſurientibus iuſtitiam panem verbi Dei miniſtrant, & vaſa ferunt miniſterij cœleſtis id eſt, iſtorum nobis actus in exemplum proponunt: etiam aptiſsime per candelabra eadē diuina eloquia figurantur: videlicet quia lucem ſapientiæ errantibus proferūt. Hinc etenim Pſalmiſta: *Lucerna,* inquit, *pedibus meis, verbum tuum,* *Pſal. 118.* *Domine, & lumē ſemitis meis.* Hinc ēt Salomon ait: *Quia man-* *Prou. 6.* *datū lucerna eſt, & lex lux.* Quare autem quinq; à dextris & quinq; à ſiniſtris ſint poſita candelabra: ex his quæ de mēſis tractauimus, facile patet. Cum vero dixiſſet: *quinq; à* F *dextris, & quinq; à ſiniſtris*: conuenienter addidit: *contra oraculum.* Oraculum namq;, vbi erat Arca, vt ſæpe dictū eſt, adytū deſignat patrię cœleſtis. *vbi Chriſtus eſt in dextera Dei* *Col. 3.* *ſedens,* paternorum vtiq; conſcius arcanorū. Et candelabra templi aurea cōtra oraculum ſunt poſita: quia diuina eloquia ſemper ad habitationē ſupernę ciuitatis aſpectant: vt huius agnitionem ac deſiderium noſtris cordibus infundant: vt eos, qui originem carnis è terra habent, ad appetendam promerendamq; in cœleſtibus ſedem perpetuæ manſionis accendant. Si autem quęris, quid inter candelabra & lucernas eorum typice diſtet: poſſumus recte intelligere, lucernas eſſe viros ſanctos qui oleo Spiritus ſancti infuſi, & ipſi igni dilectionis ardent in corde, & proximis lucem ſcientiæ praferunt in linguam. Candelabra autem, quæ has lucernas in ſublime tollunt, vt longe lateque videri poſsint in Eccleſia, Scripturā eſſe ſacram, quæ ſanctorum nobis virtutes & doctrinam ſua lectione demonſtrant. Cui videlicet interpretationi annuit ſermo Domini, quo dicitur de Ioanne: *Ille erat lucerna lucens.* Poſ- *Ioan. 5.* ſumus etiā ita aptiſsime dicere: quia lucernæ diuina ſunt G eloquia: iuxta illud Pſalmiſtæ, quod & ſupra poſuimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis* *Pſal. 118.* *meis.* Candelabra autem harum lucernarum ſancti ſunt omnes, qui ſua & corda & corpora ferentes Domini mandatis humili ſemper intentione ſupponunt. Quiſquis n. in nullo propriam ſequi curat voluntatem: verum in omnibus, quæ Scriptura ſancta dicit, attendit, eiuſque ſe ſubijcere mandatis ſatagit auſcultare promiſſa: quaſi candelabrum domus Dei aureum, aureas eius geſtat lucernas: quia caſta corporis ſui membra, caſta mentis cogitationes ad facienda, quæ Deus iubet, ſupponere contendit: & hoc tam fixa intentione, quam candelabrum neceſſe eſt firmiter, ad ſuperna erectum impoſitas ſibi lucernas, non ſolum abſque ruina, ſed etiam abſq; vlla ſtatus ſui motione ſeruare. Quod vero, cum dixiſſet; *Et candelabra aurea quinq; ad dexteram, & quinq; ad ſiniſtram contra oraculum ex auro primo*: addidit: *Et quaſi lilij flores & lucernas deſuper aureas*: videtur iuxta literam, quia ſuprema pars candelabrorum in modum ſit lilij repandi efformata: quomodo in candelabro tabernaculi factum eſſe legi- H mus. Cuius eſt ſtipes medius & calami ex ipſo procedentes cum ſcyphis & ſphærulis lilia ſcribuntur habuiſſe perplurima. Flores autem lilij (vt ſæpe dictum eſt) amœnitatem ſemper virentis terræ viuentium deſignant: de qua dicit beatus Petrus: Regeneratos nos à Domino *in ſpem viuam, in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cælis.* Et bene lilij flores aurei in cādelabro ſunt facti domus Dei: quia Scriptura diuina, ſpretis temporalibus gaudijs, ad appetenda nos bona patriæ cœleſtis prouocare cōſueuit. Et quomodo erectum in altitudine cādelabrum lilij flores & lucernas habet aureas in capite: ita electi omnes, qui in eadem Scriptura ſacra continentur, erecto ad ſuperna ſenſu cœleſtia bona à Domino quæſiſſe & percepiſſe probantur.

XXXI. *Et cardines oſtiorum domus templi interioris ſancti ſanctorum; & oſtiorum domus templi ex auro erant,* &c.

Si oſtia domus interioris ſancti ſanctorum angelica ſunt miniſteria, quæ nobis de corpore egreſsis introitum vitæ cœleſtis referant: & oſtia domus templi doctores ſunt ſancti ac ſacerdotes, qui inſtruendo, baptizando, Domini Corporis & Sanguinis myſteria communicando, primi nobis Eccleſiæ præſentis limina pandunt. Quid cardines vtrorumque oſtiorum, niſi ſenſus & cordæ ſunt eorundem Angelorum ſiue hominum ſanctorum, quibus immobiliter contemplationi ac dilectioni ſui Conditoris adhærent, vt eo miniſterium diuinitus ſibi delegatum rectè compleant: quo à voluntate illius, cui miniſtrant, nunquam oculos auertunt? Aperiuntur enim & clauduntur oſtia tempore congruo: ſed nullo ſuum cardinem tempore deſerunt: quia & Angeli & homines ſancti ſiue in hanc vitam fidei, ſeu in illam ſpe fideles atque electos ſuſcipiant: ſemper animum in radice internæ dilectionis fixum tenent. Vnde bene ibidem ijdem cardines ex auro eſſe facti perhibentur: propter videlicet vel meritum propriæ claritatis, vel illius, quam habent in eum, charitatis.

B *Et perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini.*

Perficit Salomon opus, quod faciebat in domo Domini: cum Rex pacificus noſter in die nouiſsima omnes electos reſurrectionis immortalitate glorificat. Alioquin quamdiu ſtatus huius ſeculi geritur: facit quidem opus domus Domini Salomon: ſed nondum perficit; quia corda electorum Dominus, vt bona operentur, inſpirat & adiuuat, nullum tamen in hac duntaxat vita commorantem abſque peccato eſſe tribuit: namque hoc donum futuræ vitæ beatitudini reſeruatur. Perficit vero omne opus templi ſui, & hoc dedicationi aptum reddit: cum translatos de hac vita electos ſuos æternum perducit ad regnum. Quod bene ſignificatur etiam in eo, quod templum ſeptem annis ædificatum eſt: octauo autem perfectum ac dedicatum eſt. Septem namque diebus omne hoc tempus voluitur: octaua eſt dies iudicij & reſurrectionis futuræ: de qua pſalmi ſextus & vndecimus attitulati ſunt. Cui videlicet tempori conuenit aptè, quod ſequitur:

C *Et intulit quæ ſanctificauerat Dauid pater ſuus, argentum & aurum & vaſa: repoſuitque in theſauris domus Domini.*

Argentum namque ad nitorem eloquentiæ aurum ad ſplendorem ſapientiæ, vaſa generaliter ad rationabilem pertinent creaturam. Sanctificatque Dauid pater Salomonis argentum, cum Deus Pater eloquentes quoſque gratia ſui Spiritus ad loquendum verbum Euangelij confortat. Sanctificat aurum: cum naturali ingenio præditos ſuo replens Spiritu ad conſideranda in lege ſua mirabilia illuminat. Sanctificat & vaſa, cum omnibus generaliter Eccleſiæ filiis eiuſdem Spiritus gratiam largitus, ad amanda illos & appetenda dona perpetuæ ſalutis inflammat. Hoc autem argentum, hoc aurum, hæc ſanctificata vaſa, Salomon infert in templum, cum Dominus noſter, peracto vniuerſali iudicio, omnes electos, & doctorum videlicet & cæterorum fidelium cœtum, in gaudium regni cœleſtis introducit. Reponitque vaſa diuerſi generis argentea ſiue aurea in theſauris domus
D Domini: quando eos, qui multitudine dulcedinis eius
Pſal. 30. frui meruerint, *abſcondit in abdito vultus ſui à conturbatione hominum.* Et aptè multi ſunt theſauri, in quibus vaſa electionis recondantur: ſed vna domus Domini, in qua ijdem facti ſunt theſauri: quia & vna eſt Eccleſia, in qua omnes continentur electi, quantumlibet meritis diſtent: & vna, ac non diuerſa, eſt patria illa cœleſtis, quæ electis
1. Cor. 15. promittitur omnibus; quamuis *ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, ita & reſurrectio mortuorum.* Et quod vtrorumque iudex ipſe, ac diſtributor præmiorum Dominus; vna ſententia demonſtrauit, cum ait: *In do-*
Ioan. 14. *mo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Capvt. VIII.

XXXII. *ET intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum: in oraculum templi in ſanctum ſanctorum ſubter alas Cherubim. Si quidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam & vectes eius deſuper. Cumque eminerent vectes & apparerent ſummitates eorum foris ſanctuarium ante oraculum: non apparebant vltra extrinſecus, qui & fuerunt ibi vſque in præſentem diem. In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit fœdus Dominus cum filijs Iſrael, cum egrederentur de terra Ægypti,* &c.

Quod inlata arca in ſanctum ſanctorum dicitur: Cumque eminerent vectis & apparerent, ſummitates eorum foris ſanctuarium non apparebant vltra extrinſecus: hoc manifeſtius in Paralipomenon volumine ſcribitur: *Vectium*, inquit, *quibus portabant arcam, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum. Si vero quis paululum fuiſſet extrinſecus, eos videre non poterat.* Vbi notandum
F quod etſi capita vectium accedentibus propius ac diligentius intuentibus patebant ante oraculum: non tamen fieri poterat, vt ipſa eorum capita ante oraculum eminerent: quia nimirum neceſſe erat, vt, clauſo oraculo, & appenſo, ante oſtia velo, ipſi quoque vectes toti cum Arca & Cherubim abderentur interius. Quod fieri non poterat, ſi prominentes vlterius vectes producendis ad claudendum oſtijs locum non darent. Quorum poſitionem vectium Scriptura non ſine cauſa ſed magni intuitu ſacramenti tam diligenter expedire curauit. Conſtat enim, quia domus templi exterior peregrinantem in terris Eccleſiam: ſancta autem ſanctorum internam ſupernæ patriæ fœlicitatem deſignat. Item illata in ſancta ſanctorum Arca aſſumptam Chriſti humanitatem & intra velum regiæ cœleſtis inductam: vectes vero, quibus eadem Arca portabatur, prædicatores verbi, per quos ipſe mundo innotuit, typice denunciant. Erat autem in Ar-
Col. 2. ca vrna aurea habens manna: quia *in homine Chriſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Erat virga Aa-
Num. 17. ron, quæ excisa denuo floruerat: quia poteſtas omnis iu-
G dicandi penes eum eſt, cuius iudicium in humilitate paſſionis videbatur eſſe ſublatum. Erant & tabulæ teſta-
Col. 2. menti: quia *in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Adhærebant ei vectes, quibus portabatur: quia doctores, qui quondam laborabant in verbo Chriſti, nunc præſenti viſione congaudent gloriæ Chriſti. Quod
Phil. 1. enim vnus eorum de ſe dixit: *Cupio diſſolui, & cum Chriſto eſſe:* de omnibus vtique ſui operis conſortibus intelligendum reliquit. Apparebant ſummitates vectium foris ante oraculum non ſemper, ſed cum oſtia eiuſdem oraculi aperiri contingeret: neque hoc omnibus, ſed his ſolummodo, qui prius accedentes, attentius ea, quæ intus erant, ſatagebant intueri. Ipſa autem Arca qualis & quomodo eſſet poſita, ſolis eis, qui oraculum intraſſent, videre licebat: quia nullus ſanctorum in hac adhuc vita poſitus tametſi multum in altitudine ſe mentis attollens: ſed ſoli illius patriæ ciues gloriam inibi ſui Redemptoris plene contuentur. Sunt & vectes cum Arca in ora-
H culo reconditi: quia abſconditi ſunt etiam nunc perfe-
Pſal. 30. cti quique electi, qui nos præceſſerunt de mundo, *in abdito vultus Dei, à conturbatione hominum.* Quorum tamen ſummitates vectium nunquam aperto oraculo his, qui appropiant, viſuntur, cum perfectioribus quibuſque atque oculum ſui cordis tota intentione purificantibus diuina gratia aliquid extremum de ſupernorum ciuium gaudio contemplandum donauerit. Quæ nimirum contemplatio his qui paulo longius receſſerint, minime conceditur; quia quanto exterius mente vaga remanent: tanto minus, quæ ſint interna gaudia, vident.

XXXIII. *Factum eſt autem, cum exiſſent ſacerdotes de ſanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini,* &c.

Greg. Quod autem nebula impleuit domum Domini: & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam;

Digitized by Google

A *ſeptimi d miſit populos ad tabernacula ſua.* Sed puto, non aliud hic velle intelligi, niſi quod, expletis ſeptem diebus dedicationis templi, ſubſecuti ſunt dies Scenopegiæ, quæ (Leuit. 23.) à quinto decimo die menſis ſeptimi ſecundum legem inchoabant, & in die viceſima ſecunda finiebantur. Vtriſque ergo feſtiuitatibus rite peractis, & Scenopegiarum octaua die finita, dimiſit rex Salomon populos ad ſua lætantes atque gaudentes ſuper bono quod fecerat Dominus Dauid & Salomoni & Iſrael populo ſuo.

(Ioſeph.) Cui ſenſui videtur Ioſephus ſuffragari. Ita dicens; *Dimiſit ergo Salomon Eccleſiam, cum ſacrificia celebraſſet pro ſe & vniuerſis Hebræis,* id eſt *vitulos quidem viginti duo millia; oues autem centum viginti millia. Tunc enim prius in templo ſacrificia celebrata ſunt; & in toto epulati ſunt omnes Hebræi cum vxoribus ſuis & filijs; inſuper etiam & feſtiuitatem, quæ vocatur Scenopegia, faciens ante templum; clare nimis & magnifice diebus quatuordecim rex cum omni populo ſuo pariter epulatus eſt. Cumque hæc fuiſſent ſufficienter exhibita, nihilque deeſſet circa pietatis diuinæ culturam; dimiſsi à rege ſinguli ad propria remearunt; agentes gratias regi propter prouidentiam, quam habuiſſet, & opera, quæ feciſſet; & orantes Deum, vt eis regem præberet longæuo tempore Salomonem; agebant reuertentes cum gaudio ſublimiter, & cum delectatione homines decantantes, ita vt ea iocunditate ſine labore ad propria remearent.* (B)

Myſticè autem hoc, quod Salomon, completo opere templi, feſtiuitatem celebrem fecit & omnis Iſrael cum eo, multitudo magna ab introitu Emath vſque ad riuum Ægypti coram Domino Deo; ſignificat internum gaudium ſanctorum, quod cum rege ſuo Chriſto, vero videlicet Pacifico, perpetualiter habent; nec non & loca ipſa, quibus termini terræ Iſrael deſcripti ſunt, Emath videlicet & riuus Ægypti, huic ſignificationi non contradicunt. *Emath* enim interpretatur, *Domini veritas.* Et riuum ſiue torrentem Ægypti quem melius intelligere poſſumus, quam mortem temporalem? Quia hanc in Ægypto, id eſt, in tenebris iſtius mundi conſiſtens nullus euadere (Pſal. 88.) poteſt, Propheta atteſtante, qui ait; *Quis eſt homo, qui viuit, & non videbit mortẽ?* Vnde de ipſo Mediatore Dei & homi- (Pſal. 109.) num in Pſalmo ſcriptum eſt; *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* Torrens fuit turbulenta perſecutio Iu- (C) dæorum, de qua Dominus Chriſtus bibit in via, id eſt, in hac vita, dum corpore pertulit. Sed dum, *in via,* dicitur, in latinis oſtenditur, & velociſſimus tranſitus indicatur; per quam itinerantes vehi ſolent ad aliam manſionem. (Phil. 2.) *Chriſto enim* propter glorioſæ meritum paſſionis *datum eſt nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Omnis ergo Iſrael à riuo Ægypti vſque Emath feſtum celebre cum Salomone facit, quando ſancti poſt finem præſentis vitæ veraciter æternis gaudijs cum Domino Chriſto perfruuntur. Quod autem ſeptem & ſeptem diebus eandem feſtiuitatem celebrabant, ſignificare poteſt, quod electi per ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam illuminati, modo in hac vita, quæ ſeptenario numero dierum diſcurrit, gaudent in ſpe, & tum in ſabbato vero, hoc eſt, in futura animarum requie gaudebunt in ipſius veritatis perceptione. Quod autem ſequitur; in die octauo Salomon dimiſiſſe populum, qui benedicentes regi pro- (D) fecti ſunt ſinguli in tabernacula ſua lætantes alacri corde ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid ſeruo ſuo, & Iſrael populo ſuo: ſignificat poſt finem iſtius vitæ, poſtquę ſabbatiſmum animarum ſanctarum, quæ nunc quieſcunt ante diem iudicij, in octaua ætate, hoc eſt, in die reſurrectionis ſanctos recepturos corpora immortalia, & in manſionibus cœleſtibus, quoſque ſecundum beatorum qualitates collocandos, vbi ſemper alacri corde lætentur, gaudentes, & laudantes Deum ſuper omnibus bonis, quæ in Domino Chriſto Pater omnipotens contulit populo Chriſtiano.

Capvt IX.

DEdit rex Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ. Egreſſuſque eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon; & non placuerunt ei, & ait; Hæcine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi frater? Et appellauit eas, terra Chabul vſque in diem hanc, &c.

De hoc Ioſephus ita narrat; *Multum aurum & argen-* (Ioſeph.) *tum Tyri rex ad ædificium contulit, inſuper & ligna cedrina & cypreſſina, quem Salomon quoque magnis compenſationibus redonauit; mittens ei per annos ſingulos triticum vinum & oleum, quibus maxime rebus, eo quod habitaret in inſula, ſicut prædiximus, indigebat. Ad hæc autem & ciuitates Galilææ regionis, viginti numero non procul à Tyro poſitas condonauit. Quas dum circuiſſet atque conſideraſſet; diſplicuiſſetque ei donum, mittens ad Salomonem, dixit, ſe ciuitatibus non egere; & ex tunc hæ appellatæ ſunt terra Gabalon; etenim interpretatum lingua phœnicia,* diſplicere *ſignificat.* Sed chabul, *quaſi germen*, interpretatum in libro Hebræorum nominum inuenimus. Quo- (F) modo autem hoc nomen, *diſplicere* ſignificet, non inuenimus: niſi forte per ironiam dictum ſit, *quaſi germen*, cum plenitudinem fructuum non afferret.

Ædificauit ergo Salomon Gaſer, & Bethoron inferiorem, & (XXXVI) *Baalath & palmiram in terra ſolitudinis: & omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & quæ erant abſque muro, muniuit,* &c.

Vrbes vero, quas ædificaſſe Salomon dicitur, hoc eſt, Mello & murum Ieruſalem, Ezer, Mageddo, & Gaſer, Bethoron, Baalath, & Palmiram ſanctæ Eccleſiæ decorem ſignificant, quam verus Salomon in iocunditate regni ſui ad laudem & ſempiternam lætitiam ſibi præparauit. Interpretatur autem Mello, *adimplet eo*: Ezer, *ſeparatus*, vel *ſanctificatus*; Mageddo, *cœnaculum eius*: Gaſer, *præciſio* vel *diuiſio*; Bethoron, *domus montium*: & Baalath, *aſcendens*, interpretatur. Sancta ergo Eccleſia ipſa *ciuitas Dei viui* eſt, vbi impletur cottidie Dei voluntas. (Hebr. 12.) Hæc ſeparata ab omni errore infidelium, ſanctificata eſt in fide & bonis operibus. Ibi refectio virtutum eſt: hæc diſcernit mundum ab immundo, virtutes à vitiis: & domus eſt montium, id eſt, habitatio ſanctorum, & fructu (G) iuſtitiæ, ſicut palma, florens *aſcendit de virtute in virtutem,* (Pſal. 83.) *vt videatur Deus Deorum in Syon.* Omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & quæ erant abſque muro, muniuit Salomon: quia Chriſtus cœtus fidelium ſuorum gratiæ ſuæ protectione ita muniuit: vt hoſtibus ſpiritalibus inſuperabiles ſemper exiſterent.

Vniuerſum populum, qui remanſerat de Amorrais, & de Cethais, & Pherezeis, & Heuais, & Iebuſais, qui non ſunt de filijs Iſrael: horum filios, qui remanſerant in terra, quos ſcilicet non poterant filij Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios vſque in diem hanc. De filijs autem Iſrael non conſtituit Salomon ſeruire quenquam, ſed erant viri bellatores & miniſtri eius, & principes, & duces.

Vniuerſum populum, qui non fuerunt de filiis Iſrael, fecit pacificus noſter tributarios, cum eos, qui non ſunt in filiorum numero, ſed in ſeruili conditione poſiti, in poteſtate ſua continet, & ſingulis vtitur ad proprium ſeruitium. Siue enim Iudæi, ſiue gentiles, ſiue hæretici, eius dominatione conſiſtunt, quia ipſe vniuerſorum dominator eſt, & eis vtitur ad ſuam voluntatem. In cuius (H) voluntate vniuerſa ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati eius. Tales licet in multis aduerſantur: tamen frequenter vſibus ſeruiunt Eccleſiæ, cum in præſenti tempore neceſſaria tribuunt, & de rebus ſuis ſolatia præbent. De filiis autem Iſrael, hoc eſt, qui non ancillæ filij ſunt, ſed liberi, quos ipſe filius Dei ſanguine ſuo liberauit, non conſtituit Salomon noſter ſeruire quenquam: quia neminem cogit ritu gentili viuere: neminem cœremonias veteris legis temporibus noui te- (Act. 15.) ſtamenti ſeruare: ſed viros bellatores eſſe, qui contra (Galat. 2.) ſpiritales nequitias ſcuto fidei, & gladio Spiritus dimicent: & miniſtros ſuos fieri, hoc eſt, ſpiritale obſequium (Epheſ. 6.) in bonis operibus ſibi præbere: & principes & iudices, ſcilicet vt bene ſibi principentur, & carnis laſciuiam (Rom. 6. 7. & 8.) domenț: ſiue vt ſubditos ſibi bene regant & in ſemita (Gal. 5.)

Digitized by Google

A iuſtitiæ ducant. Quod autem ſequitur: *Erant principes ſuper omnia opera Salomonis præpoſiti quingenti quinquaginta, qui habebant ſubiectum populum, & ſtatutis operibus imperabant:* quid ſignificat, niſi quod hi qui Spiritus ſancti gratia legis Domini ſcientiam habere merentur, & ſemetipſos & alios bene regere poſſunt? Quinquageſimo ergo die
Exod. 20. Actor. 2. poſt paſcha & in veteri teſtamento lex in Sina tributa eſt; & in nouo ſuper Apoſtolos, & eos, qui cum ipſis erant, Spiritus paraclitus venit.

XXXVII. *Offerebat quoque rex Salomon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta & pacificas victimas ſuper altare, quod ædificauerat Domino: & adolebat thymiama coram Domino,* & cætera.

Offert quoque pacificus noſter tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta Domino: cum in membris ſuis per ſanctæ Trinitatis fidem *hoſtiam acceptabilem* exhibet Deo. Rom. 12. Offert enim vnuſquiſque fidelis holocauſta Domino; cum corpus caſtigando macerat, & tota deſideria carnis igne Spiritus ſancti conſumere feſtinat.
B Offert pacificas hoſtias, cum bonorum operum munus exhibet. Offert victimas, cum vota labiorum ſuorum in laude Domini expendit. Et hæc omnia ſuper altare, quod ædificauerat Domino, offerre debet; quia in ara cordis, vbi decet ignem diuinum ſemper ardere, hoc eſt, flammam charitatis ſemper feruere; quicquid in abſtinentia, quicquid in bona operatione, quicquid in gratiarum actione elaborat; iuſtum eſt, vt totum in ſuauitate Spiritus ſancti offerat Deo. Sicque adolebit thymiama coram Domino: quando orationem puram in cordis ſecreto præparat Deo; & ea quæ ſunt digna, & Deo placita, poſtulat. Cæterum qui tranſitoria poſcit, & & quæ ad luxum ſeculi pertinent, non coram Domino adolere thymiama dicitur, quia non in pura conſcientia orare comprobatur.

Claſſem quoque fecit Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris rubri in terra Idumææ. Miſitq; Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris cum ſeruis Salomonis. Qui cum veniſſent in Ophir ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.

C Hier. Aſiongaber fertur eſſe inſula, haud procul ab Aila in rubro mari, vbi claſſis Ioſaphat huius tempeſtatis attrita eſt. Ophir autem nomen eſt prouinciæ, ex Ophir, vno de poſteris Eber, nominata, de cuius ſtirpe venientes, à fluuio Roſinæ, vſque ad regionem Iudæ, quæ vocatur Hieria habitaſſe referuntur; vt Ioſephus narrat.

Claſſem itaque, quam fecit Salomon in Aſiongaber (quæ, *feſtinantes*, aut *fortes*, ſiue *viriliter* interpretatur) non aliam eſſe puto, quam Eccleſiam fidelium, quæ in mari iſtius mundi poſita, ſtudium impendit, theſauros ſapientiæ & ſcientiæ, opeſque virtutum adquirere. Ibi ſunt ſerui Hiram, viri nautici, & gnari maris cum ſeruis Salomonis; dum gentiles ſeculari ſapientia eruditi, cum his, qui in lege Moyſis periti ſunt, in vnitate fidei ſociantur. Hos ergo Salomon noſter in Ophir (quæ interpretatur, *infirmans*) mittit: vt ſumptum inde aurum ad ſe deferant; cum in vilitate litteræ ſen-
D ſum pretioſum iubet quærere. Et ſic acceptam ſummam quadringentorum viginti talentorum auri ad regem deferunt; cum ſenſum precioſum hiſtoriæ allegoriæ, tropologiæ, atque anagogen in duobus teſtamentis inueniunt, & eum ſapientiæ, & conſilio diuino adſcribentes tribuunt.

CAPVT X.

XXXVIII *SEd & regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus & ingreſſa Ieruſalem cum multo comitatu & diuitijs, camelis portantibus aromata; & aurum infinitum nimis & gemmas pretioſas. Venit ad Salomonem, & locuta eſt ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo,* &c.

Regina autem auſtri, quæ à finibus extremis excitata veniens, Salomonis audire ſapientiam concupiuit iam tunc venturam gentibus Eccleſiam, deſiderantem Chriſtum, præfigurabat: quæ (iuxta Prophetam) *circumamicta eſt varietate in veſtitu deaurato, & populi ſui & paterna domus oblita* Pſal. 44. currebat barbara gente, non animo. Quæ in aperto peregrina fuit ſed in occulto ſanctorum fieri ciuis optabat. Vnde non ſolum cæleſti præmio reſurrectionis beata, ſed etiam poteſtate Apoſtolica, de Iudæis adulteris iudicandis, ipſius ore Iudicis digna cenſetur: Matth. 12. quia Chriſtum in Salomone mirata, verum reginæ cæleſtis affectum imagine myſtica Eccleſiæ prouidentis impleuerat. Hinc
F ipſa regina Saba in Salomone & gloria eius ſtupens ſuper prudentia eius dixit;

Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper prudentia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni & vidi oculis meis & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit. Maior eſt ſapientia tua & opera tua, quam rumor quem audiui, &c.

Quod bene conuenit ſanctæ Eccleſiæ, quæ, auditis miraculis Chriſti, prouocata eſt ad quærendum eum. Sed poſtquam ad ipſum venit per Baptiſmum & fidem, conſideratis ſanctæ Scripturæ teſtimonijs, Diuinitatis eius potentiam agnoſcens, parum ei videtur eſſe omne, quod ſibi antea de eo narratum eſt; in comparatione perceptæ Vnde & admirando in laudem eius erumpit, dicens:

Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui placuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam.

His quoque ſimilia & Pſalmiſta, & deſiderio regni
G cæleſtis exardeſcens, ex perſona ſanctorum protulit, dicens: *Quam amabilia ſunt tabernacula tua, Domine virtutum; concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini: cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſal. 83. Et paulo poſt: *Beati,* ait, *qui habitant in domo tua Domine: in ſeculum ſeculi laudabunt te.* Illi ergo beati & vere beati ſunt, quorum rex eſt Chriſtus; & qui æterna viſione eius perfrui merentur, & gloriam eius, quam habet cum Patre & Spiritu ſancto, conſpicere, & ſapientiam, per quam ipſe *mundo corde* Matth. 5. dignatur ſe oſtendere, perpetualiter percipere lætentur. Sicque probabunt, verum eſſe hoc, quod ſcriptum eſt: *Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Eſa 64. 1. Cor. 2. *Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo: exceptis his, quæ vltro obtulerat ei munere regio.* Quia pacificus noſter vere reginæ, Eccleſiæ videlicet ſuæ, omnia, quæ petit, dabit, de quo ſcriptum eſt: *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.* Pſal. 20. Et in Euangelio ipſe dicit: *Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 15.
H Non ſolum autem ea, quæ petimus, imo etiam illa, quæ humana fragilitas aut neſcit, aut præſumit petere gratuito munere largitur.

XXXIX. *Fecit rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & citharas lyraſque cantoribus. Non ſunt allata huiuſmodi ligna thyina, neque viſa vſque in præſentem diem,* &c.

Ioſeph. De quo Ioſephus ita narrat. *Eodem vero tempore delati ſunt regi à terra, quæ vocatur aurea, lapides precioſi & lignea pinea, quibus vſus eſt ad fortitudinem templi domumq; regalem, & ad inſtrumenta muſicorum. Fecitque ex eis citharas & nablas, vt dicerent hymnum Deo Leuitæ. Omnium vero rerum, quæ fuerunt quocunque tempore regi delata ſunt, magnitudine & pulchritudine præcellebant.* Nullus igitur arbitretur, quia ligna pinea, quæ nunc propter pretia vendentium ſic appellantur, illis vicina ſint. Illa ſiquidem viſione torunda, quaſi pinea ſunt, ſed multo candidiora & valde fulgentia. Hoc autem dixi, vt nullus

natu-

Digitized by Google

A naturam veræ pinus ignoraret. Bene autem dicitur,
quod Rex Salomon de lignis precioſiſsimis fecerit ful-
chra domus Domini, & domus regiæ, & citharas lyraſq;
cantoribus: quia Conditor noſter ligna pretioſa, hoc eſt,
doctores ſanctos, quorum viror fidei nunquam areſcit,
nec folia verborum decidunt, ſed qui *fructum* bonorum
Pſal. 1. operum *reddunt temporibus ſuis*, ad munimen domus Dei,
& domus regiæ: hoc eſt, ad confirmationem Eccleſiæ ſuæ
ponit, vt eorum vndiq; vallata doctrinis atque exemplis
ruinam errorum & ſcelerum non ſentiat. Taleſque viri
merito quaſi citharæ & lyræ ad laudandum Dominum
Ibid. fabricatæ dicuntur: quia *omnia, quæcunque fecerint proſpe-
rabuntur*, & laudem Domini inter aduerſa & proſpera
corde, ore, ſimul & opere pronuntiare non ceſſant. Hi
Col. 3. (ſecundum Apoſtolum) quicquid agunt in verbo aut in
opere, omnia in gloriam Dei faciunt. De quibus ex per-
Eſai. 62. ſona Domini per Prophetam dicitur: *Super muros Ieruſa-
lem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte non tacebunt laudare
nomen Domini. Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de
B auro puro, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius: &
trecentas peltas ex auro probato: trecentæ enim minæ auri vnam
peltam veſtiebant. Poſuitque ea Rex in domo ſyluæ Libani*, &
cætera.

2. Par. 9. In verbis quoq; dierum ita ſcriptum eſt: *Fecit igitur Rex
Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum aureorum,
qui in haſtis ſingulis expendebantur. Trecenta quoque ſcuta au-
rea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſcuta ſingula. Po-
ſuitque ea Rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.*
Scuta ergo ſimul & haſtæ aureæ, quibus vtebantur (ſicut
in ſequentibus oſtenditur) Duces, qui excubabant an-
te oſtium domus Regis, quid ſignificant, niſi armaturam
ſpiritualem, quam habent prædicatores ſancti, qui custo-
diunt domum Dei, & excubant ad oſtium eius, vt callidis
inſidiatoribus intercludant aditum, ne decipiant inno-
centes. De quibus in Cantico Canticorum ſcriptum eſt:
Cant. 3. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis I-
Bed. ſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi.* Quia & præ-
ſentem Eccleſiæ quietem ac pacem prædicatores ſancti
contra hæreticorum tuentur incurſus: & internam cœ-
leſtis patriæ requiem perfectiores quique fixa intentione
ſpeculantur. Bene autem iterando adiungitur: *Ex fortiſ-
C ſimis Iſrael.* Iſrael quippe, *vir videns Deum*, interpretatur. O-
mnes quidem, qui ad diuinæ viſionis gaudia tendunt re-
cte *Iſrael* nomine cenſentur. Sed fortiſſimi in eis ſunt vtri-
que illi, qui ſiue cœleſtis dono ſpeculationis ſublimantur:
ſeu prædicationis miniſterium rite peragendum ſuſcipi-
unt. Qui & apte ſexagenario ſunt numero deſignati: quia
tales nimirum denarium æternæ retributionis proper
fectione bonæ operationis expectant. *Omnes tenentes gla-
dios, & ad bella doctiſsimi.* Illos tenentes gladios, de quibus
Epheſ. 6. dicit Apoſtolus: *Et galeam ſalutis adſumite & gladium Spi-
ritus, quod eſt verbum Dei.* Ad illa bella *doctiſsimi*: de quibus
Ibid. idem ammonet, dicens: *Induite vos armaturam Dei, vt poſ-
ſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio
aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſta-
tes*, &c. Et recte, *doctiſsimi*: quia magna bellandi arte indi-
gent, qui carne incluſi, in terris poſiti, contra ſpiritualia
nequitiæ in cœleſtibus certant: magna arte immo ma-
D gna Dei gratia indigent: cum contra Archangelum,
tot millibus annorum ad bella exercitatum, carnis fragi-
litas pugnat. Recte ergo ducentæ haſtæ de ſumma ſex-
centorum Siclorum factæ ſunt, quia patres vtriuſque te-
ſtamenti doctrina & operatione perfecti eſſe noſcuntur,
cum quicquid in ſermone docuerint, bonis exemplis pro
bauerunt. Necnon & trecenta ſcuta, quorum ſingula tre-
centi aurei veſtiebant, perfectam fidem eorum ſignificat,
quam in ſanctæ Trinitatis confeſſione habebant. Be-
ne ergo cuſtodes domus Dei haſtas & ſcuta aurea por-
tant: quia ſancti prædicatores, qui ſunt Eccleſiæ ſanctæ
cuſtodes, claritate ſupernæ ſapientiæ ſplendentes, & ver-
borum iaculis inimicos confodiunt, & ſcuto ſacræ fidei
tela nequiſſimi ignea repellentes extinguunt. Quod au-
tem adiungitur *poſuit ea Rex in domo ſyluæ Libani*, apte huic
myſterio congruit. Quid ergo ſylua Libani, niſi gentium
Eccleſiam ſignificat, quæ de faſtu ſuperbiæ abſciſſa in fa-
brica domus Dei conuenienter aptatur. Vnde & per Pſal- E
miſtam dicitur *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam* Pſal. 131.
in campis ſyluæ, &c.

XL. *Fecit etiam Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & ve-
ſtiuit eum auro fului nimis: qui habebat ſex gradus. Et ſummitas
Throni rotunda erat in parte poſteriore, & duæ manus hinc atque
inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas,
& duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde*, &
cætera.

Solium ergo, quod Rex Salomon fecit, bene Eccleſia
ſancta eſſe intelligitur: in qua Pacificus noſter regnans
iudicia ſua facere dignoſcitur. Quia anima iuſti ſedes eſt
ſapientiæ. Et bene de ebore illud factum eſſe memora-
tur, quod non ad ſolas diuitias intelligamus aptatum: ſed
quoniam elephas, cuius hæc oſſa ſunt, nimiæ caſtitatis aſ-
ſeritur: qui inter quadrupedia & ſenſu plurimum va-
let, & temperanter miſcetur fœminæ ſuæ, & coniuge ſe-
cunda non vtitur. Hoc pudicis animabus decenter a-
ptatum eſt: quia illæ ebur fuiſſe noſcuntur, quæ per ca-
ſtitatem Chriſti Domini præcepta ſecutæ ſunt. F

Hanc veſtiuit auro fului nimis:

Quia ſplendorem gloriæ ſuæ in ea clareſcere fecit: cum
per ſigna miracula maieſtatis ſuæ potentiam oſten-
dit.

Habebat autem Thronus iſte ſex gradus.

Quid per ſenarium numerum, niſi bonorum operum
perfectio deſignatur? *Sex diebus perfecit Deus mundi orna-* Gen. 2.
tum, & ſeptimo requieuit ab operibus ſuis. Siquidem & ſe-
narius primus eſt numerus, qui ſuis partibus perfectus
eſſe dignoſcitur. Habet enim medietatem tria, tertiam
partē, duo: ſextam, vnum: vnum vero, duo, & tria ſex fi-
unt. Igitur quia & ſex ætatibus mundus conſtat, in qui-
bus licet operari: quiſquis ad cœleſtem patriam perue-
nire deſiderat, bonis operibus aſcendare feſtinet: quia,
niſi bonis actibus aſcendatur, illuc minime peruenitur.
Sequitur: *Et ſummitas Throni rotunda erat in parte poſteriore.*
Quid enim rotunditas Throni in parte poſteriore niſi re-
quiem æternam, quæ poſt hanc vitam futura eſt ſanctis,
ſignificat, vbi quiſquis hic bene laborat, mercede operis
ſui remuneratur, perenni quiete perfruetur? Vnde &
in Cantico Canticorum de hoc ipſo Throno ſub alio ex-
emplo commemoratur, vbi dicitur: *Ferculum fecit ſibi* G
Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas: Cant. 3.
*reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media charitate con-
ſtrauit.* Ferculum inde dictum quod vel reſidentium ſi- Bed.
ue diſcumbentium in conuiuio corpora ferat: vel ipſum
de loco ad locum ſoleat pro temporis oportunitate cir-
cumferri. Cui merito ſancta Eccleſia comparatur: quæ
credentes ad æternæ vitæ refectionem prædicatorum
ſuorum miniſterio circumfert. Ferculum itaque Regis
noſtri ſancta Eccleſia eſt, quæ de fortibus patrum, quaſi
lignis cedrinis imputribilibus, mentibus eſt conſtructa.
Quæ recte ferculum dicitur: quia ipſa fert quotidie ani-
mas ad æternum conuiuium Conditoris ſui. Cum fercu-
lo columnæ argenteæ factæ ſunt: quia prædicatores ſan-
cti, eloquii luce reſplendent. Eſt autem columnis argen-
teis reclinatorium aureum: quia per hoc, quod à ſan-
ctis prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientium
fulgorem claritatis intimæ, in qua reclinentur, inue-
niunt. Item reclinatorium in ferculo fecit, cum ſpem per- H
petuæ quietis fidelibus promiſit. *Tollite*, inquit, *iugum* Matth. 11.
*meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis cor-
de: & inuenietis requiem animabus veſtris.* Et hoc reclinato-
rium fecit aureum: quia requiem nobis æternam diui-
næ ſuæ viſionis gloria coruſcam præparauit. Et non niſi
purpureus ad hoc ferculum aſcenſus inuenitur, quia
nullus Eccleſiam, niſi Sacramentis Dominicæ Paſſionis
imbutus, ingreditur. Vnde ipſe ait: *Niſi manducaueritis* Ioan. 6.
*carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis
vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit me-
um ſanguinem: habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in
nouiſſimo die.* Media *charitate* conſtrauit *propter filias Ie-
ruſalem.*

Ea ipſa videlicet charitate, qua pro nobis paſ- Ioan. 15.
ſus eſt. *Maiorem enim hac charitate nemo habet, vt*

A *animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et hoc eſt, quod addidit: *Propter filias Ieruſalem*, id eſt, propter animas cœleſtium deſiderio flagrantes. Quanto enim maiorem Deus charitatem ſuam nobis, pro nobis patiendo commendauit: tanto plures ad ſe reclamandum ac pro ſe patiendum accendit.

Et duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile.

Quid ergo duæ manus tenentes ſedile Salomonis ſignificant, niſi ſolatia diuinæ gratiæ, quæ ſanctam Eccleſiam ad cœleſte regnum prouehunt? Et hæc apte per binarium humerum deſcripta ſunt; quia in vtroque teſtamento hoc prædicatur, hoc maxime commendatur.

1 Cor 3. Phil. 2. Ioan. 15. Quia non niſi per diuinum adiutorium aliquid boni perfici poteſt. Vnde ipſa veritas dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.* *Et duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.* Quid per leones niſi patres vtriuſq; teſtamenti figurantur, qui per fortitudinem animi & ſibi & aliis dominari bene didicerunt.

Duo ergo leones iuxta manus ſtabant:

B Quia in lege & in Euangelio ſancti patres quicquid boni fecerunt, non ſibi, ſed Deo deputauerunt. Vnde &

Pſal. 144. 2 Cor. 15. Ier. 9. 1 Cor. 1. Pſalmiſta dicit: *Non nobis Domine non nobis: ſed nomini tuo da gloriam, ſuper miſericordia tua & veritate tua.* Et Apoſtolus: *Gratia*, inquit, *Dei ſum, id quod ſum.* Et item: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sequitur: *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde.* Quid per duodecim leunculos, niſi prædicatorum ordo, qui Apoſtolicam doctrinam ſequitur, ſignificatur? Hi ergo ſupra ſex gradus hinc atque inde ſtant: quia bonorum operum greſſus hinc & inde ſuis doctrinis atq; exemplis munire certant, ne plus labor bene incipientium in operando vacillet, ſed rectitudinem in progreſſu virtutum fortiter conſeruet. Quod autem ſubditur:

Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis:

Apte ſanctæ Eccleſiæ conuenit, de qua ſcriptum eſt:

Prou. 31. *Fortitudo & decor indumentum eius: & ridebit in die nouiſſimo. Surrexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt, & vir eius laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Sequitur: *Sed & omnia vaſa, de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea: & vniuerſa ſuppellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo. Non erat argentum, nec alicuius precij putabatur in diebus Salomonis, &c.*

C Omnia vaſa, quæ Pacifici noſtri miniſterio funguntur, aurea fiunt: quia omnes animæ ſanctorum, quæ ſunt vaſa Dei, vt voluntati deſeruiant diuinæ, ſplendore ſapientiæ & dilectionis nitentes, continent potum aquæ viuæ,

Ioan. 4. *& fiet in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Nec alicuius pretii argentum putabatur in diebus Salomonis: Quia,

1 Cor. 4. ſecundum Apoſtolum, *non eſt in ſermone regnum Dei, ſed in*

1 Cor. 2. *virtute.* Et prædicatio Euangelii *non in ſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis* conſiſtit *ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis: vt fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Vnde ipſa Veritas ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Do-*

Matth 7. *mine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Et iterum: *Qui ſoluerit v-*

Matth. 5. *num de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines: minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ, diuitiis & ſapientia. Et vniuerſa terra, deſiderabat videre vultum Sa-

D *lomonis, vt audiret ſapientiam eius quam dederat Deus in corde eius. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes, & arma bellica.*

Bene ergo dictum eſt, quod magnificatus ſit Rex Salomon ſuper Reges terræ: quia Pacificus noſter ſuper omnem celſitudinem ſanctorum, qui vere Reges dicun-

Pſal. 88. tur, exaltatur: & nullus ei coæquari poteſt. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei: Deus, qui glorificatur in conſilio ſanctorum, magnus &*

Pſal 140. *metuendus ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.* Et iteru: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius non*

Ioan 1. *eſt numerus.* Vnde & Ioannes dicit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.*

Et vniuerſa terra deſiderat videre vultum Regis noſtri;

Quia vniuerſa Eccleſia ſanctorum hoc ſolummodo appetit, vt ad conſpectum gloriæ eius perueniat. Cum E

per Prophetam dicitur: *Tibi dixit cor meum, quæſiui te vultum* Pſal. 26.

tuum, Domine requiram. Et alibi: *Sicut ceruus*, inquit, *deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Pſal. 41.

Et ſinguli deferunt ei munera:

Dum vnuſquiſque ſecundum id, quod vires ſibi ſuppetunt, in verbo ſeu factis obſequium ſtudet præſtare Deo.

CAPVT XI.

REX *autem Salomon amauit mulieres alienigenas multas. Filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas & Ammonitidas, & Idumeas, & Sydonias, & Ethæas, de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael: Non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad veſtras, &c.* XLI.

Iſidor. Iam porro de cæteris operibus Salomonis quid dicam, quem vehementer arguit ſancta Scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentia eius, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat; nec prorſus occurrit, quid ſaltem in allegoria boni ſignificet. Hæc eſt flenda ſubuerſio; niſi forte dicat quis mulieres alienigenas, F

quarum amore exarſerat, ſignificare Eccleſias electas ex gentibus. Poſſet hoc fortaſſe non abſurde intelligi, ſi illæ propter Salomonem deſererent deos ſuos, & colerent Deum eius. Cum vero ipſe propter illas offendit Deum ſuum, & coluit Deos earum; non eſt, quid inde boni conjectari poſſit. Nec tamen nihil arbitror ſignificare, ſed malum: ſicut de vxore filiabuſque Loth diximus. Apparet enim in perſona Salomonis mira excellentia, & mira ſubuerſio. Quod igitur in illo diuerſis temporibus extitit prius bonum, & poſterius malum: hoc in Eccleſia in iſto adhuc ſeculo ſimul vno tempore oſtenditur. Nam bona illius, bonos Eccleſiæ: mala autem illius, malos Eccleſiæ ſignificare puto: tanquam in vnitate illius areæ: ſicut in illo vno homine bonos in granis, malos in paleis, Matth. 3.

aut in vnitate vnius ſegetis, bonos in tritico, malos in zizaniis. Matth. 13.

Factum eſt igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de XLII.

Ieruſalem, & inueniret eum Achias Sylonites Propheta in via, opertus pallio nouo. Erant autem duo tantū in agro; apprehendenſque Achia pallium ſuum nouum, quo opertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam; Tolle tibi decem ſciſſuras. Hæc G

enim dicit Dominus Deus Iſrael; Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna tribus remanebit ei propter ſeruum meum Dauid, & Ieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael, &c.

Illud vero, quod poſt mortem Salomonis decem tribus à domo Dauid ſeparatæ ſunt, & duæ relictæ, ſatis indicat, quod de tota illa gente Apoſtolus ait: *Reliquiæ pro-* Rom. 11.

pter electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Ieroboam vero, qui decem tribus à domo Dauid, & à templo Dei ſeparans, ad idololatriam perduxit, ſignificat hæreticos, qui diſſenſionem amant, & vnitatem fidei Catholicæ hæreſibus ſcindunt; ac ſic cultui malignorum ſpirituum ſibi obſequentes tradunt. Interpretatur autem Ieroboam, *diiudicans populum.* Nam, & hæretici diiudicare populum videntur: cum erroris ſui ſequacem faciunt. Cui rei bene conueniunt verba Prophetæ Achiæ Sylonitis, qui miſſus eſt ad H

Ieroboam, ita dicens:

Tolle tibi decem ſciſſuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna tribus remanebit ei propter ſeruum meum Dauid, & Ieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael.

Decem enim ſciſſuras Ieroboam accepit, cum legis præcepta violando corrupit. Et vna tribus cum ſobole Dauid remanſit: dum ſors Electorum iuxta Apoſtolicam Doctrinam in regula fidei Catholicæ permanſit: quia

vnus eſt Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Denique Roboam, filius Salomonis, qui, vtili ſeniorum conſilio relicto, Epheſ. 4.

adoleſcentium conſilium ſecutus eſt; licet de domo Dauid fuerit, tamen in via eius non gradiebatur; *fecit enim*

Iudas, Scriptura teſte, *in illius diebus malum coram Domino,* 3 Reg 14.

& irritauerunt eum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum in

peccatis

A

peccatis ſuis, quæ peccauerant. Ædificauerunt autem & ipſi ſibi aras & ſtatuas & lucos ſuper omnem collem excelſum & ſuper omnem arborem frondoſam. Sed & effœminati fuerunt in terra. Feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Iſrael. Significat ergo malos rectores in Eccleſia, qui terrenis cupiditatibus dediti negligunt curam habere ſubditorum, & delectantur in multitudine ſibi obſequentium, nec tamen condignam habent ſollicitudinem ſibi commiſſorum. Interpretatur autem Roboam, *latitudo populi*: & bene, *latitudo populi*, nominari poſſunt, qui latam & ſpacioſam viam gradientes, per quam multi vadunt ad mortem, anguſtam viam, quæ paucorum eſt, & ad æternam vitam ducit, ingredi detrectant: relictoque ſanctorum patrum conſilio, quorum dicta & exempla ad celſitudinem tendunt perfectionis, eligunt iuuenum obtemperare præceptis, hoc eſt, eorum, qui iuuenilibus deſideriis mancipati, laudibus iniquis & adulationibus eos grauent. Et fit in eis quod per Prophetam dicitur: *Qualis populus, talis eſt & ſacerdos. Omnes enim à minimo vſque ad maximum auaritiæ ſtudent, & cæci cæcis ducatum præbentes in foueam perditionis pariter cadunt.* Quibus comminatur Sapientia Dei, dicens: *Væ tibi terra, cuius Rex eſt puer: & cuius principes mane comedunt.* Et è contrario de ſanctorum populo & Rege eorum Chriſto laudando ſubſequitur, dicens: *Beata terra, cuius Rex eſt nobilis, & cuius principes naſcuntur in tempore ſuo: quia omnia, quæcunque fecerint, proſperabuntur.*

Matth. 7.

Eſa. 24. Ier. 6. Matth. 15.

B

Eccl. 10.

Capvt XIII.

XLIII.

E*T ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente: exclamauitque contra altare in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum incendet ſuper te*, & cætera.

Igitur Propheta, qui à Deo miſſus fuerat in Bethel, vt increparet Ieroboam ſuper idololatria, quam geſſit, & à falſo Propheta ſeductus comedit ibi & bibit contra præceptum Domini, & propterea à leone in via occiſus eſt, quid ſignificat, niſi dum quis in proſperis eleuatur corde, ita vt præcepta Domini contemnat, à leone, *qui circuit rugiens, quærens quem deuoret*, donec perſuaſionis malignæ laniatus, per conſenſum peccati interficitur? Ac per hoc neceſſarium eſt, ſemper quærere auxilium omnipotentis Dei, atque defenſionem ipſius, & toto corde ſperare in miſericordia eius. Quid enim eſt homo, cuiuslibet ſit meriti, ſi Conditoris ſui protectione deſeratur? Quæ nimirum protectio minus neceſſaria creditur, ſi ſemper habeatur. Sed vtiliter plerumque ſubtrahitur: vt ſibimet ipſi homo, quam ſine illa nihil ſit, oſtendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per aduerſa inſinuat, quæ neſcientes nos in proſperis portat. Quia deſtituti dum cadere incipimus, & tamen adiuti retinemur: & doctrina fit, quod in lapſu trepidauimus: & cuſtodia, quod in ſtatu permanemus. Nemo ergo ſe alicuius virtutis æſtimet: etiam cum quid fortiter poterit: quia ſi diuina eum protectio deſerat: ibi repente eneruatus obruitur, vbi ſe valenter ſtare gloriatur. Quid eſt enim, quod vir Dei, contra altare Samariæ ad prophetandum directus, præſente Rege, authoritatem liberæ vocis exercuit, eiuſdemq; Regis extenſum brachium in rigore mirabiliter adſtrinxit, quod tamen mox miſericorditer ſaluti reſtituit: cuius in domo inuitatus comedere noluit: quin ne in via comederet, prohibitionis Dominicæ præcepta ſeruauit: qui tamen in eadem via & ſeductus comedit, & paſtus interiit? Qua in re quid ſubtili conſideratione colligimus: quid (vt ita dixerim) formidandum ſuſpicamur: niſi quod forſitan apud ſemetipſum tacitus & pro præceptis Dominicis Regem ſe contempſiſſe gloriatus, ab interna mox ſoliditate quaſſatus eſt, & inde ei in opere culpa ſubripuit, vnde ſibi gloria in corde ſurrexit, vt Prophetæ falſis verbis deceptus diſceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quod ad Regis verba reſtitiſſet. Bene autem ex eius ore mortis ſententiam accepit: cuius ſeductione à vitæ præceptis deuiauit, vt inde pœnam veraciter ſumeret, vnde culpam negligenter admiſiſſet.

C

1. Pet. 5.

Greg.

D

E

Capvt XIV.

XLIV.

I*N quinto autem anno regni Roboam aſcendit Seſac, Rex Ægypti, in Ieruſalem, & tulit theſauros domus Domini, & theſauros regios, & vniuerſa diripuit. Scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manu ducum ſcutariorum, & eorum, qui excubabant ante oſtium domus Regis. Cumque ingrederetur Rex in domum Domini, portabant ea, qui præeundi habebant officium, & poſtea reportabant ad armamentarium ſcutariorum*, & cætera.

De quo itaque Rege in libro Paralipomenon plenius narratur, vbi hoc modo legitur: *Anno autem quinto regni Roboam aſcendit Seſac, Rex Ægypti, in Ieruſalem (quia peccauerant Domino:) cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum. Nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes ſcilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes. Cœpitque ciuitates munitiſſimas in Iuda, & venit vſque Ieruſalem. Semeias autem Propheta ingreſſus eſt ad Roboam, & Principes Iuda, qui congregati fuerant in Ieruſalem, fugientes Seſac, dixitque ad eos. Hæc dicit Dominus: Vos reliquiſtis me, & ego relinquo vos in manu Seſac. Conſternatique Principes Iſrael & Rex dixerunt: Iuſtus eſt Dominus. Cumque vidiſſet Dominus, quod humiliati eſſent: factus eſt ſermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboque eis pauxillum auxilij: & non ſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem per manum Seſac. Verumtamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ & ſeruitutis regni terrarum. Receſſit itaque Seſac, Rex Ægypti, ab Ieruſalem, ſublatis theſauris domus Domini, & domus Regis, omniaque ſecum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos, & tradidit illos principibus ſcutariorum, qui cuſtodiebant veſtibulum palatij.*

2. Par. 12.

F

Quid ergo per figuram hoc inſinuat, quod propter peccatum Roboã Seſac, Rex Ægypti, de domo Domini theſauros abſtulit, & theſauros regios, niſi quod mali rectores propter negligentiam ſuam Regem Ægypti, hoc eſt, principem tenebrarum in Ieruſalem typicam prouocant, in Eccleſiam videlicet ſibi commiſſam, vbi ipſi ad tempus Dominari videntur? Qui theſauros domus Domini, & theſauros regios aufert, cum ſcientiam Scripturarum ſanctarum, ſimul & opera virtutum ab incautis & deſidioſis abſtrahit. Seſac ergo, *byſſus cilicij*, ſiue *gaudium cilicij*, interpretatur. Et quia byſſus ſubtilitatem ſignificat, cilicium vero, quod de caprarum ſetis conficitur, peccata: quid melius in byſſo cilicij, quam verſutia fraudis Diabolicæ in perſuaſione peccatorum accipi poteſt? Seſac enim Ieroſolymitanas opes aufert: cum Diabolus, qui callide decipit, & gaudet in multitudine peccatorum, Eccleſiaſticos quoſque ſcientia ſpirituali & opere virtutum deprædat, eoſque, qui videbantur in Eccleſia decori eſſe, ſpoliatos ſecum in barathrum perditionis ſuæ demergit. Necnon & illud, quod idem Rex ſcuta aurea, quæ fecerat Salomon, abſtulit, pro quibus fecit Rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manu ducum ſcutariorum: ad eundem ſenſum reſpicit. Salomon enim ſcuta aurea condens cuſtodibus domus ſuæ dedit: cum Redemptor noſter ſpiritualem ſcientiam per duo teſtamenta doctoribus Eccleſiæ ad tuendam plebem ſuam commendauit. Hanc antiquus hoſtis per incuriam rectorum abſtrahit, quia cum intenti ſunt rebus terrenis, nunquam curantes de cœleſtibus: in officio priſtino ſcientia denudatos, quaſi in domo propria opibus ſpoliatos, derelinquit. Deniq; tales cum ſe ſenſu ſpirituali priuatos conſpiciunt: per eloquentiam verborum copiam quærunt, quatenus eorum ſonoritate, velut ſcutorum æreorum firmitate, tutamen contra hoſtes pro ſubiectis ſibi opponant. Sed quanto æs eſt vilius auri metallo: tanto inferior eſt vana eloquentia veræ ſapientiæ fructu. Vnde per quendam ſapientem de eloquentia dicitur: *Vbi plurima verba ibi frequenter egeſtas.* Et in Pſalmiſta legitur: *Vir lin-*

G

H

Prou. 14.

Pſal. 139.

A *guoſus non dirigetur ſuper terram.* Nam de ſapientia ſcri- [Psal. 139.] ptum eſt: [Iob. 3.] *Sapientia precioſior eſt cunctis operibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, in ſiniſtra diuitiæ & gloria.* Qui vero oportunam defenſionem Eccleſiæ exhibere vult contra hæreticos, & contra omnes inimicos; ſapientiæ vtrique adminiculo hoc debet perficere, nec eloquentia aliquid ad hoc ſine ſapientia proficit, immo plurimum nocet. Porro quod legitur in ſubſequentibus, quod bellum fuerit inter Roboam & Ieroboam & Aſa, Regem Iuda, atque Baaſa, Regem Iſrael, cunctis diebus eorum: non aliud ſignificare puto, quam quod ſancta Eccleſia, quæ in vnitate fidei perſiſtit, bellum habeat ſemper cum hæreticis & ſchiſmaticis, & omnibus, qui violare contendunt fidem [2. Tim. 3.] Catholicam. *Omnes enim* (vt ait Apoſtolus) *qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* quia draco anti- [Gen. 3.] quus perſequitur mulierem, inſidians calcaneo eius, & ipſa conteret caput illius. Aſa enim, *tollens* ſiue *ſuſtollens*: & Baaſa, *confuſio* vel *ſiccitas*, interpretatur. Et bene Eccleſiæ populus *tollens* ſiue *ſuſtollens*, dicitur, qui mentem ſuam ad B ſuperna deſideria ſuſpendens, confuſionem terrenarum cupiditatum cum earum ſuggeſſore diabolo ſpernit, ac velut ſicca & inutilia contemnit.

Capvt XVI.

XLV. *FACTVS eſt autem ſermo Domini ad Iehu, filium Anani, contra Baaſa, dicens: Pro eo, quod exaltaui te de puluere. & poſui ducem ſuper populum meum Iſrael, tu autem ambulaſti in via Ieroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, vt me irritares in peccatis eorum: Ecce ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus eius, & faciam domum tuam, ſicut domum Ieroboam, filij Nabath. Qui mortuus fuerit de Baaſa in ciuitate, comedent eum canes. Et qui mortuus fuerit ex eo in regione: comedent eum volucres cæli,* &c.

Hæc verba contra omnes peccantes & contra hæreticos & contra paganos maxime prolata ſunt: quippe qui peccatis priſtinis peccata ſemper noua adiciunt, & malorum exemplis deprauati, ſuis ſceleribus priores fiunt.

C *Demetam*, inquit, *poſteriora Baaſa, & poſteriora domus illius: & faciam domum eius, ſicut domum Ieroboam filij Nabath.*

Demetit Dominus poſteriora Baaſa, cum peccata iniquorum poſt finem vitæ vlciſcitur.

Demetit & poſteriora domus eius:

Cum ciuitatores illorum æternis cruciatibus damnat: & faciet domum Baaſa, ſicut fecit domum Ieroboam filii Nabath: cum peccatores in iniquitate ſua perſeuerantes, ſimul cum diabolo & Angelis eius inferni cruciatibus tradet. Baaſa enim (vt diximus) *confuſio* vel *ſiccitas*, interpretatur. Ieroboam vero, *diuidens populum*, & Nabath, *ſpontaneum*, reſonat. Qui ergo confuſiones errorum & peccatorum ſequitur, & vxorem gratiæ ſpiritualis habere negligens, in ariditate peccatorum vſque ad finem vitæ perſeuerat: poſteriora eius velut Diaboli metentur: qui propria voluntate ſuperbiendi ſibi mortem generauit, & tamen populum perditorum velut diiudicare videtur, cum non iudicium æquitatis, ſed damnationis in eis exercere dinoſcitur. Tunc enim peccatorum atque D omnium iniquorum poſteriora demetentur, cum capite ſuo Diabolo: quando Iudex viuorum & mortuorum in fine ſeculi dicturus eſt his, qui ad ſiniſtram eius ſtabunt. [Matth. 25.] *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius. Et ibunt hi in ſupplicium æternum. iuſti autem in vitam æternam.*

Qui mortuus, inquit *fuerit de Baaſa in ciuitate, comedent eum canes. Et qui mortuus fuerit ex eo in regione: comedent eum volucres cæli.*

Quod eſt ergo mortuum eſſe in ciuitate, niſi quemlibet fidetenus in Eccleſia perſeuerantem, criminibus capitalibus obnoxium eſſe? In ciuitate ergo moritur, qui intra Eccleſiam Dei opera prauitatis exercet. Ille enim ore canum laceratur, cum ſententiis ſanctorum doctorum increpatur, arguitur atque damnatur. De quibus videlicet canibus In Pſalmo ſcriptum eſt: *Vt canes circuibunt* E [Psal. 58.] *ciuitatem.* Canes enim à cauendo dicti ſunt. Canum enim conſuetudo eſt, illa loca defendere, in quibus ſe norunt alimoniam repperire. Ciuitas autem illa, quam canes iſti circumeunt, Ieruſalem eſt, vniuerſaliter per mundum diffuſa. Hanc ergo circuiſſe Paulum ſalutares generi humano teſtantur Epiſtolæ: quæ per vniuerſas gentes, velut ſacra diuina tonuerunt. O canem iſtum beatum, qui populos perſequitur infideles, fures abigit, & ouilia ſancta cuſtodit, cuius latratus per totum mundum, quaſi grandiſona tuba, concrepuit.

Qui enim moritur, ait, *ex Baaſa in regione: comedent eum volucres cæli.*

Illi enim ex Baaſa, hoc eſt, ex corpore Diaboli confuſione pleniſſimo in regione moriuntur: qui extra Eccleſiam ſeparati idololatriæ aut hæreſibus ore atque opere nefario deſeruiunt. Hoc enim volucres cœli comedunt, illę videlicet volucres, de quibus in Euangelio dicit in parabola ſementis ſecus viam ſemen ſparſum volucres comedisse. [Matth. 13. Luc. 8.] Tunc enim iſtæ volucres eos comedent: quando F onuſtos peccatis ſecum ad æternum rapiunt interitum. *Anno triceſimo primo Aſa Regis Iuda, regnauit Ambri ſuper Iſrael duodecim annis, in Therſa regnauit ſex annis. Emitq; montem Samariæ à Somer duobus argenti ſiclis, & ædificauit eam, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Somer, Domini montis Samariæ.* Hoc quomodo factum ſit, Ioſephi verba manifeſtant, in quibus ſcriptum eſt: *Triceſimo autem anno Regis Aſaph, Ambri ſuſcepit imperium, & tenuit annis duodecim, quorum ſex quidem annis fecit in Therſa: reliquos autem in ciuitate, quæ Maraon appellatur, à Græcis vero Samaria. Hic autem nominauit eam Somareon à Somaro quodam, qui ei montem venundauerat, in quo conſtituerat ciuitatem. In nullo autem differebat prioribus Regibus, niſi quod peior erat.*

Et addidit Achab in opere ſuo irritans Dominum Deum Iſrael, ſuper omnes Reges Iſrael, qui fuerant ante eum. In diebus eius ædificauit Achiel de Bethel Iericho, &c. XLVI.

Quod ſcriptum eſt de temporibus regni Achab: *In diebus eius ædificauit Achiel de Bethel Iericho. In Abiram, primogenito ſuo, fundauit eam; & in Segub, nouiſſimo ſuo, poſuit portas eius*: patet ſenſus, quia cum præfatæ conditor vrbis fundamenta illius ponere inciperet: primogenitus eius, qui G vocabatur Abiram, mortuus eſt. Et cum, vrbe ædificata, portas munire temptaret: nouiſſimum filiorum ſuorum, cognomento Segub, emiſit. Quod ita futurum Ioſue, cum eam deſtructam anathemati traderet imprecando prædixit: [Ioſ. 6.] *Maledictus*, inquiens, *vir coram Domino, qui ſuſcitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat: & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.* Quia vero Achiel, *viuens Deo*: Bethel interpretatur, *domus Dei*: Achiel de Bethel deſtructa à Ioſue atque anathematizata Iericho mœnia reſtaurat: cum quis eorum, qui in Eccleſia habitum religionis aſſumpſerat ad agenda ſcelera, quæ ei Dominus Ieſus in die baptiſmatis donauerat, redit: quaſque ipſe anathematizauerat Diaboli pompas, luxurioſe viuendo repetit: cum errorum dogmata vel gentilium fabulas veritati Eccleſiaſticæ, qua imbutus eſt, præponit; quaſi de Bethel egrediens, ruinas Iericho reſuſcitat: meritoque talis coram Domino maledictus, & primum filiorum in fundatione nefariæ ciuitatis, & nouiſſimum in portarum poſitione amittit: quia fundamenta fidei, à quibus bona ædificia inchoare; & clauſtra bona actionis, quibus perfici debuerat, H perdit.

Capvt XVII.

XLVII. *ET dixit Helias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi fuerit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba,* & cætera.

[Hier. Greg.] Thesba igitur, vnde Helias Thesbites nominatus eſt, ciuitas eſt Galaditidis regionis. Quod autem dicitur: *Viuit Dominus Deus, in cuius conſpectu ſto*: ſciendum eſt quod duobus modis in conſpectum Domini venimus: vno quando hic peccata noſtra ſubtiliter perpendentes,

A in eius nos conſpectu ponimus & flendo diiudicamus: alio vero in conſpectum Domini venimus, cum in extremo iudicio ante tribunal eius adſiſtimus. Nam quotiens Conditoris noſtri potentiam ad ſenſum reducimus: totiens in conſpectu illius ſtamus. Vnde recte nunc per virum Dei Heliam dicitur: *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto.* Hic iuſtus in conſpectu Dei ſtat, vt fideliter viuat illic, vt veraciter coronam vitæ accipiat.

Et factum eſt verbum Domini ad eum, dicens: Recede hinc & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes: coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi. Abijt ergo, & fecit iuxta verbum Domini. Cumque abiiſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem. Corui quoq; deferebant ei panem & carnes mane ſimiliter panem & carnes veſperi: & bibebat de torrente. Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens, non enim pluerat ſuper terram, &c.

Quid ergo Helias, qui interpretatur, *Deus Dominus*, ſiue *Deus meus*, aut *fortis Deus*, ſignificat: niſi Chriſtum Dominum noſtrum, de quo ſcriptum eſt: *Dominus fortis, Dominus potens in prælio?* Abſconditus eſt Helias noſter in tor- Pſal. 23.
B rente Carith, qui interpretatur, *caſus*: & ibi de torrente bibit, cum in caluariæ loco, vbi abſcondita eſt virtus gloriæ eius, de torrente mortalitatis noſtræ guſtauit. Corui autem paſcebant Heliam, deferentes ei panem & carnes mane, panem & carnes veſperi: cum gentilitas de nigredine peccatorum veniens Chriſto Domino, ſalutem noſtram ſitienti, panem fidei & ſpem reſurrectionis, per gratiam eius illuminata, offert: mane videlicet prædicationis Euangelicæ: & item, panem & carnes veſpere ſimiliter defert, cum eandem fidem vſq; ad finem mundi ſeruans incontaminatam cum carnis reſurrectione venienti Iudici præſentat. Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens: quia, conſummato curſu præſentis ſeculi, *abſorta periit, neq; luctus neq; clamor, quia prima abierunt.* 1 Cor 15. Apoc 21.

XLVIII. *Factus eſt igitur ſermo Domini ad eum, dicens: Surge, & vade in Sarepha Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ vt paſcat te,* &c.

Mittitur Helias paſcendus ad alienigenam viduam. Bed. Hæc igitur vidua gentium deſignat Eccleſiam. quæ à ſuo diutius Conditore deſerta populũ fidei veræ & recti ne-
C ſcium, quaſi pauperem filium, egena ſtipe nutriebat, id eſt, verbi fructu expertem docebat: donec adueniens ſermo propheticus, qui exſiccato vellere Iſraelis, vtpote Iud. 6. clauſa cœli ianua, fame periclitabatur in Iudæa, paſceretur ibi ſimul & paſceret, & receptus videlicet à credentibus, & reficiens ipſe credentes. Vnde bene hæc eadem vidua in Sareptha Sidoniæ dicitur eſſe morata. Sidonia quippe *inutilis venatio*: Sareptha vero *incendium* vel *anguſtia panis*, interpretatur. Quia *vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Vbi rebus ſuperuacuis adquirendis quaſi Rom. 5. aucupandi cura impendebatur, vbi diræ ſitis incendium panisq; ſpiritualis antea fiebat anguſtia: ibi oleum farinaq; ore prophetico benedicitur. *Quæ volebat duo ligna colligere, priuſquam moreretur.* Non hic ſolo ligni nomine: ſed etiam numero lignorum lignum crucis exprimitur: quod nobis eſt panis vitæ præparatus æternæ. Benedicitur farina eius & oleum, hoc eſt, gratia Corporis Dominici, & chriſmatis vnctio ſiue fructus & hilaritas charitatis: quæ cum impenditur, non defeciſſe dicitur. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Vidua autem iſta, quam Dominus non fru- 2. Cor. 9.
D menti, ſed verbi pane paſcebat, eadem ipſa eſt, de qua dicitur in Pſalmo: *Viduam eius benedicens benedicam*, & reliqua: Illam ſcilicet, de qua Apoſtolus ait: *Mortuo viro, quibus volet nuptiis libera eſt.* Quia, deſinente lege, *cuius finis eſt Chriſtus*, ad gratiæ libertatem tranſitum faciens Eccleſia ad Chriſtũ, quaſi viduæ legis, innupſit. Huius nunc in vaſis oleum gratiæ, & benedictionis farina non deſinit, in omnibus fere gentibus fame manente: quarum vitæ eſuriem, & fidei Trinitatis inediam congrue præſignauit illa quondam triennii fames. Pſal. 131. 1. Cor. 7. Rom. 10.

XLIX. *Factum eſt autem poſt verba hæc, ægrotauit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor eius fortiſſimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Heliam: Quid mihi & tibi vir Dei? Ingreſſuſne es ad me. vt rememorentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Et ait ad eam: Da, mihi filium tuum.*

E *Tulitque eum de ſinu illius, & portabat in cœnaculum, vbi ipſe manebat: & poſuit ſuper lectum ſuum,* &c.

Hic actus Heliæ de ſuſcitato mortuo filio viduæ, apud quam hoſpitabatur, & cuius benedixit farinæ & oleo, bene exprimit actum Redemptoris noſtri in reſuſcitatione populi ad fidem conuerſi. Quæ enim hæc vidua melius intelligi poteſt, quam ſynagoga Iudæorum, quæ, Moyſi morte viduata, filium nutriebat paruulum, hoc eſt, populum carnalem Iudæorum. Hic ergo ad ingreſſum Heliæ, hoc eſt, Saluatoris noſtri infirmabatur: quia in eo non credendo, ſed ſpernendo valida febre infidelitatis ægrotauit. Vnde & mater ipſa congruenter de infirmitate pueri ad Prophetam dicit: *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me. vt rememorentur iniquitates meæ & interficeres filium meum?* Cum ſynagoga Iudæorũ de aduentu Saluatoris conqueritur, quaſi ipſe eſſet cauſa interfectionis populi Iudaici. Hinc eſt, quod Caiphas conſpirans de nece Chriſti, ad turbam ait: *Expedit enim, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem.* Sed ſicut Propheta Dei verbis viduæ non Ioan. 11.
F exaſperatus, quin potius miſertus ait ad eam: *Da mihi filium tuum; tulitque eum de ſinu illius & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat & poſuit ſuper lectum ſuum, & expandit ſe, atq; menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus clamauitq; ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur,* oro, *anima pueri huius in viſcera eius:*

Ita & Redemptor noſter, non exaſperatus malicia Iudæorum, ſed miſertus populi credentis, tulit eum de ſinu matris: cum eum tulit de carnali obſeruantia legis: & poſuit ſuper lectum ſuum, hoc eſt, demonſtrauit ei vitam habere in morte ſua. Expanditq; ſe tribus vicibus atq; menſus eſt ſuper puerum: cum Trinitatis fidem illi prædicando, & ſanitates faciendo inſinuabat, & clamans ad patrem dixit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Et item: *Pater*, inquit, *clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, &, quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Exauditus eſt autem Helias: *& reuerſa eſt anima pueri intra eum, reuixit. Tulitque illum & reddidit matri ſuæ:* Luc. 23. Ioan. 17.
G

Cum Dominus noſter populum ſaluans credentem, ſigna & miracula oſtendebat incredulis, vt cognoſcerent veraciter illum viuere, qui credit in nomine eius. Et ſic eueniet: vt verba mulieris ammirantis de ſuſcitato puero plebs Iudaicæ veritate ſuperata proclamet ad Chriſtum, & dicat: *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.*

CAPVT XVIII.

L POST *dies multos verbum Domini factum eſt ad Heliam in anno tertio, dicens: Vade & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ. Iuit ergo Helias, vt oſtenderet ſe Achab,* &c.

Quod autem Helias congregans vniuerſum Iſrael, contra Prophetas Baal diſceptabat, illiſque fruſtra nitentibus, ipſe altare Domini curauit, quod deſtructum fuerat: & tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob: & ædificauit lapidibus altare in nomine
H Domini: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris & compoſuit ligna; diuiſitque per membra bouem & poſuit ſuper ligna, & ait; *Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna.* Rurſumque dixit; *Etiam ſecundo hoc facite.* Qui cum feciſſent ſecundo, ait; *Etiam tertio idipſum facite.* Feceruntque & tertio. *Et currebant aquæ circa altare. Et foſſa aquæ fluctibus repleta eſt:* quid conuenientius figurare poteſt, quam quod Redemptor noſter contra mundi principem eiuſque ſatellites decertans ac ſuperans, altare Domini, quod deſtructũ fuerat, hoc eſt, fideliũ ſuorũ corda ab omni labe iniquitatis purgans arã Deo dedicat, quæ ex duodecim lapidib. cõſtructa eſſe memoratur: quia ex his, qui propheticã & Apoſtolicã fidem ſeu doctrinã ſequuntur, gratiſſima Deo ara cõſtruitur; in qua quotidie *ſacrificium* Hebr. 13. Epheſ. 5.

A Hebr. 13. Epheſ. 5. *laudis in odorem ſuauitatis* offertur. *Fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris:* ex contrito videlicet corde & humiliato Spiritu flumina producendo lachrymarum præ timore Gehennæ & deſiderio vitæ æternæ.

Ibi & compoſuit ligna:

Quia & ſanctorum dicta & facta ad exemplum credentibus conſtituit.

Diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna:

Cum omnes actus ſuos ad exemplum ſanctorum patrum fideles formare docuit.

Iuſſitq; ſuper holocauſtum & ſuper ligna ſemel iterum atque tertio aquam infundere:

Quia omni tempore neceſſe eſt nobis verba, cogitatus atque opera noſtra in pura oratione atque compunctione lachrymarum mundare, & non prius ceſſare, quam foſſæ æquæductus repleantur, id eſt, donec futurum gaudium præſenti mærori ſuccedens perfecte compleatur. Sicq; erit iuxta id quod ſequitur:

B *Ignis de cœlo cadens ad inuocationem Heliæ vorauit holocauſtum, ligna & lapides: puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens:*

Quando diſcrimen ſuperni Iudicis dicta & facta ac totam vitam noſtram perfecte examinans, probando n·s, ſicut igne probatur argentum, immortales ac beatos in ſede collocabit perpetua, vt ad inſtar virorum Iſra·litarum in æternum gratulando canamus:
Pſal. 99. *Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Mundato itaq; altari Domini, & conſumptis holocauſtis, dixit Helias Propheta Dei ad populum:

Apprehendite omnes Prophetas Baal, & ne vnus quidem fugiat ex eis. Quos cum comprehendiſſent, duxit eos Helias ad torrentem Cyſon, (qui interpretatur, *duritia eorum*) *& interfecit eos ibi.*

Sic quoque Redemptor noſter, adueniente die iudicii
Matth. 13. *mittet Angelos ſuos & colligent omnia ſcandala de regno eius, & eos, qui operantur iniquitatem, & mittent eos in ſtagnum ignis &*
Apoc. 20. *ſulphuris vbi eſt beſtia & pſeudopropheta, vbi & miſſus eſt diabo-*
Rom. 2. *lus qui ſeducebat eos: & cruciabuntur iuxta ſecundum duritiam, &*
C *impœnitens cor eorum die ac nocte in ſæcula ſæculorum.*

LI. *Poſt hæc Helias aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua, & dixit ad puerum ſuum: Aſcende & proſpice contra mare. Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet ait: Non eſt quicquam. Et rurſum ait illi: Reuertere ſeptem vicibus. In ſeptima autem vice ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis, &c.*

Quid in hac re ſignificatur, niſi quod, naſcente Chriſto Dei filio inter homines, & teneritudinem carnis noſtræ accipiente, poſtquam mortem guſtauit, & victor de mundo ad cœlos aſcendit, imbrem gratiæ di·inæ per ſeptiformem Spiritum de ſupernis ad terras miſit, qui nos à peccato mundaret, & ſpirituales fructus gignere faceret?

Capvt XIX.

LII. Timuit Helias, *& ſurgens abijt, quocunq; eum ferebat voluntas. Venit in Berſabee Iuda & dimiſit ibi puerum ſuum, &*
perrexit in deſertum, viam vnius diei. Cumque veniſſet & ſederet
D *ſubter vnam iuniperum; petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neq; enim melior ſum quam patres mei. Proiecitq; ſe & obdormiuit ſub vmbra iuniperi, &c.*

Greg. Sancti viri, qui ſubleuante Spiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant: quibuſdam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt. Et ne extollantur ſuperbia: etiam fit in eis ipſarum quædam menſura virtutum. Hinc eſt enim quod Helias dum tot virtutibus in alta profeciſſet: quadam menſura ſuſpenſus eſt: dum Iezabel poſtmodum, quamuis reginam, ta-
3. Reg. 18. men mulierculam fugit. Perpendo quippe hunc virum
4. Reg. 1. miræ virtutis ignem de cœlo trahere: & ſecundo quin-
3. Reg. 17. & 18. quagenarios viros cum ſuis omnibus petitione ſubita cōcremare: verbo cœlos ad pluuias aperire, ſuſcitantem E
mortuos, ventura quæque prouidentem, & ecce rurſus occurrit animo, quo pauore ante vnam mulierculam fugit. Conſidero virum timore perculſum, de manu Dei mortem petere, ne tamen acciperet de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem: dum fugeret, dicens: *Sufficit mihi, tolle animam meam, neque enim melior ſum quam patres mei.* Vnde ergo ſic potens, vt tot illas virtutes faciat? Vnde ſic infirmus, vt ita fœminam pertimeſcat? niſi quia diſpenſationes ſuperni nutus menſura occulti libraminis appenduntur, vt ipſi ſancti homines & multum valeant per potentiam Dei, & rurſum quadam menſura moderati ſint per infirmitatem ſuam. In illis virtutibus Helias, quid de Deo acceperat: in iſtis infirmitatibus, quid de ſe poterat, agnoſcebat. Illa potentia virtus fuit: iſta infirmitas cuſtos virtutis. In illis virtutibus oſtendebat, quid acceperat: in iſtis infirmitatibus hoc, quod acceperat, cuſtodiebat. In miraculis monſtrabatur Helias in infirmitatibus ſeruabatur.

Et ecce Angelus tetigit eum, & dixit illi: Surge comede. Re- F
ſpexit: & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis & vas aquæ. Comedit ergo & bibit & rurſum obdormiuit. Reuerſuſq; eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſq; ad montem Dei Horeb, &c.

Quid ergo hic Helias bis paſtus ab Angelo exprimit, niſi naturæ noſtræ infirmitatem, quibus non ſufficit ſimplex paſtus, ſed duplex, quatenus ad ſuperna valeamus aſcendere? Sicut enim corpus ſine alimento corporali ſubſiſtere nequit, ita nec anima viuere poteſt ſine verbo Dei. Angelus enim qui Heliam pauit, quem congruentius, quam ipſum ſummi conſilii Angelum ſignificat, cuius ope tam in corporali, quam etiam in ſpirituali natura ſubſiſtimus? Ambulauit enim Helias, poſtquam ſurrexerat à ſomno, comedit & bibit, in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb. Sic & nos dum inertiæ ſomnum à nobis excutimus, neceſſe eſt, vt diuino ſolatio confortati, greſſu bonorum operum per omne tempus vitæ præſen-
tis ſummopere feſtinemus aſcendere in montem Dei, & G
in locum ſanctum eius, vt ibi requiem inueniamus æternam.

Cumque veniſſet illuc, manſit in ſpelunca. Et ecce ſermo Do- LIII.
mini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Helia? At ille reſpondit; Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael. Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait; Egredere & ſta in monte coram Domino. Et ecce Dominus tranſiet, & Spiritus grandis & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum Non in Spiritu Dominus. Et poſt ſpiritum commotio ignis. Non in igne Dominus. Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Quod cum audiſſet Helias, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, &c.

Spiritus ante Dñm euertit, montes, & petras conterit: Greg.
quia pauor, qui ex aduentu eius irruit, & altitudinem cordis noſtri deiicit, liquefacit. Sed ſpiritui commotionis & ignis non ineſſe Dominus dicitur: eſſe vero in ſibilo au-
ræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis ſublimitate ſuſpenditur: quidquid perfecte conſpicere præualet, Deus non eſt. Cum vero ſubtile aliquid conſpicit, hoc eſt, quod de incomprehenſibili ſubſtantia æternitatis audit: quaſi enim ſibilum tenuis auræ percipimus, cum ſaporem incircumſcriptæ veritatis contemplatione ſubita ſubtiliter deguſtamus. Tum ergo verum eſt, quod Deo illo cognoſcimus, cum plene nos aliquid de illo cognoſcere non poſſe ſentimus. Vnde bene illic ſubditur:

Quod cum audiſſet Helias, operuit vultum ſuum pallio, & ingreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ.

Poſt auræ tenuis ſibilum, vultum ſuum Propheta pallio operuit: quia in ipſa ſubtiliſſima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur, agnoſcit. Vultui

namque

A namq; pallium ſuperducere eſt, ne altiora mens quærere audeat, hanc conſideratione propriæ infirmitatis velare, vt nequaquã intelligentiæ oculos vltra ſe præcipitanter aperiat: ſed ad hoc, quod apprehendere non valet, reuerenter claudat. Qui hæc agit, in ſpeluncæ oſtio ſtetiſſe deſcribitur. Quid namq; ſpelunca noſtra eſt, niſi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetuſtate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cognitione diuinitatis incipimus, quaſi iam in ſpeluncæ noſtræ oſtio ſtamus. Quia n. progredi perfecte non poſſumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes iam aliquid de libertatis aura captam. In ingreſſu ergo ſpeluncæ ſtare: eſt repreſſo noſtræ corruptionis obſtaculo ad cognitionẽ veritatis incipere exire. Vnde & nubes in tabernaculo deſcendentes Iſraelitæ è longinquo cernentes in papilionũ ſuarũ oſtiis ſtetiſſe memorantur. (Exod. 33.) Quia hi, qui aduentũ diuinitatis vtrumq; conſpiciunt, quaſi iam ex habitaculo carnis procedunt. *Ecce vox ad Heliam dicens Quid hic agis Helia? & ille reſpondens ait. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactũ tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos* B *occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* (Gregor.) Certum eſt, quod cordis ſui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit cõſiderare, meliorum merita negligit. At contra magno humilitatis radio ſemetipſum illuminat, qui aliorum bona ſubtiliter penſat: quia dũ ea, quæ ipſe fecerit, facta foris & ab aliis conſpicit: eum, qui de ſingularitate intus erũpere nititur, ſuperbiæ tumorẽ premit. Hinc eſt quod vere Dei ad Heliã ſolũ ſe æſtimantẽ dicitur: *Reliqui mihi ſeptẽ millia virorũ, qui non curuauerunt genua ante Baal*: vt, dum non ſolũ ſe remanſiſſe cognoſceret, elationis gloriã, quæ ei de ſingularitate ſurgebat, inclinaret. Propheta nempe erat, & ſæpe myſteria ſuperna cognouerat: quid ergo difficile fuit, agnoſcere, in hoc mundo fideliter Deo famulos remanſiſſe? Sed hinc ſolerter intuendum eſt, oculum cordis elatio quã nequiter claudat: quando qui humilis & occulta Dei nouerat, elatus & aperta neſciebat. *Et ait Dominus ad Heliã: Vade & reuertere in viã tuã per deſertũ Damaſci. Cumq; perueneris, vnges Azael Regem ſuper Siriã, & Iehu, filiũ Namſi, vnges Regem ſuper Iſrael. Heliſæũ autẽ filium Saphat,* C *qui eſt de Abelmehul vnges Prophetã pro te. Et erit, quicunq; fugerit gladium Azael, occidet eum Iehu. Et quicunq; fugerit gladium Iehu, interficiet eum Heliſæus.* Hoc non ita accipiendum eſt, quod Propheta Dei Heliſæus homicida futurus ſit & tyrannus: ſed magis ſpiritualiter intelligendũ, quia iuſtitia diuina, quæ ſingulis reddit ſecundũ opera ſua, punit peccata hominũ aliquando manifeſta vltione, aliquando occulto iudicio, vindicat per Reges & duces, vindicat per Prophetas & ſacerdotes, cum alios nocentes facit plecti mucrone, alios transfiberat gladio linguæ. Vnde Dauid & Salomon & cæteri Reges pœnã à reis exigebant: cũ eos trucidare iubebant. Et itẽ alibi ſcriptũ eſt de ſuperborum inobedientiũ pœna: (Oſe. 6.) *Dolaui eos,* inquit *in prophetis: & occidi in verbis oris mei. Profectus ergo inde Helias, repperit Heliſæum filium Saphat arantẽ.* Igitur profectus Helias reppent Heliſæũ filium Saphat, arantẽ duodecim iugis boum: cum Redemptor noſter, deſcendens de cœlo, diuino iudicio adquiſiuit populũ adhuc terrenis operib. inhiantem: in quo ſalutẽ fecit, cum eum ad fidẽ cõuertit. Helias. n. interpretatur (vt iam diximus) *Deus Dominus*: Saphat: *indicans*: & D Heliſæus, *Dei mei ſalus*. Admirabiliter ſuper eum Propheta pallium ſuum mittit, cum illum Dominus fide Catholica induit. (Galat. 3.) *Omnes*, ait Apoſtolus. *qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. At ille ſtatim, relictis bobus, cucurrit poſt Heliam, & ait. Oſculor, oro te patrẽ meum & matrẽ meam, & ſic ſequar te*: quia mox vt electorum chorus audiuit loquentẽ per Euangeliũ Dominum: (Luc. 14.) *Qui non renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: & ſtatim ceſſauit terrenis lucris inhiare, ſecularib. deſideriis deſeruire, totum ſe cõtulit ad ſeruitiũ Chriſti: nec tamen aliis verbum vitæ prædicare deſiuit. Hoc eſt enim oſculari patrem & matrem: cum quoſcunque poſſit ſiue de Iudæis ſiue de Gentibus ſermone velle corrigere.

Tulit itaq; Heliſæus par boum, & mactauit illud. Et in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt:

E Cum populus Chriſtianus carnalia deſideria mactans, totum exercitiũ ſuum in opus Euangelizandi conuertit: vnde ſufficientem paſtum auditorib. ſuis præbere poſſit. Ipſe vero ſequitur noſtrum Heliam, & miniſtrat ei, qui veſtigia eius ſequens, hoc eſt, mandata illius fideliter obſeruans, miniſterium ei bonorum operum condigne exhibere ſatagit.

Capvt XX.

LIV. *Porro Benadad Rex Siriæ, congregauit omnem exercitium & triginta & duos Reges ſecum, & equos & currus, & aſcendens pugnabat contra Samariam, & obſedit eam,* &c.

(Ibid.) Quod Benadad, Rex Siriæ, obſidens, & impugnare incipiens Samariam, ait: *Hæc faciant mihi Dij & hæc addant, ſi ſuffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me?* Hunc habet ſenſum Samaria iuxta morem ciuitatum habebat terram interius propter muros pene ipſis muris æqualẽ: ne videlicet eos ſine ſubſidio terræ adiacentis erectos creber, inſiſtente manu hoſtili, deiiceret ictus arietis. Extrinſecus autẽ murorũ altitudo longe ſuperficiem ter- F ræ tranſcẽderat: maxime cum in montis vertice (vt Scriptura refert) fuerit vrbs eadẽ poſita. Ait ergo Rex ſuperbus obſeſſam terrens ciuitatem quod tantam haberet ſecũ exercitus multitudinem: vt etiã ſi quiſq; militum eius vnum ſolummodo lapidem vel ceſpitem vel ſtipitem ad conſtruendum contra vrbem, aggerem apportaſſet: agger exurgeret, qui ſuperficiei ciuitatis ipſius, quæ erat intra muros, eſſe videretur æqualis, ita vt ex equo pugnantes contra ciuitatem tela vel faces mittere poſſent. Cuius temeritatem arrogantiæ modeſto ſermone cõpeſcens rex Iſrael, ait: *Dicite ei, ne glorietur accinctus æque, vt diſcinctus*

Aliud eſt autem *accinctus*, aliud *diſcinctus*, aliud *non accinctus*. *Accinctus* namq; eſt, qui cingulo circumdatus incedit. *Diſcinctus*, qui cingulũ nuper depoſuit. Verbi gratia: Balneum intraturus, vel lectum aſcenſurus, vel alteram forte tunicã induiturus. *Non accinctus*, q nuper tunicã indutus, necdum ſe addita Zonæ circumpoſitione muniuit. Sic ergo in expeditione caſtrenſi qui poſitus eſt, recte *accinctus* nominatur, id eſt, armis indutus. Qui pugna confecta victor domũ rediit, iure *diſcinctus* vocatur: quia nimirũ, depoſitis armis, optatæ pacis ocium gerit. Qui vero necdum G pugnare, neq; ſe ad certamen parare iam cœperat, merito *non accinctus* eſſe dicitur. Ait ergo Rex Iſrael Regi Siriæ glorianti, quaſi iam cœpiſſet Samariã, quã obſidere cœperat: *Ne glorietur accinctus æque, vt diſcinctus*: ac ſi aperte dicat: Noli gloriari, quaſi victor bellici diſcriminis, qui adhuc in acie poſitus, quem victoria ſequatur ignoras. Et verum profecto dicebat, Nam mox inito certamine Benadad, non victis aduerſariis triumphans, ſed cæſo ſuo exercitu fugiens domum rediit. Myſtice autẽ Benadad hoſtis Iſrael ſignificat diabolũ omnium bonorũ inimicum: qui diuerſos exercitus malignorũ ſpirituum ad ſubuertendũ populũ Dei contrahit: ſed per pueros principum Iſrael vincitur, cum per bonos auditores ſanctorũ doctorum, qui, quæ aure audiunt, factis implere nituntur, antiquus hoſtis in fugã vertitur, omniſq; ſuus exercitus à militib. Chriſti proturbatur. Qui bene ducenti & triginta duo eſſe dicuntur: quia hi, qui vtriuſq; teſtamenti ſcientiam perfecte tenent, & Trinitatis fidem cum gemina charitate, Dei videlicet & proximi, conſeruant: apti per omnem modum militiæ ſummi Regis eſſe comprobantur.

H *Fugit quoq; Benadad Rex Siriæ in equo cum equitibus: necnon egreſſus Rex Iſrael percuſſit equos & currus, & percuſſit, Siriam plaga magna,* &c.

Quid eſt, quod Benadad, Rex Siriæ, in equo cum equitibus fugere deſcribitur, niſi quod princeps omnium iniquorũ diabolus, quorum oculi ſublimes ſunt (Siria enim interpretatur, *ſublimis*) in equo ſuæ ſuperbiæ confidens cum equitib. ſuis, ſcilicet omnib. ſuperbis, (quia *ipſe eſt caput ſuper omnes filios ſuperbiæ*) (Iob 41.) ab exercitu Chriſti, h. e. humilib. & Deum timentibus ſuperatus, in fugam vertitur? Et Rex Iſrael percutiet equos & currus, quia de ipſo Rege regum ſcriptum eſt: quod *currus Pharaonis, & exercitum eius,* (Exod. 15.) *equitem & aſcenſorem eius ſubmerſit in rubro mari*: dum nequitias ſpiritales cũ vero Pharaone, antiquo videlicet hoſte, aqs Baptiſmatis obruit, humani generis delendo peccata.

A LV. *Accedens autem Propheta ad regem Iſrael dixit ei: Vade &
confortare, & ſcito & vide, quid facias: ſequenti enim anno Rex
Siriæ aſcendet contra te*, &c. Quod Benadad Rex Siriæ ſe-
mel victus, iterũ inſtaurat prælium cõtra Iſrael: ſignificat,
diabolũ à malitiæ ſuæ intentione nunq̃ ceſſare, qui licet à
ſanctis viris ſæpius vincatur, tamen iterum inſtaurat præ-
liũ contra illos: & dũ vno modo vincitur, alio ſtatim vin-
cere conatur. Hinc eſt, q̃ ſerui regis Siriæ dixerunt ei: *Dij
montiũ ſunt dij eorum, ideo ſuperauerunt nos. Sed melius eſt vt pu-
gnemus contra illos in campeſtribus, & obtinebimus eos.* Quia
maligni Spiritus ſemper doloſe ſentientes, ſi in ſpiritalib.
reb. vincuntur, in corporalib. bellum præparare conten-
dunt. Hoc ergo diabolus, hoc & totus exercitus eius ma-
xime ſatagunt, vt animas hõm de ſupernis ad ima præci
pitẽt: quo facilius eos vincere poſſint. Si viderint eos cœ-
leſtia deſiderare: terrena & caduca ad amãdum ingerunt.
Si viderint illos proſperitate conceſſa gratias Deo agere,
ſtudent vt per aduerſa franguntur. Sed ſicut regis Siriæ &
ſeruorum eius nõ conuenit dictio cum opere: quia vbi ſe
ſuperare poſſe confidebant, ibi ſuperati ſunt: ita & prin-
ceps mortis ſæpe ibi vincitur cum exercitu ſuo: vbi ſe æſti-
B mabat vincere poſſe: *quia infirma mundi elegit Deus, vt con-*
1. Cor. 1. *funderet fortia, & ea, q̃ non ſunt, vt ea, q̃ ſunt, deſtrueret.* Tem-
Iob. 1. ptabat igitur antiquus hoſtis B. Iob: & dum ſibi ſubſtan-
tiam eius, & filios tradi à Dño expeteret: vt per hoc eius a-
nimum ſubuerteret, nec tamen in hoc præualeret: ad ex-
tremum, vt in ipſum ſibi poteſtas daretur, poſtulauit. Quo
Iob 2. cõceſſo, quaſi mox victor exiſteret: carnem eius graui vl-
cere vulnerauit. Sed quo vehementius de proſperitate in
dolore eũ depoſitum perſequebatur: eo validius per pa-
tientiã ipſius proſternebatur. Et Paulo Apoſtolo; *Datus eſt*
2. Cor. 12. *ſtimulus carnis ſuæ, Angelus Satanæ, vt eum colaphizaret*, qua-
tenus virtus in infirmitate pficeretur. *Tunc vir quidã de filiis
prophetarũ dixit ad ſociũ ſuum in ſermone Domini: Percute me.
At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluiſti audire vocẽ Domi-
ni: ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumq; paululum receſſiſ-
ſet ab eo: inuenit eum leo, atq; percuſſit. Sed & alterum conueniens
virũ, dixit ad eum: percute me. Qui percuſſit eum, & vulnerauit.*
Ioſeph. Porro de hac eadem re Ioſephus taliter refert: *Interea qui-
dã Propheta, nomine Michaas, accedens ad vnũ Iſraelitarũ petiit,
vt eum in capite pro voluntate Dei percuteret. Quo nolente, prædixit
C ei, quia eo, q̃ inobediens eſſet Deo, eiuſq; præcepto: leone occurrente
periret. Quod dum illi homini contigiſſet, acceßit Propheta
rurſus ad aliũ, & idẽ vt faceret imperauit. Qui dũ percußiſſet eum,
& eius verticem cruentaſſet: alligato capite acceßit ad Regem, di-
cens ei: Quod dum eſſet in exercitu conſtitutus, accepiſſet à quo-
dam tribuno ſeruandum captiuum, ſibique ab eo dictum, vt, ſi
captiuus fugeret, ipſe moreretur. quo fugiente is, qui eũ tradiderat,
mortem ei minaretur inferre. Tum, reſpondente Achab, mortem ei
imminere iuſtißimam, ſoluens caput, agnitus eſt Michaas eſſe Pro-
pheta.* Hac n. parabola vtebatur propter ſermones, quos ei
erat dicturus. Ait namq;: Quoniam Deus ei conceſſiſſet,
vt ſupplicium hoſtis euaderet: ipſe inimicum eius Acha-
bum, qui Deum blaſphemauerat, dimiſiſſet, & propterea
Deus decreuiſſet ipſum quidem ab illo perimi: populum
vero ab eius exercitus inuaſione conſumi. Iratus vero A-
chab: Prophetã illum quidem clauſum ſeruari iuſſit: con-
fuſus autẽ Micheæ ſermonib. ad ſuam domum remeauit.
Secundum leges vero tropologiæ, maxime puidendum
eſt ſeruis Dei, ne ſecundum exemplum Achab regis Iſrael
pniciosã ſecuritate ſibi blãdiantur, quamdiu hoſtis viuit:
D ne dum ſe, quos victores ppetuos arbitrentur, p fraudem
diaboli pacem præmittentis citius elidantur. Quia ſicut
tunc propheta prædicto regi p inconſiderata pietate prę-
nuntiauit, citius iuſtam affore vltionem: ita nunc prophe-
ticus ſermo prænuntiat, ſi paciſcamur cum diabolo, æter-
nam nobis per hoc imminere pœnam.

CAPVT XXI.

LVI. POST *verba autem hæc vinea erat Naboth Iezrahelitæ, quæ e-
rat in Iezrael iuxta palatium Achab regis Samariæ. Locutus eſt
ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam
mihi hortũ holerum: quia vicina eſt & prope domum meam*, &c.
Narrat Scriptura q̃ Achab Rex concupiuerit vineam Na-
both Iezrahelitæ, q̃ erat in Iezrahel iuxta palatiũ regis: vt
faceret ſibi in ea hortum holerum. Quo nolente eam illi
dare, per conſilium impiiſſimæ vxoris eius, Iezabel vide-
licet reginæ, idem Naboth, ſubintroductis falſis teſtibus, E
lapidatus eſt, & mortuus; eiuſq; vinea direpta à rege &
poſſeſſa eſt. Quis ergo iſte Naboth Iezrahelita fuerit: & q̃
eius vinea, conſideremus. Interpretatur ergo Naboth,
conſpicuus ſiue *ſeßio*: Iezrahel *honeſta Dei* ſiue *ſemen Dei*. Et
quem melius honeſtatẽ vel ſemen Dei dicere poſſumus, Hebr. 1.
q̃ Filium Dei, *qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius,
quẽ conſtituit Deus heredẽ vniuerſorũ, per quem fecit & ſecula?*
Ad quẽ Pſalmiſta deprecans ait: *Qui ſedes ſuper Cherubim, ap-* Pſal. 79.
*pare coram Effraim Beniamin & Manaſſe, excita potentiã tuam
& veni, vt ſaluos facias nos.* Iſte Naboth habuit veniã, de qua
Eſaias pleniſſime per canticum loquitur, ad extremũ in-
ferens: *Vinea Domini ſabaoth, domus Iſrael eſt.* Et in Pſalmo: Eſa. 5.
Vineam, inquit, *de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti* Pſal. 79.
eam. Cui ſepẽ circumdedit, vt in Euangelio legitur: i. vel mu- Matth. 21.
rũ vrbis, vel Angelorũ auxilia. *Et fodit in ea torcular*, aut al- Ibid.
tare, aut illa torcularia, quorum & tres Pſalmi titulo præ-
notãtur, i. octauus & octogeſimus, & octogeſimus ſextus.
Et ædificauit turrẽ, haud dubiũ templũ de quo dicitur p Mi- Ibid.
chęã: *Et tu turris nebuloſa filia Sion. Et locauit eã agricolis.* Quos Mich. 4. Matth. 21.
alibi vineæ operarios appellauit vel colonos. Hanc vineã F
concupiuit Achab, qui interpretatur *frater patris*: populus
videlicet Iudaicus, de quo Chriſtus carnẽ aſſumere digna-
tus eſt; *vt feciſſet in ea hortũ holerum*, h. e. vt vbi vinũ gratiæ
ſpiritalis germinare debuit: ibi fragilia quæq; dogmata p
Phariſaicã ſuperſtitionẽ tranſplantaret. Sed Naboth hanc
vineã dare nolenti, i. Chriſto Phariſęorum ſuperſtitionib.
non conſentienti, impia vxor Iezabel, h. e. ſynagoga Iu-
dæorũ machinata eſt mortẽ. Interpretatur n. Iezabel, *co-
habitatrix*, ſiue *fluxus vanus*; q̃ bene conuenit ſynagogæ, q̃
habitare videbatur in domo Domini; ſed per varia deſi-
deria vanitatis defluebat. Miſit ergo Iezabel literas ad
maiores natu, & ad optimates, q̃ erant in ciuitate, vt, ſub-
introductis falſis teſtibus, teſtimoniũ falsũ cõtra Naboth
ponerent, q̃ benedixiſſet Deum & regem; & ſic eductum
de ciuitate lapidarent vt moreretur: cum ſynagoga per
pontifices, ſcribas, & phariſæos meditata eſt mortẽ Chri- Matth. 26.
ſti. De qua itẽ ſcriptũ eſt in Euangelio; *Principes autem ſacer-
dotũ, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra
Ieſum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt, cum multi falſi
teſtes acceßiſſent, nouißime autem venerunt duo falſi teſtes, & dixe- G
runt: hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum
reædificare illud.* Duo ergo falſi teſtes contra Naboth falsũ
teſtimoniũ dicebant q̃ benedixiſſet Deum & regem. Et
Iudę per duos falſos teſtes Chriſto opponebant, q̃ poten
tiã & naturam ſibi diuinitatis adſcriberet. Vnde Pilato ad
Iudæos ita dicente; *Accipite eum vos & crucifigite. Ego enim nõ* Ioan. 19.
*inuenio in eo cauſam: reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus,
& ſecundum legẽ debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Lapidatus
eſt itaq; Naboth extra ciuitatem, inſtigante Iezabel, vt, eo
mortuo, Achab vineã eius poſsideret. Sic & Saluator no-
ſter extra portã paſſus eſt, Crucifixus videlicet in loco cal-
uariæ excitante p zelũ ſynagoga populũ, vt peterẽt mor-
tẽ Chriſti, quatenus eo occiſo ſecurius viuerẽt. Vnde qua-
ſi conſulentes aiebant; *Ecce totus mundus poſt eum abijt. Et ſi* Ioan. 12.
dimittimus eum ſic oẽs credent in eum. Hæreditas ergo Chriſti Ioan. 11.
Eccleſia eſt, cunctis ei data de gentibus, q̃ nõ moriens illi
pater reliquit, ſed ipſe ſua morte mirabiliter adquiſiuit,
reſurgendo poſſedit. Hanc aũt, occiſo eo, mali coloni pri- Matth. 21.
pere moliebãtur: cũ crucifigentes eũ Iudęi fidem, q̃ per eũ Rom. 10.
eſt, extinguere, & ſuã magis, q̃ ex lege eſt, iuſtitiã pferre, ac
gentib. imbuendis conabãtur inſerere. Extra veniã hęres H
vineę trucidatur: *quia Ieſus, vt ſanctificaret p ſuum ſanguinẽ po-* Matth. 21.
pulum extra portã paſſus eſt. Et bene cõuenit huic myſterio, Hebr. 13.
q̃ in loco hoc, in quo linxerũt canes ſanguinem Naboth,
ſecundũ Prophetæ ſententiã, lambebant etiã ſanguinem
Achab, & in agro, Iezrael carnes comederunt Iezabel.
Quia cum canes illi, de quib. ſcriptũ eſt: *Circumdederunt me* Pſal. 21.
canes multi: ſanguinẽ Redemptoris noſtri lingua venenata
expetebant; ipſi ẽt à canib. illis, de quibus item Scriptura
dicit; *Non eſt bonum ſumere panẽ filiorum, & mittere canibus*; vt Matth. 15.
neqſsimi raptores & ſceleratiſsimi poſſeſſores vineæ Do-
mini, in eodem loco quo Dñs paſſus eſt, trucidabantur, &
carnes eorũ beſtiis & volucribus comedendæ tradeban-
tur. Et ita impia gens illa, quæ in paſsione Domini pro-
phana voce clamabat; *Sanguis eius ſit ſuper nos, & ſuper* Matth. 27.

filios

Digitized by Google

A *filios noſtros*: Ibidem ſanguinem ſuum fœtidiſſimum meruit fundi, vbi Saluatorem ſuum expetebat occidi. Refert quidem Ioſephus, quod ex omni Iudæa populi in die ſolemni paſchæ Ieroſolymam, velut exitiali quadam manu cogente, conuenerint, quos tricies centena millia hominum dicit fuiſſe: iuſto ſcilicet Dei iudicio tempore hoc vltionis electo, vt qui in diebus Paſchæ Saluatorem ſuum, & Salutare Chriſtum Domini cruentis manibus & ſacrilegis vocibus violauerant, in ipſis diebus, velut in vnum carcerem, omnis multitudo concluſa, feralis pœnæ exitium, quod merebatur, exciperet.

Capvt XXII.

LVII. V*Ocauit ergo Rex Iſrael eunuchum quendam, & dixit ei: feſtina adduc ere Micham filium Iemla. Rex autem Iſrael & Ioſaphat, Rex Iuda, ſedebat vnuſquiſq; in ſolio ſuo veſtitus cultu Regio*, &c.

Quod autem Michas vocatus ad Regem Iſrael & ad Regem pariter Iuda, prophetauit contra Regem Iſrael,
B ita dicens: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & exercitum cœli à dextris & à ſiniſtris eius: & dictum eſt: In quo decipiam Achab, vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit alius ita, & alius aliter. Et egreſſus vnus dixit: Ego decipiam eum. Et dictum eſt: In quo decipies? Qui reſpondit dicens: Egrediar & ero mendax Spiritus in ore omnium prophetarum eius.* Quid per
Greg. ſolium Domini, niſi angelicas poteſtates accipimus, quarum mentibus Deus altius præſidens inferius cuncta diſponit? Et quid exercitus cœli, niſi miniſtrantium Angelorum multitudo deſcribitur? Quid eſt ergo, quod exercitus cœli à dextris & à ſiniſtris eius ſtare perhibetur? Deus enim, qui ita eſt intra omnia vt etiam ſit extra omnia, nec dextra nec ſiniſtra concluditur: ſed dextra Dei Angelorum pars electa, ſiniſtra autem Dei, pars Angelorum reproba deſignatur. Non enim miniſtrant Deo ſolummodo boni, qui adiuuent, ſed etiam qui redire nolentes grauent: nec quod cœli exercitus dicitur: Angelorum pars reproba in eo intelligi poſſe perhibetur. Quas enim ſuſ-
Matth. 4. & 1. pendi in aere nouimus: *aues cœli* nominamus. Et de eiſdem ſpiritibus Paulus dixit: *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœle-*
C Epheſ. 6. *ſtibus.* Quorum caput enuncians ait: *Secundum principem*
Epheſ. 2. *poteſtatis aëris huius.* A dextra ergo & ſiniſtra Angelorum exercitus ſtat: quia & voluntas electorum ſpirituum diuinæ pietati concordat, & reproborum ſenſus, ſuæ maliciæ ſeruiens, iudicio diſtrictionis eius obtemperat. Vnde & mox fallax Spiritus in medium proſiluiſſe deſcribitur: per quem Achab Rex, exigentibus ſuis meritis, decipiatur. Neque enim fas credere, bonum Spiritum fallaciæ deſeruire voluiſſe, vt diceret: *Egrediar & ero mendax Spiritus in ore omnium prophetarum eius.* Sed & Achab Rex peccatis præcedentibus dignus erat, vt tali debuiſſet deceptione damnari, quatenus qui ſæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta quippe iuſtitia licentia malignis ſpiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo ſtrangulant, in peccati

E pœnam etiam nolentes trahant. Denique is, qui vitam reprobam nõ mutat, nec à perpetrandis peccatis animũ non auertit, cum à Propheta aliquid requirit, illa audit, Deo diſponente, quæ merebitur audire damnandus. Ecce enim, vt vnum vel duo ex multis loquamur, ab omnipotentis Dei cultu domus Iſrael ſub idolorum ſeruitute receſſerat, & tamen ad Prophetas, à quibus decipi conſueuerat, ſæpe veniebat, proſpera requirens. Cum verò ex ore Prophetarum, peruerſa agens, proſpera audire merebatur: quid aliud ſuperna iudicia agebant, niſi vt peccator populus in ſuo corde caperetur? quatenus qui perfidiam ſequendo deliquerat, ſic prophetarum ſuorum blandis ſermonibus deciperetur, vt iam nec penitere meſ eret, quia deliquiſſet, & tanto poſt durius raperetur ad pœnam: quanto nunc ſecurius viueret in culpa. Sed ecce iam, largiente omnipotente Deo ab idolorum cultu remotum eſt quamplurimum genus humanum, veram fidem publice fatetur, ſub dei lignis & lapidibus vel cuilibet creaturæ in adoratione tenuit. Securus ergo iam Prophetam quilibet in fide poſitus conſulat: quia hoc auditurus
F eſt, quod audire fidelem decet. Fidenter dicam: ſi ab immundiciis aliis atq; à prauis actibus receſſiſſet, ſecurus eſ-
Col. 3. ſet. Nam cum Paulus, egregius prædicator, clamet: *Et auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus*: quiſquis adhuc auaritiæ ſubiectus eſt, à cultu idolorum liber non eſt. Sic ergo is, qui auaritiæ æſtibus anhelat, in fide quidem poſitus eſſe videtur, ſed aliena ambit accipere, honores mundi deſiderat comprehendere, habere temporalem gloriam cõcupiſcit atque de hac eadem gloria Prophetam conſulat: iuſtum valde eſt, vt ex culpæ ſuæ merito à Prophetæ ore proſpera audiat, quatenus qui verba Dei audire in ſacro eloquio noluit, vt terrena deſpiceret, cœleſtia ambiret: illud Deo iudice, ex Prophetæ ſui ore audiat vnde amplius obligatus cadat; dum ſpe terrenæ gloriæ delectatus, ſuadentes ſuis deſideriis, ad ima ſemper ducatur. Neque autem bonus fuit ille Spiritus, qui mendax eſſe appetiit in ore prophetarum. Vnde & præmiſſum eſt *quia exercitus cœli ſtetit à dextris & ſiniſtris eius.* Deus enim, qui ſic cum ſcripta eſt veritas, in illa æterna beatitudine, quæ dextra eius
G dicitur, ſiniſtram nõ habet, quia nihil eſt, quod diſpliceat, poteſt. Sed quia ſimul omnia contuetur, ſimul cuncta aſpicit; ea vi * inquam in bonos Spiritus & malos videt. * Quæ bonos &c.
exercitus cœli à dextris & ſiniſtris habere deſcribitur; vt per dexteram intelligamus Angelos electos per ſiniſtram vero Spiritus reprobos. Nec mouere debet, quod exercitus cœli etiam repulſi Angeli vocantur: quia & ipſi quamuis ab æthereo cœlo expulſi ſint, adhuc tamen in aëreo cœlo demorantur, ſicut Paulus ait: *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Sed quia tertius liber Regum poſt Epheſ. 6. interfectionem Achab non longe ſermonem claudit, ita & nos tertium librum expoſitionis eiuſdem hoc in loco finiamus, vt de ſequentibus rebus ſimul cum Hiſtoria aliud ſumamus exordium.

Finis Libri tertii.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI.

DE *Ochozia Rege, qui cecidit per cancellos domus ſua, & pro hac infirmitate miſit ad conſulendum idolum Accaron: vnde iratus Dominus per Prophetam ei condigna reſpondit.* I.

De raptu Helia per turbinem in cælum, & de poſtulatione Haliſai. qua poſtulauit duplicem Spiritum Helia in ſe fieri. II.

Miraculum Heliſai in Iericho, vbi inuocauit Dominum, & conuertit aquas in dulcedinem, & de pueris, qui Heliſao conuiciabantur, & propter hoc à duobus vrſis de ſaltu venientibus lacerati ſunt. III.

De bello trium regum, id eſt, Iuda & Iſrael, atque Edom, contra Regem Moab, & de victoria collata eis à Domino. IV.

De eo, quod Heliſæus mulierem in benedictione olei & creditore liberauit, necnon & de muliere Sunamitide cuius filium Heliſæus reſuſcitauit. V.

De pulmento amaro. quod Heliſæus per immiſſionem farina indulcauit, deque oblatione viri venientis ad Heliſæum. VI.

De Naaman Siro, cuius lepram curauit Heliſæus in nomine Domini. VII.

De filiis Prophetarum conquerentibus pro anguſtia loci, & de reuocatione ferri ab aqua per Heliſæum. VIII.

De eo, quod Rex Siria inſidiabatur Heliſæo, & de fame facta in Samaria propter obſeſſionem Benadad Regis Siria, & de liberatione mirabili Iſraelitarum per gratiam Domini. IX.

De vnctione Iehu in Regem, & de tyrannide Athalia matris Ochozia Regis. X.

De Ioiada Pontifice, quomodo Ioas filium Achazia Regem conſtituit, & de ſtudio ipſius Regis ad templi ædificationem reſtaurandam. XI.

De ægrotatione Heliſæi, in qua prædixit Regi Ioas, Domino iubente, gentem Siria percutiendam. XII.

Obitus Heliſæi hominis Dei, cuius funus, corpus alicuius mortuum cum tetigiſſet, ſtatim reuixit. XIII.

De Amaſia Rege Iuda, qui percuſſit Edom in valle Salinarum, & de Azaria Rege Iuda, qui alio nomine Ozias eſt appellatus, necnon & de Ieroboam Rege Iſrael. XIV.

De Achaz Rege Iuda, ob cuius peccata Raſin Rex Siria & Facea filius Romelia, Rex Iſrael, aſcenderunt in Ieruſalem ad præliandum. XV.

De tranſlatione decem tribuum, qua regnabant in Samaria, in Aſſyrios per Salmanaſar, Regem Aſſyriorum, in quibus locis itidem ipſe Rex alios colonos adductos ſubſtituit, qui Deos proprios quos in terra ſua coluerunt, ibi colebant, & nihilominus Deum Iſrael. XVI.

De Ezechia Rege, cuius temporibus Rex Aſſyriorum, Sennacherib, miſit nuntios in Ieruſalem cum manu valida, vt blaſphemarent Deum viuentem. XVII.

Oratio Ezechia in templo Domini contra verba Regis Aſſyriorum & de eo, quod Eſaias filius Amos Propheta reſponſionem Domini ſuper contumacia Regis Aſſyriorum mandat Ezechiæ. XVIII.

De eo, quod Angelus Domini octoginta quinque millia percuſſit in caſtris Aſſyriorum, & de interitu Sennacherib Regis Aſſyriorum. XIX.

De ægrotatione Ezechia, & de ſermone Domini ad eum prolato per Eſaiam Prophetam. XX.

De ſigno, quod poſtulauit Ezechias in reductione curſus ſolaris. XXI.

De nuntijs Berodah, Regis Babyloniorum, ad Ezechiam miſſis, & ſermone Domini, quem Eſaias propſis nuntijs Ezechia retulit. XXII.

De Manaſſe filio Ezechia, quando poſt peccatum pœnitentiam geſſit, & ob hoc de carcere meruit liberari. XXIII.

De Ioſia Rege, qui terram omnem Iuda ab idolorum ſpurcitia emundauit, & verbo Dei in libro legis lecto cumpunctus eſt, contaminauit Tofeth, quod eſt in conualle filij Ennon, abſtulit equos, quos dederant Reges Iuda ſoli in introitu templi Domini, excelſa polluit, & contriuit ſtatuas, & ſepulchra, mortuorum effodiens combuſſit. XXIV.

De Phaſe celeberrimo, quod fecit Ioſias in octauo decimo anno regni ſui Domino. XXV.

De morte Ioſia & ſubſtitutione Achaz filij eius in regno Iuda, poſt quem Ioachim regnauit in loco fratris captiuati. XXVI.

De Ioachim Rege, qui & Iechonias alio nomine eſt appellatus, quem Nabuchodonoſor cum matre & vxoribus cum eunuchis ac catera turba & parte vaſorum Dei & Ieruſalem tranſtulit Babylonem. XXVII.

De Sedechia Rege, qui ob ſcelerum magnitudinem traditus eſt cum filiis & omni populo. XXVIII.

De Nabuzardan principe exercitus Regis Babylonis, qui terram Iudaorum deuaſtauit, ciuitates deſtruxit, templum concremauit, & domos regias incendio conſumpſit, & omnem prædam in Babylonem ſecum tranſtulit. XXIX.

Finis Capitum Libri quarti.

RHABA-

HRABANI MAVRI IN QVARTVM LIBRVM REGVM, COMMENTARIVS.

Capvt I.

PRAEVARICATVS eſt autem Moab in Iſrael: poſtquam mortuus eſt Achab. Cecidítq́ Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit: miſitque nuntios dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub, Deum Accaron: vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus eſt ad Heliam Thesbiten: dicens. Surge & aſcende in occurſum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. &c.

Mortuo quoq; impiiſſimo Rege Achab, impius hæres ei ſucceſſit: filius vtiq; eius Ochozias: de quo Scriptura narrat, quod fecerit malum in conſpectu Domini, & ambulauerit in via patris ſui & matris ſuæ, & in via Ierobo-am filii Nabath, qui peccare fecit Iſrael. Seruiuit quoque Baal, & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Iſrael iuxta omnia, quæ fecerat pater eius. Sed non diu proſpere egit, quia per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria cecidit, & ægrotauit: miſitq; nuntios ad Beelzebub Deum Accaron, vt conſulerent eum vtrum viuere poſſet de hac infirmitate. Cui cum Helias, nuntiis ſuis obuians, de morte vicina reſpondiſſet: miſit ad eum quinquagenarium principem cum militibus ſibi ſubiectis: vt eum adducerent. Sed his igne cœleſti conſumptis, iterum miſit alium quinquagenarium: qui ſimiliter cum ſuis combuſtus eſt. Miſit & tertium, qui reſeruatus eſt.

Itaque Rex iſte populum Iudæorum, & maxime principes ſignificat, qui peccatis & vitiis dediti, veritatem à ſe repellebant, immo perſequebantur. Vnde legitur in Euangelio, quod *miſerunt principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum.* Et item: *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius: & fugit in montem ſolus orare.* Et iterum: *Cogitauerunt, ait, vt interficerent eum. Ieſus ergo iam non in palàm ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionem iuxta deſertum in ciuitatem, quæ dicitur Effrem.* Domus ergo Ochoziæ ſynagoga eſt Iudæorum: quæ legalibus præceptis quaſi cancellis cœnaculi vndiq; circumdata erat. Sed ſicut Ochozias per cancellos, quibus tueri debuit, ruens ægritudinem mortiferam incurrit: ità & populus Iudæorum, legis cuſtodiam egrediens, in languorem deſperabilem peccatorum cecidit: Vbi quia diuina præſidia dereliquit, ſalutis remedia inuenire non meruit. Confugit enim, ſicut Rex impius fecit, ad falſorum deorum præſidia: à quibus magis læſus quam adiutus eſt. Et ideo Prophetico ore corripitur, & de eius morte vicina illi prædicitur. Hinc per Iſaiam dicitur. *Et cum dixerint ad vos: quærite à Pythonibus & à diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis. Nunquid non populus requiret à Deo ſuo viſionem? pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et tranſibit per eam, corruet & eſuriet. Et cum eſurierit, iraſcetur & maledicet Regi ſuo & Deo ſuo. Et ſuſpiciet ſurſum, & ad terram intuebitur. Et ecce tribulatio & tenebræ, diſſolutio, & anguſtia & caligo perſequens, & non poterit auolare de anguſtia ſua.* Mittit Rex impios duos quinquagenarios, cum ſubditis ſibi militibus: vt exhibeant Heliam, qui diuino igne conſumpti ſunt. Tertius autem miſſus, ſaluatur. Quinquagenarius namque numerus confeſſio pœnitentiæ eſt, quo declaratur remiſſio peccatorum. Iudæi ergo nolentes Chriſtum Deum eſſe perfectum, nec principem pœnitentiæ dicunt ad eum: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti.* Hi in futuro diuini ignis incendio extinguentur. Tertius autem quinquagenarius quia conuerſus ad fidem Trinitatis, pœnitentiæ ſacramenta cognouit, indulgentiam meruit.

Capvt II.

FACTVM eſt autem, cum leuare vellet Dominus Heliam per turbinem in cœlum, ibat Helias & Heliſæus de Galgalis. Dixitque Helias ad Heliſæum: Sede hic, quia Dominus miſit me vſque in Bethel. Cui ait Heliſæus: Viuit Dominus, & viuit anima tua; quia non derelinquam te, &c.

Quid eſt, quod Helias, ad cœlum raptus dicitur? Nunquidnam eum adhuc in hac carne corruptibili poſitum ad illius ſummæ quietis ſinum ante reſurrectionem, aſcenſionemque Domini credimus eſſe perductum? Sed aliud eſt cœlum aëreum aliud æthereum. Cælum quippe aëreum terræ proximum eſt; vnde & *aues cœli* dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cœlum itaque aëreum Helias ſubleuatus eſt, vt in ſecretam quandam terræ regionem repente duceretur, vbi in magna iam carnis & Spiritus quiete viueret; quouſq; ad finem mundi redeat, & mortis debitum ſoluat. Subleuatus namque Helias, Aſcenſionem Dominicam deſignauit. Ille enim mortem diſtulit: non euaſit. Redemptor autem noſter quia non diſtulit, ſuperauit: eamque reſurgendo conſumpſit: & reſurrectionis ſuæ gloriam aſcendendo declarauit. Notandum quoq; eſt, quod Helias in curru legitur aſcendiſſe, vt videlicet aperte monſtraretur, quia homo purus adiutorio egebat alieno. Per Angelos quippe illa facta & oſtenſa ſunt adiumenta, quia nec ad cœlum quidem aëreum per ſe aſcendere poterat: quem naturæ ſuæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noſter non curru, non Angelis ſubleuatus legitur, quia is, qui fecerat omnia; nimirum ſuper omnia ſua virtute ferebatur. Illuc enim reuertebatur, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia cum per humanitatem aſcenderet in cœlum: per diuinitatem & terram pariter continebat, & cœlum. Sicut autem Ioſeph à fratribus venditus, venditionem Redemptoris noſtri figurauit: ſic Enoch tranſlatus atq; ad cœlū aereum Helias ſubleuatus, Aſcenſionem Dominicam deſignauit. Aſcenſionis ſuæ Dominus prænuntios & teſtes habuit, vnum ante legem, alium ſub lege; vt quandoque veniret ipſe, qui veraciter cœlos penetrare potuiſſet. Vnde & ipſe ordo in eorum vtraq; ſubleuatione per quædā incrementa diſtinguitur. Nam Enoch tranſlatus, Helias vero ad cœlū ſubuectus eſſe memoratur, vt veniret poſtmodum, qui nec tranſlatus, nec ſubuectus cœlum æthereum ſua virtute penetraret: qui nobis in ſe credentibus carnis quoq; munditiam largiretur, & ſub eo per incrementa temporum virtus caſtitatis excreſceret. In ipſa quoq; eorum tranſlatione qui Aſcenſionem Dominicam, vt videlicet famuli, deſignauerunt: & in ſe ipſo, qui ad cœlum aſcendet, Dominus oſtendit. Nam Enoch quidem

A vxorem & filios habuit: Helias vero neque vxorem neque filios habuiſſe legitur. Penſate ergo, quomodo per incrementa creuerit mundicia caſtitatis, quod & per translatos famulos, & per aſcendentis Domini perſonam potenter oſtenditur. Translatus namq; eſt Enoch per coitum genitus, & per coitum generans. Raptus Helias, per coitum genitus, ſed non etiam per coitum generans. Aſſumptus eſt vero Dominus neq; per coitum generans, neque per coitum generatus. Quæritur autem quomodo Heliſæus, cum ſuus magiſter Helias locum poſtulandi offerret, duplicem Spiritum Heliæ poſtulauerit: cum Dominus dicat in Euangelio: (Luc 6.) *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Cuius petitionis myſterium ſi conſideretur: non importuna, ſed neceſſaria poſtulatio eſſe decernitur.

Dixit ergo Helias ad Heliſæum: Poſtula, quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Heliſæus: Obſecro vt fiat Spiritus tuus duplex in me. Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti. Attamen ſi videris me, quando tollar à te; erit tibi quod petiſti. Si autem non videris, non erit.

B Quem enim In hoc loco ſignificat Helias, niſi caput noſtrum, Dominum ſcilicet Redemptorem? Et quem Heliſæus, niſi corpus eius, quod eſt Eccleſia? Dat locum poſtulandi Helias noſter: cum In Euangelio dicit: (Matth. 7. Ioan. 16.) *Petite, & dabitur vobis*; Et item: *Petite, inquit, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Hac ergo fiducia accepta, à Domino poſtulat Heliſæus, hoc eſt, populus Chriſtianus vt fiat Spiritus Chriſti duplex in eis: hoc eſt, duplex gratia Spiritus ſancti in remiſſione vtiq; peccatorum, & collatione virtutū. (Ioan. 8. 1. Pet. 2.) Redemptor igitur noſter, *qui non habuit peccatum neq; peccatum fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Remiſſione peccatorum non eguit; qui peccatum nullum habuit. Opera autem virtutum in Spiritu ſancto fecit, ſicut ipſe in Euangelio dicit Iudæis. (Luc. 11.) *Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Inſeparabilia ſunt igitur opera ſanctæ Trinitatis, id eſt Patris, & Filii & Spiritus ſancti: (Ioan. 5.) Veritate atteſtante, quæ ait; *Quia quæ Pater facit, hæc eadem & Filius ſimiliter facit.* Et Apoſtolus: Hæc, inquit, (1. Cor. 12.) *omnia operatur vnus atq; idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult.* Bene quidem poſtulat Eccleſia vt Spiritum duplicem accipiat C Chriſti, quia & remiſſione peccatorum indiget, qua non eguit Chriſtus: & munere virtutum, quas ex plenitudine ſua per Spiritum ſanctum tribuit Chriſtus. (Ephes 4.) *Qui aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: illis videlicet hominibus, qui ſpem ſuam firmiter in illum ponunt. Hinc eſt, quod Helias dicit ad Heliſæum:

Si videris me, quando tollar à te; erit tibi quod petiſti. Si autem non videris, non erit.

Quia niſi quis rectæ fidei oculos in illum ponat, vt credat fideliter paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem eius ad Patrem, petitionis ſuæ fructum non capiet; quod ſubſequens ratio deſignat.

Helias enim, ſecum comitante Heliſæo, ad aquas Iordanis veniens, *tulit pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas: quæ diuiſæ ſunt in vtramq; partem, & tranſierunt ambo per ſiccum.* Cumq; Helias raptus eſſet: Heliſæus leuauit palliū Heliæ, quod ceciderat ei. *Reuerſuſq; ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Heliæ, quod ceciderat ei percuſſit aquas: & non ſunt diuiſæ. Et dixit: Vbi eſt Deus Heliæ etiam nunc? Percuſſitq; aquas, & diuiſæ ſunt huc atq; illuc & tranſiit Heliſæus,* &c.

D Quid ſignificat pallium Heliæ: niſi Incarnationē Domini, per quam Redemptor noſter lethi fluuium diſrupit: nobiſq; tranſitum ad vitam præparauit? Hoc ergo pallium Heliſæus poſt tranſitum Heliæ retinuit: quia fidem Incarnationis Chriſti Eccleſia poſt aſcenſionem eius ad cœlos reſeruauit, per quā præſentis vitæ fluctus tranſire ſatagit: Sed ſicut Heliſæus percutiens pallio fluuium, aquas non diuiſit antequam dixit: *Vbi eſt Deus Heliæ etiam nunc?* & ſic percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt: ita Eccleſia, niſi per inuocationem nominis Domini, virtutes vllas facere non poteſt: quia ſicut ipſe dixit: (Ioan. 15.) *Sine me nihil poteſtis facere.* Nihil eſt enim humanum ſtudium, niſi adſit adiutoriū diuinum. Vnde & Apoſtolus dixit: (Philip. 2.) *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et Propheta ad (Pſal. 43.) Dominum ait: *In te inimicos noſtros ventilabimus: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos,* &c.

Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Heliſæum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe, Domine, perſpicis: ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal. (Iſidor.)

Poſtulabat Heliſæus à populo, vt aquas Iericho ſteriles & malignas ſanaret. Accepit vas nouum fictile, & iecit in eo ſal, & demerſit illud in flumine: & ſtatim in flumine aquæ ſanatæ ſunt. Quo facto prænunciabat Propheta, (Ioan. 1.) quia *Verbum caro fieret, & habitaret in nobis.* Inde in ſimilitudinem Verbi ſalem, id eſt, ſapientiam dedit in vas fictile; in corpus ſcilicet humanum, & immittens in aquam demerſit. Quod quidem ſignificabat, quia omnes populi, qui ſub figura aquarum in toto mundo ſteriles erant, per Chriſti Incarnationem fœcunditatem & benedictionem accepturi eſſent.

Aſcendit autem inde Heliſæus in Bethel. Cumque aſcenderet per viam, pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes, aſcende calue, aſcende calue. Qui cum reſpexiſſet vidit eos & maledixit eis in nomine Domini. Egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu: & lacerauerunt ex eis quadraginta & duos pueros, &c. B

Heliſæus quoque Propheta (ſicut ſæpe diximus) figuram Chriſti geſſit. Deniq; vocabulum iſtud, *ſalus Domini*, interpretatur. Salus autem Dei quis eſt alius, niſi Filius eius, qui & *Saluator* vbiq; vocatur? Paruuli vero illi illudentes ſaluti Dei, id eſt, Heliſæo, Iudæorum habuere perſonam, qui ad crucem Domino Saluatori ſubſannabant, qui dicunt. *Aſcende calue, aſcende calue*: quia in Caluariæ loco Chriſtus aſcenſurus erat in crucem. Quod vero conuerſus maledixit eis, Heliſæus, & exierunt duo vrſi de ſylua, & interfecerunt quadraginta duos pueros blaſphemantes; ita & Chriſtus poſt paſſionem & reſurrectionem ex mortuis, poſtquam aſcendit in cœlos, ſunt Heliſæus aſcendit in Bethel, id eſt, In domum Dei; conuerſus maledixit Iudæis, & quadrageſimo ſecundo anno Aſcenſionis ſuæ immiſit duos vrſos de ſyluis gentium, Veſpaſianum ſcilicet & Titum; qui eos crudeli ſtrage deiecerunt.

Capvt III.

Porro Meſa, Rex Moab, nutriebat pecora multa, & ſoluebat Regi Iſrael centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus ſuis. Cumq; mortuus fuiſſet Achab præuaricatus eſt fœdus, quod habebat cum Rege Iſrael, &c. III. C

Igitur poſt hæc, bellum gerebatur per tres Reges, hoc eſt Regem Iſrael, Regem Iuda, & Regem Edom, contra Moab. Conſultuſq; ab eis Heliſæus Propheta, poſt alia hæc ſubdidit, dicens:

Facite alueum torrentis huius, foſſas & foſſas. Hæc enim dicit Dominus; Non videbitis ventum, neq; pluuiam: & alueus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familia veſtra, & iumenta veſtra. Paruumq; hoc eſt in conſpectu Domini, inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras. Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuerſum lignum fructiferum ſuccidetis: cunctoſq; fontes aquarum obturabitis; & omnem agrum egregium operietis lapidibus, &c.

Quid ergo ſignificant tres iſti Reges contra Moab bellum gerentes, niſi rectores fidelium, qui per ſanctæ Trinitatis fidem contra mundi principem, & contra populum eius, hoc eſt, philoſophos, hæreticos, ſchiſmaticos, atque omnes iniquos *cum ſcuto fidei atq; armis ſpiritualibus*, confligunt? Moab ergo, qui de inceſto eſt, & interpretatur, *de patre*, bene illis conuenit, ad quos Dominus dixit; *Vos de diabolo patre eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere.* Hi ergo aduerſantur Eccleſiæ; partim minis, partim perſecutionibus, partim dolo, ac falſis fictionibus; ſed per Chriſti virtutem, qui caput eſt populi Chriſtiani ſuperantur atq; effugantur; quibus ait Propheta Domini; *Facite alueum torrentis huius foſſas, & foſſas: non videbitis ventum neq; pluuiam; & alueus iſte replebitur aquis; & bibetis vos, & familia veſtra.* Ecce Propheta Domini populo ſiti fatigato per miraculum factum à Domino conſulit; ſic & prophetica dicta conſilium præbent fidelibus, qualiter ſpirituali doctrina ſitim ſuam extinguant atq; animum reficiant. Iubet ergo foſſas facere in torrentis alueo, & ita prædicit abſ- (H Epheſ. 6. Ioan. 8.)

que

A que ventis & pluuia, aquarum largitatem. Quid eſt foſſas in alueo torrentis facere, niſi profunda myſteria in ſacris Scripturis bono ſtudio quærere? Quæ abſque pluuia & vento aqua replentur: quia ſæpe abſque humano ſolatio ſapientiam confert ſuis inueſtigatoribus potentia
1 Ioan. 2. diuina. Vnde dicit Ioannes Apoſtolus: *Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus.*

Vnde bibunt homines & iumenta, id eſt, doctrinam accipiunt ingenioſi quique & ſimplices. Quia quantum idonea eſt anima accipientis, tantum ibi inueniet documentum ſuæ ſalutis. Sequitur.

Paruumque hoc in conſpectu Domini, inſuper etiam Moab in manus veſtras.

Non enim ſufficit ſeruis Dei abdita myſteria ſcire, quin-
Tit. 1. etiam debent ea aliis prædicare, & *contradicentes ea redarguere*; quibus promiſſa eſt certa de hoſte victoria, *vt percutiant omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam.* Ciuitates munitas & omnes vrbes electas, poſſumus ſecularem prudentiam intelligere, in qua maxime Philoſophi & hæretici confidunt. Hæ ergo per prædicatores ſancti
B Euangelij ſubuertentur: Vnde dicit Apoſtolus: *Arma mi-*
2. Cor. 10. *litiæ noſtra non carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem, extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam. Vniuerſa ligna fructifera ſuccidentur.* Non illa ligna, quæ faciunt fructum bonum, ſed quæ mortiferum generant paſtum: quæ radicibus diuini examinis ſucciſſa, pabulum fient ignis æterni.

Cunctique fontes aquarum obturantur: cum hæreſiarchæ ſimul cum ſuis ſequacibus, per Catholicos doctores damnantur.

Et omnes agri egregij lapidibus operirentur: cum venuſtas locutionis hæreticæ atque philoſophicæ anathematis pondere obruetur: *nihil remanebit in terra Moab, niſi muri tantum fictiles*, hoc eſt, falſæ ratiocinationes fragilium doctrinarum, quæ *à fundibulariis*, id eſt, ſanctis prædicatoribus Eccleſiæ circumdatæ maxima ex parte refutantur, & ad nihilum rediguntur. Quod autem Moabitæ, orto ſole, ex aduerſo aquarum, videre contra aquas rubras,
C quaſi ſanguinem gladij, extimauerunt, dicentes, quod tres reges, qui contra ſe venerunt ad pugnam, inuicem ſe occidiſſent, & ſic deluſi ſunt: ita & philoſophi verbum Crucis Chriſti ſtultitiam exiſtimantes, derident paſſionem Chriſti, & Eccleſiæ martyrium dementiam exiſti-
1 Cor. 1. Rom. 8. mant. Sed (ſecundum Apoſtolum) *quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus: quoniam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiri-*
Hier. *tus vita & pax.* Ad probandum autem, quod Moab in præſenti loco ſuper Philoſophorum intelligatur ſuperbia, de
Eſa. 19. 1. Cor. 1. quibus dicitur: *Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium reprobabo*, pauca de prophetis exempla
Amos 2. explicanda ſunt. Amos loquitur: *Hæc dicit Dominus; Super tribus impietatibus Moab, & ſuper quatuor non aduerſabo eum, pro eo quod combuſſit oſſa regis Idumeæ in cineres.*

Vere enim quicquid in ſeculo dogmatum peruerſorum: quicquid ad terrenam ſapientiam pertinet, putatur eſſe robuſtum; hoc dialectica ſubuertitur, & inſtar incendij, in cineres fauillaſque diſſoluitur, vt probetur nihil,
D quod putabatur eſſe fortiſſimum. Sed & Iſaias ſuperbiam
Eſai. 16. Moab arguit dicens: *Audiuimus contumeliam, Moab, contume-*
Ier. 48. *lioſus eſt nimis. Superbiam eius abſtuli.* Ieremias quoque contra omnes vaticinans nationes, propriè loquitur ad Moab: *Quod confidebas in munitionibus tuis.* Et poſt pauca. *Habes fiduciam in gloria tua.* Et iterum: *Quoniam dicitis fortes ramos.* Ac deinde *Iuxta eſt dies Moab, vt veniat, & malitia eius nimis.* Et manifeſtius dicit: *Quomodo contritus eſt baculus glorioſus, virga magnificentiæ?* Et iterum: *Contritum eſt cornu Moab.*

Hæc autem dicuntur ſub nomine Moab, vt ſtulta ſeculi, & in cœlum ſemper ferens malitia conteratur.

(?)

CAPVT IV.

IV.

MVlier autem quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Heliſæum, dicens: Seruus tuus, vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens Dominum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi. Cui dixit Heliſæus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo vngar. Cum ait: Vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca, & ingredere & claude oſtium tuum cum intrinſecus fueris tu & filij tui, & mitte inde in omnia vaſa hæc, & cum plena fuerint, tolles, &c.

Quid per hanc mulierem, niſi ſancta Eccleſia deſignatur Greg.
duorum populorum, id eſt, Iudaici & Gentilis, quaſi duorum filiorum mater? Quæ prius ex peruerſo opere, conſentiendo callidi ſpiritus perſuaſioni, quaſi quendã peccati numum à creditore acceperat, & duos, quos in fide genuit, amittere timebat filios. Sed prophetę verbis, id eſt, Scripturę ſacrę præceptis obediens, ex paruo, q. habebat olei, vacua vaſa infundit: qa dum ab vnius ore doctoris, paruum quidem amorẽ diuinitatis multorum vacuæ mentes hauriunt: exuberante gratia, vnguẽto diuini amoris vſq; ad ſummũ replentur. Etiam nunc multorum corda, quæ prius fuerant vacua vaſcula, vnguento Spiritus plena ſunt, quæ ex paucitate olei ſolummodo infuſa videbantur. Quod dum aliis atq; aliis datur, & ab auditoribus fides accipitur: erepta mulier, videlicet ſancta eccleſia, ſub creditoris ſui iam debito non tenetur.

Facta eſt autem quædam dies, & tranſiebat Heliſæus per Sunam ciuitatem. Erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem. Cumque frequenter inde tranſiret: diuertebat ad eam, vt comederet panem.

Mulier ergo iſta, quæ Prophetã hoſpitio ſuſcepit, bene poteſt originem inſinuare populi Iſraelitici: quæ fuit in patriarchis. Vnde ſicut iſta Heliſæum Prophetam, ita & illa Dominum Prophetarum hoſpitio ſuſcipere meruit.
Nam Abraham & Sara tres viros iuxta conuallem Mambræ ſuſcipere & paſcere meruerunt. Huic ergo mulieri, Gen. 18.
non habenti filium. Propheta promiſit dicens:
In tempore iſto & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habe- G
bis in vtero filium. Cui illa reſpondit: Noli quæſo Domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Heliſæus.

His quoque ſimilia Dominus ad Abraham retulit, di- Ibid.
cens: *Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara, riſit poſt oſtium tabernaculi, occulte dicens: Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt voluptati operam dabo? Viſitauit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat ei, & impleuit, quæ locutus eſt. Concepitque, & peperit filium in ſenectute ſua, tempore, quo prædixerat ei dicens. Igitur poſtquam creuit puer: tactus dolore capitis in meſſe circa meridiem defunctus eſt.*

Cum populus Iſraeliticus poſtquam in Ægypto decreuit, & per Moyſen in deſertum eductus, Domini vocem audierat in igne & in caligine, quando lumine ſcientiæ debuit illuſtrari: mox animo ad idololatriam recurrens, mortuus eſt.

Et ait Heliſæus ad Giezi, puerum ſuum: Accinge lumbos tuos, Exod. 19.
& tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi & 20.
homo, non ſalutes eum. Et ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpon- H
deas illi, & pones baculum ſuper faciem pueri.

Quid autem ſignificat, quod puer ab Heliſæo miſſus Greg.
cum baculo non reſuſcitat per ſemetipſum: verum Heliſæus veniens, ſeq; ſuper mortuum ſternens, atq; ad eius membra ſe colligens, huc illucque deambulans, & in ore mortui ſepties adſpirans, hunc ad rediuiuam lucem protinus per miniſterium compaſſionis animauit, niſi quod auctor humani generis Deus, quaſi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo, miſeratus aſpexit? & quia per Moyſen terrorem legis protulit: quaſi per puerum virgam miſit. Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cum dicebat:

Si quis hæc vel illa fecerit, morte morietur.

A peccati igitur morte timor nos ſuſcitare nõ valuit, ſed ad ſtatũ vitæ aſpirata mãſuetudinis gratia eos exit. Sed puer

Digitized by Google

A cum baculo mortuum ſuſcitare non valuit: *Quia*, Paulo atteſtante, *nihil ad perfectum adduxit lex.* Ipſe autem per ſemetipſum veniens, & ſuper cadauer humiliter ſternens, & ſuper ora quandam ſibi mortui membra ſe collegit: quia *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Huc illucque deambulabat*: Quia & Iudæam iuxta, & longe poſitas Gentes vocat. *Super mortuum ſepties inſpirat*: quia per apertionem diuini muneris gratiam ſeptiformis ſpiritus in peccati morte iacentibus aſpirat. *Moxque viuens erigitur*: quia is, quem terroris virga ſuſcitare non potuit, per amoris ſpiritum puer ad vitam redit.

Erat autem fames in terra, & filij Prophetarum habitabant coram eo. Dixitque vni de pueris ſuis: pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum, &c.

Amos 8. *Erat*, inquit, *fames in terra.* non fames vtique panis, nec ſitis aquæ: ſed audiendi verbum Domini. *Et filij Prophetarum habitabant coram Heliſæo*: cum filij ſanctorum prædicatorum, Pſal. 118. *qui ambulant in lege Domini, & ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirentes eum*, in præſentia Domini Saluatoris ſemper viuunt. B *Egreditur puer in agrum vt colligat herbas agreſtes, quatenus inde coquat pulmentum: inuenitque quaſi vitem ſyluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri. Quas concidens in ollam pulmenti fecit*, cum quis litteræ legis intentus, vel Philoſophicarum diſciplinarum ſtudioſus, paſtum verbi quærens, amaritudinem litteræ legalis, vel mortiferum quiddam in Philoſophorum libris inueniens, intermiſcet veritati Euangelicæ: & in olla cordis ſui coquens tale pulmentum, hoc eſt, documentum præparat ad refectionem auditoribus ſuis. Dicit enim Apoſtolus: 2 Cor. 3. *Littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.* Et item: Rom. 8. *Prudentia*, inquit, *carnis mors eſt. Prudentia autem ſpiritus vita & pax.* Hoc itaque ſentientes fideles populi mortem in olla exclamant, cum talem doctrinam, quaſi deceptionem animarum, deteſtantes vociferantur. Sed iubente Heliſæo, farina in ollam mittitur: cum ſcientia ſpiritalis in tale condimentum intromittitur, vt, excluſa omni amaritudine prauitatis, paſtus inde fidelibus præparetur ſalubris.

C *Vir autem quidam venit de Baalſaliſa, deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos: & frumentum nouum in pera ſua*, &c.

Denique vir de Baalſaliſa venire deſcribitur, deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera ſua. Quem autem melius virum iſtum accipere poſſimus, quam cœtum ſanctorum patrum; qui virtute animi & bonorum operum pollent. Qui bene de Baalſaliſa veniſſe dicitur. Baalſaliſa enim, *habens tertium*, interpretatur. Recte ergo de Baalſaliſa eſt, qui ternarium numerum in credulitate & confeſsione ſanctæ Trinitatis ſeruat. Hic vero vir viro Dei panes primitiarum offert: cum Redemptori noſtro per gratiam eius inſpiratus offert libros de origine creaturarum compoſitos. Offert viginti panes hordeaceos: hoc eſt, Decalogum legis in Moyſi & prophetarum ſcriptis comprehenſum. Offert frumentum nouum in pera ſua; cum nouum teſtamentum poſt mediatoris noſtri aduentum in ſancti D Euangelij, & Apoſtolorum ſcriptis profert. Iubet ergo Heliſæus noſter miniſtris ſuis, ſanctis videlicet prædicatoribus, vt hanc oblationem populo fidelium diſpenſent, Matth. 13. id eſt, vt, ſecundum illud Euangelij, *de theſauro ſuo, velut ſcriba doctus, in regno cælorum proferant noua & vetera*: quatenus pabulo verbi diuini reficiantur. Quod myſterium in Euangelio iteratum legimus: Matth. 14. cum in fractione *quinque panum, quinque millia hominum*: Matth. 15. Et item, *ſeptem panum, quatuor millia hominum* ſatiata eſſe commemorantur: *Et ſatiati ſunt bis, cum collegerunt duodecim cophinos ſiue ſeptem ſportas fragmentorum*, quia nullus eſt, qui ſacramenta Scripturæ diuinæ per omnia capere poſſit: quin ſibi ſatiato ſupererit iuxta verbum Domini.

Capvt V.

E N*Aaman, princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud Dominum ſuum, & honoratus. Per illum enim Dominus dedit ſalutem Syriæ. Erat autem vir fortis & diues, ſed leproſus*, &c.

Iſte autem Naaman, qui princeps militiæ regis Syriæ eſſe deſcribitur, quem melius ſignificare poteſt, quam populum gentilem, qui in orbe triquadro per virtutem bellorum principatum gerebat, ac rerum decore fruebatur? quod in nominis eius interpretatione exprimitur. Interpretatur autem Naaman, *decus, ſiue commotio rerum.* Sed iſte vir licet fortis & diues fuerit, tamen leproſus eſſe memoratur: quia quamuis per potentiam regni ac rerum abundantiam dominari videretur: tamen per erroris nequitiam & idololatriæ lepram fœdus apparuit.

Porro de Syria egreſsi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Iſrael puellam paruulam, quæ erat in obſequio vxoris Naaman. Quæ ait ad dominam ſuam: Vtinam fuiſſet Dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria, profecto curaſſet eum à lepra, quam habet, &c.

F Latrunculi quippe de Syria, quæ interpretatur, *ſublimitas*, egreſsi ſunt, cum cupiditate ducti, & diuerſis negotiis impliciti, ſperantes in incerto diuitiarum, gentiles per totam terram vagabantur. Hinc ad terram venientes, captiuam mulierculam duxerunt. Quæ in captiuitate poſita de Propheta in Iſrael teſtabatur, quia fama de Iſrael per negotiatores gentium tranſlata in toto orbe, curioſitati hominum, quam vxor Naaman ſignificat, verum Prophetam & Saluatorem omnium in Iudæa manere patefecit.

Ingreſſus eſt itaque Naaman ad Dominum ſuum, & nuntiauit ei dicens: Sic & ſic locuta eſt puella de terra Iſrael, cum hi, ad quos notitia verbi Dei peruenit, eis, qui ſibi præſunt, ſuggerunt ſcientiæ ſpiritalis magnitudinem. *Mittit rex Syriæ literas ad regem Iſrael pro ſalute ſerui ſui*, cum primatus gentium audiens Deum eſſe in Iſrael (quia Pſal. 75. *notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius*) ſaluti ſuorum prouidens, legationem in Iudæam mittit: vt per Apoſtolicam G doctrinam, Saluatoris fidem accipiat. Vnde Cornelius Act. 10. centurio de Cæſarea in Ioppen ad Petrum miſit: & Paulo Act. 16. per viſionem vir Macedo apparuit, qui eum exhortabatur, vt veniens adiuuaret eos, qui erant in Macedonia, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur.

Cumque legiſſet rex Iſrael literas, ſcidit veſtimenta ſua, & ait, Nunquid Deus ego ſum, vt occidere poſſim & viuificare?

Quid ſignificat rex iſte Iſrael, qui, audita legatione Syriæ de ſalute à Propheta Iſrael quærente, expauit, niſi ſacerdotes, ſcribas, & Phariſæos rectores Iudæorum, qui conſiderantes, quod vndique plebes ad Redemptorem noſtrum ſalutis ſuæ cauſa conueniebant, quaſi blaſphemiam exiſtimantes, veſtimenta ſua ſcindebant: ſicut in Euangelio principem ſacerdotum, audita Chriſti prædicatione, feciſſe legimus? Matth. 26. Sed licet Rex Iſrael in tali auditu pertimeſcat: tamen Propheta Dei quos ad ſe migraſſe cognouerat, ad ſe peruenire ſuadebat, dicens:

Veniat ad me, vt ſciat eſſe Prophetam in Iſrael: quia Dominus noſter Rom. 8. *quos præſciuit hos & vocauit, & quos vocauit, illos &* H *iuſtificauit. Venit ergo Naaman equis & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Heliſæi. Miſitque ad eum Heliſæus nuntium dicens: Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet caro tua ſanitatem atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam, quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.*

Veniens quidem gentilis populus ad domum Heliſæi noſtri, ſanctam videlicet Eccleſiam, miſſum ab eo nuncium conſilium accepit, vt ſe in Iordane ſepties lauaret, & ſic ſanitatē reciperet atq; mūdaretur: quia per angelicos prædicatores Dominus dicit: Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et item: Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Iordanis itaque aquæ ſacrum baptiſma ſignificant; quia in eis Saluator noſter baptiſma nobis conſecrauit. Quod autem Naaman, indi-

A

gnans de tali reſponſo, lauationem aquę Iordanicę deſpexit: ſimplicitatem ſignificat rudium, qui ſpiritalem non potuerunt intelligere efficaciam, quia *animalis homo, non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* (1. Cor. 2.) *Cum ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans; acceſſerunt ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei: Pater ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi; lauare & mundaberis? Deſcendit & lauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.*

Bene ergo ſerui Naaman meliori conſilio illi ad perficiendum mandatum Propheticum perſuaſerunt, quia ſæpe Dominus iuniori reuelat, quod melius eſt: &, ſecundum Petri vocem, *perſonarum acceptor Deus nō eſt ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiā, acceptus eſt illi.* (Act. 10.) Abijt & lauit ſepties iuxta ſermonem viri Dei; & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli: quia mundatus aquis baptiſmatis per inuocationem ſeptiformis ſpiritus quiſque recipiet ſanitatem, & ad innocentis vitæ infantiam redigitur: vt vitæ æternæ ingreſſum percipere mereatur.

B

Vnde ipſa Veritas ſuis diſcipulis ait: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini, ſicut paruuli; nō intrabitis in regnum cælorum.* (Matth. 18.) Denique *reuerſus Naaman ad virum Dei cum vniuerſo comitatu ſuo: venit & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio, quod non ſit Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael.*

Hæc eſt enim Catholica profeſſio, quod *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viuentiū,* (Matth. 22.) *quoniam omnes dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* (Pſal. 95.) Et vt cuncta hic baptiſmatis ſcires ſacramenta præmonſtrata, in quo abrenuntiare ſatanę, ac fidem Dei confiteri præcipimur: negat ſe Naaman vltra diis alienis litaturum: ſoli per omnia Domino ſeruiturus. Partem quoq; terræ ſanctæ ſecum tollere gaudet: quia baptizatos oportet Dominici quoq; corporis participatione confirmari. *Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit Dominus meus Naaman Syro iſti, vt non acciperet ab eo, quæ attulit. Viuit Dominus, quia curram poſt eum & accipiam ab eo aliquid.*

Poſt hæc autem narrat Scriptura, quod Giezi puer ſerui Dei concupiuerat de pecunijs, quas prædictus Syrus homini Dei obtulerat: ſed, eo nolente aliquid inde recipere ipſe per mendacium turpiter adquiſiuit, quod ſuus

C

magiſter per fidem accipere renuit. Giezi quoq;, qui interpretatur, *præruptum videns*, ſiue *vallis viſio*, ſignificat Iudaicum populum, qui aliquando *Puer Dei*, Propheta atteſtante, vocabatur: ſicut Oſeę dicit: *Puer Iſrael, & dilexi eum.* (Oſe. 11.) Sed poſtquam ſpreto Euangelio, & crucifixo Filio Dei, ſemetipſum de tali dignitate in foueam auaritiæ præcipitans; cupiditatem ſecutus eſt terrenam, quam filij Dei per Baptiſmum renati ſpreuerunt; per ſententiam iuſti iudicis Dei, lepram erroris, quam credentes depoſuerant, ipſe ſibi conſciuit. Necnon & omnes qui poſt baptiſmum, & emendatiorem vitam, ad priſtina vitia reuertuntur, ſordibus, quibus ſe exutos ſperabant, iterum impliciti inuoluuntur. Vnde ſcriptum eſt: *Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti; ſic ſtultus, qui iterat ſtultitiam ſuam.* (2. Pet. 2. Prou. 26.)

CAPVT VI.

VI. D

DIxerunt autem filij Prophetarum ad Heliſæum; Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis. Eamus vſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit; Ite. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu cum ſeruis tuis. Reſpondit: Ego veniam. Et abijt cum eis. Cumque veniſſent ad Iordanem, cædebant ligna. Accidit autem, vt, cum vnus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam. Exclamauitque ille. Et ait. Heu, heu, heu, Domine mi. Et hoc ipſum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit: At ille monſtrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natauitque ferrum. Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud, &c.

Hæc itaque actio bene Redemptori noſtro conuenit per ſignificationem. Cum igitur ſecuribus ligna cæderentur, de ligno ferrum exiliens, in profundum fluminis (Ibid.) merſum eſt, atque in lignum deſuper ab Heliſæo proiectum reuerſum eſt: ita etiam cum impios Iudæos per corpus operata præſentia Chriſti, tanquam infructuoſas arbores, cæderet, quia de illa Ioannes dixerat, *Ecce ſecuris ad radices arborum poſita eſt*, (Matth. 3.) interueniente paſſione, corpus ipſum deſeruit, atque in profunda deſcendit, quod in ſepultura depoſitum, tanquam ad manubrium ſpiritu redeunte, reſurgit. Aliter, ferrum in manubrio, donum intellectus in corde eſt. Ligna vero per hoc cædere eſt, praue agentes increpare, quod nonnunquam dum (Greg.) fluxe agitur, dum lapſus vanæ gloriæ in accepta eadem ſcientia non vitatur, ferrum in aqua perditur: quia ex diſſoluto opere, intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc nouimus dari: vt ante dantis oculos ex bona debeat actione reſtitui. Vnde & recte is, qui ferrum amiſerat, clamabat:

Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam.

Habent enim hoc electi proprium, ſi quando eis in ſua ſcientia furtiuè vanæ gloriæ culpa ſubrepit, ad cor velociter redeant: & quicquid in ſe ante diſtricti Iudici oculos damnabile inueniūt, lacrymis inſequuntur.

F

Qui flentes non ſolum cautè inſpiciunt, quæ mala commiſerunt: ſed ex accepto munere quæ reddere etiam bona fide debuerant; quia nimirum tanto ſe amplius peccatores ſentiunt, quanto ex neglectis bonis, quæ agere poterant, debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdit clamat:

Heu, heu, heu, & hoc ipſum mutuo acceperam; Ac ſi dicat: *Illud per diſſolutionem negligentiæ perdidi, quod vt per bona opera redderem, ex gratia creditoris accepi.*

Sed nunquam Deus mentem deſerit, quæ in peccatis ſe veraciter agnoſcit. Vnde & mox Heliſæus veniens lignum deorſum mittit, & ferrum in ſuperficiem attulit; quia videlicet Redemptor noſter, pie nos reſpiciens, cor peccatoris humiliat, & eam, quam amiſerat, intelligentiam reformat.

Lignum mergit, & ferrum in ſuperficiem attulit; quia videlicet Redemptor noſter, & cor elatum in cogitatione humiliat, & ſcientiam reparat. Vnde bene alia translatione dicitur, quod *confregit lignum*, atq; *iactauit*, & ſic *ferrum ſuſtulit*. Lignum namq; confringere eſt, cor ab elatione cōterere.

G

Lignum ad ima iactare eſt, elatum cor in cognitione (vt diximus) propriæ infirmitatis humiliare. Atq; ferrum ad ſuperficiem redit, quia ad vſum exercitationis priſtinæ intelligentiæ recurrit. Igitur quoniam donum intellectus, quod accipitur, vix cum tot difficultatibus cuſtoditur: Curandum valde eſt, ne ocio torpeat: curādum, ne incitatione operis, vitio elationis euaneſcat. Sancti namque viri minimè exultant, cum cognoſcunt, quæ faciunt. Sed cum faciunt, quæ cognouerunt, etſi intelligendo largius congaudent à munere largitoris: mœrentes tamen conſiderant debitum operis, vt videlicet actione perſoluant, quod eis prærogatum eſt in cognitione. Stultus namque eſt debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, & tempus, quo reddere debeat, non attendit: moderatur autem lætitia accipiendi, quando ſolerti prouidentia etiam conſtitutum tempus reddendi cogitatur.

Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſrael, conſiliumque inijt cum ſeruis ſuis, dicens; In loco illo & illo ponamus inſidias. Miſit itaque vir Dei ad regem Iſrael, dicens; Caue, ne tranſeas in illo loco, quia ibi Syri in inſidijs ſunt. Miſit itaque ex Iſrael ad locum,

H

quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obſeruauit ſe ibi, &c.

Quem congruentius hic rex Syriæ, quam poteſtatem ſignificat terrenam, quæ ſæpe ſuperbè ſentiens populum Dei, hoc eſt, filios lucis perſequitur? Sed ipſi per Heliſæi Domini videlicet noſtri doctrinam inſidias inimicorum præcauere edocentur, vt eſt illud: *Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* (Matth. 10.) Et item: *Cauete autem ab hominibus.* (Ibid.) Et alibi: *Attendite*, ait, *à falſis Prophetis.* (Matth. 7.) Hoc quippe agnoſcens mundana potentia ipſum prophetam interficere diſponit; cum Chriſtum in cordibus electorum extinguere feſtinat.

Miſit ergo illuc rex Syriæ, equos & currus & robur exercitus: Qui cum veniſſent nocte, circumdederunt ciuitatem.

Omnis ergo, qui in nequitiæ armis confidens Chriſti famulis inſidias præparat: nocte perfidiæ excæcatus, bel-

Digitized by Google

A

lum contra Eccleſiam gerit. *Conſurgens autem diluculo miniſter veri Dei egreſſus eſt; viditque exercitum in circuitu ciuitatis, nunciauitque ei dicens; Heu, heu, Domine mi, quid faciemus?* &c.

Hæc ſententia denotat illos, qui propter puſillanimitatem cordis ſui, pœnas verentur corporales. Cui Propheta reſpondit: *Noli timere: Plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Et Saluator diſcipulis ait; *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, quia ego vici mundum.* (Ioan. 16.) Et ité: *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus: & poſt hæc, non habent, quid faciant vobis. Quin potius eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* (Matth. 10.) Et Petro Dominus in Paſſione ſua ait: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* (Matth. 26.) *Cumque oraſſet Heliſæus, ait: Domine aperi oculos eius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit. Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſæi.* Et valde neceſſe eſt, vt Heliſæus noſter aperiat oculos cordis noſtri, vt conſideremus & cognoſcamus; *quia omnes, qui confidunt in illum, non confundentur.* (Pſal. 124.) *Porrò Heliſæus orauit Dominum dicens; Percute obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Heliſæi.*

B

Bonum ergo illis eſt, quos oculus ſuus ſcandalizat, vt eruatur & proijciatur ab eis; (Matth. 5.) quatenus intuitus ſuperbiæ & malitiæ obturetur, & oculus ſanæ fidei ac ſimplicitatis aperiatur. Vnde dicit Apoſtolus; *Si quis inter vos videtur ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* (1. Cor. 3.) *Dixitque rex Iſrael ad Heliſæum, cum vidiſſet eos; Numquid percutiam eos, Pater mi? Et ille ait, Non percuties. Neque enim cepiſti eos gladio, aut arcu tuo, vt percutias. Pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad Dominum ſuum.*

Poſtquam ergo Heliſæus hoſtes in Samariam adduxit, non eos occidi permiſit; ſed confectionem magnam ciborum illis præparans dimiſit in pace. Et Saulum diu contra ſtimulum calcitrantem primum Dominus cæcauit; deinde ſcientia ſpiritali magnifice repleuit, adque prædicandum euangelium ſuum in gentibus direxit; (Act. 9.) nobiſque præcepit, ita dicens; *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui vos oderunt, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* (Matth. 5.)

C

Factum eſt autem poſt hæc, congregauit Benadad rex Syriæ vniuerſum exercitum ſuum & aſcendit & obſidit Samariam; Factaque eſt fames magna in Samaria, &c.

Narrat Scriptura, quod Benadad rex Syriæ obſideret Samariam. Facta autem fame, afflictus eſt populus valde; ſed, Domino miſerante, reuelatum eſt Heliſæo verbum Domini, & prædixit populo ſolatia futura, ita dicens;

Hæc dicit Dominus, In tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ. Quod cum non crederet vnus de ducibus, ſuper cuius manum rex incumbebat; homini Dei ait; Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo numquid poterit eſſe, quod loqueris? Qui ait, videbis oculis tuis, & inde non comedes.

Poteſt hoc loco Benadad cum ſuo exercitu diabolus myſtice accipi, qui corda iniquorum per inuidiam contra Eccleſiam bellum gerere excitat. Sub hoc quidem rege ſunt modo falſi Iudæi, de quibus in Apocalypſi ſcriptum eſt: *Qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga ſatanæ.* (Apoc. 2.) Sub hoc rege ſunt pagani, ſunt & hæretici.

D

Facta ergo perſecutione ab antiquo hoſte per tales affligitur populus Dei, qui eſt poſitus in Samaria, hoc eſt, in cuſtodia legis diuinæ. Fitque fames valida, cum non permittitur doctoribus liberè verbum Dei prædicare. Sed, Heliſæo reuelante, hoc eſt, Redemptore noſtro per Euangelium iudicante, *ſalus, quæ peccatoribus longe eſt,* (Pſal. 118.) timentibus Deum prope eſſe dinoſcitur. Dicit enim Dominus noſter ad ſeruos ſuos: *In tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ.* Quid enim modius ſimilæ, niſi perfectam menſuram diuinæ ſapientiæ, quæ eſt in nouo teſtamento? Et quid duo modij hordei, niſi ſcientiam legis & prophetarum ſignificant? qui comparantur ſtatere vno, hoc eſt, fide Catholica. *In porta Samariæ*: in prædicatione, videlicet Apoſtolica, per quam intratur in Eccleſiam.

In tempore, inquit, *hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit.* Ac ſi dixiſſet; Ceſſante turbine perſecutionis, quæ fit

E

hodie, dabit dominus cras, hoc eſt, tempore futuro, quietem & tranquillitatem, vt prædicatio Euangelij perfectè credentibus compleatur. Fuit enim tempore Paſſionis Dominicæ, quaſi fames verbi Domini, cum Apoſtoli, relicto eo, omnes fugerunt, (Matth. 26.) & domi ſe propter metum Iudæorum incluſerunt. Et iterũ ſcriptum eſt: *Quia nemo palam de illo auſus eſt loqui;* (Ioan. 20. Ioan. 7.) ſed relucente die reſurrectionis iam aderat tempus, quo comites Chriſti illum videntes viuere, & poſtmodum cœlos aſcendere, percepta Spiritus ſancti gratia, liberè verbum Dei prædicabant tam Iudæis quàm etiam Gentibus: & impletum eſt illud Iſaiæ vaticinium: *Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine, & quæ erat arida, in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* (Eſai. 35.) Vnde Dominus per ipſum Prophetam loquens ait: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus? & laborem veſtrum non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me, audite, & viuet anima veſtra.* (Eſai. 55.)

F

Perturbatis hoſtibus, & in fugam verſis, ſubiungit Scriptura, quod quatuor viri leproſi abierint in caſtra Syrorum, & nullum ibi reperientes comederint & biberint, ablatiſque inde auro & argento ac veſtibus & abſconſis, poſtea compuncti in ciuitatem hoc annuntiauerint, atque ſalutis huius indicia præſtiterint. Qui ergo ſunt leproſi iſti, niſi qui varijs vitijs dediti, vel diuerſis erroribus impliciti, fœditatem ex interna peſte educentes, oſtendunt in cute. Hos Dominus ſæpe conuertens, ad fidem: & mundans ab errore & vitijs, veræ ſalutis nuncios effecit.

Ingreſſi igitur leproſi in caſtra Syrorum comederunt & biberunt, & aurum atque argentum inde aſportauerunt, cum deſpectis iſtius mundi, meditationi Philoſophiæ operam dantes, & ſenſus ſubtilitatem & locutionis venuſtatem adquirunt; vnde Eccleſiæ vſibus bene inſtructi deſeruire poſſint: frequenter ergo talibus Dominus & ingenij acumen, & veræ ſapientiæ donum largitur. Qui bene quatuor eſſe memorantur, vt quatuor Euangeliorum eruditione imbuti, in quatuor mundi partes veritatem prædicent.

G

Legitur enim in Euangelio, quod Dominus cum publicanis & peccatoribus manducaret: & mulier, quæ erat in ciuitate, peccatrix lachrymis eius rigaret pedes, & capillis ſuis tergeret, & vnguento vngeret. (Luc. 7.) Matthæum ex publicano Apoſtolum & Euangeliſtam fecit: *apparuitque poſt reſurrectionem ſuam primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Illa vidẽs nuntiauit his, qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus.* (Matth. 9. Mar. 16.) Porro ducem illum ſuper cuius manum rex incubuerat, & Prophetæ verbis diffidebat, conſtitutum ad portam, *conculcauit turba in introitu & mortuus eſt iuxta quod locutus fuerat vir Dei.* Dux iſte typum tenet Scribarum & Phariſæorum, qui, habentes clauem ſcientiæ, nec ipſi introierunt per fidem in Eccleſiam Catholicam: & eos, qui introire volebant. Ad quos ipſa veritas ait: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis introire.* (Matth. 23.) Quem conculcauit turba in porta: inutiliter ante oſtium fidei ſtabat: & greſſum introeuntium impediebat.

H

Vnde meritò conculcatus, hoc eſt, examine iuſti iudicis damnatus, perpetuas mittetur in tenebras. Nam & Dominus in Euangelio ait: *Si ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* (Matth. 5.)

CAPVT IX.

X.

HEliſæus autem Propheta vocauit vnum de filijs Prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua: & vade in Ramothgalaad. Cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Ioſaphat, filij Namſi, & ingreſſus ſuſcitabis eum de medio fratrum ſuorum, & introduces in interius cubiculum, tenenſque lenticulam olei, fundes ſuper caput eius, & dices. Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem ſuper Iſrael &c.

Dehinc refertur in hiſtoria hac regum, qualiter Iehu Dominus ordinauerit, ad extirpandam domum Achab

Digitized by Google

A

& ſacerdotes Baal interficiendos. Qui & percuſsit Ioram regem Iſrael,& Ochoziam regem Iuda,& Iezabel impiiſsimam reginam de palatio in Iezrahel præcipitare fecit. Iehu enim typicè poteſt deſignare gentium principatum, quem Dominus ac Redemptor noſter deſtinauit,vt in ſacrilega ciuitate, quę Prophetas & ipſum Deum prophetarum occidit,& Apoſtolos eius perſecuta eſt, iudicia exerceret, & æmulatione iuſta perimeret, atque ſacerdotium vanum, quod poſt Chriſti aduentum inaniter habuerat,deſtrueret, templumque ſubuerteret: nec non & impiam ſynagogam, quæ ſanguinem ſanctorum ſemper ſitiebat, de regni culmine præcipitaret, ac rectores ipſius interficeret.

Capvt XI.

Athalia vero, mater Achaziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit,& interfecit omne ſemen regium.

Sequitur hic hiſtoria,quæ Athaliæ matris Achaziæ regis tyrannidem commemorat, quæ videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium.

B

Sed Ioſaba,filia regis Ioram, ſoror Achaziæ, Ioas filium Achaziæ, tollens. furata eſt de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abſcondit eum à facie Athaliæ,vt non interficeretur. Eratque cum ea in domo Domini clam ſex annis, quia Ioſaba vxor erat Ioadæ Pontificis. Athalia igitur hæc,quæ ſemen Dauid extinguere moliebatur,& regiam ſtirpem delere, bene impietatem exprimit ſynagogæ, quæ per nequitiam mentis ſeminis Dauid, hoc eſt,Chriſti inſidiatrix erat, & odium contra eum ſemper in corde gerebat. Quæ aliquando regnare videbatur cum legis cærimonias temporaliter obſeruabat. Interpretatur autem Athalia, *temporalis Domini.* Sed Ioſabæ ſtrenuitas interpretatur, *ſaturitas Domini*, id eſt, Eccleſiæ, in qua veræ ſunt deliciæ. Seruatur Ioas,qui interpretatur, *memoria Domini*, Chriſtus videlicet, in quo memoria eſt nominis Domini, ne per crudelitatem ſeruientis hoſtis interimatur in cordibus electorum: magiſq; nutritur in domo Ioadæ Pontificis, qui, *dilectus Domini*, ſonat, de quo Patris

Matth. 3. & 17.

vox ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

C

Cuius domus eſt ſancta Eccleſia, vbi in fide electorum

1. Tim. 3.

manens cottidie facit augmentum corporis ſui, donec tempore iudicij ſceptrum regni, & potentiam aduerſus

Apoc. 19.

eos extollat, qui eum deprimere cogitabant, & interfectricem ſanctorum æternis deputauerit pœnis.

XI.

Anno autem ſeptimo miſit Ioiada,& aſſumens centuriones & milites, & introduxit ad ſe in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus,& adiurans eos in domo Domini, oſtendit eis filium regis, & præcepit illis dicens; Iſte eſt ſermo, quem facere debetis. Tertia pars veſtrum introeat ſabbato, & obſeruet excubias domus regis: tertia autem pars ſit ad portã Sur,& tertia pars ſit ad portam, quæ eſt poſt habitaculum ſcutariorum, & cuſtodietis excubias domus Meſſa. Duæ vero partes è vobis omnes egredientes ſabbato cuſtodiant excubias domus Domini circa regem, & vallabitis eum habentes arma in manibus veſtris. Si quis autem ingreſſus fuerit ſepta templi, interficiatur. Eritiſque cum rege introeunte & egrediente. Et fecerunt centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada ſacerdos. Et aſſumentes ſinguli viros ſuos, qui ingrediebantur ad ſabbatum cum his, qui egrediebantur è ſabbatho, venerunt ad Ioiadam ſacerdotem. Qui dedit eis haſtas & arma regis Dauid, quæ erant in domo Domini. Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua, à parte templi dextera, vſque ad partem ſiniſtram altaris & ædis circum regem,&c.

D

Hæc autem quomodo facta ſint, & in quibus locis, ſi quis ea, quæ ſuperius de atriis domus Domini dicta ſunt, bene commemorauerit; ita intelligere poteſt. Sed ne faſtidium faciamus lectori, his omiſsis, quæ iam expoſita ſunt, ad illud, quod de diuiſione turbæ dictum eſt, veniamus, cuius rei ratio talis eſt. Erant autem ſortes viginti

Beda.

quatuor & ſacerdotum & leuitarum & ianitorum, qui per totidem ſeptimanas ſibi ex ordine ſuccederent ſabbato noua turma intrante ad officium: & poſt ſabbatum ea, quæ proxima ſeptimana miniſtrauerat, domum redeunte. Sed hic Pontifex propter neceſsitatem augendi circa nouum regem exercitus, & eos, qui intrandi ſeptimanam ordinem habebãt,ſuſcepit, & illos,qui iam ſuam ſeptimanam miniſtrando impleuerant, ne abirent, retinuit. Qui alios quoque Leuitas de cunctis vrbibus Iuda,

E

2. Par. 23.

ſimul & principes familiarum Iſrael, miſsis in hoc centurionibus, Ieroſolymam congregauerat vt verba dierum narrant; quos educturos filium regis tali ratione diſtinxit, vt omnes, qui impleuerant ſabbatum, & egreſſuri erant in duas diuiſi partes, regem in interioribus atrij locis armati circumſtarent. Reliqua vero multitudo, id eſt, hi, qui non erant de ſtirpe Leui, exteriores atriorum ianuas contra furorem reginæ, ſi quid fortè aduerſi moliretur cuſtodirent. Porro hi, qui nuper ad ſabbatum venerant, ſacerdotes Leuitæ & ianitores in tres diuiſi partes, domum regis, id eſt palatium obſeruarent: ne vel hoc regina, collecto exercitu, contra regem defenderet: ſeruarẽt & portam habitaculi ſcutariorum: per quam de templo ad palatium deſcendebatur, ſicut infra dicitur. Duxeruntque regem de domo Domini, & venerunt per viam portæ ſcutariorum in palatium: & ſedit ſuper thronum

F

regium. Vbi & porta Seireff, & domus Meſſa, quæ cum porta ſcutariorum nominantur, eſſe videntur. Scutarios autem tutores regis appellat, teſtante libro Paralipomenon. Qui cum Roboam ſcuta ærea pro aureis feciſſe com-

2. Par. 12.

memoraſſet, adiecit: *Et tradidit illos principibus ſcutariorum, qui cuſtodiebant veſtibulum palatij.* In quo videlicet libro di-

2 Par. 23.

ſtinctius hæc cuncta replicantur: *Tertia pars veſtrum qui veniunt ad ſabbatum ſacerdotum & Leuitarum & ianitorum, erit in portis. Tertia vero pars ad domum regis, & tertia in porta, quæ appellatur fundamenti. Omne vero reliquum vulgus ſit in atrijs domus Domini, nec quiſquam alius ingrediatur domum Domini niſi ſacerdotes, & qui miniſtrant de Leuitis. Ipſi tantummodo ingrediantur, quia ſanctificati ſunt. & omne reliquum vulgus obſeruet cuſtodias Domini. Leuitæ autem circumdent regem, habentes ſinguli arma ſua.* Quod ſequitur de eodem: *Produxitque filium regis, & poſuit ſuper eum diadema & teſtimonium*: in diademate inſigne capitis regium: in teſtimonio deſignat decreta legis Dei: quibus, quid agere rex debeat, qualiter viuere præcipitur. Deniq; in libro verborum dierũ aper-

G

tius: *Et impoſuerunt*, inquit, *ei diadema, dederuntq́; in manu eius tenendam legem.* Et magnæ vtiq; erat ſalutariſq; prudentiæ: & poſt tyrannicæ impiæq; necem reginæ, ſuccedente in regnum filio regis legitimi, cum ipſo regni habitu ſimul diſciplina legis Dei ſeruanda committeretur: vt qui

Deut. 17.

ſe prælatum populo regendo videret, ipſe ſe regendum diuinis legibus ſubdi debere meminiſſet.

Capvt XII.

Dixitque Ioas ad ſacerdotes: Omnem pecuniam ſanctorum, quæ allata fuerit in templum Domini à prætereuntibus. quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini, accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum & inſtaurent ſarta tecta domus, ſi quid neceſſarium viderint inſtauratione,&c.

Mandat rex noſter de doctoribus ſuis, vt accipiant omnem pecuniam, quæ à prætereuntibus offertur in templum Domini pro pretio animæ, & voto cordis ſui: cum quicquid à prætereuntibus iuſtis, ſcientiæ ſpiritalis vel bonorum exemplorum in theſaurum Domini conlatum

H

eſt, per ſacerdotum, hoc eſt, prædicatorum officia ad inſtaurationem templi ſpiritalis conferatur: quatenus ibi, quodcunq; ſciſſum per errorem vel per vitia inuenerint, reſtaurent: ne forte per negligentiam magiſtrorum, depereat multitudo auditorum. Quod autem ſequitur: *Igitur vſque ad viceſimum tertium annum regis Ioas non inſtaurauerunt ſacerdotes ſartatecta templi*: ſignificat, quod ante aduentum Saluatoris licet doctrina legis in gente Iudaica fuerit: tamen per doctorum negligentiam in multis corrumpebatur, donec veniret ipſe, qui legem dedit,& per ſanctæ Trinitatis fidem Decalogum legis in Moyſi & prophetarum ſcriptis ſpiritaliter obſeruandum doceret.

Vocauitque rex Ioas Ioiadam Pontificem & ſacerdotes, dicens eis: Quare ſarta tecta non inſtauraſtis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam,&c.

Digitized by Google

A

Ioan. 4.

Sic & Dominus noſter Euangelicis doctoribus mandans ait: *Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* Et item: *Euntes*, inquit, *prædicate Euangelium omni creaturæ. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate. Gratis accepiſtis, gratis date.*

Marc. 16. Matth. 10.

Et tulit Ioiada gazophylacium, aperuitque vnum foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantq; in eo ſacerdotes qui cuſtodiebant oſtia omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.

Denique pontifex noſter, qui ſemetipſum obtulit hoſtiam immaculatam Deo, gazophilacium vnum poſuit: hoc eſt vnam Eccleſiam Catholicam fecit. Cui foramen deſuper poſuit, quia tranſitum inde ad cœlos parauit. Poſuitque illud iuxta altare ad dexteram ingredientium in domum Domini. Altare videlicet Corpus Domini eſt, iuxta quod gazophylacium poſitum eſt, cum Eccleſia coniuncta eſt: ad dexteram ingredientium domum Dñi: quia hæc eſt intentio electorum, qui per fidem ingrediuntur Eccleſiam: vt ad æternam beatitudinem, quam dextra ſignificat, perueniant. Iſtuc ergo mittunt ſacerdotes, qui cuſtodiunt oſtium templi, omnem pecuniam, quæ defertur ad templum Domini; cum prædicatores ſancti, qui ſeruant introitum fidei, offerunt vota fidelium in verbis & in operibus, & in Eccleſia ritè precibus commendant Deo.

B

Aſcendebat ſcriba regis, et pontifex effundebantque et numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini et dabant eam iuxta numerum atque menſuram in manu eorum, qui præerant cæmentarijs domus Domini, qui impendebant ea in fabris lignorum, et in cæmentarijs his, qui operabantur in domo Domini.

Scribam regis & pontificem appellat ſummos doctores, qui pecuniam collatam iuxta numerum atq; menſuram illis tribuebant, qui præerant fabris & cæmentariis, hoc eſt, diſpenſatoribus verbi diuini, qui Euangelici tritici menſuram conſeruis ſuis his, qui operantur in domo Domini, & virtutum opera in ædificio diuino componunt, tribuebant. Quid ergo aliud fecerunt Apoſtoli, quos principes in Eccleſia electio diuina conſtituit, quando per ſubiectos ſibi diſcipulos verbi diuini ſemina per totum orbem ſparſerunt, quatenus operarios voluntati Dei idoneos in auditoribus ſuis perficerent. *Quorum alij fabricabant ligna*: cum ſemetipſos & eos, qui ſibi obediebant, ligna fructifera in domo Domini parare ſtudebant. *Alij ſarta tecta faciebant*; quando illa, quæ per hæreſim, & incredulos fortiter increpabant: *ita vt impleretur inſtauratio domus Domini in vniuerſis, quæ indigebant expenſa, ad muniendam domum Domini*: Iuxta illud vtiq; Apoſtoli, quo ait: *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Et paulo poſt: *Et ipſe*, inquit, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas; alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores et doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Quod autem ſequitur; *Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuſcinulæ, et thuribula et tubæ, et omne vas aureum, et argenteum, de pecunia, quæ inferebatur in templum Domini*; ſignificat, quod alia debet eſſe ratio formandorum vaſorum in miniſterium Domini: alia parandorum lignorum & ſaxorũ in ædificium domus; quia alia debet eſſe doctrina, quâ rudes imbuuntur ad fidem; & alia, quâ iam perfecti inſtruuntur ad ſcientiæ plenitudinem. Bene autem vaſa domus Domini illi poſſunt intelligi, qui iam apti ſunt ad capienda munera diuina, & habiles fiunt ad miniſterium Dei. Nam hydriæ eos ſignificare poſſunt qui aquam ſapientiæ diuinæ in ſe continent. Fuſcinulæ quoque, doctores ſpiritales, quorum officium eſt Corpus & Sanguinem Domini credentibus diſtribuere, infidelibus abnegare: nec non & ſpiritalem alimoniam verbi cuique, prout conuenit, diſpertiri. Quia ſunt in verbis Dei nonnulla, quæ noſtræ humilitati reuelare, ad noſtræ epulas refectionis concedere dignatus eſt. Sunt item alia tantæ profunditatis, quæ ſancti Spiritus ſolummodo ſcientiæ pateant: noſtræ vero capacitatis per omnia menſuram tranſcendant. Thuribula autem illos ſignificare demonſtrant, qui mundam orationem ex conſcientia pura, & fide non ficta offerunt Deo: & cum Propheta dicere poſſunt; *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Tubæ autem quid aliud ſunt, quam prædicatores ſancti, qui in toto orbe terrarum, vocem euangelicæ prædicationis emittunt? Quorum perſonæ per Prophetam dictum eſt: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba, exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et Pſalmiſta: *In omnem terram*, ait, *exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sequitur: *Et non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniam, vt diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam*, &c.

Ephes. 4.

Ibid.

C

D

E

Pſal. 140.

Eſai. 58.

Pſal. 18.

Ibid.

Deuotionem oſtendit eorum, de quibus ſermo eſt, qui tantum ſtudij in religione habuerint, vt nullus dubitauerit: quin pecuniã Domini ſine alicuius fraudis ſuſpicione tractarent; & hanc de ærario ſublatam fideliter artificibus ad muniendam domum, prout in ſingulis opus eſſet, offerrent. Vnde neceſſe eſt, vt conſiderent hi, qui ſpiritalem pecuniam verbi Dei ad diſpenſandum cõſeruis ſuis, operarijs ſcilicet diuinis, accipiebant; quanta fide, quantaque diſcretione illis opus eſt, quibus ratio de eadem pecunia reddenda eſt, vt ſtudeant non minus fideles in ſpiritalibus inueniri, quam iſti in corporalibus fuerunt inuenti.

F

Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum erat.

Hæc ſcientia oſtendit, quod non quis proprio arbitrio facile ſe credere debet, ſed ſciat quod magis confeſſio peccatorum, & pœnitentia, ſacerdotum iudicio peragenda eſt; qui habent ſcientiam diſcernendi inter mundum & immundum, & lepræ maculam diiudicare, & aut condemnare, aut mundum decernere.

Leuit. 14.

Caput XIII.

XII.

Heliſæus autem ægrotabat in infirmitate, qua & mortuus eſt. *Deſcenditque ad eum Ioas rex Iſrael, & flebat coram eo: dicebatque, Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Et ait Heliſæus: Affer arcum, & ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum & ſagittas, dixit ad regem Iſrael: pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Heliſæus manus ſuas manibus regis, & ait: Aperi feneſtram orientalem. Cumque aperuiſſet, dixit Heliſæus: Iace ſagittam. Et iecit. Et ait Heliſæus; Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam. Percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam*, &cæt.

G

Quid eſt, quod Propheta regẽ Iſrael iubet arcum & ſagittam adferre, niſi quod Redemptor noſter rectoribus Eccleſiæ armis ſpiritalibus ſe indui, & contra hoſtem antiquum præcipit præliari? *Arcus* enim nonnunquam in ſacro eloquio pro ipſo ſacro eloquio poni ſolet, quod ex vtroque teſtamento, velut ex cornu & chorda, conſtat: per vetus quippe teſtamentum figuratur cornu propter duritiam: per nouum vero, quod incarnato Domino factum eſt, ſignatur chorda. Et dum chorda trahitur, cornu curuatur: quia cum teſtamentum nouum diſcutitur, à duritia litteræ vetus inclinatur, & ad intellectum ſpiritalem flectitur: quia rigor eius duritiæ non tenetur. *Sagittæ* enim ſunt hæc ipſa verba, quæ doctores proferunt. Vnde bene etiam de ſanctis doctoribus per Prophetam Gentilitatem ingredientibus dicitur: *Cum ſagittis & arcu ingredientur illuc.* Nos ergo cum Scripturæ ſacræ dicta penſamus, arcum intendimus. Cum verba doctrinæ damus, ſagittas emittimus. *Poſuitque Heliſæus manus ſuas manibus regis*; cum templis ſuis Dominus actiones doctorum dirigit & confortat. Orientalem feneſtram aperire mandat, & iacere ſagittam: quia lumine ſcientiæ & veræ doctrinæ ſuos hortatur primum illuſtrari, & iacula verborum mittere.

H

Eſai. 7.

Et ait Heliſæus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam. Percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.

Sagitta ergo ſalutis Domini eſt prædicatio ſancta, cum decenter exhibetur; & ſpiritalium hoſtium certiſſima interfectio, ſi perſeueranter agitur. Nec fas eſt, vt aliquando diſpenſator verbi Dei ſegnis et torpeat, cui iuſſum eſt, vt gregis Dominici curam gerat, quia multum obeſt de-

A
uotis auditoribus, ſi inertia præualet doctoribus. Dicit
Eſai. 58. enim Propheta: *Clama ne ceſſes.* Et Apoſtolus ad Timo-
2. Tim. 4. theum; *Teſtificor*, inquit, *coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudi-*
caturus eſt viuos ac mortuos, & aduentum ipſius, & regnum eius.
Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue obſecra, incre-
pa in omni patientia & doctrina. Vnde non debet doctor
propter auaritiam, negligere animarum curam, ſed ma-
gis per pietatem, ad æternam pertendere requiem, quod
ſignificat Apher: Interpretatur enim, *continebit* vel *appre-*
hendit. Vnde idem Apoſtolus enumeratis vitijs, quæ aua-
ritiam comitantur, ad prædictum diſcipulum intulit, di-
1. Tim. 6. cens: *Tu autem homo Dei hæc fuge. Sectare vero iuſtitiam,*
pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa
bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam, in quo voca-
tus es. Et ait Heliſæus ad regem: Tolle ſagittas. Qui cum tuliſſet
rurſum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus
vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt contra eum vir Dei, & ait: Si per-
cuſſiſſes quinquies aut ſexies ſiue ſepties: percuſſiſſes Syriam vſque
ad conſummationem. Nunc autem tribus vicibus percutiens eam,
B &cæt.

Ecce Propheta mandat regi iaculo percutere terram.
Et eum percutit tribus vicibus, & ſtat, iraſcitur contra
eum, quod non ſæpius terram percuteret: ita & docto-
ribus præcipitur, prædicationis iaculo terram, hoc eſt,
carnales percutere. Sed qui hoc minus ſtudioſe agunt,
merito increpatione diuina arguuntur. Quid eſt enim
tribus vicibus terram iaculo percutere, niſi Trinitatis
fidem carnalibus per doctrinam inſinuare? Sed cum hoc
ſatis doctor agit, hominesque ad fidem perducit; neceſſe
eſt, vt adhuc inſtet verbo, donec illos docet quinque ſen-
ſibus corporis imperare, boniſque operibus, quæ per ſe-
narium numerum exprimuntur, ſtudium impendere:
necnon & ſcientiam ſpiritalem inſtanter meditari, quam
ſeptiformis ſpiritus gratia in Scripturis ſacris conſtituit,
atque ad ſalutem humani generis gemino teſtamento
addidit. Qui autem ſolam fidem ſine operibus bonis, &
meditatione legis Dei, ſibi ſufficere credunt ad ſalutem:
rectè à Propheta arguuntur, quia (ſecundum Iacobi A-
Iac. 2. poſtoli ſententiam) *ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt; ita*
1. Cor. 14. *fides ſine operibus mortua eſt.* Et alibi ſcriptum eſt: *Qui ignorat,*
C *ignorabitur.*

XIII. *Mortuus eſt ergo Heliſæus, & ſepelierunt eum Latrunculi quo-*
que de Moab venerunt in terram ipſo anno. Quidam autem ſepe-
lientes hominem videntes latrunculos, proiecerunt cadauer in ſe-
pulchro Heliſæi. Quod cum tetigiſſet oſſa Heliſæi, reuixit homo, &
ſtetit ſuper pedes ſuos, &c.

Quid ſignificat hæc reſuſcitatio cadaueris mortui per
contactum oſsium Heliſæi, niſi vitam fidelium, quæ in
morte Chriſti veraciter conſtat? Quicunque ergo firma
fide tangit mortem Chriſti, & ſpem ſuam veraciter in
ipſo collocat: ſine dubio particeps erit reſurrectionis
Ioan. 11. eius. Dicit enim ipſa veritas: *Ego ſum reſurrectio & vita. Qui*
credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Et omnis, qui viuit &
Ioan. 3. *credit in me, non morietur in æternum.* Et alibi: *Sicut Moyſes,*
inquit, *exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium*
hominis, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat: ſed habeat vi-
tam æternam.

D

CAPVT XIV.

XVI. QVod dicitur de Amaſia rege Iuda; *Ipſe percuſſit Edom*
in valle Salinarum decẽ milia: & apprehẽdit petram in præ-
lio, vocauitque nomen eius Iezethel vſque in præſentem diem, &c.

Vallis Salinarum erat, vbi ſales faciebant, vel fœno vi-
delicet ſalſuginis, vt multis in locis, deciſo, exſiccato, &
incenſo, vel aquis puteorum ſalſis ferueſactis, & vſque
ad ſalis firmitatem coquendo perductis, vel alio quoli-
ber ordine, quo ſal fieri conſueuit, In quo etiam loco &
Ioab duodecim milia Idumæorum percuſsiſſe legitur.
Nec prætereundum, quod pro *valle Salinarum* vetus edi-
tio quaſi nomen regionis *Gemela* poſuit. *Petra* autem ci-
uitas eſt Arabiæ nobilis in eadem terra Edom, quæ In li-
bro Numerorum dicitur, & à Syris hodie quoque ſic
appellatur. Iezethel vero, quod Amaſias victor ei nomen
impoſuit, interpretatur, *cœtus Dei*, vel *auxilium Dei*, agen-

E
te eo fideliter, & perhenni nideretur memoriæ: quod
hanc vel cœtus populi Dei, vel Deo adiuuante cœperit.

CAPVT XV.

ANNO *viceſimo ſeptimo Ieroboam, regis Iſrael, regnauit A-*
zarias filius Amaſiæ regis Iuda. Sedecim annorum erat,
cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in
Ieruſalem, &c.

Azarias ipſe eſt Ozias, qui propter contemptum Do-
mini dum ſacrificare in templo vellet contra legem Moy
ſi: percuſſus eſt lepra à Domino iuxta altare adſtans, &
holocauſta nitens offerre. Poteſt quippe Ozias, Rex le- 2 Par. 26.
proſus, ſignificare diabolum: cuius lepra iniquitatis in-
ſanabilis eſt. Qui cum ſuam menſuram non vellet co-
gnoſcere, & maiora temptaſſet appetere: fœditate peſ-
ſimæ lepræ notabilis effectus de domo Dei eiectus eſt,
& perſeuerauit vſque in ſinem leproſus, ſeparatus a po-
pulo Dei. Sub hoc videlicet rege regnante, &, quantum
eſt in ſe, ſacerdotium diſsipante, Iſaias Propheta viſio- F
nem illam magnificam, qua viderat Dominum ſeden- Eſa. 6.
tem ſuper ſolium excelſum, videre non potuit. Quam-
diu ille regnum tenuit in Iudæa, Propheta oculos non
leuauit ad Cœlum, non ſunt ei reſerata cœleſtia, non ap-
paruit Dominus ſabaoth, nec in miniſterio fideliter ſan-
cti nomen auditum eſt. Quando vero ille mortuus eſt:
vniuerſa, quæ ſubſequens ſermo monſtrauit, aperto ſeſe
lumine prodiderant. Tale quiddam & in Exodo ſcri-
ptum eſt: dum Pharao vixit, populus Iſrael ex luti & la-
teris & palearum opere non ſuſpirauit ad Dominum.
Dum ille regnauit, nemo quæſiuit Deum Patrem Abra-
ham, Iſaac & Iacob. Quando vero ille mortuus eſt, *ſuſpi-* Exod. 2.
rauerunt filij Iſrael, vt Scriptura dicit, *& aſcendit clamor eo-*
rum ad Dominum: cum vtique (iuxta hiſtoriam) tunc ma-
gis gaudere debuerint, & ante ſuſpirarent, cum vincee-
rent. Hiezechiele quoque prophetante, Pheltias, filius
Banalæ, occubuit, & poſt peſsimi ducis interitum: *Cecidi,* Ezech. 9.
inquit, *ſuper faciem meam, & clamaui voce magna, dicens, &*
dixi: Heu mihi, heu mihi, Adonai Deus in conſummationem
tu facis reliquias Iſrael. Si ergo intelligas in Ozia, & Pha- G
raone, & Pheltia & cæteris iſtiuſmodi contrarias forti-
tudines: videbis, quomodo, illis viuentibus, nullus no-
ſtrorum videat ac ſuſpiret & in pœnitentiam corruat.
Non regnet, ait Apoſtolus, *peccatum in mortali veſtro corpore.* Rom. 6.
Regnante peccato, Ægyptiis extruimus ciuitates, in ci-
nere verſamur & ſordibus: pro frumento paleas, pro ſo-
lida petra luti opera ſectamur. Quod dicitur de Ieroboam Beda.
Rege Iſrael: *Ipſe reſtituit terminos Iſrael ab introitu Emath,* 4 Reg. 14.
vſque ad mare ſolitudinis. Emath, quæ nunc *Epiphania* dici-
tur, ſeptentrionalis erat terminus Iſrael. Mare autem ſo-
litudinis, quod hæbraice dicitur *Araba*, mare mortuum
deſignat, quod in longitudine per ſtadia 580. vſque ad
Zoaros Arabiæ, in latitudine centum, quinquaginta vſ-
que ad vicinia Sodomorum progreditur. Cuius loci Io-
ſephus ita meminit, dicens: *Anno autem quintodecimo regni* Ioſ.
Amaſiæ, vndecimus regnauit in Iſrael filius Ioas Ieroboam in Sa-
maria annos quadraginta. Hic autem rex circa Deum quidem
iniurioſus & iniquus extitit vehementer idola colendo: & multa
incongrua & opera extranea faciendo. Populo autem Iſraelita- H
rum multorum bonorum fuit occaſio. Huic quidem Ionas pro-
phetauit: quia oporteret eum Syros vincere dimicando, & re-
gnum proprium dilatare in partibus quidem Aquilonis vſque ad
Emath ciuitatem: à meridie vero vſque ad Iſpalititen. Antiquitus
enim termini Chananæi iſti fuerunt, ſicut princeps Ieſus ea loca
determinauit. Igitur Ieroboam caſtra metatus contra Sy-
rios, eorum omnem prouinciam, Ionas prophe-
tauerat, deuaſtauit.

A

CAPVT XVI.

XV. *Anno ſeptimo decimo Phacee filij Romelea regnauit Achaz, filius Ioatham, regis Iuda. Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpiſſet; & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem. Non fecit, quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui, ſicut Dauid pater eius: ſed ambulauit in via regum Iſrael. Inſuper & filium ſuum conſecrauit, transferens per ignem ſecundum idola gentium, quæ diſsipauit Dominus coram filijs Iſrael*, &c.

Ioſeph. Hinc Ioſeph. taliter narrat: *Porro Ioathan mutauit vitam, cum vixiſſet annos vnum & quadraginta, ex quibus regnauit duodecim, ſepultus eſt in regijs monumentis. Venitque regnum ad eius filium Achaz, qui impius circa Deum exiſtens, & paternæ præuaricator legis, reges Iſraelitarum imitatus, in Ieroſolymis idolorum aras conſtituit, & ſuper eas ſacrificauit, in quibus etiam ſuum in holocauſtum obtulit filium more Chananæorum. & ſuper hæc multa alia ſcelera perpetrauit. Muſach quoque ſabbati, quod ædificauerat in templo, & ingreſſum regis exterius conuertit in templum Domini, propter regem Aſſyriorum*, &c.

B

Legi in cuiuſdam libro, *Muſach ſabbati* expoſitum locum quendam, vel ædificium quoddam eſſe poſitum in veſtibulo templi Domini, vbi reges, quando in ſabbato orationis cauſa ad templum ibãt, pecuniam pro eleemoſina immittebant; & ita *Muſach ſabbati* gazophilatium eſſe regum, ſicut *Corbonam* eſt ſacerdotum. Videtur enim Achaz ipſum ædificium & ingreſſum regis exterius non ideo cõuertiſſe in templum Domini: quod in eo cultui ſeruiretur diuino: ſed vt ſimul cum tẽplo prophanaretur: ſtudens, vt magis regi placeret Aſſyrio: quam Deo patrum ſuorũ & Domino. Cui ſenſui videtur liber Paralipomenon aſtipulari; vbi ita ſcriptum eſt: 2.Par.28. *Igitur Achaz, ſpoliata domo Domini, & domo regum & principum dedit regi Aſſyriorum munera: & tamen nihil ei profuit, inſuper in tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum. Ipſe per ſe Rex Achaz immolauit dijs Damaſci victimas percuſſoribus ſuis. & dixit. Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtiis, & aderunt mihi: cum è contrario ipſi fuerint ruina ei, & vniuerſo Iſrael.*

C

Direptis itaque Achaz omnibus vaſis domus Dei, atque confractis clauſit ianuas templi Domini, & fecit ſibi altaria in vniuerſis angulis Ieruſalem. In omnibus quoq; vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus atq; ad iracũdiam prouocauit Dominum Deum patrum ſuorum.

Hæc ſicut ſcripta reperimus, hoc in loco ponenda eſſe cenſuimus; parati, ſi qui aliquid inde certius expreſſerint, eorum ſententiam auſcultare.

Tunc aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ, rex Iſrael, in Ieruſalem ad præliandum. Cumque obſiderent Achaz, non valuerunt ſuperare eum.

Rex impius, qui Dominum Deum patrum ſuorum dereliquit, & ſecutus eſt idola Gentium, iuſtè Domini auxilio derelictus eſt. Et conſurrexerunt aduerſus eum Raſin rex Syriæ, id eſt, Aram & Phacee filius Romeliæ, rex Iſrael in Samaria; & venerunt in Ieruſalẽ, vt expugnarent eam. 2.Par.28. Legimus in Paralipomenon libro, Raſin, regem Damaſci, victo Achaz multos de Iudæa Damaſcum tranſtuliſſe, & Phacee, filium Romeliæ, regem decem tribuum, quæ appellabantur Iſrael, & regnabant in Samaria, vna die centum viginti millia percuſsiſſe de Iudæa hominum bellatorum, & ducenta milia mulierũ puerorumq;, & puellarum cum infinita præda in Samariam duxiſſe captiua. Rurſum veniunt ad Iudæam, & Ieruſalẽ. cupiunt debellare, & non potuerunt; quia auxiliatus eſt ei Dominus, vt ſub occaſione miſericordiæ, qua populum liberabat obſeſſum, filium ſuum nũciaret de virgine naſciturum, ſicut Iſaiæ Prophetæ liber commemorat. Huic non ſuo merito, ſed Domini gratia oſtendenda, egredi in occurſum Iſaias iubetur ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis, & dicere ad eum: Eſai.7. *Vide, vt ſileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris Raſin regis Syriæ, & filij Romeliæ, dicentes; Aſcendamus ad Iudam, & ſuſcitemus eum, & euellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio eius filium Thabehel. Hæc dicit Dominus Deus: Non ſtabit, vt non erit iſtud: ſed caput Syriæ, Damaſcus, & caput Damaſci Raſin. Et adhuc ſexaginta & quinq; anni, & deficiet Ephraim eſſe populus.* Duas autẽ caudas titionum, id eſt, torrium fumigantium vocat Raſin, regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ, regem Samariæ, eo q; in illis finitum ſit regnum Syriæ, id eſt, Damaſci; & regnum Samariæ, id eſt, decẽ tribuum, quæ alio nomine appellabantur Ephraim. Sexaginta autem & quinq; anni non à temporibus Achaz, ſed ab Oziæ enumerantur. Igitur Hebræi hunc locum ita edisſerunt; vt annos qui ſub Ozia cœpit prophetare, quando & Iſaias prophetiæ ſuæ habuit exordium, primus prophetauerit contra Iſrael, dicens: *Iſrael autem captiuus ducetur de terra ſua*: titulus quoq; Amos.7. prophetiæ eius contra Samariam ſit, & prophetare cœperit in diebus Oziæ regis Iuda, ante duos annos terræmotus. Quem volunt eo tempore accidiſſe, quo ingreſſus Ozias in templum Dei ſibi ſacerdotium vendicabat, 2.Par.26. & terra percuſſa eſt, & cineres altaris effuſi ſunt, & ipſe rex percuſſus lepra. Volunt autem annum fuiſſe vigeſimum quintum Oziæ, quando hæc acciderunt, cuius reliqui anni ſunt viginti ſeptem. Omnes enim annos regnauit quinquaginta duos. Poſt eum regnauit Ioatham, filius eius, annis ſedecim; & huius filius Achaz aliis ſedecim. Poſt quem regnauit Ezechias: cuius ſexto imperij anno capta Samaria eſt, atque ita effici ſimul annos ſexaginta quinque. Scriptum eſt enim, quod Theglath Phalaſar rex Aſſyriorum, ſub rege Achaz aſcenderit in Damaſcum, & vaſtauerit eam, & tranſtulerit habitatores eius Cyrenen, & Raſin interfecerit, & quod tetenderit inſidias Phacee, filio Romeliæ, Oſee filius Hela, & percuſſerit eum, & interfecerit & regnauerit pro illo in Iſrael annis nouem: & quod venerit Salmanaſar rex Aſſur, & obſederit Samariam, quæ nunc *Sebaſten* vocatur, tribus annis, & nono anno regni Oſee cœperit eam, victumque Oſee in carcerem miſerit, & tranſtulerit Iſrael in Aſſyrios, poſueritque eos in Ailam, & in Thabor, iuxta fluminũ Gozam, in ciuitatibus; ſiue (vt Septuaginta tranſtulerunt) in montibus Medorum. Iuxta anagogen facilis interpretatio eſt, quod, regnante Achaz rege impio, rex Aram, qui interpretatur *excelſus* atque *ſublimis*, vt indicet arrogantiam ſapientiæ ſeculi, & Phacee filius Romeliæ (qui & ipſe iuxta Oſee Prophetam & tribum Ephraim, de qua Ieroboam, filius Nabath, vitulos aureos in Bethel & Dan conſtituerat, & à domo Dauid Dei populum ſeparauerat, & propterea refertur ad hæreticos) conſentiat ſibi, vt expugnent Eccleſiam. Quod cum audierit domus Dauid, quem in Iezechiele paſtorem bonum legimus ſuſcitatum & populus eius ſimpliciter credens in Domino pertimeſcit, & ideo pertimeſcit, quia non arboribus frugiferis, ſed infructuoſo ſaltui comparatur. Iiſdem autem hæreticos atque gentiles contra domum Dauid argumentorum & dialecticæ artis gladijs dimicare nulli dubium eſt: Luc.23. vt qui inter ſe diſcrepant, in Eccleſiæ oppugnatione conſentiant, iuxta illud, quod Herodes & Pilatus inter ſe diſcordantes, in Domini paſsione amicitia fœderantur. Impio regi Iſaias iubetur occurrere exiens de loco ſuo non Eſa.7. in principio aquæductus, ſed in extremis finibus piſcinæ ſuperioris, quæ erat in agro fullonis: vbi ſordes & maculæ purgabantur. Quamuis enim Achaz regnaret ſuper Iudam: tamen quia impius erat, in ſuperioris piſcinæ extremis finibus morabatur. Ergo Deus non tam regis miſeretur, quem indignum æſtimabat ſalute, quam populi ſui. Duas autem caudas torrium fumigantium, vt prius diximus, vocat ſapientiam ſecularem, hæreticumq; ſermonem: quorum finis exuſtio eſt. Qui fruſtra inierunt conſilium, vt aſcenderent contra Iudam, & quaſi negligentem & dormientem caperent, & ſuis erroribus copularent, ponerentque ſuper eum regẽ filium Tabehel, hoc eſt, bonum Deum. Vterq; enim aduerſarius, apud ſe veritatem, apud ſe optimam æſtimat eſſe doctrinam. Deniq; Marcion hæreticus bonũ Dei filium, hoc eſt, alterius putat eſſe Chriſtum, & non iuſti, cuius Prophetæ ſunt, quem ſanguinariũ, crudelem & iudicem vocat. Hæc illis dicentibus Dñs comminatur, q; non ſtet conſiliũ eorum: ſed interim nunq̃ diu mundus iſte ſtat, & ea quæ mundi ſunt, in ſuis finibus, & in ſuis vrbibus dominentur. Cum

E F G H

autem

A cum autem conſummationis tempus aduenerit; hocque ſexaginta duo anni, etiam munditres quæ in ſex annis factæ ſunt, quam omnia, quæ ad quinq; ſenſus pertinent, finem acceperint; tunc vniuerſa eſſe ſoluenda, quæ gentiles & hæretici futura non credunt, & propter infidelitatem non intelligunt, quæ dicuntur.

Capvt XVII.

XVI. *Iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo & non remanſit, niſi tribus Iuda tantummodo. Sed nec ipſe Iudas cuſtodiuit mandata Domini Dei ſui. Verumtamen ambulauit in erroribus Iſrael, quos operatus fuerat. Proiecitque Dominus omne ſemen Iſrael, & afflixit eos & tradidit eos in manu diripientium, donec proijceret eos à facie ſua.* &c.

Subuerſio autem Iſraelitarum, quæ ab Aſſyriæ regibus perpetrata eſt. quid ſignificat, niſi mirabilem & nimis deflendam ruinam populi Eccleſiaſtici? Quam rex Aſſyrius, hoc eſt, diabolus cum ſuo exercitu deuaſtando atque obſidendo cottidie efficit: cum eos propter
B peccata commiſſa de ſedibus propriis euellens defert in terram alienam, quo magis lugere delectant, quam cantica lætitiæ proferre. Vnde & Pſalmiſta myſtico eloquio
Pſal. 136. hoc idem commemorat, dicens: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos. hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Quod dicitur de his, quæ in Samaria à rege Aſſyriorum adductæ ſunt nationibus:

Et vnaquæq; gens fabricata eſt Deum ſuum: poſueruntq́; eos in phanis excelſis quæ fecerant Samaritæ gens & gens, in vrbibus ſuis, in quibus habitabant. Viri enim Babylonij fecerunt Socoth Benoth; viri autem Cutheni fecerunt Nergel & viri de Hemath fecerunt Aſyma. Porro Euæi fecerunt Nebaaz & Tharthac, &c.

In libro quidem locorum legitur, quod Benoth & Nergel fuerint ciuitates, quas conſtruxerint in regione Iudææ Samaritani, qui de Babylonia tranſierant. Aſyma
C quoque oppidum, quod ædificauerunt, qui ad eam venerant de Emath: Nabaaz & Tharthac ciuitates, quas Heuæi in eadem Iudeę terra condiderint. Videtur autem iuxta conſequentiam ſermones & idolorum, quibus hæ gentes prius in terra ſua ſeruierint, hic poſſe vocabula intelligi. Quia cum dictum eſſet: *Et vnaquæque gens fabricata eſt Deum ſuum;* quaſi ad expletionem ſententiæ ſubiunctum ſit: *Viri enim Babylonij fecerunt Socobt & Benoth*, id eſt, tabernacula Benoth. Et melius, ni fallor, faceret interpres, ſi *Socoth* latine in *tabernacula* verteret, & nomen idoli *Benoth* abſolutè poneret. & ſicut in ſequentibus manifeſte dicitur.

Hi autem, qui erant de Sepharuaim, comburrebant filios ſuos igni Adramelech & Anamalech. dijs Sepharuaim.

Vbi oſtenditur Adramalech & Amalech idola fuiſſe vrbis Sepharuaim. Ita videtur conſequens, vt & Nergel Chutæorum. Aſyma Emathæorum, Nebaaz & Tharthac idola fuerunt Heuęorũ. Poſt hæc Scriptura refert de ipſis Samaritanis, quod cum Dominum colerent, dijs quoque
D ſuis ſeruirent, iuxta conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant in Samariam. Et non multo poſt ſubſequitur, dicẽs: *Fuerunt igitur gentes iſtæ timentes quidem Deum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes. Nam & filij eorum, & nepotes ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt vſque in præſentem diem.* Et quia in Samaritanorum perſona hæretici accipiuntur: in prædicta ſententia illorum nequitia conuenienter exprimitur. Habent enim hæretici quædam ſacramenta communia cum ſancta Eccleſia, & quaſdam ſententias ſanctarum Scripturarum rite intelligunt, ſed tamen nihilominus idolis errorum ſuorum ſeruire non ceſſant. Videtur enim eis, timorem Dei rite ſe cuſtodire, cum ſecundum ſenſum ſuum veritati ſe putant fauere. Sed qui Catholicæ fidei vnitatem ſpernunt habere: malignorum ſpirituum voluntatibus ſe veraciter manifeſtant obtemperare. Et non ſolum inuentores primi errorum, quos patres Samaritanorum ſignificant, hoc faciunt: ſed & ſequaces eorum, quos filiorum nomine & nepotum expreſſos recte poſſumus intelligere, ſimiliter agunt. E

Capvt XVIII.

ANNO tertio Oſeæ, Filij Hela regis Iſrael regnauit Ezechias, filius Achaz, regis Iuda. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpiſſet, & viginti nouem annis regnauit in Ieruſalem. Nomen matris eius Abia filia Zachariæ. Fecitque, quod erat bonum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat, Dauid pater eius. Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregit quoque ſerpentem æreum, quem fecerat Moyſes. Siquidem vſque ad tempus illud filij Iſrael adolebant ei incenſum, vocauitque eum Noheſtan. Et in Domino Deo Iſrael ſperauit, &c.

Recte ergo Ezechias ſerpentem, cui adolebant filij Iſrael incenſum, & quem ipſe confregit, Noheſtan vocauit: quia in Domino Deo Iſrael, non in æneo ſerpente, ipſe ſperauit. Siquidem *Noheſtan* interpretatur, *æs eorum*, vt quem illi pro numine colebant in dictis eius, metallum eum eſſe, non Deum, agnoſcerent. Et quia Ezechias in F hoc, quod excelſa diſſipant, & ſtatuas contriuit, atque ſuccidit lucos, necnon & omnia ſimulachra comminuit, Saluatoris typum tenet. Interpretatur enim Ezechias, *apprehendens Dominum, vel fortitudo Domini.* In eo ipſo vtique, quod illum ſerpentem æneum, quem Moyſes fecit, comminuit, Redemptoris noſtri figuram conuenienter tenet. Non ſolum enim Dominus noſter ac Redemptor, de quo per Prophetam dicitur: *Dominus fortis, Dominus* Pſal. 23. *potens in prælio*; idola gentium contriuit, & omnia ſimulachra eorum diſſipauit, quatenus vnius Dei omnipotentis noticiam haberent, eiuſque cultui digne manciparentur: quin ipſam literam legis Moſaicæ, quam ille populus legalis aſſidua lectione reſonabat, ac pro magno habebat, contriuit: ac ſenſum ſpiritalem in ea intelligere eos docuit.

Anno quarto decimo regis Ezechiæ aſcendit Sennacherib rex XVII. *Aſſiriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas, & cœpit eas. Tunc miſit Ezechias rex Iuda nuntios ad regem Aſſiriorum in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me, & omne, quod impoſueris mihi, feram. Indixit itaque rex Aſſyriorum Ezechiæ regi inde trecenta* G *talenta argenti, & triginta talenta auri. Deditq́; Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris regis,* &c.

Clara eſt hiſtoria, quæ in libris Regum, necnon in Paralipomenõ & in Prophetia Iſaię pari modo deſcribitur.

Ezechias viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet. Regnauit autem viginti nouem annis in Ieruſalem, & rebellauit contra regem Aſſyriorum, & non ſeruiuit ei. Hinc Sennacherib ingreſſus Iudæam, obſedit vrbes eius munitas. Et cum obſederet Lachis, miſit ad eum Ezechias trecenta talenta argenti, & triginta auri, fractis ianuis templi, & laminis eius detractis, quas ipſe adfixit. Miſit autem Rex Aſſyriorum Thartan & Rabſacen cum manu valida Ieruſalem. Egreſſus eſt autem ad eos Heliachim, filius Helchiæ, præpoſitus domus: & Sobnas ſcriba, & Ioahe filius Aſaph, à commentariis, &c.

Iſte eſt Heliachim, de quo Iſaias in viſione vallis Sion dixit: *Vocabo ſeruum meum Heliachim, filium Helchiæ* &cæt. Eſai. 22.
Qui fuit Pontifex poſt Sobnam præpoſitũ templi, quem H tradunt Hebræi Rabſacis comminatione perterritum, tradidiſſe manus Aſſyriis, & prodidiſſe Ieruſalem, & excepta arce Sion & templo Aſſyrios totam vrbem cœpiſſe. Quem etiam Sobnam cum Heliachim ad Rabſacen exiſſe quidam putant. Rabſacen autem, qui Hebraice locutus eſt, filium Iſaiæ Prophetæ autumant, qui & ipſe proditor fuerat: Relictumque filium Iſaię alterum vocari *Iaſub*, qui latine *relictum* ſonat. Alij autem putant, eum Samaritem fuiſſe, ac ideo Hebraicam ſciſſe linguam, & tam audaciter & impie Dominum blaſphemaſſe. Qui quaſi quadam contraria fortitudine ſua & arrogantia imitabatur prophetas, qui dicebant: *Hæc dicit Dominus: Iſte dixit. Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum.* Ac primum quia dixit: *Confidis ſuper Aegyptum*: falſum eſt. Nulla enim narrat hiſtoria, quod Ezechias Pharaonis auxilium poſtularet. Quodque infert: *Si reſponderis mihi, in Domino Deo confidimus*: verum eſt. Sed iungit rurſum mendacium veritati, quod abſtulit

A Ezechias Eccleſia *Eius*, & altaria. Hæc enim non contra Deum, ſed pro Deo fecit, vt, deſtructa idololatria, & veteri errore, iuberet Deum adorari in Ieruſalem, vbi fuit templum eius. Quique vt paucitatem obſeſſorum oſtenderet, duo millia equorum pollicetur: quorum aſcenſores Ezechias non haberet. Non de imbecillitate populi venit, quaſi equitandi ignari: ſed de obſeruatione præceptorum Dei, qui Moyſi præcepit, ne rex Iſrael equos & (Deut. 17.) vxores ſibi multiplicaret. Sin autem, inquit, me minimum ſeruorum regis Sennacherib ſuſtinere non vales, quomodo tantam illius potentiam ſuſtinebis? Ad id autem, quod dixit: *Si reſponderis mihi, in Domino Deo confidimus*: callide reſpondit, ſe, non ſua voluntate, ſed Domini veniſſe præceptis.

Dixit Dominus ad me: Aſcende ſuper terram hanc, & diſperde eam. Et eſt argumentum: Certe ſine Domini voluntate huc venire non poteram. Cum autem venerim, & multas vrbes cœperim, & pars Ieruſalem maneat intacta: manifeſtum eſt, me eius voluntate veniſſe.

B *Dixit autem Heliachim filius Helechiæ & Sobna Scriba & Ioac Rabſaci: Precamur, vt loquaris nobis ſeruis tuis ſyriace. Siquidem intelligimus hanc linguam. Et non loquaris nobis Iudaice, audiente populo, qui eſt ſuper murum. Reſponditque eis Rabſaces: Nunquid ad Dominum tuum & ad te miſit me Dominus meus: vt loquerer ſermones hos, & non potius ad viros, qui ſedent ſuper murum eius, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam vobiſcum?* &c.

Rabſacis accuſatio, Ezechiæ teſtimonium eſt: quia captis Iudææ vrbibus in Domino confiſus ſit, & confortauit populum, vt in Domino ſperaret. Vnde Rabſaces deſtruere vult, quæ ille conſtruxit, & dicit ad populum:

Non ſeducat vos Ezechias, & non vobis tribuat fiduciam ſuper Domino Deo.

Quod autem Heliachim & Sobna & Ioach humiliter deprecantur Rabſacen, vt ſyriace loqueretur: hunc ſenſum habet: Quid neceſſe eſt populum falſis terroribus commoueri, & vinam iactare vartutem? Loquere linguam, quam populus non nouit, nam & nos linguæ tuæ habemus ſcientiam. Ad quod ille arroganter:

Num, ait, *ad Dominum tuum & ad te miſit me Dominus meus*, &c. vſque? *Et bibant vrinam ſuam vobiſcum.*

C Per quod oſtendit, fame eos & ſiti eſſe capiendos. Simulque & illecebram iungit timori, vt quos terrore non vincit, perſuaſione decipiat. Et dicit ex perſona regis:

Facite mecum benedictionem, hoc eſt, facite, quod in veſtram benedictionem proficiat. Benedicite Regi Aſſyrio, & eum Dominum confitemini, vt præmia conſequamini: donec reuertar de Ægypto, vel capta Sobna, redeam. Habitate in vrbe veſtra, & rebus veſtris fruimini: & poſtea ducam vos in ſimilem terræ veſtræ terram. Quam tamen non nominauit, quia ſimilem ei inuenire non potuit, ſed ſimilitudinem non ponit: hoc enim vnuſquiſque vult, in quo natus eſt. (Beda) Alij putant, terram Mediæ eis repromitti, quæ terræ Iudææ ſimilitudinem habeat, quam in ſitu, quam in fructibus. Quod ait Rabſaces inter alia, quibus Deum blaſphemabat, clamans contra Ieruſalem.

D *Vbi eſt Deus Emath & Arphat? vbi eſt Deus Sepharuaim, Ana & Ana? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea?*

Oſtendit harum omnium ciuitatum ſiue gentium dijs ſeruiſſe Samaritas. Quia non erant Dij, ſed idola: merito cultores vanitatis, vt decebat, eſſe ſubuerſos. Eſt autem Emath vrbs Cœleſyriæ, quæ nunc *Epiphania* dicitur, iuxta Emeſam, vt ſupra monuimus. Arphat vrbs Damaſci, quam expugnatam à rege Aſſyriorum, & Ieremias ſcri(Ier. 47.)bit. Sepharuaim, quod numero plurali *libros* vel *literas* ſonat, nomen eſt locorum, de quibus Aſſyrij, tranſmigrantes habitauerunt in Samaria, vt in locorum libris inuenimus. Verum in Iſaia hoc quoque vocabulum eſſe ci(Eſai. 36.)uitatis apparet, vbi aperte dicitur: *Vbi eſt Deus vrbis Sepharuaim?* tameſi pluraliter dictum, vt, *Thebarum*, *Athenarum*. Pro *Ana* & *Ana* vetus æditio, quaſi vnius vrbis nomen, *Anengaua*, poſuit. Et quidem in Hebræo ita ſcriptum eſt. Verum quia ſyllaba quinta, quæ in medio nominis poſita eſt, coniunctionem, *&*, apud eos ſignificat: poteſt & ita diſtingui vt dicatur, *Ane & Gaue*, vt aquila tranſtulit: ſiue *Ana & Ana*, vt noſter vertit interpres. Sin autem, ait, E tantis dijs præſentibus decem tribus vicinius facile: quanto magis ſolam Ieruſalem, vno Deo præſule vincemus? Vere iuſtus Ezechias omnia, agens cum conſilio, prohibuit ei reſponderi, ne eum ad maiores blaſphemias prouocaret.

Venit quoque Heliachim, filius Helchiæ, præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioach filius Aſaph à commentarijs ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nuntiauerunt ei verba Rabſacis.

Capvt XIX.

Qvæ cum audiſſet Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſacco. Ingreſſuſque domum Domini, & miſit Eliachim præpoſitum domus, & Sobnam ſcribam & ſenes de ſacerdotibus opertos ſaccis ad Iſaiam prophetam, filium Amos. Qui dixerunt ei: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis & blaſphemiæ dies iſte. Venerunt filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens, &cæt. F

(Hier.) Scindunt veſtimenta ſua, quia Rabſacen audiunt blaſphemantem: ſcidit & rex veſtem ſuam, quia pro populi & ſuis peccatis eſſe credebat, quod Rabſaces vſque ad portam venit Ieruſalem, & contra Dominum talia locutus. Mira regis humilitas & prudentia. Dimiſſo regio cultu, obuolutus ſacco ad templum pergit de palatio. Principes ſacerdotum non ſtolis, ſed cilitiis mittit ad Iſaiam coopertos ſaccis & dixit. *Dies hæc tribulationis noſtræ, & correptionis Dei blaſphemia hoſtium.* Ponitque ſimilitudinem parturientis fœminæ, & dolentis, quæ ad partum vſque peruenit, & generare non poſſit.

Si forte audiat Dominus Deus tuus.

Non enim audemus Dominum omnium noſtrum dicere Dominum, quo iraſcente tanta perpetimur, ſed tuum dicimus Dominum. Et hanc habemus vltionis fiduciam, quoniam viuens Deus blaſphematur à cultore idolorum mortuorum. Leua erga orationem noſtram iacentem pro reliquiis populi, quæ obſidentur. Præuenit eos Iſaias, quia eo ſpiritu, quo futura noſcebat, etiam abſentem regem audierat: G

Hæc, inquit, *dicite Domino veſtro, quæ dicit Dominus: Noli timere verba, quibus non tu ſed ego ſum blaſphematus.*

Nec dico omnia, quæ regi Aſſyrio faciam, ne meam videar iactare potentiam. Sed quia dandus ſit ei ſpiritus nō Dei, ſed aduerſarij, & audito nuntio reuertens ad terram ſuam corruat gladio: vt duo pariter, quæ optabat Ezechias, audiret ſe ab obſidione liberandum, & inimicum in ſua terra eſſe moriturum.

Reuerſus eſt igitur Rabſaces, & inuenit Regem Aſſyriorum expugnantem Lobnam. Audierat enim, quod receſſerat de Lachis. Cumque audiſſet de Tharacha rege Æthiopiæ dicentes: ecce egreſſus eſt, vt pugnet aduerſum te, & iret contra eum: miſit nuntios ad Ezechiam, dicens: Hæc dicite Ezechiæ regi Iuda: Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas, non tradetur Ieruſalem in manus regis Aſſyriorum, &c.

Iuxta voluntatem Dei Rabſaces deſeruit obſidionem Ieruſalem, & perrexit ad Dominum ſuum, quē vel capta, vel deſerta Lachis, inuenit oppugnantem Lobnam Sennacherib autem occurrens regi Æthiopum miſit ad Eze- H chiam nuntios & Epiſtolas, vt eos, quos viribus non cœpit ſermone terreret. Pugnaſſe autem Sennacherib contra Ægyptios, & obſediſſe Pelluſium, Iamque extructis aggeribus, vrbe capienda, veniſſe Tharacham regem Æthiopiorum in auxilium, narrat Herodotus.

Itaque cum accepiſſet Ezechias literas de manu nuntiorum, & legiſſet eas: aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram XXIV. *Domino, & orauit in conſpectu eius, dicens: Domine Deus Iſrael, ſedes Cherubim: tu es Deus ſolus regum omnium terræ, tu feciſti cœlum & terram, inclina aurem tuam & audi: aperi Domine oculos tuos & vide, & audi omnia verba Sennacherib, qui miſit, vt exprobraret nobis Deum viuentem*, &c.

(Hier.) Prius Ezechias, Domini timore perterritus, ora reſerare in templo non audebat, vel liberas fundere preces; nunc autem quia audit Iſaiam dicentem:

Ne timeas à facie verborum, quæ audiſti, &c. audacter Do-

minum

A Dominum deprecatur: *Miſit autem Ioſias filium Amos ad Ezechiam*, dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael; Quæ deprecatus es me ſuper Sennacherib rege Aſſyriorum, audiui. Iſte eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus de eo: Spreuit te & ſubſannauit te virgo filia Sion, poſt tergum tuum caput mouit filia Ieruſalem. Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? Contra quem exaltaſti vocem, & eleuaſti in excelſum oculos tuos? Contra ſanctum Iſrael*, &c.

Denique Ezechias audacter Dominum deprecatur: nec miſit ad Iſaiam, vt prius fecit, non ipſe Propheta pergit ad eum, ſed nuntios mittit, qui Dei reſponſum deferant ad eum. *Virgo Sion, & filia Ieruſalem*, quæ ideo *virgo* dicitur & *filia*: quia, cunctos gentibus ſimulachra mortuorum adorantibus, hæc ſola conſeruat caſtitatem religionis Dei, & vnius diuinitatis cultum, & quæ, ne ad maiorem blaſphemiam concitaret, præſenti non reſpondit: poſt abeuntem mouit caput ſuum, certa de vltione, ſecura de pœna. *In manu ſeruorum tuorum*, hoc eſt, nec ipſe per te, ſed per ſeruos tuos, vt maior eſſet arrogantia, Dominum blaſphemaſti.

B *Altitudo montium, & iuga Libani, excelſa cedri & electa abietes.*

Vel per metaphoram de cunctis gentibus accipiendum eſt, & principibus earum, vel de Ieruſalem, quæ eſt Libanus, cedri & abietes. potentes quique & optimates, altitudo ſummitatis & ſaltus carmeli templum eſt. Quod infert: *Ego fodi & bibi aquam, & ſiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum*, vel ob hoc dixit, quia pro multitudine exercitus omnia fluenta ſiccauerit, vt puteos ſibi fodere compulſus ſit: vel quia omnes populos, quos aquæ ſignificant, ſuo vaſtauit exercitu.

Nonquid non audiſti, quæ olim fecerim? Ex diebus antiquis ego plaſmaui illud, & nunc adduxi; & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum. Habitatores earum breuiata manu contremuerunt, & confuſi ſunt. Facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & virens herba tectorum: quæ exaruit, antequam matureſceret. Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui. & inſaniam tuam contra me cum furens es aduerſum me. Superbia tua aſcendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis. & reducam te in viam, per quam veniſti, &c.

C Hæc ex perſona Dei contra verba Aſſyrij ſentienda ſunt, quod ad blaſphemiam eius ſic reſponderit Dominus. Num ignoras, quod hæc, quæ feciſti, mea feceris voluntate, & hæc ego futura prædixerim, ac per te facienda mandauerim? Itaque quod olim decreui, hoc expletum eſt tempore, vt colles. id eſt, principes, qui inter ſe ante pugnabant, & ciuitates munitiſſimæ, me contrahente manum meam, nec ſolitum præbente auxilium, eradicarentur, & contremiſcerent, ac perirent, & compararentur non oliuæ, & vineæ, fructuoſiſque arboribus, ſed fœno & gramini, herbiſque domatum, quæ frugibus impedimenta ſunt, & marceſcunt, quam ad maturitatem perueniunt. Itaque & ſeſſionem egreſſum & introitum tuum ante cognoui, & inſaniam, qua contra me debachaturus eras, prophetis vaticinantibus ſum locutus:

Iſai. 14. Per quos olim dicturum eſſe te noueram: *In cœlum aſcendam, ſuper ſydera cœli ponam thronum meum, ero ſimilis altiſſimo*:

D Itaque furor tuus & ſuperbia peruenit in aures meas, & nequaquam, te vltra portabo, vt intelligas, quod potuiſti, non tuis potuiſſe te viribus, ſed meo arbitrio. Merebantur enim impie gentes & fructuoſæ arbores vt per te, quaſi ſecurim & ferrum meum, ſuccidererentur & caderent. *Itaque ponam circulum ſiue chamum in naribus tuis*, vt blaſphemantia ora conſtringam, nequaquam vltra talia loqui audeas. *Frenum quoque iniiciam labiis tuis*, quod tuam ferociam domet, & te reducam in Aſſiriis.

Tibi autem, Ezechia, hoc erit ſignum: Comede hoc anno, quæ repperreris: in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur. Porro in anno tertio ſeminate, & metite. &c.

Notandum autem quod in libro Iſaiæ, vbi verba ipſius

Iſa. 37. Prophetæ ad regem Ezechiam deſcripta ſunt, ita narrantur: *Comede hoc anno, quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere. In anno autem tertio ſeminate & metite, & plantate vineas. & comedite fructum earum Et mittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum, quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion: Zelus Domini exercituum faciet hoc.* E

Nunc ad ipſum Ezechiam loquitur. Hoc erit, inquit, ſignum eorum quæ futura prænuntio, quod hoc anno ea comedes, quæ ſponte naſcuntur; ſiue (iuxta Septuaginta) *quæ prius ſeueras*. Anno autem ſecundo (iuxta Symmachum) pomis veſcere: ſiue (iuxta eoſdem) quæ de præteritis ſegetibus & cadente in terram ſemine pullulauerint. In anno autem tertio, fugato iam Aſſyrio, & obſidione laxata, ſeminate & metite. Siquidem paruæ vrbis huius reliquiæ, quæ nunc hoſtili vallantur exercitu, & euaſuras ſe eſſe non credunt, tantam recipient rerum omnium abundantiam ac fœlicitatem: vt, inſtar arboris alta radice fundatæ pomis denſiſsimis impleantur. De Ieruſalem enim, & de monte Sion egredientur reliquiæ, & implebunt terram Iuda, non ſuo merito, ſed Dei miſericordia, immo zelo, quo aduerſus impios, zelatus eſt populum ſuum.

Propterea hæc, dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam. Nec occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via, qua venit, per eam reuertetur, & vrbem hanc non ingredietur. dicit Dominus. Protegamque ciuitatem iſtam, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. F

Propter futurorum ſpem præſentem excutit metum. Dicit autem, quia non ſuo merito, ſed Dei clementia conſeruentur: immo patris eorum Dauid memoria, in quo monentur & ſuæ negligentiæ, & illius fidei & iuſtitiæ, quia in tantum diligat Deus iuſtitiam, vt poſteros maiorum virtute tueatur.

Factum eſt igitur in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque milla. Cumque diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt. XX

Centum octoginta quinque milia fortiſsimorum virorum ab vno Angelo vna nocte cæduntur: & abſque vulneribus occiſorum mors ſæua diſcurrit, excludens corporibus animas, Domini voluntate. Super quo, in Paralipomenon legitur. *Et miſit Dominus Angelum ſuum, qui percuſſit omnem virum robuſtum, & bellatorem & principem exercitus regis Aſſyriorum, reuerſuſque eſt cum ignominia in terram ſuam.* 2. Par. 32.

Qui idcirco ſeruatus eſt, vt ſciret potentiam Dei, & blaſphemantia ora comprimeret, fieretque teſtis illius maieſtatis, quem paulo ante contempſerat.

Et reuerſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & manſit in Niniue. Cumque adoraret in templo Neſrabb Deum ſuum: Adramelech & Sarasar filij eius, percuſſerunt eum gladio: fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Aſarhadon filius eius pro eo.

Pharao quoque in decem Ægypti ſeruatur plagis, vt nouiſſimus pereat, quod & iſte paſſurus eſt. Cum enim reuerſus eſſet in Niniuem, vrbem primam regni ſui, & adoraret in templo Neſrach deum ſuum: quaſi victoriam de hoſtibus reportaret, & delubrum idoli ſui triumphans & gratulabundus incederet: contemptor veri Dei, in fano falſi numinis trucidatur, nec angelico H
perit gladio, quod erat commune, cum pluribus, ſed parricidio filiorum. Qui cum fugiſſent in terram Ararath; quod intelligitur Armeniæ, ſucceſsit in patris locum Aſarhadon: quem Scriptura teſtatur miſiſſe habitatores Samariæ, ne terra maneret inculta. Ararath autem regio in Armenia campeſtris eſt, per quam Araxaſes fluit incredibilis vbertatis ad radices Tauri montis, qui vſque illuc extenditur. Ergo & archa, in qua liberatus eſt Gen. 8.
Noe cum liberis ſuis, ceſſante diluuio, non ad montes generaliter Armeniæ delata eſt, qui appellantur Ararath, ſed ad montes Tauri altiſsimos, qui Ararath imminent campis.

Capvt XX.

IN diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & venit ad eum Iſaias filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim, & non viues &cæt.

Ne eleuaretur cor Ezechiæ poſt incredibiles triumphos & media captiuitate victoriam: infirmitate corporis viſitatur, & audit, ſe eſſe moriturum: vt conuerſus ad Dominum, flectat ſententiam eius. Quod quidem & in Iona Propheta legimus, & in comminationibus contra Dauid, quæ dicuntur futura, nec facta ſunt. Non Deo mutante ſententiam, ſed prouocante humanum genus ad notitiam ſui, Dominus pœnitens eſt ſuper malitijs. Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt abſque omnipotentis Dei occulto conſilio veniunt. Nam cuncta Deus ſecutura præſciens, ante ſecula decreuit, qualiter per ſecula diſponantur. Statutum quippe iam hominibus, vel quantum huius mundi proſperitas ſequatur, quantumue aduerſitatis feritas feriat: ne electos eius aut immoderata proſperitas eleuet, aut nimia aduerſitas grauet. Statutum quoque eſt, quantum in ipſa vita mortali temporaliter viuatur. Nam etſi annos quindecim Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus: cum eum mori permiſit, tunc præſciuit eſſe moriturum. Qua in re quæſtio oritur: quomodo ei à Propheta dicitur; *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.*

Cui cum mortis ſententia dicta eſt: protinus ad eius lachrymas eſt vita addita. Sed per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipſe merebatur: nec Dominica inſtituta conuulſa ſunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ creſcerent, hoc quoque ante ſecula præfixum fuit, atque ſpacium vitæ, quod inopinatè foris eſt additum, ſine augmento præſcientiæ fuit intus ſtatutum.

Qui conuertit faciem ſuam ad parietem, & orauit Dominum dicens.

Conuertitq; Ezechias faciem ſuam ad parietem, quia ad templum ire non poterat, &c.

Ad parietem autem templi, iuxta quod Salomon palatium extruxerat. vel abſolute ad parietem: ne lachrymas ſuas adſidentibus oſtentare videretur. Aut recte iuxta Ieremiam, ad cor ſuum, qui circum, id eſt, parietem cor appellat, vt tota mente Dominum precaretur.

Obſecro, Domine memento, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim, &c.

Fælix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et quomodo alibi ſcribitur: *Quis gloriabitur parum habere ſe cor?* Quod ita ſoluitur: perfectionem cordis in eo nunc dici, quo idola deſtruxerit, templi valuas aperuerit, ſerpentem æneum cõminuerit, & cætera fecerit quæ Scriptura commemorat. Plerumq; aliquibus iuſti neceſsitatibus afflicti, ſua opera coguntur fateri. Sed cum eorum dicta iniuſti audiunt, hæc per elationem potius quam per veritatem exiſtimant prolata. Ex ſuis enim cordibus verba iuſtorum penſant, & dici humiliter poſſe vera bona non æſtimant. Sicut grauis culpa eſt, ſibi hoc hominem arrogare quod non eſt: ſic plerumq; culpa nulla eſt, ſi humiliter bonum dicat, quod eſt. Vnde ſæpe contingit, vt iuſti & iniuſti habeant veriſimilia: ſed tamẽ cor ſemper longe diſſimile. Et in quibus dictis Dominus ab iniuſtis offenditur, in eiſdem quoq; à iuſtis placatur. Nam Phariſæus ingreſſus templum dicebat: *Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo. Sed iuſtificatus magis publicanus, quam ille exijt.* Ezechias quoque rex cum moleſtia corporis afflictus ad extremitatem perueniſſet: in oratione compunctus dixit: *Obſecro Domine memento, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto:* nec tamen Dominus hanc confeſſionem perfectionis eius deſpexit aut renuit, quem mox in ſuis precibus exaudiuit. Ecce Phariſæus ſe iuſtificauit in opere. Ezechias iuſtum ſe aſſeruit etiam in cogitatione, atq; vnde ille offendit, inde iſte Dominum placauit. Cur itaq; hoc, niſi quia omnipotens Deus ſingulorum verba ac cogitationes penſat; & in eius auribus ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur? *Fleuit itaq; Ezechias fletu magno, & antequam egrederetur Iſaias mediam partem atrij, factus eſt ſermo Domini ad eum dicens: Reuertere & dic Ezechiæ duci populi mei. Hæc dicit Dominus Deus patris tui Dauid: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam: & ecce ſanaui te. Die tertio aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Sed & de manu regis Aſſyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc. & protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*

Fleuit autem fletu magno propter promiſſionem Domini ad Dauid, quam videbat in ſua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Nam poſt mortem eius Manaſſes, cum duodecim annorum eſſet, regnare cœpit in Iudæa. Ex quo perſpicuum eſt: poſt tertium annum cõceſſæ vitæ Manaſſem eſſe generatum. Ergo iſte omnis fletus eſt, quod deſperabat Chriſtum de ſuo ſemine naſciturum. Alij aſſerunt, quoſuis ſanctos viros morte terreri: propter incertum iudicium, & ignorationem ſententiæ Dei, quam ſedem habituri ſint. Simulque facti quæſtio ſoluitur, ac neceſſitatis vincula atque cauſarum: quod nequaquam dies mortis ſingulis præſtituta ſit: ſed voluntate Dei, & ignotis mortalibus cauſis vel viuat aliquis, vel moriatur. Præſertim cum & ſtatuta nunc mortis neceſsitas differatur: & poſt mortem reſuſcitatos plurimos legerimus. Reuertitur autem ad regem Propheta, Domini iuſsione: vt ipſe ſanaret, qui percuſsit. Et vocatur Ezechias dux populi eius, & filius Dauid, cuius opera ſectabatur. Fecerat enim certum iuxta omnia quæ fecit Dauid pater eius, & auditur eius oratio, videnturque lachrymæ: quoniam ambulauerat coram Domino in veritate, & in corde perfecto, & fleuerat fletu magno, & quod placitum erat in oculis eius fecerat. Adijciunturque quindecim anni ad vitam, quos ille non poſtulauerat: & inſuper, viuente eo, regni ſecuritas repromittitur. Sin autem (vt quidam putant) in corpore viuere condemnatio eſt. & iuxta illud, quod dicitur: *Reuertere anima mea in requiem tuam:* & in alio loco: *Educ de carcere animam meam:* optanda eſt mors, vt de carcere liberemur: quomodo nunc Dominus donat pro beneficio, vt, qui liberandus erat, adhuc quindecim annis viuat in carcere?

Dixitque Iſaias, afferte maſſam ficorum. Quam cum attuliſſent & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt.

Aiunt Hebræi verbum, Sim, quod prætermiſère Septuaginta, *vlcus* ſonare, non *vulnus*. Nam & Aquila, Simmachuſque, & Theodotio *Laros* interpretati ſunt, per quod morbum regium intelligi volunt. Cum contraria putãtur vel ſumpta in cibo, vel oppoſita corpori, quæcunque ſunt dulcia. Ergo vt Dei potentia monſtraretur, per res noxias & aduerſas ſanitas reſtituta eſt. Alij, *Sim*, non *vlcus*, ſed *apoſtema* ſuſpicantur: quando tumens corpus cocto & putreſcente pure completur. Et iuxta artem medicorum omnis ſanies, ſiccioribus ficis atque contuſis, in cutis ſuperficiem prouocatur: ac per hoc non ſpernendam eſſe medicinam, quæ vſu conſtet & experimento quia & hanc fecerit Deus.

Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam. Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit: & quia aſcenſurus ſim die tertio templum Domini? Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum à Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt. Vis, vt aſcendat vmbra decem lineis? an vt reuertatur totidem gradibus? &c.

Datur autem ſignum, vt ſol decem gradibus reuertatur: quos nos, iuxta Symmachum, in lineas & horologiũ vertimus. Qui gradus intelligit in lineis: vt manifeſtiorem ſenſum legentibus faceret. Siue ita erant extructi gradus arte mechanica: vt per ſingulos vmbra deſcendens, horarum ſpacia terminaret. Erat autem hora diei decima, quando hæc regi Propheta loquebatur. *Vis ergo*, inquit, *vt aſcendat vmbra decem lineis*, procedente ſole ſuper terram per boreales plagas vſque ad Orientem, quod ſubtus terram cottidiana conſuetudine ſui curſus erat facturus: *an vt reuertatur vmbra totidem gradibus*, conuerſa retrorſum facie ſolis, ipſoq; per auſtralem plagam ad Orientem regreſſo?

Digitized by Google

A *At Rex facile eſt, inquit, vmbram creſcere decem lineis. Nec hoc volo, vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus*, & cætera.

Vidit namq; quia maioris miraculi eſſe poterat; ſi Sol contrarium ſuo more curſum ageret, quam ſi conſueto proceſſu incedens tametſi multo altius, id eſt, ſupra terras elatus ad Orientem quaſi ſecundi diei mane, nulla interueniente nocte, ſactutus aduolaret. Nam & hoc qui in inſula Thule, quæ vltra Britanniam eſt, vel in vltimis Scytharum finibus degunt, omni æſtate aliquot diebus fieri vident: quia Sol cætero Orbi in occaſu & ſub terra poſitus: ipſis nihilominus tota die ſuper terram appareat: & quomodo à parte Occidentis ad Orientem humilis redeat, manifeſte videatur: donec tempore oportuno denuo toto Orbi communi exortu reddatur, ſicut & veterum hiſtoriæ, & noſtri homines æui, qui illis de partibus adueniunt, abundantiſſime produnt. Nunquam autem hi, qui interiora Auſtri incolunt, videre ſolem per
Hier. meridianas plagas ad Orientem ab Occaſu redire. Quod ſignum & præſentis temporis, & futuri typus erat: vt
B quomodo ſol reuerteretur ad exordium ſui: ita & Ezechiæ vita ad detextos annos rediret, nobiſque in hebdomade & ogdoade viuentibus per reſurrectionem Chriſti vitæ ſpatia protelentur. Solent ſanctorum locorum in hac prouincia monſtratores intra conſeptum templi oſtendere gradus domus Ezechiæ, vel Achaz, quod ſol per eos deſcenderit. Sed nunquam ego credam, non dico Achaz, qui Rex impius fuit, ſed cuiuslibet Regis iuſti domum fuiſſe in templo Dei: cum Salomon idcirco Deum inter cætera offendiſſe dicatur, quod in ſublime ædificauerit Mello: vnde atrum templi deambulans in turre palatii deſpicere ſolitus ſit. Solent quidam poſt decem gradus linearum ad myſterium Chriſti transferre: & vmbras figurarum in deſcenſionem Chriſti interpretentur per quos iterum Sol Iuſtitiæ, Chriſtus, poſt reſurrectionem
Iſidor. aſcendit. Primus itaq; gradus deſcenſionis de Deo in Angelo fuit: quia magni conſilii nuntius erat. Deniq; & Iacob ſic alloquitur: Et dixit inquit Angelus Dei. *Ego ſum Deus, cui vnxiſti titulum, & vouiſti votum*. Vt & Angelum &
C Deum oſtenderet: ſecundus gradus deſcenſionis, de An-
1. Cor. 12. gelo in Patriarchis fuit, quia *in omnibus* (vt ait Apoſtolus)
Exod. 20. *ipſe eſt operatus*. Tertius in legis datione: quia & in lege
Ioſ. 1. ipſe locutus eſt. Quartus gradus in Ieſu Naue, vt populum in terram repromiſſionis induceret. Quintus in Iudicibus: quia eundem populum per eos ipſe regebat. Sextus in Regibus Iudæorum, quia in eis regnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos annuntiatur. Octauus in
Hebr. 5. pontificibus, quia ipſe ſummus ſacerdos eſt. Nonus in homine. Decimus in paſſione. Per hos enim decem gradus, quaſi per vmbram legis priſcæ, Chriſtus deſcendit, rurſus poſt reſurrectionem ſuam Sol Iuſtitiæ, Chriſtus,
Ioan. 1. per eoſdem gradus ſurſum in cœlum aſcendit: & omnem illam vmbram legis, veritatis radiis illuſtrauit, obſcura reuelans, clauſa reſerans, & omnia tecta denudans.

XXI. *In tempore illo miſit Merodach Baladam, filius Baladam, Rex Babyloniorum literas & munera ad Ezechiam. Audierat enim,*
Eſa. 39. *quod ægrotaſſet Ezechias. Lætatus eſt autem in aduentu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia. Vnguenta quoque & domum vaſorum*
D *ſuorum, & omnia, quæ habere poterat in theſauris ſuis. Non fuit, quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.*

4. Reg. 18. Supra legimus, decimo quarto anno regis Ezechiæ aſcendiſſe Sennacherib, Regem Aſſyriorum, ſuper omnes ciuitates Iuda munitas, & cœpiſſe eas, & poſtea obſediſſe Lachis, tranſiſſe Lobuam, miſiſſe Ieruſalem partem exer-
4. Reg. 19. citus ſui, cæſaque per Angelum centum octoginta quinque millia exercitus eius, & ipſum fugiſſe Niniuen, interfectumque à filiis in fano Dei ſui, & regnaſſe pro eo Aſarhadon filium eius: ægrotaſſe Ezechiam, & recepiſſe, Propheta nuntio, ſoſpitatem: factum ſignum incredibile, vt Sol decem horarum ſpatiis reuerteretur ad ortum ſuum, & pene duplex dies fieret: Nunc legimus, quod in tempore illo, hoc eſt, in eodem anno, quo hæc geſta ſunt omnia, miſit Merodach Baladam, filius E
Baladam, Rex Babylonis, literas & munera ad Ezechiam, Aſarhaddon, qui Sennacherib patri apud Aſſyrios in regnum ſucceſſerat, de cuius ſeu morte ſeu vita Scriptura conticuit. Ex quo perſpicuum eſt, aliud fuiſſe tunc regnū Aſſyriorum, & aliud Babyloniorum. Denique Samariam, id eſt, decem tribus cœpere Aſſyrii. Iudam autem & Ieruſalem poſtea legimus cœpiſſe Chaldæos: quorum Rex Nabuchodonoſor fuit. Et quia, apud eos aſtrorum obſeruantia eſt, ſtellarumque curſus longo vſu & exercitatio cognitus, quod & in Domini natiuitate monſtratur: intellexerunt ſolem reuerſum, diei ſpatia duplicata, ſeruire ei, quem ſolum Deum, id eſt, ſolem putabant. Cumque cauſas huius miraculi rationemque perquirerent: fama per omnes gentes volitante, didicerunt propter ægrotationem Regis Iudææ etiam rurſum ſigni clariſſimi commutatum. Quam non eſſe opinationem meam, ſed Scripturæ ſanctæ, dierum verba teſtantur: quæ dixere poſt a-
lia: *Ipſe eſt Ezechias, qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum* 2. Par. 32.
Gion, & auertit eas ſubtus ad occidentem vrbis Dauid. In omni-
bus operibus ſuis fecit proſpere, quæ voluit: attamen in legatione F
principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, & interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, reliquit eum Deus, vt temptaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius. Idcirco autem temptationi relictus eſt: quia poſt tantam victoriam, & ſolis regreſſum, & congratulationem regni potentiſſimi: cor illius eleuatum eſt. Denique in
eodem volumine ſcribitur: *Multi deferebant hoſtias & ſa-* Ibid.
crificia Domino in Ieruſalem, & munera Ezechiæ Regi Iudæ &
exaltatus eſt coram cunctis gentibus. In diebus illis ægrotauit vſque 2. Reg. 20.
ad mortem, & orauit Dominum, & exaudiuit eum: & dedit ei ſignum. Sed non iuxta beneficia quæ acceperat, retribuit: quia exaltatum eſt cor eius, & facta eſt contra eum ira, & contra Iudam & Ieruſalem. Ruſumque Scriptura ſancta elationem cordis eius dicit pœnitentia mitigatam inferens: *Et*
humiliatus eſt poſtea, eo quod exaltatum fuiſſet cor eius, tam ipſe, Ibid.
quam habitatores Ieruſalem: & idcirco non venit ira Domini ſuper eos in diebus Ezechiæ. Lætatus eſt ergo in aduentu legatorum Merodach, quem patrem fuiſſe Nabuchodonoſor Hebræi autumant, & in oblatione munerum, &
congratulatione ſanitatis ſuæ. *Oſtenditque eis* (iuxta Se- G
ptuaginta) *domum Nechotha*. pro qua Symmachus tranſtulit, *aromatum ſuorum: & theſauros argenti & auri & odoramentorum & vnguenti optimi*, (quod in Hebraico ſcribitur, *olei boni*) *& omnes theſauros vaſorum Gaza*, ſiue (vt ibi legitur) *vaſorum ſuorum*. Gaza autem, lingua Perſarum, *diuitiæ* nuncupantur: nec eſt Hebræus ſermo, ſed barbarus. *Non fuit*, inquit, *verbum* (quod, iuxta Hebraicam conſuetudinem, pro re frequenter accipitur:) *quod non oſtenderet eis in domo ſua, & omni poteſtate ſua*. Vnde Dei ira iuſtiſſima, quod non ſolum theſauros ſuos atque palatii, ſed & templi oſtenderit: quod certe fuit poteſtatis eius, de cuius valuis auri laminas iam tulerat.

Introiuit autem Eſaias Propheta ad Regem Ezechiam, & dixit ei: Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia, quæ in domo mea ſunt, viderunt: non fuit verbum ſiue res, quam non oſtenderim eis in theſauris meis. Et dixit Eſaias ad Ezechi-
am: Audi verba Domini exercituum. Ecce dies venient, & H
auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui, vſque ad diem hanc in Babylonem. Non relinquetur quicquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos genueris, tollentur: & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Eſaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus eſt. Et ait: fiat tantum pax & veritas in diebus meis, &c.

Tradunt Hebræi, ideo ægrotaſſe Ezechiam quoniam, poſt inauditam victoriam Iudæorum, & Aſſyrii
Regis interitum, non cecinerit laudes Domino: quas ce- Exod. 15.
cinit Moyſes, Pharaone ſubmerſo: & Debora interfecto Iud. 5.
Siſara: & Anna, genito Samuele: vnde commonitum 1. Cor. 2.
eſſe fragilitatis ſuæ. Rurſumque poſt corporis ſanitatem, & ſigni magnitudinem offerri aliam occaſionem

 ſuperbiæ,

A ſuperbiæ, quam, vt prudens & Dei cultor, vitare debuerat: nec monſtrare allenigenis diuitias ſuas, quas, Deo tribuente, poſſederat. Ex quo iuxta leges quoque tropologiæ diſcimus, *non mittendas margaritas ante porcos: nec dandum ſanctum canibus.* (Matth. 7.) Qui enim fidelis eſt: Spiritu abſcondit negocia. Et quicunque fecerit: omnis virtus illius ener atur, peritque poſteritas, &, amiſſo virili robore, in muliebrem redigitur mollitudinem. Ingreditur ergo Eſaias ad Regem, &, quaſi neſcius ſciſcitatur:

Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt?

Duo interrogat, *quid locuti ſunt*, & *vnde venerunt?* Ille ad vnum reſpondit: altero prætermiſſo, quod cum emphaſi & ſupercilio legendum eſt: *De terra longinqua venerunt ad me de Babylone*: quod quanto terra longior ſit, vnde venerunt: tanto iſte glorioſior, propter quem venerint. Et, *Venerunt*, inquit, *ad me, qui debuerat dicere: Venerunt ad glorificandum Deum pro ſigni magnitudine de Babylone: quæ vrbs in toto Orbe potentiſſima eſt.* Rurſumque Eſaias: *Quid*, inquit, *viderunt in domo tua?* Et ille reſpondit ex parte B verum, quod omnia viderint in domo illius, nec fuerit res, quam non oſtenderit eis in theſauris ſuis. Sed alterum tacet, de quo verebatur offenſam: quod oſtenderit eis cuncta, quæ haberet in poteſtate ſua: haud dubium, quin & templi ſupellectilem, propter quæ Iſaias Dei ſermone profert ſententiam:

Audi verbum Domini exercituum. Veniet tempus, quando omnia hæc, quæ in domo tua ſunt, & non tuo, ſed patrum tuorum labore quæſita, in Babylonem transferantur, & de ſemine tuo fiant eunuchi in aula regia.

(Dan. 1.) Ex quo Hebræi volunt, Danielem, Ananiam, Miſahelem, Azariam, qui fuere de regio ſemine, factos eſſe eunuchos: quos in miniſterio Nabuchodonoſor fuiſſe, non dubium eſt.

Dixitque Ezechias: Bonum verbum Domini, quod locutus eſt.

In quo ab Hebræis reprehenditur: cur non ſit imitatus bonitatem Moyſi, qui locutus ad Dominum eſt: (Exod. 32.) *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Vnde & Apoſtolus Paulus (Rom. 9.) *anathema vult eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis qui ſunt Iſrael te.* C Hæc itaque (Greg.) ſententia Prophetæ ad Ezechiam myſtice contra Hypocritas prolata accipi poteſt. Qui poſtquam magnis virtutibus excreſcunt, quia cauere malignorum ſpirituum inſidias negligunt: & cœlare in eiſdem virtutibus nolunt bona ſua: oſtendendo, hoſtium faciunt: & prodentes ſubito amittunt, quicquid diutius ſtudentes operantur. (Pſal. 77.) Hinc per Pſalmiſtam dicitur: *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Virtus quippe & pulchritudo arrogantium, inimici manibus traditur: quia omne bonum, quod per concupiſcentiam laudis oſtenditur, occulte aduerſarii iuri mancipatur. Hoſtes namque ad rapinam prouocant: qui ſuas eorum notitiæ diuitias denudant. Quo vſque enim ab externæ patriæ ſecuritate diſiungitur, in latronum inſidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat; abſcondat, neceſſe eſt, bona, quæ portat. O miſeri, quia affectantes laudes hominum, in ſemetipſis diſſipant fructus laborum. Cumque ſe oſtendere alienis oculis appetunt; damnant, quod agunt. Quos nimirum D maligni Spiritus dum ad iactantiam prouocant, eorum (ſicut diximus) opera captiuantes denudant. Hinc eſt enim, quod per Euangelium veritas dixit: (Matth. 6.) *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Hinc eſt, quod de electorum Eccleſia per Pſalmiſtam dicitur: (Pſal. 44.) *Omnis gloria eius filiæ Regum ab intus.* Hinc Paulus ait: (2. Cor. 1.) *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Filia quippe Regum Eccleſia, quæ in bono eſt opere Spiritalium principum prædicatione generata, gloriam intus habet, quia hoc, quod agit, in oſtentatione iactantiam non habet. Gloriam ſuam Paulus teſtimonium conſcientiæ memorat; quia fauorem oris alieni non appetit, vitæ ſuæ gaudia extra ſemetipſum ponere ignorat. Occultanda ſunt ergo, quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium ſpirituum incurſione perdamus. E

Capvt XXI. XXI.

Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis, & regnauit Manaſſes filius eius pro eo. Duodecim annorum erat Manaſſes, cum regnare cœpiſſet: & quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalem, &c.

Poſt mortem quoque Ezechiæ narrat Scriptura, Manaſſen filium eius regnaſſe in Ieruſalem. Qui cum ad idola colenda, & abominationes faciendas ſe conuerteret, relinquens Deum patrum ſuorum, & bona exempla, quæ in genitore ſuo Ezechia conſpexerat; locutus eſt Dominus ad eum, & ad populum eius; & attendere noluerunt. (2. Par. 33.) *Idcirco ſuperinduxit eis principes exercitus Regis Aſſyriorum, cœperuntque Manaſſen, & vinctum cathenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui poſtquam coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum: & pœnitentiam egit valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſque eſt eum, & obſecrauit orationem eius, reduxitque eum Ieruſalem in regnum ſuum: &* F *cognouit Manaſſes, quod Dominus ipſe eſt Deus.* Exemplar autem eſt hæc pœnitentia Manaſſæ, quod poſt commiſſa ſcelera nullus debet de Dei miſericordia deſperare; ſed magis per pœnitentiam congruam ſpem habere veniæ, ſi eam rite perfecerit.

Capvt XXII. XXII.

POST hunc regnauit filius eius Ammon idololatra. Poſt quem Ioſias, filius eius, Rex iuſtiſsimus, regnauit, qui omnem ſpurcitiam idolorum, quam patres ſui fabricauerunt, emundauit; & ſe in Dei cultu ſtrenue exercuit. Et merito. Quia longe ante hoc de illo prædictum eſt per Prophetam. Interpretatur autem Ioſias, *cuius eſt ſacrificium Domino*, vel *ſalus Domini*, vel *fortitudo Domini*. (Bed.) Quod autem ſequitur de eodem Rege, quod audito libro legis Domini, quem Helcias ſacerdos inuenit in domo Domini, ſcidiſſet veſtimenta ſua, & miſiſſet Helciam ſacerdotem & cæteros, qui ſubſequenter adnumerantur, ad Holdam Prophetam, vxorem Sellum, *quæ habitabat in Ieruſalem in ſecunda*, &c. G

Quid ſignificet illud, quod dicitur; *in ſecunda*; in libro Paralipomenon declaratur, vbi ſcriptum eſt de præfato Rege Ezechia: (2. Par. 32.) *Ædificauit quoque, agens induſtrie, omnem murum, qui fuerat diſſipatus: & extruxit turres, deſuper & forinſecus alterum murum.* Meminit huius loci & Sophonias, dicens; (Soph. 1.) *Vox clamoris à porta piſcium, & vlulatus à ſecunda.* Pro quo vetus æditio quaſi proprium nomen loco tranſtulit; *in Maſena*. Maſena quippe interpretatur, *ſecunda*. Quod ergo dicitur Propheti ſſa habitaſſe *in ſecunda*, in ſecundi muri parte intellige. Quod dicitur de Ioſia Rege; (4. Reg. 23.) *Contaminauit quoque Tophet, quod eſt in conualle filij Ennon, vt nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem Moloch*; Frequens eſt in Scripturis horum mentio locorum, maxime in libro Regum, & Ieremia Propheta. Eſt autem vallis Ennon, ſiue filii Ennon iuxta murum Ieruſalem contra Orientem, in qua nemus pulcherrimum Siloe fontibus irrigatur. *Tapheth* autem, ſiue *Topheth* (vtrumque enim ſcribitur:) erat locus in eadem conualle iuxta piſcinam H fullonis; cuius meminit Scriptura; & iuxta agrum *Acheldema*: qui vſque hodie monſtratur ad auſtralem plagam montis Sion. Solebant autem in Tapheth (quia locus erat amœniſsimus, vnde hodie quoq; hortorum præbet delitias) poſita ara ſacrificare dæmonibus, nefandoque igne ſuos conſecrare liberos, ſiue holocauſtum offerre: ſicut in libro verborum dierum de Achaz Rege ſcriptum eſt: (2. Par. 28.) *Ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Benennon, & luſtrauit filios in igne.* Benennon ſiquidem filium Ennon ſignificat. *Vallis* autem *Ennon* dicitur Hebraice *Gehennon*. Cuius nomine in nouo teſtamento pœna inferorum *Gehenna* cognominatur, quia nimirum ſicut in conualle Ennon qui idolis ſeruierunt, in ea (prophetis atteſtantibus) perierunt: ita peccatores, qui peccauerunt, æterna damnatione puniuntur. Denique Ieremias cum referret

A præcepiſſe ſibi Dominum, ac dixiſſe; *Egredere ad vallem filij Ennon, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis*: paulo poſt dicit: *Et non vocabitur locus iſte amplius Thofeth, & vallis filij Ennon, ſed vallis occiſionis. Et diſſipabo conſilium Iuda & Ieruſalem in loco iſto, & ſubuertam eos gladio.* Eſaias quoque manifeſtiſſime *Thofeth* infernum appellat. Qui cum perpetuum Diaboli interitum ſub nomine Aſſur deſcriberet, dicens: *A voce enim Domini pauebit Aſſur virga percuſſus, & erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum*; ſtatim, quomodo & ibi eſſet periturus, ſubdidit, dicens: *Præparata eſt enim ab heri Tophet à Rege præparata profunda & dilatata.* Pulchre ait; *& dilatata*: quia *Thofeth*, dicitur *latitudo. Nutrimenta*, inquit, *eius ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.*

Ier. 19.

Eſa. 30.

CAPVT XXIII.

CONtaminauit autem Ioſias Thopheth, vel oſſa mortuorum ibi: ſicut in ſequentibus de aliis idolorum locis feciſſe legitur, vel alia quælibet immunda diſpergens: quatenus abominationi potius, quam delectationi aptus omnibus, qui aſpicerent, locus appareret. B Quod ſequitur de eodem Rege Ioſia: *Abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda Soli in introitu templi Dominica.* Et paulo poſt: *Currus autem Solis combuſſit igni*: oſtendit, omnium gentium idololatrarum ſuperſtitioni Iudæos eo tempore fuiſſe mancipatos, ita vt in venerationem ſolis, quem more gentilium Deum eſſe credebant, ſimulachro eius, quem fecerant, currus equoſque ſubdiderint: & hoc in atriis templi Domini: Sic enim ſolent gentiles pingere vel facere ſimulachrum ſolis: vt puerum imberbem in curru ponentes; equos eidem, quaſi curſu cœlum petentes, ſubiungant. Cum propterea puerum aptant, quia ſol, velut quotidie nouo ortu natus, in nullum per ſecula ſenium incidit. Vt autem eidem currus & equos tribuant: de miraculo ſumptum Heliæ Prophetæ: quia curru igneo & equis igneis raptus ad cœlum, Ioannes Conſtantinopolis Epiſcopus æſtimat. Quia enim Græcè *Helios* dicitur *Sol*, (ſicut & Sedulius cum de Heliæ aſcenſu caneret oſtendit, dicens:

C

Sedul.

Quam bene fulminei prælucet ſemita cæli,
Conuenit Heliæ, meritoq; & nomine fulgens.
Hac ope dignus erat, nam ſi ſermonis achiui,
Vna per accentum mutetur litera, Sol eſt:

audientes Græci ab Iſraelitis (quos diuinas habere literas fama prodebat) prædicari, quod Helias curru igneo, & equis ſit igneis ad cœleſtia translatus; vel certe hoc ipſum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt vicinia decepti nominis Solis: qui Græcè *Helios* (vt ſupra) dicitur. Hic tranſitum per cœlos eſſe deſignatum, & miraculum diuinitus factum commutarunt in argumentum erroris humana ſtultitia commentatum: quos imitati ipſi Iudæi ſatagerunt, ne in aliquo gentilium ſtultiſſimis minus ſtulti apparerent. Quod paulo poſt de eodem Rege dicitur:

Excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem ad dextram partem montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Iſrael, & Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit Rex, & contriuit ſtatuas:

D Luce clarius eſt, quod excelſa nominare ſolet Scriptura loca in collibus poſita frondentibus: in quibus vel dæmonibus immolabant, vel Domino locorum amœnitate allecti, contra interdictum relicto altari, quod erat in templo, hoſtias offerebant, vnde ſæpius in hoc libro de regibus, qui minus perfecte iuſti fuere dicitur: *Verumtamen excelſa non abſtulit.*

Montem autem offenſionis montem idoli dicit, quia nimirum conſuetudinis eſt Scripturarum, offenſionem idola nuncupare, quia vel in illis offenditur Deus, vel offenſionem & ruinam ſuis offerunt cultoribus, ſicut in hac ipſa ſententia ſubſequenter intimatur, dum dicitur: *Quæ ædificauerat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab: & Melchom abominationi filiorum Ammon.* Vbi hoc quoq; (ni fallor) palam oſtenditur: quod vtinam non oſtenderetur: quia videlicet Salomon de commiſſo idololatriæ ſcelere nunquam perfecte pœnituit. E Nam ſi fructus pœnitentiæ dignos faceret, ſatageret ante omnia, vt idola, quæ ædificauerat, de ciuitate ſancta tollerentur: & non in ſcandalum ſtultorum, quæ ipſe, cum fuiſſet ſapientiſſimus, errones fecerat, quaſi ſapienter ac recte facta, relinqueret. Meminit ſupra & huius loci Scriptura, dicens: *Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte, qui eſt contra Ieruſalem: & Moloch idolo filiorum Ammon.* 3. Cor. 11. Nec videri contrarium debet, quod ibi mons, in quo facta ſunt hæc idola, contra Ieruſalem: hic in Ieruſalem eſſe poſitus aſſeritur, quia nimirum in tanta erat vrbis vicinia poſitus, vt ad ipſam pertinere, & ipſam quoque ſordibus, quæ in eo congerebantur, contaminare videretur. *Et conuerſus Ioſias vidit ibi ſepulchra, quæ erant in monte, miſitque & tulit oſſa de ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altare, & polluit illud.* Cur autem Ioſias oſſa mortuorum concremare iuſſit ſuper altare, niſi vt oſtenderet quod prophana fuerunt eorum ſacrificia? Et non ſolum pecudum hoſtias dæmoniis offerebant: ſed etiam ſemetipſos per errorem idololatriæ in poteſtatem dæmonum tradiderunt, F qui iuſto Dei iudicio ſimul cum altare, quod idolis fabricauerant, diſſipandi erant. Myſtice autem ſignificat, omnes, qui diaboli ſeruitio mancipati vitam ſacrilegam temporaliter finierant, æternis cruciatibus conſumendos, Deo illis retribuente ſecundum propria merita operum illorum.

Reuerſusq; eſt Ioſias Ieruſalem, & præcepit omni populo, dicens: Facite phaſe Domino Deo veſtro, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro fœderis huius, &c. XXIII.

Quod autem prædictus Rex eiectis idolis de terra, necnon pythonibus & ariolis & omnibus immunditiis atq; abominationibus ablatis, in octauo decimo anno regni ſui Domino phaſe celeberrimum feciſſe legitur: moraliter docet nos, vt purgemus primum terram cordis noſtri ab omnibus vitiis, & mundemus actus noſtros ab omni inquinamento peccatorum, & ab operibus mortuis, vt ſeruire poſſimus Deo viuenti. Sicq; gratum Domino celebramus paſcha, *non vtique in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis.* 1. Cor. 5. Secundum allegoriam autem Ioſias iſte typum tenet Domini Saluatoris, qui ſalus & fortitudo Domini merito dicitur: G quia ipſe eſt, de quo Scriptura dicit: *Dominus fortis Dominus potens in prælio.* Pſal. 23. Et alibi: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. Ipſe quidem zelo Dei mundat terram Iuda & Ieruſalem ab omnibus immunditiis & abominationibus, qui per Prophetam dixit: *Zelus domus tuæ comedit me.* Pſal. 68. De quo & Ioannes ait: *Cuius ventilabrum in manu ſua: & purgabit aream ſuam.* Matth. 3. De quo & Malachias dicit: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans: & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Et placebit Deo ſacrificium Iuda & Ieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio, & ero, teſtis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniabantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos: & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Mal. 3. Celebrat ergo Ioſias noſter verum phaſe in octauo decimo anno regni ſui: quando in octaua ætate, generali reſurrectione perpetrata, H ſanctos ſuos cum perfectione bonorũ operum perducet ad æternæ beatitudinis denarium accipiendũ, eiectis prius omnib. ſcandalis de regno eius. Matth. 20. De quo prædictus Propheta ait: Matth. 13. *Ecce enim dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula & inflammabit, eos dies veniens, dicit Dominus exercituum. Quæ non relinquet eis radicem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ. & ſanitas in pennis eius. Et egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento, & calcabitis impios, cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum.* Mal. 4. Et recte dictum eſt, quod non factum fuerit phaſe tale à diebus Iudicum, qui iudicauerunt Iſrael, & omnium dierum Regum Iſrael, & Regum Iuda, ſunt in octauo decimo anno Regis Ioſiæ in Ieruſalem: quia, ablatis

Digitized by Google

A figuris, veraciter in die iudicii tranſibunt ſancti de morte ad vitam, de corruptione ad gloriam: ſicque in conſpectu Conditoris ſui in cœleſti Ieruſalem in æternum gaudebunt: quia *videbitur Deus Deorum in Sion. Et ciuitas illa*
Pſal. 83. Apo. c. 21. *non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius, agnus eſt: & ambulabunt gentes in lumine eius & Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam, & portæ eius non claudentur per diem. Nox enim non erit illic. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam: nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni. Et nomen*
Ezech. 48. Pſal. 30. *ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem. Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam in ciuitate circumſtantiæ.*

XXIV. *Occiſo itaque Ioſia Rege in Magedo: tulit populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & vnxerunt eum: & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo, quem Pharao Nechao vinxit in Rebla, & duxit in Ægyptum, & impoſuit mulctam terræ centum talentis argenti, & talento auri: regemque conſtituit Eliacim, filium Ioſiæ pro Ioſia patre eius: vertitque nomen eius Ioachim;* & cætera.

B Quid autem interfectio Ioſiæ ſignificat, qui à Pharaone Nechao interemptus eſt in Magedo: niſi perſecutionem antiqui hoſtis aduerſus ſanctos prædicatores, quos per inuidiam neci tradere molitur: & auferre de terra Eccleſiæ conatur, quatenus facilius totam plebem diſſipare & inuadere poſſit? Interpretatur autem Pharao, *diſſipans*: Nechao, *percuſſio*: Magedo, *de temptatione*. Permiſſus quippe diabolus conſurgere aduerſus ſanctos, hoc ſolummodo agit, hoc totis viribus certat, quatenus temptando gregem Domini percutiens diſſipet: eoſque primum auferat, quorum ſolatio adiuti, contra hoſtem dimicare debuerant. *Tulit populus terræ Ioachaz, filium Ioſiæ, & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo.* Ioachaz, qui interpretatur, *retentus*, ſignificat malos doctores, quos populus terræ carnales, videlicet terrenæ cupiditati deditus, ſecundum mores ſuos conſentientes vitiis ſuis, perſonas eligunt: quos Pharao in Rebla vinxit, & in Ægyptum duxit; cum diabolus per multitudinem adulatorum eneruians decipit corda prælatorum. Rebla enim, *multitudo*,
C interpretatur. Sicque ſpiritualis Ægypti vinctos cathenis peccatorum, tenebroſum mergit in abyſſum.

Pro Ioachaz quoque Nechao Ioachim Regem conſtituens impoſuit mulctam terræ centum talentis argenti, & talento auri.

Cum malignus Spiritus penſum ſeruitii ſui in populo perditorum expetit, vt tam ſenſu quam eloquio eius per omnia parati ſint obſequio. Vnde Ioachim iuxta præceptum Pharaonis vnumquemque ſecundum vires ſuas exegit, vt daret tam argentum, quam aurum: quatenus hoc redderet Pharaoni; quia diabolus per ſibi deditos viros ab vnoquoque exigit ſecundum vires ſuas peccati cenſum ſoluere: ſicq; iniquiter prælatis quotidie præparat perditionem ſubiectis.

Capvt XXIV.

IN diebus eius aſcendit Nabuchodonoſor, Rex Babylonis, & factus eſt ei Ioachim ſeruus tribus annis: & rurſum rebellauit contra eum, &c.

D Cum ſemel quis cuilibet ſe mancipauerit vitio: non vni, ſed multis Dominis obnoxius erit. Vnde Ioachim, quem Pharao ante cenſum ſibi ſoluere coegit, nunc Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſibi tribus annis ſeruire compellit. Sed quem Nabuchodonoſor alium intelligimus: niſi eundem, quem Pharaonem eſſe diximus, principem
Epheſ. 6. videlicet confuſionis, & rectorem tenebrarum harum? Ergo cum antiquus hoſtis aliquem ſibi cenſum peccati ſoluere perſuadet, mox totum in Dominium ſuum redigere, & plenum ſeruitium expendere ammonet. Quid eſt ergo aliud tribus annis regi Babylonis ſeruum eſſe, quam perſuaſione, delectatione atque conſenſu antiquo hoſti ſubditum fore, & totum vitiis deditum, quaſi libere ab eo poſſideri? Sed ſæpe contingit, quod tales, per Dei miſericordiam admoniti, rebellare contra nequam Spiritum

E meditentur. Hinc eſt, quod ſubditur: *rurſum rebellauit contra eum.* Nec tamen ſufficit rebellare: ſi non perſeuerarit in certamine. Qui enim antiqui hoſtis poteſtate ſe exuere deſiderat: neceſſe eſt vt fortiter contra eum dimicet: & adiutorium à ſumma potentia aſſiduis precibus imploret: quatenus diuina gratia adiutus, hoſtem fortiſsimum ſuperare, & iugum duriſsimum euadere queat.

XXV. *Poſt Ioachim autem regnauit Ioachim, filius eius, pro eo; & fecit malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat pater eius. In tempore illo aſcenderunt ſerui Nabuchodonoſor, Regis Babylonis, in Ieruſalem, & circumdata eſt vrbs munitionibus, venitque Nabuchodonoſor, Rex Babylonis, ad ciuitatem cum ſeruis ſuis; vt oppugnarent eam. Egreſſuſque eſt Ioachim, Rex Iuda, ad Regem Babylonis, ipſe & mater eius, & ſerui eius; & principes eius, & eunuchi eius; & ſuſcepit eum Rex Babylonis anno octauo regni ſui; & protulit inde omnes theſauros domus Domini, & theſauros domus Regiæ & concidit vniuerſa vaſa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Iſrael in templo Domini, iuxta verbum Domini, & tranſtulit omnem Ieruſalem, & vniuerſos principes, & omnes fortes exercitus decem millia, in captiuitatem, & omnem artificem*
F *& incluſorem; nihilque relictum eſt, exceptis pauperibus populi terræ. Tranſtulit quoque Ioachim in Babylonem, & matrem Regis, & vxores Regis, & eunuchos eius, & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ieruſalem in Babylonem. Et omnes viros robuſtos, ſeptem millia, & artifices & incluſores mille, omnes viros fortes & bellatores, duxitque eos Rex Babylonis captiuos in Babylonem,* & cætera.

Bed. Quod refertur de Nabuchodonoſor, quia tranſtulerit omnem Ieruſalem, & vniuerſos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captiuitatem: addidit Scriptura dicens. *Et omnem artificem & incluſorem:* hoc eſt, quod ſupra eidem populo Iſrael Philiſtium regnantes feciſſe narrantur, cum dicitur: *Porro faber ferrarius non inue-*
1. Reg. 13. *niebatur in omni terra Iſrael. Cauerant enim Philiſtiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Sicut enim tunc cauerant, ne habentes fabros ferrarios Hebræi arma ad repugnandum facerent; ita nunc Chaldæi, deſtructa Ieruſalem, & vaſtata omni terra repromiſsionis, ſatagunt, vt nullus in ea remaneat artifex, nullus incluſor, qui vel fœdata vrbis mœnia componere, vel poſsit reſarcire diruta.
G Quin potius quicquid apud gentem exterminatam artis inuenerant totum Babyloniam tranſtulerunt; vel ad nihilum valeat vltra, vel illius ciuitatis vtilitatibus proficiat. Cuius tam deflendæ hiſtoriæ, quia multum negligentiæ noſtri temporis congruit, non opinor allegoriam eſſe reticendam. Conſtat namque, quia Ieruſalem & terra Iſrael ciuitatem Chriſti, id eſt, Eccleſiam ſanctam, Babylon autem & Chaldæi ſiue Philiſtæi ciuitatem diaboli, id eſt, omne malignorum ſiue hominum ſeu Angelorum multitudinem deſignant. Seruitque Iſrael Philiſtæis ſiue Chaldæis: cum fideles quique nominetenus in Eccleſia conſiſtentes, fideles, cæterum ab immundis vel ſpiritibus vel hominibus decepti, aut auaritiæ, aut luxuriæ, aut alteri cuilibet peccato mentis colla ſubmittunt. Abducit autem Nabuchodonoſor Ieruſalem & vniuerſos principes fortes exercitus, decem millia, in captiuitatem: cum & magiſtros populorum, & eos qui inuincibili animo Domino ſeruire, ac decalogum legis fideliter videbantur in Dei ac proximi amore conſeruare, ſubito ſiue illecebris mundi, ſeu aduerſitatibus ſubacti, aut maioribus ſe facinoribus polluunt, aut certe in hæreſim declinando aperte
H apoſtaſiæ notam incidunt. Arma vero, quibus, contra diabolum repugnantes, libertatē à Deo nobis donatam defendamus, quæ ſunt alia, niſi eloquia Scripturarum? In quibus & ipſius Domini, & ſanctorum eius exemplis, quo ordine bella vitiorum ſuperari debeant, luce clarius diſcimus. Sed Philiſtæi filios Iſrael fabris armorum priuant: cum maligni Spiritus animos fidelium à meditatione ſacræ lectionis, ſecularia illis negotia inſerendo, retardant: ne vel ipſi per huius exercitium reſiſtendi fiduciam ſumant, vel alios forte, qui legere neſciunt, ad reſiſtendum vitiis exhortando aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum: cum eos, qui ſacra eloquia norunt, in tantum ſceleribus obruunt: vt dicere bona, quæ didicerant, prorſus erubeſcant. Transferunt omnem ar-

Digitized by Google

A tificem & incluſorem in Babyloniam de Ieruſalem: cum eos, qui multifaria virtutum operatione pluribus prodeſſe, & ciuitatem Dei contra irruptiones temptationum munire ſolebant, à propoſito deflectunt: atque ingenium, quod tuitioni Eccleſiæ ſanctæ impendere debuerant, ad voluntatem potius Regis vitiorum diſpenſare compellunt. Quod ſi *incluſorem* hoc loco non oſtiorum ſiue murorum, ſed auri potius gemmarumque intelligere voluerimus; ad vnum profecto eundemq; ſpiritualis expoſitionis finem reſpicit. Dictumq; quippe eſt de ſapientia, quia aurum & multitudinem gemmarum, atq; ideo incluſores horum, non alios aptius, quam doctores intelligere valemus, qui quamdiu recte viuunt ac docent, in ornatum ſanctę ciuitatis induſtriam ſuę artis impendunt. At ſi forte errauerint, quid niſi à Rege Chaldæorum captiui Babyloniam transferuntur? Et quoniam artificem & incluſorem ab Ieroſolymis Babyloniam tranſmigrari, hoc eſt, talentum verbi cœlitus acceptum in terra defodi, id eſt, ſcientiam ſpiritualem ad peccatorum opera conuerti intelligendum eſt: omneſque viros fortes & bellatores B ſimul in captiuitatem ductos, hoc eſt, eos, qui videbantur viri fortes eſſe, & bellatores, aſtutia malignorum ſpirituum deceptos, atque in carcerem ſpiritualis Babylonis captiuatos: neceſſe eſt, vt operam demus, quatenus ſæuiſſimi Regis poteſtatem euadamus: vigilemus & ſobrii ſimus, timorem Dei ante oculos ſemper ponamus, & mandatorum eius obliuionem omnino fugiamus. Conſtruamus nobis turrim bonorum operum, & per profectum vitæ in illam conſcendamus, *induti lorica iuſtitiæ, & galea ſalutis, habentes ſcutum fidei, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Cuſtodiamus portas ſenſuum noſtrorum, ne mors intret per feneſtras noſtras. Omni cuſtodia ſeruemus cor noſtrum, quia ex ipſo vita procedit. Et ante omnia ſpem noſtram in Regis cœleſtis bonitate ponamus, petentes, vt eius gratia à malis omnibus liberemur. Sicque erimus ſemper immunes ab hoſtibus ſpiritualibus: quia *Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, qui ſaluat omnes ſperantes in ſe.*

Epheſ. 6. *Ier. 9.* *Pſal. 27.* *Pſal. 17.*

XXVI. *Igitur, Ioachim captiuato, conſtituit Nabuchodonoſor Matthaniam, patruum eius pro eo, impoſuitque nomen ei, Sedechiam.* C *Viceſimum & primum annum ætatis Sedechias habebat, cum regnare cœpiſſet: & vndecim annis regnauit in Ieruſalem, fecitque malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat Ioachim,* &c.

Quid in Sedechia aliud intelligere poſſumus, niſi quod in Ioachim ante prædiximus, hoc eſt, malos rectores in Eccleſia, qui munere & dono diuino abutuntur, & falſo ſibi nomen iuſtitiæ vſurpant. Mathania enim interpretatur, *munus* ſiue *donum*: Sedechias, *iuſtus Domini.* Qui vndecim annis regnaſſe dicitur, quod ſignificat eum tranſgreſſorem legis fuiſſe: vndenarius enim numerus, qui denarium ſupergreditur, exceſſionem Decalogi ſignificat. Nec rite Rex dici poteſt, qui ſecundum mandata Domini ſemetipſum & ſibi ſubditos regere noluerit.

Caput XXV.

D F*ACTVM eſt autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis, venit Nabuchodonoſor, Rex Babylonis ipſe & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones, & clauſa eſt ciuitas atque vallata vſque ad vndecimum annum Regis Sedechiæ, nona die menſis. Præualuitque fames in ciuitate nec erat panis populo terræ,* &c.

Nonenarius numerus, qui minus habet denario, imperfectionem legis ſignificat, ſicut vndenarius tranſgreſſionem. Et recte dictum eſt, quod Nabuchodonoſor in nono anno regni Sedechiæ obſederit ciuitatem menſe decimo, & decima die menſis: quia mali paſtores cum Decalogi mandata, quæ ſcientia tenent, opere & doctrina perficere negligunt: neceſſe eſt, vt plebem ſibi commiſſam antiquus hoſtis cum ſuo exercitu obſidione circundet, &, munitione erroris ac vitiorum conſtructa, claudat vallando ciuitatem, ſicque fames in ciuitate præualeat: fames vtique verbi Dei, cum non expenditur libere panis doctrinæ populo terræ. E

Et interrupta eſt ciuitas, omneſque viri bellatores nocte fugerunt,

Interrupta quidem per temptationes varias malignorum ſpirituum cuſtodia populorum: hi, qui debuerant armis ciuitatem defendere, nocte ignorantiæ & tenebris vallati peccatorum, fugiunt: quia ſecundum veritatis vocem: *Mercenarius, & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit et diſpergit oues.* Et Apoſtolus: *Qui dormiunt*, inquit, *nocte dormiunt: et qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt.*

Ioan. 10. *1. Theſſ. 5.*

Quod autem ſequitur, quod *per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum, ad hortum Regis fugerint*:

Latenter arguit inertiam doctorum, qui inter duplicem murum, duorum teſtamentorum conſtituti, non belligerare, ſed effugere quærunt: & in deliciis magis diffluere, quod hortus ſignificat: quam ſcuto fidei hoſtibus obſiſtere.

Porro Chaldæi obſidebant ciuitatem in circuitu. Fugit itaque Sedechias per viam, quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis: et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum Regem, comprehenditque eum in planicie Iericho, et omnes bellatores, qui erant cum eo, diſperſi ſunt, et reliquerunt eum, &c. F XXVII.

Malignis ſpiritibus populum circumdantibus, rector fugit, non ad montes, de quibus ſcriptum eſt: *Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi ſui*: ſed ad campeſtria ſolitudinis, hoc eſt, ad dilatationem luxuriæ. Vnde ſcriptum eſt: *Anguſta et arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: lata et ſpacioſa quæ ad mortem.*

Pſal. 124. *Matth. 7.*

Comprehenditque eum in planicie Iericho: et omnes bellatores, qui erant cum eo, diſperſi ſunt, et reliquerunt eum.

Recte ergo cum virtutes hominem deſerunt, quæ eum defendere debuerant, in planicie Iericho capitur: hoc eſt, in defectione carnalis ſenſus. Hiericho enim interpretatur, *Luna*, & ſignificat defectum carnis. Vnde ille homo, qui de Ieruſalem deſcendebat in Iericho, in latrones incidiſſe deſcribitur. *Luc. 10.*

Apprehenſum ergo Regem adduxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha: qui locutus eſt cum eo iudicium. G

Hoc eſt, iuſtum in eo exercuit iudicium.

Filios autem Sedechiæ occidit coram eo: et oculos eius effodit, vinxitq; eum cathenis, et adduxit in Babylonem.

Occidit Rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha coram eo: oculos quoque illius eruit. Dum ſacra Scriptura Sedechiæ captiuitatem narrat, ordinem captiuitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis, eſt antiquus hoſtis, poſſeſſor intimæ confuſionis: qui prius filios ante intuentis oculos trucidat: quia ſæpe ſic bona opera interficit, vt hæc ſe amittere ipſe qui captus eſt, animus dolens cernat. Nam genuit plerumque animus, & tamen carnis ſuæ delectationibus victus, bona, quæ genuit, amans perdidit. Ea, quæ patitur, damna conſiderat, nec tamen virtutis brachium contra Regum Babybylonis leuat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur: ad hoc quandoque peccati vſu perducitur: vt ipſo quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis Rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit: quia malignus Spiritus ſubductis prius bonis operibus poſt & intelligentiæ lumen tollit. Quod H recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, *multa hæc* interpretatur. Etenim ei quandoq; & lumen rationis clauditur: qui prauo vſu & iniquitatis ſuæ multitudine grauatur.

Greg.

XXVIII. *Menſe quinto, ſeptima die menſis (ipſe eſt annus nonusdecimus Regis Babylonis) venit Nabuzardan, princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis in Ieruſalem, et ſuccendit domum Domini, et domum Regis, et domos Ieruſalem. Omnemque domum combuſſit igni. Muros Ieruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. Reliquam autem populi partem, quæ remanſerat in ciuitate, et perfugas, qui transfugerant ad Regem Babylonis, et reliquum vulgus tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ,* & cætera.

Digitized by Google

A Congruit ergo temporis ordo cum ratione vindictæ. *Menſa quinto* legitur vaſtata eſſe ciuitas, quæ Pentateuchum legis ſeruare deſpexit. *Et ſeptima die menſis*, quia Sabbati requiem non cuſtodiuit, & omnia contraria præceptis diuinis egit, fruſtra ſibi blandiens de ſecuritate pro ſanctorum locorum habitatione. Vnde per Ieremiam Dominus dicit: Ier. 7. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini templum Domini, templum Domini eſt. Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ & viduæ & pupillo non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc: & poſt Deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis: habitabo vobiſcum in loco iſto in terra, quam dedi patribus veſtris, à ſeculo & vſque in ſeculum. Ecce vos confiditis in ſermonibus mendatij, qui non proderunt vobis Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter libare Baalim: & ire poſt Deos alienos, quos ignoratis, & veniſtis & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: liberati ſumus eo quod fecerimus omnes abominationes iſtas. Et nunc quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus, & locutus ſum ad vos mane conſurgens & loquens, & non audiſtis:* B *faciam Domini huic, in qua inuocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & in loco, quem dedi vobis & patribus veſtris, ſicut feci Sylo: & proiiciam vos à facie mea ſicut proieci omnes fratres veſtros, vniuerſum ſemen Ephraim.* Venit *Nabuzardan*, qui interpretatur *ventilabrum* ſiue *Prophetia alienis iudicij*, iuſto Dei iudicio ſuper peccatores; Princeps vtique exercitus Regis Babylonis Ieruſalem intelligibilem ſuccendit domum Domini: cum antiquus hoſtis, qui & Rex confuſionis, & princeps omnium iniquorum eſt, tam malignorum ſpirituum, quã etiam impiorum hominum, plebem inuadit fidelium, & domum Regis, & domos Ieruſalem, id eſt, rectores & eos, qui videbantur in viſione pacis manere, inflammatos cupiditate ſubuertit.

Omnemque domum combuſsit igni:

Cum vniuſcuiuſque conſcientiam per flammam illiciti amoris perturbauit.

Et muros Ieruſalem in circuitu deſtruxit:

C Cum intentionem orationis & virtutum ſtudia, quæ contra ſe valere nouit, in deſperantibus diſſoluit, ne per ſpem veniæ ad diuina currant auxilia & correctioris vitæ apprehendant munimina. *Populumque in captiuitatem ducens, de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas:* quia eos, qui vtiles verbo & exemplo eſſe poterant, per vitia captiuans, & hebetibus commendat agriculturam: quatenus non vinum gratiæ ſpiritualis, & frumentum ſanæ doctrinæ in vineis & agris populorum fructificet: ſed ſpinæ magis & tribuli vitiorum excreſcant.

Columnas autem æreas quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem.

Columnas æreas & baſes doctores poſſumus accipere, qui ſonoritate prædicationis & fidei firmitate debuerunt alios ſuſtentare. Mare æneum baptiſmi lauacrum, vel conpunctionem lachrymarum, vel quidem omnia Chaldæi ſpirituales per inertiam magiſtrorum de domo Domini auferre nituntur & confringere, ita vt non remaneat teſta, qua poſſit igniculus ferri de incendio.

Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & ſcyphos & mortariola, & omnia vaſa ænea, in quibus miniſtrabant, tulerunt:

D Quia diuerſa officia in Eccleſiaſticis ordinibus de Dei ſeruitio auferentes, in ſuum vſum nequiſſimum conuerterunt.

Necnon thuribula & phialas.

Cum orationem, qua diuinitas placari potuit, & poculum verbi, quibus laſsi refocillari debuerant, impediendo ſubuertunt.

Quæ aurea, aurea, & quæ argentea, argentea tulit princeps militiæ:

E Quia tam ſenſum pretioſum, quam etiam eloquii venuſtatem hoſtis nequam de domo Domini auferre molitur, & ſecum in confuſionem ducere. *Tulit quoque princeps militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum & tres ianitores, & de ciuitate eunuchum vnum, qui erat præfectus ſuper viros bellatores, & quinque viros de his, qui ſteterant coram Rege, quos reperit in ciuitate, & Sophar principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ & ſex viros è vulgo, qui inuenti fuerant in ciuitate. Quos tollens Nabuzardan princeps militum duxit ad Regem Babylonis in Reblatha: percuſsitque eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath. & translatus eſt Iuda de terra ſua.* Non ſolum enim populares, ſed & fortes & principes in Eccleſia diabolus decipere & peccatis captiuare ſatagit. Vnde de ipſo in Iob ſcriptum eſt: *Eſca eius electa ſunt.* Iob. 41. Tulit quoque *Saraiam*, qui interpretatur, *vinctus*, ſacerdotem primum, cum primum Eccleſiæ ordinem, qui in Epiſcopis eſt amore voluptatis terrenæ, in vitiorum cathena conſtringit. *Tulit quoque ſimiliter & Sophoniam*, qui interpretatur, *abſconditus*, ſacerdotem ſecundum, cum ſecundi ordinis, hoc eſt, presbyteros, qui F talentum verbi Dei in terra fodientes abſconderant, in ſuum Dominum ſubigit. *Et tres ianitores:* illos videlicet ianitores, Luc. 11. qui oſtium fidei aperire debuerant, & tenentes clauem ſcientiæ, nec ipſi introierunt, nec alios introire permiſerunt. *Et de ciuitate Eunuchum vnum, qui præfectus erat ſuper viros bellatores.* Eunuchus iſte ſignificat eos, quos alibi Scriptura ſacra *ſtultas virgines* appellat. Matth. 25. Qui vaſa oleo vacua in manibus tenebant, continentes videlicet ſe à coitu corporali: nec tamen oleum gratiæ & miſericordiæ in pectore ſuo habere volebant, qui fruſtra ſuper viros bellatores conſtituuntur, cum arrogantiam præcauere non meditantur. *Tulit & quinque viros de his, qui ſteterant coram Rege*, illo profecto qui quinque ſenſibus corporis voluptati ſeruientes Regi vitiorum ſemper adſiſtebant.

Et Sophar principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ.

Sophar interpretatur, *diſsipans* vel *diuidens*, ſignificans eos, qui rudes in Eccleſia, quos ad militiam Christi nutrire debuerant, prauis exemplis diſsipantes, in cœtu fidelium per errorem ſequeſtrant. *Et ſex viros & vulgo*, qui G inuenti fuerant in ciuitate, hoc eſt, ſtultos operatores qui merito *vulgi* nomine nuncupantur: quia vtilitatem conſiliorum diuinorum diſcere & factis implere neglexerant. Hos ſcilicet omnes tollens Nabuzardan princeps militum duxit ad Regem Babylonis in Reblatha. *Percuſsitque eos Rex Babylonis, & interfecit in Reblatha in terra Emath:* quia antiquus hoſtis cum per nequitiam ſuam talem prædam ab Eccleſia euellens tollit, hoc voto ambit, hoc toto ſtudio agit, vt ad perpetuæ mortis interfectionem eos perducat, quos percutit Rex confuſionis in Reblatha, hoc eſt in multitudine ſcelerum & amore voluptatum, vnde Scriptura dicit: *Lata & ſpacioſa eſt via, quæ ducit ad mortem, & multi ſunt, qui intrant per eam.* Matth. 7. *Et translatus eſt Iuda de terra ſua:* cum illi, qui confeſsionem nominis Dei in Eccleſia videbantur habere, per ſcelera & peccata multiplicia de terra virtutum tranſlati in regnum confuſionis & erroris abducuntur, ſub quo imperio quicunque nequiter ſeruientes perſeuerauerint, nec merebuntur per Ieſu ducatum regredi in terram Iuda, templumque Domini H ibidem reædificare: hi poſt ærumnam præſentis vitæ, traduntur in carcerem mortis perpetuæ, vbi *vermis eorum nunquam morietur, et ignis non extinguetur.* Eſa. 66. Implebiturque in eis illa beati Petri Apoſtoli ſententia qua dicit: *Melius* 2. Pet. 2. *quippe erat eis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum, conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Quia, & teſtante Veritate, *Seruus, qui ſcit voluntatem* Luc. 12. *Domini ſui, et non facit, vapulabit multis: qui autem neſcit, et non facit, vapulabit paucis.*

Finis Comment in 4. Lib. Regum.

HRABANI MAVRI ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI COMMENTARII IN DVOS LIBROS PRALIPOMENON.

INCIPIT PROLOGVS HRABANI SVPER LIBRVM Paralipomenon ad LVDOWICVM IMPERATOREM.

DOMINO SERENISSIMO ET GLORIOSISSIMO ATQVE PLENIſſimo, in vtraq; religione excellentiſſimo, LVDOVVICO REGI, HRABANVS viliſſimus ſeruorum Dei ſeruus, flexis genibus æternam optat in Chriſto Salutem.

CVM ſœpius iamdudum per alios audirem, in cultu pietatis vos eſſe deuotiſſimum atque ſtrenuiſſimum Dei famulum, & poſtmodum ipſe præſentialiter viderem atq; probarem, id verum eſſe, quod antea ſolum auditu perceperam: cogitaui aliquod ſeruitium, vt amantiſſimo decet Domino, vobis exhibere: quod etiam veſtræ Nobilitatis in diuinis legibus potuiſſet noſtro labore aliquo modo florens exercere ingenium diuinaque ſacrorum librorum teſtimonia rimando, regni gubernacula ſecundum Patrum præcedentium exempla legitime tenenda inſtruere. Ideirco decreui *Expoſitiunculam noſtram in librum Paralipomenon*, quem Hebræi *Dabreimin* nuncupant, hoc eſt, *verba dierum*, Veſtræ Dilectioni offerre: licet non condignam tantæ excellentiæ, tamen non ingratam Veſtræ beneuolentię: vt haberetis quoddam obſequium ex noſtra paruitate, veſtro ordini decentiſſimum. Fas enim erat, vt Regi Chriſtianiſſimo & in diuinis præceptis ſtudioſiſſimo hiſtoria Regum Iuda, hoc eſt, confitentium ſpirituali ſenſu aliquantulum explanata offerreretur. Nam quia populum Eccleſiaſticum filii *Dei* pretioſo *ſanguine redemptum*, & in confeſſione nominis Dei aſſuetiſſimum, Veſtra nobilis ad ſeruitium Dei regit prudentia: ideo bene conuenit piiſſimo Principi, hoc eſt, Rectori membrorum veri Regis Chriſti vnigeniti videlicet Dei, ritum regiminis ſecundum Diuinam Scripturarum habere & agere: maxime cum Sapientia, quæ in ipſis literis manifeſtiſſime elucet, ammonens dicat: *Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt.* Et item, *Concupiſcentia*, inquit, *ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum.* Si ergo delectamini ſedibus & ſtemmatibus Reges populi: diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis. Accipite ergo Regum priorum hiſtoriam; & ſenſum ſpiritualem ad gratiam Chriſti pertinentem ſuper omnia in illa amate. *Lex enim Dei ſpiritualis eſt:* & reuelatione opus eſt: Vt intelligatur, ac *reuelata facie gloriam Dei contemplemur.* Vnde in Apocalypſi liber ſeptem ſignaculis ſignatus oſtenditur, *quem nemo aperit, niſi ille reſeret, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Quapropter ſciendum eſt; quod inter Scripturas veteris teſtamenti præſens hiſtoria Paralipomenon non ignobilem locum tenet: de qua diuinorum librorum peritiſſimus interpres Beatus Hieronymus ita ait: *Paralipomenon itaque liber idem Inſtrumenti epitoma tantus ac talis eſt, vt abſque illo ſi quis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſe ipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina, iuncturaſque verborum & prætermiſſa in Regum libris tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Euangelij quæſtiones.* Hæc ergo ideo commemoraui, vt ſciat lector, quam vtilis eſt ipſe liber ad ſcrutandum & ad intelligendum: Nam quid ego, quaſi doctus Magiſter, per omnia ipſius myſteria indagare aut explanare potuiſſem? ſed patrum veſtigia ſequēs, ea, quæ explanata ab eis inueni, & ad ſimilitudinem ſenſus eorū (gratia Dei annuente,) per me inueſtigare potui, in ordinem diſpoſui, atque in vnum opuſculum colligere curaui. Non enim longos florenteſque tractus, in quibus plauſibilis ludit oratio, ſed commentarios in diuinas hiſtorias ſcribere decreui: quorum officium eſt præterire manifeſta, obſcura differere. Ante annos enim aliquot rogatu HILDONII Abbatis in Regum libros, ſecun-

Act. 20. *Prou. 8.* *Sap. 6.* *Rom. 7.* *2.Cor 3.* *Apoc 5.* *Apoc 3.* *D. Hiero.*

dum ſenſum Catholicorum patrum, quatuor commentariorum libros ædidi: quos & ſacratiſſimo genitori Veſtro, LVDOWICO IMPERATORI, præſentialiter in noſtro monaſterio tradidi: in quibus, ſicut & in præſenti opere feci, Ioſephi, Iudæorum hiſtorici, narrationem, necnon & Hebræi cuiuſdam, modernis temporibus in legis ſcientia florentis, opiniones pleriſque in locis interpoſui: ſed non ita, vt quaſi lectorem inuitum ad ipſorum traditionis aſſenſum pertraherem: ſed magis iudicio ac probationi ipſius illa derelinquens. Cæterum ſi hæc aliquos offenderint, non noſtræ eſt culpæ: ſed forſitan ipſorum peruerſi iudicii, qui magis volunt aliena opuſcula carpere, quam ſua condere: qui odio nominis noſtri non res, ſed perſonas conſiderant: magiſque aliorum ſilentium, quam noſtrum ſtudium probant. Nos enim ſimpliciter ea, quæ inuenimus, poſuimus. Noſtrum eſt citare teſtes: ipſorum, de fide teſtium iudicare. Tu autem Rex Nobiliſſime contra inuidorum morſus nos defende, & fidei ſcuto atque framea diuini zeli nos protege: quia qualeſcunque ſumus, veſtri deuoti famuli ſumus & adiutores in gratia Dei. Diuina poteſtas, & æterna Chriſti maieſtas hic & vbique nunc & in perpetuum vos feliciter regnantes conſeruare dignetur.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

CAtalogus generationum ab Adam vſque ad Abraham Item ab Abraham vſq. ad Iſrahel. I.

De generatione 12. Patriarcharum ab Iſrahel Patre eorum. II.

De genealogia Iudæ Patriarchæ, per diuerſos filios producta. III.

De Dauid Rege, & ſua progenie per Regum ſucceſſiones, vſq. ad tranſmigrationem Babylonis, & vltra. Item enumeratio filiorum Iuda, & qui ex filiis eius nati ſunt: & de Iabes, qui fuit inclitus pro fratribus ſuis. IV.

De Chaleb & filiÿ eius, Machir & viris Recha. V.

De filiis Zenez, & his, qui ex eo nati ſunt. VI.

De Sela filio Iudæ, & de cognatione domus operantium byſſum: & de figulis, qui habitauerunt in plantationibus & ſedibus Regis. VII.

De filiis Simeon, & his, quæ per eos acta ſunt: & de filiis Gad & filiis Ruben, & actibus eorum. VIII.

De filiis Leui, & cantoribus, quos conſtituit Dauid, vt cantarent coram Arca Domini. IX.

De Aaron & filiÿs eius, & de Nathinneis & Coritis, & miniſtris eorum. X.

De Beniamitis, & generatione Saul Regis, qui ex ea tribu ortus eſt. XI.

De pugna Philiſtiim contra Iſrael, & nece Saul Regis & filiorum eius. XII.

De aduentu filiorum Iſrahel ad Dauid in Hebron, vt conſtituerent eum Regem ſuper Iſrahel. XIII.

De expugnatione Iebuſæorum per Dauid, qui habitant in Iebus, hoc eſt, Ieruſalem. XIV.

Catalogus virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, vt Rex fieret ſuper omnem Iſrahel. XV.

De aduentu filiorum Gad & filiorum Beniamin & Iuda ad Dauid. XVI.

De his, qui transfugerunt ad eum de Manaſſe, cum eſſet Dauid in Sicelech: & de Ioiada principe ſtirpis Aaron, & de filiis Iſachar, qui præſidium adferebant Dauid. XVII.

De eo, quod Dauid iniÿt conſilium cum tribunis & centurionibus & vniuerſis principibus: vt congregata multitudine ſacerdotum & Leuitarum reducerent arcam Domini ad ſe de domo Abinadab. XVIII.

De Oza Leuita, qui minabat plauſtrum, & tendens manum ſuam, vt ſuſtentaret arcam, ne forte rueret, ob temeritatem tactus percuſſus eſt à Domino. Hoc Dauid videns obſtupuit, & auertit Arcam in domum Obeth Edom Gethai: vbi manſit tribus menſibus. XIX.

De hoc, quod, confirmato regno ſuper Iſrahel, Dauid duxit alias vxores in Ieruſalem, quæ genuerunt & filios & filias. XX.

De eo, quod Dauid Philiſtæos percuſſit in Balfaraſim, quos alia victoria percuſſit in Gaoa vſque Gazara. XXI.

De eo, quod Dauid conſtituit cantores, qui cantabant in organis Muſicorum coram arca Domini, hoc eſt, Eman, Aſaph, Ethan, & cæteros, qui cum eis erãt.

Expliciunt capitula Libri primi.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

DE eo, quod, cum Dauid adduxiſſet arcam Domini in iubilo in tabernaculum, quod tetenderat ei, obtulerunt holocauſta ſacerdotes & pacifica coram Domino: benedixitq. Dauid populo in nomine Domini, & diuiſit vniuerſis per ſingulos, à viro vſq. ad mulierem, tortam panis, & partem aſſæ carnis bubulæ & frixam oleo ſimilam. I.

De Leuitis, quos cõſtituit Dauid, vt miniſtrarent coram Arca Domini & de Aſaf & fratrib. eius. II.

De cantico, quod compoſuit Dauid ad laudandum Dominum. III.

De eo, quod reuerſus eſt Dauid, vt benediceret domui ſuæ: & verbis, quæ locutus eſt ad Nathan Prophetam de ædificatione templi: vt reſponſo Domini per eundem Natham Prophetam ad Dauid. IV.

De confeſſione, qua laudauit Dauid Dominum pro vniuerſis beneficiis ſibi ab ipſo collatis. V.

De eo quod Dauid percuſſerit Philiſtiim, & humiliarit eos & Moabitas, & Hedad Eſer regem Soba, & Syrum Damaſcenum: à quibus tranſlata aurea vaſa, argentea & ænea conſecrauit Rex Dauid Domino. VI.

Quod Abiſai percuſſit Edom in valle Salinarum, & conſtituit in Edam præſidium: vt ſeruiret Idumæa Dauid. VII.

De regno Dauid ſuper Iſrahel, & principibus ſuis, quos præfecit populo. VIII.

De Anon filio Naas, regis Ammonitarum, qui Dauid nuncios ad ſe dimiſſos confudit: & bello ob hoc contra eum facto. IX.

Digitized by Google

De eo, quod Ioab percuſſit Rabba deſtruxit eam: cuius triumphum aſcripſit ille nomini Dauid. X.
De bellis Dauid diuerſis, quæ confecit contra Philiſtæos, vbi & gigantes quoſdam interfecit. XI.
De eo, quod Dauid, Iſraelitas numerare iubens, offendit Dominum: ob quod miſſa eſt plaga grauiſſima mortalitatis in Iſrahel. XII.
Quod Dauid, viſo Angelo Domini, qui interfecit populum, fecit altare Domino in area Ornan Iebuſæi: & obtulit ibi holocauſta & pacifica, inuocauitque Dominum, & exaudiuit eum. XIII.
De eo, quod Dauid decreuit ibidem ædificare templum Domino: quod & factum eſt per Salomonem filium ſuum, cui dedit ſumptus & impenſas plurimas. XIV.
Vbi Dauid Salomoni præcepit de conſtructione templi Domini, & ei aſſignauit varia inſtrumenta in auro & argento & ære & ferro, in lignis & lapidibus: quæ ipſe ad hoc congregauerat: & plurimos artifices atq; cæmentarios ad opus templi.
De eo, quod Dauid conſtituit Salomonem filium ſuum Regem ſuper Iſrahel, & congregauit omnes principes Iſrahel, & ſacerdotes atque Leuitas, quorum officia per ſingula miniſteria ipſe diſpoſuit. XV.
De viginti quatuor fortibus, quibus Dauid filios Eleazar, & filios Ithamar diſtinxit ad ſeruiendum Deo in templo Domini per vices ſuas. XVI.
De eo, quod Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerūt in miniſterium Domini filios Aſaf & Eman & Idithum, qui cantarent in citharis & Pſalteriis & Cymbalis coram Arca Domini. XVII.
De ianitoribus & principibus cuſtodiarum Domini; qui omnes ſortes diuiſi vicibus miniſteria ſua explebant, & theſauros domus Domini prouidebant. XVIII.
De diuerſis principibus, qui præerant Iſraelitis iuxta diſpoſitionem Dauid. XIX.
De his, qui præerant ſubſtantiæ Dauid, hoc eſt, in vrbibus, in villis, in agris & vineis & olinetis & pecudibus. XX.
De conſiliariis Dauid: & his, qui fuerunt cum filiis Regis. XXI.
Verba nouiſſima Dauid, quibus commonuit Salomonem filium ſuum & vniuerſum Iſrael de ædificatione templi, & cultura Dei. XXII.
De benedictione Dauid, quâ benedixit Dominum cum omni Iſrael, immolans victimas Domino, & offerens holocauſta: vbi vnxerunt Salomonem, filium Dauid, ſecundo in principem Domino, & Sadoch in Pontificem. XXXIII.
De eo, quod Salomon ſedit ſuper ſolium Dauid, & paruit illi omnis Iſrael, cui dedit Deus gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex in Iſrahel. XXIV.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI TERTII.

DE principio regni Salomonis: quomodo ipſe obtulit mille hoſtias in excelſo Gabaon, vbi tunc erat tabernaculum fœderis Domini. I.
De eo, quod congregauit Salomon ſibi currus & equites atque quadrigas ex diuerſis prouinciis. II.
De eo, quod Salomon elegit operarios domus Dei, & miſit ad Hiram Regem Tyri, poſtulans ab eo auxilium cui ille poſtulata voluntariè conceſſit. III.
De numero proſelytorum, qui ad opera domus Dei ordinabantur. IV
De ædificio domus Dei, & longitudine ac latitudine atq; altitudine. V.
Quod domum maiorem texit tabulis ligneis, & deſuper laminis aureis adornauit, ſculpſitq; illud variis picturis. VI
De pauimento domus Dei, quod marmore pretioſiſſimo ſtrauit. VII
De ſancto ſanctorum; & factura Cherubin in i o VIII.
De velo, quod oppanſumerat coram arca Domini, & ſancta ſanctorum à ſanctuario diuidebat. IX.
De duabus columnis ex eis, quas finxit Salomon, & poſuit in veſtibulo templi. X.
De altari holocauſti. XI.
De mari æneo, & bubus, ſuper quos ipſum poſitum erat.
De decem conchis, in quibus lauanda erant hoſtiæ. XII.
De decem candelabris aureis, & decem menſis. XIII.
De atriis domus Domini, & diſtinctione eorum. XIV.
De diuerſis vaſis, quæ finxit Hiram Salomoni in regione Iordanis, fundens ea in argilloſa terra. XV.
De altari aureo, hoc eſt, Thymiamatis, & menſa propoſitionis, atq; candelabro cum lucernis ſuis, & cæteris vaſis miniſterialibus. XVI.
De hoſtiis templi interioribus & exterioribus. XVII.
De eo, quod intulit Salomon omnia quæ vouerat Dauid pater ſuus, aurum & argentum, & vniuerſa vaſa ſimul cum arca Domini, & paraturæ tabernaculi in templum Domini. XVIII.
Quod, ſacerdotibus collocantibus arcam in ſancta ſanctorum, Leuitæ Cymbalis & Pſalteriis & Citharis laudes Deo canebant: quando nebula impleuit domum Domini. XIX.
De baſi ænea, ſuper quam ſtetit Salomon, quando dedicauit templum Domini. XX.
De ſolennitate dedicationis templi in menſe feſtiua, & maxima celebratione ipſius feſtiuitatis. XXI.
Quod, expletis annis viginti, primus domum Domini, & domum ſuam & ciuitates plurimas conſtruxit, & alienigenas ſubiugauit, & fecit eos tributarios. XXII.
De principibus exercitus Salomonis, & Leuitis atq; ſacerdotibus ab eo ordinatis in miniſterium Domini. XXIII.
Vbi Salomon naues tranſmiſit in Ophir, vt inde aurum ſibi deportarent, & de regina Saba. XXIV.
Quod ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis attulerunt aurum ex Ohir, & ligna thyma, & gemmas pretioſiſſimas. XXV.
De ducentis haſtis, & trecentis ſcutis aureis, & ſolio eburneo, quod mirificè fecerat Salomon. XXVI.
De magnificentia Salomonis, & diuitiis eius, atque poteſtate & fine Salomonis. XXVII.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI QVARTI.

DE regno Roboam, filij Salomonis, & quomodo eum Seſach Rex Ægypti, Hieroſolymam veniens, coanguſtauit, auferens theſauros domus Domini, & domus Regis. I.

De pugna inter Roboam & Ieroboam, Reges Iudæ & Iſrahel: & de Regna Abia, filij Roboam. II.
De Aſa Rege Ieruſalem. III.
De Ioſaphat Rege Iuda, & bonis actibus eius, & pro uiſione Imperij. IV.
De Ioram filio Ioſaphat, & fine peſſimo vitæ eius. V.
De Ochozia filio eius, & nefandis actibus eius. VI.
De Ioas Rege Iuda & Ieruſalem, quem Ioiada Pontifex reſeruauit. VII
De nece, quam exercuerat Athalia: conſtituit Regem ſuper duas tribus. VIII.
De eo, quod Ioas præcepit ſacerdotibus inſtaurare ſarta tecta domus Domini, & culturam renouauit templi. IX
De fine Ioiadæ Pontificis, & interfectione Zachariæ, filij eius, quem Ioas Rex inter templum & altare occidere iuſſit. X.
De obitu Ioas, & regno Amaſiæ, filij eius in Ieruſalem. XI.
De Ozia Rege, & temeritate eius, qua ſacrificare voluit in templo: vnde pro vindicta lepra in eum miſſa eſt. XII.
De Ioatham Rege, & bonis actibus eius. XIII.
De Achaz Rege, & actibus illius nefandis. XIV.
De Ezechia Rege Iuda, & bonis operibus, quibus cultum diuinum celeberrime exhibuit. XV.
De Sennacherib Rege: qualia comminatus eſt facere contra Ieruſalem & templum Domini, contra quem vindicta à Domino prolata eſt. XVI.
De ægritudine Ezechiæ, & ſanitate ipſius XVII.
De legatione Aſſyriorum ad Ezechiam pro portento, quod acciderat: & de obitu ipſius Ezechiæ. XVIII.
De Manaſſe filio eius, & Ammon eius ſobola. XIX.
De Ioſia Rege, & bonis actibus illius, quem Nechao Rex Ægypti in prælio interfecit. XX.
De Ioachaz & Ioachim filiis Ioſiæ, & obitu illorum. XXI.
De Iechonia Rege, quem Nabuchodonoſor, Rex Babylonis, duxit in captiuitatem: & matrem eius ac ſeruos. XXII.
De Sedechia Rege, & excidio vrbis Hieruſalem. XXIII.
De eo, quod Syrus, Rex Perſarum, ſoluit captiuitatem Iudæorum. XXIV.

Expliciunt capitula Libri quarti.

HRABA-

Digitized by Google

HRABANI MAVRI IN VOLVMEN PARALIPOMENON.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

ADAM, Seht, Enos. Chainan, Malaleel, Iared, Henoch, Matuſale, Lamech, Noe, Sem, Cham, & Iapheth.

Decimus ab Adam Noe fuit, ſicut in libro Geneſeos manifeſte oſtenſum eſt, & in capite Paralipomenon ſimiliter emicat. Hic etiam tres filios habuit, hoc eſt, Sem, Cham, & Iapheth: per quos poſt diluuium rediuiua hominum dilatatur progenies. Et apte dicitur Noe in Catalogo Patrum eſſe decimus, quia perfectus. Nam primum de eo ſcriptum eſt: *Noe vir iuſtus erat & perfectus in generationibus ſuis. Cum Deo ambulauit, & genuit tres filios; Sem, Cham, & Iapheth.* (Gen. 6.)

B

Filij autem Iapheth, Gomer, Magog, Madai & Iauan, Thubal, Moſoch, Thiras.

Iapheth, filio Noe, nati ſunt 7. filii, qui poſſederunt terram Maſia, ab Amano & Tauro Syricæles & Ciliciæ montibus vſque ad fluuium Nathanaim: in Europa vero vſque ad Gadera nomina locis & gentibus relinquentes: è quibus poſtea immutata ſunt plurima: cætera permanent, vt fuerunt. Sunt autem Gomer Galatæ: Magog Scythæ: Madai Medi: Iauan Iones, qui & Græci: vnde & mare Ionium; Tubal Biberes, qui & Hiſpani, à quibus Celtiberia: licet quidam Italos ſuſpicentur. Moſoch Cappadoces: vnde & vrbs apud eos vſque hodie Marecha dicitur. Porro 70. Interpretes Capthurini Cappadoces arbitrantur. Thiras Thraces quorum non ſatis immutatum vocabulum eſt. Hæ itaque ſeptem gentes, quas de Iapheth venire ſtirpe memoraui, Aquilonis partem inhabitant.

C

Porro filij Gomer Aſcenez, & Riphath, & Thogorma.

Achenez Græci Regmos vocant: Riphath Paflagonas: Thogorma Frigas.

Filij Iauan Eliſa & Tharſis, Cethim & Dodanim. (Geneſ. 10.)

Ab his diuiſa ſunt inſulæ nationum in terris ſuis, vir ſecundum linguam ſuam, cognationem ſuam, & gentem ſuam. De Ionibus, id eſt, Græcis naſcuntur Eliſei, qui vocantur Eolides. Vnde & quinta lingua Græciæ *Aeolis* appellatur, neuty awa kton vocant. Tharſis Ioſephus Cilicias arbitratur, & aſpirationis literam vitioſe à poſteris in *tay* dicens fuiſſe corruptam. Vnde & Metropolis eorum ciuitas *Tharſis* appellatur Paulo Apoſtolo *glorioſa*. (Actor. 21.) Cethim citu, à quibus hodie per vrbes Cipricitin nominatur. Dodamin Herodii. Ita enim Septuaginta Interpretes tranſtulerunt. Legamus Varronis de antiquitatibus libros, & Smirnii Capitonis, & Græcum Flegonta, cæteroſque eruditiſſimos, omnes pene inſulas, & totius orbis littora, terraſque mari vicinas Græcis accolis occupatas: qui (vt ſupra diximus) ab Amano & Tauro montibus omnia maritima loca vſq; ad Oceanum poſſedere Britannicum.

D

Filij Cham, Chus & Meſraim, Phut & Chanaan. (Gen. 10.)

Chus hodieq; ab Hebræis Æthiopia nuncupatur. Meſraim Ægyptus. Phut Libyes, à quo & Mauritaniæ fluuius vſque in præſens Phut dicitur, omniſque circa eum regio Phutenſis. Multi Scriptores, tam Græci, quam Latini, huius rei teſtes ſunt. Quare in vna tantum climatis parte antiquum Libyæ nomen reſederit, & reliqua terra vocata ſit Africa: non huius loci nec temporis eſt. Porro Chanaan obtinuit terram, quam Iudæi deinceps poſſederunt, eiectis Chananæis.

F

Filij autem Chus, Saba & Heuila, Sabatha & Regma & Sabathacha. (Gen. 10.)

Saba, à quo Sabæi, de quibus Vergilius:

Solis eſt taurea virga,
Sabæis.

Et alibi:

Centumq; Sabæo,
Thure calent aræ.

Heuila Getuli, in parte remotioris Africæ heremo cohærentes. Sabbatha, à quo Sabbathæi, qui nunc Aſtarobi nominantur. Regma vero & Sabatacha paulatim antiqua nomina vocabula perdidere: & quæ nunc pro veteribus habeant, ignoratur.

Porro filij Regma Saba & Dadan. (Gen. 10.)

Hic Saba per *Sin* literam ſcribitur: ſupra vero per *Samech*, à quo diximus appellatos Sabæos. Interpretatur ergo nunc Saba Arabia. Nam in ſeptuageſimo primo Pſalmo, vbi nos habemus: *Reges Arabum & Saba munera offerent:* (Pſal. 71.) in Hebræo ſcriptum eſt: *Reges Saba & Saba:* primum nomen per *Sin*, ſecundum per *Samech*. Dadan gens eſt Æthiopiæ in Occidentali plaga.

G

Chus autem genuit Nemrod: iſte cœpit eſſe potens in terra. (Gen. 10.)

Potentem dicit Nemrod propterea, quia inſuetam tyrannidem primus in populis arripuit. De quo in Geneſeos ſcriptum eſt: quod *robuſtus Venator* eſſet *coram Deo:* (Gen. 10.) quia homines à Dei cultura auertit. Vnde Ioſephus de eo narrat, dicens: *Fecit autem eos eſſe elatos ad iniuriam Dei atque contemptum Nemrod filius Cham filij Noe. Qui cum eſſet audacior & manu fortiſſimus; ſuadebat eis, vt non Deo aſcriberent, quia hominibus per illum felicitas eueniret: ſed quod hoc eis propria virtute preberetur: & cognatos generis ſui ad cauſam tyrannides adduxit, ſolus ipſe præſumens homines à Dei timore reuocare, & ſpem ſuam in propria virtute reponere: vlciſcique eſſe dementes in Deo putabant interminantem ſere diluuium terræ. Ob quam cauſam turrim ædificandam altiorem ſuadebant, vbi aqua non poſſet aſcendere. Multitudo autem prona erat, vt Nemrod præceptionibus obedirent, graue putantes ſeruitium, obſequi Deo: turrim ædificabant, in nullo ſua ſtudia deſerentes.* Regnauit autem Nemroth in Babylone & Marech, hoc eſt, & in Ederam & Machad, quæ nunc dicitur Niſibis, & in Chalamie, quæ poſtea verſo nomine à Seleuco Rege eſt dicta Seleucia, vel certe quæ nunc Keycium appellatur.

H

Meſraim vero genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephtuim, Phethraſim quoq;, & Casluim. De quibus egreſſi ſunt Philiſtiim & Caphtorim: (Gen. 10.)

Exceptis Laabim, à quibus Libyes poſtea nominati ſunt, qui prius Phutæi vocabantur; & Caſluim, qui deinceps Philiſtiim appellati ſunt, quos nos corrupte Paleſtinos dicimus. Cæteræ ſex gentes ignotæ nobis ſunt, quæ à bello Æthiopico ſubuerſæ, vſque ad obliuionem præteritorum nominum peruenere. Poſſederunt autem terram Agaza vſque ad extremos fines Ægypti.

Chanaan vero genuit Sidonem primogenitũ ſuum, & Hethæum, Iebuſæum quoque, & Amorræum & Gergeſæum, Eueumq; (Gen. 10.)

A *& Arachæum & Cenæum, Aradæum quoque, & Samaræum & Amathæum.*

De Chanaan primus natus eſt Sidon, à quo vrbs in Phenice Sidon vocatur. Dein Arachæus, qui Archas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani ſitum: à quo haud procul alia ciuitas fuit, nomine Siui: quæ poſtea vario euentu ſubuerſa bellorum, nomen tantummodo loco priſtinum reſeruauit. Aradii ſunt, qui Arabū inſulam poſſederunt anguſto fretu à Phœnicis littore ſeparata Samariæ. Emiſſa nobilis Syriæceles ciuitas: Amath vſq; ad noſtrum tempus tam à Syris, quam ab Hebræis, ita vt apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones, qui poſt Alexandrum in Oriente regnarunt, Epiphaniam nuncupauerunt. Nonnulli Antiochiam ita appellatam putant. Alii licet non vere tamen opinionem ſuam quaſi veriſimili vocabulo conſolantes Emaus primam ab Antiochia manſionem Ædiſſam pergentibus appellari putant & eandem eſſe, quæ apud veteres dicta ſit Æmath.

Gen. 10. *Filij Sem, Ælam & Aſſur & Arphaxad & Lud & Aram.*

B Hi ab Euphrate fluuio partem Aſiæ, vſq; ad Indicium Oceanum tenent. Eſt autem Elam, à quo Elamitæ principes Perſidis. De Aſſur ante iam dictum eſt, quod Niniuen vrbem condiderit. Arfaxad, à quo Chaldæi. Lud, à quo Lydia. Aram, à quo Syri, quorum metropolis eſt Damaſcus.

Gen. 10. *Filij Aram Hus & Hul & Gether & Mes.*

Hus Draconitidis & Damaſci conditor inter Paleſtinam & Cœloſyriam tenuit principatum, à quo ſeptuaginta Interpretes in lib. Iob. vbi in Hebræo ſcribitur, *terra Vs*, *regionem Auſitidem*, quaſi *Vſitidem*, tranſtulerunt. Hul, à quo Armenii. Gether, à quo Acarnani ſiue Carii. Porro pro *Mes* 70. Interpretes *Moſoch* dixerunt: qui nunc vocantur Meones.

Gen. 10. *Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipſe genuit Heber. Porro Heber nati ſunt duo filij. nomen Vni Phalech quia in diebus eius diuiſa eſt terra: & nomen fratris eius Iectan.*

Heber, à quo Hebræi vocati ſunt, vaticinio quodam filio ſuo *Phaleg* nomen impoſuit, qui interpretatur, *diuiſio*, ab eo, quod in diebus eius linguæ in Babylone diuiſæ ſunt.

C Narrat autem Philo in libro Quæſtionum ſuarum ſuper Geneſeos, quod ex tribus filiis Noe, adhuc ipſo viuente, nati ſint nongenta quatuordecim millia virorum & centum, extra mulieres & paruulos, habentes ſuper ſe Duces conſtitutos: hoc eſt, filii Sem Iectan ducem: filii Cham Nemroth: filii autem Iaphet ſub Fenet duce fuerunt conſtituti. (Philo.) Porro poſt obitum Noe conuenerunt vndique omnes hi duces cum agminibus ſuis ſubiectis in campum Sennaar: ibi deniq; turrim conſtruere conati ſunt. Cum autem initiaſſent ædificare turrim: diuiſit Deus linguas eorum, & mutauit eorum effigies, & non cognouit vnuſquiſque fratrem ſuum: nec audiebant ſinguli quique linguam proximi ſui. (Gen. 11.) Sicque factum eſt, vt dum ædificatores miniſtris ſuis iuberent adferre lapides, illi afferrent aquam: & ſi depoſcerent aquam, illi afferrent ſtipulam: & ſic, interciſa cogitatione eorum, ceſſauerunt ædificare ciuitatem: diſperſit eos Dominus in ſuperficiem totius terræ.

Gen. 10. *Iectan autem genuit Elmodad & Sale, & Aſſermod & Iare. Aduram quoq; & Aizel, & Decla. Ebal etiam & Abimael & Saba, necnon & Oſir, & Euila & Iobab. Omnes iſti filij Iectan.*

D Harum gentium poſteriora nomina inuenire non potui: ſed vſque in præſens quia procul à nobis ſunt, vel ita vocantur. Poſſederunt autem à Coſene fluuio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Hieria.

Sem, Arfaxad, Sala, Eber, Phaleg, Ragau, Serug, Nachor, Thare, Abram: iſte eſt Abraham.

Prudens lector nota, quod ſicut in principio ab Adam vſq; ad Noe decem generationes poſuit: ita & Sem vſque ad Abraham denarii ſummam ſeruauit: non ſine ipſius vtique numeri myſterio ſanctiſsimo.

Filij aūt Abraham, Iſaac & Iſmahel: & hæ generationes eorum. Primogenitus Iſmahelis Nabaioth, & Cedar, & Adbeel, & Mabſam, & Maſma, & Duma. Maſſa, Adad & Theman, Iethur, Naphis, Cedma: hi ſunt filij Iſmahelis.

Duodecim filii naſcuntur Iſmaheli, è quibus primogenitus fuit Nabaioth, à quo omnis regio ab Euphrate vſq; ad mare rubrum Nabathena vſque hodie dicitur, & quæ pars Arabiæ eſt. Nam & familiæ ipſorum, oppidaq; & pagi, ac minuta caſtella & tribus horum appellatione celebrantur. E Ab vno ex his Cedar in deſerto, & Duma alia regio, & Theman ad Auſtrum, & Cedema ad Orientalem plagam dicitur.

Filij autem Cethuræ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamram, Iecbſan Madan, Madian, Ieſboc & Sul. Porro filii Iecſan, Saba & Dadan Filii autem Dadan Aſurim & Lathuſim & Laomim. Filii autem Madian, Epha & Apher, & Enoch & Eldad. Omnes hi filii Cethuræ.

Cethura Hebræo ſermone, *copulata*, Interpretatur, aut *vincta*. Quam ob cauſam ſuſpicantur Hebræi immutato nomine eandem eſſe Agar; quæ Sara mortua de concubina tranſierit in vxorem. Et videtur depoſiti iam Abrahæ excuſari ætas: ne ſenex poſt mortem vxoris vetulæ nouis arguatur nuptiis laſciuiſſe. Nos, quod incertum eſt, relinquentes, hoc dicimus, quod de Cethura nati filii Abraham iuxta hiſtoricos Hebræorum occupauerunt . . . . F . . . . & Arabiam, quæ nunc . . . . . . vſq; ad maris rubri terminos. Dicitur autem vnus de poſteris Abrahæ, qui appellatur Apher, duxiſſe aduerſum Libyam exercitum, & ibi victis hoſtibus conſediſſe, eiuſque poſteros ex nomine ataui Africam nuncupaſſe. Huius rei teſtis eſt Alexander, qui dicitur . . . . . . & Deo demus cognomento Machus, Græco ſermone barbaram hiſtoriam retexentes. Quod autem ait: *Et filii Dadan fuerunt Aſurim & Lathuſim Laomim*: Aſurim in negotiatores transferri putāt, Lathuſim æris metallis cudentes, Laomim vero Phylarchus, I. princeps multarum tribuum atq; populorum. Alii ab hoc Aſurim vocatos Syros eſſe contendunt: & à pleriſq; filiis Abrahæ & Cethuræ occupatas Indiæ regiones.

Generauit autem Abraham Iſaac cuius fuerunt filii Eſau & Iſrael.

Abraham ergo licet plures filios habuerit: tamen ſolum Iſaac Sara habuit ex repromiſſione, cuius fuerunt filii Eſau & Iſrael gemini, nati de vno concubitu Rebeccæ vxoris Iſaac. Geneſ. 25. G

Filii Eſau, & Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ialam, Chore.

In libro Geneſis narratur, quod Eſau acceperit vxores de filiabus Chanaan, Hocada, filiam Helomethei, & Oolibamam, filiam Ane filii Sebeon Enæi, Baſamath quoq; filiam Iſmael, ſororem Nabaioth. Peperit autem Ada Eliphaz. Baſamath genuit Rahuel. Dolibama edidit Iehus & Ielom & Chore. (Gen. 26. & 27. & 36.)

Filii Eliphaz. Theman, Omar, Sephi, Gatham, Cenez, Thamna.

Cuius Scriptura in Iob volumine recordatur. Quæritur autem, cum Thamna in Geneſi legatur concubina eſſe Eliphaz de genere Horræorum, qui apud Idumæos habitauerunt in terra Seir, quæ peperit ei Amelech: quomodo hic inter filios numeretur? maxime, cum in ſequentibus legatur ipſa Thamna ſoror eſſe Iotam, filii Seir, qui etiam eſt Edom. (Iob 2. & 22. Gen. 36.) Sed Seir Hebraicè *piloſus* dicitur, eo quod fuerit totus in modum pellis piloſus. *Edom* autem dicitur *rubens* ſiue *fuluus*, lingua Hebræa. Ab eo ergo, quod rubeo cibo vendiderit primogenita ſua *fului*, i. *Edom* ſortitus eſt nomē. Gen. 25.
Porro Hebræi hanc quæſtionem ita ſoluunt, dicentes, Thamna fuiſſe concubinam Eſau, & generaſſe ei filium Amalech: ſed tamen eum, vt filium inter filios ipſos eſſe educatum. H

Filii Sobal. Alian, & Manath, & Ebal, et Sephi, et Onan.

Alian ergo, qui de genere Horræorum eſt, in Geneſi ſcribitur Aluan, id eſt, *exaltatus*. In Paralipomenon vero Alian, id eſt, *eiectus*: ſignificans, quia Horræi exaltati fuerunt, antequam Edom terram illam caperet: eiecti, poſtquam ab eo triumphanti patriam amiſerunt. (Gen. 36.) Sephi autem filius Sobal in Paralipomenon legitur vnipes: in Geneſi quoque *Sepho*, hoc eſt, *bipes*: vtrumque tamen per *Sin* literam. Bipes quoq; inde dicitur, quia proceſſu temporis in multitudine ſobolis maiorem efficaciam habuit, quam in parente primo. (Ibid.)

Filii Sebeon Aia et Ana.

Digitized by Google

A *Ibidem.* De quo in Geneſi ita ſcriptum eſt: *Iſte eſt Ana, qui inuenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Pro quo alia æditio habet: *Ipſe eſt Ana, qui inuenit aiamim in deſerto, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Multa & varia apud Hebræos de hoc capitulo diſputantur. Apud Græcos quippe & noſtros ſuper hoc ſilentium eſt. Alij putant, *Iamim, maria*, appellata; iiſdem enim ſcribuntur literis maria, quibus & nunc hic ſermo deſcriptus eſt: & volunt, illum, dum paſceret aſinos in deſerto patris ſui, *aquarum congregationes* repetiſſe, quæ, iuxta idioma linguę Hebraicæ, *maria* nuncupantur: quod ſcilicet ſtagnum repererit, cuius rei inuentio in heremo difficilis eſt. Nonnulli putant aquas calidas, iuxta punicæ linguæ viciniam, quæ Hebraicæ conterminata eſt, hoc vocabulo ſignificari. Sunt, qui arbitrantur, onagros ab hoc admiſſos eſſe ad aſinas, & ipſum iſtiuſmodi reperiſſe concubitum, vt velociſſime ex his aſinæ naſcerentur, qui vocantur *Iamim.* Plerique putant, quod equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi: vt mulorum inde noua

B contra naturam animalia naſcerentur.

Filius Ana Diſon, Filij Diſon, Amaran & Eſeban, & Iethran & Charran.

Amaran filius Diſon, filij Ana in Paralipomenon *Hamaran (rubricatus ſordibus*, vel *temulẽtus.* in Geneſi *Amadan)*

Ibid. *concupiſcibilis*: Amaran vero & Amadan vnius hominis nomina ſunt.

Filij Eſer, Balaan & Zauan, & Iacan, &c.

Ibidem. Iachan filius Eſer, de genere Horreorum, in Geneſi *Achan* nominatur, hoc eſt, *tribulator.* In Paralipomenon vero *Iacan*, hoc eſt, *tribulatus.* Per varios enim euentus rerum nomina commutata ſunt antiquorum ad ſignificandum myſterium in commutatione vocabulorum. Cui aduerſitati prudens lector ſi diligentiam inueſtigationis adhibuerit, facile ſobrium intellectum inuenire poterit.

Iſti ſunt reges, qui imperauerunt in terra Edom, antequam eſſet Rex ſuper filios Iſrael: Dale filius Beoz, & nomen ciuitatis eius Denaba.

Denaba ciuitas fuit Balac filij regis Edom. Poſt quem regnauit Iohab, licet mihi longe aliter videatur: Et eſt vſque hodie villa Denaia in octauo milliario Arſopoleos

C pergentibus Arnonem: & altera Dannaba ſuper montem Fogor, in ſeptimo lapide Ieſbus.

Mortuus eſt autem Balac, & regnauit pro eo Iobab, Zare filius de Boſra, &c.

Hinc quidam ſuſpicantur eſſe Iob, vt in fine voluminis

Philo. ipſius additum eſt. Contra Hebræi aſſerunt, de Nachor eum ſtirpe generatum. Philo autem in libro ſupradicto quæſtionum ſuarum in Geneſi narrat, his temporib. eum

Gen. 34. Iob. 1. fuiſſe, & accepiſſe in vxorẽ Dinan filiam Iacob, q̃ Sichem, filius Emor, ante ſtuprauit: & ante paſſionem ipſius Iob, quando eum ſathan ad tentandum expetiuit, dicit eum ſeptem filios & tres filias illi generaſſe, qui extincti ſunt in ipſa tentatione: Sed priuſquam Dñs plagam ſanauerat Iob, & reddidit ei omnia duplicia: tunc ſeptem filios alios prædicta vxor ſua ei iterum genuerit, & tres filias: quorum nomina eſſent eadem, quę priorum, hoc eſt, Eliphaz, Ermol, Diaſat, Philaas, Diphaz, Cellud, Thedom: & filiarum eius, Meruli, Iaz, Zeli. Boſra ſiue Boſor ciuitas eſt in

D deſerto trans Iordanem, quę cecidit in ſortem tribus Ruben, ad Orientalem partem Hiericho, ciuitas ſacerdotalis, & fugitiuorum. Hæc eſt Boſra metropolis Arabię. Appellatur autem & alia Boſor, ciuitas Eſau, in mõtibus Idu

Eſai. 63. meæ, cuius Eſaias recordatur, dicens: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, fuluida veſtimenta eius ex Boſra.*

Cumque Iobab fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Huſam de terra Themanorum.

Theman regio principũ eſt Edom, in terra Gebabiticæ, à Theman, filio Eliphaz, filij Eſau, ſortita vocabulum. Sed & vſque hodie eſt villa, Theman nomine, diſtans ab vrbe Petra quinque millibus: vbi & Romanorum militum præſidium ſedit, de quo loco fuit Eliphas rex Themanorum. Vnus quoque filiorum Iſmahel appellabatur Theman. Sciendum autem, quod omnis auſtralis regio Hebraicè Theman dicitur.

Abijt quoque & Huſam, & regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percuſſit Madian in terra Moab, & nomen ciuitatis eius E *Auith.*

Madian vrbs eſt ab vno filiorum Abraham ex Cethura ſic vocata. Eſt autem trans Arabiam Eudæmonem, in deſerto Saracenorum, contra Orientem maris rubri, vnde vocantur Madiani & Madianea regio. Legimus & filias Ioab ſoceri Moyſi, filias Madian dictas. Sed hæc alia ciuitas eſt homonymos eius, iuxta Arnonem & Arcopo im: cuius nunc ruinæ tantummodo demonſtrantur. Quod autem ſubiungitur: *Nomen ciuitatis eius Auith*; vicum demonſtrat in terra Baſan, iuxta montem Galaad, qui in ſortem cecidit tribus Manaſſe.

Cumque & Adad fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Semla de Maſreca.

Maſreca ciuitas eſt regni Edom circa Gabelenen.

Sed & Semla mortuus eſt, & regnauit pro eo Saul de Rohoboth, quæ iuxta amnem ſita eſt.

Gobooth vrbs eſt iuxta fluuium, vbi erat Rex Edom, & vſque hodie eſt præſidium in regione Gebalena, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur. F

Mortuo quoq; Saul, regnauit pro eo Balanan, filius Achabor. Sed & hic mortuus eſt, & regnauit pro eo Adad, cuius vrbis nomen fuit Phau: & appellata eſt vxor Meetabel, filia Matred, filia Mezaab.

Cuius nomen interpretatur, *præcipuus*: condidit vrbem Phau in regione Gabilitica, & appellata eſt vxor Meetabet, quæ interpretatur, *Benignitas Domini*: hæc fuit filia Matred, hoc eſt, *diſpenſatricis*: filiæ Mezaab, quæ interpretatur, *aurificis.* Duæ matres ergo hic annumerantur, ad ſignificandum myſterium ſub diuerſa interpretatione nominum, hoc eſt, vt aurifex genuerit diſpẽſatricem, & diſpenſatrix genuerit benignitatem Dei: quia ex profunditate ſenſus naſcitur fæcunda locutio, quæ fidem, vnde gratia Dei promeretur, gignit in cordibus auditorum.

Adad autem mortuo, duces pro regibus Medom eſſe cœperunt: Dux Thamna, Dux Alicha Dux Iethet, Dux Oolibama, & reliq.

Notandum, quod primũ reges dixerit de Edom, poſtea Duces: cum primũ duces fuerint, & poſtea reges quorum Ducum quaſdam matres (vxores Eſau hic nominat: vt eſt vxor Eſau Oolibama, & Thamna concubina Eliphaz. *Alua* autem in Geneſi legitur cuius interpretatio eſt, *eleuatio.* In Paralipomenon quoq; legitur, *Alicha*, & ſignificat, *ſuper eam.* G *Gen. 36.*

CAPVT II.

Filij autem Iſrael: Ruben Symeon, Leui, Iuda, Iſachan, Zabulon, Dan, Ioſeph, Beniamin, Neptalim, Gad, Aſer. *Gen. 29. & 30. & 31.*

Duodecim filij Iſrael fuerũt: ſed horum octo ex libris, ac quatuor ex ancillis: hoc eſt, Ruben, Symeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Zabulon, ex Lia vxore Iacob fuerunt geniti: *Gen. 35.* Ioſeph quoq; & Beniamin ex Rachel: Dan & Neptalim ex Bala ancilla Rachel: Gad & Aſer ex Zelpha ancilla Lię. Ex his duodecim filiis Iſrael harum genus totum propagatum eſt, & terra repromiſſionis (donante Domino) poſſeſſa. Nunc autem conſideremus, quid rerum ſignificauerint quatuor vxores Iacob: quarũ duæ liberæ, & duæ ancillæ fuerunt. Vidimus enim Apoſtolum in libera & ancilla, quas habebat Abraham, duo Teſtamenta intelligere: ſed ibi in vna & vna facilius apparet, q̃ dicitur: hic autem duæ ſunt & duæ. Deinde ibi ancillæ filius exhæreditabatur; hic vero ancillarum filij ſimul cum filijs liberarum terram promiſsionis accipiunt. Vnde hic procul dubio aliquid ſignificatur. Quanquam enim duæ liberæ vxores Iacob ad nouum Teſtamentum, quo in libertatem vocati ſumus, exiſtimentur pertinere; non tamen fruſtra duæ ſunt, niſi quia duæ vitæ nobis in Chriſti corpore prædicantur; vna temporalis, in qua laboramus: alia æterna, in qua dilectionem Dei contemplamur. *Lia* nanq; interpretatur, *laborans*: *Rachel* autẽ *viſus principium* ſiue *verbum.* Actio ergo huius vitæ, in qua viuimus ex fide, laborioſa eſt in operib. & incerta, quo exitu perueniat ad vtilitatem eorum, quib. conſulere volumus. Ipſa eſt *Lia*, prior vxor Iacob; & per hoc & *infirmis oculis fuiſſe* commemoratur. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incerta pro-* *Gen. 29. Sap. 9.*

 uidentiæ

Gal. 4. H

A Gen. 29.

noſtra. Spes vero æternę contemplationis Dei habens certam intelligentiam veritatis: ipſa eſt *Rachel*: vnde etiam dicitur *bona facie, & pulchra ſpecie.* Hanc enim amat omnis pie ſtudioſus, & propter hanc ſeruit gratiæ Dei: qua *peccata noſtra etſi fuerit ſicut fenicium, tanquam nix, dealbabuntur.* (Eſai. 1.) Laben quippe interpretatur, *dealbatio*, cui ſeruiuit Iacob propter Rachel. Neque enim ſe quiſque conuertit ſub gratia remiſſionis peccatorum ſeruire ſuſtinet: niſi vt quiete viuat in verbo, ex quo videtur principium quod eſt Deus.

Filij Iuda Her, Onan, Sela. hi tres nati ſunt ei de filia Sua Chananitidis. Fuit autem Her, primogenitus Iuda, malus coram Domino: & occidit eum.

De filiis Iuda in libro Geneſis plenius ſcriptum eſt: quia, duos priores occiſos eſſe à Domino, ibidem narratur: hoc eſt, Her & Onan oſtenditurque, ob quam cauſam. Dicit enim: (Gen. 38.) quia *dedit Iudas vxorem primogenito ſuo Her, nequam in conſpectu Domini, & ab eo occiſus eſt. Dixit ergo Iudas ad Onan filium ſuum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille autem ſciens, non ſibi naſci filios introiens ad vxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur: & idcirco percuſſit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret.* B

Thamar autem nurus eius peperit ei Phares & Zara. Omnes ergo filij Iuda quinque.

In Thamar ergo nuru Iudæ intelligitur plebs Iudæa, cui de tribu Iuda reges, tanquã mariti, delebantur. Merito nomen eius, *tanquã amaritudo*, interpretatur. Ipſa enim Domino fellis poculum dedit. Duo autem genera principum, qui non rectè operantur in plebe (vnum eorum, qui oberant: alterum eorum, qui nihil proderant) ſignificantur in duobus filijs Iudæ: quorum vnus erat malignus, licet reus ante Dominum: alter in terram fundebat, ne ſemen daret ad fœcundandam Thamar. Nec ſunt amplius, quam duo genera hominum inutilia generi humano: vnum nocentium, alterum præſtare nolentium: & ſi quid boni habent, in hac terrena vita perdentium, tanquam in terra fundentium. Et quia in malo prior ille, qui nocet, quam ille, qui non prodeſt: idcirco maior dicitur malignus; & ſequens, qui fundebat ſemen in terram, deteſtabilis. Nonnunquam maioris, qui vocatur *Her*, interpretatur, *pelliceus*: (C, Gen. 3.) qualibus tunicis induti ſunt primi homines in pœna damnationis ſuæ dimiſſi ex Paradiſo. Sequentis autem nomen *Onan* interpretatur, *mæror eorum.* Quorum? niſi quibus nihil prodeſt: cum habeat vnde prodeſſe poſſit, atque id perdat in terra. Maius porro malum eſt ablatio vitæ, quod ſignificat pellis, quam non ad vitæ, quod ſignificat mœror eorum. Deus tamen ambos occidiſſe dictus eſt: vbi figuratur regnum talibus hominibus abſtuliſſe. Tertius vero filius Iudæ, qui illi mulieri non iungitur, ſignificat tempus, ex quo rege plebi Iudæorum cœperunt de tribu Iudæ non fieri: & ideo erat quidem filius Iudæ: ſed eum Thamar maritum nõ acceperat: quia eadem tribus Iuda ſ. in populo Iudæ nemo regnabat. Vnde & nomen eius idem *Sela* interpretatur, *dimiſſio eius.* Non pertinent ſanè ad hanc ſignificationem viri ſancti & iuſti, qui licet illo tempore fuerint, ad nouum tamen pertinent Teſtamentum: qui prophetando ſcienter vtiles fuerunt: qualis Dauid fuit eo ſanè tempore, (D) quo iam Iudæa cœperat reges non habere. Non eſt computandus Herodes maior in regibus eius, tanquam maritus Thamar. Erat enim alienigena: nec ei ſacramento illo iuſtitiæ vnctionis, tanquam coniugali fœdere, cohærebat: ſed, tanquam extraneus, dominabatur, quam poteſtatem à Romanis & à Cæſare acceperat. Sic & eius filij Tetrarchæ, quorum erat vnus Herodes patris nomine appellatus; (Luc. 23.) qui cum Pilato in paſſione Domini concordauit. Iſti ergo alienigenæ vſque adeo non deputabantur in regno myſtico Iudæorum, vt ipſi Iudæi publicè clamarent frendentes aduerſus Chriſtum: (Ioan. 19.) *Nos non habemus regem, niſi Cæſarẽ.* Neq; hoc verum: niſi illa vniuerſali damnatione: Romanorum quippe etiam Cæſar rex erat, non propriè Iudæorum, ſed vt Chriſtum negarent, & hunc adhuc adorarent: ideo tali voce clamauerunt. Illo enim tempore, quo iam de tribu Iuda regnum defecerat, veniendum erat Chriſto vero Saluatori Domino noſtro, (E) qui non obeſſet, multumque prodeſſet. Hinc enim fuerat prophetatum: (Gen. 49.) *Non deficiet princeps ex Iuda, neque Dux de femoribus eius, donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium.* Hic quoque coniunctus Thamar ſpeciali, hoc eſt, plebi Iudæorum, duos ex ea ſuſcepit: quorum ſcilicet primus qui dicitur Zara, (Gen. 38.) *cum eſſent ambo gemini in vtero matris, miſit manum ſuam: cui obſtetrix ligauit coccinum: de huc illo manum intrinſecus retrahente, poſterior, qui vocatur Phares, naſcendo proceſſit*: figuraliter innuens, quod extenderet Iſrael in legis opera manum ſuam, & eam prophetarum, necnon & ipſius Saluatoris pollutam cruore contraxerit: poſtea vero prorupenit populus gentium; ſcilicet, vt futuri eſſent *nouiſſimi*, qui erant *primi*: & *primi* futuri eſſent, qui erant *nouiſſimi.* (Matth. 20.)

Filij autem Phares, Eſrom & Chamul. Filij quoque Zara, Zamri & Ethan & Eman, Calchal quoque & Darda, ſimul quinque. Filij Charmi, Achar, qui turbauit Iſrael, & peccauit in furto anathematis. (Ioſu. 7.)

Iſte Achar, qui *Achan* appellatur in libro Ieſu Naue, (Ibid.) (F) filius fuit Charmi, qui fuit filius Zapti ſiue Zamri, qui fuit filius Zaræ de tribu Iuda. Achan autem, *coluber inſidians*, interpretatur: Achar, *turbatus*, hoc demonſtrante veritate nominum: quod is, qui per auaritiam inſidiabatur de anathemate aliquid rapere, captus in ſcelere, turbatus eſt in ſceleris vltione: myſticè nobis innuens, quod ille, qui prius fidei indumentum, conuerſationis ſecularis cultum, induit, quaſi pallium de anathemate tollit. Sed & ille de anathemate Hiericho fraudat, qui in Eccleſiam Hæreticorum infert dogmata; vel ſuperſtitioſa ſecularium literarum ſtudia. Hæc enim eſt regula aurea, luculento ſermone aptata. Hanc fraudati ſunt Arrius, Marcion & Baſilides; furati ſunt enim iſti regulas aureas de Hiericho, & Philoſophorum ſectam non rectam in Eccleſiam conati ſunt introducere, & maculare omnem Eccleſiam Domini; ita vt perderentur multi per eos. Ideoque abiecti pro Anathemate, quaſi aceruo lapidum, ita multitudine peccatorum ſuorum oppreſſi atque extincti ſunt.

Filij autem Eſrom, qui nati ſunt ei, Ierameel & Ram & Chalubi. (G)

Chalubi ipſe eſt Chaleb, vnus ex duodecim exploratoribus, (Num. 13.) qui miſſi fuerunt à Moyſe ex Deſerto in terram Chanaan ad videndam terram repromiſſionis; idemque cum Ioſue, filio Nun, ſolus ex omnibus viris, qui de Ægypto exierunt, in terram repromiſſionis intrauit, & ſuburbana Hebron in poſſeſſionem recepit. (Ioſu. 14.) Nam *Chalubi*, quod in Paralipomenon legitur, *canis meus*, interpretatur. Nomen vero *Chaleb*, quod ineptatio inuenitur, abſolutè *canis* dicitur. Nec non & illud hic intimandum eſt, quod Eſrom & Iephone vnius hominis nomina ſunt. Vnde aliquando Chaleb filius Eſrom; aliquando autem filius Iephone eſſe legitur.

Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon principem filiorum Iuda. Naaſſon quoque genuit Salma, de quo ortus eſt Booz. (Ruth. 4.)

Notandum autem quod in Paralipomenõ *Salma* (*par*, ſcribitur; in Ruth vero *Salmon*) *pacificus*, demonſtratur. (Ruth. 4.)

Booz vero genuit Obeth, qui & ipſe genuit Iſai. Iſai autem genuit primogenitum Eliab, ſecundum Aminadab, tertium Sammaa, quartum Nathanael, quintum Raddai, ſextum Aſom, ſeptimum Dauid: quorum ſorores fuerunt Saruia & Abigail. (H, Ibidem.)

Quæritur, cur in libro Regum ſcriptum ſit, octo filios habere Iſai; cum in Paralipomenon non amplius quam ſeptem legantur. Sic enim ibi ſcriptum eſt; (1. Reg. 17.) *Dauid autem erat filius Ephrathæi de Bethleem Iuda, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios.* Sed hæc quæſtio ſcilicet apud Hebræos ita ſoluitur, vt dicant Nathan Prophetam filium Semmaa filij ſui, quem in loca filij ſui educauerat & nutrierat, inter filios ibi annumeratum. Nam & coram Samuele ſeptem eius filij leguntur adducti fuiſſe, (1 Reg. 16.) & octauus eſſe in paſcuis; inter quos Nathan adiectum fuiſſe manifeſtum eſt, qui Ionathan vocatur, de quo in extrema parte Samuelis dicitur cum de interſectione gigãtis narratur; (2. Reg. 21.) *Percuſſit autem eum Ionathan, filius Semmaa fratris Dauid.* Et no-

Digitized by Google

A tandum, quod vbicunq; propheta vocatur, *Nathan* ſcribitur, non, *Ionathan.*

Filij Saruiæ: Abiſai, Ioab & Aſael, tres. Abigail autem genuit Amaſa, cuius Pater fuit Iether Iſmahelites.

Quod in Paralip. legitur Amaſa filius eſſe *Iether Iſmahelitis*, & (*2.Reg.17.*) in Regum, *Iethra Iſraelitis*: propter meritorum qualitatem hæc diuerſitas nominum nata eſt. Nam Iethra, *reſiduum*, interpretatur: Iether vero, *modicum reſiduum*: & reſidue iungitur Iſraelitis; modicoque reſiduo Iſraelitis.

Chaleb vero, filius Eſrom, accepit vxorem, nomine Azuba, de qua genuit Ierioth; fuerunt quoque filij eius, Iaſer & Sobab & Ardon. Cumq; mortua fuiſſet Azuba, accepit vxorem Chaleb Ephorad, quæ peperit ei Hur, & reliq.

Farad ipſa eſt Fanaraa ſoror Moyſi; quæ, poſtquam mortua fuit Azuba, nupſit Chaleb, quæ peperit ei Hur, patrem Vri, auum Boſeleel, qui magiſter artificum fuit in (*Exod 31. 35. 36. & 37.*) conſtructione tabernaculi in deſerto, ſicut in Exodo legitur.

Porro Hur.

B (*Exod. 17.*) Ipſe eſt, de quo Scriptura narrat, quod quando Ioſue, filius Nun, miniſter Moyſi pugnauerit, cum filiis Iſrael contra Amalech: ſuſtentarent manus Moyſi Aaron & Hur, ſedente eo ſuper lapidem; & factum eſt, vt manus ipſius non laſſarentur vſque ad occaſum Solis.

Poſt hæc ingreſſus eſt Eſrom ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam, cum eſſet annorum ſexaginta, quæ peperit ei Segub. Sed & Segub genuit Iair, & poſſedit viginti tres ciuitates in terra Galaad, & reliq.

Poſt hæc, dicit, hoc eſt, poſtquam ex Azuba & Phrad ſuſcepit filios; ingreſſus eſt Eſrom ad filiam Machir patris Galaad. Machir vero filius fuit Manaſſe filij Ioſeph: qui vltra Iordanem ſuſcepit hæreditatẽ, Moyſe tribuente in terra Galaad. Vnde in libro Numerorum ſcriptum eſt: (*Num 32.*) *Dedit ergo Moyſes terram Galaad Machir filio Manaſſe: qui habitauit in ea. Iair autem filius Manaſſe abijt & occupauit vicos eius, quos appellauit Auoth Iair.* (villas Iair. Ex omnibus ergo maiorum poſſeſsio filiorum nomen accepit. Sed & hoc notandum, quod iſte Iair iudex fuit poſt Thola. (*Iud. 10.*) *& iudicauit Iſrael per 22. annos habens 30. filios ſedentes ſuper 30. pullos aſinarum, & princeps 30. ciuitatum*, quæ ex nomine eius appellatæ ſunt: ſicut in libro Iudicum legitur.

C *Cum autẽ mortuus eſſet Eſrom, ingreſſus eſt Chaleb ad Ephrada. Habuit quoque Eſrom vxorem Abia, quæ peperit ei Aſſur, patrem Thecue.*

Poſt mortem patris coniugio Chaleb ſibi aſſociauit Ephrada, ſed vtrum in Ægypto, an in deſerto, nõ apparet. Eſrom autem quartam habuit vxorem Abia, quę peperit (*2.Reg.14.*) ei Aſſur, patrẽ Thecue. Sed vtrum in cæteras, an poſt cæteras vxores; non euidenter oſtenditur. Thecue ciuitas eſt, de qua ſumpſit Ioab mulierem ſapientem, quæ cum Rege Dauid per ſimilitudinem filij ſui pacificare ſtuduit Abſalonem, ſicut in libro Regum legitur.

Nati ſunt autem filij Ierameel primogeniti Eſrom: Ram, primogenitus eius, & Buna & Aran & Aſom & Achia.

Hactenus ergo Scriptor hiſtoriæ texuit generationem duorum filiorum Eſrom poſteriorum, hoc eſt, Ram & Chalubi. De quibus ideo prius narrauit: quia regiam & ſacerdotalem aliquo modo innoteſcere voluit dignita-D tem. Nunc autem ad primogeniti, hoc eſt, Ierameel genealogiam, quam antea tacuit, redit exprimendam.

Duxit quoque vxorem alteram Ierameel, nomine Athara, quæ fuit mater Onam.

Onam filius Ierameel, filij Eſrom, nomen accepit ab Onan filio Iudæ, qui mortuus eſt: ſed in eo differũt, quod filius Iudæ in Hebræo per *Nun*, filius vero Ierameel per *Mem* ſcribuntur. Nam autem habuit filios Semei & Iada.

Filii autem Semei: Nadab & Abiſur. Nomen vero vxoris Aſur, Abigahil quæ peperit ei Ahombbã & Molid. Filii autem Nadab fuerunt Saleth & Apphaim. Mortuus eſt autem Saleth abſque liberis. Filius vero Apphaim, Ieſi, qui Ieſi genuit Seſan. Porro Seſan genuit Oholai, & reliq.

Denique iſtum Oholai filium Eſau Seſan, qui fuit filius Ieſi, filij Aphaim, filij Nadab, filij Semei, filij Onan, filij Ierameel primogeniti Eſrom, filij Phares, filij Iuda, dicunt Hebræi eſſe Elimelech, virum Noemi, patrem Maalon

E & Celion: & ideo ſcriptum in ſequentibus, quod Seſan non habuit filius, ſed filios: quoniam duo memorati ſui filij abſque liberis mortui ſunt.

Filii autem Chaleb fratris Ierameel: Meſa primogenitus eius: ipſe eſt pater Ziph, & filii Mareſa & patris Ebron, & reliq.

Ziph nomen loci eſt, à quo fuerunt Ziphei, qui venerunt ad Saul. Similiter & Ebron locus, vbi regnauit Dauid 7. annis, antequam regnaret in Hieruſalem. Namq; (*1. Reg. 23. 2. Reg. 5.*) dicit de Meſa primogenito Ierameel; *Ipſe eſt pater Ziphet filius Marchapatris Ebron:* ſignificat prædicta loca poſtmodum nomina accepiſſe à poſteris Chaleb; quia, ſicut in Ieſu Naue legitur, idem Chaleb Ebron & ſuburbana eius (*Ioſu. 14.*) in ſortem recepit, & filius Enachim inde eiecit.

Epha autem, concubina Chaleb, peperit Arran & Moſa & Gezez. Porro Arran genuit Gezen, &c.

Gezen interpretatur, *tonſor*. Vnde à Iudæis putatur ipſe eſſe Nabal Carmelus: qui quando tondebat oues ſuas, nuntios Dauid ad ſe miſſos ingratè ſuſcepit. (*1.Reg.25.*)

Hi erant filii Chaleb.

Tunc recapitulat iterum generationem Chaleb de Ephraad, quam ante dimiſit, quando Vr de ſe genitum de Epharad, hoc eſt, Maria ſorore Moyſi narrauit. F

Filii Hur primogeniti Epharad, Sobal pater Cariathiarim, Salma pater Bethleem, Ariph pater Bethgader.

Cariathiarim & Bethleem & Bethgader nomina locorum atq; ciuitatum ſunt, ab auctoribus ſuis ac poſſeſſoribus nuncupata. Nam Cariathiarim, quæ & Cariadbal dicitur, hoc eſt, *ciuitas ſaltuum* vna eſt de vrbibus Gabaonitarum, pertinens ad tribum Iuda, euntibus ab Elia Dioſpolim in miliario nono. Sic & Bethleem ciuitas eſt Dauid in ſorte tribus Iudæ, in qua Dominus noſter & Saluator natus eſt, in ſexto ab Elia miliario contra meridianam plagam, iuxta viam, quæ ducit Hebron: vbi & ſepulchrum Ieſſe & Dauid oſtenditur, & mille circiter paſsibus procul turris Adar, quæ interpretatur, *turris gregis*: quondam vaticinio paſtores natiuitatis Dominicæ conſcios ante ſignificans. (*Matth. 2.*)

Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum, & de cognatione Cariathiarim Iethrei & Aphutei & Semathei & Maſarei. Ex his egreſſi ſunt Saraitæ & Eſthaolitæ. G

Huius loci geminam legi expoſitionem. Alij quidem dicunt, quod Sobal pater Cariathiarim viderit dimidium requietionum, hoc eſt, ſortem mediam iuxta ſepulchra Patriarcharum, quæ fuerunt in Cariathabre, acceperit: & huius filij fuerunt Iethrei & Aphutei & Semathei, & Marſerei: ex hiſque egreſſi ſint Saraitæ & Eſthaolitæ, qui nomina locorum ſortiti ſunt, id eſt, Saraa & Eſtaol, vbi ſepultus eſt Samſon: requietionem enim ſepulchrum intelligi voluerunt. (*Iud. 16.*) Alij autem aſſerunt, dimidium requietionum, tempus dimidium intelligi debere, quo filij Iſrael cœperunt terram repromiſsionis poſsidere, hoc eſt, ab eo tempore, quo Moyſes dedit terram Galaad vltra Iordanem Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, (*Num 32.*) vſque ad illud tempus, quo cæteræ tribus ſortes ſuas, Ioſue diuidente, acceperunt. In huius ergo temporis medietate Sobal dicunt eſſe mortuum, & ita dimidium requietionum vidiſſe, hoc eſt ad medietatem illius temporis perueniſſe. Myſticè autem Sobal iſte, qui interpre- H tatur, *vana vetuſtas*, vel *veſtes ad portandum*, Iudæos ſignificat, qui antiquitus nomine populum vocitabantur, & primi legem literæ tabulis lapideis conſcriptam ab ipſo acceperunt. Hi etiam libros legis & Prophetarum voluminibus conſcriptos ferebant: ſed myſterium incarnationis Chriſti, quod in eis reſonabat, nullo modo intelligere valebant. Vnde dimidium requietionum viderunt: quia hiſtoriam tantummodo legerunt: ſed myſterium ipſius agnoſcere non meruerunt. Ille enim dimidium requietionum videt, qui ſabbatum legis carnaliter tenet. Sed ille plenitudinem requietionum ſe poſsidere gaudet, qui poſt bonorum operum laborem æternæ beatitudinis mercedem in cœleſti regno percipiet. Vnde Paulus Apoſtolus ſcribens ad Hebræos ab illa antiquorum requie, introducto verſiculo Pſalmographi, (*Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*) hanc ſpiritalẽ requiem, (*Pſal. 94.*)

Heb. 4. quam credimus in Chriſto vos percepturos, ſecernit, dicens: *Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur, poſt hæc die. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, & ipſe requieuit ab operibus ſuis ſicut à ſuis Deus.* Aliter: Dimidium requietionum videt, qui poſt præſentis vitę laborem tantummodo in anima quietem ſentiet. Tunc autem perfectionem requietionum contemplatur, quando corporis incorruptione ſimul cum animæ immortalitate æternæ vitæ perfruetur. Nunc enim ante diem iudicij, ſecundum ſcientiam Ioannis Apoſtoli, animæ ſanctorum ſingulas ſtolas accipiunt: Apoc. 6. tunc autem binis ſtolis omnes electi Dei honorabuntur; qui tam anima, quam etiam corpore, rudique perfecti in æterna Dei contemplatione ſine fine gaudere merentur.

Filij Salma Bethleem & Netophati: corona domus Ioab & dimidium requietionis Sarai. Filij itaque Salma, filii Hur, fuerunt & Netophati.

De quibus in Regnorum libro, vbi enumerat fortes viros, qui adiuuerunt Dauid, vt regnaret ſuper Iſrael, ita 2. Reg. 23. ſcriptum eſt: *Aſabel frater Iacob, erat inter 30. & Eleanan filius patrui eius, de Bethleem.* Et paulo poſt: *Heled, filius Baana, Netophatites.* Qui idcirco ſcribuntur coronæ eſſe domus Ioab, propter ſocietatem, qua mutuo in prælijs vtebantur. Quod autem ſubditur de Bethleem & Netophati: quod fuerunt dimidium requietionis Sarai: ſignificat, eos in loco, qui dicitur ſepulchrum Sarai, poſſeſsiones habere. De quo loco ſupra commemoratum eſt; quia Saraitæ & Eſthaolitæ nomina locorum ſortiti ſunt.

Cognationes quoque ſcribarum habitantium Iabes, canentes atque reſonantes, & in tabernaculis commemorantes. Hi ſunt Cinei, qui venerunt de calore patris domus Rechab.

Iabes, filium Zobeba, de quo in ſequentibus Scriptura refert, tradunt Hebræi doctorem eſſe legis Dei peritiſsimum, in cuius conſpectu ſedebant filij Cinei, qui & Obab dicitur, cognati Moyſi. Hi ergo in libro *Scribæ* vocantur: Ideoque *canentes & reſonantes* ſcribuntur: quia aſsidue in lege Dei, & in Prophetarum lectione verſabantur. In tabernaculis eos commemoraſſe, & Regum hiſtoria narrat. Iſti de calore Patris domus Rechab veniſſe dicuntur: quia de ſtirpe Rechab fuerunt geniti; de quibus & Hieremias Propheta in libro ſuo narrat. Myſtice autem Iabes iſte magiſter ſcribarum atque cantorum quem melius ſignificare poteſt quam Redemptorem noſtrum, qui eſt verus magiſter ſanctorum doctorum, & rite Deo laudes canentium? Interpretatur autem Iabes, *exſiccans*. Et quis melius *exſiccans* dici poteſt, quam idem Mediator Dei & hominum: qui per Euangelium ſuum, & Spiritus ſancti gratiam fluxum carnalium cupiditatum in fidelibus ſuis exſiccauit atque reſtinxit? Cuius ope inſpirati ſunt Prophetæ, edocti ſunt Apoſtoli, erudiri ſunt Euangeliſtæ. & omnes, qui aliquid de Deo ritè ſentiunt, atque ſalubriter proferre poſſunt, eius ſcholaſtici dicuntur. Cinei, hoc eſt, *poſſeſsio* ſiue *poſsidentes*: omnes videlicet electi, qui ſunt in Eccleſia Catholica per totum Orbem diffuſa: de qua ipſe Eſai. 19. Dominus per Eſaiam Prophetam ait: *Hæreditas mea Iſrael.* Thren. 3. Et ad quem alius Propheta ex perſona ipſius Eccleſiæ Pſal. 118. ait: *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Et Pſalmiſta: *Portio*, inquit, *mea Dominus*, dixi, *cuſtodire legem tuam.* Poſsidet quippe ille Eccleſiam, quia eius ſponſa & hæreditas eſt; poſsidetur ab ipſa, quia eius futura in cœlis ſanctorum remuneratio erit perpetua. Iſti quoque veniſſe dicuntur de calore domus patris Rechab. *Rechab* enim interpretatur, *quadriga* ſiue *aſcendentes*; quia à Patre luminum gratia Spiritus ſancti flammati atque illuſtrati, per quadrigam virtutum in cœlos aſcendere nituntur; quatenus ibi adunentur capiti ſuo, cuius ſanguine ſe redemptos, eſſe agnoſcunt. Vnde ipſa Veritas ait: *Nemo venit ad me, niſi Pater* Ioan. 6. *meus, qui miſit me, traxerit eum.* Et Apoſtolus: *Quicumque*, Rom. 8. inquit, *Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei.* Quod autem dicit, Cineos in tabernaculis commemoratos eſſe: ſignificat, fideles quoſque in hac peregrinatione præſentis vitæ, quaſi in tabernaculis, manere: at ſi præſens vita finita fuerit, tunc gaudebunt ſe plenè in cœleſti percepiſſe patria, quod inſtar ſe meminerunt in peregrinatione terreſtri quæſiſſe.

Caput III.

Dauid vero hos habuit filios, qui ei nati ſunt in Ebron: primogenitum Amnon ex Achinoem Iezrahelitide, & reliq.

Nunc redit ad explicandam progeniem, quam ante dimiſit, quando ſobolem Ram, filij Eſrom, filij Phares, filij Iuda, enumerauit; & peruenit vſque ad Iſai, & eius filios ſeptem; quorum nouiſsimus fuit Dauid, qui primogenitum habuit Amnon ex Chinoem Iezrahelitide. Iezrahel enim locus eſt, in quo habitabat Naboth, quem 3. Reg. 21. occidere iuſsit impia Iezabel, vxor Achab regis Iſrael.

Secundum Daniel de Abigahil Carmelitide, quæ fuit vxor 1. Reg. 3. Nabal Carmeli. Hunc enim Daniel in libro Regum appellat Cheleab, qui interpretatur, *iudicans patrem.* Quem Hebræi ideo ita nuncupatum autumant, eo quod diſceptans cum Miphiboſeth de quæſtionibus legis victor appareret, & patrem in eo vlciſci videbatur, ne irrideretur in diſputando ab homine debili vir bellicoſus.

Tertius filius Dauid fuit Abſalon, quem habuit de Maacha filia Tholomai Regis Geſſur: quartum Adonaim filium Aggid: 2. Reg. 3. *quintum Saphatiam filium Abithal: ſextum quoque Iethram, quem genuit ei Egla vxor ſua.*

Quæritur, cum aliæ vxores Dauid ſupra notatæ ſint, & non dicantur vxores Dauid: cur hic ſola Egla vxor dicatur Dauid? Egla enim ipſa eſt Michol. Quæ ideo vxor eius hic ſola vocatur, eo quod in adoleſcentia primum ipſam ſortitus fuerit in vxorem, quæ etiam partu occubuiſſe dicitur. *Egla* itaque interpretatur, *vitula.* Si quis myſterium hoc nominis ſcire voluerit: agnoſcat, vitulæ nomen bene conuenire Synagogæ Iudæorum propter iugum legis, quod portandum ſuſceperat: ſed laſciuiẽdo corruperat. De qua per Oſee dicitur: *Efram vitula docta* Oſee 10. *diligere trituram, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius.* Hæc ideo Dauid noſtro nupſit: quando eam teſtamento dato ſibi copulauit, ſed ipſa in partu occubuit, quia apparente Verbi Dei incarnatione & Euangelium in mundo prædicante, quando per fidem rectam bonorum operum ſobolem gignere debuit, ſcandalizata in paſsione eius, æternæ damnationis mortem aſciuit.

Sex ergo nati ſunt ei in Ebron: vbi regnauit 7 annis & 6. menſibus triginta tribus annis regnauit in Hieruſalem.

Scriptum eſt in ſequentibus, vbi omne tempus, quod 1. Par. 29. Dauid regnauerit ſuper Iſrael, enumeratur: *Igitur Dauid filius Iſai, regnauit ſuper vniuerſum Iſrael & dies, quibus regnauit ſuper Iſrael, fuerunt 40. anni. In Ebron regnauit ſeptem annis: in Hieruſalem annis triginta tribus.* Hinc quæſtio oritur. cur nam in ſumma quadraginta anni regni illius, excluſis ſex menſibus annumerentur? Quod ab Hebræis duobus ſoluitur modis. Dicunt enim, quia Dauid ſex menſibus Abſolon filium ſuum fugeret: merito eoſdem ſex menſes à ſumma regni illius eſſe excluſos. Dicunt etiam aliter, quod ſex menſibus in Ebron Dauid quadam infirmitate temporis laborauerit: & idcirco eoſdem ſex menſes non ſupputari in regni eius. Ex eo namque tempore illum regnaſſe in Ebron, ex quo deuictis Amalechitis, de ſpoliis eorum miſit dona ſe (?) moribus Iuda; his, qui 1. Reg. 30. erant in Ebron: & hic, qui erant in Bethel: & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipſe & viri eius.

Porro in Hieruſalem nati ſunt ei filii: Samaa & Sobab & Nathan & Salomon, quatuor de Bethſabee filia Amihel. Iebaar quoque, & Ebſama & Ephalet & Noge & Napheg & Iaphia: necnon Ebſama & Heliada, & Eliphalet, nouem.

Iſti filij Dauid, exceptis duabus, ſimiliter in libro Re- 2. Reg. 5. gum numerantur: Noge vero & Eliphalet ibi non inueniuntur annumerati. Verum quod de regno Dauid in ſingulis locis ſupra diſtinctum narratum eſt: non fruſtra arbitrandum eſt, ſacram Scripturam tempus regni Dauid numerando. ſeorſum colligere annos, quo in Ebron regnauit, & ſeorſum illos, quo in Hieruſalem ſuper totum Iſrael imperauerat; ſed myſterium venerandum nobis innuit. Sex ergo filij Dauid nati ſunt Ebron, vbi regnauit ſeptem annis & ſex menſibus. Quid ergo per Dauid regnum in Ebron, niſi Chriſti regnum in ſanctis, qui fuerũt

ab Initio

A

ab initio mundi vſque ad aduentum eius in carne, inſinuatur? Dauid ergo, qui, *manufortis* vel *deſiderabilis*, interpretatur, Chriſtum ſignificare liquido omnibus patet: quia in paſsione ſua mundi principem vicit, & in reſurrectionis gloria diſcipulis ſuis deſiderabilis apparuit. Ebron autem interpretatur *cõiugium*, velut (vt alij volunt) participatio *triſtitiæ* ſiue *fortitudinis*. Bene *coniugij* nomine patres veteris teſtamenti cenſeri poſſunt nuncupari, qui partim circumciſione, partim mandato, partim hoſtiarum oblatione illi copulari meruerunt. Quibus licet in typo atque in figura, tamen fidei ſuæ notitiam quantum ſibi oportunum videbatur, tribuit. Sed quamuis credulitate fuiſſent fortes: tamen participatione triſtitiæ, qua ſe poſt mortem ad inferos deſcenſuros non ambigebant, carere nullo modo poterant. Ibi ergo, Dauid noſtro regnante ſeptem annis & ſex menſibus propter ſabbatum & ſex dierum operationem, quæ illis temporibus tam lectione quam etiam obſeruatione celerrima fuerunt, ſex filij nati ſunt ei, hoc eſt, illi, qui bonis operibus, ac cuſtodia mandatorum Dei, perfectam vitam ducere pro viribus certabant.

B

An non ad illius conſortium pertinebat, qui ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Et item: *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Similiter & alius Propheta ad ipſum Dominum ait: *Ecce Dominus noſter iſte. Expectauimus eum, & ſaluabit nos iſte Dominus ſuſtinuimus eum, exultabimus & lætabimur in ſalutari eius. Domine, ſuſtinuimus te. nomen tuum & memorabile tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis.* Hinc & per Hieremiam ad Iudam ipſe Dominus ait: *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta me es in deſerto, in terra, quæ non ſeminatur. Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugum eius. Omnes, qui deuorant eum, delinquunt: mala venient ſuper eos, dicit Dominus.* Porro regnum Dauid in Hieruſalem, vbi ſuper totum Iſrael regnauit, ſignificat tempus poſt incarnationem Domini, paſsionem & aſcenſionem in cœlos: quando gentium Eccleſia ad fidem Chriſti ventura erat, de qua ipſe in Euangelio ait: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus paſtor:* quando *ipſe*, qui eſt *pax noſtra, fecit vtraque vnum: & eos, qui longe erant, fecit prope in ſanguine ſuo, mediumque parietem maceriæ deſtruit, ſoluens inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliaret ambos in vno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.*

[Pſal. 72. Pſal. 62. Eſai. 25. Eſai. 26. Iere. 2. Ioan. 10. Epheſ. 2.]

C

Numerus ergo annorum regni Dauid in Hieruſalem fuerunt triginta tres anni. Et quid per tricenarium numerum atque ternarium ſignificatur, niſi ſanctæ Trinitatis fides cum adimpletione mandatorum. Hi ergo ritè ad regnum Dauid noſtri pertinent, in quibus fides non ficta, ſed vera inuenitur: Ipſa videlicet, *quæ per dilectionem operatur.* Et merito ipſi *in Hieruſalem* habitare dicuntur, hoc eſt, *in viſione pacis*: quia illi in pacis viſione morantur, qui quicquid ſapiunt, quicquid dicunt, quicquid agunt, omnia *in gloria Dei*, & pro æternæ beatitudinis adeptu faciunt. Vnde per Pſalmiſtã dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam*, Domine, *& non eſt illis ſcandalum.*

[Gal. 5. Phil. 1. Pſal. 118.]

D

Summa ergo filiorum Dauid, qui in Hieruſalem ei nati ſunt, decem & tres fiunt: in quo prædictum myſterium fidei ac præceptorum accipi poteſt. Sed quid vult, q̃ idem filij in quatuor & nouem diuiduntur? Nam ita ſcriptum eſt: *Porro in Hieruſalem nati ſunt ei filij: Samaa & Sobab & Nathã & Salomõ, quatuor de Bethſabee filia Amichal. Gebar quoq́ & Eliſama & Eliphalet & Noge & Napheg & Iaphia: necnon Eliſama & Heliada & Eliphelehet, nouem.* Quatuor ergo de Bethſabee genitos & præterea alios conſequenter enumerat. Et quid per quaternarium numerum in Euangelica doctrina, vel quadriga principalium virtutũ inſinuatur, hoc eſt, Prudentiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis & Tẽperantiæ? Hæc ergo ex Bethſabee, quæ fuit filia Amiel, genita eſſe narratur, quia ex ſpeciali Dei gratia in populo credentium edita eſſe noſcuntur. Nam *Bethſabee* interpretatur, *filia VII.* vel *ſocietatis*, ſiue etiam *filia iuramenti*: Amihel. *populus meus Dei.* Secundum iuramentum ergo, quod iurauit Dominus patribus noſtris, ſuſcitauit de Dauid ſemen omnium virtutum copia pleniſſimum: *in quo benedicerentur omnes nationes terræ.* Illi ergo filij nouem, qui conſequenter annumerati ſunt, ad idem ſacramentum pertinent: quia in nouenario numero ternarius in ſemetipſo multiplicatus conſtat. Et omnes, qui filii Dei fieri volunt, ſanctæ Trinitatis confeſſionem in fide, ſpe, charitate in præſenti vita ſeruantes cum perfectione bonorum operum ad æternam viſionem, & ſanctorum angelorum ſocietatem peruenire contendunt.

[Pſal. 118.]

E

[Gen. 12.]

Poteſt & ſecundum regulam tropologiæ hæc diſtinctio locorum atq; temporum regni Dauid ad moralitatem transferri: vt idem myſterium (q̃ in duabus vxoribus Iacob, hoc eſt, Lia & Rachel: atq; in duabus ſororib. Lazari, Martha videlicet & Maria, quæ, Domino apud ſe conuiuante, miniſtrauerunt, ſanctorum patrum traditione expreſſum eſt) & hic intelligatur. Quid enim per Ebron, niſi actualis vitæ labor, exprimitur? vbi regni exordium præparatur, ſed non ſine grandi curarum moleſtia tranſigitur? Ibi quippe ſex filij Dauid ſpirituali in ſeptem annis naſcũtur: quia perfectio bonorum operum in præſentis vitæ curſu per fidelium operationem Deo exhibetur.

[Ioan. 12.]

F

Et merito hæc *participatio triſtitiæ* nominatur, quia ſeruitus quæ indigentibus proximis noſtris à nobis per compaſſionem extenditur, non ſine doloris admixtione ad integrum implebitur. Vnde Marthę circa frequens miniſterium ſatagenti Dominus reſpondit, dicens: *Martha Martha ſollicita es, turbaris circa plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Maria ergo optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Porro in Hieruſalem habitatio Dauid & regnum ipſius ſatis congrue decori contemplatiuę vitæ poteſt per myſterium aptari, vbi ſuper totum Iſrael regnatur, & populorum maxima concordia deſcribitur: quia vniuerſis contradictionibus illicitarum voluptatum oppreſsis, mens pura cum totis affectibus cordis in diuina contemplatione commoratur: In qua, viſione pacis anima fruitur: quia in ęterna ſuauitate futuri gaudij delectabiliter paciſcitur. Ibi quippe Dauid tredecim filij gignuntur: quia cuſtodia omnia mandatorum, per ſanctæ Trinitatis fidem, in ſola charitate Conditoris, ab animabus Chriſti gratia fœcunditatis partu ſaluberrimo editur.

[Luc. 10.]

G

Omnes hi filij Dauid, abſque filiis concubinarum, habueruntq́ ſororem Thamar.

Omnes filii Dauid noſtri, qui illi ex partu ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ nati ſunt, habent ſororem Thamar, quæ interpretatur, *palma*: quia æternam expectãt remunerationem. Sed inde excipiuntur filij cõcubinarum, qui nominati inter cæteros filios numerari non meruerunt: quia Iudæi ſiue hæretici ſiue ſchiſmatici huius ſocietatis conſortium habere nullo modo potuerunt: vbi ſolos gratia regni cœleſtis filios Dauid nobiles de nobili coniugio editos expectat. *Non enim hæres erit* (Scriptura teſte) *filius ancillæ cum filio liberæ.* Sed feri homines in deſerto manentes, & incertis ſedibus ſemper vagantes. Manus eorum contra omnes, & manus omnium contra eos.

[Gal. 4. Gen. 16.]

Filius autem Salomonis Roboam, cuius Abia genuit Aſa. De hoc quoque natus eſt Ioſaphat pater Ioram, &c.

Generationem Dauid numerat per regum ſucceſsiones vſque ad captiuitatem Babyloniæ: ſicut in libro Regum idem ordo deſcriptus teſtatur.

H

Filij autem Ioſiæ fuerunt: primogenitus Iohannam, ſecundus Ioachim tertius Sedechias, quartus Sellum. De Ioachim natus eſt Iechonias & Sedechias.

Quatuor filii hic leguntur Ioſiæ: ſed in fine iſtius libri, necnon erit in libro Regum, vbi ſucceſsio regum poſt Ioſiam enumeratur, non inueniuntur magis quam tres, hoc eſt, primus Ioachas, ſecundus Eliachim, quem Nechao rex Ægypti, mutato nomine, vocauit Ioachim: tertius Sedechias. Iohannan aũt & Sellum non inueniuntur ibi aſcripti. Vnde Hebræorũ opinio eſt, q̃ primogenitus filiorum Ioſię Iohannan duo nomina alia habuerit, hoc eſt, Ioachas & Sellum. Hinc & in Hieremia ſcriptum reperitur: *Hæc dicit Dominus ad Sellũ, filiũ Ioſiæ, regẽ Iuda, qui regnauit pro Ioſia patre ſuo, qui egreſſus eſt de loco iſto, non reuertetur huc amplius: ſed in loco, ad quem tranſtuli eum, ibi morietur, & terrã iſtam non videbit amplius.* Nam nomẽ *Sellum* interpretatur *translatus*,

[2. Par. 36. 2. Reg. 23. & 24. Iere. 22.]

Quod

A

Quod autem dicit, de Ioachim natum eſſe Iechoniam & Sedechiam; Iechonias idem eſt, qui Ioachim dicitur, qui poſt patrem Ioachim regnauit in Hieruſalē menſibus tribus ac diebus decem. Sed Ioachim patrē, qui alio nomine (*2. Par. 36. Dan. 1.*) Eliachim appellatus eſt, rex Chaldæorū Nabuchodonoſor vinctū catenis duxit in Babylonē cum parte vaſorum Domini. In qua captiuitate & Ezechiel Propheta, cum adhuc eſſet puer, trāslatus eſt, vt Ioſephus teſtatur, necnon & Daniel, Ananias, Azarias & Miſahel: ſicut principium (*Dan. 1.*) libri ipſius Danielis Prophetæ oſtendit. Licet quidam Magiſtrorum prædictum Ezechielem atque Danielem & tres pueros pariter cum Iechonia, filio Ioachim regis, translatos eſſe affirment; quia ſimiliter hunc Iechoniam (*4. Reg. 24.*) prædictus Nabuchodonoſor rex tranſtulit in Babylonem cum cæteris vaſis domus Dei, & theſauris domus regiæ, & matrem regis, & eunuchos eius, & Iudices terræ, & omnes fortes exercitus decem milia: in cuius loco conſtitutus eſt Mathanias, qui & Sedechias, patruus eius, filius vtique Ioſiæ regis, qui poſtmodum ſimiliter translatus eſt in Chaldæos.

B

Filij Iechoniæ fuerunt: Aſir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Sennaſſar, & Iecemia Sama & Nadabia. De Phadaia orti ſunt Zorobabel & Semei, &c.

Aſir & Salathiel vnius hominis nomina ſunt, vt Hebræi volunt: ipſeque eſt Phadaia pater Zorobabel & Semei. (*1. Eſd. 3. Matth. 1.*) Vnde in libro Eſdræ, & in Euangelio Matthæi Zorobabel filius Salathiel eſſe deſcribitur, interpretatur Phadaia, *redemptus Domini*: Aſir, *carceratus*; Salathiel, *frutex Domini*. Et bene conueniunt hæc nomina doctoribus ſanctis, quorum ſtudio atque officio Eccleſiaſticus populus generatur: qui aduerſis afflictionibus caſtigati, ſed per gratiam Domini redempti gemina virtutum tam in ſe, quam contra in ſibi ſubditis ſalubriter proferre ſatagunt. (*1. Eſd. 1. 2. Eſd. 5.*) Sēnaſſar ergo filius Iechoniæ ipſe eſt, qui in Eſdra *Saſſabaz* nominatur: *cui Cyrus annumerauit vaſa domus Domini*. Interpretatur autem Sennaſſar, *plaſmatus*; Saſſabaz autem, *tribulatus*. Quæ etiam nomina myſticè prouiſoribus vaſorum Dei, hoc eſt, animarum ſanctarum ritè congruunt; cum Dominus noſter (quē Cyrus rex nomine & abſolutione captiuitatis ſignificauit) (*Hier. 1.*) *qui eſt liberator vniuerſorū*, eos

C

quos ad ſalutem prædeſtinauit æternam, de poteſtate ſatanæ eruit, & Eccleſiæ ſacerdotibus reconciliandos per pœnitentiam offert. Et bene annumerata eſſe dicit ibi principi vaſa Iuda: quia nouit Dominus numerum electorum ſuorum, neque aliqua perit ex ouibus eius confitentibus nomini eius magno & terribili. (*2. Tim. 2. Ioan. 10. Pſal. 110.*) *Iuda* enim, *confeſſio*, interpretatur.

Filius Sechenia Semeia, cuius filij Atthus & Iegal, Baria quoque & Naharia & Saphat ſex numero, &c.

Quomodo enim ſex filios eſſe dicit, cum quinq; tantum inueniantur tamen ſcripti ab Atthus vſque Saphat? Sed hæc quæſtio ab Hebræis ita ſoluitur. Sechenias ergo habuit filium Semeiam vnicum, qui habuit quinque filios, hoc eſt, Atthus Iegal, Baria, Naharia & Saphat. Hi quinque cum patre ſuo Semeia, qui vnicus patris erat, ſenarium numerum compleuit. Et inde dicitur, Secheniæ filios eſſe ſex, quia filium & nepotes ſimul numerat.

D

Capvt IV.

Filij Iuda Phares, Eſrom & Charmi & Vr & Sobal.

Quomodo ergo Phares & Eſrom & cæteri tres, qui ſequuntur, filij Iudæ eſſe dicuntur: cum alibi legimus, Phares & Zaram filios eſſe Iudæ, Eſrom autē filium Phares. Sed Hebræi aſſerunt, mutatis nominibus, eoſdem filios Iudæ, quos Scriptura aliis nominibus alio loco memorat, hic eſſe expreſſos: aiunt enim Phares, qui interpretatur, *diuiſio*, ſuum nomē proprium hic habere. Eſrom autem ipſum eſſe Zara, ſed Eſrom interpretatur, *atrium*: Zara, *ortus*; Charmi quoque ipſe ſit Hez. Nam Charmi interpretatur, *vnica mea*: Hez, vigilans. Vr autem ipſum dicunt eſſe, qui *Onan* in Geneſi nominatur. (*Gen. 38.*) Sed Vr interpretatur *ſiniſtra*: Onan, *murmuratio*; Sobal quoque ipſum eſſe Sela, nouiſſimum trium filiorum, quos genuit vxor Iudæ eius vocabulo Sue. Interpretatur quidem Sobal *ſpica ſiue vana vetuſtas*; & Sela, *miſſus* vel *vmbratius*. Denique

E

prudens lector, qui diſtantiam facere ſcit inter vmbram legis, & veritatem Euangelij: & quid ad præſentem Eccleſiam, quidue ad futuram referendum ſit, ritè agnoſcit: facile intelligere poteſt, quid myſterij in hac diuerſitate nominum lateat.

Raſia vero, filius Sobal, genuit Ieth, de quo nati ſunt Achimai & Lad. Hæ cognationes Sarathi. Iſta quoque ſtirps Etham, Iezrahel & Ieſema & Iedebos, &c.

Sobal genuit Raia. Raia genuit Ieth. Ieth genuit Achimai & Lad. Lad genuit Etham. Etham genuit Iezrahel, à quo vrbs nomen accepit, in qua Naboth habitabat. (*3. Reg. 21.*) Quod autem ſubiungitur: *Nomen ſororis eorum Aſelphuni*: Hanc quidam matrem Samſon ſuſpicantur eſſe, de Iudæ ſtirpe generatam, cuius maritus fuit Manua de ſtirpe Dan, qui (*Iud. 13.*) & de Saraba in Iudicum libro eſſe legitur: ſicut & hic paulo ſuperius ſcriptum eſt: *Hæ cognationes Sarathi.*

Phanuel autem, pater Gedor. & Ezer, pater Oza: iſti ſunt filij Vr primogeniti Ephrata patris Bethleem.

F

Phanuel quippe & Ezer fratres filij fuerunt Vr, filij Chaleb, primogeniti Mariæ ſororis Moyſi & Aaron, quam alio nomine *Ephrata* nuncupat. Lad vero & Oſan nomina ſunt locorum à filiis Vr ſupra nominatis poſſeſſa. Sed mirum, cur hic Vr dicat patrem eſſe Bethleem, cum ſuperius Salma ſcriptus ſit eius pater fuiſſe; ni forte hic patrem appellet parentis: quia Vr pater fuit Salma, qui fuit pater Bethleem.

Aſſur autem patris Thecue, erant duæ vxores Alaa & Naara.

Aſſur iſte filius fuit Eſrom, ex alia matre genitus, ſicut ſupra demonſtratum eſt, frater Chaleb.

Peperit autem ei Naara Oozam & Epher & Themam & Aſthari: iſti ſunt filij Naara. Porro filij Alaa fuerunt Sereth, Iſaar & Ethnam. Cus autem genuit Anob & Sobaba, & cognationem Aral filij Arun. Fuit autem Iabes inclitus præ fratribus ſuis.

Videtur hic confuſus eſſe ordo Scripturæ; quia numeratis filiis Alaa & Naara, ſubito introducit cognationem Aral, filij Arun, ſicque conſequenter narrat de Iabes. Quem locum Hebræi ita edisserūt, quod Aſur ſuper Alaam vxorem ſuam genuerit Ethnan, & Ethnan genuerit Chus, Chus autem genuerit Sobaba, Sobaba genuerit Iabes, qui fuit Doctor ſcribarum, ſicut ſuperius demonſtratum eſt. Quod vero inter Chus & Iabes introducuntur cognationes Aral, filij Arun: hæc cauſa eſt, quod Aral

G

ipſe ſit Obab filius Aran, hoc eſt, Iethro cognatus Moyſi. Quia ergo Iabes docebat eos habitantes in tentoriis, ſicut ſuperius iam dictum eſt: ideo introducuntur in eius progenie, quaſi à maioribus eius progeniti ſint. Quod autem Iabes dicitur inclitus eſſe præ fratribus ſuis; myſticè oſtendit, Redemptorem noſtrum ſupra omnem altitudinem ſanctorum potentia virtutis ſuæ exaltatum, de quo Propheta dicit: (*Pſal. 44.*) *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Et item: *Dilexiſti*, inquit, *iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.*

Et mater vocauit nomen illius Iabes, dicens: quia peperi eum in dolore.

Matrem hic non Mariam virginem debemus intelligere, quæ incorrupta & intemerata ſine dolore partus genuit nobis Dominum Saluatorem: ſed Synagogam Iu-

H

dæorum, de qua ipſe carnem ſuſcipere dignatus eſt. Hæc ergo peperit eum in dolore, quia de aduentu eius propter infidelitatem dolorem maximum atque anguſtiam contraxit. Vnde bonorum operum illius inuidia affecti, cogitabant interficere illum, dicentes: (*Ioan. 11.*) *locum & gentem.*

Inuocabit vero Iabes Dominum Iſrael, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus tua mecum & feceris me à malitia non opprimi, & reliq.

Hæc deprecatio bene conuenit Iabes ſpirituali, (*Ioan. 10.*) *quē Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*: (*Luc. 12.*) *qui venit ignem mittere in terram*, vt exureret & conſumeret peccata generis humani: quem Ioannes digito demonſtrans ait: (*Ioan. 1.*) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Benedixit ergo Deus huic Iabes in multiplicatione filiorum ſuorum, quos per aquam Baptiſmatis ſacroſancta illi parit Eccleſia. Dilatauit terminos eius: quia omnium gentium dedit illi hæreditatem, (*Pſal. 2.*)

& poſ-

Digitized by Google

A & poſſeſsionem eius extendit vſque terminos Orbis terræ. Cum quo fuit manus Domini, quia potentia diuinitatis per illum effecit virtutes & miracula. Ipſeque paulo 1 Cor. 1. Col. 1. teſte, *virtus Dei & ſapientia, per quem condita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra.* Cui malitia inuidorum nocere non potuit, nec diabolus vllum in eo habuit dominatum: quia nullum ibi inuenit peccatum. Vnde ipſe de ſe ait: Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Hæc ergo præceſſerunt in capite: cæterum dono ipſius benedicentur membra eius, & corpus, quod eſt ſcilicet ſancta Eccleſia, cuius terminos Deus dilatauit vſq; ad fines terræ. Eſai. 54. Cui per Iſaiam dicitur: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dextram enim & leuam penetrabis & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit.* Cum qua eſt manus Domini: quia in ipſa operatur filius Dei, qui & brachium & dextera omnipotentis eſt: Matth. 16 quæ malitia perſecutorum atque hæreticorum opprimi non poterit: quia ipſa Veritas, portas inferi B aduerſus eum præualere non poſſe, fideli famulo ſuo, Petro videlicet Apoſtolo, prædixit. Nec diabolus ei dominabitur: quia data eſt illi poteſtas à Domino Luc. 10. *calcandi ſuper ſerpentes atque ſuper ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Præſtitit ergo Deus labes noſtro omnia, quæ deprecatus eſt: Matth. 28. Phil. 2. quia dedit illi omnem poteſtatem in cœlo & in terra: *vt in nomine eius omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium atque infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris.*

Chaleb autem, frater Suba, genuit Machir, qui fuit pater Eſton. Porro Eſton genuit Betharapha, & Pheſſe, & Thena patrem vrbis Naas.

Legimus ſupra, Chaleb eſſe filium Eſrom, cuius fratres fuerunt Ram & Ierameel. Aiunt ergo Hebræi iam fratrê Chaleb Sicha hic appellati: & interpretatur Ram, *excelſus*: Sicha quoque *humilis*. Quod bene Iudaici populi typum poteſt exprimere per allegoriam: qui quondam excelſus fuit in cultura vnius Dei, & potentia regni: ſed Matth. 20. quia Chriſtum ad ſe venientem ſuſcipere noluit, humilis atque vilis effectus eſt, iuxta illam parabolam Euangelii; quæ dicit, primos eſſe nouiſſimos, & nouiſſimos primos: C Quia Iudæi cum dudum fuerint primi ſub veteri teſtamento, nunc ſunt nouiſſimi in gratia noui teſtamenti: & gentium populi è contrario primi, qui tunc erant nouiſſimi; Deut. 28. quia caput in caudam, & cauda in caput verſa eſt. Chaleb vero genuit Machir, & Machir genuit Eſthon, Eſthon autem genuit Thena. Quod vero dicit Thenan patrem vrbis eſſe Naas, intelligi poteſt aut Bethleem, aut matris Iſai: quia Iſai in alio loco *Naas coluber* vocatur. Quod autem ſubiungitur: Hi ſunt viri Recha: nonnulli intelligunt Recha nomine Dauid nuncupari: interpretatur enim Recha, *tener*. 2. Reg. 23. Vnde ipſe Dauid de ſe ita ait: *Ego ſum tener & vnctus Rex.* Et in alio loco, quaſi *vermiculus ligni tener* eſſe deſcribitur. Idcirco enim viri Recha dicuntur, quia propter exprimendam genealogiam Dauid in hac eſſentia annotati ſunt.

Filij autem Chenez, Othoniel & Saraia. Porro filii Othoniel Athat & Maonat. Maonathi genuit Ophra: Saraias autem genuit Ioab, patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant, &cæt.

D Filij ergo Chênes fuerunt Othoniel & Sarala, ſed de Saraia dicitur Ioab prodeſſe, qui iuxta nominis ſui interpretationem dicitur *pater vallis artificum*, quia de filiis eius fuerant architecti ad ædificandam domum Domini. Secundum allegoriam autem artifices, qui in vallibus habitabant, poſſunt ſignificare legis Doctores, 1. Cor. 8. quos *ſcientia non inflat, ſed charitas ædificat*, qui humiliati præcipue operam dant, & modeſte iura rite conſeruant; qualis fuit Act. 5 & 22 Gamaliel, legis Doctor honorabilis, & diſcipulus eius, Paulus ſcilicet Apoſtolus; necnon & alij his ſimiles: quorum ſermo atque exempla ædificationes virtutum ſunt.

Filii Eſra: Iether & Mereth & Epher & Iaalon.

Hic locus quia difficilis eſſe videtur, quod Hebræi inde ſentiant, quantum ex ſcriptis eorum percepimus, dicamus. Aiunt quippe, Eſram hunc, qui interpretatur, *auxilium*, Ipſum eſſe Amram patrem Moyſi & Aaron: Iether, quæ interpretatur, *reſiduum*, hunc eſſe Aaron: & E Mereth, qui *rebellans*, interpretatur eundem eſſe Moyſen. Epher vero ſiue Eſer, quod nomen *puluerem* ſonat, Eldat fuiſſe. Iaalon quidem ipſum eſſe Medat. Hi ergo duo de numero fuerunt ſeptuaginta Seniorum, quos Moyſes à Exod. 24. Num. 11. Domino accepit in auxilium regiminis in ipſo Iſrael: qui etiam dicuntur prophetaſſe in caſtris, quandò Moyſes cum cæteris ierat ad tabernaculum ante Dominum, ſicut in libro Numerorum legitur. Tradunt enim, Moyſen poſt acceptam legem in Heremo patri iniunxiſſe, vt matrem dimitteret, eo quod illius amita eſſet; filia enim fuit Leui, poſt cuius diſsidium duxiſſe aliam vxorem Amram, ex qua hos duos filios, hoc eſt, Eldat & Medat habuerit. Quod autem ſequitur: *Genuitque Mariam & Sammai & Ieſba patrem Eſthama. Vxor quoque eius Iudaia peperit Iaret patrem Iedor, & Eber patrem Socho, & Hicutiel patrem Zanoa.* Sammai Moyſen intelligi volunt, qui interpretatur, *cœleſtis*; Ieſba Aaron, qui interpretatur, *collaudatio*; patrem Eſthamoa, id eſt, *ignis manentis*, eo quod filij Aaron in aſsiduis ſacrificiis igne vtebantur. F Nomina verò, quæ continuatim ſequuntur, omnia Moyſi vocabula intelligi volunt propter diuerſos actus eius, hoc eſt, primum iaret, hoc eſt, *deſcendens*; eo quod de monte deſcenderit cum tabulis legis; pater autem Iedor *Sepis* dicitur, eò quod quaſi quodam ſepe populum circumdedit lege; Eber quoque, hoc eſt, *tranſlator*, pro eo vocatur, quod populum ſeruitio Dei iunxerit. Pater Socho *prophetia*, quia ſæpe ipſe Doctor fuit Prophetarum. Hicutiel vero *ſperans in Dominum* inde nuncupatur, quia ſpem habuerat liberandi populum de Ægypto. Pater autem Lanoa, qui interpretatur, *gubernator*, inde dictus, quia magnam populo in heremo gubernationem exhibuerit; ſiue quod doctrina ſua corde gubernat ſe ſubſequentes. Quod autem poſt hæc nomina ſequitur Scriptura, dicens: *Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis: quam accepit Mereth*: idcirco filiam Pharaonis in hoc loco matrem Moyſi vocat, quæ & ipſa iuxta proprietatem nominis ſui, *filia Domini*, nũcupatur, ſcilicet propter bonam voluntatem, quam in nutriendo puero habuerat. indeque Mereth *Moyſe accepta*, dicitur, eo quod, relictis idolorum cultibus, ad Dei vnius cultum conuerſa ſit. G Quod vero ſuperius dictum eſt: *Vxor eius Iudaia peperit Iareth*; Iudaiam dicunt eſſe Iochabeth matrem Moyſi & Aaron.

Filii Sela filii Iuda, Her pater Lecha & Laada pater Mareſa, & cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti. & qui ſtare fecit ſolem. virique mendacij, & ſecurus & incendens, qui principes fuerunt in Moab, & quæ reuerſæ ſunt in Leem.

Hic nomen Her idcirco ponitur, propter memoriam priſtini nominis, quod habuit ille, qui propter impietatem Gen. 38. à Domino occiſus eſt. Cognationes ergo domus operantium byſſum in domo iuramenti, hi ſunt, qui cum Exod. 36. Beſeleel commorati ſunt ad explendum opus tabernaculi. Iuramenti autem domus idcirco dicitur, ſicut in tabernaculum fœderis; quia in eo Deus cum homine fœdus pepigit, & iuramentum, quod iurauit ad Abraham Iſaac & Iacob, confirmauit. Quod verò ſequitur: *Qui ſolem fecit ſtare*, redit ad progeniem Phares, de quo ortus eſt Dauid; oportunum iudicans, progeniem Iuda, de qua tribus regia orta eſt, in Dauid terminare. Tradunt enim, H hunc fuiſſe Elimeleth, virum Noemi, patrem Maalon & Ruth. 1. Chellon; in cuius tempore Sol ſteterit propter præuaricationes legis; vt, tanto miraculo viſo, conuerterentur ad Dominum Deum ſuum. Quod quia facere contempſerunt, idcirco fames inualuit; & ille, qui in tribu Iuda prior Ibidem. videbatur, famis inopia cum vxore & filiis non ſolum patria pelleretur, verum etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacij eſſe Mahalon & Chelion dicunt, qui hic ſecurus & incendens appellatur, & de quibus dicitur, quod principes fuerunt in Moab; eo quod vxores Moabitides duxerint, quod in Hebræo expreſſius ponitur, vt ab eruditis illius linguæ didicimus; vt non principes, ſed mariti dicantur. Quod vero ſequitur: *Quæ reuerſæ ſunt in Bethleem*; Noemi & Ruth demonſtrat, quod in Bethleem ad panem poſt impiam famis, audita vbertate panis in Bethleem, reuerſæ ſunt.

A Et quia hæc hiſtoria in libro Ruth ſcribitur, idcirco ſubſequitur. Hæc autem ſunt verba vetera.

Hi ſunt figuli habitantes in plantationibus & in ſepibus apud regem in operibus eius, commoratique ſunt ibi.

Singulos vero dicit habitantes in plantationibus & in ſepibus: progeniem, quæ de Ruth propagata eſt, quæ in ſepibus & plantationibus habitaſſe dicitur, quã ad regiam dignitatem & ad munimentum plebis hæc plantatio peruenit. *Commemoratique ſunt ibi*, hoc eſt, in Bethleem, *apud Regẽ in operib. eius*: quia ex eis Dauid Rex exortus eſt, cuius opera nimis præconiis prædicantur. Myſtice autem figulos hos, in plantationibus & in ſepibus laborant, nõ alios, quam Doctores ſanctos intelligimus: qui formant & componunt vaſa Domini: *fingere* enim *componere* dicimus. Vnde compoſitores luti figulos vocamus. Iſti figuli in plantationibus & in ſepibus laborant, quia vineam Domini verbo fidei excolunt, & doctrinis ſuis plantant exhortationibus ſuis atq; orationibus vndiq; muniunt. Hi apud regem in operibus eius commorantur: quia in fide B Christi manentes, quicquid dicunt, quicquid agunt, omnia in gloriam Dei faciunt.

Filij Simeon Iamuel & Iamin, Iarib, Zara Saul, &c.

Gen. 46. Filij ergo Simeon in Geneſi ſcribuntur ſex: hic vero Sober tollitur, eo quod nulla de eo progenies proceſſit. Mutantur vero nomina quædam ſuis rationibus. Nam in Geneſi ſcribitur Iemuel, qui interpretatur, *mare Dei*: in Paralipomenon vero Iamuel, *loquens cum Deo*. Alias vero in Geneſi vocatur Ochaz, in Paralipomenon aut Iarib. Num. 25. Ochaz quoque interpretatur *laudatio*: & Iarib, *litigans* eo quod de eius progenie exiuit Zamri, qui cum ſcorto Madianite peccans à Phinee ſacerdote peremptus eſt. Gen. 46. Lachim in Geneſi ſcriptum eſt, quod interpretatur; *preparatio*: in Paralipom. vero idem nominatur Zara, quod interpretatur, *ortus*. Saul quidem, quem eodem nomine in vtroq; libro commemorat, ſed hic filium Cananitidis tacet: & vicinitate fraterni nominis ex Zare, qui interpretatur, *ortus decorus*.

Fratres autem eius non habuerunt filios multos: & vniuerſa cognatio non potuit adæquare ſummam filiorum Iuda.

C Manifeſtum eſt, Simeon non tantũ habere fœcunditatis ſobolis quantũ habuit Iudas. Vnde & in libro Ieſu Naue dicitur Simeon per cognationes ſuas accepiſſe hæreditatem in medio poſſeſsionis filiorum Iuda. Ioſ. 19.

Habitauerunt autem in Berſabee & Molada & Haſarſual, &c.

Hæ ciuitates ex maxima parte ad poſſeſsionem tribus Iuda pertinebant. Quod autem ſubiungitur:

Hæ ciuitates eorum vſque ad Regem Dauid.

Oſtendit, quod Sicelech & Berſabee, quæ tribus Iudæ fuerunt, & à tribu Simeon inuaſæ ſint, à Dauid denuo in priſtinam Iudæ redierunt hæreditatem.

Et vniuerſi viculi eorum per circuitum ciuitatum iſtarum vſque ad Baal, &c.

Baal ipſe eſt locus, qui alibi *Cariathbal* ſcribitur, de quo ſuperius dictum eſt. Quod autem dicitur:

Iſti ſunt nominati principes in cognationibus ſuis, & in domo affinitatum ſuarũ multiplicati ſunt vehementer: & profecti ſunt, vt ingrederentur in Gador vſque ad Orientem vallis: & vt quærerent paſcua gregibus ſuis: inueneruntq; paſcuas vberes & valde bo- D *nas, & terram latiſsimam & quietam & fertilem, in qua ante habitauerunt de ſtirpe Cham. Hi ergo venerunt, quos ſupra deſcripſimus nominatim, in dieb. Ezechiæ regis Iuda & percuſſerunt tabernacula eorum, & habitatores, qui inuenti fuerant ibi, & deleuerunt eos vſque in præſentem diem, habitaueruntque pro eis, quoniam vberrimas paſcuas ibidem repererunt.*

De ſcriptis his, quos de Simeon ſtirpe numerarunt. & expreſſis actibus eorum, iuxta myſterium ſignificat, quod Doctores ſancti, qui principes ſunt Eccleſię. & præuident paſcuas gregibus Chriſti, proficiſcuntur in Gador vſque ad Orientem vallis, vt ibi quærant paſcua oportuna. Et quid per Gador, quæ interpretatur, *ſepes eius*, niſi ſancta Eccleſia exprimitur? quæ tutamen eſt atque defenſio fidelium animarum. Ibi ergo ſunt paſcua vſque ad Orientem vallis, hoc eſt, vſque ad incarnationem verbi Dei, de Phil. 2. quo Paulus ait: *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* B Ibi ergo q quærit paſcua, vberrima inueniet: quia ipſa ait Ioan. 10. Veritas: *Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Ibi ergo omnis quippe qui quærit paſcuas virtutum, vberes & valde bonas inueniet; ibiq; terra latiſsima & quieta & fertilis eſt, quia ibi gratia ſpiritalis dono Dei copioſiſsime abundat. Quod autem dicit: *In qua ante habitauerunt de ſtirpe Cham*; ſignificat multitudinem gentium de idolorum cultura ibidem confluxiſſe; vt vnius Dei veri eſſent cultores, quia antea variorum viciorum fuerunt ſeruitores. *Hi venerunt in diebus Ezechiæ Regis Iuda*, hoc eſt, in tempore Chriſti aduentus: *ipſe eſt* enim *virtus Dei*, Patris, quem Ezechias 1. Cor. 1. nomine ſuo denotat: Interpretatur enim *fortitudo Domini*. Percuſſeruntque tabernacula eorum, & habitatores, qui inuenti fuerunt ibi: & deleuerunt eos vſque in præſentem diem. Percutit vnuſquiſque fidelis tabernacula impiorum, & habitatores corũ, quando *abnegans impietatem & ſecularia deſideria* per Chriſti Baptiſmum à cun- Tit. 2. F ctis ſordibus abluitur peccatorum, ſicque deinceps per gratiam eius ſtudet *ſobrie, iuſte & pie viuere in hoc ſeculo expectans beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, et mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Ibid. Ita ergo fiet illud, quod ſcriptum eſt: *Et erit in loco, vbi dictum eſt, non plebs mea vos, vbi vocabuntur filij Dei viuentis.* Oſe. 2.

De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Nabariam et Raphaiam et Oziel filios Ieſi. et percuſſerunt reliquias, quæ euadere potuerant, Amalechitarum, et habitauerunt ibi pro eis vſque in diem hanc.

Quid per quingentos viros, niſi patres noui teſtamenti deſignantur? Hi ergo abierunt in montem Seir, & percuſſerunt reliquias Amalechitarum: quia ſuperbiam huius mundi conculcantes, deformitatem vitiorum opprimendo, malignorum ſpirituum reliquias, Spiritus ſancti gratia donante, comprimunt. Hi ergo quatuor principibus ſuſtentati eſſe dicuntur: quia Euangelica G doctrina veraciter inſtructi, ſpirituale bellum contra malignos ſpiritus conuenienter gerere poſſunt. Et bene dicitur, quod habitarent ibi, percuſsis reliquiis Amalechitarum: quia, expulſis iniquis poſſeſſoribus, in loco vitiorum, virtutum ſeriem ſubrogauerunt, quarum poſſeſſio hominem efficit beatum. Conuenienterque additum eſt, *vſq; ad diem hanc*: quod tamdiu dici poteſt, quamdiu finis non erit mundi: quia ſancta Eccleſia vſque ad conſummationem permanet ſeculi, in qua cottidie contra hoſtes ſpirituales dimicatur, & cottidie triumphus de eis capitur.

Capvt V.

Filij quoque Ruben primogeniti Iſrael: ipſe quippe fuit primogenitus eius ſed cum violaſſet thorum patris data ſunt primogenita eius filiis Ioſeph, filii Iſrael: & non eſt ille reputatus in primogenitum

Manifeſtus eſt hiſtoriæ ſenſus, quod ideo ablata ſunt primogenita à Ruben, eo quod dormiuit cum Bala con- Gen 35. H cubina patris ſui Iacob, & ſtupraſſet eam. Vnde primogeniti honor translatus eſt ad Ioſeph iuniorem filium, cuius progenies valde multiplicabatur, & excellebat potentia regni inter decem tribus, quæ fuerunt in Samaria. Myſtice autem demonſtrat ruinam populi prioris, cuius (iuxta quod primogenitus debebatur) erat accipere ſacerdotium atque regnum. Sed quia aſcendit cubile Dei Patris ſui, & maculauit ſtratum eius, quando corpus Dominicum, in quo plenitudo diuinitatis requie- Col. 2. ſcebat, raptum in cruce ſuſpendit, & ferro commaculauit; ob hoc primogenitorum dignitas ad Ioſeph ſpiritualem, hoc eſt, Chriſtum & Eccleſiæ populum tranſlata eſt ad quem in Pſalmo paterna vox ait: *Ante luciferum genui te: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſal. 109.

Porro Iudas, qui erat fortiſſimus inter fratres ſuos: de ſtirpe eius principes germinati ſunt, &c.

Digitized by Google

A Per Iudam ergo Patriarcham exprimitur Redemptor noſter, caput videlicet Eccleſiæ Catholicæ. Vnde ſcriptum eſt de eo: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Qui erat fortiſsimus inter fratres ſuos: quia *vnxit eum Deus Pater oleo lætitiæ præ omnibus participibus ſuis.* De cuius ſtirpe principes germinati ſunt, hoc eſt, Apoſtoli & Doctores noui Teſtamenti; de quibus in Pſalmo Propheta ad ipſum CHRISTVM loquitur, dicens: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Pari ergo modo & primogeniti dignitas & principatus regni ad mediatorem Dei & hominum pertinent: quia *ipſe eſt primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

Gen. 49. Pſal. 44. Ibidem. 1. Cor. 15. Col. 1. Apoc. 1.

Filij Iohel, Samaia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius, Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius, Beera filius eius, quem duxit captiuum Dux Theglathphalarſar, rex Aſſyriorum: fuit princeps in tribu Ruben, & reliq.

B Beera filius Baal, de ſtirpe Ruben: ipſum dicunt eſſe principem Oſeæ Prophetæ, quem rex Aſſyriorum cum decem tribubus, quæ fuerunt in Samaria, in captiuitatem duxit.

In diebus autem Saul præliati ſunt contra Agarenos & interfecerunt illos, habitaueruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ reſpicit ad Orientem Galaad.

Notandum autem quod Agar, vnde Agareni exorti ſunt, ipſa ſit Cethura, quem poſt mortem Saræ Abraham duxit vxorem. Nam dum in ſequentibus dicat, Rubenitas & Gaditas & dimidiam tribum Manaſſe pugnaſſe cum Agarenidis: ſequitur præbuiſſe eis auxilium Itureos, Naſeos & Nodab, qui vtique filij Iſmahel fuerunt. Sed & illud ſciendum, quod qui in Paralipomenon *Nodab*, idem in Geneſi *Cedma* vocatur. Cedma interpretatur, *antiquorem*: Nodab, *vter.*

Gen. 25. Ibidem.

Traditique ſunt in manus eorum Agareni & vniuerſi, qui fuerant cum eis: quia Dominum inuocauerunt, cum præliarentur: & exaudiuit eos, eo quod confiſi erant in eo.

C Quamdiu filij Iſrael diuino cultui ſecundum legis præcepta ſe mancipauerunt, tamdiu habuerunt Dominum propitium & adiutorem atque defenſorem contra hoſtes ſuos. Cum autem illum deſeruerunt, & idolorum culturam ſecundum morem nationum inſtituerunt; ſtatim ſentiebant eum vltorem, quem antea habuerunt protectorem. Quod enim dicit: *Fuit enim bellum Domini*: ſignificat, quod Domini auxilio bellum illud ad internecionem hoſtium peractum eſt.

Habitauerunt pro eis vſque ad transmigrationem:

Hoc eſt: donec pro peccatis ſuis traditi ſunt in manus Aſſyriorum.

Et ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Ful Regis Aſſyriorum, & ſpiritum Theglathphalaſar Regis Aſſur: & tranſtulit Ruben & Gad & dimidiam tribum Manaſſe: & eduxit eos in Ale & Abor & Hara & fluuium Gozan vſque ad diem hanc.

4. Reg. 15. Notandum autem, quod in libro Malachim fertur, Ful regem Aſſyriorum à Manahe, filio Gaddi, rege Iſrael accepiſſe mille talenta argenti, vt eſſet ei auxilio, & firmaret regnum eius: non tamen, quod eum tranſtulerit

D in Aſſyrios. Item in eodem libro legitur, quod Theglathphalaſar, rex Aſſur, in diebus Faceæ regis Iſrael accepiſſet Aiom & Abel domum Maacha & Ianoem & Cedes & Aſer & Galaad & Galilæam vniuerſam terram Neptalim, & tranſtulerit eos in Aſſyrios. Nouiſsimè narrat, quod Salmanaſſar, rex Aſſyriorum, Oſee, filium Ela, regem Iſrael, obſidendo Samariam tribus annis, cœperit, & tranſtulerit Iſrael in Aſſyrios, poſueritque eos in Hala & in Abor, iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum. Vnde quæritur, quomodo ſcriptum ſit in Paralipomenon Ful & Theglathphalaſar reges Aſſyriorum tranſtuliſſe Ruben & Gad & dimidiam tribum Manaſſe, & eduxiſſe in Ale & Abor & Ara & fluuium Gozan: cum hoc Malachim narret Salmanaſar regem perfeciſſe: quia ipſe tranſtulit Iſrael in Aſſyrios, poſuitque in locis ſupradictis? Sed hæc quæſtio ita ſolui poteſt: Quod ideo priores reges Aſſyriorum dicuntur hanc tranſmigrationem perpetraſſe, quia ipſi cœperunt primitus hoc agere cum gente Aſſyriorum, quod eadem gens in poſteribus regibus ſtuduit perfeciſſe. Haram autem quoque in Paralipomenon memorat, & Malachim prætermittit. Hanc autumant Hebræi Reges eſſe ciuitatem Medorum, vbi Gabel manebat, à quo Tobias pecuniam decem talentorum argenti ſibi creditam repetebat.

Ibid. 4. Reg. 17. E Tob. 1. 4. & 9.

CAPVT VI.

Iohannan genuit Azariam: ipſe eſt, qui ſacerdotio functus eſt in domo, quam ædificauit Salomon in Hieruſalem.

Quæritur, cum enumeratis ſuperius filijs Leui per Aaron & filios eius iuxta ſucceſsionem ſacerdotalem, quomodo perueniens ad Azariam filium Iohannan ipſum dicat Scriptura eſſe, qui ſacerdotio functus eſt in domo, quam Salomon ædificauit in Hieruſalem: cum alij ſimiliter ſacerdotes fuerint in ipſa domo, de quibus nihil tale refertur? Sed ideo iſte ſolus tali præconio laudatur, quia reſtitit Oziæ regi ſacrificare volenti in templo Dei, & ob conſtantiam animi atque zelum legis apertè dicitur expleſſe officium ſacerdotis.

F 2. Par. 26.

Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob, Achitob genuit Sadoch. Sadoch genuit Sellum. Sellum genuit Helchiã. & Helchias genuit Azariam. Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Ioſedech. Porro Ioſedech egreſſus eſt, quando tranſtulit Dominus Iudam & Hieruſalem, &c.

Ioſedech quippe quidam dicit eſſe Cram ſacerdotem, qui reuerſus de Babylone ſimul cum Zorobabel & filiis Iuda reſtaurauit templum Domini, & ciuitatem Hieruſalem. Quod demonſtrare videtur liber eiuſdem Eſdræ, vbi dicit: *Poſt hæc autem verba in regno Artaxerxis, Regis Perſarum, Eſdras filius Saraiæ, filij Azariæ, filij Helchiæ, filij Sellum filij Sadoch, filij Achitob filij Zariæ, filij Amariæ filij Azariæ, filij Maraioth filij Zachariæ, filij Ozi filij Bocci, filij Abiſuæ, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron ſacerdotis ab initio*, &c. Tradunt etiam eundem Eſdram eſſe Malachiam Prophetam, qui in duodecim prophetis vltimus eſt: quia pleraque in libro illius continentur, & hic Propheta commemorat, dicens: *Labia ſacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Alij autem aſſerunt, Ioſedech eſſe patrem Ieſu ſacerdotis magni; cuius meminit Zacharias Propheta in libro ſuo. Eſdram autẽ dicunt eſſe ſacerdotem virum iuſtum & gloria magna poſitum apud multitudinem populi in Babylone, reuerſum autem inde cum plurima turba temporibus Artaxerxis Regis in Hieruſalem.

1. Eſd. 7. G Mal. 2. Zach. 3.

Filij Samuel primogenitus Vaſeni & Abia.

Notandum autem, quod in libro Regum de filij Samuel *Iohel* nominatur, idem in Paralipomenon *Vaſeni* ſcribitur. Quia ergo Abia filius Samuelis (vt Hebræi tradunt) in iudicio conſtitutus, munerum acceptor erat, & iſte Iohel (qui & Vaſeni) ſenior filius, hoc ſciendo, non eum inde corripiebat: ideo dicitur vterque peccatum feciſſe. Sic enim ſcriptum eſt: *Factum eſt autem cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices Iſrael: fuitque nomen filij eius primogeniti Iohel, & nomen ſecundi Abia, iudicum in Berſabee. Et non ambulauerunt filij eius in vijs illius: ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: conſtitue nobis regem, vt iudicet nos ſicut & vniuerſæ habent nationes.*

1. Reg. 8. Ibidem. H

Iſti ſunt, quos conſtituit Dauid ſuper cantores domus Domini, ex quo collocata eſt Archa, & miniſtrabant coram tabernaculo teſtimonij, canentes, donec ædificaret Salomon domum Domini in Hieruſalem. Stabant autem iuxta ordinem ſuum in miniſterio. Hi ergo ſunt, qui aſſiſtebant cum filijs ſuis. De filijs Caath, &c.

Hic anticipando de officijs cantorum Dauid, qui in organis Muſicorum laudes canebant, cum genealogiam eorum narraret, prælibauit: ſuo autem ordine, quomodo id feciſſent, demonſtratur. Quod verò dicitur Heman cantor filius eſſe Iohel filij Samuel, & expleta genealogia ipſius dicitur frater illius eſſe Aſaf, qui ſtabat à

A dextris eius; hoc non ſecundum natiuitatem, ſed ſecundum propinquitatem ſignificat, quia frater dicitur, non quod vnius patris aut matris eſſet filius, ſed eo modo, quo ſolemus proximos fratres appellare.

Ethan filius Cuſi, filij Abdi, filij Maloch, filij Aſabia, filij Amazia, filij Elchia, filij Amaſi, filij Bonni, filij Somer, filij Moholi, filij Muſi, filij Merari, filij Leui.

Ethan iſte vnus fuit de tribus cantoribus, qui coram Dauid in cymbalis æneis ad laudem Dei concrepabant. Et notandum, quod ſicut tres filij fuerunt Leui, hoc eſt, Caath Gerſon & Merari: ita & tres iſti cantores de ſingulis filijs originem ducebant, hoc eſt, Eman de Caath, Aſaf de Gerſon, & Ethan de Merari: vt præſens hiſtoria teſtatur. Myſticè autem hi tres cantores, qui in cymbalis æneis perſonabant, ſignificant Doctores ſanctos, qui ſanctæ Trinitatis fide imbuti iuxta diſpoſitionem veri Dauid fortem ſonitum prædicationis Euangelicæ in toto mundo reddunt, de quibus Pſalmiſta ait: *In omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines Orbis terræ verba eorum.* (Pſal. 18.) Et bene ſubiungitur:

B *Fratres quoque eorum, Leuitæ, qui ordinati ſunt in cunctum miniſterium tabernaculi domus Domini.*

Quia vniuerſus ordo Eccleſiaſticus ſecundum Apoſtolorum traditionem, qui primatum tenent in Doctoribus ſanctis, totum agunt miniſterium veri Dei tabernaculi, quod eſt ſancta Eccleſia, domus vtique Dei viui, de viuis lapidibus conſtructa. Vnde Doctor gentium diſcipulum inſtruens ait: (1. Tim. 3.) *Hæc tibi ſcribo ſperans me venire ad te cito. Si autem tardauero vt ſcias, quomodo oporteat te conuerſari in domo Domini, quæ eſt Eccleſia Dei viui columna & firmamentum veritatis.*

Aaron vero & filij eius adolebant incenſum ſuper altare holocauſti & ſuper altare thymiamatis, in omne opus ſanctiſſa ſanctorum, & vt precarentur pro Iſrael, iuxta omnia, quæ præceperat Moyſes ſeruus Dei. Hi ſunt autem filij Aaron: Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abiſue filius eius. Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zaraia filius eius, Meraioth filius eius, Amaria filius eius. Achitob filius eius, Sadoch filius eius, Achimaas filius eius, & reliq.

C Aaron & filios eius nullum melius ſignificare arbitror, quam Redemptorem noſtrum, & Eccleſiæ populum, ad quam Petrus in Epiſtola ſua ait: (1. Pet. 2.) *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotum, gens ſancta populus acquiſitionis.* Nam ipſe Pontifex ſummus, qui ex ſemine Dauid carnem ſuſcipiens, (Pſal. 109.) *factus eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech:* inſtituenſque eos docuit ſuper altare fidei holocauſtum bonorum operum & thymiama ſacræ orationis Deo offerre: & vt precarentur pro Iſrael, hoc eſt, pro ſtatu ſanctæ Eccleſiæ, iuxta omnia, quæ præcepit Moyſes ſeruus Dei: ſecundum præcepta ſcilicet legis, quæ data eſt per Moyſen. Quod vero genealogia Aaron reperitur & vſque Achimaas peruenit; putatur hoc ob laudem & memoriam Achimas factus eſſe, eo quod fideliter erga Dauid in omnibus egerit.

Capvt VIII.

Filij Ozi Izraia de quo nati ſunt Michael & Obadia & Iohel & Ieſia, quinque omnes principes.

D Quomodo dicit eſſe filios Izraia quinque, cum non inueniantur, niſi quatuor? Niſi forte annumeretur cum eis ipſe pater eorum Izraia, qui vnicus patri ſuo Ozi fuit ſecundum Regulam, quam ſupra in alio loco poſuimus.

Porro filii Bechor. Zamira & Ioas & Eliezer & Helioenai & Amri & Ierimoth & Abia & Naaboth & Almathan.

Vbicumque in lege ſcribitur: *Omnes iſti filij* cuiuslibet aut pro meritorum excellentia, aut pro meritorum deteriorατione fit, vt eius filij dicantur eſſe, cuius fuerunt & imitatores.

Filij autem Balan: Hieiu & Beniamin & Aoth & Canana.

(Iud. 3.) De huius ergo Aoth progenie fuiſſe dicitur Iudex Aoth, qui in libro Iudicum legitur. Canana vero iſte eſt, à (Iud. 19.) quo egreſſi ſunt Beniaminitæ, qui nefas perpetrauerunt in vxore Leuitis, ſicut in Iudicum ſcriptum eſt.

E *Filij autem Neptalim: Laſiel & Guni & Ieſer & Sellum filii Balæ.*

Hæc Bala concubina fuit Iacob, atque ancilla Rachel: (Gen. 30.) ideoque filios Neptalim eſſe Balæ: quia Neptalim, ex quo iſti generati ſunt, filius fuit iſtius Balæ.

Porro filius Manaſſe, Eſriel: concubinaque eius Sira peperit Machir patrem Galaad.

Aſſerunt Hebræi, hanc Siram filiam fuiſſe filij Balan, quam in Ægyptum famis inopia ad venundandum à patre ducta, à Manaſſe, qui horreis præerat, miſericorditer ſuſcepta, patri cibarijs datis, ab eodem Manaſſe in coniugium ſuſcepta ſit.

Machir autem accepit vxores filiis ſuis Haphin & Sephan & habuit ſororem nomine Maacha. Nomen autem ſecundi Salphaad. Nataque ſunt filiæ Salphaad, &c.

Hic confuſus ordo videtur eſſe dictionis, cum primum ponit duo nomina Machir, hoc eſt, Haphin & Saphan; deinde dicit: *Nomen ſecundi Salphaad*, qui habuerit (Num. 27.) filias, de quibus in Numerorum libro legitur, quod expetiſſent à Moyſe hæreditatem inter fratres ſuos. Sed F Hebræi hunc locum ita ediſſerunt: quod Haphin & Saphan vnius hominis nomina fuerunt, hoc eſt, prioris filij Machir: ſecundum autem eius filium fuiſſe Salphaad, & eorum ſororem eſſe Maacham: quam Efrom, cum ſexaginta eſſet annorum, accepit vxorem: quæ etiam peperit ei filium, nomine Segub, ſicut ſuperius demonſtratum eſt. Quod autem enumeratis filiis Manaſſe ex Machir ſubiungit:

Hi ſunt filii Galaad & Machir filii Manaſſe. Soror autem eius Regina peperit virum decorum, &c.

Hanc Reginam, quæ fuit ſoror Vlam, filij Phares, filij Machir, vt ſupra hiſtoria oſtendit, quidam tradunt eſſe matrem Ieſu filij Naue, quem *virum decorum* nuncupant propter inſigne virtutis eius & principatus. Alij (Iud. 4.) dicunt, eandem Reginam eſſe Debboram vxorem Lapidoth Propheriſſã. Sed eius opinionis qui certitudinem inuenerat, dicat.

G *Filii autem Ephraim: Suthala, Bareth filius eius, Thaad filius eius, Elada filius eius, Thaad filius eius, & filius Zabad, & huius filius Suthala & huius filius Ezer & Elad. Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ quia deſcenderant vt inuaderent poſſeſſiones eorum. Luxit ergo Ephraim pater eorum multis diebus, veneruntque fratres eius vt conſolarentur eum, &c.*

Super hoc capitulo Hæbræi huiuſmodi defingunt fabulam, dicentes: quod filij Ephraim, Ezer & Elad, congregata multitudine de Iſrael, viuente adhuc patre ſuo, conati ſunt ad terram promiſsionis reuerti, qui & Geth vrbe Philiſtinorum interfecti ſunt. Vnde & cæteræ poſtea tribus per deſertum adducuntur, ne viderent oſſa fratrum ſuorum. Et in Pſalmo dicitur: (Pſal. 77.) *Filii Ephrem conuerſi ſunt in die belli.* Fratres vero qui ad conſolandum Ephraim venerunt, aut eos dicimus, qui de Patriarchis ſupererant: aut cognationem, quam fraterno nomine ſæpe nominauerimus. Poſt hæc autem enumeratis filiis Beniamin ſubiungitur.

Capvt VIII.

H *Hi ſunt filii Aaod, principes cognationum habitantium in Gaba, qui tranſlati ſunt in Manath.*

Manath interpretatur, *ſepulchrum*. Tranſlati ſunt ergo in Manath, quando pro ſcelere in vxore Leuitis (Iud. 20.) perpetrato gladio corruerunt, & pene vſque ad nouiſſimum deducti, cum ex tota tribu non amplius quam ducenti viri remanſerunt. Quod vero ſequitur: *Naaman autem, & Achia, & Iera, ipſe tranſtulit eos:* deſignat duos priores hoc eſt, Naaman & Achia fuiſſe principes, ſed tamen ſe ſubdidiſſe Iera. Vnde & ſingulari numero deſcribuntur: *Ipſe tranſtulit eos.* De iſto Iera proceſsit progenies Iera, qui fuit pater Semei.

Baria autem & Sama principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugauerunt habitatores Geth.

Fugaſſe dicuntur Baria, & Sama habitatores Geth,

Digitized by Google

A quia vlti ſunt fratres ſuos Ephraim, quos gladio conniderunt.

Fuerunt autem filij Vlam viri fortiſſimi, & magno robore tendentes arcum, & multos habentes filios ac nepotes vſque ad centum quinquaginta.

Hic centum quinquagenius numerus refertur ad filios Vlam, vt iſte ſit ſenſus: Fuerunt autem filij Vlam centum quinquaginta per tropum, qui vocatur Yperbatum.

CAPVT IX.

V*Niuerſus ergo Iſrael dinumeratus eſt, & ſumma eorum ſcripta eſt in libro Regum Iſrael & Iuda. Tranſlati ſunt autem in Babylonem propter delictum ſuum.*

2. Reg. 24. 1 Par. 21. Numerati ſunt ergo filij Iſrael ſiue per Dauid, vt Scriptura refert, ſiue per Salomonem, ſiue per alium quemlibet regem: ſed tamen propter delictum ſuum in
4 Reg. 15. Chaldæam tranſlati ſunt, partim per Theglathphalaſar,
B partim per Salmanaſar, partimque per Nabuchodono-
4 Reg. 17. 4 Reg. 25. ſor: vbi & plurimi eorum defecerunt. Quod autem dicitur.

Habitauerunt primi in poſſeſſionibus & vrbibus ſuis, Iſrael & Sacerdotes, Leuitæ & Nathinæi, &c.

Ioſu. 9. Sciendum, quod Nathinæi, *domini*, ſiue *in humilitate ſeruientes*, interpretatur, & ſunt Gabaonitæ, quos Ioſue cum vitæ reſeruauerit, ad ſeruitium tamen templi deputauit: vt aquas & ligna illuc apportarent.

Azarias quoque filius Elchia, filij Moſollam, filij Sadoch, filii Maraioth, filii Achitob pontifex domus Dei, & reliq.

4 Reg. 22. Iſte eſt Elchias ſacerdos magnus, qui librum legis inuenit, hoc eſt, Deuteronomyum in templo Domini, temporibus Ioſiæ: & dicitur fuiſſe pater Hieremiæ Prophetæ.

Bacbaar quoque carpentarius & Gaal & Mathania filius Micha filii Cechri, filii Aſaph. & Obdias filius Semeia, filii Galal, filii Idithum: & Barachia filius Aza, filii Elcana, qui habitauit in atriis Netophati, &c.

Bacbaar carpentarius idcirco deſcribitur: quia artificio ſuo fungebatur in Domo Domini, & erat de tri-
C bu Leui: & Barachia filius Aſaph filij Elcana: qui habitauit in atrijs Netophatio Netophati nomen loci eſt, & interpretatur, *inclitus*, vbi habitabat Eleb filius Bara,
1. Par. 2. de quo ſuperius dictum eſt: *Qui erant coronæ domus Ioab.*

Abdia filius fuit Semeia, filii Galal, filii Idithun.

Idithun cantoris Dauid.

Obſeruant quippe in porta regis ad Orientem de filiis Leui per vices ſuas.

Qui erant cantores, & vicibus ſuis ad pſallendum cum Dauid conueniebant: quia antequam templum ædificaretur, in palatio erat archa teſtamenti, & ibi ædi inſeruiebant.

Num 16. *Sellum vero filius Cora filii Abiaſaph filii Chore cum fratribus ſuis & domo patris ſui.*

Hic prior Cora per *Aleph* ſcribitur, & ſonat *Cora*. Secundus vero per *hae*, & ſonat *Chore*. Chora, *clamans*: Core, *clauus* interpretatur. Ipſe eſt, qui in Numeris ſcribitur in ſeditione fuiſſe contra Moyſen. Quod autem dicit:

D *Hi ſunt Choritæ ſuper opera miniſterii, cuſtodes veſtibulorum tabernaculi:*

Significat, quod iſti cuſtodiebant oſtium tabernaculi exterius: patres vero eorum, qui ſubter ſcribuntur, & qui in Pſalterio titulos habent, ipſi cuſtodiebant oſtium interius tabernaculi Domini, & erant cantores. Quod autem ſubiungitur:

Et familiæ patres eorum per vices caſtrorum, Domini cuſtodientes introitum:

Caſtrorum dicit filiorum Leui circa tabernaculum Domini habitationem, necnon & cæterorum filiorum Iſrael caſtrorum metaturam: ſicut & in Numeris manifeſtiſſimè deſcriptum eſt.

Num. 2. *Phinees autem, filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino*, &c.

Sic monſtratur Phinees nepos Aaron (vt Hebræi tradunt) adhuc in eodem tempore viuere, & in tabernaculo vices miniſtrantium ordinare. Hi ſunt vices viginti
B quatuor, quæ in ſequentibus deſcribuntur à Dauid ordinatæ ad miniſterium tabernaculi, quarum in Euangelio mentio eſt: vt *Zacharias de vice Abia* ſorte dicitur exiſſe, vt incenſum poneret in templo Domini. Luc. 1.

Per quatuor ventos erant oſtiarii, id eſt, ad Orientem ad Occidentem, ad Aquilonem & Auſtrum. Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in Sabbatis ſuis de tempore vſque ad tempus. His quatuor excubiis Leuitarum creditus erat omnis numerus ianitorum: & erant ſuper exedras & theſauros domus Domini. Per gyrum quoque templum Domini morabantur in cuſtodiis ſuis, vt, cum tempus fuiſſet, ipſi mane aperirent fores.

In ſequentibus vero, vbi tota diſpoſitio miniſterij tabernaculi Domini à Dauid diſpoſita commemoratur, quia fuerunt hi quatuor Leuitæ, quibus creditus erat, omnis numerus ianitorum, demonſtratur, vbi ita ſcri- 1. Par. 26.
ptum eſt: *De Hoſa autem, id eſt, de filiis Merari Semri principi. Non enim habuerat primogenitum, & idcirco poſuerat*
eum pater eius in principem. Helchias ſecundus. Tabelias tertius. Zacharias quartus. Omnes hi filii & fratres Hoſa tredecim. Hi diuiſi ſunt in ianitores: vt ſemper principes cuſtodiarum, ſicut & fratres eorum, miniſtrarent in domo Domini. Miſſa ſunt autem ſortes ex æquo & paruis & magnis per familias ſuas in vnamquamque portarum. Cecidit ergo Sors Orientalis Selemiæ. Porro Zachariæ, filio eius, viro prudentiſſimo & erudito, ſortito obtigit plaga ſeptentrionalis. Obed Edom vero & filiis eius ad Auſtrum, in qua parte domus erat ſeniorum concilium Suphim & Hoſa ad Occidentem iuxta portam, quæ ducit ad viam aſcenſionis, cuſtodia contra cuſtodiam. Quatuor autem principes ianitorum iuxta ſpiritalem intelligentiam qui ſunt alij, niſi Doctores ſancti? qui quatuor Euange- Matth 16.
lijs oſtium fidei ſeruant patere credentibus; & obſerant Matth. 18
blaſphemantibus. Quibus cum Petro claues regni cœ- Ioan. 20.
leſtis CHRISTVS commiſit. Hi per quatuor ventos oſtia cuſtodiunt: quia per quatuor plagas Orbis vndique gentem ad fidem Domini conuocant, & Eccleſiam ſanctam peruigili tutamine ſeruant. Quod autem ſequitur.

G *De eorum grege erant & ſuper vaſa miniſterii: ad numerum enim, & inferebantur vaſa & efferebantur de ipſis & qui credita habebant vtenſilia ſanctuarii: & qui præerant ſimilæ, & vino & oleo & thuri & aromatibus.*

De eorum grege dicit, hoc eſt, ſecundum hiſtoriam de congregatione Leuitarum conſtituebantur ſuper vaſa miniſterij & vtenſilia ſanctuarij: vt præeſſent ſimilæ & vino & oleo, quæ ad ſacrificia pertinebant; & thuri Num. 3. & 4.
& aromatibus, quibus conficiebantur vnguenta & thymiamata: ſicut in libro Numerorum diſtinctim atque ſeparatim deſcriptum eſt, quid Caathitæ, & quid Genſonitæ, quidue Meraritæ miniſterio habuerint: & quid Aaron & filij eius præ cæteris ſub cura ſua haberent. Vnde ſubiungitur:

Filii autem ſacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant.

Myſticè autem de cœtu ſanctorum prædicatorum ordinantur hi, qui ſuper vaſa miniſterij domini, hoc eſt, ſuper animas fidelium, in quibus voluntas Dei quotidie admini-
H ſtratur, peruigilem cuſtodiam habent. Sub ipſorum cura eſt & ſimila & vinum & oleum, in quibus ſacramenta corporis & ſanguinis Domini conficiuntur, & Spiritus ſancti gratia ſpeciali vnctione traditur, ipſique thus ſacratum orationum, & aromata virtutum in Eccleſia Dei odorifere componunt, & in conſpectu Dei vinum acceptabile reddunt.

Et Mathathias Leuites, primogenitus Sellum Coritæ præfectus erat eorum quæ in Sartagine frigebantur.

1. Cor. 15. Col. 1. Apoc. 1. Ioan. 10. Qui per Mathathiam, primogenitum Sellum Coritæ, niſi Redemptor noſter figuratur, qui *eſt primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ? Quem pater ſanctificauit & miſit in mundum*, vt per paſſionem Crucis redimeret genus humanum. Quod bene ipſa nomina ſua interpretatione exprimunt. Nam Mathatias interpretatur, *donum Dei*: & Sellum, *euulſio*, vel *dimiſſio*: Chorita, *diſſipans*, vel *diſperdens*. Deus enim omnipotens diſſi-

A pare atque euellere deliberans principatum Diaboli,
proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum:
quatenus carnem ſuam in mola paſsionis terens, ac oleo
miſericordiæ in ſartagine Crucis frigens, à poteſtate ſa-
thanæ, & vinculis peccatorũ reũ abſolueret mundũ. Ma-
thathiaspræfectus erat eorum, quæ erat in ſartagine fri-
gebantur: quia CHRISTVS author eſt ſacramento-
rum cœleſtium, vbi cottidie panis & vinum in comme-
morationem paſsionis eius offeruntur, & caput eſt ſan-
ctorum omnium, qui eius exemplo inſtructi, carnem
Gal. 5. ſuam crucifigere & ad paſsiones pro ipſius nomine tra-
dere didicerunt.

*Porro de filiis Caath fratribus eorum ſuper panes erant pro-
poſitionis: vt ſemper nouos per ſingula ſabbata prepararent*, &
cætera.

Leuit. 24. Panes quippe propoſitionis duodecim, Domino Moyſi
præcipiente, parabantur ad imponendum ſuper men-
ſam Domini, quæ ſtabat in tabernaculo iuxta decretum
legis: vbi & altare thymiamatis, necnon & candelabrum
B luminis poſita erant. Loquebantur autem panes (vt
Ioſephus ſcribit) duo & duo diuiſi ante ſabbatum: &
ſabbato mane oblati ſuper ſacram menſam poneban-
tur ſeni ad alterutros conuerſi. duabus pateris aureis ſu-
perpoſitis thure plenis, qui permanebant ad aliud ſabba-
tum, & tunc pro illis alij deportabantur. Illi vero ſacerdo-
tibus exhibebantur, & thure incenſo in igne ſacro, in
quo omnia holocauſta fiebant, thus aliud ſuper alios pa-
nes adijciebatur. Myſtice autem duodecim panes in mẽ-
ſa tabernaculi duodecim ſunt Apoſtoli, & omnes do-
ctrinæ illorum ſequaces in Eccleſia, qui quando vſque ad
conſummationem ſeculi populum Dei alimonijs verbi
reficere non deſinunt, panes viginti propoſitionis nun-
quam de menſa Domini recedunt. Et benè ijdem panes
non de qualibet farina, ſed de ſimila fieri videbantur:
quia nimirum quicumque aliis verbum vitæ miniſtrant,
primo ipſos neceſſe eſt virtutum frugibus operam dare,
quatenus ea, quæ prædicando ammouent, & faciendo
commendent, configurati exemplis illius de ſemetipſo
Ioan. 12. ait: *Niſi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit; i-
pſum ſolum manet.* Bene & ijdem panes ſeni altrinſecus ſu-
C per menſam ſtatui præcipiebantur, propter concordiam
ſcilicet charitatis & ſocietatis. Nam & Dominus binos ad
Marc. 6. Luc. 10. prædicandum diſcipulos miſiſſe perhibetur, figuraliter
inſinuans, quod ſancti Doctores nunquam ab inuicem
vel in aſſertione veritatis, vel in affectu dilectionis diſcre-
pant. Quod autem ſuper panes thus lucidiſsimum po-
nebatur, virtutem orationis deſignat: quia ijdem Do-
ctores ſuæ miniſterium prædicationis, ſimul & deuotio-
nem operis Domino commendant. Nam per thus ora-
tionem deſignari teſtatur Pſalmiſta, qui dicit: *Dirigatur
Pſal. 140. oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et thus lucidiſsi-
mum ſuper panes ponitur in monumentum oblationis
Domini: quando piæ ſanctorum actioni ac doctrinæ ora-
tio pura ſuperadditur: quo per hæc vtraque rite ſociata
ſemper memoria ſacræ oblationis in conſpectu ſum-
mi arbitris appareat. Bene autem per ſingula ſabbata
panes coram Domino mutari mandantur. Panes nam-
que, qui per ſex dies operandi in menſa Domini fue-
D rant poſiti, ſabbato nouis mutantur, cum Doctores qui-
que ſanctæ Eccleſiæ, completo tempore ſui ſancti labo-
ris, etiam in cœlis remunerantur, & alio poſt ſe in idem
opus laborandi in verbo ſub eiuſdem ſpe retributionis
relinquunt. Sicque fit, vt menſa Domini nunquam pa-
nis inops remaneat: verum mox ſublato pane alius lo-
co eius ſubſtituatur: dum ſuccedentibus ſibi per ordi-
nem miniſtris verbi, nunquam Eccleſiæ deſunt, qui
Apoſtolicæ ſiue fidem pietatis, ſeu munditiciam actio-
nis & verbis oſtendant & factis. Et bene dicitur, quod
de filijs Caath conſtituti erant ſuper panes propoſitio-
nis: quia patientia Redemptoris noſtri docuit Apoſto-
los ad prædicatores Euangelij, vt per conſtantiam pa-
tientiæ & virtutem diſcretionis, ſe ſuoſque gratam ex-
hiberent oblationem: cum eiſdem ipſa veritas in Euan-
Luc. 21. gelio ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Nec
enim doctoris quilibet ritè fungi poteſt officio, niſi ſe

patientiæ ac diſcretionis decorare ſtuduerit ornamen- B
to: vt diſcretus ſit in ſermone ſimul & opere, & for-
tis, ſi aduenerit, in ſuſtinenda aduerſitate. Apte autem
ſequitur, quod principes cantorum per familias Le-
uitarum, qui in exedris morabantur, die ac nocte iu-
giter ſuo miniſterio deſeruirent, capitaque Leuitarum
per familias principes manſerint in Hieruſalem: quia
valde dignum eſt: vt quanto quis prælatus cæteris,
tanto deuotior in diuinis fiat officiis. Ille quippe prin-
cipatum miniſterij ſui ſeruat, qui ſtudium habet ma-
nendi in Hieruſalem, hoc eſt, in viſione pacis: vt tumul-
tus ſeculares fugiendo, rebellemque motum carnis
ſuæ donando, quietam mentem in contemplatione
Dei habere valeat: quo ritè cum Pſalmiſta canere poſ-
ſit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini* Pſal. 121.
*ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Be-
nedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem.*

In Gabaon autem commorati ſunt, pater Gabaon, Iehiel, & Pſal. 134.
nomen vxoris eius Maacha. Filius primogenitus eius Abdon &
Sur & Cis & Baal & Ner & Nadab. F

Iehiel ipſe eſt, qui in Regnum ſcribitur *Abiſel*, pa- 1. Reg. 9.
ter Cis, pater Saul & interpretatur Abiel, *pater meus
Deus*: Iehiel vero, *deſertus Dei*, propter meritorum for-
ſitan ita nominati diſtantiam. Et notandum, quod
inter filios Iehiel, Cis & Ner vocantur fratres, ſic-
uti & ſunt, & in Regum reperitur. In ſequentibus
vero dicitur, quod Ner genuerit Cis; non quo eum
genuerit, ſed quo eam educauerit, genuiſſe eum nar-
ratur.

*Iſti habitauerunt è regione fratrum ſuorum, in Hieruſalem,
cum fratribus ſuis.*

Loci in Hieruſalem habitaſſe dicuntur.

*Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul, & Saul genuit Io-
nathan & Melchiſue & Abinadab & Isbaal: filius autem Iona-
tan Meribaal, & Meribaal genuit Micha.*

Abinadab filius Saul in Paralipomenon, in Regum 1 Reg. 31.
vero, vbi & occiſus eſſe cum patre narratur, Amina-
dab vocatur. Et interpretatur Abinadab, *pater meus vo-
tum*: Aminadab vero, *populus meus votum.* Isbaal quoque
filius Saul, ipſe eſt Isboſeth; & Meribaal, ipſe eſt Miſibo- G
ſeth. Et iuteipretatur Meribaal, *litigans in maritum*: Miſi-
boſeth autem, *de ore ignominia.*

CAPVT X.

P*Hiliſtijm autem pugnabant contra Iſrahel, fugeruntque vi-* 1. Reg. 31.
*ri Iſrael Philiſteas: & ceciderunt viri vulnerati in monte Gel-
boe. Cumque appropinquaſſent Philiſtei perſequentes Saul & fi-
lios eius, & percuſſerunt Ionatan & Aminadab & Melchiſue,
filios Saul. Et aggrauatum eſt prælium contra Saul: inuenerunt-
que eum viri ſagittarij, & vulnerauerunt iaculis. Et dixit Saul
ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & interfice me,
ne forte veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi. Noluit au-
tem armiger eius hoc facere, timore perterritus Arripuit ergo Saul
enſem, & irruit in eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, vide-
licet mortuum eſſe Saul, irruit & ipſe in gladium ſuum, & mor-
tuus eſt. Interiit ergo Saul & tres filii eius, & omnis domus illius
pariter concidit*, & reliq.

Plurimis omiſsis, quæ in libro Samuelis de Samuele H
& Saulis regimine atque actibus narrat hiſtoria; con-
ditor huius libri tantum obitum Saul & filiorum eius,
necnon & domus ipſius caſum commemorauit; vt oc-
culte ſignificaret per myſterium, quod non neceſſe fue-
rit eius vitam deſcribere, cuius conuerſatio peccatrix fi-
nem celebrem non meruit accipere, & per figuram, re-
gni Iudæorum ac ſacerdotij veteris finem debuit demon-
ſtrare, ſed magis, occaſu prædicti Regis commemorato,
ad Dauid totum ſe tranſtulit, & eius facta bona & diſpen-
ſationem regni nobiliſsimam narrandam: qui typum
tenet veri Dauid, Regis videlicet Chriſti, qui de eius ſe-
mine ſecundum carnem natus eſt, & cœli terręq; poſsidet
regnum. Igitur quod imminente tempore Dauidici regni
dicit, Philiſtijm (ſicut ſemper ſoliti erant) pugnaſſe aduer-
ſus Iſrael, fugiſſeque viros Iſraelitas: ſignificat, quod

apro-

Digitized by Google

A apropinquante nouæ gratiæ tempore, gentiles (ſicut ante conſueuerant (caſtitatem Iſraeliticæ fidei per exempla prauitatis appugnabât: nunc opera peruerſa peritu-ris, nunc idololatriæ culturas oſtendendo, iuxta exem- Num. 25. plum Balaam, qui docebat Balach mittere ſcandalum coram filiis Iſrahel, edere & fornicari.

Fugeruntq; filij Iſrahel Paleſtinos, & ceciderunt vulnerati in monte Gelboe.

Decepti ſunt, qui fortes videbantur in contemplanda Dei voluntate (quod nomen *Iſrahel* ſignificat) cum opera gentilium incautius, doctrinamq; ſequerentur: & perierunt deprauata in ſuperbia luxurioſa, quam vocabulum montis Gelboe idem lubrici deſignat. Sed & hæreticorum perditionem non parum ſecularis ſapientia iuuit. Vnde pulchre quidam noſtrorum ait: *Philoſophi, Patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ puritatem peruerſa maculauere doctrina.*

Cumque appropinquaſſent Philiſtei perſequentes Saul & filios eius: percuſſerunt Ionathan & Abinadab & Melchiſue, filios Saul.

B Irruerunt tota intentione gentes circumpoſitæ in regnum Iudeæ deſtruendum, & filios eiuſdem regni tollendos de medio, & deprauarunt ſua corruptione ſacerdotes, ſcribas & Phariſæos, filios ſcilicet Ductoreſq; regni illius. Sed & hæreticos, ne Spiritus ſancti gratiam ſimplici corde prædicarent aut colerent, retardarunt: quod eſt, Ionathan percutere, i. *columbæ donum*: ne Patrem, qui nos ſibi non natura, ſed adoptione filios fecit, digna confeſſione laudarent, interdixerunt: quod interfecto ſignificat Abinadab, id eſt, *patris mei ſpontanei*: ne in Chriſti regno ſalutem mundo adfuturam crederent, obſtiterunt: quod occiſus indicat Melchiſue, qui dicitur, *Rex meus ſalus.* Credo qui Arrium ſeduxit philoſophum, quaſi Melchiſue peremit: qui Macedonium, Ionathan: qui Manicheum, Abinadab: quia videlicet hunc veri Regis Chriſti omnipotentiam negare, illum Spiritus ſancti donis derogare, iſtum ſummi Patris bonitatem blaſphemare magiſter corruptionis edocuit.

Et aggrauatum eſt prælium contra Saul, inueneruntque eum ſagittarij, & vulnerauerunt iaculis.

C Totis viribus agebant gentiles, vt regnum Iudeæ tollerent: & appropiabant ei viri idolis deceptionem inſtructiſsimi, & ſeducti ac deprauati ſunt proceres regni illius vehementer ab eis, qui cordi illorum, abrepta ſimplicitate veritatis, multifidum fraudulentiæ & aſtutiarum vulnus inflixere. Sicut enim gladius hoſtilis apertam idololatriæ, grauiorumq; flagitiorum ſuaſionem: ita ſubtiliorum deceptionum argumenta ſagitta demonſtrat. Non autem gladio Philiſtiim, ſed ſagittis Saul interiit: quia non apertis ſceleribus, quæ mortifera eſſe nemo dubitaret, Iudaici regni Duces extremi ipſo periere cum regno: ſed his potius, quæ ſub velamine pietatis ac ita impuſsimum Exod. 20. mortis virus inferrent. Verbi gratia, dicente Deo: *Honora* Matth. 15. *patrem tuum & matrem*: ipſi contra dicebant ſuos auditores dicere parentibus: *Munus quodcunque ex me tibi proderit*: & ſic ab eorum penitus honoratione ceſſare. Item dice- Matth. 23. bant: *Qui iurat in templo, nihil eſt: qui iurat in auro templi, debet*: & cætera huiuſodi, quæ Dominus in Euangelio multiplici illis increpatione depromit: maxime illud, quod ipſum legis & Euangelii Dominum, quaſi tranſgreſſorem D legis, interficiunt. Quæ omnia ſcelerum argumenta cum admiratione faciunt aſtutiæ gentilis, cum philoſophiæ ſtudiis exercitatum ingenium ad nefarias artes inflectũt: ſagittariis nimirum Philiſtiim vulnerantibus cadunt. Nil autem prohibet ſagittarios immundos Spiritus accipere, quorum dolis imbuti perierunt.

Et dixit Saul ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & interfice me: ne forte veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi.

Armiger Saul legis Doctores ſignificat: quia ſicut arma & ſagittæ Philiſtiim prauorum deceptiones: ſic contra Iſrahelitarum arma non alia ſunt myſtice intelligenda, quam ſpiritualis verba doctrinæ: quibus de Dei populus à cunctis debuerat munire periculis. Sed vulneratus vſq; ad veſperationem à ſagittariis Saul maluit armigeri ſui, E quam incircumciſorum gladio perire: quia principes regni Iudæorum, ſumpto ſemel propoſito in peccatis ſuis moriendi, maluere doctoribus ſuis mandata legis ſoluentibus & ſic ſe docentibus, quam gentilium, quos *communes & immundos* vocabant, conſortio ſe polluente perimi. Deniq; *timebant introire prætorium* gentilis, *vt non contami-* Ioan. 18. *narentur, ſed manducarent Paſcha*: quod tamen Paſcha verſum in ſua perniciem lege quam acceperant, inſonti ſanguine contaminare non timebant.

Noluit autem armiger eius hoc facere timore perterritus. Arripuit ergo Saul enſem, & irruit in eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet mortuum eſſe Saul, irruit etiam ipſe in gladium ſuum, & mortuus eſt.

Armigerum ſuum Hebræi Doech Idumæum dicunt fuiſſe, qui cernens Saul mortuum, ſeipſum ob metum Dauid interremit: & puerum, qui diadema atque armillas Saul detulit ad Dauid, dicunt eſſe filium eiuſdem Doech Idumæi, ipſumq; Doech ferunt puerum fuiſſe Saul, cum quo perrexerat ad quærendas aſinas patres ſui. Non eſt 1. Reg. 6. ambigendum, inter reprobos legis Doctores extitiſſe aliquos, qui verbi acumen ad occidendos ſuos auditores ſi- F niſtra interpretatione peruertere nollent: & nihilominus ipſos auditores ea, quæ recte dicta à magiſtris acceperant, vel deſpiciendo, vel (quod peius eſt) blaſphemando in ſuam vertiſſe perniciem; quorum viſa morte ſpirituali, id eſt, obſtinatione peccandi, & ipſos verbi miniſtros, per tempora deterioratos, teſtimonia legis, quæ male interpretari timuerant, male contempta ſibi occaſionem feciſſe ruinæ. Hæc & hodie nobiſcum ſæpius agi vtinam neſciremus! Sed & hæretici, peccatorum ſuorum & ipſi iaculis eruentati, cum verba diuinorum eloquiorum in argumenta ſui erroris immutant, ſua inimicorum arma morituri contra ſuum pectus inuertunt: & frater quilibet, etiam in Catholica permanens vnitate, cum artem quamcumq; pro communi Eccleſiæ, eorumque inter quas viuit, vtilitate didicit; in ſuperbiæ, cenodoxiæ, philargyriæ, alteriuſue cuiuſlibet vitii contagione polluitur, ſuo ſe miſer gladio confodit: quia quod defendi ab hoſte debuerat, hoſtem potius iuuit.

Interijt ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus illius pariter concidit.

G Domum eius pariter concidiſſe dicit, non ita, vt non eſſet, de quibus fuit Mardocheus; ſed vt non regnaret figuraliter demonſtrans, gentem Iudæorum non ſolum regnum perdidiſſe, ſed & poſſeſsionis ſuæ locum, quæ non modo in terra Chanaan repromiſſam ſibi terram non poſsidet, ſed in totius Orbis diſperſa eſt nationes.

Quod cum vidiſſent viri Iſrahel, qui habitabant in campeſtribus, fugerunt: &, Saul, & filiis eius mortuis, dereliquerunt vrbes ſuas, & huc illucq; diſperſi ſunt. Veneruntque Philiſtiim, & habitauerunt in eis.

Videntes indocti quique, & humilitatis veræ medicamina, lauacrumque Baptiſmi ſalutaris ignorantes, in Iudæa doctos quoſque magiſtroſque incertamine ſpirituali, peccato triumphante, deuictos: ſed & vulgus non paucum eorum paruæ auditu per proximum, perſequente aduerſario, à priſca ſuæ conſtantiæ ſede fugatum, & ipſi confeſtim malorum ruina turbati, opera virtutum omnia, ac munimina ſcientiæ ſpiritualis, quæ habuerant, H amiſerunt: veneruntque peccata gentilium, & cuncta incredulis Iudæis ſtudia virtutum peruerſa in habitatione corruperunt. Veneruntque immundi Spiritus, & corda, quæ fidei conſtantia deſerunt, occuparunt. Vel certe venerunt gentes, & optima quondam Iudæorum ſtudia credendo ſua fecerunt. Nam & olim diuina eloquia, quæ illi non parua ex parte iam tunc relinquere, ipſa ſibi interpretari fecerunt, & tunc proiectam ab eis, cum ipſis eloquiis diuinæ Scripturæ, fidem CHRISTI ſuſceperunt, ac velut inhabitando poſsident.

Die igitur altero detrahentes Philiſtiim ſpolia cæſorum inuenerunt Saul & filios eius iacentes in monte Gelboe. Cumq; ſpoliaſſent eum, & amputaſſent caput armiſque nudaſſent: miſerunt in terram ſuam vt circumferretur & oſtenderetur idolorum

A

templis ac populis. Arma autem eius conſecrauerunt in fano Dei ſui, & caput affixerunt in templo Dagon.

1. Reg. 31. Hic quæſtio oritur: quia in Regum ſcriptum eſt, quod corpus ipſius Saul ſuſpenderunt in muro Bethſa, non caput affixerunt in templo Dagon: nam caput iam miſerant in terram Philiſtinorum per circuitum: vt annunciaretur in templo Idolorum & in populis? Sed potuit fieri, quod Philiſtæi caput Saul primum affixerint Dagon: deinde illud afferentes tranſmiſerint ferendam per diuerſa loca terræ ſuæ, cauſa oſtendendi triumphi: Aliter quoque Bethſan Hebræi tradunt vocatam eſſe ipſam domum Dagon, quæ interpretatur, *domus dormientis*: ibique caput vel corpus Saul ſuſpenſum eſſe. Alia eſt enim Bethſan in Iudicum & in Ioſue, (Ioſ. 17. Iud. 1.) quæ interpretatur, *domus ſecuritatis*. Quod ergo occiſi Saul caput in templo Dagon Philiſtiim affixerunt: quid aliud ſpiritualiter ſignificat, quam quod maligni Spiritus animam, quæ in ſuperbiam deciderit, in peccatorum mortem pro reatu ſuo in abyſſum demergunt inferni. Dagon enim interpretatur, *piſcis triſtitiæ*: & merito piſcis triſtitiæ nuncupatur, qui in abyſſum demerſus inferni, dolorem æterni ſentit cruciatus.

B

Vſque adeo corruptores vel homines vel dæmones Iudæam impietatis armis perſecuti ſunt, donec ipſum veri regni principale radicitus admerent: munimina legis ſacræ, quibus contra omnia aduerſa præualebant, eruperent. Cuius mox deiectionem, quaſi proprii ſignum triumphi, propriæ cauſam lætitiæ ſuis longè lateque complicibus fama vulgante, ſpargere feſtinarunt, & ad augmentum ſceleris armaturam Dei, quam Beatus Apoſtolus Paulus & nos *aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* (Epheſ. 6.) militaturos induere præcipit, & ipſe prior indutus *bonum certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, accipiens à Deo coronam iuſtitiæ* (2. Tim. 4.): hanc (inquam) militiæ cœleſtis armaturam, Iudæis ereptam, impii decepti & decipientes inferis inducere lauibus, hoc eſt eloquia diuina dæmoniorum doctrinis æquiparare contenderunt. Quod duobus modis eos egiſſe & agere conſtat, cum vel dicta ſpiritualia carnaliter interpretando peruerſi intelligunt: eaſdem literas, quaſi communes & nulla ſuperna auctoritate ſuffultas, prout volunt, ventilant: Gentem vero ipſam Iudææ regni, arce priuatam, quaſi ad nihili redactam, & inimicorum poteſtati conceſſam, in deriſum ſibi palam deceptores, publicumque propoſuere prouerbium.

C

Quod eſt figurate corpus Saulis truncatum in muro Bethſan, id eſt, *domus inimici*, habendum oſtentui manibus ſuſpendiſſe nefandis. Sed & hæreticos peccatorum præcedentium ſagittis ſtratos cum præſidio charitatis, quæ arx eſt virtutum omnium, fraudant, quaſi caput Saul immundi Spiritus præcidunt: cum ſuum magis, quam Scripturæ ſenſum ſequi perſuadent. Armis expoliant, cum diuina eloquia ad ſuum, id eſt, dæmonicum ſenſum vertunt. Arma Saul in templo Aſtaroth ponunt: Aſtaroth quippe non ſolum idolum eſt, ſed etiam, quia *facturas exploratorum* interpretatur, doctrinam ſignificat ſpirituum malignorum, qui caulas fidelium circumeuntes, quotidie, ſi quid inde deuorare poſſunt, explorant. Cum opera ipſa, quibus Deo ſeruierant, ad ſua malignitatis obſequia dira permutant: membra nimirum lucis & vitæ expertia, in muro domus inimici ſuſpendunt.

D

Hoc cum audiſſent viri Iabes Galaad, omnia ſcilicet, quæ Philiſtiim fecerunt ſuper Saul: conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius, attuleruntq; ea in Iabes, ſepelieruntq; oſſa eorũ ſubter quercũ, quæ erat in Iabes.

Iabes, quæ interpretatur, *exſiccata*, Eccleſiam ſignificat quam ab omni carnalis concupiſcentiæ fluxu, ab omni inquinamento carnis ac Spiritus, feruor iuſtitiæ Solis, hoc eſt, aſpiratio diuini temperat amoris: vnde recte talis *in monte ſita* (Matth. 5.) deſcribitur, & ipſe Galaade, *aceruus teſtimonij* vocatur: vt ſignificet, ſublimiſſimam ſanctorum vitam, ne ad errorem flecti poſſit, idoneis Scripturarum teſtimoniis eſſe firmatam. Ipſa autem eſt ciuitas, quam in auſpiciis ſui regni Saul, cum ad huc humili pietate Domino ſeruiret, ab hoſtium obſidione liberauit. *Cum ergo audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcunque fecerant Philiſtiim Saul: ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, &c.*

E

Cum audiſſent habitatores ciuitatis Chriſti ſupermontem poſitæ, Iudæam, ex qua ſibi in Patriarchis, & Apoſtolis præcones & miniſtros ſalutis adueniſſe meminerunt, à gentibus contemptam, habitamque deriſui: ſurrexerunt in opus verbi omnes viriliter agere gaudentes: & inter medias errantium tenebras ipſi virtutum iter ambulantes prohibuerunt de illorum caſu, quorum delicto ſalus gentibus data eſt, quaſi ad Diaboli domum pertinentium, publica inſultatione lætari. *Quod ſi delibatio*, (inquiunt,) *ſancta eſt, & maſſa. Et ſi radix ſancta, & rami. Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt: tu autem, cum oleaſter eſſes, inſertus es illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es noli gloriari aduerſus ramos*, (Rom. 11.) & cætera, quæ Apoſtolus ad Romanos miro ac multiplici ſermone digeſſit. Cadauera carnales, ſiue carnalia oſſa fortiores quoſq; & virtutum opera deſignant. Oſſa in nemore Iabes ſepelierunt, cum, ſi quid in infirmis virtutis ac infirmitatis inuenerunt, non hoc quaſi nihili deſpicere, ſed fructuoſis ſanctorum operibus maluerunt adiungere. Si quos inter carnales ac fragiles virtutibus animæ ſtudere cognouerunt: hoc ſanctorum conſortio annumerare curarunt.

F

Per nemus quippe bonorum operum fructus nouit exprimi, qui in Geneſi (Gen. 21.) legens, quod vel quale nemus Abraham in Berſabee plantauerit, recte intelligere nouit. Porrò quod in libro Regum legitur (1. Reg. 31.), quia combuſſerunt viri Iabes cadauera Saul & filiorum eius: demonſtrat, ſanctos viros infirma caſus Iudæorum ſuperno relinquere iudicio: vt hæc altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei (Rom. 11.) iuxta incomprehenſibile ſuæ voluntatis conſilium feciſſe vel permiſiſſe cognoſcerent. Combuſtionem quippe hoc in loco iuxta illud intelligere debemus: quod de percipiendis ſcrutandiſque Dominicæ Paſſionis Sacramentis agni edendi typo præcipitur: *Si quid reſidui fuerit, igni comburetis.* (Exod. 12.)

Et ieiunauerunt ſeptem diebus.

Recte ad literam pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, ſeptem diebus ieiunatur: quia poſt ſex huius ſeculi ætates, in quibus in carne laboramus, ſeptima eſt in illo ſecundo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beate tempus illud glorificum, quando reſurgere mereamur, expectat.

G

Cuius figuram quietis & reſurrectionis & ſeptima dies in lege, & ſeptimus ſiue quinquageſimus annus, (Exod. 20. Leuit. 25.) in quibus requies operum dabatur, typice prætendebant. Ipſum vero exemplum noſtræ ſpei & fidei ſua diſpenſatione Dominus oſtendit: quia ſexta Sabbati crucifixus, ſeptima requieſcens corpore in monumento: octaua, quæ & vna Sabbati hactenus carnaliter obſeruantium ciues contribulesq; ſui fideles merito triſtitiam & continua in corde retinent dolorem, quaſi ſeptem diebus ieiunarit: qui, conſtitutis adhuc in errore fratribus cognatiſq; ſuis, nullatenus plenam poſſunt habere lætitiam. Cum autem & ipſi octauæ diei, id eſt, Dominicæ ſimul & ſuæ Reſurrectionis myſterium perfecte cognouerint: vtrique pariter, iuuante Chriſti gratia, perpetua feſtiuitate gaudebunt. Denique poteſt ſepultura Saul & filiorum eius per viros Iabes Galaad ſecundum moralitatem & aliter intelligi, ita vt, quod viri Iabes Galaad ſepelierunt cadauera Saul & filiorum eius, per tropologiam ſignificet: quod ſancti viri deteſtantur mortem impiorum, & exempla eorum ſepulturæ obliuioni tradunt nec ea ſibi ad imitationem proponere volunt, ſed ieiunant ſeptem diebus: quia omne tempus iſtius vitæ, quod per ſeptennarium dierum numerum currit, in continentia ducunt, ab abſtinent ſe ab omni opere malo, ne forte ſimili interficiantur morte.

H

Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper & Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino. Propter quod & interfecit eum & tranſtulit regnum eius ad Dauid, filium Iſai. (1. Reg. 15. 1. Reg. 28.)

Per Saulis mortem bene exprimitur regni Iudæorum interitus, ſicut ſupradictum eſt, qui propter præuaricationem mandatorum Dei, quæ ſæpius tranſgreſſi ſunt, & propter idolatriam, quam deſerto Deo coluerunt, ſimul vitam perdiderunt ac regnum: tranſlatumque eſt

Digitized by Google

A regnum ad Dauid filium Iſai, hoc eſt, ad Chriſtum & Chriſtianum populum.

CAPVT XI.

Congregatus eſt ergo omnis Iſrahel ad Dauid in Ebron, dicens: Os tuum ſumus & caro tua: heri quoq; & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Iſrahel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrahel, & tu eris princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrahel ad Regem in Ebron: & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel. [1 Reg 16.]

Quid conuentus iſte tribuum Iſrahel ad Dauid ſignificat, niſi conuentum omnium gentium ad Chriſtum? Qui illi quaſi blandiendo dicunt; *Ecce os tuum & caro tua ſumus:* cum ſcilicet incarnationem, quam ex noſtra natura in Virginis vtero ſuſcepit, diligunt atque venerantur, eiuſque ditioni ſubdere ſe appetunt, ipſique ſeruire omni tempore deſiderant. Vnde Pſalmiſta dicit: B [Pſal. 21.] *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu omnes familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Venerunt quoque & maiores natu de Iſrahel ad Regem in Ebron: cum Prophetæ & Apoſtoli vna fide & pari deuotione ad Mediatorem noſtrum conuenerunt, de quibus ſcriptum eſt: [Pſal 46.] *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: [Pſal 106.] *In conſpectu ſeruum ſuorum gloriabitur.* Conuenienter autem dicitur: Quod Dauid iniret cum Iſrahelitis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel. Significat ergo, quod Euangelio condito Chriſtus cum fidelibus, data Spiritus ſancti gratia, iniit fœdus myſtice & obſeruationis mandatorum Dei, remunerationiſque futuræ. Quem vnxerunt Regem ſuper omnem Iſrahel: quia omnium credentium vna eſt confeſſio, vtraque religio, ac certa definitio: quod ſub Ieſu Chriſti imperio militiam omni tempore agant ſpiritualem, exſpectantes aduentum eius futurum in die Iudicii: quando venerit in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique C [Luc 21. Matth. 16.] ſecundum opera ſua.

Abiit quoque Dauid & omnis Iſrahel in Ieruſalem (hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſei habitatores terræ.) dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: non ingredieris huc. Porro Dauid cæpit arcem Syon, quæ eſt ciuitas Dauid, dixitque: Omnis, qui percuſſerit Iebuſeum in primis, erit princeps & Dux. Aſcendit ergo primus Ioab, filius Saruiæ & factus eſt princeps, habitauit autem Dauid in arce, & idcirco appellata eſt ciuitas Dauid, & reliqua.

[Ioſeph. lib 7] Hinc Ioſephus in antiquitatum ſuarum libro ſeptimo ita refert, dicens: *Exurgens Dauid cum omnibus venit in Hieroſolymam: Iebuſeis habitantibus ciuitatem, qui erant in genere Chananeorum, & claudentibus ei portas, & cæcos aſpectu, & claudos, omneſque leproſos ad deriſionem Regis conſtituentibus ſuper murum, & dicentibus: quia prohiberent eum cæci ingredi ciuitatem. Quæ tamen agebant deſpicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratuſque Rex Hieroſolymam obſidere cœpit, & multo ſtudio & labore conari, vt eam caperet: quatenus in ipſo principatus initio ſuam fortitudinem demonſtraret.* D *Interminatus itaque & ipſi & aliis, ſi qui forte haberent aduerſus eum reſiſtendi conamen, inferiorem ciuitatem magna virtute cœpit. Cumq; adhuc arcem obtinere non poſſet, ſtupit, honoris & munera promittendo, Rex per eos ad opus bellicum milites prouocare: vt quicunque per ſubiectos ſolles in arcem conſcenderet, & eam caperet, principatum militiæ totius populi poſſideret. Cunctis itaque conſcendere feſtinantibus, & nullo labore pro muneris promiſſi retributione tardantibus, Saruiæ filius Ioab præuenit vniuerſos, & aſcendens in cacumine clamauit ad Regem, exigens militiæ principatum. Expulſis itaque Rex de ſumma arce Iebuſeis, & reædificans ciuitatem, eam Hieroſolymam nuncupauit, & omni tempore in ea ſui habitauit imperij.* Myſticè autem Dauid, Iebuſeum habitatorem terræ de Hieruſalem eiiciens, ſignificat, Redemptorem noſtrum contrarias poteſtates de cordibus fidelium expellere, & E ſic ibidem ſuam manſionem conſtituere. Iebuſæus enim interpretatur, *calcatus*: Hieruſalem, *viſio pacis*. Non ſolum enim Dominus noſter per myſterium crucis omnem principatum Diaboli deſtruendo ſibi trophæum acquiſiuit: immo fidelibus ſuis ſuper omnem virtutem eiuſdem antiqui hoſtis poteſtatem tribuit. Vnde in Euangelio diſcipulis ſuis ait: [Luc 10.] *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici.* Bene ergo in libro Regum ſcriptum eſt, [2. Reg 5.] quod Dauid, eiectis cæcis & claudis, qui oderant animam Dauid, cœpit arcem Syon, ſuamque ciuitatem eam vocauerit: quia dum Saluator noſter malignos Spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, ſibique eam per illuminationem ſapientiæ vſurpauerit, merito arx Syon, id eſt, *ſpeculationis* & *viſio pacis* vocabitur: atque [Pſal 75] de ea tunc recte per Pſalmiſtam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon; ibi confregit cornua, ſcutum, gladium & bellum.* Quod autem ſubiungitur: quia ædificauerit vrbem Dauid in circuitu à Mello vſque ad gyrum, F Ioab autem reliqua vrbis deſtruerit: demonſtrat, Dauid vrbem Hieruſalem muniuiſſe muris, tam per ſuam induſtriam, quam etiam per deuoti militis ſolertiam. Legi in cuiuſdam libro, quod Ioab reliqua vrbis non extruxerit, ſed extraxerit, intelligi volens, quod pereuntibus Iebuſæis gladio, ſiqui Iſrahelitarum inter eos inuenti fuiſſent, à Ioab ſaluarentur: Ioſephus tamen narrat, Dauid ſuperiorem ciuitatem muniuiſſe, eique copulando arcem, vnum vndique corpus effeciſſe, & cuncta muro circumdediſſe, ſuper opus autem murorum conſtituiſſe Ioab, & quod Dauid Iebuſæos expulerit, & hanc Hieroſolymam nuncupauerit. Nam ſub Abraham Patriarcha Solima vocabatur. Quidam vero dicunt, quod & Homerus poſtea Hieroſolymam nominauerit. *Hieron* enim Hebræa lingua *munitio* eſt. Myſticè autem quod Dauid vrbem ædificauit per circuitum, ſignificat, Chriſtum in Iudæa primum Euangelium prædicaſſe, & Eccleſiam ſuam fidei ſuæ munitione vndique circumdando firmaſſe. Quod autem Ioab reliqua vrbis extruxit, ſignificat, Apoſtolos, & prædicatores Euangelii poſt paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Domini ad cœlos G doctrina ſua plurimos de gentibus ad fidem Chriſti conuertiſſe, vt cooperatores eſſent ipſius veritatis, & pro modulo ſuo ſpirituale ædificium Dei deuota mente, ac ſtrenua deuotionis actione conſtituerent. Vnde Paulus [1. Cor. 3.] ad quoſdam fideles ſcribens ait: *Dei ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis,* &c.

Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, Rex fieret ſuper omnem Iſrahel, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrahel. Et iſte numerus robuſtorum Dauid; Ieſbaam filius Achamoni, princeps inter triginta; iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.

Hunc Ieſbaam Ioſephus Euſebium nominat, & filium eum eſſe dicit Achimeæ, qui aciem hoſtium frequenter irrumpens nequaquam pugnando ceſſarit, donec ex eis nongentos occideret. Sed Hebræus, cuius dicta in expoſitione Regum aliqua poſui, & in præſenti Opere non pauca inſerui, iſtum Ieſbaam ipſum Dauid H intelligi vult, interpretans nomen ipſum, hoc eſt, Ieſbaam, *ſedens in populo*: Achamoni vero *ſapientiſſimum*: firmatque, hoc in libro Regum ita demonſtratum eſſe, vbi ſcribitur: [2. Reg. 23.] *Sedens in cathedra ſapientiſſimus.* Sed ideo vermiculo ligni eum comparatum eſſe, quia minuebatur illi [2. Reg 11.] ſapientia propter peccatum quod commiſit in Vria. Similiter refert illud ſignificare, quod in volumine Regum narratur, [2. Reg. 23.] octingentos illum vno impetu interfeciſſe, & hic in Paralipomenon dicit trecentos eum interfeciſſe minoratione ſcilicet famæ illius propter peccatum prædictum adulterii & homicidii.

Et poſt eum Eleazar, filius patrui eius, Aboites, qui fuit inter potentes.

Aboi enim (vt Hebræi tradunt) frater fuit Iſai patris Dauid, cuius filius fuit Eleazar, qui fuit inter tres

A *templis ac populis. Arma autem eius conſecrauerunt in fano Dei ſui, & caput affixerunt in templo Dagon.*

1. Reg. 31. Hic quæſtio oritur: quia in Regum ſcriptum eſt, quod corpus ipſius Saul ſuſpenderunt in muro Bethſa, non caput affixerunt in templo Dagon: nam caput iam miſerant in terram Philiſtinorum per circuitum: vt annunciaretur in templo Idolorum & in populis? Sed potuit fieri, quod Philiſtæi caput Saul primum affixerint Dagon: deinde illud afferentes tranſmiſerint ferendum per diuerſa loca terræ ſuæ, cauſa oſtendendi triumphi: Aliter quoque Bethſan Hebræi tradunt vocatam eſſe ipſam domum Dagon, quæ interpretatur, *domus dormientis*: ibique caput vel corpus Saul ſuſpenſum eſſe. Alia eſt enim Bethſan in Iudicum & in Ioſue, quæ interpretatur, *domus* Ioſ. 17. Iud. 1. *ſecuritatis.* Quod ergo occiſi Saul caput in templo Dagon Philiſthiim affixerunt: quid aliud ſpiritualiter ſignificat, quam quod maligni Spiritus animam, quæ in ſuperbiam deciderit, in peccatorum mortem pro reatu ſuo in abyſſum demergunt inferni. Dagon enim interpretatur, *piſcis triſtitiæ*: & merito piſcis triſtitiæ nuncupatur, qui in abyſſum demerſus inferni, dolorem æterni ſentit cruciatus. B Vſque adeo corruptores vel homines vel dæmones Iudæam impietatis armis perſecuti ſunt, donec ipſum veri regni principale radicitus adimerent: munimina legis ſacræ, quibus contra omnia aduerſa præualebant, eruperent. Cuius mox deiectionem, quaſi proprii ſignum triumphi, propriæ cauſam lætitiæ ſuis longè lateque complicibus fama vulgante, ſpargere feſtinarunt, & ad augmentum ſceleris armaturam Dei, quam Beatus Apoſtolus Paulus & nos *aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* Epheſ. 6. militaturos induere præcipit, & ipſe prior indutus *bonum* 2 Tim. 4. *certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, accipiens à Deo coronam iuſtitiæ*: hanc (inquam) militi cœleſtis armaturam, Iudæis ereptam, impii decepti & decipientes inferis inducentiantibus, hoc eſt eloquia diuina dæmoniorum doctrinis æquiparare contenderunt. Quod duobus modis eos egiſſe & agere conſtat, cum vel dicta ſpiritualia carnaliter interpretando peruerſi intelligunt: eaſdem literas, quaſi communes & nulla ſuperna auctoritate ſuffultas, prout volunt, ventilant: Gentem vero ipſam Iudææ regni, arce priuatam, quaſi ad nihili redactam, & inimicorum poteſtati conceſſam, in deriſum ſibi palam C deceptores, publicumque propoſuere prouerbium. Quod eſt figurate corpus Saulis truncatum in mura Bethſan, id eſt, *domus inimici*, habendum oſtentui manibus ſuſpendiſſe nefandis. Sed & hæreticos peccatorum præcedentium ſagittis ſtratos cum præſidio charitatis, quæ arx eſt virtutum omnium, fraudant, quaſi caput Saul immundi Spiritus præcidunt: eum ſuum magis, quam Scripturæ ſenſum ſequi perſuadent. Armis expoliant, cum diuina eloquia ad ſuum, id eſt, dæmonicum ſenſum vertunt. Arma Saul in templo Aſtaroth ponunt: Aſtaroth quippe non ſolum idolum eſt, ſed etiam, quia *factura exploratorum* interpretatur, doctrinam ſignificat ſpirituum malignorum, qui caulas fidelium circumeuntes, quotidie, ſiquid inde deuorare poſſunt, explorant. Cum opera ipſa, quibus Deo ſeruierant, ad ſua malignitatis obſequia dita permutant: membra nimirum lucis & vita expertia, in muro domus inimici ſuſpendunt.

D *Hoc cum audiſſent viri Iabes Galaad, omnia ſcilicet, quæ Philiſthiim fecerunt ſuper Saul: conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius, attuleruntq; ea in Iabes, ſepelieruntq; oſſa eorū ſubter quercū, quæ erat in Iabes.*

Iabes, quæ interpretatur, *exſiccata*, Eccleſiam ſignificat quam ab omni carnalis concupiſcentiæ fluxu, ab omni inquinamento carnis ac Spiritus, feruor iuſtitiæ Solis, hoc eſt, aſpiratio diuini temperat amoris: Matth. 5. vnde recte talis *in monte ſita* deſcribitur, & ipſe Galaade, *aceruus teſtimonij* vocatur: vt ſignificet, ſublimiſſimam ſanctorum vitam, ne ad errorem flecti poſſit, idoneis Scripturarum teſtimoniis eſſe firmatam. Ipſa autem eſt ciuitas, quam in auſpiciis ſui regni Saul, cum adhuc humili pietate Domino ſeruiret, ab hoſtium obſidione liberauit. *Cum ergo audiſſent habitatores Iabes Galaad quæcunque fecerant Philiſthiim Saul: ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, &c.* E Cum audiſſent habitatores ciuitatis Chriſti ſupra montem poſitæ, Iudæam, ex qua ſibi in Patriarchis, & Apoſtolis præcones & miniſtros ſalutis adueniſſe meminerunt, à gentibus contemptam, habitamque deriſui: ſurrexerunt in opus verbi omnes viriliter agere gaudentes: & inter medias errantium tenebras ipſi virtutum iter ambulantes prohibuerunt de illorum caſu, quorum delicto ſalus gentibus data eſt, quaſi ad Diaboli domum pertinentium, publica inſultatione lætari. *Quod ſi delibatio,* (inquiunt,) *ſancta eſt, & maſſa. Et ſi radix ſancta, & rami.* Rom. 11. *Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt: tu autem, cum oleaſter eſſes, inſertus es illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es noli gloriari aduerſus ramos*, & cætera, quæ Apoſtolus ad Romanos miro ac multiplici ſermone digeſſit. Cadauera carnales, ſiue carnalia oſſa fortiores quoſq; & virtutum opera deſignant. Oſſa in nemore Iabes ſepelierunt, cum, ſi quid in infirmis virtutis ac infirmitatis inuenerunt, non hoc quaſi nihili deſpicere, ſed fructuoſis ſanctorum operibus maluerunt adiungere. Si quos inter carnales ac fragiles virtutibus animæ ſtudere cognouerunt: hoc ſan- F ctorum conſortio annumerare curarunt. Per nemus quippe bonorum operum fructus nouit exprimi, qui in Geneſi legens, quod vel quale nemus Abraham in Berſabee plantauerit, recte intelligere nouit. Gen. 21. Porrò quod in libro Regum legitur, quia combuſſerunt viri Iabes cadauera Saul & filiorum eius: 1 Reg. 31. demonſtrat, ſanctos viros infirma caſus Iudæorum ſuperno relinquere iudicio: vt hæc altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei iuxta Rom. 11. incomprehenſibile ſuæ voluntatis conſilium feciſſe vel permiſiſſe cognoſcerent. Combuſtionem quippe hoc in loco iuxta illud intelligere debemus: quod de percipiendis ſerutandiſque Dominicæ Paſſionis Sacramentis agni edendi typo præcipitur: *Si quid reſiduum fuerit, igni comburetis.* Exod. 12.

Et ieiunauerunt ſeptem diebus.

Recte ad literam pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, ſeptem diebus ieiunatur: quia poſt ſex huius ſeculi ætates, in quibus in carne laboramus, ſeptima eſt in illo ſecundo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beate tempus illud glorificum, quando reſurgere mereamur, expectat. G Cuius figuram quietis & Exod. 20. reſurrectionis & ſeptima dies in lege, & ſeptimus ſiue Leuit. 25. quinquageſimus annus, in quibus requies operum dabatur, typice prætendebant. Ipſum vero exemplum noſtræ ſpei & fidei ſua diſpenſatione Dominus oſtendit: quia ſexta Sabbati crucifixus, ſeptima requieſcens corpore in monumento: octaua, quæ & vna Sabbati hactenus carnaliter obſeruantium ciues contribuleſq; ſui fideles merito triſtitiam & continua in corde retinent dolorem, quaſi ſeptem diebus ieiunarit: qui, conſtitutis adhuc in errore fratribus cognatiſq; ſuis, nullatenus plenam poſſunt habere lætitiam. Cum autem & ipſi octauæ diei, id eſt, Dominicæ ſimul & ſuæ Reſurrectionis myſterium perfecte cognouerint: vtrique pariter, iuuante Chriſti gratia, perpetua feſtiuitate gaudebunt. Denique poteſt ſepultura Saul & filiorum eius per viros Iabes Galaad ſecundum moralitatem & aliter intelligi, ita vt, quod viri Iabes Galaad ſepelierunt cadauera Saul & filiorum eius, per tropologiam ſignificet: quod ſancti viri deteſtantur mortem impiorum, & exempla eorum ſepulturæ obliuioni tradunt nec ea ſibi ad imitationem proponere H volunt, ſed ieiunant ſeptem diebus: quia omne tempus iſtius vitæ, quod per ſeptennarium dierum numerum currit, in continentia ducunt, ab abſtinent ſe ab omni opere malo, ne forte ſimili interficiantur morte.

Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper & Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino. Propter quod & interfecit eum & tranſtulit regnum eius ad David, filium Iſai. 1. Reg. 15. 1 Reg. 28.

Per Saulis mortem bene exprimitur regni Iudæorum interitus, ſicut ſupradictum eſt, qui propter præuaricationem mandatorum Dei, quæ ſæpius tranſgreſſi ſunt, & propter idolatriam, quam deſerto Deo coluerunt, ſimul vitam perdiderunt ac regnum: tranſlatumque eſt

regnum

A regnum ad Dauid filium Iſai, hoc eſt, ad Chriſtum & Chriſtianum populum.

Capvt XI.

Congregatus eſt ergo omnis Iſrahel ad Dauid in Ebron, dicens: Os tuum ſumus & caro tua: heri quoq; & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Iſrahel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrahel, & tu eris princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrahel ad Regem in Ebron: & inijt Dauid cum eis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel. 1 Reg 16.

Quid conuentus iſte tribuum Iſrahel ad Dauid ſignificat, niſi conuentum omnium gentium ad Chriſtum? Qui illi quaſi blandiendo dicunt; *Ecce os tuum & caro tua ſumus*: cum ſcilicet incarnationem, quam ex noſtra natura in Virginis vtero ſuſcepit, diligunt atque venerantur, eiuſque ditioni ſubdere ſe appetunt, ipſique ſeruire omni tempore deſiderant. Vnde Pſalmiſta dicit: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu omnes familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Venerunt quoque & maiores natu de Iſrahel ad Regem in Ebron: cum Prophetæ & Apoſtoli vna fide & pari deuotione ad Mediatorem noſtrum conuenerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: *In conſpectu ſeruum ſuorum glorificabitur.* Conuenienter autem dicitur: Quod Dauid iniret cum Iſrahelitis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel. Significat ergo, quod Euangelio condito Chriſtus cum fidelibus, data Spiritus ſancti gratia, iniit fœdus myſtice & obſeruationis mandatorum Dei, remunerationiſque futuræ. Quem vnxerunt Regem ſuper omnem Iſrahel: quia omnium credentium vna eſt confeſſio, vna que religio, ac certa definitio: quod ſub Ieſu Chriſti imperio militiam omni tempore agant ſpiritualem, exſpectantes aduentum eius futurum in die Iudicii: quando venerit in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

B Pſal. 21.

Pſal 46.

Pſal 106.

C Luc 21. Matth. 16.

Abijt quoque Dauid & omnis Iſrahel in Ieruſalem (hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſei habitatores terræ.) dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: non ingredieris huc. Porro Dauid cepit arcem Syon, quæ eſt ciuitas Dauid, dixitque: Omnis, qui percuſſerit Iebuſæum in primis, erit princeps & Dux. Aſcendit ergo primus Ioab, filius Saruiæ & factus eſt princeps, habitauit autem Dauid in arce, & idcirco appellata eſt ciuitas Dauid, & reliqua.

Ioſeph. lib 7 Hinc Ioſephus in antiquitatum ſuarum libro ſeptimo ita refert, dicens: *Exurgens Dauid cum omnibus venit in Hieroſolymam: Iebuſeis habitantibus ciuitatem, qui erant in genere Chananeorum, & claudentibus ei portas, & cæcos aſpectu, & claudos, omneſque leproſos ad deriſionem Regis conſtituentibus ſuper murum, & dicentibus: quia prohiberent eum cæci ingredi ciuitatem. Quæ tamen agebant deſpicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratuſque Rex Hieroſolymam obſidere cæpit, & multo ſtudio & labore conari, vt eam caperet; quatenus in ipſo principatus initio ſuam fortitudinem demonſtraret. Interminatus itaque & ipſis & aliis, ſi qui forte haberent aduerſus eum reſiſtendi conamen, inferiorem ciuitatem magna virtute cæpit. Cumq; adhuc arcem obtinere non poſſet, cæpit, honores & munera promittendo, Rex per eos ad opus bellicum milites prouocare: vt quicunque per ſubiectos colles in arcem conſcenderet, & eam caperet, principatum militiæ totius populi poſſideret. Cunctis itaque conſcendere feſtinantibus, & nullo labore pro muneris promiſſi retributione tardantibus, Saruiæ filius Ioab præuenit vniuerſos, & aſcendens in cacumine clamauit ad Regem, exigens militiæ principatum. Expulſis itaque Rex de ſumma arce Iebuſeis, & reædificans ciuitatem, eam Hieroſolymam nuncupauit, & omni tempore in ea ſui habitauit imperij.* Myſticè autem Dauid, Iebuſæum habitatorem terræ de Hieruſalem eiiciens, ſignificat, Redemptorem noſtrum contrarias poteſtates de cordibus fidelium expellere, & ſibi ibidem ſuam manſionem conſtituere. Iebuſæus enim interpretatur, *calcatus*: Hieruſalem, *viſio pacis*. Non ſolum enim Dominus noſter per myſterium crucis omnem principatum Diaboli deſtruendo ſibi trophæum acquiſiuit: immo fidelibus ſuis ſuper omnem virtutem eiuſdem antiqui hoſtis poteſtatem tribuit. Vnde in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici.* Bene ergo in libro Regum ſcriptum eſt, quod Dauid, eiectis cæcis & claudis, qui oderant animam Dauid, cœpit arcem Syon, ſuamque ciuitatem eam vocauerit: quia dum Saluator noſter malignos Spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, ſibique eam per illuminationem ſapientiæ vſurpauerit, merito arx Syon, id eſt, *ſpeculationis & viſio pacis* vocabitur: atque de ea tunc recte per Pſalmiſtam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon; ibi confregit cornua, ſcutum, & gladium, & bellum.* Quod autem ſubiungitur: quia ædificauerit vrbem Dauid in circuitu à Mello vſque ad gyrum, Ioab autem reliqua vrbis deſtruerit, demonſtrat, Dauid vrbem Hieruſalem muniuiſſe muris, tam per ſuam induſtriam, quam etiam per deuoti militis ſolertiam. Legitur in cuiuſdam libro, quod Ioab reliqua vrbis non extruxerit, ſed extraxerit, intelligi volens, quod pereuntibus Iebuſæis gladio, ſiqui Iſrahelitarum inter eos inuenti fuiſſent, à Ioab ſaluarentur. Ioſephus tamen narrat, Dauid ſuperiorem ciuitatem muniuiſſe, eique copulando arcem, vnum vndique corpus effeciſſe, & cuncta muro circumdediſſe, ſuper opus autem murorum conſtituiſſe Ioab, & quod Dauid Iebuſæos expulerit, & hanc Hieroſolymam nuncupauerit. Nam ſub Abraham Patriarcha Solima vocabatur. Quidam vero dicunt, quod & Homerus poſtea Hieroſolymam nominauerit. *Hieron* enim Hebræa lingua *munitio* eſt. Myſticè autem quod Dauid vrbem ædificauit per circuitum, ſignificat, Chriſtum in Iudæa primum Euangelium prædicaſſe, & Eccleſiam ſuam fidei ſuæ munitione vndique circumdando firmaſſe. Quod autem Ioab reliqua vrbis extruxit, ſignificat, Apoſtolos, & prædicatores Euangelii poſt paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Domini ad cœlos doctrina ſua plurimos de gentibus ad fidem Chriſti conuertiſſe, vt cooperatores eſſent ipſius veritatis, & pro modulo ſuo ſpirituale ædificium Dei deuota mente, ac ſtrenua deuotionis actione conſtituerent. Vnde Paulus ad quoſdam fideles ſcribens ait: *Dei ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis,* &c.

D

E Luc 10. 2. Reg 5.

Pſal 75

F

G

1. Cor. 3.

Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, Rex fieret ſuper omnem Iſrahel, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrahel. Et iſte numerus robuſtorum Dauid; Ieſbaam filius Achamoni, princeps inter triginta; iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.

Hunc Ieſbaam Ioſephus Euſebium nominat, & filium eum eſſe dicit Achimeæ, qui aciem hoſtium frequenter irrumpens nequaquam pugnando ceſſarit, donec ex eis nongentos occideret. Sed Hebræus, cuius dicta in expoſitione Regum aliqua poſui, & in præſenti Opere non pauca inſerui, iſtum Ieſbaam ipſum Dauid intelligi vult, interpretans nomen ipſum, hoc eſt, Ieſbaam, *ſedens in populo*: Achamoni vero *ſapientiſſimum*: firmatque, hoc in libro Regum ita demonſtratum eſſe, vbi ſcribitur: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus.* Sed ideo vermiculo ligni ſe cum comparatum eſſe, quia minuebatur illi ſapientia propter peccatum quod commiſit in Vria. Similiter refert illud ſignificare, quod in volumine Regum narratur, octingentos illum vno impetu interfeciſſe, & hic in Paralipomenon dicit trecentos cum interfeciſſe minoratione ſcilicet famæ illius propter peccatum prædictum adulterii & homicidii.

H 2. Reg. 23. 2. Reg 11. 2. Reg. 23.

Et poſt eum Eleazar, filius patrui eius, Aboites, qui fuit inter potentes.

Aboi enim (vt Hebræi tradunt) frater fuit Iſai patris Dauid, cuius filius fuit Eleazar, qui fuit inter tres

poten-

Digitized by Google

A *templis ac populis. Arma autem eius conſecrauerunt in fano Dei*
ſui, & caput affixerunt in templo Dagon.
Hic quæſtio oritur: quia in Regum ſcriptum eſt, quod
1. Reg. 31. corpus ipſius Saul ſuſpenderunt in muro Bethſa, non ca-
put affixerunt in templo Dagon: nam caput iam miſe-
rant in terram Philiſthinorum per circuitum: vt annun-
ciaretur in templo Idolorum & in populis? Sed potuit
fieri, quod Philiſtæi caput Saul primum affixerint Da-
gon: deinde illud afferentes tranſmiſerint ferendam per
diuerſa loca terræ ſuæ, cauſa oſtendendi triumphi: Ali-
ter quoque Bethſan Hebræi tradunt vocatam eſſe ipſam
domum Dagon, quæ interpretatur, *domus dormientis*: ibi-
que caput vel corpus Saul ſuſpenſum eſſe. Alia eſt enim
Ioſ. 17. Bethſan in Iudicum & in Ioſue, quæ interpretatur, *domus*
Iud. 1. *ſecuritatis*. Quod ergo occiſi Saul caput in templo Dagon
Philiſtiim affixerunt: quid aliud ſpiritualiter ſignificat,
quam quod maligni Spiritus animam, quæ in ſuperbiam
deciderit, in peccatorum mortem pro reatu ſuo in abyſ-
ſum demergunt inferni. Dagon enim interpretatur, *piſcis*
triſtitiæ: & merito piſcis triſtitiæ nuncupatur, qui in abyſ-
B ſum demerſus inferni, dolorem æterni ſentit cruciatus.
Vſque adeo corruptores vel homines vel dæmones Iu-
dæam impietatis armis perſecuti ſunt, donec ipſum veri
regni principale radicitus adimerent: munimina legis
ſacræ, quibus contra omnia aduerſa præualebant, erupe-
rent. Cuius mox deiectionem, quaſi proprii ſignum tri-
umphi, propriæ cauſam lætitiæ ſuis longè lateque com-
plicibus fama vulgante, ſpargere feſtinarunt, & ad au-
gmentum ſceleris armaturam Dei, quam Beatus Apoſto-
Epheſ. 6. lus Paulus & nos *aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*
militaturos induere præcipit, & ipſe prior indutus *bonum*
2. Tim. 4. *certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, accipi-*
ens à Deo coronam iuſtitiæ: hanc (inquam) militi cæleſtis
armaturam, Iudæis ereptam, impii decepti & decipientes
infernis inducere laribus, hoc eſt eloquia diuina dæmonio-
rum doctrinis æquiparare contenderunt. Quod duobus
modis eos egiſſe & agere conſtat, cum vel dicta ſpiritualia
carnaliter interpretando peruerſi intelligunt: eaſdem
literas, quaſi communes, & nulla ſuperna auctoritate ſuf-
fultas, prout volunt, ventilant: Gentem vero ipſam Iu-
C dææ regni, arce priuatam, quaſi ad nihili redactam, & ini-
micorum poteſtati conceſſam, in deriſum ſibi palam de-
ceptores, publicumque propoſuere prouerbium. Quod
eſt figurate corpus Saulis truncatum in muro Bethſan, id
eſt, *domus inimici*, habendum oſtentui manibus ſuſpendiſ-
ſe nefandis. Sed & hæreticos peccatorum præcedenti-
um ſagittis ſtratos cum præſidio charitatis, quæ arx eſt
virtutum omnium, fraudant, quaſi caput Saul immundi
Spiritus præcidunt: cum ſuum magis, quam Scripturæ
ſenſum ſequi perſuadent. Armis expoliant, cum diuina
eloquia ad ſuum, id eſt, dæmonicum ſenſum vertunt. Ar-
ma Saul in templo Aſtaroth ponunt: Aſtaroth quippe
non ſolum idolum eſt, ſed etiam, quia *factura explorato-*
rum interpretatur, doctrinam ſignificat ſpirituum mali-
gnorum, qui caulas fidelium circumeuntes, quotidie, ſi-
quid inde deuorare poſſunt, explorant. Cum opera ipſa,
quibus Deo ſeruierant, ad ſua malignitatis obſequia dira
permutant: membra nimirum lucis & vita expertia, in
muro domus inimici ſuſpendunt.
Hoc cum audiſſent viri Iabes Galaad, omnia ſcilicet, quæ Phi-
D *liſtiim fecerunt ſuper Saul: conſurrexerunt ſinguli virorum for-*
tium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius, attuleruntq;
ea in Iabes, ſepelieruntq; oſſa eorũ ſubter quercũ, quæ erat in Iabes.
Iabes, quæ interpretatur, *exſiccata*, Eccleſiam ſignifi-
cat quam ab omni carnalis concupiſcentiæ fluxu, ab
omni inquinamento carnis ac Spiritus, feruor iuſti-
tiæ Solis, hoc eſt, aſpiratio diuini temperat amoris:
Matth. 5. vnde recte talis *in monte ſita* deſcribitur, & ipſe Galaa-
de, *aceruus teſtimonij* vocatur: vt ſignificet, ſublimiſſi-
mam ſanctorum vitam, ne ad errorem flecti poſſit, ido-
neis Scripturarum teſtimoniis eſſe firmatam. Ipſa autem
eſt ciuitas, quam in auſpiciis ſui regni Saul, cum ad huc
humili pietate Domino ſeruiret, ab hoſtium obſidione li-
berauit. *Cum ergo audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcun-*
que fecerant Philiſtiim Saul: ſurrexerunt omnes viri fortiſ-
ſimi, &c. Cum audiſſent habitatores ciuitatis Christi ſu- E
per montem poſitæ, Iudæam, ex qua ſibi in Patriarchis,
& Apoſtolis præcones & miniſtros ſalutis adueniſſe me-
minerunt, à gentibus contemptam, habitamque deriſui:
ſurrexerunt in opus verbi omnes viriliter agere gauden-
tes: & inter medias errantium tenebras ipſi virtutum i-
ter ambulantes prohibuerunt de illorum caſu, quorum
delicto ſalus gentibus data eſt, quaſi ad Diaboli domum
pertinentium, publica inſultatione lætari. *Quod ſi deliba-* Rom. 11.
tio, (inquiunt,) *ſancta eſt, & maſſa. Et ſi radix ſancta, & rami.*
Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt: tu autem, cum oleaſter eſſes,
inſertus es illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es: no-
li gloriari aduerſus ramos, & cætera, quæ Apoſtolus ad Ro-
manos miro ac multiplici ſermone digeſſit. Cadauera
carnales, ſiue carnalia oſſa fortiores quoſq; & virtutum
opera deſignant. Oſſa in nemore Iabes ſepelierunt, cum,
ſi quid in infirmis virtutis ac infirmitatis inuenerunt, non
hoc quaſi nihili deſpicere, ſed fructuoſis ſanctorum ope-
ribus maluerunt adiungere. Si quos inter carnales ac
fragiles virtutibus animæ ſtudere cognouerunt: hoc ſan-
ctorum conſortio annumerare curarunt. Per nemus F
quippe bonorum operum fructus nouit exprimi, qui in
Geneſi legens, quod vel quale nemus Abraham in Berſa- Gen. 21.
bee plantauerit, recte intelligere nouit. Porrò quod in li-
bro Regum legitur, quia combuſſerunt viri Iabes cada-
uera Saul & filiorum eius: demonſtrat, ſanctos viros in- 1. Reg. 31.
firma caſus Iudæorum ſupremo relinquere iudicio: vt hæc
altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei iuxta Rom. 11.
incomprehenſibile ſuæ voluntatis conſilium feciſſe vel
permiſiſſe cognoſcerent. Combuſtionem quippe hoc in
loco iuxta illud intelligere debemus: quod de percipien-
dis ſcrutandiſque Dominicæ Paſſionis Sacramentis agni
edendi typo præcipitur: *Si quid reſiduum fuerit, igni combu-* Exod. 12.
retis.
Et ieiunauerunt ſeptem diebus.
Recte ad literam pro mortuis, vt ad requiem peruenì-
re valeant, ſeptem diebus ieiunatur: quia poſt ſex huius
ſeculi ætates, in quibus in carne laboramus, ſeptima eſt
in illo ſecundo ætas requietionis animarum carne exuta-
rum, in qua beate tempus illud glorificum, quando re-
ſurgere mereamus, expectat. Cuius figuram quietis & G
reſurrectionis & ſeptima dies in lege, & ſeptimus ſiue Exod. 20.
quinquageſimus annus, in quibus requies operum daba- Leuit. 25.
tur, typice prætendebant. Ipſum vero exemplum noſtræ
ſpei & fidei ſua diſpenſatione Dominus oſtendit: quia ſe-
xta Sabbati crucifixus, ſeptima requieſcens corpore in
monumento: octaua, quæ & vna Sabbati hactenus car-
naliter obſeruantium ciues contribuleſq; ſui fideles me-
rito triſtitiam & continua in corde retinent dolorem,
quaſi ſeptem diebus ieiunarit: qui, conſtitutis adhuc in
errore fratribus cognatiſq; ſuis, nullatenus plenam poſ-
ſunt habere lætitiam. Cum autem & ipſi octauæ diei, id
eſt, Dominicæ ſimul & ſuæ Reſurrectionis myſterium
perfecte cognouerint: vtrique pariter, iuuante Chriſti
gratia, perpetua feſtiuitate gaudebunt. Denique poteſt
ſepultura Saul & filiorum eius per viros Iabes Galaad ſe-
cundum moralitatem & aliter intelligi, ita vt, quod viri
Iabes Galaad ſepelierunt cadauera Saul & filiorum eius,
per tropologiam ſignificet: quod ſancti viri deteſtantur
mortem impiorum, & exempla eorum ſepulturæ obli-
uioni tradunt nec ea ſibi ad imitationem proponere H
volunt, ſed ieiunant ſeptem diebus: quia omne tempus
iſtius vitæ, quod per ſeptennarium dierum numerum
currit, in continentia ducunt, ab abſtinent ſe ab omni o-
pere malo, ne forte ſimili interficiantur morte.
Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præua-
ricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodie- 1. Reg. 15.
rit illud: ſed inſuper & Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in 1. Reg. 28.
Domino. Propter quod & interfecit eum & tranſtulit regnum e-
ius ad Dauid, filium Iſai.
Per Saulis mortem bene exprimitur regni Iudæorum
interitus, ſicut ſupradictum eſt, qui propter præuarica-
tionem mandatorum Dei, quæ ſæpius tranſgreſſi ſunt, &
propter idolatriam, quam deſerto Deo coluerunt, ſi-
mul vitam perdiderunt ac regnum: translatumque eſt

A regnum ad Dauid filium Iſai, hoc eſt, ad Chriſtum & Chriſtianum populum.

Capvt XI.

Congregatus eſt ergo omnis Iſrahel ad Dauid in Ebron, dicens: Os tuum ſumus & caro tua: heri quoq; & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Iſrahel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrahel, & tu eris princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrahel ad Regem in Ebron: & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel.

1 Reg 16.

Quid conuentus iſte tribuum Iſrahel ad Dauid ſignificat, niſi conuentum omnium gentium ad Chriſtum? Qui illi quaſi blandiendo dicunt; *Ecce os tuum & caro tua ſumus:* cum ſcilicet incarnationem, quam ex noſtra natura in Virginis vtero ſuſcepit, diligunt atque venerantur, eiuſque ditioni ſubdere ſe appetunt, ipſique ſeruire omni tempore deſiderant. Vnde Pſalmiſta dicit: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu omnis familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Venerunt quoque & maiores natu de Iſrahel ad Regem in Ebron: cum Prophetæ & Apoſtoli vna fide & pari deuotione ad Mediatorem noſtrum conuenerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: *In conſpectu ſeruum ſuorum gloriabitur.* Conuenienter autem dicitur: Quod Dauid iniret cum Iſrahelitis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel. Significat ergo, quod Euangelio condito Chriſtus cum fidelibus, data Spiritus ſancti gratia, iniit fœdus myſtice & obſeruationis mandatorum Dei, remunerationiſque futuræ. Quem vnxerunt Regem ſuper omnem Iſrahel: quia omnium credentium vna eſt confeſſio, vnaque religio, ac certa definitio: quod ſub Ieſu Chriſti imperio militiam omni tempore agant ſpiritualem, exſpectantes aduentum eius futurum in die Iudicii: quando venerit in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

B Pſal. 21.

Pſal 46.

Pſal 106.

C Luc 21. Matth. 16.

Abiit quoque Dauid & omnis Iſrahel in Ieruſalem (hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſei habitatores terræ.) dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: non ingredieris huc. Porro Dauid cepit arcem Syon, quæ eſt ciuitas Dauid, dixitque: Omnis, qui percuſſerit Iebuſeum in primis, erit princeps & Dux. Aſcendit ergo primus Ioab, filius Saruiæ & factus eſt princeps, habitauit autem Dauid in arce, & idcirco appellata eſt ciuitas Dauid, & reliqua.

Ioſeph. lib 7

Hinc Ioſephus in antiquitatum ſuarum libro ſeptimo ita refert, dicens: *Exurgens Dauid cum omnibus venit in Hieroſolymam: Iebuſeis habitantibus ciuitatem, qui erant in genere Chananeorum, & claudentibus ei portas, & cæcos aſpectu, & claudos, omneſque leproſos ad deriſionem Regis conſtituentibus ſuper murum, & dicentibus: quia prohiberent eum cæci ingredi ciuitatem. Quæ tamen agebant deſpicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratuſque Rex Hieroſolymam obſidere cœpit, & multo ſtudio & labore conari, vt eam caperet; quatenus in ipſo principatus initio ſuam fortitudinem demonſtraret. Interminatus itaque & ipſis & aliis, ſi qui forte haberent aduerſus eum reſiſtendi conamen, inferiorem ciuitatem magna virtute cepit. Cumq; ad huc arcem obtinere non poſſet, cœpit, honores & munera promittendo, Rex per eos ad opus bellicum milites prouocare: vt quicunque per ſubiectos colles in arcem conſcenderet, & eam caperet, principatum militiæ totius populi poſſideret. Cunctis itaque conſcendere feſtinantibus, & nullo labore pro muneris promiſſi retributione tardantibus, Saruiæ filius Ioab præuenit vniuerſos, & aſcendens in cacumine clamauit ad Regem, exigens militiæ principatum. Expulſis itaque Rex de ſumma arce Iebuſeis. & readificans ciuitatem, eam Hieroſolymam nuncupauit. & omni tempore in ea ſui habitauit imperii.* Myſticè autem Dauid, Iebuſeum habitatorem terræ de Hieruſalem eiiciens, ſignificat, Redemptorem noſtrum contrarias poteſtates de cordibus fidelium expellere, &

D

E ſic ibidem ſuam manſionem conſtituere. Iebuſæus enim interpretatur, *calcatus:* Hieruſalem, *viſio pacis* Non ſolum enim Dominus noſter per myſterium crucis omnem principatum Diaboli deſtruendo ſibi trophæum acquiſiuit: immo fidelibus ſuis ſuper omnem virtutem eiuſdem antiqui hoſtis poteſtatem tribuit. Vnde in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici.* Bene ergo in libro Regum ſcriptum eſt, quod Dauid, eiectis cæcis & claudis, qui oderant animam Dauid, cœpit arcem Syon, ſuamque ciuitatem eam vocauerit: quia dum Saluator noſter malignos Spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, ſibique eam per illuminationem ſapientiæ vſurpauerit, merito arx Syon, id eſt, *ſpeculationis* & *viſio pacis* vocabitur: atque de ea tunc recte per Pſalmiſtam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon; ibi confregit cornua, ſcutum, gladium & bellum.* Quod autem ſubiungitur: quia ædificauerit vrbem Dauid in circuitu à Mello vſque ad gyrum. Ioab autem reliqua vrbis deſtruerit: demonſtrat, Dauid vrbem Hieruſalem muniuiſſe muris, tam per ſuam induſtriam, quam etiam per deuoti militis ſolertiam. Legi in cuiuſdam libro, quod Ioab reliqua vrbis non extruxerit, ſed extraxerit, intelligi volens, quod pereuntibus Iebuſæis gladio, ſiqui Iſrahelitarum inter eos inuenti fuiſſent, à Ioab ſaluarentur: Ioſephus tamen narrat, Dauid ſuperiorem ciuitatem muniuiſſe, eique copulando arcem, vnum vndique corpus effeciſſe, & cuncta muro circumdediſſe, ſuper opus autem murorum conſtituiſſe Ioab, & quod Dauid Iebuſæos expulerit, & hanc Hieroſolymam nuncupauerit. Nam ſub Abraham Patriarcha Solima vocabatur. Quidam vero dicunt, quod & Homerus poſtea Hieroſolymam nominauerit. *Hieron* enim Hebræa lingua *munitio* eſt. Myſtice autem quod Dauid vrbem ædificauit per circuitum, ſignificat, Chriſtum in Iudæa primum Euangelium prædicaſſe, & Eccleſiam ſuam fidei ſuæ munitione vndique circumdando firmaſſe. Quod autem Ioab reliqua vrbis extruxit, ſignificat, Apoſtolos, & prædicatores Euangelii poſt paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Domini ad cœlos doctrina ſua plurimos de gentibus ad fidem Chriſti conuertiſſe, vt cooperatores eſſent ipſius veritatis, & pro modulo ſuo ſpirituale ædificium Dei deuota mente, ac ſtrenua deuotionis actione conſtituerent. Vnde Paulus ad quoſdam fideles ſcribens ait: *Dei ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis,* &c.

Luc 10.

2. Reg 5.

Pſal 75

F

G

1. Cor. 3.

Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, Rex fieret ſuper omnem Iſrahel, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrahel. Et iſte numerus robuſtorum Dauid; Ieſbaam filius Achamoni, princeps inter triginta; iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.

Hunc Ieſbaam Ioſephus Euſebium nominat, & filium eum eſſe dicit Achimeæ, qui aciem hoſtium frequenter irrumpens nequaquam pugnando ceſſarit, donec ex eis nongentos occideret. Sed Hebræus, cuius dicta in expoſitione Regum aliqua poſui, & in præſenti Opere non pauca inſerui, iſtum Ieſbaam ipſum Dauid intelligi vult, interpretans nomen ipſum, hoc eſt, Ieſbaam, *ſedens in populo*: Achamoni vero *ſapientiſſimum*: firmatque, hoc in libro Regum ita demonſtratum eſſe, vbi ſcribitur: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus.* Sed ideo vermiculo ligni eum comparatum eſſe, quia minuebatur illi ſapientia propter peccatum quod commiſit in Vria. Similiter refert illud ſignificare, quod in volumine Regum narratur, octingentos illum vno impetu interfeciſſe, & hic in Paralipomenon dicit trecentos eum interfeciſſe minoratione ſcilicet famæ illius propter peccatum prædictum adulterii & homicidii.

H

2. Reg. 23.

2. Reg 11.

2. Reg. 23.

Et poſt eum Eleazar, filius patrui eius, Aholites, qui fuit inter potentes.

Aboi enim (vt Hebræi tradunt) frater fuit Iſai patris Dauid, cuius filius fuit Eleazar, qui fuit inter tres

poten-

Digitized by Google

A

templis ac populis. Arma autem eius conſecrauerunt in fano Dei ſui, & caput affixerunt in templo Dagon.

1. Reg. 31. Hic quæſtio oritur: quia in Regum ſcriptum eſt, quod corpus ipſius Saul ſuſpenderunt in muro Bethſa, non caput affixerunt in templo Dagon: nam caput iam miſerant in terram Philiſtinorum per circuitum: vt annunciaretur in templo Idolorum & in populis? Sed potuit fieri, quod Philiſtæi caput Saul primum affixerint Dagon: deinde illud afferentes tranſmiſerint ferendam per diuerſa loca terræ ſuæ, cauſa oſtendendi triumphi: Aliter quoque Bethſan Hebræi tradunt vocatam eſſe ipſam domum Dagon, quæ interpretatur, *domus dormientis*: ibique caput vel corpus Saul ſuſpenſum eſſe. Alia eſt enim Bethſan in Iudicum & in Ioſue, quæ interpretatur, *domus ſecuritatis*. Ioſ. 17. Iud. 1. Quod ergo occiſi Saul caput in templo Dagon Philiſtum affixerunt: quid aliud ſpiritualiter ſignificat, quam quod maligni Spiritus animam, quæ in ſuperbiam deciderit, in peccatorum mortem pro reatu ſuo in abyſſum demergunt inferni. Dagon enim interpretatur, *piſcis triſtitiæ*: & merito piſcis triſtitiæ nuncupatur, qui in abyſſum demerſus inferni, dolorem æterni ſentit cruciatus.

B

Vſque adeo corruptores vel homines vel dæmones Iudæam impietatis armis perſecuti ſunt, donec ipſum veri regni principale radicitus adimerent: munimina legis ſacræ, quibus contra omnia aduerſa præualebant, eruperent. Cuius mox deiectionem, quaſi proprii ſignum triumphi, propriæ cauſam lætitiæ ſuis longè lateque complicibus fama vulgante, ſpargere feſtinarunt, & ad augmentum ſceleris armaturam Dei, quam Beatus Apoſtolus Paulus & nos *aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* Epheſ. 6. militaturos induere præcipit, & ipſe prior indutus *bonum certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, accipiens à Deo coronam iuſtitiæ*: 2. Tim. 4. hanc (inquam) militi cœleſtis armaturam, Iudæis ereptam, impii decepti & decipientes infenſis inducere laribus, hoc eſt eloquia diuina dæmoniorum doctrinis æquiparare contenderunt. Quod duobus modis eos egiſſe & agere conſtat, cum vel dicta ſpiritualia carnaliter interpretando peruerti intelligunt: eaſdem literas, quaſi communes & nulla ſuperna auctoritate ſuffultas, prout volunt, ventilant: Gentem vero ipſam Iudææ regni, arce priuatam, quaſi ad nihili redactam, & inimicorum poteſtati conceſſam, in deriſum ſibi palam deceptores, publicumque propoſuere prouerbium.

C

Quod eſt figurate corpus Saulis truncatum in muro Bethſan, id eſt, *domus inimici*, habendum oſtentui manibus ſuſpendiſſe nefandis. Sed & hæreticos peccatorum præcedentium ſagittis ſtratos cum præſidio charitatis, quæ arx eſt virtutum omnium, fraudant, quaſi caput Saul immundi Spiritus præcidunt: cum ſuum magis, quam Scripturæ ſenſum ſequi perſuadent. Armis expoliant, cum diuina eloquia ad ſuum, id eſt, dæmonicum ſenſum vertunt. Arma Saul in templo Aſtaroth ponunt: Aſtaroth quippe non ſolum idolum eſt, ſed etiam, quia *factura exploratorum* interpretatur, doctrinam ſignificat ſpirituum malignorum, qui caulas fidelium circumeuntes, quotidie, ſi quid inde deuorare poſſunt, explorant. Cum opera ipſa, quibus Deo ſeruierant, ad ſua malignitatis obſequia dira permutant: membra nimirum lucis & vita expertia, in muro domus inimici ſuſpendunt.

D

Hoc cum audiſſent viri Iabes Galaad, omnia ſcilicet, quæ Philiſthiim fecerant ſuper Saul: conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius, attuleruntque ea in Iabes, ſepelieruntque oſſa eorũ ſubter quercũ, quæ erat in Iabes.

Iabes, quæ interpretatur, *exſiccata*, Eccleſiam ſignificat quam ab omni carnalis concupiſcentiæ fluxu, ab omni inquinamento carnis ac Spiritus, feruor iuſtitiæ Solis, hoc eſt, aſpiratio diuini temperat amoris: Matth. 5. vnde recte talis *in monte ſita* deſcribitur, & ipſe Galaade, *aceruus teſtimonii* vocatur: vt ſignificet, ſublimiſſimam ſanctorum vitam, ne ad errorem flecti poſſit, idoneis Scripturarum teſtimoniis eſſe firmatam. Ipſa autem eſt ciuitas, quam in auſpiciis ſui regni Saul, cum adhuc humili pietate Domino ſeruiret, ab hoſtium obſidione liberauit. *Cum ergo audiſſent habitatores Iabes Galaad, quæcunque fecerant Philiſtiim Saul: ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, &c.*

E

Cum audiſſent habitatores ciuitatis Chriſti ſuper montem poſitæ, Iudæam, ex qua ſibi in Patriarchis, & Apoſtolis præcones & miniſtros ſalutis aduenisse meminerunt, à gentibus contemptam, habitamque deriſui: ſurrexerunt in opus verbi omnes viriliter agere gaudentes: & inter medias errantium tenebras ipſi virtutum iter ambulantes prohibuerunt de illorum caſu, quorum delicto ſalus gentibus data eſt, quaſi ad Diaboli domum pertinentium, publica inſultatione lætari. Rom. 11. *Quod ſi delibatio, (inquiunt,) ſancta eſt, & maſſa. Et ſi radix ſancta, & rami. Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt: tu autem, cum oleaſter eſſes, inſertus es illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es noli gloriari aduerſus ramos*, & cætera, quæ Apoſtolus ad Romanos miro ac multiplici ſermone digeſſit. Cadauera carnales, ſiue carnalia oſſa fortiores quoſque & virtutum opera deſignant. Oſſa in nemore Iabes ſepelierunt, cum, ſi quid in infirmis virtutis ac infirmitatis inuenerunt, non hoc quaſi nihili deſpicere, ſed fructuoſis ſanctorum operibus maluerunt adiungere. Si quos inter carnales ac fragiles virtutibus animæ ſtudere cognouerunt: hoc ſanctorum conſortio annumerare curarunt.

F

Per nemus quippe bonorum operum fructus nouit exprimi, qui in Geneſi legens, quod vel quale nemus Abraham in Berſabee plantauerit, recte intelligere nouit. Gen. 21. Porrò quod in libro Regum legitur, quia combuſſerunt viri Iabes cadauera Saul & filiorum eius: 1. Reg. 31. demonſtrat, ſanctos viros infirma caſus Iudæorum ſuperno relinquere iudicio: vt hæc altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei iuxta Rom. 11. incomprehenſibile ſuæ voluntatis conſilium feciſſe vel permiſiſſe cognoſcerent. Combuſtionem quippe hoc in loco iuxta illud intelligere debemus: quod de percipiendis ſcrutandiſque Dominicæ Paſſionis Sacramentis agni edendi typo præcipitur: *Si quid reſidui fuerit, igni comburetis.* Exod. 12.

Et ieiunauerunt ſeptem diebus.

Recte ad literam pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, ſeptem diebus ieiunatur: quia poſt ſex huius ſeculi ætates, in quibus in carne laboramus, ſeptima eſt in illo ſecundo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beate tempus illud glorificum, quando reſurgere mereamur, expectat.

G

Cuius figuram quietis & reſurrectionis & ſeptima dies in lege, & ſeptimus ſiue quinquageſimus annus, in quibus requies operum dabatur, typice prætendebant. Exod. 20. Leuit. 25. Ipſum vero exemplum noſtræ ſpei & fidei ſua diſpenſatione Dominus oſtendit: quia ſexta Sabbati crucifixus, ſeptima requieſcens corpore in monumento: octaua, quæ & vna Sabbati hactenus carnaliter obſeruantium ciues contribuleſque ſui fideles merito triſtitiam & continua in corde retinent dolorem, quaſi ſeptem diebus ieiunarit: qui, conſtitutis adhuc in errore fratribus cognatiſque ſuis, nullatenus plenam poſſunt habere lætitiam. Cum autem & ipſi octauæ diei, id eſt, Dominicæ ſimul & ſuæ Reſurrectionis myſterium perfecte cognouerint: vtrique pariter, iuuante Chriſti gratia, perpetua feſtiuitate gaudebunt. Denique poteſt ſepultura Saul & filiorum eius per viros Iabes Galaad ſecundum moralitatem & aliter intelligi, ita vt, quod viri Iabes Galaad ſepelierunt cadauera Saul & filiorum eius, per tropologiam ſignificet: quod ſancti viri deteſtantur mortem impiorum, & exempla eorum ſepulturæ obliuioni tradunt nec ea ſibi ad imitationem proponere volunt, ſed ieiunant ſeptem diebus: quia omne tempus iſtius vitæ, quod per ſeptennarium dierum numerum currit, in continentia ducunt, ab abſtinent ſe ab omni opere malo, ne forte ſimili interficiantur morte.

H

Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper & Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino. Propter quod & interfecit eum & tranſtulit regnum eius ad Dauid, filium Iſai. 1. Reg. 15. 1. Reg. 28.

Per Saulis mortem bene exprimitur regni Iudæorum interitus, ſicut ſupradictum eſt, qui propter præuaricationem mandatorum Dei, quæ ſæpius tranſgreſſi ſunt, & propter idolatriam, quam deſerto Deo coluerunt, ſimul vitam perdiderunt ac regnum: tranſlatumque eſt

Digitized by Google

A regnum ad Dauid filium Iſai, hoc eſt, ad Chriſtum & Chriſtianum populum.

Capvt XI.

Congregatus eſt ergo omnis Iſrahel ad Dauid in Ebron, dicens: Os tuum ſumus & caro tua: heri quoq; & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Iſrahel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrahel, & tu eris princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrahel ad Regem in Ebron: & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel. 1 Reg 16.

Quid conuentus iſte tribuum Iſrahel ad Dauid ſignificat, niſi conuentum omnium gentium ad Chriſtum? Quæ illi quaſi blandiendo dicunt; *Ecce os tuum & caro tua ſumus:* cum ſcilicet incarnationem, quam ex noſtra natura in Virginis vtero ſuſcepit, diligunt atque venerantur, eiuſque ditioni ſubdere ſe appetunt, ipſique ſeruire omni tempore deſiderant. Vnde Pſalmiſta dicit: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu omnis familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Venerunt quoque & maiores natu de Iſrahel ad Regem in Ebron: cum Prophetæ & Apoſtoli vna fide & pari deuotione ad Mediatorem noſtrum conuenerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: *In conſpectu ſeruorum ſuorum glorificabitur.* Conuenienter autem dicitur: Quod Dauid iniret cum Iſrahelitis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel. Significat ergo, quod Euangelio condito Chriſtus cum fidelibus, data Spiritus ſancti gratia, iniit fœdus myſtice & obſeruationis mandatorum Dei, remunerationiſque futuræ. Quem vnxerunt Regem ſuper omnem Iſrahel: quia omnium credentium vna eſt confeſſio, vnaque religio, ac certa definitio: quod ſub Ieſu Chriſti imperio militiam omni tempore agant ſpiritualem, exſpectantes aduentum eius futurum in die Iudicii: quando venerit in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

B Pſal. 21.

Pſal. 46.

Pſal. 106.

C Luc. 21. Matth. 16.

Abiit quoque Dauid & omnis Iſrahel in Ieruſalem (hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſei habitatores terræ.) dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: non ingredieris huc. Porro Dauid cepit arcem Syon, quæ eſt ciuitas Dauid, dixitque: Omnis, qui percuſſerit Iebuſeum in primis, erit princeps & Dux. Aſcendit ergo primus Ioab, filius Saruiæ & factus eſt princeps, habitauit autem Dauid in arce, & idcirco appellata eſt ciuitas Dauid, & reliqua.

Hinc Ioſephus in antiquitatum ſuarum libro ſeptimo ita refert, dicens: *Exurgens Dauid cum omnibus venit in Hieroſolymam: Iebuſeis habitantibus ciuitatem, qui erant in genere Chananeorum, & claudentibus ei portas, & cæcos aſpectu, & claudos, omneſque leproſos ad deriſionem Regis conſtituentibus ſuper murum, & dicentibus: quia prohiberent eum cæci ingredi ciuitatem. Quæ tamen agebant deſpicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratuſque Rex Hieroſolymam obſidere cœpit, & multo ſtudio & labore conari, vt eam caperet: quatenus in ipſo principatus initio ſuam fortitudinem demonſtraret. Interminatus itaque & ipſis & aliis, ſi qui forte haberent aduerſus eum reſiſtendi conamen, inferiorem ciuitatem magna virtute cœpit. Cumq; ad huc arcem obtinere non poſſet, cœpit, honores & munera promittendo, Rex per eos ad opus bellicum milites prouocare: vt quicunque per ſubiectos colles in arcem conſcenderet, & eam caperet, principatum militiæ totius populi poſſideret. Cunctis itaque conſcendere feſtinantibus, & nullo labore pro muneris promiſſi retributione tardantibus, Saruiæ filius Ioab præuenit vniuerſos, & aſcendens in cacumine clamauit ad Regem, exigens militiæ principatum. Expulſis itaque Rex de ſumma arce Iebuſeis, & reædificans ciuitatem, eam Hieroſolymam nuncupauit, & omni tempore in ea ſui habitauit imperij.* Myſticè autem Dauid, Iebuſæum habitatorem terræ de Hieruſalem eiiciens, ſignificat, Redemptorem noſtrum contrarias poteſtates de cordibus fidelium expellere, & ſic ibidem ſuam manſionem conſtituere. Iebuſæus enim interpretatur, *calcatus*: Hieruſalem, *viſio pacis* Non ſolum enim Dominus noſter per myſterium crucis omnem principatum Diaboli deſtruendo ſibi trophæum acquiſiuit: immo fidelibus ſuis ſuper omnem virtutem eiuſdem antiqui hoſtis poteſtatem tribuit. Vnde in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici* Bene ergo in libro Regum ſcriptum eſt, quod Dauid, eiectis cæcis & claudis, qui oderant animam Dauid, cœpit arcem Syon, ſuamque ciuitatem eam vocauerit: quia dum Saluator noſter malignos Spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, ſibique eam per illuminationem ſapientiæ vſurpauerit, merito arx Syon, id eſt, *ſpeculationis* & *viſio pacis* vocabitur: atque de ea tunc recte per Pſalmiſtam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon; ibi confregit cornua, ſcutum, gladium & bellum.* Quod autem ſubiungitur: quia ædificauerit vrbem Dauid in circuitu à Mello vſque ad gyrum, Ioab autem reliqua vrbis deſtruerit: demonſtrat, Dauid vrbem Hieruſalem muniuiſſe muris, tam per ſuam induſtriam, quam etiam per deuoti militis ſolertiam. Legi in cuiuſdam libro, quod Ioab reliqua vrbis non extruxerit, ſed extraxerit, intelligi volens, quod pereuntibus Iebuſæis gladio, ſiqui Iſrahelitarum inter eos inuenti fuiſſent, à Ioab ſaluarentur: Ioſephus tamen narrat, Dauid ſuperiorem ciuitatem muniuiſſe, eique copulando arcem, vnum vndique corpus effeciſſe, & cuncta muro circumdediſſe, ſuper opus autem murorum conſtituiſſe Ioab, & quod Dauid Iebuſæos expulerit, & hanc Hieroſolymam nuncupauerit. Nam ſub Abraham Patriarcha Solima vocabatur. Quidam vero dicunt, quod & Homerus poſtea Hieroſolymam nominauerit. *Hieron* enim Hebræa lingua *munitio* eſt. Myſticè autem quod Dauid vrbem ædificauit per circuitum, ſignificat, Chriſtum in Iudæa primum Euangelium prædicaſſe, & Eccleſiam ſuam fidei ſuæ munitione vndique circumdando firmaſſe. Quod autem Ioab reliqua vrbis extruxit, ſignificat, Apoſtolos, & prædicatores Euangelii poſt paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Domini ad cœlos doctrina ſua plurimos de gentibus ad fidem Chriſti conuertiſſe. vt cooperatores eſſent ipſius veritatis, & pro modulo ſuo ſpirituale ædificium Dei deuota mente, ac ſtrenua deuotionis actione conſtituerent. Vnde Paulus ad quoſdam fideles ſcribens ait: *Dei ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis,* &c.

D

Ioſeph. lib 7

E

Luc 10.

2. Reg 5.

Pſal 75

F

G

1. Cor. 3.

Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, vt Rex fieret ſuper omnem Iſrahel, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrahel. Et iſte numerus robuſtorum Dauid; Ieſbaam filius Achamoni, princeps inter triginta; iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.

Hunc Ieſbaam Ioſephus Euſebium nominat, & filium eum eſſe dicit Achimeæ, qui aciem hoſtium frequenter irrumpens nequaquam pugnando ceſſarit, donec ex eis nongentos occideret. Sed Hebræus, cuius dicta in expoſitione Regum aliquā poſui, & in præſenti Opere non pauca inſerui, iſtum Ieſbaam ipſum Dauid intelligi vult, interpretans nomen ipſum, hoc eſt, Ieſbaam, *ſedens in populo*: Achamoni vero *ſapientiſſimum*: firmatque, hoc in libro Regum ita demonſtratum eſſe, vbi ſcribitur: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus.* Sed ideo vermiculo ligni eum comparatum eſſe, quia minuebatur illi ſapientia propter peccatum quod commiſit in Vria. Similiter refert illud ſignificare, quod in volumine Regum narratur, octingentos illum vno impetu interfeciſſe, & hic in Paralipomenon dicit trecentos cum interfeciſſe minoratione ſcilicet famæ illius propter peccatum prædictum adulterii & homicidii.

H

2. Reg. 23.

2. Reg 11.

2. Reg. 23.

Et poſt eum Eleazar, filius patrui eius, Abohites, qui fuit inter potentes.

Aboi enim (vt Hebræi tradunt) frater fuit Iſai patris Dauid, cuius filius fuit Eleazar, qui fuit inter tres

poten-

A pare atque euellere deliberans principatum Diaboli, *proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum:* quatenus carnem ſuam in mola paſsionis terens, ac oleo miſericordiæ in ſartagine Crucis frigens, à poteſtate ſathanæ, & vinculis peccatorũ reũ abſolueret mundũ. Mathathias præfectus erat eorum, quæ erat in ſartagine frigebantur: quia CHRISTVS author eſt ſacramentorum cœleſtium, vbi quotidie panis & vinum in commemorationem paſsionis eius offeruntur, & caput eſt ſanctorum omnium, qui eius exemplo inſtructi, carnem Gal. 5. ſuam crucifigere & ad paſsiones pro ipſius nomine tradere didicerunt.

Porro de filiis Caath fratribus eorum ſuper panes erant propoſitionis: vt ſemper nouos per ſingula ſabbata præpararent, & cætera.

Leuit. 24. Panes quippe propoſitionis duodecim, Domino Moyſi præcipiente, parabantur ad imponendum ſuper menſam Domini, quæ ſtabat in tabernaculo iuxta decretum legis: vbi & altare thymiamatis, necnon & candelabrum B luminis poſita erant. Loquebantur autem panes (vt Ioſephus ſcribit) duo & duo diuiſi ante ſabbatum: & ſabbato mane oblati ſuper ſacram menſam ponebantur ſeni ad alterutros conuerſi, duabus pateris aureis ſuperpoſitis thure plenis, qui permanebant ad aliud ſabbatum, & tunc pro illis alij deportabantur. Illi vero ſacerdotibus exhibebantur, & thure incenſo in igne ſacro, in quo omnia holocauſta fiebant, thus aliud ſuper alios panes adijciebatur. Myſtice autem duodecim panes in mẽſa tabernaculi duodecim ſunt Apoſtoli, & omnes doctrinæ illorum ſequaces in Eccleſia, qui quando vſque ad conſummationem ſeculi populum Dei alimonijs verbi reficere non deſinunt, panes viginti propoſitionis nunquam de menſa Domini recedunt. Et benè ijdem panes non de qualibet farina, ſed de ſimila fieri videbantur: quia nimirum quicumque aliis verbum vitæ miniſtrant, primo ipſos neceſſe eſt virtutum frugibus operam dare, quatenus ea, quæ prædicando ammouent, & faciendo commendent, configurati exemplis illius de ſemetipſo Ioan. 12. ait: *Niſi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit; ipſum ſolum manet.* Bene & ijdem panes ſeni alterinſecus ſu- C per menſam ſtatui præcipiebantur, propter concordiam ſcilicet charitatis & ſocietatis. Nam & Dominus binos ad Marc. 6. Luc. 10. prædicandum diſcipulos miſiſſe perhibetur, figuraliter inſinuans, quod ſancti Doctores nunquam ab inuicem vel in aſſertione veritatis, vel in affectu dilectionis diſcrepant. Quod autem ſuper panes thus lucidiſsimum ponebatur, virtutem orationis deſignat: quia ijdem Doctores ſuæ miniſterium prædicationis, ſimul & deuotionem operis Domino commendant. Nam per thus orationem deſignari teſtatur Pſalmiſta, qui dicit: *Dirigatur* Pſal. 140. *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et thus lucidiſsimum ſuper panes ponitur in monumentum oblationis Domini: quando piæ ſanctorum actioni ac doctrinæ oratio pura ſuperadditur: quo per hæc vtraque rite ſociata ſemper memoria ſacræ oblationis in conſpectu ſummi arbitris appareat. Bene autem per ſingula ſabbata panes coram Domino mutari mandantur. Panes namque, qui per ſex dies operandi in menſa Domini fue- D rant poſiti, ſabbato nouis mutantur, cum Doctores quique ſanctæ Eccleſiæ, completo tempore ſui ſancti laboris, etiam in cœlis remunerantur, & alio poſt ſe in idem opus laborandi in verbo ſub eiuſdem ſpe retributionis relinquunt. Sicque fit, vt menſa Domini nunquam panis inops remaneat: verum mox ſublato pane alius loco eius ſubſtituatur; dum ſuccedentibus ſibi per ordinem miniſtris verbi, nunquam Eccleſiæ deſunt, qui Apoſtolicæ ſiue fidem pietatis, ſeu munditiciam actionis & verbis oſtendant & factis. Et bene dicitur, quod de filijs Caath conſtituti erant ſuper panes propoſitionis: quia patientia Redemptoris noſtri docuit Apoſtolos ad prædicatores Euangelij, vt per conſtantiam patientiæ & virtutem diſcretionis, ſe ſuoſque gratam exhiberent oblationem: cum eiſdem ipſa veritas in Euan- Luc. 21. gelio ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Nec enim doctoris quilibet ritè fungi poteſt officio, niſi ſe patientiæ ac diſcretionis decorare ſtuduerit ornamento: vt diſcretus ſit in ſermone ſimul & opere, & fortis, ſi aduenerit, in ſuſtinenda aduerſitate. Apte autem E ſequitur, quod principes cantorum per familias Leuitarum, qui in exedris morabantur, die ac nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent, capitaque Leuitarum per familias principes manſerint in Hieruſalem: quia valde dignum eſt: vt quanto quis prælatus cæteris, tanto deuotior in diuinis fiat officiis. Ille quippe principatum miniſterij ſui ſeruat, qui ſtudium habet manendi in Hieruſalem, hoc eſt, in viſione pacis: vt tumultus ſeculares fugiendo, rebellemque motum carnis ſuæ donando, quietam mentem in contemplatione Dei habere valeat: quo ritè cum Pſalmiſta canere poſſit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini* Pſal. 121. *ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem.* Pſal. 134.

In Gabaon autem commorati ſunt, pater Gabaon, Iehiel, & nomen vxoris eius Maacha. Filius primogenitus eius Abdon & F *Sur & Cis & Baal & Ner & Nadab.* 1. Reg. 9.

Iehiel ipſe eſt, qui in Regnum ſcribitur *Abiſel*, pater Cis, pater Saul & interpretatur Abiel, *pater meus Deus*: Iehiel vero, *deſertus Dei*, propter meritorum forſitan ita nominati diſtantiam. Et notandum, quod inter filios Iehiel, Cis & Ner vocantur fratres, ſicuti & ſunt, & in Regum reperitur. In ſequentibus vero dicitur, quod Ner genuerit Cis; non quo eum genuerit, ſed quo eum educauerit, genuiſſe eum narratur.

Iſti habitauerunt è regione fratrum ſuorum, in Hieruſalem, cum fratribus ſuis.

Loci in Hieruſalem habitaſſe dicuntur.

Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul, & Saul genuit Ionathan & Melchiſue & Abinadab & Isbaal: filius autem Ionatan Meribaal, & Meribaa genuit Micha.

Abinadab filius Saul in Paralipomenon, in Regum 1 Reg. 31. vero, vbi & occiſus eſſe cum patre narratur, Aminadab vocatur. Et interpretatur Abinadab, *pater meus votum*: Aminadab vero, *populus meus votum.* Isbaal quoque G filius Saul, ipſe eſt Isboſeth; & Meribaal, ipſe eſt Miſiboſeth. Et interpretatur Meribaal, *litigans in maritum*: Miſiboſeth autem, *de ore ignominia.*

Capvt X.

1. Reg. 31. *Philiſtijm autem pugnabant contra Iſrael, fugeruntque viri Iſrael Philiſteas: & ceciderunt viri vulnerati in monte Gelboe. Cumque appropinquaſſent Philiſtei perſequentes Saul & filios eius, & percuſſerunt Ionatan & Aminadab & Melchiſue, filios Saul. Et aggrauatum eſt prælium contra Saul: inueneruntque eum viri ſagittarij, & vulnerauerunt iaculis. Et dixit Saul ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & interfice me, ne forte veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere, timore perterritus Arripuit ergo Saul enſem, & irruit in eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet mortuum eſſe Saul, irruit & ipſe in gladium ſuum, & mortuus eſt. Interiit ergo Saul & tres filii eius, & omnis domus illius* H *pariter concidit*, & reliq.

Plurimis omiſsis, quæ in libro Samuelis de Samuele & Saulis regimine atque actibus narrat hiſtoria; conditor huius libri tantum obitum Saul & filiorum eius, necnon & domus ipſius caſum commemorauit; vt occulte ſignificaret per myſterium, quod non neceſſe fuerit eius vitam deſcribere, cuius conuerſatio peccatrix finem celebrem non meruit accipere, & per figuram, regni Iudæorum ac ſacerdotij veteris finem debuit demonſtrare, ſed magis, occaſu prædicti Regis commemorato, ad Dauid totum ſe tranſtulit, & eius facta bona & diſpenſationem regni nobiliſsimam narrandam: qui typum tenet veri Dauid, Regis videlicet Chriſti, qui de eius ſemine ſecundum carnem natus eſt, & cœli terræq; poſsidet regnum. Igitur quod imminente tempore Dauidici regni dicit, Philiſtijm (ſicut ſemper ſoliti erant) pugnaſſe aduerſus Iſrael, fugiſſeque viros Iſraelitas: ſignificat, quod,

Digitized by Google

A apropinquante nouæ gratiæ tempore, gentiles (ſicut ante conſueuerant (caſtitatem Iſraeliticæ fidei per exempla prauitatis appugnabāt: nunc opera peruerſa peritu-ris, nunc idololatriæ culturas oſtendendo, iuxta exem- Num. 25. plum Balaam, qui docebat Balach mittere ſcandalum coram filiis Iſrahel, edere & fornicari.

Fugeruntq; filij Iſrahel Paleſtinos, & ceciderunt vulnerati in monte Gelboe.

Decepti ſunt, qui fortes videbantur in contemplanda Dei voluntate (quod nomen *Iſrahel* ſignificat) cum opera gentilium incautius, doctrinamq; ſequerentur: & perierunt deprauata in ſuperbia luxurioſa, quam vocabulum montis Gelboe idem lubrici deſignat. Sed & hæreticorum perditionem non parum ſecularis ſapientia iuuit. Vnde pulchre quidam noſtrorum ait: *Philoſophi, Patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ puritatem peruerſa maculauere doctrina.*

Cumque appropinquaſſent Philiſtei perſequentes Saul & filios eius: percuſſerunt Ionathan & Abinadab & Melchiſue, filios Saul.

B Irruerunt tota intentione gentes circumpoſitæ in regnum Iudeæ deſtruendum, & filios eiuſdem regni tollendos de medio, & deprauarunt ſua corruptione ſacerdotes, ſcribas & Phariſæos, filios ſcilicet Ductoreſq; regni illius. Sed & hæreticos, ne Spiritus ſancti gratiam ſimplici corde prædicarent aut colerent, retardarunt: quod eſt, Ionathan percutere, i. *columbæ donum*: ne Patrem, qui nos ſibi non natura, ſed adoptione filios fecit, digna confeſſione laudarent, interdixerunt: quod interfecto ſignificat Abinadab, id eſt, *patris mei ſpontanei*: ne in Chriſti regno ſalutem mundo adfuturam crederent, obſtiterunt: quod occiſus indicat Melchiſue, qui dicitur, *Rex meus ſalus.* Credo qui Arrium ſeduxit philoſophum, quaſi Melchiſue peremit: qui Macedonium, Ionathan: qui Manicheum, Abinadab: quia videlicet hunc veri Regis Chriſti omnipotentiam negare, illum Spiritus ſancti donis derogare, iſtum ſummi Patris bonitatem blaſphemare magiſter corruptionis edocuit.

Et aggrauatum eſt prælium contra Saul, inueneruntque eum ſagittarij, & vulnerauerunt iaculis.

C Totis viribus agebant gentiles, vt regnum Iudeæ tollerent: & appropiabant et viri idolis deceptionem inſtructiſsimi, & ſeducti ac deprauati ſunt proceres regni illius vehementer ab eis, qui cordi illorum, abrepta ſimplicitate veritatis, multifidum fraudulentiæ & aſtutiarum vulnus inflixere. Sicut enim gladius hoſtilis apertam idololatriæ, grauiorumq; flagitiorum ſuaſionem: ita ſubtiliorum deceptionum argumenta ſagitta demonſtrat. Non autem gladio Philiſtiim, ſed ſagittis Saul interiit: quia non apertis ſceleribus, quæ mortifera eſſe nemo dubitaret, Iudaici regni Duces extremi ipſo periere cum regno: ſed his potius, quæ ſub velamine pietatis ac ita impiſsimum Exod. 20. mortis virus inferrent. Verbi gratia, dicente Deo: *Honora* Matth. 15. *patrem tuum & matrem*: ipſi contra dicebant ſuos auditores dicere parentibus: *Munus quodcunque ex me tibi proderit*: & ſic ab eorum penitus honoratione ceſſare. Item dice- Matth. 23. bant: *Qui iurat in templo, nihil eſt: qui iurat in auro templi, debet*: & cætera huiuſodi, quæ Dominus in Euangelio multiplici illis increpatione depromit: maxime illud, quod ipſum legis & Euangelii Dominum, quaſi tranſgreſſorem D legis, interficiunt. Quæ omnia ſcelerum argumenta cum admiratione faciunt aſtutiæ gentilis, cum philoſophiæ ſtudiis exercitatum ingenium ad nefarias artes inflectūt: ſagittariis nimirum Philiſtiim vulnerantibus cadunt. Nil autem prohibet ſagittarios immundos Spiritus accipere, quorum dolis imbuti perierunt.

Et dixit Saul ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & interfice me: ne forte veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi.

Armiger Saul legis Doctores ſignificat: quia ſicut arma & ſagittæ Philiſtiim prauorum deceptiones: ſic contra Iſrahelitarum arma non alia ſunt myſtice intelligenda, quam ſpiritualis verba doctrinæ: quibus de Dei populus à cunctis debuerat munire periculis. Sed vulneratus vſq; ad veſperationem à ſagittariis Saul maluit armigeri ſui, E quam incircumciſorum gladio perire: quia principes regni Iudæorum, ſumpto ſemel propoſito in peccatis ſuis moriendi, maluere doctoribus ſuis mandata legis ſoluentibus & ſic ſe docentibus, quam gentilium, quos *communes & immundos* vocabant, conſortio ſe polluente perimi. Demq; *timebant introire prætorium* gentilis, *vt non contami-* Ioan. 18. *narentur, ſed manducarent Paſcha*: quod tamen Paſcha verſum in ſua perniciem lege quam acceperant, inſonti ſanguine contaminare non timebant.

Noluit autem armiger eius hoc facere timore perterritus. Arripuit ergo Saul enſem, & irruit in eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet mortuum eſſe Saul, irruit etiam ipſe in gladium ſuum, & mortuus eſt.

Armigerum ſuum Hebræi Doech Idumæum dicunt fuiſſe, qui cernens Saul mortuum, ſeipſum ob metum Dauid interremit: & puerum, qui diadema atque armillas Saul detulit ad Dauid, dicunt eſſe filium eiuſdem Doech Idumæi, ipſumq; Doech ferunt puerum fuiſſe Saul, cum quo perrexerat ad quærendas aſinas patres ſui. Non eſt 1. Reg. 6. ambigendum, inter reprobos legis Doctores extitiſſe ali- F quos, qui verbi acumen ad occidendos ſuos auditores ſiniſtra interpretatione peruertere nollent: & nihilominus ipſos auditores ea, quæ recte dicta à magiſtris acceperant, vel deſpiciendo, vel (quod peius eſt) blaſphemando in ſuam vertiſſe perniciem; quorum viſa morte ſpirituali, id eſt, obſtinatione peccandi, & ipſos verbi miniſtros, per tempora deterioratos, teſtimonia legis, quæ male interpretari timuerant, male contempta ſibi occaſionem feciſſe ruinæ. Hæc & hodie nobiſcum ſæpius agi vtinam neſciremus! Sed & hæretici, peccatorum ſuorum & ipſi iaculis cruentati, cum verba diuinorum eloquiorum in argumenta ſui erroris immutant, ſua inimicorum arma morituri contra ſuum pectus inuertunt: & frater quilibet, etiam in Catholica permanens vnitate, cum artem quamcumq; pro communi Eccleſiæ, eorumque inter quas viuit, vtilitate didicit; in ſuperbiæ, cenodoxiæ, philargyriæ, alteriuſue cuiuslibet vitii contagione polluitur, ſuo ſe miſer gladio confodit: quia quod defendi ab hoſte debuerat, hoſtem potius iuuit.

Interijt ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus illius pariter concidit.

G Domum eius pariter concidiſſe dicit, non ita, vt non eſſet, de quibus fuit Mardocheus; ſed vt non regnaret figuraliter demonſtrans, gentem Iudæorum non ſolum regnum perdidiſſe, ſed & poſſeſsionis ſuæ locum, quæ non modo in terra Chanaan repromiſſam ſibi terram non poſsidet, ſed in totius Orbis diſperſa eſt nationes.

Quod cum vidiſſent viri Iſrahel, qui habitabant in campeſtribus, fugerunt: &, Saul, & filiis eius mortuis, dereliquerunt vrbes ſuas, & huc illucq; diſperſi ſunt. Veneruntque Philiſtiim, & habitauerunt in eis.

Videntes indocti quique, & humilitatis vere medicamina, lauacrumque Baptiſmi ſalutaris ignorantes, in Iudæa doctos quoſque magiſtroſque in certamine ſpirituali, peccato triumphante, deuictos: ſed & vulgus non paucum eorum paruæ auditu per proximum, perſequente aduerſario, à priſca ſuæ conſtantiæ ſede fugatum, & ipſi confeſtim maiorum ruina turbati, opera virtutum omnia, ac munimina ſcientiæ ſpiritualis, quæ habuerant, H amiſerunt: veneruntque peccata gentilium, & cuncta incredulis Iudæis ſtudia virtutum peruerſa in habitatione corruperunt. Veneruntque immundi Spiritus, & corda, quæ fidei conſtantia deſerunt, occuparunt. Vel certe venerunt gentes, & optima quondam Iudæorum ſtudia credendo ſua fecerunt. Nam & olim diuina eloquia, quæ illi non parua ex parte iam tunc relinquere, ipſa ſibi interpretari fecerunt, & tunc proiectam ab eis, cum ipſis eloquiis diuinæ Scripturæ, fidem CHRISTI ſuſceperunt, ac velut inhabitando poſsident.

Die igitur altero detrahentes Philiſtiim ſpolia cæſorum inuenerunt Saul & filios eius iacentes in monte Gelboe. Cumq; ſpoliaſſent eum, & amputaſſent caput armiſque nudaſſent: miſerunt in terram ſuam vt circumferretur & oſtenderetur idolorum

Digitized by Google

A regnum ad Dauid filium Iſai, hoc eſt, ad Chriſtum & Chriſtianum populum.

CAPVT XI.

Congregatus eſt ergo omnis Iſrahel ad Dauid in Ebron, dicens: Os tuum ſumus & caro tua: heri quoque & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Iſrahel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrahel, & tu eris princeps ſuper eum. Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrahel ad Regem in Ebron: & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel. 1 Reg 16.

Quid conuentus iſte tribuum Iſrahel ad Dauid ſignificat, niſi conuentum omnium gentium ad Chriſtum? Quæ illi quaſi blandiendo dicunt; *Ecce os tuum & caro tua ſumus*: cum ſcilicet incarnationem, quam ex noſtra natura in Virginis vtero ſuſcepit, diligunt atque venerantur, eiuſque ditioni ſubdere ſe appetunt, ipſique ſeruire omni tempore deſiderant. Vnde Pſalmiſta dicit: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius omnes familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Venerunt quoque & maiores natu de Iſrahel ad Regem in Ebron: cum Prophetæ & Apoſtoli vna fide & pari deuotione ad Mediatorem noſtrum conuenerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: *In conſpectu ſeruorum ſuorum gloriabitur.* Conuenienter autem dicitur: Quod Dauid iniret cum Iſrahelitis fœdus coram Domino, vnxeruntque eum Regem ſuper Iſrahel. Significat ergo, quod Euangelio condito Chriſtus cum fidelibus, data Spiritus ſancti gratia, iniit fœdus myſtice & obſeruationis mandatorum Dei, remunerationiſque futuræ. Quem vnxerunt Regem ſuper omnem Iſrahel: quia omnium credentium vna eſt confeſſio, vnaque religio, ac certa definitio: quod ſub Ieſu Chriſti imperio militiam omni tempore agant ſpiritualem, exſpectantes aduentum eius futurum in die Iudicii: quando venerit in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

B Pſal. 21. — Pſal 46. — Pſal 106.

C Luc 21. Matth. 16.

Abiit quoque Dauid & omnis Iſrahel in Ieruſalem (hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſei habitatores terræ.) dixeruntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: non ingredieris huc. Porro Dauid cepit arcem Syon, quæ eſt ciuitas Dauid, dixitque: Omnis, qui percuſſerit Iebuſeum in primis, erit princeps & Dux. Aſcendit ergo primus Ioab, filius Saruiæ & factus eſt princeps, habitauit autem Dauid in arce, & idcirco appellata eſt ciuitas Dauid, & reliqua.

Hinc Ioſephus in antiquitatum ſuarum libro ſeptimo ita refert, dicens: *Exurgens Dauid cum omnibus venit in Hieroſolymam: Iebuſeis habitantibus ciuitatem, qui erant in genere Chananeorum, & claudentibus ei portas, & cæcos aſpectu, & claudos, omneſque leproſos ad deriſionem Regis conſtituentibus ſuper murum, & dicentibus: quia prohiberent eum cæci ingredi ciuitatem. Quæ tamen agebant deſpicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratuſque Rex Hieroſolymam obſidere cœpit, & multo ſtudio & labore conari, vt eam caperet: quatenus in ipſo principatus initio ſuam fortitudinem demonſtraret. Interminatus itaque & ipſi & aliis, ſi qui forte haberent aduerſus eum reſiſtendi conamen, inferiorem ciuitatem magna virtute cepit. Cumque ad huc arcem obtinere non poſſet, cœpit, honores & munera promittendo, Rex per eos ad opus bellicum milites prouocare: vt quicunque per ſubiectos colles in arcem conſcenderet, & eam caperet, principatum militiæ totius populi poſſideret. Cunctis itaque conſcendere feſtinantibus, & nullo labore pro muneris promiſſi retributione tardantibus, Saruiæ filius Ioab præuenit vniuerſos, & aſcendens in cacumine clamauit ad Regem, exigens militiæ principatum. Expulſis itaque Rex de ſumma arce Iebuſeis, & reædificans ciuitatem, eam Hieroſolymam nuncupauit, & omni tempore in ea ſui habitauit imperij.* Myſtice autem Dauid, Iebuſeum habitatorem terræ de Hieruſalem eiiciens, ſignificat, Redemptorem noſtrum contrarias poteſtates de cordibus fidelium expellere, & ſic ibidem ſuam manſionem conſtituere. Iebuſæus enim interpretatur, *calcatus*: Hieruſalem, *viſio pacis*. Non ſolum enim Dominus noſter per myſterium crucis omnem principatum Diaboli deſtruendo ſibi trophæum acquiſiuit: immo fidelibus ſuis ſuper omnem virtutem eiuſdem antiqui hoſtis poteſtatem tribuit. Vnde in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſuper ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici.* Bene ergo in libro Regum ſcriptum eſt, quod Dauid, eiectis cæcis & claudis, qui oderant animam Dauid, cœpit arcem Syon, ſuamque ciuitatem eam vocauerit: quia dum Saluator noſter malignos Spiritus cum turba vitiorum de anima qualibet expulerit, ſibique eam per illuminationem ſapientiæ vſurpauerit, merito arx Syon, id eſt, *ſpeculationis* & *viſio pacis* vocabitur: atque de ea tunc recte per Pſalmiſtam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon; ibi confregit cornua, ſcutum, gladium, & bellum.* Quod autem ſubiungitur: quia ædificauerit vrbem Dauid in circuitu à Mello vſque ad gyrum, Ioab autem reliqua vrbis deſtruerit: demonſtrat, Dauid vrbem Hieruſalem muniuiſſe muris, tam per ſuam induſtriam, quam etiam per deuoti militis ſolertiam. Legi in cuiuſdam libro, quod Ioab reliqua vrbis non extruxerit, ſed extraxerit, intelligi volens, quod pereuntibus Iebuſæis gladio, ſiqui Iſrahelitarum inter eos inuenti fuiſſent, à Ioab ſaluarentur: Ioſephus tamen narrat, Dauid ſuperiorem ciuitatem muniuiſſe, eique copulando arcem, vnum vndique corpus effeciſſe, & cuncta muro circumdediſſe, ſuper opus autem murorum conſtituiſſe Ioab, & quod Dauid Iebuſæos expulerit, & hanc Hieroſolymam nuncupauerit. Nam ſub Abraham Patriarcha Solima vocabatur. Quidam vero dicunt, quod & Homerus poſtea Hieroſolymam nominauerit. *Hieron* enim Hebræa lingua *munitio* eſt. Myſtice autem quod Dauid vrbem ædificauit per circuitum, ſignificat, Chriſtum in Iudæa primum Euangelium prædicaſſe, & Eccleſiam ſuam fidei ſuæ munitione vndique circumdando firmaſſe. Quod autem Ioab reliqua vrbis extruxit, ſignificat, Apoſtolos, & prædicatores Euangelii poſt paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Domini ad cœlos doctrina ſua plurimos de gentibus ad fidem Chriſti conuertiſſe, vt cooperatores eſſent ipſius veritatis, & pro modulo ſuo ſpirituale ædificium Dei deuota mente, ac ſtrenua deuotionis actione conſtituerent. Vnde Paulus ad quoſdam fideles ſcribens ait: *Dei ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis*, &c.

D Ioſeph. lib 7 — E — Luc 10. — 2. Reg 5. — Pſal 75 — F — G — 1. Cor. 3.

Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, Rex fieret ſuper omnem Iſrahel, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrahel. Et iſte numerus robuſtorum Dauid; Ieſbaam filius Achamoni, princeps inter triginta; iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.

Hunc Ieſbaam Ioſephus Euſebium nominat, & filium eum eſſe dicit Achimeæ, qui aciem hoſtium frequenter irrumpens nequaquam pugnando ceſſarit, donec ex eis nongentos occideret. Sed Hebræus, cuius dicta in expoſitione Regum aliqua poſui, & in præſenti Opere non pauca inſerui, iſtum Ieſbaam ipſum Dauid intelligi vult, interpretans nomen ipſum, hoc eſt, Ieſbaam, *ſedens in populo*: Achamoni vero *ſapientiſſimum*: firmatque, hoc in libro Regum ita demonſtratum eſſe, vbi ſcribitur: *Sedens in cathedra ſapientiſſimus.* Sed ideo vermiculo ligni eum comparatum eſſe, quia minuebatur illi ſapientia propter peccatum quod commiſit in Vria. Similiter refert illud ſignificare, quod in volumine Regum narratur, octingentos illum vno impetu interfeciſſe, & hic in Paralipomenon dicit trecentos eum interfeciſſe minoratione ſcilicet famæ illius propter peccatum prædictum adulterii & homicidii.

H — 2. Reg. 23. — 2. Reg 11. — 2. Reg. 23.

Et poſt eum Eleazar, filius patrui eius, Aboites, qui fuit inter potentes.

Aboi enim (vt Hebræi tradunt) frater fuit Iſai patris Dauid, cuius filius fuit Eleazar, qui fuit inter tres

A potentiſſimus, quos Ioſephus dicit eſſe Euſebium filium Achimee, & Eleazar filium Doli, & Seineam filium Eli.

Deſcenderunt autem tres de triginta principibus ad Petram, in qua erat Dauid ad ſpeluncam Odollam, quando Philiſtiim fuerant caſtra metati in valle Raphaim. Porro Dauid erat in præſidio, & ſtatio Philiſtinorum in Bethlehem. Deſiderauit ergo Dauid aquam & dixit: O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem quæ eſt in porta? Tres ergo iſti per media caſtra Philiſtinorum pertexerunt, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad Dauid, vt biberet. Qui noluit, ſed magis libauit illam Domino, dicens: Abſit, vt in conſpectu Dei mei hoc faciam & ſanguinem iſtorum virorum bibam, quia in periculo animarum ſuarum attulerunt mihi aquam & ob hanc cauſam noluit bibere, & reliqua.

Hebræi aſſerunt, Dauid non tam deſiderio aquæ ſitim hoc feciſſe, quam etiam ad probandum, vtrum tam fortes viri inter ſuos inueniri potuiſſent, qui hoc attentarent: cum autem ſibi per eos oblata fuiſſet aqua cum tanto periculo hominum noluiſſe eam bibere, ſed magis ſacrificare eam Deo elegiſſe: gratias illi agendo, quod B tam fortes viros in Iſrahel dederat. Myſtice autem ſitiebat Dauid non aquam, quæ eſt in Bethleem: ſed oriturum in eadem Bethleem Chriſtum ex Virgine in Spiritu præuidebat. Ergo volebat bibere non aquam fluminis, ſed lauacrum ex latere Chriſti fluens, hoc eſt, non aquarum ſitiebat Dauid elementum, ſed ſanguinem Chriſti: vnde non bibebat oblatam aquam, ſed Domino fudit, ſignificans, ſitire ſe Chriſti ſacrificium, non naturæ fluentum: illud ſacrificium, in quo eſt remiſſio peccatorum: illum ſitire fontem æternum, qui non periculis quæritur alienis, ſed pericula aliena deleret. Iuxta tropologiam vero cogitandum ſummopere eſt, vt qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere: quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat: vt qui commiſit prohibita, ſibimet: ipſi abſcidere debeat etiam conceſſa: vt ſe reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquiſſe. Lex certe veteris teſtamenti alienam vxorem concupiſcere prohibet, à rege vero fortia iuberi militibus vel deſiderari aquam non pœnaliter vetat. C Et cuncti nouimus, quod concupiſcentiæ mucrone 2. Reg. 11. transfixus, alienam coniugem & apperiuit & abſtulit: cuius culpam digna verbera ſunt ſecuta: & malum, quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe poſt hoſtium cuneos ſederet, aquam bibere ex eorum ciſterna deſiderio voluit: cuius electi milites inter cateruas aduerſantium medias erumpentes aquam, quã deſiderauerat, inlæſi detulerant. Sed vir flagellis eruditus ſemetipſum protinus cum periculo militum aquam deſideraſſe reprehendit, eamque Domino fundens libauit, ſicut illic 2. Reg. 23. ſcriptum eſt: *Libauit eam Domino*. In ſacrificium quippe Domini effuſa aqua conuerſa eſt: quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam repræhenſionis ſuæ. Qui ergo quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, poſt etiam quia aquam; etiam à licitis abſtinebat.

Abiſai quoque frater Ioab, ipſe erat princeps trium: & ipſe leuauit haſtam ſuam contra trecentos vulneratos: & ipſe erat inter tres nominatiſſimus, inter tres ſecundus inclitus, & princeps eorum. Verumtamen vſque ad tres primos non peruenerat.

D Hinc apparet, quod Abiſai princeps erat nominatiſſimus inter tres ſapientes. Sed vſque ad tres primos, qui ſupra nominati ſunt, non peruenit, hoc eſt, Ieſbaam, Eleazarum & Sennua, quorum actus fortiſſimos ſupra narrauit. Allegorice autem hæc ſententia oſtendit, quod nemo ſanctorum, licet inter ſuos virtutum excellentia emineat, tamen vſque ad æqualitatem potentiæ Patris & Filii & Spiritus ſancti peruenit. Vnde in Pſalmo ſcriptum Pſal. 88. eſt: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei? Deus, qui glorificatur in conſilio ſanctorum, magnus & metuendus ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt*, &c.

Banaias, filius Ioiadæ, viri robuſtiſſimi, qui multa opera perpetrauerat de Cabſeel. Ipſe percuſſit duos Ariel Moab, & ipſe deſcendit & interfecit Leonem in media ciſterna in tempore niuis. Et ipſe percuſſit virum Ægyptium, cuius ſtatura erat quinq; cubitorum, & habebat lanceam vt liciatorium texentium. Deſcendit ergo ad eum cum virga, & rapuit haſtam, quam tenebat manu, & interfecit eum haſta ſua, &c. E

Quod autem ſcriptum eſt in Regum de Banaia quod 2. Reg. 23. percuſſit duos leones Moab, & in Paralipomenon duos Ariel Moab nominat: vnicam ſignificationem habet. Viri ergo fortiſſimi iſti fuerunt in regno Moab: vnde & Ariel Moab leones nuncupantur. Ariel enim interpretatur Leo Dei: quos Banaias, dum prouocatus eſſet ab illis, ſuperatos interfecit. Quod autem dicitur de Banaia: *Et ipſe deſcendit & percuſſit leonem in media ciſterna in diebus niuis:* quomodo ſit factum, Ioſephus narrat apertius: quia vi- Ioſeph. delicet ciſterna fuerit nimium profunda, quæ tempore hyemis, cum eſſent omnia niuibus plena, ipſa quoq; nimio nimium aggeſtu fuerit coæquata. Quam cum leo ſuperueniens periculi neſcius incidiſſet, ibidemque concluſus grandi rugitu clamaret, accurrebant homines videre, quid eſſet. Et dum cum aliis ad tale ſpectaculum veniret & Banaias, deſilijt in ciſternam, ſtatimque aggreſſum me- F dijs niuibus percuſſit & interfecit leonem. Nix itaque figuraliter nunc innocentiæ inter & gratiæ, nunc hyemis & frigus caritas intelligi poteſt. Quod autem hic legimus, necnon & in Regnorum libris, Banaiam quendam de fortibus Iſrahel deſcendiſſe in ciſternam, & percuſſiſſe leonem in tempore niuis: indifferenter puto in locis ipſis poſitam niuem, quia & Chriſti gratia, quæ in hoc mundo reſplenduit, & frigus caritatis Dei, quo infrixerunt homines: niuis nomine poſſunt Scripturæ ſignificari. Banaiam vero figuraliter intelligimus Saluatorem, qui iuxta vim nominis ſui, *ipſe ædificator Dominus*, interpretatur, de quo Propheta vaticinatus fuerat, quia per eam ædificanda Eccleſia eſſet, dicens: *Ædificans Hieru-* Pſal. 146. *ſalem Dominus.* Itemque, *ædificauit*, inquit, *Dominus Sion.* Pſal. 101. Quod verbum in fractura Euæ, quæ Eccleſiæ typum habuit, Scriptura propria ſignificatione poſuit, dicens: *Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mu-* Gen. 2. *lierem.* Et Paulus conſtrui eum videns ait: *Dei ædificatio* 1. Cor. 3. *eſtis.* Et benedicitur, quod Banaias multa opera perpetraret: quia Banaias noſter vſque modo operatur, & omni- G um rerum cum Patre & Spiritu ſancto conditor eſt, qui in Euangelio de ſemetipſo ait: *Pater meus vſque modo opera-* Ioan. 5. *tur, & ego operor. Quæcunq; ille fecerit: hæc & filius ſimiliter facit.* Ipſe de Gableel dicitur, hoc eſt, *de congregatione Dei:* quia ad eum omnis cœtus ſanctorum pertinet, & *ipſe caput eſt* Col. 1. *corporis Eccleſiæ.* Ipſe deſcendit & interfecit leonem in media ciſterna in tempore niuis: quia de cœlo in terram deſcendens, & homo factus, leonem diabolum, qui infidelitatis frigore torpentem poſſidebat mundum, morte ſua interficiendo in profundum inferni detruſit. Ipſe percuſſit virum Ægyptium, cuius ſtatura erat quinque cubitorum, deſcendens ad eum cum virga, & rapiens haſtam, quam tenebat manu, interfecit eum haſta ſua: quia ante Chriſtum nigredine peccatorum teterrimum, quiq; ſenſibus corporis abutitur ad perpetranda ſcelera, per virgam crucis ſuæ ſuperans, propria reum nequitia damnauit perpetua. Nec prætereundum, quod Hebræus ille leonem hunc, quem Benaias interfecit, Ioab intelligi oportere putat: quia in media ciſterna, id eſt, in domo Do- 3. Reg. 2. mini, vbi cornua altaris tenebat, occiſus eſt. Ergo altare H ciſterna dicitur: quia ſicut aqua ciſternæ aſſert, ita etiam nihilominus ſanctuarium Domini peccata expiabat in diebus niuis: quia per mortem expiauit peccatum, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Pſal. 50. Porro in eo, quod ſubſequenter narratur: *Ipſe quoq; interfecit virum Ægyptium* quem in libro Regum *dignum ſpecta-* 2. Reg. 23. *culo* dicit: virum iſtum Ægyptium Semei filium Iera eſſe arbitratur, qui *maledixit Dauid.* Sciendum vero, quod i- 2. Reg. 16. dem Semei de Baurim fuerit, i. de electis: ideoque Ægyptius dictus, quia opera illius Ægyptii Dominum blaſ- Leuit. 24. phemantis, quem Moyſes, iubente Domino interfecit in Heremo, imitatus fuit. Ille enim blaſphemauit Dominũ, & iſte maledixit Prophetam & Regem. Et bene dicitur, *dignum ſpectaculo*: Spectabatur enim, vt, ſi egredere-

A tur, Hieruſalem, interficeretur. *Habentem in manu haſtam*, id eſt, legem Dei, quam ſi meditatus fuiſſet permanendo in Hieruſalem, non perimeretur. Quia ergo præceptum 3. Reg. 2. Regis irritum fecit exeundo filios Hieruſalem: idcirco in eum Banania in virga, id eſt, rectitudine iuſtitiæ deſcenſum eſt: & haſta, quam iam non recte tenebat, vi ab eo extorta eſt. *Hæc, inquit, fecit Bananias filius Ioiada, qui erat inter tres robuſtos nominatiſſimus, inter triginta primus. Verumtamen vſque ad tres non peruenerat.* Intelligitur, quia ipſe nominari dignus eſſet inter tres robuſtos, Iabiſai & Subachai & Ionathan: quippe qui viribus eis æquiparari poſſet. Hi etiam tres erant ſuper triginta, vt Hebræi aſſerunt. Quod autem ſequitur:

Poſuit eum Dauid in auriculam ſuam:

Oſtendit, illum per familiaritatem ac fidem ſecretorum ſuorum eum velle eſſe conſcium. Enumeratis ergo per hæc viris fortioribus Dauid, qui adiuuerunt eum, vt regnaret ſuper Iſrahel, Scriptura ſubiungit, dicens:

Caput XII.

B *Hi quoque venerunt ad Dauid in Siceleeh, dum adhuc fugeret Saul filium Cis. Qui erant fortiſſimi & egregii pugnatores, tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas*, & reliqua.

Demonſtrat, eos hiſtorialiter agiles eſſe, ac ſtrenuos ad omnem actum belli: iuxta allegoriam vero ſignificat, ſpirituales milites Chriſti non ſegnes, ſed ſtudioſos eſſe debere, & ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis rebus fortes fieri oportere atque prudentes: vt ſecundum Apoſtolum viam regiam incedentes, 2. Cor. 6. *in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris* pugnent, *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces*, &c.

Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi & pugnatores optimi, tenentes clipeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus, &c.

De Gaddi, inquit, hoc eſt, de tribu Gad fugerunt ad Dauid viri robuſtiſſimi eo tempore, quo fugiendo Saul C latebat in deſerto: quos leonibus comparat propter fortitudinem mentis: capreis propter ſenſus perſpicuitatem, ſeu corporis agilitatem. Myſtice autem docet nos, qui militiam Chriſti profeſſi ſumus, vt *non ſimus paruuli in ſenſibus* 1. Cor. 14. 1. Cor. 15. 2. Cor. 8. Epheſ. 5. *fluctuantes, ſed ſtabiles & immobiles, abundantes in opere Domini, prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, videntes, quomodo caute ambulemus: non quaſi inſipientem, ſed vt ſapientes: vt ſiue manducemus, ſiue bibamus,* 1. Cor. 10. *ſeu aliud quid agamus; omnia in gloriam Dei faciamus.*

Hi de filiis Gad principes exercitus. Nouiſſimus centum militibus præerat, & maximus mille. Iſti ſunt, qui transierunt Iordanem menſe primo: quando inundare conſueuit ſuper ripas ſuas: & omnes fugarunt, qui morabantur in vallibus, ad Orientalem plagam & Occidentalem, &c.

Deſcriptis principibus, qui transfugerunt de tribu Gad ad Dauid, mox ſcriptor hiſtoriæ ſubiunxit, dicens: *Nouiſſimus centum præerat militibus, & maximus mille.* Quod (ni fallor) poteſt ad myſterium transferri: quia princeps exercitus Domini, hoc eſt, Doctor quilibet Catholicus: qui licet nouiſſimus dici poſſet propter obſeruantiam D humilitatis: tamen centum millitibus, qui in caſtris Eccleſiæ ſupplici deuotione Chriſti militiam agunt, merito præfertur: quia perfectioni virtutum ſtudet. *Et maximus mille.* Maximus ille dici poteſt qui ſcientiæ præſidio fultus laborem pie exercet prædicationis cum bonis exemplis: cum id, quod verbis docet, operando confirmat: atque ob hoc æterna beatitudine, quæ millenario numero deſignatur, dignus apparebit. Hæc enim Angelus in viſione Danielis ad Prophetam loquens, ita diſtinguere videtur, inter alia dicens: Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quam ſententiam beatus Hieronymus D. Hieron. in tractatu Danielis ita exponit, dicens: *Magiſtri habebunt ſimilitudinem cœli: & qui aliquos erudiunt, ſtellarum fulgori comparabuntur. Non enim ſufficit ſcire ſapientiam, niſi & alios erudiat: taciroque ſermone doctrinæ alium non ædificans, mercedem otioſus recipere non poteſt.* Quem & deinde cum Theodotio ita expreſſit: E *Et intelligentes fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti: & deuicti plurimi, quaſi in æternum & vltra.* Soli nonnulli quærere, vtrum doctus ſanctus, & ſimplex ſanctus eandem mercedem habeant, & vnam & in cœleſtibus manſionem? Ioan. 14. Vnde nunc iuxta Theodotionem dicit? quod docti ſimilitudinem cœli habeant, & abſque doctrina victis ſtellarum fulgori comparantur: tantumque ſit inter eruditam ſanctitatem & ſanctam ruſticitatem, quantum cœlum diſtat & ſtellæ. Hinc quoque Paulus Apoſtolus ad diſcipulum ſcribens ait: *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habentur*, 1. Tim. 5. maxime qui laborant in verbo doctrinæ. Hinc ad Theſſalonicenſem dicit: *Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis* 1. Theſſ. 5. *illos: pacem habere cum eis.* Iſti ſunt, (inquit,) qui *tranſierunt Iordanem menſe primo: quando inundare conſueuit ſuper ripas ſuas.* Quid per Iordanem fluuium, in quo Dominus Matth. 3. Baptizatus eſt, niſi aqua Baptiſmatis deſignatur? Tranſierunt ergo Doctores ſancti Iordanem menſe primo, quando F inundare conſueuit ſuper ripas ſuas: quia, apparente in carne Filio Dei, & annum illum conſecrauit, quem Eſa. 61. Eſaias Propheta prædixit acceptabilem eſſe Domino, ſtatim vt Baptiſmi Sacramentum ſuo baptiſmate conſecrauit, copioſiſſime ipſius Sacramenti munus prædicando atque baptizando in toto orbe dilatauerunt, & omnes fugauerunt, qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam & Occidentalem; quia omnes, qui ex Iudæis, quos Orientalis plagam propter hortum legalis ſcientiæ deſignat, vel exigentibus; quas Occidentis clima propter occaſum naturalis prudentiæ exprimit, quam illi, idola colendo, prodiderunt, inueniebantur delectari in rebus mundanis ac ſecularibus deſideriis, & nolebant ad arcem virtutum, & ſapientiæ culmen aſcendere, coram prædicatione Euangelii fugerunt: quia reſiſtere maieſtati diuinæ nullo modo potuerunt. Vnde Propheta ex perſona ipſius Saluatoris ad Dominum ait: Pſal. 17. *Inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdiſti.* Et Hieremias: Ier. 31. *Qui turbat*, inquit, *mare & ſonant fluctus eius; Dominus exercituum, nomen illi.*

G *Venerunt autem & de Beniamin & de Iuda ad præſidium, in quo erat Dauid. Egreſſuſque eſt Dauid obuiam eis, & ait: Si pacifice veniſtis ad me, vt auxiliemini mihi: cor meum iungatur vobis. Si autem inſidiamini mihi pro aduerſariis meis, (cum ego iniquitatem in manibus non habeam:) videat Deus patrum noſtrorum, & iudicet. Spiritus vero Domini induit Abiſai principem inter triginta, & ait; Tui ſumus, ô Dauid & tecum fili Iſai; Pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis. Te enim adiuuat Deus tuus. Suſcepit ergo eos Dauid, & conſtituit principes turmæ.*

Quid per aduenientes milites de tribu Iuda atque de tribu Beniamin ad Dauid, quos ipſe, fide eorum exploratа, principes conſtituit ſuper turmas, niſi Doctores Iudæorum atque gentium deſignantur? De quibus Paulus, qui ex tribu Beniamin exortus eſt, in Epiſtola ſua teſtatur, dicens: *Petrus & Iacobus atque Ioannes,* Galat. 2. *qui videbantur columnæ eſſe, dextras mihi dederunt & Barnabæ Societatis; vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem verbi Dei ſeminarent.* Hi ergo ad Redemptorem noſtrum venientes de fidei ſuæ virtute ab omnium cultorum cognitione explorati ſunt. Vnde eſt illud, quod H Dominus diſcipulos ſuos in Euangelio interrogans, quem eum homines eſſe dicerent, cum diuerſas opiniones hominum de ſe ab eis audiſſet: nouiſſime eorum fidem requiſiuit, dicens: Matth. 16. *Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondit ei* Abiſai noſter, *Petrus* videlicet Apoſtolus, vnus pro omnibus, *dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Cui reſpondit Ieſus: Beatus es Simon Bariona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatũ & in cœlis.* Hoc ergo modo pro fide ſuæ laudæ non ſolũ Petrus, ſed & alii Apoſtoli, nec non & cæteri

A Doctores ſancti remunerati ſunt: quia principes, ſecundum ſententiam viri Dauid, ſuper omnem terram ab ipſo conſtituto poteſtatem habent ligandi atq; ſoluendi prout cauſa iuſtitiæ eis dictauerit. Huic quoque alibi in Euangelio ipſa Veritas, ordinans prædicatores ſuos, ait illis: Matth. 18. *Amen dico vobis: quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Hinc & poſt reſurrectionem apparens inſufflauit in eos, & dixit: Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Beatus igitur, qui donum, quod gratia Dei ſuſcepit, per humilitatis cuſtodiam illæſum vſque ad finem vitæ ſeruauerit: vt ſupernus paterfamilias, ſecundum Matth. 24. promiſſum ſuum veniens, & ita facientem reperiens, ſuper omnia bona conſtituat illum.

Quando ergo reuerſus eſt in Sicelech, transfugerunt ad eum de Manaſſe Ednas & Iozabaad & Iedihel & Michael & Iozabad & Heliu & Sabathi, principes militum in Manaſſe. Hi præbuerunt auxilium Dauid aduerſus latrunculos, & reliqua.

Hi ergo, qui de Manaſſe venerunt ad Dauid, eo tempore cœperunt venire, quo Dauid cum Philiſtiim aduer- B 1. Reg. 29. ſus Saul decreuit pergere in prælium, vt hiſtoria demonſtrat. Sed quia à Philiſteis remiſſus, in Sicelech reuerſus eſt, & inuenit vxores ſuas ab Amalechitis captiuas abductas, 1. Reg. 30. vrbemque ſuccenſam, vt liber Regum narrat: tunc venientes præbuerunt auxilium Dauid aduerſus latrunculos, qui deprædati ſunt vxores eius, & eorum, qui cum ipſo erant, & filios & filias. Myſtice autem hi ſeptem principes, qui venerunt de Manaſſe, ſignificant primos Doctores Eccleſiæ de Iudæa, qui ſeptiformi Spiritus ſancti gratia illuſtrati, auxilium præbuerunt Dauid noſtro aduerſus latrunculos, hoc eſt, aduerſus Hebræos, hæreticos, ſiue etiam malignos Spiritus, qui ſemper ſtudent, quoſcunque poſſunt, per fraudem capere, atque in captiuitatem erroris ac vitiorum tradere. De ipſorum etiam Electorum numero. Fuit ille, qui ad diſcipulos ſcribens ait: 1. Cor. 3. *Dei ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis. Dei ædificatio eſtis. Deo* 2. Cor. 2. *autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Sed & illud, quod ſequitur: *Quia per ſingulos dies veniebant ad Dauid ad auxi-* C *liandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei:* licet Hebræi dicant, iuxta hiſtoriam, tantum numerum excreuiſſe illorum, qui venerunt Dauid in auxilium, donec fieret ille numerus armatorum, qui egreſſus eſt Exod. 14. ex Ægypto, hoc eſt, ſexcentorum millium, quos Moyſes per rubrum mare eduxit in deſertum: tamen altiori intellectu ſignificat quotidie in exercitum Dauid noſtri fidelium numerum creſcere, donec electorum Dei, qui ad æternam vitam prædeſtinati ſunt, ſumma compleatur: Rom. 8. *quia quos præſciuit, hos & prædeſtinauit: & quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Porro quod ſequitur.

Iſte quoque eſt numerus principum exercitus, qui venerunt ad Dauid, cum eſſet in Ebron; vt transferrent regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini.

Huic myſterio conuenienter aptatur: quia hoc Doctores ſancti, hoc eſt, fideles diſcipuli maxime appetunt, totoque niſu decertant, vt priſcæ legis hiſtoricus cultus in ſpiritualem Euangelii transferatur intelligentiam: vtque 2. Cor. 5. vetera tranſeant, & omnia fiant noua.

D *Ioiada quoq; princeps de ſtirpe Aaron, & cum eo tria millia, ſeptingenti. Sadoch etiam puer egregiæ indolis, & domus patris eius, principes viginti duo.*

Iſtum Ioiada principem de ſtirpe Aaron Hebræi tradunt fuiſſe Phinees filium Eleazari, ad cuius comparationem puer vocatur: quia ætate ac merito fuerat. Quod vero dicit, principes cum eis veniſſe: ſignificant, ſacerdotum numerum, qui in domo patris Sadoch, hoc eſt, in domo Leui antiquitus ſecundum legis præcepta ordinati ſunt, adfuiſſe.

De filiis quoque Iſachar viri eruditi, qui nouerant ſingula tempora ad præcipiendum, quod facere deberet Iſrahel, principes ducenti. Omnes autem reliqua tribus eorum conſilium ſequebantur.

Doctores legis in tribus Iſachar fuiſſe tradunt, qui erant viri eruditi, & nouerant ſingula tempora legaliter E diſcernere. Ipſi enim erant legis Doctores, ipſi computatores temporum, & magiſtri fuerunt ad imitandum feſtiuitatum congruam, celebrationem, cæteraſque legis cæremonias obſeruandas. Inde dictum eſt in benedictionibus, quibus Iacob ſingulos filios benedixit: *Iſachar aſinus* Gen. 49. *fortis accubans inter terminos, vidit requiem, quod eſſet bona, & terram quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſq; eſt tributis ſeruiens.* Myſtice autem Iſachar, qui interpretatur, *merces*, refertur ad populum gentium, quem Dominus ſanguinis ſui pretio eſt mercatus. Hic Iſachar aſinus fortis ſcribitur: quia prius gentium populus quaſi brutum & luxurioſum animal erat, nullaque ratione ſubſiſtens. Nunc vere fortis eſt Saluatori noſtro mentis occulta ſubigens, ac, Redemptoris Dominio colla ſubiiciendo, iugum diſciplinæ Euangelicæ perfert. Hic accubans inter terminos: namque accubare eſt præſtolato mundi fine requieſcere, nihilq; de his, quæ nunc verſantur in medio, quærere, ſed vltima deſiderare. Et aſinus fortis requiem & terram optimam vidit, cum ſimplex F gentilitas idcirco ſe ad robur boni operis erigit: quia ad æternæ vitę patriam tendit. Vnde etiam apponit humerum ſuum ad portandum: quia dum ad promiſſam requiem peruenire deſiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. Vnde & factus eſt tributis ſeruiens, hoc eſt, regi & Chriſto ſuo fidei bona, operumque bonorum munera offerens: ſiue tributis ſeruit, cum verbi miniſterium deuotis auditoribus exhibet; quibus debitor eſt talentum Domini ad multiplicandum in bonorum operum augmento tradere. Vnde Paulus de prædicatione ſua ait: Rom. 1. *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Et alibi: *Nam ſi Eu-* 1. Cor. 9. *angelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non Euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus cum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. His qui ſub lege ſunt quaſi ſub lege eſſem, (cum ipſe non eſſem ſub lege:) vt eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem. His qui ſine lege, tanquam ſine lege eſſem, (cum ſine lege Dei non eſſem, ſed* G *in lege eſſem Chriſti.) vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar.* Ecce hic ſpiritualis negociator tributa ſe ſoluere non vni, ſed pluribus demonſtrat: quia Iudæis & gentibus & Eccleſiæ Chriſti verbum fidei prædicando, bonis exemplis ita ſe omnibus aptauit: quod omnibus placeret, omnibus proficeret, ac cuiuſque Diaconi perſonas ad obedientiam ſibi certatim impendendam conciliaret. Vnde ſequitur.

Omnes autem reliqua tribus conſilia eorum ſequebantur.

Quia iuſtum eſt, vt ſanctis Doctoribus fideles quique obedire in Euangelio Chriſti non detrectent. Hinc quoque, enumeratis his quidem ſingulis tribubus quæ ad Dauid venerant, ſubiungitur:

Omnes iſti viri bellatores, & expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Ebron, vt conſtituerent regem Dauid ſuper vniuerſum Iſrahel. Sed & omnes reliqui ex Iſrahel vno corde erant, vt Rex fieret Dauid.

H Quia Apoſtoli & Apoſtolici viri ad Dauid noſtrum conueniunt, ſpecialique coniugio illi copulantur: omnes reliqui, tam ex Iudæis ſcilicet, quam etiam ex gentili populo, vno corde, parique voto optant ac pro viribus certant, vt Rex fiat Dauid, vt ipſi videlicet regnum Chriſti fiant: quibus ipſa Veritas ait: Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt.*

Fueruntque ibi apud Dauid tribus diebus, comedentes & bibentes, quæ præparauerant eis fratres ſui ex Iſachar & Zabulon & Nephtalim, &c.

Quia omni tempore ſanctæ Trinitatis fidem tenentes manent in deuotione eadem: vt ea, quæ primi Doctores, hoc eſt, Apoſtoli ex diuinis dogmatibus illis præbuerant, alimenta gaudentes accipiant, & de bonis perceptis læta-

bundo

A bundo omnium bonorum largitori perpetualiter gratias referant.

Capvt XIII.

INIIT *autem conſilium Dauid cum tribunis & centurionibus & vniuerſis principibus, & ait ad omnem cœtum Iſrahel: Si placet vobis & à Domino noſtro Deo egreditur ſermo, quem loquor: mittamus ad fratres noſtros reliquos in vniuerſas regiones Iſrahel, & ad ſacerdotes & Leuitas, qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus arcam Dei noſtri ad nos: non enim requiſiuimus eam in diebus Saul. Et reſpondit vniuerſa multitudo vt ita fieret. Placuerat enim ſermo omni populo.*

Quid eſt, quod Dauid conſilium iniit cum tribunis & centurionibus & vniuerſis principibus Iſrahel, vt, congregata multitudine, arcam Dei transferret de colle Cariathiarim ad ſe: niſi quod Redemptor noſter cum Apoſtolis & Prophetis atq; Euangeliſtis diſponit, qualiter fides incarnationis ſuæ à priore populo per verba legis & Prophetarum, miniſtrantibus ipſis Euangelii Doctorib., ad gentium ſalutem tranſmutetur. Hoc eſt enim de colle B Cariatharim, quę eſt inuidia, & interpretatur, *ciuitas ſyluarum*, ad ſe arcam Dei transferre: de eminentia videlicet Scripturarum apud Iudæos collocatarum, vbi vmbra numeroſa figurarum abundat, ad intellectum gentilis populi, vbi Eccleſia Chriſti fundatur, fidem Domini perducere. Et bene ſcriptum eſt, Dauid dixiſſe, quod non requiſierint eam in diebus Saul: quia permanente Synagogæ ſtatu temporibus veteris teſtamenti quaſi non requiſierunt arcam Domini: quia ſpiritualem ſenſum, qui latebat in litera, illa populo ad apertum producere non potuit: ſicut ſub gratia noui teſtamenti manifeſtatũ eſt credentibus in Chriſtum. Vnde Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua gloriatur; Ephes. 3. *Secundum reuelationem ſibi notum eſſe ſacramentum in myſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis eius Apoſtolis & Prophetis in Spiritu, eſſe gentes cohæredes & concorporales & participes promiſſionis in Chriſto Ieſu per Euangelium: vt innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei ſecundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu, Domino noſtro.*

C *Quo placente omnibus conſilio, congregauit Dauid cunctum Iſrahel a Sior Ægypti, vſq; dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariathiarim.*

Sior Ægypti fluuius eſt (vt ferunt) deriuatus, de quo in Hieremia ita ſcriptum eſt: Ier. 2. *Quid tibi eſt ad viam Ægypti, vt bibas aquas Sior?* Pro quo interpretes, *aquam turbidam*, interpretati ſunt: quia Sior, *Firmamentum nouum* vel *turbidum*, interpretatur. Amos 6. Emath quippe ciuitas eſt Damaſci, quam expugnauit Rex Aſſyriorum: quæ & in Amos *Ema thraba* ſcribitur: quod nobiſcum ſonat *Emath magnum*. Hæc & nunc *Epiphania* nuncupatur. Deniq; per hæc duo vocabula, hoc eſt, Sior & Emath totam terram repromiſſionis comprehendit, ex qua vniuerſus Iſrahel congregatus eſt ad Dauid. Per Sior quippe. hoc eſt riuum ſiue torrentem Ægypti, Auſtralem partem terræ, & per Emath, Septentrionalem deſignat.

Et aſcendit Dauid & omnes viri Iſrahel ad collem Cariathiarim, quæ eſt in Iuda, vt afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper Cherubin, vbi inuocatum eſt nomen eius. Impoſueruntque D *arcam in plauſtrum nouum de domo Aminadab. Oza autem & fratres eius minabant plauſtrum. Porro Dauid & vniuerſus Iſrahel ludebant coram Domino, omni virtute, in canticis & citharis & pſalteriis & tympanis & cymbalis & tubis.*

Aſcendit, (inquit,) Dauid & omnes viri Iſrahel ad collem Cariathiarim, quæ eſt in Iuda: vt afferret inde arcam Domini. Viros Iſrahel hic non æſtimo Scriptorem omnes maſculos, qui ad virilem ætatem peruenerant, ſed electiores quoſq; ac nobiliores intelligi velle? Numerus autem virorum, qui ad hoc congregati ſunt, videtur in libro Regum comprehenſus, vbi ſcriptum eſt: 2. Reg. 6. *Congregauit autem Dauid omnes electos ex Iſrahel triginta millia*, &c. Cariathiarim ergo, quæ Cariatharbe alibi dicitur, ciuitas ſaltuum. vna eſt de vrbibus Gabaonitarum, pertinens ad tribum Iuda, euntibus ab Helia Dioſpolim in milliario nono. De hac fuit Vrias Propheta, quem interfecit Ioachim E in Hieruſalem, ſicut Hieremias ſcribit. Ier. 26. Sed & filius Sobal Cariathiarim appellabatur, ſicut in præſenti libro ſuperius oſtenſum eſt.

Cum autem perueniſſent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum ſuam, vt ſuſtentaret arcam. Bos quippe laſciuiens paululum inclinauerat eam. Iratus itaq; Dominus contra Ozam, & percuſſit eum, eo quod tetigiſſet arcam, & mortuus eſt coram Domino. Contriſtatusque eſt Dauid, eo quod diuiſiſſet Dominus Ozam, vocauitque locum illum, diuiſio Oza, vſque in præſentem diem.

Notandum autem, quod in libro Regum, vbi iſtius loci mentio facta eſt 2. Reg. 6. non *area Chidon* ſed *area Naon* nominatur. Pro Naon enim Aquila interpretatur *arcam præparatam*. Chidon autem interpretatur, *clipeus*. Traditur enim ille locus eſſe, vbi Ioſue ſtabat, quando dictum eſt ei: Ioſ. 8. *Leua clipeum contra vrbem Ahi* Quod autem ſcriptum eſt de Oza, quod percuſſit eum Dominus, eo quod tetigiſſet arcam, contriſtatusque ſit Dauid, quod diuiſiſſet Ozam: tradunt Hebræi, quod Aminadab ſacerdos iuſſerit duobus filiis Oza & Aioa vt portarent arcam Domini humeris ſuis iuxta legis præceptum. F Sed quia nec ipſi eam portauerunt, neque Cariathithitis ad portandum dederunt: idcirco Oza morte mulctatus ſit. Fuit enim peccatum in transgreſſione mandati: ſed iam pœna peccati in ſuſtinendo arcam plauſtris impoſitam. Vnde percuſſus eſt. Diuiſio enim Oza traditur eſſe in hoc, quod aruiſſet brachium eius & humerus, vbi arca Domini portanda fuerat, & nullius loco diuiſio quædam facta eſt, hoc eſt, diſtinctio obedientiæ & inobedientiæ.

Et timuit Dominum tunc temporis, dicens: quomodo poſſum ad me introducere arcam Domini. Et ob hanc cauſam non eam adduxit ad ſe, hoc eſt, in ciuitatem Dauid; ſed auertit in domum ObedEdom Gethei. Manſit ergo arca Dei in domo ObedEdom tribus menſibus. Et benedixit Dominus domui eius, & omnibus, quæ habebat.

Ideo enim auertit Dauid arcam Domini in domum ObedEdom Gethei, quia & ipſe Leuita erat: quia ignorabat adhuc, ob quam cauſam indignatio Dei veniſſet in Ozam. Poſtquam verò cognouit cauſam, pro qua Oza percuſſus eſt: iuſſit eam comportari in humeris Leuitarum, G ſicut in ſequentibus demonſtratur. Igitur in hiſtoria beati regis & Prophetæ Dauid, qua arcam adduxiſſe narratur, humilitas approbata, ſuperbia damnata, & temeritas vindicata monſtratur: quia & ipſe Dauid, qui coram Domino humiliter ſaltare non erubuit, mox promiſſionem 2. Reg. 23. filii Dei ex ſua ſtirpe naſcituri ſuſcipere promeruit, & coniunx. quæ eandem illius humilitatem deſpexit, eius ſemine fœcundari non merita perpetuæ ſterilitatis pœnas luit. 2. Reg. 6. Sacerdos quoq; qui arcam inconſiderata temeritate tetigit, auſus ſui reatum immatura morte purgauit. Vbi intueri neceſſe eſt, quantum delinquat, qui ad Corpus Domini reus acceſſerit, ſi deuotus ille ſacerdos morte mulctatur, qui arcam illam, Dominici videlicet Corporis figuram, minori, quam debuit, veneratione corripuit. 1. Cor. 11. Verum iuxta allegoriam Dauid Chriſtum, arca Eccleſiam ſignificat. Quæſiuit autem Dauid arcam in ciuitatem ſuam adducere: ſed, cauſa interueniente contraria, ad tempus eam alibi diuertit, ac ſic deinceps, quod multum delectauerat, expleuit: quia Dominus in carne apparens Euangelium filiis Iſrahel, ſuæ videlicet genti, prædicauit. H *Sed cæcitas ex parte contigit in Iſrahel, donec plenitudo gentiũ intraret, & ſic omnis Iſrahel ſaluus fieret:* Rom. 11. Sed vt hæc enucleatius pateant. per ſingula videamus. Congregauit ergo Dauid omnes electos ex Iſrahel, vt in libro Regum ſcriptum eſt. 2. Reg. 6. 30000. Quia Dominus Eccleſiam primitiuam ex Iſrahel inſtituit, non quidem omnem Iſrahel, ſed electos quoſq; ſibi conſocians. Rom. 9. *Non enim omnes, qui ex Iſrahel, hi ſunt Iſrahelitæ: ſed filii promiſſionis deputantur in ſemine.* Qui xxx. fuiſſe referuntur, id eſt, fidei, operis & ſpei firmitate perfecti. Tria enim per confeſſionem ſanctæ Trinitatis ad fidem pertinent: decem propter Decalogum legis ad opera: mille propter ſui perfectionem ad ſpem vitæ æternæ, qua ſuperius aliquid non eſt: ſicut numerus millenario maior nullus eſt. Etſi enim x. ſi xxx. ſi etiam mille millia dixeris, non ipſum mille numerando tranſcendis: ſed vel per

Digitized by Google

A ſe vel per minores numeros ſæpius ducendo multiplicas. Tria ergo per x. multiplica, ne fides ſine operibus mortua ſit. Item xxx. per mille multiplica, vt *fides, quæ per* Galat. 5. *dilectionem operatur*, non alibi, quam in cœlis retributionem ſperet. Electi ergo ex Iſrahel populos recte credentes, operantes, ſperantes inſinuant: viri autem Iuda, qui erant cum Dauid, ipſos Apoſtolos & Doctores, qui lateri Chriſti quaſi familiarius adhærebant, indicant. Quo vtroq; ſtipatus exercitus Domini arcam adducere, id eſt, Eccleſiam dilatare, & in eorum, qui non crediderunt, cordibus inſerere gaudet. Imponitur autem arca plauſtro nouo, noui teſtamenti gratia renouatis in Baptiſmo mentibus infundatur, vinumque nouum nouis vtribus con- Matth. 9. ſeruandum mandetur. Erat quidem prius arca in domo Aminadab, qui erat in Gabaa: quia eadem, quæ nunc prædicatur, Eccleſiæ fides; & ante Incarnationis Dominicæ tempus florebat in his, qui Patriarcharum Prophetarumque ſunt deuotionem ſecuti. Aminadab enim, qui interpretatur, *Pater meus ſpontaneus*, vel Abraham patrem fidei, vel Moyſen legislatorem ſignificat. Qui vterque in Ga- B baa cuſtodit arcam: quia ſublimi virtutis exemplo credentium pectora munit. Vnde & Gabaa, *collis*, interpretatur, qui eſt locus in ciuitate Cariathiarim. Elata ergo foras arca ludebat Dauid, & omnis Iſrahel coram Domino, diuerſis muſicorum generibus: quia mox, inchoante nouæ gratiæ præconio, Dominus ad exhibendas Deo Pa- Ioan. 12. 1. Cor. 12. tri laudes humilitatis omnes inuitat, dicens: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Alij dando per Spiritu ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, alij genera linguarum, alij gratiam curationum*, &c. Sed his atque huiuſmodi chariſmatum generibus progrediente arca, id eſt, creſcente Eccleſia primitiua, ventum eſt iuxta hiſtoriam Regum ad aream Na- 2. Reg. 6. on, id eſt, *arcam præparatam* gentium videlicet Eccleſiam, fidei veritate conſecrandam, de qua Ioannes ait: *Et per-* Matth. 3. *mundabit arcam ſuam*: Siue ad Aream Chidon, hoc eſt, *protectio clipeum*, ſecundum id, quod in præſenti hiſtoria continetur: quia in eadem Eccleſia certa eſt protectio fidelibus adiutorii Dei. Vnde dicunt cum Propheta: *Domi-* Pſal. 5. *ne, vt ſcuto bonæ voluntatis tua coronaſti nos*: vbi ſacerdos, qui arcam incautius quaſi corrigendo tetigit, mox à Domino C percuſſus occubuit: quia Iudæorum populus dum gentibus inuidet, ſalutis ſe munere priuat: dum legem vult in Euangelio miſcere, vtriuſque ſibi gratiam tollit. *Et te-* 2. Reg. 6. *nuit*, inquit, *eam quoniam calcitrabant boues*. Boues quippe calcitrare eſt prædicatores Euangelii liberius circa fidem agere, neq; ſecundum conſuetudinem legis ingredi: ſed Sabbata, neomenias, circumciſionem, victimaſque ſpiritualiter interpretari. Quos, velut errantes, corrigere tentabant, qui deſcendentes de Iudæa docebant fratres: Actor. 15. *Quia niſi circumdamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalui fieri*: & de quibus Iacobus ad Paulum: *Vides*, inquit, Actor. 21. *frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt? & omnes hi æmulatores ſunt legis*. Ob cauſam ergo ſacerdotis occiſi Dauid noluit diuertere ad ſe arcam Domini in ciuitatem Dauid: ſed diuertit eam in Domum Obed Edom Gethei: Act. 13. quia reſpuentibus verbum Iudæis ne amplius audita & ſuſcepta prædicatio noceret: Apoſtoli ab eis ablati & ad gentes imbuendas ſunt miſſi. Vnde & locus areæ Naon, quæ gentium fidem Domini gratiæ præparatam demon- Rom. 11. ſtrat, percuſſi Oza nuncupatur: videlicet *quia illorum deli-* D *cto ſalus Gentibus eſt collata*. Obed Edom namque, qui interpretatur, ſeruiens homo, ille eſt vtique de quo Dominus ad Patrem: *Conſtitues*, inquit, *me in caput Gentium: populus,* Pſal. 17. *quem non cognoui ſeruiuit mihi*. Vbi & Iudæorum abiectio- Ibid. nem, quaſi Ozæ mortem, præmittens ait: *Eripies me de contradictionibus populi*. Cui Hieri quoque nomen quoq; vrbis congruit. Geth enim interpretatur, *torcular*, ſignificans crucem, in qua vitis vera calcari & exprimi dignata eſt, à qua cunctus gentium populus merito Getheus appellari poteſt, cum dicit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Tres autem menſes, quibus ibidem arca demoratur, Fides, Spes & Charitas eſt. Sicut enim diebus adimpletur menſis, ita ſingulæ virtutes ſuis quoque paſſibus ad perfectionem perueniunt. Hi men- Galat. 6. ſes, *quouſq; plenitudo Gentium intret*, currere non ceſſant.

Capvt XIV.

E *COgnouitq; Dauid, eo quod confirmaſſet eum Dominus in Regem ſuper Iſrahel, & ſubleuatum eſſet regnum ſuum ſuper populum eius Iſrahel: Accepit quoq; Dauid alias vxores in Hieruſalem, genuitq; filios & filias*, &c.

Sed fortaſſe quis dicat: Si Dauid imaginem Chriſti gerebat: quomodo multas vxores & concubinas habuiſſe dicitur, cum has Rex Chriſtus & horreſcat & cõdemnat? Hoc enim per figuram fiebat. Multæ enim vxores Dauid multarum gentium & nationum imaginem indicabant, quæ in fidem Chriſti conſortio iunguntur. Concubinæ vero eius ſignificant hæreticorum Eccleſias, qui ſub Chriſti nominis titulo ſeminare gloriantur: ſed quia propter carnalia lucra Chriſtum ſectantur, non coniuges, ſed concubinæ vocantur. Denique nunc Reges ſi plures habeant vxores & concubinas, crimen eſt: quia iam tranſierunt figuræ, pro quibus vxores vel concubinatũ venia concedebatur. At nunc quia figuræ tranſierũt, venia nulla datur.

Audientes autem Philiſthiim, eo quod vnctus eſſet Dauid in Regem ſuper vniuerſum Iſrahel, aſcenderunt omnes, vt quærerent F *eum. Quod cum audiſſet Dauid, egreſſus eſt obuiam eis. Porro Philiſthiim venientes diffuſi ſunt in valle Raphaim. Conſuluitq; Dauid Dominum, dicens: Si aſcendam ad Philiſtæos, ſi trades eos in manu mea? Et dixit ei Deus: Aſcende, & tradam eos in manu tua. Cumque illi aſcendiſſent in Baalpharaſim, percuſſit ibi eos Dauid, & dixit: Diuiſit Deus inimicos meos per manum meam ſicut diuiduntur aquæ: & idcirco vocatũ eſt nomen loci illius, Baalpharaſim*, &c.

Quid eſt, quod, audita vnctione Dauid in Regem ſuper Iſrahel, aſcenderunt Philiſthiim omnes, vt quærerent eum, niſi quod, diffamata Euangelii gratia, & imperii Chriſti in toto orbe prædicatione, omnium gentium nationes vndique primum conſurrexerunt, vt aduerſarentur Euangelio pacis? Veniebant ergo, vt quærerent eum: non vt fidei deuotione illum ſuſciperent: ſed vt dolo nequitiæ reſiſterent. Propterea taliter quærentes non meruerunt inuenire, ſicut ipſa Veritas ait ad Iudæos: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quo ego vado, vos non* Ioan. 8. *poteſtis venire*. Quare non potuerunt venire? niſi quod noluerunt credere? Sine fide enim nullus ſaluari poteſt. Pergit ergo Dauid obuiam hoſtibus ſuis, cum illis beneficii G ſui munera palam oſtendit. Sed qui ingratus donorum Dei extitit, mortem ſibi iudicio proprio acquirit. Quos percutit Dauid noſter in Baalpharaſim: cum fidelium plebes per electionem gratiæ ſibi coniungit: & impios atque blaſphemos per diſcretionem iuſti iudicii à ſe expellens, in tartarum damnando detrudit.

Alia etiam vice Philiſthiim irruerunt & diffuſi ſunt in valle. Conſuluitq; rurſum Dauid Dominum, & dixit ei Deus: Non aſcendes poſt eos. Recede ab eis, & venies contra illos ex aduerſo pirorum. Cumq; audieris ſonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc egredieris ad bellum: Egreſſus eſt enim Deus ante te, vt percutiat caſtra Philiſthinorum, &c.

Quid eſt ergo, quod Dominus ad iudicium aduentus ſui contra hoſtes ſuos dat ſignum gradientis in cacumine pirorum, niſi quod inuiſibilis Deus, qui maieſtate ſua omnibus præeminet, per viſibilia opera potentiæ ſuæ oſtendit magnitudinem? Iuxta illam Pauli ſententiam, qua ait: *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt,* Rom. 1. *intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoq; virtus eius & diuinitas*. H Myſtice autem inſtruit fideles ſuos Dominus, vt in omnibus eius capitulationis quærant auxilium, & tunc proficere ſe poſſe confidant in conflictu certaminum, quantum aduentũ ſibi ſentient adeſſe diuinum. Cacumina ergo pirorũ poſſunt p ſignificationẽ celſitudinẽ perfectionis exprimere ſanctorum. Dat ergo ſignũ Dominus Doctoribus ad prædicandum in mundum directis, vt ſciant, quando & vbi oporteat prædicationis exercere officium, h. e. vt illuc ſequantur deuotionis ſuæ miniſterio, quo Spiritus ſanctus, qui mundis electorum cordib. præeſt inſtinctu ſuo direxerit ammonendo. Vnde legitur in Actib. Apoſtolorum, quod *Paulus & Silas Apoſtoli Chriſti, tranſeuntes* Act. 16. *Phrygiam & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbũ Dei in Aſia. Cum veniſſent autem Myſiam, tentabant ire in Bithyniã, & non permiſit eos Spiritus Ieſu. Cũ aũt pertranſiſſent*

Digitized by Google

A *Myſiam, deſcenderunt Troadem. Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quod vocaſſet nos Deus Euangelizare eis.* Notandum autem, quod vbi in noſtra æditione legitur: *In cacumine pirorum:* dicunt in Hebræo non *pirorum*, ſed *fluentium* haberi. De quo ita ſentiri poteſt: *Ex aduerſo* itaque *fluentium* venire iubet, hoc eſt, *ex aduerſo idolorum ſuorum*, vbi ſcilicet idola eorum erant, in quibus conſiderabant. Quæ idola idcirco *fluentium* vocantur, quia fletu digna ſunt, & eos, qui ea colunt, ad fletum miſeriarum perducunt. Fluentium itaque eorum idola ob blaſphemiam hic ſermo diuinus vocat idolum Moab contaminatio Moab. *Et cum audieris*, inquit, *ſonitum gradientis in ea: in cacumine fluentium*, hoc eſt, cum audieris, à poteſtatibus Angelicis paganorum idola, in quibus omnis fortitudo eorum, conteri & conculcari, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſtiim: in eorum namque idolis Dominus iudicia fecit, ſicut & in Diis Ægyptiorum.

B *Fecit ergo Dauid ſicut præceperat ei Deus, & percuſſit caſtra Philiſtinorum de Gabaon vſq; Gazara.*

Fecit ergo Dauid noſter, ſicut præceperat ei Deus Pater, & percuſſit caſtra Philiſtinorum, cum malignorum ſpirituum contriuit impetum, ſiue etiam mundi proſtrauit potentatum *eripiens nos de poteſtate tenebrarum, & transferens in regnum filij charitatis ſuæ.* Et bene per locorum nomina potentiæ ſuæ oſtendit nobis facta. De Gabaon ergo vſq; Gazera percuſſit caſtra Philiſtinorum. Gabaon interpretatur, *collis* vel *ſublimitas:* Gazera autem, *ſepes eius* vel *diuiſio.* Percuſſit ergo Rex noſter inimicos ſuos, qui in ſuperbiæ colle perſiſtebant, & contriuit ſepem duritiæ eorum, diuiſitq; atq; deiecit conſpirationem pertinaciæ ipſorum: quatenus ipſe ſolus dominaretur in toto vrbe terrarum. Vnde ſequitur: — Col. 1.

Diuulgatumq; eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus: & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes, &c.

Philip. 2. Quia, ſicut Apoſtolus ait, *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens Patri vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod*
C *& Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium terreſtriũ & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Necnon & illud, quod ſubiungitur.

CAPVT XV.

FEcit quoq; ſibi domos in ciuitate Dauid, & ædificauit locum arcæ Dei tetenditq; ei tabernaculum.

Myſticè demonſtrat: quia in vna Eccleſia Catholica, in toto Orbe terrarum diffuſa, plura plebium nomine ſuo conſtituit conuenticula: vt in vna domo diuerſæ fuerint
Apoc. 1. manſiones. Vnde & Ioannes in Apocalypſi ſua ad ſeptem ſcribit Eccleſias. Quod autem ædificauit locum arcæ Dei, tetenditq; ei tabernaculum: ſignificat, quod in Eccleſia præſenti Incarnationis ſuæ commendauerit myſterium, & Paſſionis ſuæ obſeruandum docuerit ſacramentum.

Num. 4. *Tunc dixit Dauid: Illicitum eſt, vt à quocunq; portetur arca Dei, niſi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & adminiſtrandum ſibi vſq; in æternum.*

D Hæc ſententia demonſtrat, quod Redemptor noſter non vult, vt quilibet indigni & inertes Eccleſiaſtico officio fungantur: ſed hi, qui ſunt eruditi ſcientia, & morum honeſtate probabiles: vt ipſi portent arcam Dei, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam verbo rectæ fidei, ac bonorum operum exemplo in humeris pii laboris geſtent, & hoc modo miniſtrent ſibi vſque in æternum. Vnde & Paulus diſcipulum inſtruit, dicens: *Tu vero vigila in omnibus labora,*
2. Tim. 4. *opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto ſollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem,*
2. Tim. 2. *recte tractantem verbum veritatis.* Et item: *Confortare*, inquit, *fili mi in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

Congregauitque vniuerſum Iſrahel in Hieruſalem vt afferretur arca Dei in locum ſuum, quem præparauerat ei: necnon & filios Aaron & Leuitas, &c. E

Congregat Dauid vniuerſum Iſrahel in Hieruſalem, cum Chriſtus electos ſuos & omnes, qui ad ſortem Dei pertinent, vocat in Eccleſiam ſuam: vt ibi Incarnationis ſuæ Sacramenta venerentur: & non ſolum ſubditos, ſed etiam prælatos, quos filii Aaron ac Leuitæ præfigurant, ad hanc celebrationem præcipuam ac ſolennitatem maximam aggregat: quia ibi dignum eſt, vt omnes conueniant, puſilli & magni, iuuenes & virgines, & ſeniores cum iunioribus laudent nomen Domini. Et bene dictum eſt, quod arca afferretur in locum ſuum, quem præparauerat ei Dauid: quia non ſolum Dauid, ſed & omnes Prophetæ dictis & factis futurum vaticinando in Eccleſia Chriſti Incarnationi præbuere locum, vt eo celerius ſuſciperent aduenientem, quo eum præſcirent ante eſſe prophetatũ. *Sanctificati ſunt ergo ſacerdotes, & Leuitæ, vt portarent arcam Domini Dei Iſrahel. Et tulerunt filij ſibi Leui arcam Dei Iſrahel, ſicut præceperat Moyſes, iuxta verbum Domini, humeris ſuis in vectibus.* Num. 4.

Sanctificatio ſacerdotum & Leuitarum iuxta tropologiæ regulam docet miniſtros noui teſtamenti puram doctrinam & mundam habere vitam quibus alibi dicitur: F
Sancti eſtote quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Bene ergo conuenit geſtatoribus arcæ Domini, vt ſint ſanctificati iuxta præceptum legis Domini: quia rectæ fidei verbis, & bonorũ operum exemplis debent auditoribus ſuis Incarnationẽ commendare Filii Dei, & Redemptionem humani generis, ac vitam æternam, atque futurum iudicium Chriſti prædicare. — Leuit. 11.

Dixit quoq; Dauid principibus Leuitarum, vt conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis Muſicorum, nablis videlicet & lyris & cymbalis, vt reſonarent in excelſis ſonitus lætitiæ, &c.

Narratur ergo alibi in præſenti hiſtoria: quod, cum Propheta Dauid deuota ætate ſenuiſſet, quatuor millia iuuenũ ex Iſrahelitico populo delegiſſet, qui Pſalmos, quos ipſe Domini aſpiratione protulerat, organis, citharis, nablis, cymbalis, tubis, propriaque voce in magna iucunditate ſupernæ gratiæ perſonarent. Quæ ſuauis adunatio tribus partibus diuiſa conſtabat. Rationalis pertinebat ad humanam vocem: irrationalis ad inſtrumenta muſica: communis autem de vtriuſq; partibus aptatur: vt & vox hominis certis modulationibus æderetur: & inſtrumentorum melos conſona ſe vicinitate coniungeret. Sic ſuauis illa & iucunda Muſica Eccleſiam Catholicam tali actu prædicebat: quæ ex diuerſis linguis, varioq; concentu in vnam fidei concordiam erat, Domino præſtante, coalitura. Ex quo numero indita nomina frequenter in titulis inuenimus: vt *Idithun, Aſaph filij Chore*, & his ſimilia: quia non ipſi (vt quidam volunt) auctores fuere Pſalmorum: ſed quoniam præpoſiti artificibus adminiſtratores earum rerum probabiles extiterunt, vt honorem de tali commemoratione ſumerent, qui officio ſancto deuotis mentibus ſeruiebant. Maximeq; & nomina earum intellectus rerum congruos indicare noſcuntur. Non enim ſupradicti viri in Pſalmos faciendos electi ſunt: ſed eos congregatos tantum legimus ad cauendum Pſalmographos autem fuiſſe hiſtoria nulla teſtatur: & præſumptuoſum eſt dicere, quod nulla poſſit authoritate firmari. Quæ autem fuerint inſtrumenta Muſica, quæ in præſenti loco leguntur, ex maiorum dictis proferamus. Nablum eſt idem, quod Pſalterium: ſed Hebraicè Nablum Græcè autem Pſalterium, Latinè autem laudatorium dicitur. De quo in quinquageſimo & quarto Pſalmo ſcribitur: *Exurge Pſalterium in cithara:* non quod in modum citharæ, ſed quod in modum clipei quadrati cõformetur cum decem chordis, ſicut ſcriptum eſt: *In Pſalterio decem chordarum pſallam tibi.* Habet ergo Pſalterium obeſum ventrem in ſuperioribus, vbi chordarum fila religata, diſciplinabiliter plectro percuſſa, ſuauiſſimam dicuntur reddere cantilenam. Huic citharæ poſitio videtur eſſe contraria, dum quod iſta in imo continet, illud conuerſa vice geſtat in capite. Pſalterium itaque cum decem chordis Eccleſia eſt, cum decem verbis legis contritis: quę contra omnem hęreſim quadrata per quatuor Euangelia — 1. Par. 23. — H — Pſal. 56. & 107. — Pſal. 143.

A

intelligitur. Hinc poſita eſt cithara, de qua in quadrageſimo ſecundo Pſalmo ſcriptum eſt: *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus*: quod propriæ conſuetudinis eſt apud Hebræos, quę cum chordis viginti quatuor quaſi in modum Deltæ literæ (ſicut periti ſſimi tradunt) vtrique componitur, & per digitos Pindari variis vocibus tinnuliſq; ac tibidis in diuerſos modos concitatur. Cithara autem, de qua ſermo eſt, Eccleſiæ ſpiritualiter typum habet. Quæ cum viginti quatuor ſeniorum dogmatibus trinam formam habet in modum Deltæ literæ, fidem ſanctæ Trinitatis ſine dubio ſignificat: & per manus Petri Apoſtoli, cæterorumve Apoſtolorum ac Doctorum Euangelii, qui prædicatores illius ſunt, in diuerſos modos veteris & noui teſtamenti aliter in litera, aliter in ſenſu figuraliter concitatur. Lira dicta eſt apo tu lirim, id eſt, à varietate vocum, eo quod diuerſos ſonos efficat. Hæc autem ſimiliter poteſt Eccleſiam ſignificare, quæ in diuerſitate variarum doctrinarum per hiſtoriam, per allegoriam, per tropologiam, & per anagogen ſuauem ſonum exprimit, ſed tamen à ſymphonię ſimplicitate non recedit. Cymbala autem acetabula quædam ſunt, quæ percuſſa inuicem ſe tangunt, & faciunt ſonum, de quibus dicitur in Pſalmo:

B

Pſal. 150.

Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus. Cymbala bene ſonantia, labia noſtra debemus accipere, quæ non immerito inter muſica inſtrumenta poſita ſunt: quia & ſimilitudo quædam eſt cymbalorum, & per ea voces humanæ harmoniam reddere ſuauiſſimam comprobantur: harmonia enim eſt diuerſarum rerum in vnam conuenientiam redacta copulatio. Quæ & in voce humana conſtat accidere, quando & tempora ipſa & ſyllabæ ad vnam vocis concordiam perducuntur. Cymbala ergo noſtra ſunt labia percuſſa ad ſonum vocis diſtinctiſſimè temperata, quæ tunc ſalutariter ſonant, quando ad laudes Domini deuotiſſime commouentur. Cymbala quoque bene inuenta ſunt expermixtis metallis paruiſſimæ filialæ compoſitæ, ventricula ſua in lateribus habentes, quæ artifico ſa modulatione colliſa, acutiſſimum ſonum delectabili conſonatione reſtituunt. Vnde ſequitur:

Porro cantores Eman, Aſaph & Hethan in cymbalis æneis concrepantes. Zacharias autem & Ozichel & Semiramoth & Iathel & Ani & Eliab & Maaſias & Banaias in nablis arcana cantabant.

C

Arcana dicta ſunt occulta. Cum enim in manibus ſuis ſumpſiſſent organa, per aduentum Spiritus ſancti futura arcana cantare eſt in Pſalterio Pſalmorum conciniendo Domini & Saluatoris aduentum prædicare, quem diuinitatis ſuæ mirabili ſecreto pro hominum ſalute diſpoſuit. Huius verbi mentio in titulo Pſalmi quadrageſimi quinti poſita eſt.

Porro Mathathias & Eliphalu & Macenias & Obededom & Ieichel & Ozazia in citharis pro octaua canebant.

Pro octaua vero (vt quidam volunt) ſignificat in die Iudicii aduentum Domini, quando, finita ſeculi hebdomada, ad iudicandum venerit mundum. Vnde ſextus Pſalmus, qui in tremore diuini iudicii totus cantatur, tali titulo prænotatur. Nam & ipſe numerus *Ogdoadis* in Scripturis diuinis magnarum rerum Sacramenta continere dinoſcitur. Octo etenim animæ ingreſſæ ſunt in arcam

Gen. 7.
1 Reg. 16.
Gen. 17.
D
Matth. 28.

Noe, quæ, mundo pereunte, Saluatæ ſunt. Octauus filius Ieſſe Dauid fuit, quem à Domino conſtat electum. Octauo etiam die circumciſio purificabat Hebræos. Octauo itidem Dominico die Dominus reſurrexit à mortuis, in quo humani generis ſpes ab impiorum inferno in cœlorum eſt eleuata faſtigium. Iſte autem numerus eſt, quem Arithmetici *actu primum quadrantal* appellant: quem Siolaus Pythagoricus harmoniam geometricam vocat, eo quod omnes in ipſo videantur harmonicæ conuenire rationes.

Chonenias autem princeps Leuitarum Prophetiæ præerat, & ad præcinendam melodiam: erat quippe valde ſapiens, &c.

Chonenias dicitur Prophetiæ præeſſe ad præcinendã melodiam; quia ipſe Spiritu Prophetiæ inſtructus melodiam: quia ipſe Spiritu Prophetiæ inſtructus melodias & verba cantoribus ad memoriam reuocabat. Prophetia eſt aſpiratio diuina, quæ euentus rerum aut per facta aut per dicta quorundam immobili veritate pronuntiat. De qua benè quidam dixit: *Prophetia eſt ſuauis dictio, cæleſtis doctrinæ fauus, & dulcia diuini eloquij mella componens.* Vnde & ipſe Dauid in centeſimo octauodecimo Pſalmo dicit: *Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, ſuper mel & fauum ori meo.* Multis autem modis gratię iſtius munera præſtabantur: ſed vt de plurimis pauca complectar, acta eſt per operationes hominum, vt fuit arca Noe, & ſacrificium Abrahæ, & tranſitus maris rubri. Per natiuitates quoq; geminorum, Eſau & Iacob, qui futurarum rerum ſacramenta geſtabant. Per Angelos, ſicut locuti ſunt Abrahæ & Loth, Zachariæ & Mariæ. Per viſiones, ſicut Eſaiæ & Ezechieli, & cæteris ſanctis. Per ſomnia, ſicut Salamon & Daniel. Per nubem & vocem de cœlo, ſicut Moyſi. Vnde conſtat, ſanctum Dauid non per operationes hominum, non per natiuitates geminorum, non per Angelos, non per viſiones, non per ſomnium, non per nubem & vocem de cœlo, nec per alios quoſcunque modos: ſed cœleſti aſpiratione fuiſſe completum, Sicut de ipſo legitur in primo Regum volumine: *Et directus eſt Spiritus Domini in Dauid à die illa, & deinceps.* Ipſe quoq; Dominus in Euangelio dicit: *Si Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo dicitis, quod filius eſt?* Quo dicto recognoſcimus euidenter, per ſanctum Spiritum Pſalmos fuiſſe prophetatos. Sciendum eſt ſane, quod omnis Prophetia aut de præterito, aut de præſenti, aut de futuro tẽpore loquatur, aut agat aliquid. Eſt autem Prophetia magnificum nimis & veriloquium dicendi genus. *Non humana voluntate collata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Nam & Paulus Apoſtolus ait: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem & exhortationem & conſolationẽ.* Et paulo poſt: *Qui prophetat Eccleſiam (Dei) ædificat*: plane, quando res incognitas, nimiſq; neceſſarias prælocutionis beneficio facit eſſe notiſsimas. Nam & quibus data eſt bene intelligendi facultas, vel interpretandi Scripturas diuinas: à munere Prophetiæ non videntur excepti, ſicut Apoſtolus ait in Epiſtola ad Corinthios prima: *Spiritus prophetis ſubiectus eſt.*

E

Pſal. 118.

Gen. 7.
1. Pet. 3.
Gen. 15.
Exod. 14.
Geneſ. 25.
Gen. 18. & 19.
Luc. 1.
Eſa. 1. & 7.
Ezech. 1. & 10
3. Reg. 3.
Dan. 7.
F

1. Reg. 16.

Matth. 22.

2. Par. 1.

1. Cor. 14.

1. Cor. 14.
G

Porro Sebenias & Ioſaphat & Nathanahel & Amaſi & Zacharias & Banaias & Eliezer ſacerdotes clangebant tubis coram arca Domini.

Quid per hos ſeptem ſacerdotes, qui tubis coram Deo clangebant, niſi prædicatores ſancti ſeptiformis Spiritus ſancti gratia repleti deſignantur? Qui quaſi tuba canunt, cum Euangelium Dei in Eccleſia Chriſti prædicant, & Sacramentum Incarnationis Dominicæ fidelibus auctoribus manifeſtant. Tuba itaq; diuerſis figuris ac formis efficitur: aliter enim eſt facta tuba congregationis populi, aliter victoriæ, aliter perſequendi inimicos, aliter concluſionis ciuitatum, & reliq. Tuba autem conſuetudinaria apud rerum peritiſsimos hoc modo formanda eſſe deſcribitur: vt tribus fiſtulis æreis in capite anguſto inſpiretur: ſicq; per quatuor vociductus æreos, qui per æreum fundamentum quaternas voces producunt, mugitum nimiũ vehementiſsimumq; proferant. Quod figuraliter deſignat, Euangelium terna confeſsione trium perſonarum ſanctæ Trinitatis in capite anguſto, in natiuitate Chriſti diuinitus inſpiratum, per quatuor vociductus æreos, id eſt, per quatuor Euangeliſtas ænei fundamenti ſtabilitate, ſ. fidei & operum in toto Orbe vocem nimio clamore quaſi in modũ tubæ congregationis fortiter emittere.

Primum librum commentariorum in Paralipomenon à capite voluminis. Vſque ad illum locum, vbi narratur de Inſtrumentis muſicis, quæ Dauid ſimul Rex & Propheta ad laudandum Dominum ordinauit, perduximus, vbi finem illius ponentes. Cætera, quæ ſequuntur, de ipſius Dauid geſtis & diſtributionibus eius myſticis alio exordio inchoemus.

H

Libri Commentariorum in Volumen Paralipomenon finis.

HRABANI MAVRI VOLVMEN PARALIPOMENON LIBER SECVNDVS.

IGITVR David & omnes maiores natu Iſrahel & tribuni ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obed-Edom cum lætitia magna. Cumque adiuuiſſet Dominus Leuitas, qui portabat arcam fœderis Domini, immolabãtur ſeptem tauri, & ſeptem arietes. Porro Dauid erat indutus ſtola byſſina, & vniuerſi Leuitæ, qui portabant arcam, cantoreſque, & Chonenias princeps Prophetiæ inter cantores. Dauid autem indutus erat etiam Ephod lineo: vniuerſusq; Iſrahel deducebant arcam fœderis Domini in iubilo & ſonitu buccinæ, & tubis & cymbalis & nablis & citharis concrepantes. Cumque perueniſſet arca fœderis [2. Reg. 6.] *Domini vſque ad ciuitatem Dauid: Michol filia Saul, proſpiciens per feneſtram, vidit regem Dauid ſaltantem atque ludentem, & deſpexit eum in corde ſuo.*

CAPVT XVI.

ATtulerunt ergo arcam Dei, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & obtulerunt holocauſta & pacifica coram Domino. Cumq; compleſſet Dauid offerens [2. Reg. 6.] *holocauſta & pacifica: benedixit populo in nomine Domini: & diuiſit vniuerſis per ſingulos, à viro vſq; ad mulierem, tortam panis, & partem aſſacarnis bubulæ & frixam oleo ſimilam.*

Poſtquam ergo arca Domini in domo Obed-Edom Gethei manſit tribus menſibus: congregatis maioribus natu Iſrahel, & tribubus atque Leuitis, qui portarent arcam fœderis Domini, abduxit eam Dauid in domum ſuã: quia poſtquam plenitudo Gentium ad fidem Chriſti ſub- [Rom. 11.] intrauit tandem redíet arca Dei in ciuitatem Dauid, hoc eſt, in Iudaicam plebem, prædicantibus Enoch & Elia, gratia Chriſti conuertitur. Ibiq; Rex noſter boues & arietes immolans, hoc eſt, eos, qui arcam Domini triturant, & ouium eius ducatum gerunt, martyrii ſanguine coronans, & ipſe quoq; ſuæ incarnationis & paſſionis exemplum quatenus Iudæis non creditum palam manifeſtat. Hoc enim ſignificat, quod & ipſe Dauid accinctus erat Ephod lineo. Nam linum, quod de terra procreatum multiplici labore ad candorem veſtis peruenit, veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis oſtendit. Verum cunctis exultantibus, & ad arcæ cœleſtis introitum hymnos reſonantibus, Sola Michol filia Saul arcam ducentibus abeſt: quin etiam è ſpeculis Dauid humiliatum deſpicit quia, credentibus in mundi fine Iudæis, erunt nonnulli, qui Chriſtum tantum profeſſione, ſed opere tantum ſequantur AntiChriſtum. Quibus meritò congruit, quod eadem Michol, quæ ab figurandam inſtabilitatem carnalium, *aqua omnis*, interpretatur, non vxor Dauid, ſed filia Saul appellatur: quia Chriſto fidetenus ſeruiũt, non illius regno coronandi: ſed perſecutorum eius, quos imitati ſunt, anathemate damnandi. Verum praui ſuccenſeant, humilitatem Eccleſiæ condemnent: nihilominus arca Domini ſui locum ingreditur, ponitur in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid, id eſt, fides Eccleſiæ prædicatur, proficit, inſeritur cordibus omnium, quos Dominus ad vitam præordinauerat æternam. [Actor. 13.] Offert Dauid holocauſta & pacifica coram Domino, fidem deuotionemque Eccleſiæ commendat Patri Chriſtus, [Rom. 8.] *qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis:* qui in exemplum Dauid fideles humileſque benedicens, ſalutaris myſterii paſcit alimentis, partiẽs ſingulis collyridã panis vnã, illius vtiq; *qui de cœlo deſcendit, & dat vitam huic mundo:* [Ioan. 6.] & aſſaturam bubulæ carnis vnam, illius ſcilicet vituli ſaginati, [Luc. 15.] qui pro reuertente ad patrem filio iuniore mactatus & igne paſsionis aſſatus eſt, dicens: *Exaruit, velut teſta, virtus mea:* [Pſal. 21.] & ſimilam frixam oleo, carnem videlicet à peccati labe mundiſsimam; ſed ob humanæ ſalutis cauſam vberrimã delectationibus crucis ſartaginæ tortam. Et merito vna panis collyrida, vna carnis aſſatura datur: quia *vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* [Ephes. 4.] Aliter hæc munera fideles accipiunt, quando *vnus panis & vnum corpus multi ſumus* in Chriſto: [1. Cor. 10.] ſiue carnis ſinguli laſciuiam caſtigantes, ac ſeruituti ſubiicientes, ſancti Spiritus igne decoquunt: necnon & fructus operum bonorum oleo miſericordiæ pinguiſsimos compaſsione proximi feruere faciunt. At contra filia Saul fruſtra cubiculum regis ingreſſa, nullos concepti ſeminis fructus dat: quia qui verbum Dei auretenus percipiunt abſq; boni operis prole, diem perpetuæ mortis expectant. Quod Dauid cum arca Domini in Hieruſalem ſaltando reduceret à Michol filia Saul vxore ſua riſus eſt: Tropologiam intueri libet, quanta virtutum munera Dauid ipſe perceperat, atque in his omnibus qua forte humilitate ſeruabat. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, vrſorum brachia [1. Reg. 17.] diſsipare, deſpectis pecoribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula vngui, [1. Reg. 16.] timendum cunctis vno lapide Goliam ſternere, [1. Reg. 17.] à Rege propoſita, extinctis allophylis, numeroſa præputia reportare, [1. Reg. 18.] promiſſum tandem regnum percipere, cunctumque Iſraheliticum populum ſine vlla contradictione poſsidere: [2. Reg. 2. & 5.] & tamen cum arcam Dei Hieruſalem reuocat, quaſi oblitus prælatum ſe omnibus, admixtus populis ante arcam ſaltat; & quia coram arca ſaltare (vt creditur) vulgi mos fuerat, Rex ſe in diuino obſequio per ſaltatum rotat. Ecce quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, ſe quoque ſub Domino, & exæquando minimis, & abiectum exhibendo contemnit; non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere meruit, non ſe honore prælatum cæteris ante eius arcam, qui honorẽ dederat, recognoſcit. Coram Deo egit debilia vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia. Quid de eius factis ab aliis ſentiatur ignoro; ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hoſtem ſubdidit, ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit. Quem Michol, filia Saul, adhuc ex tumore regii generis inſana, cum humiliatem deſpiceret, dicens: *Quam glorioſus fuerit hodie Rex Iſrahel, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus, quaſi nudetur vnus de ſcurris:* [2. Reg. 6.] protinus audiuit; *Ludam ante Dominum qui elegit me potius, quam Patrem tuum.* Ac paulo poſt ait; *Ludam & vilior fiam plus, quam factus ſum, eroq; humilis in oculis meis.* Ac ſi aperte dicat; Vileſcere coram hominibus appeto, quia ſeruare mihi coram Deo regnum per humilitatem quæro. Sunt ergo nonnulli, qui de ſemetipſis humilia ſentiunt; qui in honoribus poſiti nihil ſe eſſe, niſi puluerem fauillamq;, perpendunt; ſed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, & contra hoc, quod de ſe interius cogitant, quaſi rigida exterius venuſtate palliantur. Et ſunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atq; per omne quod ſunt, delectos ſe exhi ben-

A do contemnunt: ſed tamen apud ſe introrſus quaſi ex ipſo merito oſtenſæ vilitatis intumeſcunt, & tanto magis in corde elati ſunt, quanto amplius in ſpecie elationem premunt. Quæ vtraq; vnius elationis bella magna Dauid circumſpectione deprehendit, mira virtute ſuperauit. Quia enim de ſemetipſo intus humilia ſentiens, honorem exterius non quærit, inſinuat, dicens: *Ludam & vilior fiam.* Et quia per hoc, q. vile eſt, ſe exterius prębuit; nequaquam interius intumeſcere adiungit: *Eroq; humilis in oculis meis.* Ac ſi apertè dicat: Qualem me exterius deſpitiētis exhibeo, talē me interius attendo. Quid ergo acturi ſunt, quos doctrina eleuat: ſi Dauid ex carne ſua venturum Redemptorem nouerat, eiuſq; gaudia prophetādo nuntiabat, & tamen in ſemetipſo ceruicem cordis valida diſcretionis calce deprimebat, dicens: *Eroq; humilis in oculis meis.*

Conſtituitq; Dauid coram arca Dei de Leuitis: qui miniſtrarent & recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum, &c.

Attende Lector ordinem & officium Leuitarum conſtituente Dauid: *vt miniſtrarent,* (inquit,) *& recordarentur* B *operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum.* Vbi totius vitæ noſtræ diſpoſitionem in religione Chriſtiana conſiderare poteris. Miniſtrat igitur Deo, qui cor mundū cum caſta conuerſatione exhibent Domino. Recordatur operum illius, qui meditator legis Dei ſecundum regulā Catholicæ fidei ſedulus exiſtit. Glorificat atq; laudat Dominum, qui non ſolum ſermone prædicationis ac voce iubilationis: ſed etiam bonorum operum laudat effectu. Sicq; impletur digne illius miniſtri officium: de quo Sal- Ioan. 12. uator in Euangelio ait: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Et vbi ſum ego illic & miniſter meus erit:* quia qui in corde, ore & opere Domino rite ſeruit, æternæ beatitudinis gaudia cum illo poſsidebit.

In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino Aſaph & fratres eius, &c.

Quid eſt, quod Aſaph Dauid conſtituit principem ad confitendum Domino, niſi quod Redemptor noſter ordinem ſanctorum doctorum, qui officio Apoſtolico mancipantur, in culmine Eccleſiaſticæ dignitatis conſtituit? Quod bene præſagium nominis ipſius monſtrare vide- C tur: Aſaph enim, *congregans,* interpretatur. Et bene *congregans,* dicitur: qui ſermone recto, ac bono exemplo multos ad fidem Chriſti, & ad cultum pietatis conuertere conatur. Aſaph ergo & fratres eius principes ad laudandū Dominum conſtituuntur, cum ſancti Apoſtolici viri ad conuocandum atq; coadunandum numerum fidelium in fide ab ipſo Domino ordinantur. De quibus admiranda Pſal. 138. Pſalmiſta ad Dominum ait: *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.* Et item: *Conſti-* Pſal. 44. *tues,* (inquit,) *eos principes ſuper omnem terram: memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione & progenie.* Poſt hæc, modum laudationis, quem Dauid ipſe compoſuit, Scriptor hiſtoriæ inſeruit, dicens: *Confitemini Domino & inuocate nomen eius.* Cuius Pſalmi titulus eſt: *Alleluia.* Et meritò, quia totus in laudibus Dei explicatur. Hoc quidem verbi decus in Pſalmo à præſenti Pſalmo fecit initium: nec antea à quoq̄ reperi poſitū, quamuis multi ſcriptores fuerint primitus Hebręorum. Scire autem debemus, *Alleluia* neutri generis eſſe finitū, q. & S. Hieronymus in expoſitione eiuſdē Pſalmi euidenter deſignat. Quod eum in Hebrai- D cis fontib. credimus inueniſſe, & ideo vbicunq; ſe locus attulerit, à doctiſsimo viro præfixam regulam ſubſequemur; quoniam vnum atq; integrum manere debet, quia nullius linguæ præſumptione mutatū eſt. *Alleluia* n. apud ipſos dicitur: *Laudare Dominū,* i. *allelu,* laudare *la* quippe inuiſibilem ſignificat Dominum: q. vnum Dominum ex decem nominib. eſſe Dei in Epiſtola ad Marcellam Hieronymo traditur exponente, qui dixit. Primum Dei nomen eſt *el,* i. fortis. Deinde *eloim* ex *eloe,* quod vtrumq; dicitur Deus: vnde geminatū frequenter inuenimus: vt eſt: *Deus,* Pſal. 21. *Deus meus, quare me dereliquiſti?* Et: *Deus, Deus meus, ad te de* Pſal. 62. *luce vigilo,* & his ſimilia. Quartum, *Sabbaoth,* quod eſt, *exercituum.* Quintum, *elon,* quē nos *excelſum* dicimus. Sextum, Exod. 3. *Aſſerheie,* q. in Exodo legitur: *Qui eſt, miſit me.* Septimum, *Adonai,* quē nos *Dominum* generaliter appellamus. Octauum, *Ia,* q. Deo tantum applicatur, & in *Alleluia* extrema E ſyllaba ſonat. Nonum *tetragrammum,* q. ineffabile nuncupatur. Decimum, *Adona* i. *robuſtum & ſufficientem ad omnia perpetranda,* &c. Nouus plane titulus, & dictis ipſius breuitate conſpicuus. Hoc Eccleſiis votiuum, hoc ſanctis feſtiuitatibus decenter accommodum. Hinc ornatur lingua cantorum. Iſtud aula Domini læta reſpondet: & tam inſatiabile bonum tropis ſemper variantibus innouatur.

Confitemini, (inquit,) *Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis ad inuentiones illius.* Pſal. 104. Eſa. 12.

In hoc verſu tribus conſtat partibus ordo dictorum. Primo dicit: *Confitemini Domino,* i. laudate eum, & bonis actib. gratiam vobis diuinitatis acquirite: q. ipſum eſt laudare Dominū, & ore illi honorem deferre, & operib. eius iuſsiones efficere. Illa n. confeſsio hic intelligenda eſt, q̄ Domini præconia celebrare non deſinit: quando & ſubſequentia tale votū actionemq; declarant. Deinde Dominum commonet inuocari: vt prius myſterium ſanctiſsimæ laudis grate poſsimus audire. Præmittendum eſt n. boni aliquid, vt iudex nos placatus exaudiat. Tertio dicit: F *Notas facite in populis ad inuentiones illius.* Quod bene poteſt glorioſis Euangeliſtis & ſanctiſsimis Apoſtolis & nunc ſanctis ſacerdotibus conuenire, qui per gentes vniuerſa magnalia eius annunciare noſcuntur.

Canite & Pſallite ei, & narrate omnia mirabilia eius.

Exponit, quod ſuperius dixit: *Confitemini Domino. Cantate* n. ad Hymnos pertinet offerendos: *Pſallite* ad pias operas explanandas. Et tunc dixit narranda mirabilia; quādo fuerint duo iſta præmiſſa. *Omnia* n. ſignificat iſta, quæ dicturus eſt. Non n. humanarū virium, omnia narrare, q̄ virtus Diuinitatis operatur; ſicut in centeſimo quinto Pſalmo ſcriptum eſt; *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius?* Pſal. 105. Sed iſta ſchema dicitur ex parte totū: q. in Scripturis frequenter inuenies. Nec aliter recte poteſt Euangelii iſtud dictum intelligi; *Verbum caro factum eſt,* Ioan. 1. *& habitauit in nobis;* quaſi non & animam ſimul aſſumpſerit, quam ſpecialiter liberare dignatus eſt.

Laudate nomen ſanctum eius.

Ille quippe ritè nomen Domini laudat, qui ſanam fidē rectè prædicat, & bene viuendo, bonis operibus eam aliis digne commendat. In centeſimo quoq; & quarto Pſalmo G ita ſcriptum eſt; *Laudamini in nomine ſancto eius.* Pſal. 104.

Lætetur cor quærentium Dominum. Ibid.

Ne quis forſitan ſuis virib. applicaret, cum boni aliqd operatur; cautus *Doctor* fragiles monet, dicens, non in ſenſu proprio ſed in *Domino* eſſe gloriandū; vt iactantiā falſam refugiant, cum hæc à *Diuinitate* conceſſa eſſe cognoſcant; ſicut & in alio Pſalmo legitur; *In Domino laudabitur anima mea.* Pſal. 33. Non ergo vetat, vt laudemur; quia bonis actionib. non poteſt res iſta denegari; ſed in *Domino* laudemur, qui præſtat illa, q̄ benè gerimus. Et vt cōſolationē de tali reſumerent; *Lætetur,* ait, *cor quærentiū Dominum.* Pſal. 104. Scilicet inde lætetur, ſi prædicetur in *Domino*; non autem, ſi de ſuo poſſe laudatur; præcipuum nobis & glorioſum ſiquidem eſſe debet, quando nomen eius extollitur, qui nobis beneficia profutura largitur. Vnde nimiæ impudentiæ fuit, aliquid quoſdam aduerſus hoc dicere, contra quos tam crebra teſtimonia, ſed pene lex tota prolata eſt.

Quærite Dominum & virtutē eius: quærite faciem eius ſemper. Pſal. 104.

Hortatur, vt ſe ad præmia futura confirment, qui eum H quærere delegerunt; ſed iſtud deſiderium, iſta inquiſitio non eſt hic aliquanto tempore finienda, quoniam abdidit; *Semper:* maxime cum legatur; *Qui petit, accipit; & qui* Matth. 7. *quærit, inuenit: & pulſanti aperietur.* Nam quod dicit; *Quærite faciem eius ſemper:* præſentiam ſignificat, quam ſolus quærit humilis ac deuotus. Iudicem enim deſiderare non poteſt, niſi qui de ipſius pietate confidit, & cum præſentiam eius cupit, ſe à praua actione ſuſpendit. Quæſiuit enim faciem Iudicis, quando dixit Apoſtolus; *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* 2. Tim. 4. Talis ergo iuſte faciem Iudicis quæſiuit; qui ſe coronandum eſſe *Domini* miſeratione præſenſit.

Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: ſignorum illius, & iudiciorum oris eius. Pſal. 104.

A Patriarcharum nomina & beneficia paulo poſt refert: vt plebs deuota poſsit aduertere nullum Domino inani deuotione ſeruiſſe. Mirabilia itaque pertinent ad diuiſionem maris rubri: prodigia ac plagas, quas miſit in Ægyptum. *Iudicia oris eius*: quoniam cuncta compleuit, quæ Moyſi ſuo famulo promiſiſſe dinoſcitur: Sic in vno verſiculo, quæ ſubter latius dicturus erat, propoſitionis loco breuiter ante præfatus eſt. Hoc tamen totum ſentiri mauult de Domino Chriſto.

Semen Abraham ſerui eius: filij Iacob electi eius.

Subaudiendum eſt, quod ſuperius dixit: *Recordamini*. Perſcrutandum eſt autem, quod in magna diſcretione Propheta Abrahę ſemen *ſeruos* appellat, filios Iacob *Electos* Domini eſſe commemorans. Iudæi enim contumaces, quos hic mauult intelligi, carnis Abrahæ ſemen fuerunt. Quos merito *ſeruos* dicit; quoniam, perfidia faciente, filij eſſe noluerunt. Quibus ipſe Dominus dicit: *Si vos filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ feciſſetis*. Filios vero Iacob ſignificat fideliſsimos Chriſtianos, qui hæredes Dñi eſſe noſcuntur.

B *Ipſe Dominus Deus noſter; in vniuerſa terra iudicia eius.*

Ponitur ſemen Abrahæ & ſemen Iacob, vt Saluatorem noſtrum non vnius gentis Dominum, ſed Dñm credant totius Orbis terrarum. Nam ſicut vbiq; dilatata eſt eccleſia, ita per Orbem propagata ſunt eius ſine dubitatione Iudicia. Dicendo enim *ipſe Dominus*, commouet, illum intelligi debere, quem populi Iudæorum crucifigendum eſſe decreuerunt. Sed qui hanc vocem non aduertunt, ipſi ſe ſpecialiter à Patriarchis alienos eſſe profitentur.

Recordamini in ſempiternum pacti eius: ſermonis, quem mandauit in mille generationes.

Recordari præcipit, hoc eſt, vt nulla obliuione tradatur; & ſubiungit, *In ſempiternum*: quia quicquid Dñs promiſit, perenni firmitate manſurum eſt. *Pacti ſiue teſtamenti ſui*; Prophetarũ ſignificat prædicationes, quas de Verbi incarnatione prædixerũt. Sequitur: *Quod mandauit*. Mandare eſt per alium aliquid dicere, quod vtique factum eſt, quando Prophetis tamẽ ſeculi datum eſt futura prophetare. *In mille generationes*. Finitum pro infinito poſitum eſt, quod tamen ſeculi iſtius fine concluditur, vbi generatio humana ſequenti ſibi ætate ſuccedit.

C *Quod pepigit cum Abraham, & iuramenti illius cum Iſaac. & conſtituit illud Iacob in præceptũ, & Iſrael in pactũ ſempiternum.*

Ad illud reſpondit: quod ſuperius dixit, *Teſtamenti ſui*. Illa enim, quæ in veteri Teſtamento Abrahæ & Iſaac Patriarchis promiſſa ſunt vel iurata ſtatuit ea, id eſt, firmauit Iacob & Iſrael, in nouo videlicet Teſtamento, quod eſt æternum. Iacob enim & Iſrael Chriſtiana tempora plerumque ſignificare, ſæpe iam dictum eſt. Nouum eius Teſtamentum propriè dicitur æternum, quia nullum illi aliud aliquando ſuccedet, in quo eſt omnium promiſſorum completa perfectio.

Dicens: Tibi dabo terrã Chanaan, funiculũ hæreditatis veſtræ.

Chanaan interpretatur, *Humilis*. Ergo humilium terram conuenienter Chriſtianos accepturos eſſe ſignificat, hoc eſt, quod ſuperius dixit, *Teſtamentum æternũ*. Hæc enim terra humilitatis & Inclinationis ſic à fidelib. accipitur, vt æterno munere tueatur. Funiculus aũt hæreditatis mũdi ſignificat tortuoſas anguſtias, quas Dñs pro ſalute cun-

D ctorum ſua paſsione diſſoluit: Illius enim ſuſceptio carnis noſtra probatur hæreditas; in qua æterna patrimonia vitæ cœleſtis accipimus, ſi eam fixè atque integerrimè credere mereamur. Nam iſta comparatio ab eis tradita eſt, qui agri ac poſſeſsiones tenſo fune diuidebantur.

Cum eſſent pauci numero, & parui coloni eius, & tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

Venit ad tertiam partem, in qua conſequenter enumerat, quanta Patriarchis virtus diuina præſtiterit. Denique inde quid ſequitur.

Non dimiſit quemquam calumniari eos, ſed increpauit pro eis reges: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.

Gen. 12. Hic tempus illud ſignificat, quo rex Ægyptiorum diuinitus ammonitus eſt, ne Abrahæ vxorẽ præſumpſerit.
Gen. 26. Quod ſimili modo de Iſaac conſtat effectum. Quapropter euidenter oſtenditur, diuina protectione eos fuiſſe munitos. Vnde ſcrutandum eſt, quomodo ſupra memoratos Patriarchas Chriſtos appellare delegerit, cum adhuc non fuerit vnctio celebrata: à Saul enim hæc res ſumpſit initium. 1 Reg. 10. Sed quoniam erant in ſpiritu Chriſtiani, eiuſq; fidei probantur eſſe deuoti, ſicut de Abraham Dominus dicit: *Concupiuit diem meum videre, vidit & gauiſus eſt*. Merito ergo appellati ſunt *ſacri* nomine, qa iam Chriſti ndẽ probantur amare. Nam & ipſa Domini verba ſunt poſita dicẽtis: *Nolite tangere Chriſtos meos. & in prophetis meis nolite malignare.* Ioan. 8.

E *Cantate Domino omnis terra.*

Dicẽdo enim: *Omnis terra*, Catholicam ſignificat Eccleſiam, quæ per cunctum Orbem naſcitur eſſe diffuſa. Breui n. compendio & Iudæam confutauit, qa gentes admiſit, & Dei natum deſtruxit: quia generalitati confeſſionis gratiam non negauit. Nam vt homines intelligeres, cantate dixit, qui re vera poſſunt laudes Domino perſonare. Deinde quia pluralem numerũ aptauit ad terram: quod vtique non conueniret, ſi tellurem voluiſſet intelligi.

Annuntiate de die in diem Salutare eius.

F Dies de die duos dies ſignificat abſolutè: q̃ pertinere ad Scripturas Teſtamenti noui & veteris æſtimamus, quę vtraq; æterni ſolis claritate reſpondent. Et inde bene nũtiatur ſalutaris Dominus, per quos & venturus & veniſſe monſtratus eſt. Prophetæ ſiquidẽ promiſerunt aduentũ: Euangeliſtæ veniſſe declarant. Ita factum eſt, vt duo cœleſtes dies annuntiaſſe eius gloriam comprobentur.

Narrate in gentibus gloriam eius, & in cunctis populis mirabilia eius.

Dum ſuperius dixit: *Annuntiate ſalutare eius*; hic dicit: *Narrate mirabilia gloriam eius*. Quod vtique aptiſſime poſitum eſt. Dominus Saluator annuntiãdus erat: gloria vero eius narranda per gentes. Quanta mirabilia pędicabant, auctorem audeat Iudæus, ſeq; intelligat contumaciæ ſuæ iniquitate contemptum: qa non dicit: *Hebræis narrate*, ſed, *Gentibus*. Et ne hoc aliter poſsis aduertere, addidit quoq;: *In omnibus populis*. Quo dicto vniuerſas gentes abſoluta ratione complexus eſt. Sequitur: *Mirabilia eius*. Incarnationis arcanum, qui dum ſit altiſsimus, factus eſt pro nobis liberandis humillimus. Intelligimus autem, quantum profecerit ædificatio ſanctæ domus: quæ totum Orbem noſcitur complexa terrarum.

G *Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis, & horribilis ſuper omnes Deos.*

Hic dicit, quare miracula eius debeant & gloria prædicari: quoniã magnus Dominus; quæ figura dicitur ætiologia cauſa redditio. *Magnus* ad poteſtatem pertinet, quæ ſuper cuncta potentior eſt: *laudabilis* ad pietatẽ; quoniam dum eſſemus captiui, pretioſe ſanguine nos redemit. *Nimis* aũt congruit ad vtrumque: qa nec, quantum magnus, nec quantũ laudabilis ſit, poterat explicari, ſed quoniam conſideranti æſtimatio defecit, pulchrè addidit, *Nimis*. Ita non exponẽdo, q̃ intendebat, ſignificat vbertime: & declarauit nec comprehendendo, q̃ voluit. Sequitur: *Horribilis eſt ſuper oẽs Deos*. Hic debemus Deos aduertere, quos ſibi Gentilitas impia præſumptione compoſuit. Nam eos in ſequenti verſu manifeſtat. Quoniam quamuis illis ſtultis mentibus adorabiles & metuendi eſſe videantur: multo terribilior eſt Dominus, cuius nec multitudo miracu-

H lorum poteſt intelligi, nec plenitudo maieſtatis agnoſci.

Omnes Dij enim gentium idola, Dominus autem cælos fecit.

Pſal. 95. In pſalterio aũt legitur: *Oẽs Dij gentiũ Dæmonia, Dominus autem cælos fecit*. Mirabiliter per quintam ſpeciẽ diffinitionis, quę Græcè *cata ante lexin*, latinè *aduerbiũ* dicitur, comprehenſum eſt, qd ſint *Dij* gentium dæmonia. *Dæmonia* n. ſunt, quæ nulli præſtant: ſed in ſe credentes ſemper decipiunt, ſemper illudũt. Nam quamuis *dæmones* latine *ſcientes* vocentur, quaſi dæmones: humano tamẽ ſermone cõuitiũ eſt, dum ita dicimus, quaſi ex creatione dignos eſſe iudicamus non immerito, quoniam illis ſcientia non eſt, qui creatoris ſui non ſecundant arbitrio. Sic & ſapientes Philoſophos dicimus: ſed hos ſequitur Apoſtoli diffinitiua ſententia, dicens; *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*. 1 Cor. 3. Vnde neceſſe eſt, vt hic ſcientes pro non intelligentibus habeantur. Dæmon eſt ergo à Deo quidem, ſicut & bonorum angelorum excellens homines

Digitized by Google

A creata ſubſtantia, quæ, propria faciente ſuperbia, eo vſq; peruenit, vt naturali dignitate deſpoſita, malis operibus ſemper inſiſtat. Hæc ſunt dæmonia, quæ alios perdunt, & ſeipſa decipiunt. Hoc ſunt vtique Dij gentium, qui per infructuoſas vaticinationes & futurorum vana præſagia feſtinant animas decipere concludentium. Sequitur: *Dominus autem cælos fecit.* Ecce re vera Domini digna laudatio. Nam cum dicit: *Cælos fecit*; omnes ipſis factas creaturas ſufficienter oſtendit. Sic enim in maioribus minora complectimur, cum dicimus ciuitatem ædificatam, domum obſtructam: ibi enim reliquæ partes comprehenduntur. vbi generale nomen dicitur. Et reſpice, quo tendat: *Dominus Cælos fecit.* Nam falſa hominum imaginatione reperti ſunt. Dominus autem Cœlos fecit, vbi illi nec accedere nec habitare promerentur. Siue Cœlos Apoſtolos & ſanctos viros ſignificat, qui dæmonibus imperare Domini munere conſueuerunt. Sic demonſtratiuum dicendi genus ſub breuitate completum eſt. Vitu-

B perauit enim ſuperius Deos gentium, & laudes Domini ſubſequenter adiunxit: quia gratior diei ſplendor eſt, cum nox obſcura præceſſerit.

Confeſſio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco eius.

Generalitate quia inſtituit admonere, vtilitatem Catholicæ religionis oſtendit. Dicit enim, quemadmodum magnifici reddantur, qui ad indulgentiam peccatorum prouenire meruerunt. Confeſſionem ſiquidem bene ſequitur magnificentia: quia nemo poteſt eſſe magnificus, niſi qui Domini fuerit miſeratione mundatus. Coram Domino ergo confeſſio & magnificentia: quia ſicut magnificentia eſt vera, quæ Domino tribuitur: ita confeſſio eſſe debet pura, quæ illam meruerit. *Fortitudo & gaudium in loco eius.* Locus enim Domini præſentia eius intelligi poteſt, qua ſancti perfruuntur in ſua vita. Ibi ergo fortitudo eſt & gaudium: quia ibi immortalitas ac beatitudo perpetua.

Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium; date Domino gloriam nomini eius: leuate ſacrificium, & venite in conſpectu eius, & adorate Dominum in decore ſancto.

C Poſtquam magnalia Domini, & beatorum dona prædicauit: in ſecunda parte ſtudioſius commouet gentes, vt, omni cunctatione depoſita, afferant Domino gloriam & imperium. *Familiæ populorum* ſunt diuerſarum gentium nationes, quæ afferunt Domino gloriam & imperium, cum illum credunt, confitentur & prædicant Dominum verum & omnipotentem & omnium Dominatorem. Tale enim ſacrificiũ placet in conſpectu Dei. Et huiuſcemodi adoratores adorant Dominum in decore ſancto; quia cum corde credulo fatentur æternæ claritatis eſſe auctorem. In nonageſimo autem quinto Pſalmo ſcri-

Pſal. 95. ptum eſt: *Afferte Domino patriæ gentium, afferte gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Tollite hoſtias, & introite in atria eius, adorate Dominum in ſancta eius.* Nam cum dicit *patriæ gentium* plus ſignificat, quam ſi ſolas diceret gẽtes: Gens n. aliquos põt habere peregrinos. Et dum *natio* dicitur, non aduenas complectitur: ſed tantum gẽ-

D tem vnius ſanguinis indicat. Hic vero dictum eſt, *patriæ gentium*: vt nullus indigena, nullus hoſpes, nullus peregrinus redderetur exceptus. *Patria* enim dicta eſt quaſi *patris atria*. Sequitur: *Afferte Domino gloriam & honorem.* Admonet etiam, vt illi generalitas Domino gloriam afferat & honorem. Gloria eſt Domini, cum ſe aliquis laudabili conuerſatione tractauit. Glorificatur enim Dominus in talibus, quando ex fidelium fuerit conuerſatione lauda-

Matth. 5. tus, ſicut in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrũ qui eſt in cælis.* Honor eſt autem Domini, quando in donis ſuis ei gratias referimus: & ſiquid boni ſuſcepimus, ab Ipſo profitemur eſſe collatum; ſicut in Euan-

Luc. 17. gelio legitur: *Nonne decem mundati ſunt? & non eſt inuentus, qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic Samaritanus.* Sicut ſupra dixit in Pſalmo trina repetitione, *Cantate*; Ita hoc tertio componitur, *Afferte*; vt ſacramenta ſanctæ Trinitatis in Chriſtiano dogmate ineſſe ſemper agnoſceres. Afferunt itaque gloriam nomini eius, qui deuotionis ſtudio commutantur in melius, & conſubſtantialem ſibi Trinitatem atque omnipotentem per omnia confitentur, perſonis tantum, non naturæ diuerſitate diſcretam. Quod autem dicit: *Tollite hoſtias, & introite in atria eius*: hoſtias, non victimas pecudum dicit, ſed conſcientiæ pura libamina: vnde non ſanguis currat, ſed piæ lachrimæ diffluant. Iſtæ ſunt hoſtiæ, quas in quinquageſimo Pſalmo dixit: *Cor contritum & humiliatum non ſpernit.* Sed conſidera, Pſal. 50.

quia prius poſuit, *tollite*; & ſic introire: quia qui tales hoſtias non portant, in atria Domini non iudicantur intrare. Non eſt autem otioſe ſuſcipiendum, quod plurali numero poſuit, *atria*. Atria enim ſunt Domini Apoſtoli vel Prophetæ, per quos fidelis populus intrat ad Dominum. *Adorate*, inquit, *Dominum in aula ſancta eius*, ſiue (vt in alia æditione habetur) *in atrio ſancto eius*. Hæc enim duo nomina pro alterutro in Scriptura ponuntur: quia & in græco *aulen* atrium dicitur. Tunc re vera Dominus adoratur, quando fuerint hoſtiæ portatæ, quas ſuperius intimauit: vt ſupplicatio confitentis mereatur ad aures peruenire F

Creatoris. Nec vacat, quod anteriori verſu *atria* poſuit, hoc vero ſingulariter *atrium* dicit; quia ex illis atrijs Patriarchis, Apoſtolis & Prophetis in iſtud atrium Catholicæ duntaxat Eccleſiæ peruenitur, vbi eius potentia maieſtatis adoratur. Sequitur: Pſal. 95.

Commoueatur à facie eius vniuerſa terra.

Quomodo dixerat fidelibus, bonas operas tollite & introite, nec dicit, à facie ipſius amatores ſeculi ſubmouendos Non enim dixit; commoueatur ante faciem eius vniuerſa terra. Quod hodieque illis dicimus, quos à conſpectu noſtro reddidimus alienos. Qui bene *terra* dicti ſunt, quia terrena vitia non derelinquunt. Quamuis hoc alij in partem bonam accipi debere dixerunt: vt tunc terra commoueatur, quando peccator ad pœnitentiam fuerit, Domino miſerante, perductus. Sic Scripturæ diuinæ incomprehenſibilis profunditas & diuerſis modis intelligitur, vt vna conſtare varietate monſtratur. *Per ſe fundauit Orbem immobilem.* Orbem hic ſanctam Eccleſiam debemus intelligere, quam in toto Orbe diffuſa eſt. Huic ergo Orbem dicit penitus non eſſe commouendum: quia G

in ſoliditate fidei perſeuerat, in qua Dominus illum fundauit immobilem; non ſicut illa, quam ſuperius dicit: *commoueatur à facie eius vniuerſa terra.* Illa commoueatur, vt à malis conuertatur operibus: iſta non commoueatur, quæ veræ fidei ſoliditate conſiſtit. Pſal. 95.

Lætentur cæli, & exultet terra.

Per Cœlos ſignificatur (ſicut ſæpe dictum eſt) Apoſtoli & Prophetæ, vel reliqui fideles, quos Diuina Maieſtas, tanquam cœlum, noſcitur inſidere: Terra vero indicat peccatores, qui tamen ſatisfactionis beneficio ad gratiam Dei meruerunt redire. Ipſa enim terra exultare poteſt in aduentu iudicis ſui, quę ſe à peccatis intelligit abſolutam.

Dicite in nationibus: Dominus regnauit.

In pſalterio vero additum eſt: *Dominus regnauit à ligno.* Illos admonent reuerenda myſteria gentibus prædicare, quos in atrio ſancto Dominum adorare præcepit, vt in nationibus à ligno Crucis Dominum debeant dicere regnaturum. Non ab illo ligno Paradiſi, vnde diabolus genus humanum videbatur tenere captiuum; ſed ab iſto H

ſcilicet ligno, vnde libertas caput extulit, in vita ſurrexit. In illo ſiquidem ligno mors tranſgreſſionis pependit: in iſto fides confeſſionis emicuit. Illud perduxit ad inferos; iſtud mittit ad cœlos. *Regnauit* autem intelligamus, *innotuit*, quando mundo Dominus Saluator apparuit; nam quando ille non regnauit, qui ſemper cum Patre & Spiritu ſancto poteſtate ſuæ omnipotentiæ perſeuerat? *A ligno*, alij quidem non habent tranſlatores; ſed nobis ſufficit, quod LXX. interpretum auctoritate firmatum eſt. Crux enim Domini prauum atque diſtortum correxit Orbem terræ.

Tonet mare & plenitudo eius: exultent agri & omnia quæ in eis ſunt.

Mare hic pro populis ponitur, quia in ſalo huius ſeculi conſtituti diuerſis tentationibus agitantur. Iſti mouentur ad gaudium, quando conuerſionis dona ſuſceperint.

Digitized by Google

A rint. Nam vt vniuerſitatem gentium intelligere debuiſſes, poſuit, *plenitudo eius*. Agros hic ſimiliter in bono debemus accipere, qa illa plana dicimus, quæ pulcherrima æqualitate tenduntur. Agros ergo dicit viros Iuſtitiæ laude pollentes, non ſuperbia timidos, non aſperos iracundia, ſed manſueta leuitate pleniſſimos. Sequitur:

Tunc laudabunt ligna ſaltus coram Domino, quia venit iudicare terram.

Tunc, dixit ſecundum aduentum, quando iudicaturus eſt mundum. Ligna ſiluarum per ſe amaros & ſteriles Inferunt fructus; ſed cum fuerint inſita, dulciſsima vbertate pingueſcunt. Sic Gentes, quæ prius fuerant, velut ligna ſiluarum, ad culturam fructiferam productæ, ante faciem Domini magno ſunt gaudio lætaturæ. Sed cum dicit: *Omnia ligna*: illam partem vult intelligi, quæ miſeri bonis operibus potuit ac mutari: Quæ dixerat credentes eſſe læt aturos: non dicit, in angulis, non in ſecretis, ſed ante faciem Iudicis, quando inæſtimabilis & copioſa lætitia eſt; B quando præmia tribuuntur, & ſecuritas ſine fine præſtatur. Et ne primum illum incarnationis Domini putates aduentum, dicit in Pſalmo: *Quoniam venit iudicare terram.* Nam ſi in illo primo commate ſententiam tarminaſſet, potuerat illud aduentũ, qui iam tranſactus eſt, forte ſentire; ſed cum addidit: *quoniam venit iudicare terram*; illum nos rantum voluit intelligere, quẽ adhuc noſcimus expectare. Ezech. 37. De quo etiam Ezechiel Propheta teſtatur: *Hæc dicit Dominus Deus oſsibus iſtis: Ecce ego induco in vos ſpiritum, & viuetis, & dabo in vos neruos, & inducã ſuper vos viſcera carnis, & extendã ſuper vos cutem, & dabo ſpiritum meum in vobis, & viuetis, & ſcietis; quia ego ſum Dominus.* Dan. 12. Daniel quoque dicit: *Et multi dormientium in terra per fiſſuras exurgent: Hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & confuſionem.* Terra vero hic vniuerſum populum mundi dicit, vt bonis præmia, malis ſupplicia æterna conſtituat.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.

Sicut ſuperius Pſalmus in primo verſu declarauit, quia confeſsio illa ad laudes Domini debuiſſet aptari; ita & hic deſignat, confeſsionem iſtam ad medicinam pœnitudinis applicandam. Sed hoc quoq; ad præconia Domini perti- C nere non dubium eſt, quando maior gloria eſt pietatis, confitenti parcere, quam inuenti in confeſsione præſtare. Ex perſona Hebræorum ſiquidem compuncta videtur redundare, congregatio & diuina inſpiratione Propheta loquitur ad reliquam plebem, vt, antiqui erroris prauitate damnata, ad diuinam debeat redire clementiam. Et ne aliquis de culparum ſuarum numeroſitatibus terreretur, addidit: *Quoniam bonus.* Quis n. dubitet ad eum recurrere, quem ſcit ſibi poſſe celerrime ſubuenire. *Bonus* cum Dominus recte dicitur, qui delinquentẽ paſcit, qui expectat Matth. 5. errantem, *qui ſolem ſuũ facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Hoc etiam ipſius Veritatis voce de- Marc. 10. claratur: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Addidit: *Quoniam in æternum miſericordia eius.* Miſericordia enim Domini in æternum ſuper eos, qui in eius ſperant clementiam, & qui eius iuſtitiam timentes, per obedientiam ipſius ſe ſubij- Pſal. 146. ciunt voluntati, ſecundum illud Pſalmiſtæ: *Beneplacitum eſt*, inquit, *Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant in* D *miſericordia eius.* Vnde & beata Virgo Maria in Cantico Luc. 1. Euangelij ait: *Miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Et notandum, quod iuxta aliam æditionem, vbi legitur: *Quoniam in ſeculum miſericordia eius*: hoc innuit, vt vt audito bono *Domino*, ne ſe humana negligentia ab ſtudioſa & ſedula ſupplicatione ſuſpenderet, remedij cauſam dicit, vt ad confeſsionem celerem Domini debeat munere feſtinare. *In ſeculum*, vitæ huius ſignificat curſum, vbi miſeri ſunt, quicunque delinquunt: vbi fas eſt, corda noſtra conuerti & miſericordiam poſtulari. Ibi enim damnatio confiteri peccatum, vbi iam conſtat eſſe iudicium.

Et dicit: Salua nos Deus, Saluator noſter, & congrega nos de nationibus, & erue nos de gentibus, vt confiteamur nomini ſancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.

Populus prior, cuius perſonæ verba ſuperiora competebant, poſtquam ſe copia *Dominicæ* laudis expleuit, Patrem *Dominum* deprecatur, vt Eccleſiam ſuam de gentium congregatione perficiat: illud quoq; ſubiungens: B *Et exultemus in carminibus tuis*, hoc eſt, non in humana iactantia, ſed in te vbi eſt re vera fixa gloria, & ſine fine lætitia. Et intuere, quod hic ſaluare dicitur Pater. Legitur etiam Luc. 19. & Filius ſaluare, vt eſt illud: *Venit Filius hominis ſaluum facere, quod perierat.* Prædicatur etiã ſaluare Spiritus ſanctus, Tit. 3. vt eſt illud ad Titum: *Saluos nos fecit per lauacrum, regenerationis & renouationis Spiritus ſancti.* Sic indiuiſibilis Trinitatis æqualitas atq; vnitas & verbis ſimilibus & virtutibus indicatur, Amen.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, ab æterno vſque in æternum: & dicat omnis populus, Amen, & hymnos Domino.

Hæc eſt laus, quam ſuperiori verſu congregatos optauit populos perſonare. Hoc etiam nunc canit S. Eccleſia, quæ ſe de tanto bono præſenti conſolatur. Sed hoc dicit ab iſto ſeculo vſq; ad illud perpetuum ſecundum eſſe faciendum vt continuata laus nunquam debeat habere faſtidium. Sed tamen cum prædictos hymnos deuotus Iudæorum populus canit: quis eſt ille aliter, qui dicit, *Amen, Amen?* Scilicet (vt mihi videtur) populus ille præputij eſt, F qui eo tempore in fide non erat, quando iſtud canebatur. Qui tamen prophetiæ virtute futurus introductus eſt, vt amore vniuerſitatis dicat: *Amen, Amen*, hoc eſt, *fiat, fiat.* Sic Matth. 18. hodieq; in Eccleſijs orantib. ſacerdotibus reſpondetur, *Amen*: vt concordent in precibus ſimul & ſacerdotum pia intentio, & populi ſana deuotio; quatenus poſtulata vnitas fidelium facilius impetret, iuxta illud Euangelij dictum, quo Saluator diſcipulis ait: *Amen dico vobis, quod ſi duo ex vobis conſenſerint in vnum ſuper terram ex omni re, quamcumque petierint: fiet illis à Patre meo, qui eſt in cælis.*

Dereliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Aſaph et fratres eius, vt miniſtrarent in conſpectu arcæ iugiter per ſingulos dies & vices ſuas.

Nota lector, quod miniſtri Domini iugiter debent permanere in miniſterio ipſius, & per ſingulos dies miniſtrare illi in conſpectu arcæ: & videbis, quod adminiſtratoribus diuini verbi non licet terrenis negotijs vacare, ſed potius cottidie & ſine ceſſatione in Eccleſia *Dei* Euangelicæ prædicationi inſiſtere: ſed tamen non vniformiter, G ſed diſtinctim ſecundum qualitatem auditorum. Vnde per diuerſos miniſtros diuerſæ melodiæ cantus, & diuerſa officia ſacerdotum in tabernaculo *Domini* explicãtur.

Porro Obed Edom & fratres eius LXVIII. & Obed Edom, filium Idithun, & Oza conſtituit ianitores: Sadoch autem ſacerdotem, & fratres illius, ſacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelſo, quod erat in Gabaon, vt offerrent holocauſta Domino ſuper altare holocauſtomatis iugiter mane & veſpere, &c.

Igitur hoc, quod dicit, ſacerdotem Sadoch & fratres eius ſacerdotes conſtitutos tabernaculo *Domini*, quod in excelſo Gabaon, vt offerrent holocauſta *Domino* ſuper altare holocauſtomatis iugiter mane & veſpere: diuerſis accipitur. Alij enim dicunt, quod tabernaculũ *Dei*, poſtquam filij Iſrael intrauerunt in terram Chanaan, primum fuerit in Silo, deinde in Obe, poſtea in Gabaon, ad extremum quoq; in Sion: arca teſtamenti ſola ab allophylis ad tempus capta ſit, poſtmodum vero reducta. Alij autem aſſerunt, locum quendam eſſe in Hieruſalem, appellatum *Gabaon*: ibique *Dauid* tabernaculum fœderis, & arcam teſtamẽti Domini collocaſſe. Gabaon interpretatur, H *collis*: excelſum autem propter ſublimitatem diuini cultus dictum exiſtimant. Cæterum in libro locorum ſcriptum reperimus, Gabaon eſſe metropolim & regalem ciuitatem Æneorum, ceciditq; in ſortem tribus Beniamin. Et nunc oſtenditur villa in eodem nomine in quarto miliario Bethelis contra occidentalem plagam iuxta Rama & Remmon, vbi Salomon hoſtias immolans diuinum meruit oraculum. Fuit autem & ipſa ſeparata Leuitis.

Reuerſuſque eſt omnis populus in domum ſuam, & Dauid, vt benediceret etiam domui eius.

Benedicere hic domui ſuæ Dauid dicitur, hoc eſt, opus cõiugale exercere, quatenus filiorum numerũ ampliaret. Aliter quidam *benedictionem* hic per antiphraſin dictam putant: *domum* vero Michol filiam Saul; quam increpabat Dauid: eo quod indignata ſit, cum vidiſſet eum ſubſilientem coram arca teſtamenti Domini.

CAPVT

A

Capvt XVII.

1. Reg. 7. C*Vm autem habitaret Dauid in domo ſua, dixit ad Nathan Prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini ſub pellibus eſt; & ait Nathan ad Dauid: Omnia, quæ in corde tuo ſunt, fac. Deus enim tecum eſt. Igitur nocte illa factus eſt ſermo Domini ad Nathan, dicens; Vade, loquere Dauid ſeruo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum; neque enim manſi in domo eo tempore, quo eduxi Iſraël vſque ad diem hanc: ſed fui ſemper mutans loca tabernaculi, & in tentorio manens cum omni Iſrael.*

Quod Propheta interrogatus à Rege reſpondit: *Omne, quod eſt in corde tuo, vade & fac*: & poſtea à Domino admonitus, eadem prohibuit, quæ ante conceſſit: patet profectò, quod Prophetæ Spiritus Prophetarum mentes non ſemper irradiat; quia ſicut de Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Ioan. 3. *Vbi vult ſpirat*. Hinc eſt enim, quod Heliſæus flentem mulierem cerneret, cauſamq; neſciſſet, ad prohibentē hunc puerum dicit: B 4. Reg. 4. *Dimitte eum, quia anima eius in amaritudine eſt. & Dominus celauit me, & non indicauit mihi.* Quod omnipotens Deus ex magna pietatis diſpenſatione diſponit. Quia dum prophetiæ ſpiritum aliquando dat, & aliquando ſubtrahit: prophetantium mentes & eleuat in celſitudine, & cuſtodit in humilitate; vt & accipientes ſpiritum, inueniant, quid de Deo ſint; & rurſum, Prophetiæ ſpiritum non habentes, cognoſcant, quid ſint de ſemetipſis. Quod autem Dauid prohibitus eſt domum Deo ædificare quia vir ſanguinum eſſet; innuit moraliter, quod mundus in ſe eſſe a vitiis debet, qui curat aliena corrigere, vt terrena non cogitet, vt deſideriis infimis non ſuccumbat; quatenus tantò perſpicacius aliis fugienda videat, quanto hæc ipſe per ſcientiam & vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in membro conſiderat oculus, quem puluis grauat. Et ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Quod iuxta tranſlationis ſeriem ad Dauid erga exteriora bella laborientem per ſignificationem diuina vox innuit, cum dicit: *Non tu ædificabis mihi templum: quia vir ſanguinum es.* Dei templum ædificat, qui corrigendis inſtitutis proximo- C rum mentibus vacat. Templum quippe Dei nos ſumus: quia ad veram vitam ex eius inhabitatione conſtituimur, Paulo atteſtante, qui ait: 1. Cor. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sed vir ſanguinum templum Dei ædificare prohibetur: quia qui adhuc actibus carnalibus incubat, neceſſe eſt, vt inſtituere ſpiritaliter proximorum mentes erubeſcat.

Nunquid locutus ſum ſaltem vni Iudicum Iſrael, quibus præceperam, vt paſcerent populum meum & dixi: Quare non ædificaſti mihi domum cedrinam? Nunc itaq; loqueris ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te cum in paſcuis ſequereris gregem, vt eſſes dux populi mei Iſrael & fui tecum, quocumque perrexiſti, & interfeci omnes inimicos tuos coram te, feciq; tibi nomen quaſi vnius magnorum, qui celebrantur in terra.

Idcirco à nullo iudicum ſibi ædificari domum cedrinam iuſſit, quia ab omnibus contra hoſtes pugnatum fuit, & omnes effuſores fuerunt ſanguinum. *Fecitque*, inquit, *tibi Dominus nomen quaſi vnius magnorum, qui celebrantur in terra*: ſic fecit Abraham, Iſaac, & Iacob & Moyſi, & D Ioſue, quorum nomina famoſiſsima ſunt in terra.

Et dedi locum populo meo Iſrael. Plantabitur & inhabitabit in eo & vltra non commouebitur: nec filij iniquitatis atterent eos, ſicut à principio ex diebus, quibus dedi Iudices populo meo Iſrael. Et humiliaui vniuerſos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus ſit domum tibi Dominus. 2. Reg. 7. *Cumque impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos: ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filijs tuis, & ſtabiliam regnum eius. Ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſolium eius vſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: & miſericordiam non auferam ab eo, ſicut abſtuli ab eo, qui ante te fuit: & ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo vſque in ſempiternum; & thronus eius erit firmiſſimus in perpetuum.*

Hanc tam grandem promiſsionem qui putat in Salomone fuiſſe completam, multum errat. Attendit enim, quod dictum eſt: *Hic ædificabit mihi domum* quoniam Salo- E mon templum illud nobile ſtruxit & non attendit, quod dicit: *Fidelis erit domus eius, & regnum eius vſque in æternum coram me.* 3. Reg. 11. Attendat ergo & aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus deos falſos, & ipſum ab eis regem ſapientem in eãdem idolatriam ſeductum atque deiectum; & non audeat exiſtimare, Deum vel hoc promiſiſſe mendaciter, vel talem Salomonis domum eum non potuiſſe futuram præſcire. Non hic debemus ambigere, cum in Chriſto Domino noſtro, Rom. 1. *qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, iam videamus iſta compleri: ne vane atque inaniter hic alium aliquem requiramus, ſicut carnales Iudæi. Nam & ipſi vſque adeo filium, quem loco iſto regi Dauid promiſſum legunt, intelligunt non fuiſſe Salomonem; vt, eo, qui promiſſus eſt, tanta iam manifeſtatione, declarato, adhuc mirabili cæcitate alium ſe ſperare dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone, in eo, quod templum ædificauit, & pacem habuit ſecundum nomen ſuum (Salomon quippe *pacificus* eſt latinè) & in exordio F regni ſui mirabiliter laudabilis fuit; ſed eodem ſua perſona, per vmbram futuri prænuntiando, etiam ipſum Chriſtum Dominum exhibebat. Vnde quædam de illo ita ſcripta ſunt, quaſi de ipſo iſta prædicta ſint; dum Scriptura ſancta, etiam rebus geſtis prophetans, quodammodo in eo figuram deliniat futurorum. Nam præter libros diuinæ hiſtoriæ, vbi regnaſſe narrat? Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis eius inſcriptus eſt: in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non poſſunt: Domino autem Chriſto aptiſsima perſpicuitate conueniunt, vt euidenter appareat, quod in illo figura qualiſcumque adumbrata ſit; in iſto autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim, quibus terminis regnum concluſum fuerat Salomonis: & tamen in eo Pſalmo legitur; vt alia taceam: *Dominabitur à mare vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ*: quod in Chriſto videmus impleri. A flumine quippe dominandi ſumpſit exordium, vbi baptizatus eſt à Ioanne; eodem monſtrante cœpit agnoſci à diſcipulis, qui non ſolum magiſtrum, verum etiam Dominum appellauerunt. Nec ob aliud, G viuente adhuc fratre ſuo Dauid, regnare Salomon cœpit (quod nulli regum illorum contigit) niſi vt hinc quoque ſatis eluceat, non eſſe ipſum, quem Prophetia iſta præſignat, quæ ad eius patrem loquitur, dicens: *Et erit, cum repleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de ventre tuo, & præparabo regnum illius.* Quomodo ergo propter id quod ſequitur: *Hic ædificabit mihi domum*, iſte Salomon putabitur prophetatus, & non potius propter id, quod præcedit: *cum repleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis; ſuſcitabo ſemen tuum poſt te*; alius pacificus intelligitur eſſe promiſſus, qui non ante, ſicut iſte, ſed poſt mortem Dauid prænunciatus eſt ſuſcitandus. Quamlibet enim longo interpoſito tempore Chriſtus Ieſus veniret; procul dubio poſt mortem Regis Dauid, cui ſic eſt promiſſus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo non de lignis & lapidibus, ſed de hominibus; qualem illum ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apoſtolus, hoc eſt, fidelibus Chriſti: 1. Cor. 3. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Benedictio quippe Do- H mini in ſemine Dauid non ad aliquod tempus qualis diebus Salomonis apparuit, ſed in æternum ſperanda eſt, in qua certiſsima ſpe dicitur: *Fiat, fiat*; ſicut in Pſalmo LXXXVII. ſcriptum in fine eſt. *Benedictus*, inquit, *Dominus in æternum. Fiat, fiat.* Illius enim ſpei eſt confirmatio, verbi huius iteratio. Hoc ergo intelligens Dauid ait in ſecundo Regnorum libro; 2. Reg. 7. *Et locutus eſt pro domo ſerui tui vſq; in æternum*, &c. quia tunc genitus erat filius, ex quo progenies duceretur ad Chriſtum, per quem futura erat domus eius æterna, eademque domus Dei. Domus enim Dauid propter genus Dauid, domus autem Dei eadem ipſa propter templum Dei de hominibus factum, non lapidibus, vbi habitet in æternum; populus cum Deo & in Deo ſuo, & 1. Cor. 15. *Deus* erit *omnia in omnibus*; ipſe in pace præmium, qui virtus in bello. Ideo cum ſecundum LXX. in verbis Nathan dictum ſit: *Et annuntiabit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipſius*; poſtea dictum eſt in verbis

Digitized by Google

A Dauid: *Quoniam tu Domine omnipotens Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, dicens: domum ædificabo tibi.* Hanc enim domum & nos ædificabimus bene viuendo, & Deus, vt be-
Pſal. 126. ne viuamus, opitulando: *quia niſi Dominus ædificauerit domum, in vano laborant ædificantes eam.* Cuius domus cum venerit vltima dedicatio, tunc fiet illud quod hic per Nathan locutus eſt Deus, dicens: *Et imponam locum populo meo Iſrael & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum, & non ſollicitus erit vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à diebus; quibus conſtitui Iudices ſuper populum meum Iſrael.* Hoc tam magnum bonum quiſquis in hoc ſeculo & in hac terra ſperat, inſipienter ſapit. Anne quiſpiam putabit in pace Salomonis id eſſe completum? Pacem quippe illam Scriptura in vmbra futuri excellenti prædicatione commendat. Cui ſuſpicioni vigilanter occurſum eſt: cum poſteaquam dictum: *& non apponet filius iniquitatis humiliare eum*, continuo ſubiunctum eſt: *ſicut à diebus, quibus conſtitui Iudices ſuper populum meum Iſrael.* Iudices namque, priuſquam reges ibi eſſe cœpiſſent, ſuper il-
B lum populum fuerant conſtituti, ex quo terram promiſſionis accepit. Et vtiq; humiliabat eum filius iniquitatis, hoc eſt, hoſtilis alienigena per interualla temporum, quibus leguntur paces alternaſſe cum bellis; & inueniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomō habuit, qui
Iud. 3. XL. regnauit annis. Nam ſub eo iudice, qui eſt appellatus Ahoth, octoginta anni pacis fuerunt. Abſit ergo, vt Salomonis tempora in hac promiſſione promiſſa eſſe credantur: multo minus itaque cuiuslibet regis alterius. Non enim quiſpiam eorum in tanta, quanta ille, pace regnauit; nec vnquam omnino gens illa ita regnum tenuit, vt ſollicita non fuerit, ne hoſtibus ſubderetur: quia in tanta mutabilitate rerum humanarum nulla aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas, vt huic vitæ hoſtiles ne formidaret incurſus. Locus ergo, qui promittitur tam pacatę ac ſecuræ habitationis, æternus non eſt, æternuſque debetur in matre Hieruſalem libera, vbi erit veraciter populus Iſrael. Hoc enim nomē interpretatur, *videns Dominum.* Cuius præmij deſiderio pia per fidem vitæ in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda eſt.

C *Iuxta omnia verba hæc, & iuxta vniuerſam viſionem iſtam ſic locutus eſt Nathan ad Dauid. Cumque veniſſet Rex Dauid, & ſediſſet coram Domino, dixit: Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, vt præſtares mihi talia? Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo: ideoque locutus es ſuper domum ſerui tui etiam in futurum: & feciſti me ſpectabilem ſuper omnes homines, Domine Deus meus.*

Quid eſt, quod Dauid dicit, ſpectabilem ſe eſſe factum à Domino ſuper omnes homines? Quod niſi hyperbolicè dictum accipiatur, ſecundum hiſtoriam omnino ſtare nō poteſt. Secundum allegoriam vero ipſe ibi deſignatur, qui de ſemine Dauid ſecūdum carnem natus eſt, Redemptor videlicet noſter, quem Dominus Pater à mortuis ſu-
Eph. 1. ſcitās exaltauit *& conſtituit ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non tantum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſia, quæ eſt corpus, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Cui & donauit nomen, quod eſt ſuper*
D
Phil. 2. *omne nomen: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur: quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.*

Domine, non eſt ſimilis tui, & non eſt alius Deus abſque te, ex omnibus, quos audiuimus auribus noſtris. Quis autem eſt alius, vt populus tuus Iſrael? Gens vna in terra, ad quam perrexit Deus, vt liberaret & faceret populum ſibi: & magnitudine ſua atque terroribus eiiceret nationes à facie eius, quem de Ægypto liberat? Et poſuiſti populum tuum Iſrael tibi in populum vſque in æternum.

Hoc in loco licet videatur prioris populi egreſſum de Ægypto, & collocationem eius in terra promiſsionis cōmemorare: tamen maiori dignitate populi fidelis liberatio de ſpirituali Ægypto, tranſplantatio ipſius in terras ſanctæ Eccleſiæ ad laudem honorem nominis Domini certiſsime deſignatur. Ipſe enim populus Dei eſt, & verus Iſrael diuino cultui perpetualiter mancipatus. Cæterum antiquus Iſrael, iam honoris & religionis expers, nominis dignitate, & loci poſſeſsione priuatus eſt: maxime
E cum in toto Orbe diſperſus, ſine lege, ſacerdotio atque ſine Dei templi celeberrimo cultu vagetur incertus.

Tu enim Domine Deus meus reuelaſti auriculam ſerui tui, vt ædificares ei domum. Et idcirco inuenit ſeruus tuus fiduciam, vt oret coram te, &c.

Reuelaſti (inquit) auriculam ſerui tui, hoc eſt, in æternum auditum cordis illius inſtruxiſti, quod ædificares ei domum, progeniem videlicet ipſius multiplicando, & ſemen eius dilatando. Inde vtique dediſti ei fiduciam loqui de te, & gloriam tuam ac laudem coram omnibus annuntiando prædicare.

Caput XVIII.

Factum eſt autem poſt hæc, vt percuteret Dauid Philiſtijm, & humiliaret eos, & tolleret Geth & filias eius de manu Philiſtijm percuteretq; Moab, & fierent Moabitæ ſerui Dauid offerentes ei munera.

Filias Geth dicit ciuitates minores, quę ad metropolim pertinebant. Siquidem quinque erant ciuitates inſignes
F Philiſtinorum: hoc eſt, Azotus, Gaza, Aſcalon, Geth & Acaron. Quæ quia in terra repromiſsionis erāt, forte filijs Iſrael deputatæ fuerant: ſed ab eis vſq; ad Dauid minime poſſeſſæ. Imo ipſæ frequenter Iſrael ſibi tributarium faciebant. Porro Dauid humiliauit eas: conuerſa vice quo ante tributum expetebant, fecit ſibi tributarias. Myſticè autem hæ quinq; ciuitates quinq; ſenſus corporis in terra carnis noſtræ poſiti accipi poſſunt: qui quamdiu vetus homo noſter in nobis regnabat, varijs debitis iniuſti tributi nos aſtringebant. Cum autem verus Dauid in nobis regnum accepit: ſubito tributi exactores facti ſunt tributarij; & quicquid in carne noſtra rebelli fuit, ſpiritus imperio ſubiugatum eſt. Quod autē dicit de Moab, quod fierent Moabitæ ſerui Dauid, offerentes ei munera: myſticè ſignificat, quod Chriſtus omnes gentes ſub ſua dominatione tenens facit penſum ſeruitutis ſibi reddere: dum ſingulæ quæque nationes, in nominis eius confeſsione adunatæ deuotè cenſum bonorum operum illi exſoluūt.

Eodem tempore percuſſit Dauid Adadezer, regem Soba, regio-
G *nis Emath: quando perrexit, vt dilataret imperium ſuum vſque ad flumen Eufraten,* &c.

Soba ciuitatem dicunt eſſe Syrię pertinentē ad Emath, metropolim, quæ alio nomine Epiphania dicitur. Quomodo autem Dauid Syriam deuaſtauerit, Ioſephus oſtendit, dicens: *Audiens autem Damaſci Syriæ Rex Addus, quod Dauid expugnaſſet Adazarum; tanquam amicus, ad eius ſolatia cum maximo venit exercitu, eum (ſicut ſperabat) ab oppreſsionem liberaturus: & congreſſus denuo apud Eufraten contra Dauid bello deuictus eſt. Ceciderunt enim, ferientibus eos Hebræis, de exercitu Addi quaſi viginti fere; reliqui vero in fugam conuerſi ſunt.* De quo conſequenter præſens hiſtoria cōmemorat. Myſticè autem Adadezer, qui interpretatur, *decorū auxilium*: Rex Soba, qui interpretatur, *incenſa* vel *conuertens*, ſignificat gentilitatis in ſæuitia naturali feruorem, contra quam Dauid noſter confligebat ac dimicando vincebat: quia
Epheſ. 5. *gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei*, eius expugnauit errores, & conuerſum ad fidem in prædicatione Euangelij decorum effecit auxilium.

Cuius ſubneruauit omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reſeruauit ſibi.

H Quia omne, quod ſibi rebelle per ſuperbiam mētis, & ſublimitatē humanæ ſapientię in ea conſpexit, reſecando, id ſolum, quod oportunum & habile ad opus Euangelicę prædicationis de ſtudijs eius eſſe iudicauit, ſibi reſeruauit.

Superuenit autem & Syrus Damaſcenus, vt auxilium præberet Adadezer, regi Soba. Sed & huius percuſſit Dauid XXII. millia virorum, & poſuit milites in Damaſco, vt Syria quoque deſeruiret ſibi, & offerret munera.

Damaſcus enim, nobilis vrbs Phænicis, eodē vocabulo, quo & Maſech, ancillæ Abraham filius, appellatus eſt. Et Damaſcus interpretatur, *ſublimis* vel *humecta*. Et bene quæ prius humecta libidine ſuper ſpiritu ſanguinem humanum inexplebiliter ſitiebat, nunc mundata baptiſmate Chriſti ſublimis profectu virtutum, ſanguinis eius poculum deſiderat percipere.

Tulit

Digitized by Google

[A] *Tulit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerant ſerui Adadezer, & attulit eas in Hieruſalem.*

Pharetræ aureæ (ni fallor) ſignificare poſſunt dogmata gentilium, in quibus teſtimonia Philoſophiæ humanæ, & diſciplinæ liberales continebantur, quas Dauid myſticus ablatas ab Adalezer, hoc eſt, gentilitate tulit in Hieruſalem; cum huiuſmodi diſciplinas per Doctores ſanctos in ſeruitium Eccleſiæ Catholicæ conuertit. Ibi enim non parum proſunt liberalium artium diſciplinæ ad expugnationem erroris, & ad confirmationem veritatis, ſi pie & ſana fide tractentur. Sequitur:

Necnon & Thebat & Duuni, vrbibus Adadezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea.

Benè ergo ſcriptum eſt, quod Salomon feciſſet mare æneum, & columnas, & vaſa ænea de ære, quod tulit Dauid de Thebath, & Duin vrbibus Adadezer, quia Pacificus noſter venuſtatem pulchræ locutionis de humilitate conuerſæ gentilitatis ad commendandam Baptiſmi gratiam, & [B] firmamentum fidei; prædicationem pij dogmatis in vſum Eccleſiæ ſuæ conuertit. Thebath enim interpretatur, *paruulus venit*; & Duin, *pulchritudo*. Rectè ergo qui paruulum ſe per humilitatem agnoſcit, pulcer & ſpecioſus in decore virtutum efficitur.

Sed & omnia vaſa aurea & argentea & ænea conſecrauit rex Dauid Domino cum argento & auro, quod tulerat ex vniuerſis gentibus, tam de Idumæa & Moab & filiis Ammon, quam de Philiſthijm & Amalech.

Quid autem ſignificat, quod Dauid vaſa aurea, argentea & ærea, quæ tulerat de vniuerſis gentibus, ſanctificauit Domino: niſi quod Chriſtus omnes, quos de vniuerſis gentibus conuocat ad fidem ſuam, alios auri loco, hoc eſt, ſenſu ſpirituali præclaros: alios argenti, hoc eſt, eloquentiæ nitore ſplendentes: alios vero prædicatione diuina ſonores ſanctificat Domino, vt in eius tabernaculo fideliter diſcernentes, ipſius miniſterio in æternum decentiſsime perfungantur.

Abiſai vero filius Saruiæ percuſſit Edom in valle Salinarum decem & octo milia & conſtituit in Edom præſidium, vt ſeruiret Idumæa Dauid, &c.

[C] [2. Reg. 9.] In Regum vero ita ſcriptum eſt: *Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur, capta Syria, in valle Salinarum cæſis XVIII. millibus.* Feciſſe ſibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum, cæſis decem & octo milibus erexit ſibi fornicem triumphalem. Fecit etiam ſibi nomen: qui victa Syria Damaſci, & Syria Soba, erexiſſe ſibi dicitur aduerſum fornicem triumphalem. Et ſi quem mouet, quod in pleriſque latinorum codicibus inuenitur, Dauid nõ decem & octo milia in valle Salinarum, ſed duodecim millia cæcidiſſe: nouerit, hoc vitio ſcriptorum in eiſdem codicibus molitum eſſe. Veraciter tamen Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo milia cæcidit: Ioab vero 12. milia, ſicut in titulo LVIII. pſalmi ſcribitur. Hic autem decem & octo Abizai interfeciſſe perhibetur: & hoc ille feciſſe, quaſi dux fortiſſimorũ militum, intelligitur: ſed propter regalis nominis dignitatem Dauid victoria eſt adſcripta. Quid ni percuſſa à Dauid multitudine in valle Salinarum [D] deſignatur, niſi Redemptor noſter ſui examinis diſtractione in his, qui de illo praua ſentiunt, ſtultitiam immoderati ſaporis extinguit. Vnde per quendam Sapientem [Prou. 17.] dicitur: *Qui peruerſi cordis eſt, non inueniet bonum: & qui vertit linguam ſuam, incidit in malum.*

Regnauit ergo Dauid ſuper vniuerſum Iſrael, & faciebat iudicium & iuſtitiam cuncto populo ſuo.

Quid eſt, quod Dauid legitur feciſſe iudicium & iuſtitiam cuncto populo ſuo, niſi quod Saluator noſter omni populo Eccleſiæ iudicium & æquitatem ſemper impendit? Hiſtoricus enim Dauid non vbique iuſtitiam ſeruauit, quem tranſitio legis reprehenſibilem oſtendit. Verus [2. Reg. 11. & 24.] autem, *qui peccatum non fecit, ſed peccata mundi tollere* venit [1. Pet. 2. Ioan 1.] vniuerſo populo ſuo ita iudicia tribuit, de ſcriptum eſt: [Pſal 10.] *Iuſtus Dominus, & iuſtitiam diligit, æquitatem vidit vultus eius.* [Act. 10.] *Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ſed in omni gente qui timuit Dominum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi.* [Pſal 83.] *Miſericordiam & veritatem diligit, gratiam & gloriam dabit.* [Pſal 71.] *Benedictus Dominus in æternum, à ſeculo & vſque in ſeculum, & dicat* [E] *omnis populus: Fiat, fiat.*

Porro Ioab filius Saruiæ erat ſuper exercitum, & Ioſaphat filius Abiboth à commentariis.

Commentarij, hoc eſt, commemoratores, hi fuerunt, qui, annotatis rebus & cauſis, regi eas ad memoriam deferebant.

Sadoch autem filius Achitob, & Abimelech filius Abiathar, ſacerdotes.

Abimelech filius Abiathar in Paralipomeno ſcribitur, in Regum vero Ahimelech: & interpretatur Abimelech, *Pater meus rex*: Abimelech vero, *frater meus rex*; quoniam [1. Reg. 21.] nominum diſtantiam euentus rerum peperit peperit. Moraliter vero Inſtruit Eccleſiæ ſacerdotes, vt qui propter ordinis dignitatem patris locum tenent, per humilitatem & manſuetudinem atque ſocietatis æqualitatem, fratrum nomine cenſeantur; vt ſciant illud, quod princeps Apoſtolorum paſtores Eccleſiæ in ſua Epiſtola præmonuit, dicens: *Non vt dominantes in clero, ſed vt forma facti* [1. Pet. 5.] *gregis.* [F]

Et Suſa ſcriba, Banaias vero filius Ioiada ſuper legiones Cerethi & Phelethi.

Suſa ſcribitur in Paralipomenon, qui in Regum *Sa-* [4. Reg. 25.] *raia* nominatur: & interpretatur Suſa, *gaudium*; & Saraia, *princeps Domini*. Cerethi autem, *exterminatores*, & Phelethi, *ammirabiles* & *viuificatores* interpretãtur. Hos quidam [Exod. 24.] dicunt fuiſſe ſeptuaginta iudices loco eorum ſubſtitutos, quos Moyſes in heremo præcipiente Domino, delegerat. Alij vero dicunt, Ceretheos adhuc deputatos eſſe, vt pœnam in reis exſoluerent: Phelethæos autem, vt inſontes ab oppreſſoribus defenderent.

Porro filij Dauid primi ad manum Regis.

Hinc in Regum ſcriptum eſt, quod filij Dauid ſacer- [2. Reg. 8.] dotes eſſent; ſed ad vnum ſenſum conuenit vtrumque, quod hic dicit primos ex illis ſacerdotes propter nobilitatem & priotatũ. Hi ſunt enim, qui in Ebron nati ſunt. Myſticè autem filij veri Dauid ſunt quinq; fideles: quos ei aqua & verbo ſancta parit Eccleſia. Hi vero ſacerdotes fiunt, qui membra ſummi ſunt ſacerdotis: qui ſecundum [Pſal. 109.] ordinem Melchiſedech pontifex factus ſempiternum [G] habet ſacerdotium. Vnde Petrus Apoſtolus ſcribens ad [Hebr 7.] credentes ait: *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens* [1. Pet 2.] *ſancta, populus acquiſitionis.* Et item: *Ipſi*, inquit, *tãquam lapi-* [Ibidem.] *des viui, ſuperædificamini domus ſpiritales in ſacerdotiũ ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per Chriſtum Ieſum.* Qui bene *primi ad manum Regis* eſſe dicuntur, quia bonis meritis regi cœleſti appropinquare merentur, in quibus ipſe virtutum ad exemplum alijs mirabilem operatur effectum. Quanto enim quis fide, quæ dilectionem operatur, profecerit; tanto vicinitatem ſummi Regis ſe habere gaudebit.

Capvt XIX.

Accidit autem, vt moreretur Naas Rex filiorum Ammon, & regnaret filius eius pro eo. Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Anon, filio Naas: præſtitit enim mihi pater eius [2. Reg. 10.] *gratiam.*

Naas fuit Rex Ammon, qui in Regum ſcribitur, cum [H] quo primum Saul in defenſione Gabes Galaad pugnauit, & vicit eum. Quia ergo erat inimicus Saulis, idcirco gra- [1. Reg. 11.] tiam præſtabat Dauid, ſiquando ad eum veniebat.

Miſitque Dauid nuncios ad conſolandum eum ſuper morte patris ſui. Qui cum perueniſſent in terram filiorum Ammon vt conſolarentur Anon dixerunt principes filiorum Ammon ad Anon: Tu forſitan putas, quod Dauid honoris cauſa in patrem tuum miſerit, qui conſolarentur te: nec animaduertis, quod, vt explorent & inueſtigent & ſcrutentur terram tuam, venerunt ad te ſerui eius. Igitur Anon pueros Dauid decaluauit & raſit, & præcidit tunicas eorum medias vſque ad inguina, & dimiſit eos.

In Regum ſcriptum, quod raſerit dimidiam partem barbæ eorum, & præciderit veſtes eorum medias vſque ad nates. Sed in Paralipomenon legitur, quod ipſe Anon pueros Dauid decaluauerit & raſerit, & præcideret tu- [2. Reg. 10.] nicas eorum medias vſque ad inguinia. Nec eſt diuerſum,

quod

Digitized by Google

A quod inuenitur: quia quod in vno horum deeſt, in altero habetur. Vnde colligitur eos decaluatos fuiſſe, & barbas raſas habuiſſe. & veſtimenta præciſa ante & retro.

Qui cum abiſſent, & hoc nunciaſſent Dauid, miſit in occurſum eorum: grandem enim contumeliam ſuſtinuerant; & præcepit, vt manerent in Hiericho, donec creſceret barba eorum, & tunc reuerterentur, &c.

Quid autem hæc ſignificant, niſi nequitiam diaboli aduerſus Eccleſiam? Anon enim, qui interpretatur, *dolor eorum*, quis melius intelligi poteſt, quam diabolus: qui Amonitarum ſpiritalium, id eſt, malignorum ſpirituum rector videtur eſſe, populi videlicet mæroris, & ſemper in anguſtia conſtituti, qua comprimere vel coanguſtare homines deſiderat? Radit ergo Anon barbam dimidiam nuntiorum Dauid: cum antiquus hoſtis quorundam prædicatorum Verbi Dei ſermonem vel conuerſationem corrumpendo maculat & dehoneſtat. Præcidit ergo tunicas vſque ad inguina, cum turpia facta, quæ ipſe perſuaſerat, in oculis hominum reuelat. Sed neceſſe eſt talibus, quos diabolus ita confundit, vt ſedeant in Hiericho,
B donec creſcant barbę eorum, id eſt, ſint opprobrium & ignominia meliorum, atque efficiantur anathema omnium, donec per ſtudium bonum barbarum ſpecies, id eſt, virtutum incrementa in eis naſcantur, & digni habeantur præſentia regis ſui. Nec credendum eſt vtique, quod Dauid noſter milites ſuos inultos eſſe patiatur: quin hoſtes ſuos & exercitu congregato ſuperat, & vindicat iniuriam ſuorum, cum non ſolum aduerſarios ſuos nunc per ſanctorum ſuorum victoriam confundit: ſed etiam in extremo iudicio per iuſtam ſententiam perpetuis ignibus cruciandos tradet.

Capvt XX.

F*Actum eſt autem poſt anni circulum eo tempore, quo ſolent reges ad bella procedere, congregauit Ioab exercitum & robur militiæ & vaſtauit terram filiorum Ammon.*

In Hebræo ita legitur: *Eo tempore, quo reges ad bella proceſſerant.* Hos reges dicit, qui proceſſerunt contra Dauid in pugnam: ſcilicet regem Roob & Iſtob & Soba & Ma-
C cha, qui vtrique Reges Syriæ fuerunt & pugnare voluerunt conducti mercede a rege Moab contra Dauid, à quo triumphati eſſe leguntur.

Perrexitque & obſedit Rabba. Porro autem Dauid manebat in Hieruſalem, quando Ioab percuſſit Rabba, & deſtruxit eam. Tulit autem Dauid coronam Melchon de capite eius & inuenit in ea auri pondo talentum, & precioſiſſimas gemmas, fecitque ſibi inde Diadema, &c.

Melchom quippe non nomen proprium eſt Regis: ſed Melchom interpretatur, *rex eorum*. Rex eorum vocatur (vt Hebræi volunt) idolum illorum, quod hic vocatur Melchom. Cuius diadematis aurum & gemmas conflaſſe & purgaſſe dicitur Dauid ſecundum legem; & feciſſe inde ſibi diadema. Tradūt inſuper Hebræi, quia illicitum erat homini Iudæo de idolis aliquid auri appetere & argenti propter legis præcepta, quæ vetant idolatriā: quod Ithai Ethus, qui de gente Philiſtinorum ad Dauid vene-
D rat, diadema diripuerit de capite Methom, vt liceret regi Hebræo de manu hominis capere, quod de capite idoli non licebat. Victoria autem hæc Dauid in Ammonitis, quam dux ſuus bellando inchoauit, ſed ipſe Rex perfecit, quid ſignificat, niſi Regis noſtri victoriam in cunctis gentibus? Dux enim Dauid contra hoſtes bellum agit: cum ordo prædicatorum ſanctorum contra mundipotentes ſcutum fidei opponit: ſed finis certaminis, & triumphus belli ad Regem Chriſtum ſolummodo defertur: quia ipſi
Phil. 2. omnis poteſtas & potētia regni adſcribitur. *Deus eſt enim* (ſecundum Apoſtolum) *qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et ipſe triumphat nos in Chriſto Ieſu.*
2. Cor. 2. Coronam ergo Regis populi hoſtilis Dauid de capite tulit, & ſibimet diadema inde formauit: cum Redemptor noſter ex contraria poteſtate regnum auferens, ſibimet inſigne decorum parauit. Quæ aut melius corona Dauid intelligitur, quam conuentus plebis Catholicæ, quæ caput noſtrum, Regem videlicet Chriſtum, corde credulo nobiliter ambit, & digne conuertans decenter
E coronat? Omnis enim ſanctorum labor & certamen atq; victoria ad honorem cœleſtis Regis refertur: quia ipſe eſt, cui *omne genu flectitur, cæleſtium terreſtrium atque infernorum: & omnis lingua confitetur; quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei* Phil. 2.
Patris. Rabath ergo ciuitas eſt regni Ammon; quæ nunc *Philadelphia* vocatur, cuius meminit & Hieremias Pro- Ier. 49.
pheta. Interpretatur ergo Rabbath, *multi*. Et Saluator in Euangelio dicit: *Quia multi venient ab Oriente & Occidente,* Matth. 8.
& recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum.

Poſt hæc initum eſt bellum in Gazer aduerſum Philiſteos in quo percuſſit Sobochai Vſathites Ziphaim de genere Raphaim, & humiliauit eos.

De hoc bello Ioſephus in libro 7. hiſtoriarum ſuarum ita narrat: *Conuenientibus itaque Paleſtinis in Gazer ciuitatem, audiens hoc Rex miſit ſuper eos exercitum. Intra quos tunc debellator optimus extitit, & probatiſſime dimicauit Sabba Chetthus, qui erat vnus fortiſſimorum Dauid. Hic enim multos hoſtium in-
F tlitum interemit, & prolem gigantum nimis audacia ſua virtutis fortitudinis exultantium ſuperauit, fuitque victoriæ huius auctor apud Hebræos.* Quod autem dicit: *In quo perſecuti Subochi Vſa-* 2. Reg. 21.
thites Ziphaim de genere Raphaim: in Regum ſcriptum eſt de ſtirpe Arapha, quia filij erant Orphe nurus Netui de terra Moab. Et quod *Gazer* in Paralipomenon ſcribitur, in Re- Ibidem.
gum ſcriptum eſt in *Gob*. Nam Gob interpretatur, *lacus* ſiue *locuſta*. Gazer interpretatur, *ordinatio*, hoc ſignificans, ſicut locuſtæ herbam, ita filij Araphæ delebant Iſrael.

Aliud quoque bellum geſtum eſt aduerſum Philiſteos, in quo percuſſit à Deo datus filius ſaltus Bethleemites fratrem Goliath Gethei, cuius haſta lignum erat quaſi liciatorium texentium.

Vbi autem hic ſcriptum eſt: *à Deo datus filius ſaltus*: in Hebræo dicunt . . : . : . . . Eleanan filius Iare, quod interpretatur; *Saltus*. In Regum quoque de hoc bello taliter legitur: *Tertium bellum fuit in Gob contra Philiſteos, in* Ibidem.
quo percuſſit Adeodatus filius Saltus Polimitarius Bethleemites Goliat Getheum, cuius haſtile haſtæ erat quaſi liciatorium texentium. Hebræus ergo de Adeodato ita exponit, dicens: *Gob enim interpretatur, lacus.* Idcirco lacus; quia ſicut in lacum leonum quis mittitur, ita ſemetipſum contra Go-
G liath Dauid miſit. *Adeodatus* ipſe eſt Dauid: idcirco dicitur *Adeodatus*, quia à Deo electus eſt in regnum. *Filius Saltus*, qua de Saltu, vbi oues paſcebat, eſt eductus Polimitarius: quia de genere Beſeled mater eius fuit. *Bethleemites* quia Noemi & Ruth tempore vbertatis reuerſæ ſunt in Bethleem: & quia panis cauſa Ruth Booz nota eſt, propterea idem locus *domus panis* vocatus eſt. Quod verò Adeodatus ipſe ſit Dauid, ſequentia declarant, vbi ait: *Hi nati ſunt de Arepha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid & ſeruorum eius.* Iudæi namque quoque hanc Arepham matrem gigantum, Orpham; nurum Nemi eſſe arbitrantur: ſicut ſupra oſtendimus.

Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longiſſimus, habens digitos ſenos, id eſt, ſimul viginti quatuor: qui & de Rapha ſtirpe generatus fuerat. Hic blaſphemauit Iſrael, & percuſſit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid.

De hoc bello Ioſephus ita ſcribit: *Paulo ſiquidem tempore Paleſtini quieſcentes, denuo caſtra poſuerunt circa ciuitatem; quæ erat non longe à finibus Hebræorum: eratque inter eos vir proceritate quidem ſex cubitorum, habens etiam digitos in vtro-
H que pede, necnon & manu, vno plus quam ſolet natura conceſſiſſe hoc eſt, ſenos: contraque murum de exercitu Dauid Ionathes filius Samei pugnans, eo deuicto, totius victoriæ effectus maximæ gloriæ culmen accepit. Nam & ille Paleſtinus gloriabatur ſe de prole gigantum exiſtere: poſt quam pugnam nequaquam contra Iſraelitas habuere certamina.* Et notandum, quod in Paralipomenon tria bella principalia Dauid contra Philiſteos Scriptura numerat: in Regum verò quatuor. Quia ibi quartum bellum eſt, quod & in primo ponitur, vbi Dauid contra Philiſteos prælantem Ieſbi de 1. Reg. 21.
Nob, qui fuit de gente Arapha, cuius haſta trecentas vncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo, niſus eſt percutere: præſidioque ei fuit Abiſai filius Saruiæ, & percuſſum Philiſteum interfecit. Sed ad vnam ſignificationem vtrique numeri, hoc eſt, ternarius atque quaternarius poſſunt aptari: Tres enim ſunt diſtinctiones tempo-

A porum, hoc eſt, præteritum, præſens & futurum. Similiter & quatuor viciſſitudines, hoc eſt, ver, æſtas, autumnus, & hyems diuidunt annum. Quid quatuor bella iſta Dauid & ſeruorum eius contra Paleſtinos ſignificant, niſi bellum Chriſti, quod omni tempore iſtius vitæ in membris ſuis contra perfidos quoſque iſtius ſeculi, & contra ſpiritales nequitias inceſſanter agitur? Licet enim faſtus mundanus, vel proteruitas malignorum ſe erigat contra Eccleſiam Dei Chriſti: omnis tamen principatus aduerſariorum, vero Dauid, hoc eſt, rege Chriſto imperante, ac prælia ſeruorum ſuorum diſponente, cedit, & omnes aduerſarij vincuntur, proſternuntur atque ad nihilum rediguntur. Vnde Pſalmiſta ex perſona Eccleſiæ
Pſal. 59 confidenter dicit: *Vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Caput XXI.

B *Conſurrexit autem Sathan contra Iſrael, & incitauit Dauid, vt numeraret Iſrael. Dixitque Dauid ad Ioab & ad principes populi:*
2. Reg. 24. *Ite & numerate Iſrael à Berſabee, vſque Dan & afferte mihi numerum vt ſciam. Reſponditque Ioab: Augeat Deus populum ſuum centuplum, quam ſit. Quare hoc quærit Dominus meus rex, quod in peccatum reputetur Iſraeli? Sed ſermo regis magis præualuit, Egreſſuſque Ioab, & circumiuit vniuerſum Iſrael, & reuerſus eſt Ieruſalem.*

Quomodo dicit, exquiſitionem numeri, quem Rex facere iuſſit, in peccatum reputari Iſraeli: cum præuaricatio ibi magis videatur eſſe regis, quam plebis? Sed pecca-
Rom. 5. tum mortem dicit, *quæ cauſa peccati primum venit in mundum.* Hæc ergo in populo tantum graſſata eſt. At tamen ſciendum, quod pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium: vt pro malo gregis etiam viri boni
1 Reg. 13. delinquat vita paſtoris. Ille enim, Deo atteſtante laudatus: ille ſupernorum myſteriorum conſcius Dauid Propheta tumore repentino elationis inflatus, populum numerando, quod peccauit: & tamen vindictam populus, Dauid peccante, ſuſcepit: Cur hoc? Quia videlicet ſecundum meritum plebium diſponuntur corda rectorum. Iuſtus vero iudex ex ipſorum animaduerſione corripuit peccantis vitium, ex quorum cauſa peccauit. Sed
C quia ipſe (ſua ſcilicet voluntate ſuperbiens) à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ ſuæ etiam ſuſcepit. Nam ira ſæuiens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore proſtrauit. Certe verum eſt, quod ita ſibi inuicem & rectorum merita connectantur, & plebium: vt ſæpe ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex merito plebium mutetur vita paſtorum. Sed quia rectores habēt iudicem ſuum; magna cautela ſubditorum eſt, non temere vitam iudicare regentium. Neque enim fruſtra per ſemetipſum
Matth. 21. Ioan. 2. Dominus *nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas euertit*: nimirum ſignificans, quia per magiſtros quidem vitam iudicat plebium, ſed per ſemetipſum examinat magiſtrorum. Quamuis etiam ſubditorum vitia, quæ à magiſtris modo vel diſſimulantur iudicari, vel nequeunt, eius procul dubio iudicio reſeruantur. Igitur dum ſalua fide res agitur, virtutis eſt merito, ſi, quicquid
D prioris eſt, tolleretur. Debet tamen humiliter ſuggeri, ſi fortaſſe valeat, quod diſplicet, emendare. Sed curandum ſummopere eſt, ne in ſuperbiam transeat iuſtitiæ inordinata defenſio: ne, dum rectitudo incautè diligitur, ipſa magiſtra rectitudinis (humilitas) amittatur: ne eum ſibi præeſſe quiſque deſpiciat, quem fortaſſe contigit, vt in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem ſuperbiæ ſubditorum mens ad cuſtodiam humilitatis edomatur, ſi infirmitas propria inceſſanter attēditur. Has vires noſtras veraciter examinare negligimus: & quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos, qui nobis prælati ſunt, diſtrictè iudicamus. Quo enim noſmetipſos minus agnoſcimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Singula hæc mala ſunt, quæ à ſubditis ſæpe in prælatos, & ſæpe à prælatis committuntur: quia & omnes ſubditos hi, qui præſunt, minus, quam ipſi ſunt, ſapientes arbitrantur: & rurſum qui ſubiecti ſunt, rectorum ſuorum actiones iudicant, & ſi ipſos regimen tenere contingeret, ſe potuiſſe agere melius putant. E Vnde plerumque fit, vt & rectores minus prudenter ea, quæ agenda ſunt, videant, quia eorum oculos ipſa nebula elationis obſcurat: & nonnunquam is, qui ſubiectus eſt, hoc, cum prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri ſubiectus arguebat: & pro eo, quod illa, quæ iudicauerat, perpetrat, ſaltem quia iudicauit, erubeſcat. Igitur ſicut prælatis curandum eſt, ne eorum corda æſtimatione ſingularis ſapientiæ locus ſuperior extollat: ita ſubiectis prouidendum eſt, ne ſibi rectorum facta diſpliceant. Si autē magiſtrorum vita iure reprehēditur, oportet vt eius ſubditi, etiā cum diſplicet, magiſtrum venerentur. Sed & hoc eſt ſolerter intuendum, ne quem imitari deſpicis, venerari contemnas. Subtilis etenim vita tenenda eſt rectitudinis & humilitatis: vt ſic reprehenſibilia magiſtrorum facta diſpliceant, quatenus ſubditorum mens à ſeruanda magiſterij reuerentia non recedat.

Deditque Dauid numerum eorum, quos circumierant: & inuentus eſt omnis Iſrael numerus mille millia, & centum millia F *educentium gladium. De Iuda autem trecenta ſeptuaginta millia bellatorum. Nam Leui & Beniamin non numerauit, eo quod inuitus exequeretur regis imperium.*

In Regum vero ita ſcriptum eſt: *Dedit ergo Ioab numerum* 2. Reg. 24. *deſcriptionis populi Regi. & inuenti ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quinquaginta millia pugnatorum.* Aſſerunt autem Hebræi, quod hic numerus, qui in Paralipomenon legitur, (hoc eſt, de Iſrael mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: & de Iuda trecenta millia pugnatorum) inuentus ſit à Ioab: ſed ſummam illius noluiſſe oſtendere ſcriptorem, niſi inquantum in Samuelis libro ſcribitur: quia ibi tantummodo ſuperſtites cædi angelicæ continentur. Quod autem dicit, Leui & Beniamin non eſſe numeratos: Leui non numerabatur propter ſacerdotij dignitatem, quia præcellebat; & Beniamin, quia recenti tempore fraterno gladio pene vſque ad internecionem corruerat.

Diſplicuit autem Domino, quod iuſſum erat, & percuſſit Iſrael. Dixitque Dauid ad Dominum: Peccaui nimis, vt hoc facerem. Obſecro Domine, aufer iniquitatem ſerui tui: quia inſipienter egi. G *Et locutus eſt Dominus ad Gad videntem Dauid, dicens: Vade & loquere ad Dauid, & dic ei. Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do: vnum quod volueris, elige, vt faciam tibi. Cumque veniſſet Gad ad Dauid, dixit ei: hæc dicit Dominus; Elige, quod volueris: aut tribus annis peſtilentiam: aut tribus menſibus fugere te hoſtes tuos, & gladium eorum non poſſe euadere: aut tribus diebus gladium Domini & mortem verſari in terra, & Angelum Domini interficere in vniuerſis finibus Iſrael. Nunc ergo vide, quid reſpondeam ei, qui miſit me. Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me anguſtiæ premunt: ſed melius eſt mihi, vt incidam in manus Domini: quia multæ ſunt miſerationes eius, quam in manus hominum. Miſit ergo Dominus peſtilentiam in Iſrael, & ceciderunt de Iſrael LXX. millia virorum* &c.

In Regum libro ſcriptum eſt ita: *Percuſſit autem Dauid* 2. Reg. 24. *cor, poſtquam numeratus eſt populus, & dixit Dauid ad Dominum Peccaui valde in hoc facto. Sed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egi nimis*, & reliq. H Vbi notandum, quod ideo Dauid in numerando populum Dominum dicitur offendiſſe, quia legis præcepta in eo non obſeruauit. Nam & in libro Numerorum Dominus legitur Moyſi ita præcepiſſe: *Tollite ſummam vniuerſæ congrega-* Num. 1. *tionis filiorum Iſrael, per cognationes & domos ſuas nomina ſingulorum; quicquid ſexus eſt maſculini à XX. anno & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſrael, & numerabitis eos per turmas ſuas tu & Aaron.* Quia vero Dauid generaliter iuſſit omnes numerari, & infra XX. annos, & ſupra XX. annos: idcirco indignationem Dei expertus eſt. Idem quoque in libro Exodi ita ſcriptum eſt: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Quando tuleris ſummam filiorum* Exod. 30. *Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli precium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. ſiclus viginti habet obolos. Media pars ſicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à XX. annis & ſupra, dabit pretium. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper*

nihil

Digitized by Google

A *nihil minuet. Suſceptamque pecuniam, quæ collata eſt à filiis Iſrael, trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit in momentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Hoc ergo oblitus Dauid facere, idcirco offendit Dominum, & ob hoc plaga venit in Iſrael. Nec prætereundum, quod huius loci mentionem faciens Ioſephus ita refert, dicens: *Prophetis itaque declarantibus Dauid, quod ei Deus iraſceretur, ſupplicare cœpit, eumque rogare, vt propitius eſſet & veniam peccati concederet. Tunc ergo Gad Prophetam miſit ad eum Deus tres ſupplicij conditiones portantem: vt, earum quam probaret, eligeret: vtrum vellet famem in prouincia generari annis tribus, aut tribus menſibus pugnando vinceretur ab hoſtibus; an certe morbus & languor accideret in diebus Hebræis. Ille vero in anxietatem huius electionis omnium rerum peſſimarum incurrens tribulabatur & vehementer animo videbatur eſſe confuſus. Cumque Propheta diceret; hoc omnimodis imminere, & reſponſum velociter exigeret, vt electam ab eo conditionem renunciaret; cogitans Rex, quia, ſi famem eligeret, contra alios hoc facere videretur; quando ipſe quidem habens multa frumenta,* B *non pateretur inopiam, reliquis vero eſſet anguſtia. Item ſi eligeret trium menſium victoriam hoſtium, ipſe quidem habens circa ſe viros fortiſſimos & cuſtodes, nihil omnino metueret, nec vero eius exercitus ſubiaceret: inter hæc autem communem potius paſſionem & regum & ſubiectorum elegit, in qua timor omnibus eſt æqualis, dicens: quia melius in Dei magis quam in hoſtium manus incidere. Hæc audiens Propheta renunciabat Deo, qui morbum & interitum miſit in exercitum Hebræorum. Moriebatur enim non vno modo, vt facile languor potuiſſet agnoſci. Sed mors quidem hominibus multorum languorum occaſionibus, & quæ non poſſent cognoſci, facile periebant. Alius enim ſuper alium moriebatur, & latenter imminens malum velociter ferebat interitum. Alij ſiquidem perire cum vehementibus doloribus, & amore gemitu animam relinquebant. Alij vero ipſis paſſionibus inardeſcebant: ita vt neque curam exhibere corporibus prævalerent, ſed pro labore deficerent. Alij autem, repentinis tenebris eorum conatus abripientibus, ſuffocati protinus expirabant. Alij ſuper mortuos, quos ſepeliebant, ipſi quoque moriebantur, imperfectas relinquentes pariter ſepulturas. Incipiente itaque peſtifero languore eos ab hora matutina perimere vſque ad horam prandij conſummata ſunt milia LXX.*
C Quod autem dicit, LXX. milia virorum interfecta fuiſſe de Iſrael; hic capita tantummodo plebis, & ſeniores numerati ſunt. Cæterum de omni populo tot millia interfecta Hebræi affirmant, quot milibus ille numerus, qui in Paralipomenon ſcribitur, eum, qui in Regum comprehenſus eſt, excedit. Aiunt enim, quod in Paralipomenon & hi, qui remãſerant & hi, qui interfecti ſunt, ſimul ſint numerati. In Regum vero in VI. tantum denotati, ſicut ſuperius demonſtratum eſt.

Miſit quoque Angelum in Hieruſalem, vt percuteret eam. Cumque percuteretur, vidit Dominus & miſertus eſt ſuper magnitudine mali, & imperauit Angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam ceſſet manus tua.

Quod autem dicitur, Dominum vidiſſe & miſertum eſſe: aiunt Hebræi, Sadoch ſacerdotem infulatum Dominum deprecatum fuiſſe: & imitatum fuiſſe Aaron patrem ſuum: & illius preces & deuotionem Dominum vidiſſe & miſertum fuiſſe.

D *Porro Angelus Domini ſtabat iuxta aream Ornam Iebuſei, leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit Angelum Dei aſtantem inter terram & coelum, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Hieruſalem, & ceciderunt tam ipſe, quam maiores natu Iſrael veſtiti ciliciis proni in terram. Dixitque Dauid ad Dominum: Nonne ego ſum, qui iuſſi, vt numeraretur populus? Ego, qui peccaui: ego, qui malum feci. Iſte grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur (obſecro) manus tua in me & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. Angelus autem Domini præcepit Gad, vt diceret Dauid, vt aſcenderet, exſtrueretque altare Domino Deo in Area Ornan Iebuzei, &c.*

2. Reg. 24. In Regum quoque ita ſcriptum eſt: *Erat autem Angelus Domini iuxta aream Iebuſæi, &c.* Denique *Area vna* interpretatur, *archa* & *Ornan* latine reſonat, *lumen nobis*. Bene ergo Dauid cum Dominum pro offenſa, qua peccauit, vellet placare, altare iubetur in Areuna vel Orne conſtruere, vt inde vnuſquiſq; coniiciat; quia aliter diuinitas ab homine placari non poteſt, niſi in area cordis ſui per lumen E rectæ fidei & veræ dilectionis altare illi deuotè humilitatis conſtituat, in quo ſacrificium piæ confeſſionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod rectè per eundem Prophetam in Pſalmis manifeſtatur, vbi dicitur ex perſona Domini: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et item; *Sacrificium*, inquit, *Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Area Areuna, vel area Orne, ipſa eſt videlicet Hieruſalem. Pſal. 49. Pſal. 50.

Dedit ergo Dauid Ornan pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos. & ædificauit ibi altare Domino, obtulitque holocauſta & pacifica.

In regum vero ita ſcriptum eſt: *Emit ergo Dauid aream & boues argenti ſiclis quinquaginta.* Vnde Hebræi autumant intelligi debere, in hac diuerſitate numerorum, boues argenti ſiclis quinquaginta, aream vero ſexcentis auri emptam eſſe. Alij autem dicunt in hac diſtantia emptionis, id, quod in libro Regum ibi tantum quinquaginta ſiclis area empta eſſe commemoratur, ſolummodo exprimere locum altaris, vbi obtulit holocauſtum: Illud F vero, quod in paraliopomenon narrat, ſexcentis ſiclis auri comparatam aream, locum ſignificare totius templi, in quo Salomon poſtea templum ædificauit & atria eius. 2. Reg. 24.

Et inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de coelo ſuper altare holocauſti.

Sub Moyſe tantum & Dauid & Salomone & Elia ſuper altare aſcendit ignis è cœlo. Sub Manue autem Angelus de petra erupit in flamma. 3. Reg. 18. Iud. 3.

Præcepitque Dominus Angelo, & conuertit gladium ſuum in vaginam. Protinus ergo Dauid videns, quod exaudiſſet eum Dominus in area Ornan Iebuſæi: immolauit ibi victimas. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon; & non præualuit, Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Dominum; nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.

Debuerat enim Dauid (iuxta id, quod in lege præceptum eſt) in altari Domini coram tabernaculo fœderis hoſtias immolare: ſed propter repentinum caſum ſpacium illuc pergendi non habuit, ſiue etiam in mentem G illi non occurit. Gladium ergo Angeli Domini plagam mortis dicit, quam Dominus Angelico miniſterio in homines miſit. In Exodo ergo legitur Dominus deſcendiſſe in Ægyptum, & peremiſſe primogenita Ægyptiorum: ſed & hoc per miniſterium angelicum, ſicut & iſtud, factum creditur: quia diuinitas non localiter mouetur, ſed ex ſemetipſa ſemper idem manens æterna poteſtate omnia diſponit, regit & gubernat. Exod. 12.

CAPVT XXII.

D*ixitque Dauid: Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael. Et præcepit, vt congregarẽtur proſelyti de terra Iſrael, & conſtituit ei latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Domini.*

In illo ſiquidem loco (vt Hebræi autumant) aliquando contigerat Abraham offerre ſuum filium Iſaac: quando, cum iam paratus eſſet occidere filium & in holocauſtum exhibere, improuiſo aries apparuit & altare circũſtetit, quem Abraham pro filio (ſicut prædiximus) immo- H lauit. Congregatus proſelytis de terra Iſrael, latomos ad cindendos lapides & poliendos Dauid conſtituit: quia de terra Eccleſiæ artifices domus Dei Redemptor noſter elegit, qui inconditos mores hominum ſecuri Scripturarum cæderent, & dolabra verbi Dei eos polirent: quatenus aptè in ædificatione ſpirituali ſibi inuicem per iuncturas diuerſas fidei & charitatis cõuenirent, iuxta illud, quod per Oſee dicitur: *Dolaui in Prophetis, & occidi in verbis oris mei; & iudicia mea, quaſi lux, egredietur. Quia miſericordiam volo, & non ſacrificium; & ſcientiam Dei plus, quam holocauſtum.* Gen. 22. Oſe. 22.

Ferrum quoq; plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras atq; iuncturas præparauit Dauid; & æris pondus innumerabile. Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij & Tyrij deportauerunt ad Dauid.

Quid eſt, quod Dauid Salomoni filio ſuo præparauit

A ſumptus ad ædificium domus Dei: niſi quod Patres Ve-
Rom. 9. teris Teſtamenti, *ex quibus Chriſtus ſecundum carnem origi-
nem duxit*, docendo atque operando inſtrumenta com-
petentia ad ædificationem ſpiritalis ædificij parabant; vt
veniente ipſo Rege noſtro, vere ſcilicet Pacifico, eorum
ſupplementis, hoc eſt, eorum atteſtationibus fidem con-
firmaret Euangelij, & Eccleſiam ſuam varijs ornamen-
tis Scripturarum decoraret. Præparauit quoque ferrum
plurimum ad clauos ianuarum, & ad omiſſuras atque
cuncturas, cum fidei firmitatem ſacris dogmatibus or-
dinauit: quatenus intrantes in Eccleſiam timoris Dei
aculeis configerentur, & dilectionis & ſocietatis fœde-
re per eandem fidem inuicem necterentur. Vnde idem
Pſal. 118. Pſalmiſta precatur Dominum dicens: *Confige timore tuo
carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Et alibi de ipſa ſpe-
Pſal. 121. ciali Hieruſalem loquitur, dicens: *Hieruſalem, quæ ædifi-
catur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum.* Et paulo
poſt: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*
B Præparauit & æs, cum lectiones ſonoræ & cantica ſpi-
ritalia ab ipſis ſanctis Patribus ad inſtructionem ſanctæ
Eccleſiæ condita ſunt. Præparauit & ligna cedrina,
cum viros virtutibus claros in ipſis Scripturis ſuis ad ex-
emplum fidelium inſeruerunt: quales fuerunt Abel,
Enos, & Enoch, & Noe, & Abraham, & cæteri Patriar-
chæ; qui ambulauerunt cum Domino, & tranſlati ſunt
à mundo, quorum iuſtitiæ obliuionem non acceperunt:
Act. 7. qualis Moyſes & Prophetæ, *qui prænuntiauerunt de aduentu
iuſti*, & pijs dogmatibus ſacramenta, quæ nunc ſalubri-
ter ſancta tenet Eccleſia, præconiati ſunt, quales & cæ-
Heb. 11. teri Iuſti, *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam,
adepti ſunt repromiſſionem.* Hæc ergo ligna Sinodij & Tyrij
ad Hieruſalem detortmauerunt, quia non ſolum prædi-
cantibus Apoſtolis & primus de Iudæa Euangelij diſ-
penſatoribus, verum etiam ipſis doctoribus, qui de gen-
tium populo ad opus verbi electi ſunt tales viri ad noti-
tiam Eccleſiæ peruenerunt: vt eorum documentis atque
exemplis domus Dei cottidie ex viuis lapidibus con-
ſtrueretur.

*Et dixit David: Salomon filius meus paruulus puer eſt & de-
licatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis eſſe de-*
C *bet, vt in cunctis regionibus nominetur. Præparabo ergo omnia
neceſſaria. Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præpa-
rauit impenſas. Vocauitque Salomonem filium ſuum, & præ-
cepit ei, vt ædificaret domum Domini Deo Iſraël.*

Quod autem Dauid Salomon filium ſuum puerum
paruulum eſſe dicit & delicatum, domum autem, quam
ædificare diſpoſuerat, magnam futuram: ſignificat,
quod temporibus veteris Teſtamenti obſcura fuit no-
titia incarnationis Chriſti ad æquiparationem verita-
tis Euangelij: in qua omnia ſunt manifeſtè declarata,
quæ in lege per figuram fuere denotata: ſiue etiam, quod
eo tempore paruus numerus fuerit credentium, qui
membra ſunt CHRISTI, ad comparationem fide-
lium, qui futuri erant ſub Nouo Teſtamento. Tunc
Pſal. 75. enim fuit, quod ſcriptum eſt: *Notus in Iudæa* (tantum)
Pſal. 85. *Deus, & in Iſrael magnum nomen eius:* & nunc, quod idem
Propheta in alio Pſalmo præcinebat, dicens: *Omnes gen-*
D *tes, quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te, Domi-
ne, & glorificabunt nomen tuum: quoniam magnus es tu, & fa-
ciens mirabilia. Tu es Deus ſolus.* Et ob hanc cauſam ante
mortem ſuam omnes parauit impenſas: cum quomo-
do ſancti viri, virtutibus ac ſapientiæ decore præclari,
in ædificium ſpiritale domus Dei pertinerent, lex &
Prophetæ æqualiter prædicendo demonſtrabant. An
non Moyſes impenſas domus Dei præparauit, qui ad
Deut. 10. filios Iſrael in Deuteronomio locutus eſt, dicens: *O Iſrael,
quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum
Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac ſer-
uias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima
tua, cuſtodiaſque mandata Domini, & ceremonias eius? Fi-*
Deut. 14. *lij eſtote Domini Dei veri. Non vos incidetis, nec facietis cal-
uitium ſuper mortuo: quoniam populus ſanctus es Domino
Deo tuo.* Sic & Eſaias, numquid enim ſumptus præpa-
rauit ad conſtruendum Domum Dei, qui futuro po-
pulo credentium per prophetiæ ſpiritum ex perſona

Domini ait: *Audi Iacob ſerue meus, & Iſrael, quem elegi.* E
Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab vtero auxiliator Eſa. 44.
*tuus: Noli timere Iacob ſerue meus, & rectiſſime, quem elegi: ef-
fundam enim aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam.
effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, benedictionem
meam ſuper ſtirpem tuam.* Et iterum: *Muri*, inquit, *tui coram* Eſai. 49.
*oculis meis ſemper. Venerunt ſtructores tui, deſtruentes te, & diſ-
ſipantes à te exibunt. Leua in circuitu oculos tuos, & vide:
omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Domi-
nus, quia omnibus his, velut ornamento, veſtieris & circunda-*
bis tibi eos, quaſi ſponſa. Et alibi: *Habitabo*, inquit, *in illis, &* Leuit. 26.
*ambulabo in eis: & ipſi erunt mihi populus, & ego ſum eis in
Dominum.* Hinc & Hieremias ait: *Ecce dies venient, di-*
cit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus Ier. 31.
*nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus ve-
ſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos
de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego do-
minatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod
feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo*
legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam F
*eam: & ego ero eis in Dominum, & ipſi erunt mihi in popu-
lum: & non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem
ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me
à minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus: quia pro-
pitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum non memora-
bor amplius.* His ergo omnibus teſtimonijs demonſtra-
tur, domum cœleſtis ædificij longo tempore ante eſſe
prædictam: ſed in aduentu CHRISTI Domini no-
ſtri veraciter eſſe completam: quia ipſe veniens per
ſe benedictionem tribuit, qui ante legem dedit per
ſeruum, & ſui notitiam per Euangelij prædicationem,
illuſtrante Spiritus ſancti gratia, ſine perſonarum acce-
ptione omnibus contulit: nunc ſcilicet in fide, poſtmo-
dum autem in ipſius veritatis contemplatione.

*Dixitque Dauid ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit,
vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei: ſed factus eſt ſer-
mo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & pluri-
ma bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto
effuſo ſanguine coram me.*

Quid eſt, quod Dauid dicit, ſibi interdictam à Domi- G
no domus Dei ædificationem propter multi ſangui-
nis effuſionem, niſi quod demonſtrat Iudæos propter
carnalem obſeruantiam legis, ac ſanguinolenta opera,
victimarum corporalem mactationem, non poſſe Spi-
ritalis ædificij templum Domino reparare? Dum enim
attenti appetebant terrena, minus ſolliciti fuerant ad
quærenda cœleſtia. Siue etiam ſignificat, ipſos Iudæos,
qui pollutas manus habebant ſanguine Prophetarum
ac ipſius Domini; non poſſe propter ferocitatem cordis
ſui, Chriſti agnoſcere pietatem, qui *venit in hunc mundum* 1. Tim. 1.
peccatores ſaluos facere, credentes in ſe ab omni labe pec-
cati mundare, *& facere ſibi populum acceptabilem, ſectatorem* Tit. 2.
bonorum operum. Vnde ipſa Veritas in Euangelio eidem
populo ſub nomine Hieruſalem improperat, dicens: *Hie-*
ruſalem. Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad Matth. 23.
*te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum
gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, et noluiſti? Ecce re-
linquitur vobis domus veſtra deſerta.* Hæc ergo dignitas veri
Dei templi ædificandi Pacifico noſtro reſeruata eſt: de H
quo ad Dauid ipſe Dominus ait:

*Filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus; faciam enim eum
requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, et ob hanc cau-
ſam pacificus vocabitur, et pacem et otium dabo in Iſrael cunctis
diebus eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, et ipſe erit mihi in
filium, et ego ero illi in patrem. firmaboque ſolium regni eius ſuper
Iſrael in æternum.*

In Pſalmo ſeptuageſimo primo (cui titulus eſt, *Pſalmus
in Salomonem*) manifeſtis myſterijs Pacifici noſtri, hoc eſt,
Domini Ieſu Chriſti Propheta Dauid prænuntiat aduen-
tum, vbi inter alia dicit: *Orietur in diebus iuſtitia et abun-
dantia pacis, donec extollatur Luna.* Et ſic quoque. Orietur
in die in tempore ſanctæ incarnationis: quando erat
partu Virginis naſcitura. Iuſtitia enim Verbum Patris
eſt, quod omnem creaturam & temporalia fecit vni-
uerſa, de quo legitur: *Veritas de terra orta eſt, et iuſtitia de* Pſal. 84.

cælo

A *cælo proſpexit.* Addidit: *Et abundantia pacis, donec extollatur Luna.* Et hic quoque ſubaudiendum eſt: *orietur.* Abundantia ergo Patris eſt, dum religio Chriſtianorum toto orbe dilatatur: *donec extollatur luna,* dixit, id eſt, quamdiu protendatur & augeatur Eccleſia, aut conſtitutus prædeſtinatorum numerus compleatur. Et paulo ante in eo- *Ibidem.* dem Pſalmo: *Suſcipiant,* inquit, *montes pacem populo tuo.* Per *montes* ſignificantur Apoſtoli & Prophetæ, qui ad ſuperna firmiter eleuati cœleſti gratiæ proximant. Illi ergo tales pacem, id eſt, Chriſtum ſuſcipiunt fidei populo prædicandum. Ipſe enim Domini populus eſt, qui ei credidit, & ſpirituali ſe conuerſatione tractauit. De hoc pa- *Eſai. 9.* cifico Eſaias ita ſcribit, dicens: *Paruulus enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius: vocabitur nomen eius, Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius impe-* *Epheſ. 2.* *rium, & pacis non erit finis. Ipſe eſt pax noſtra* (iuxta Pauli atteſtationem) *qui fecit vtramque vnum;* qui in Euangelio di- *Ioan. 14.* ſcipulis ait: *Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis.* B Qui veniens in mundum, *pacem prædicauit his, qui prope, &* *Epheſ. 2.* *pacem his, qui longe fuerunt, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem.* Ipſe (inquit) ædificabit do- *Heb. 3.* mum nomini meo: *quæ* (teſtante Apoſtolo) *domus ſumus nos, ſi fidem firmam vſque ad finem retinuerimus.* Vnde memoratus gentium Apoſtolus ad ipſas gentes ſcribens ait: *Epheſ. 2.* *Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & Domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino; in quo & vos ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Et ipſe (inquit) erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem, firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum. Huic ſententiæ concordat Pſalmus octogeſimus octauus, vbi ex perſona Domini ita ſcriptũ eſt: *Ipſe inuocauit me: Pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ: & ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi: & ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.* Et hoc à forma ſerui dicitur. C In his quatuor verſibus abſolutè debellatur iniquitas Iudæorum & hæreticorum. Quid enim euidentius, quid planius, vt eſſe credatur filius, qui inuocat patrem: & rurſum credatur eſſe puer, qui appellat filium? Nam quamuis hæc duo nomina relatiua ſibi ſint, vnumque ſufficiat dici, vt amborum virtus poſſit intelligi: tamen vt omnem ſcrupulum ambiguitatis excluderet, vtraque poſuit, vtraque firmauit: & adhuc non deſinit Iudæorum inſana deuiare proteruia, dum erroris fuit cauſa ſublata. Quod autem ſequitur: *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ:* perſcrutandum & nobis eſt, quare dixit, *primogenitum:* quaſi verò Pater ſic genuit ſubſtantialiter Filium, vt ſubſequeretur & alius. Et hoc locutionis genus Scripturæ diuinæ conſtat eſſe proprium: ſicut eſt & illud in Euangelio de Ioſeph & Maria, vbi ait: *Matth. 1.* *Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Nunquid conſequens erit, vt virgo ſemper Maria poſt Dominum Chriſtum, alterum peperiſſe filium credatur? Sed bene dicitur *primogenitus:* quamuis ſolus pro- D betur ex Patris ſubſtantia genus. Ipſe enim dicit: *Ego ſum alpha & omega, nouiſſimus & primus:* initium & finis, princeps & origo *Dauid:* vt merito ſermo iſte quæſtionem habere non debeat, quando ipſum & principium eſſe conſtat & finem. Ponam, conſtituam (dicit: ſicut in ſecundo Pſalmo ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*) *excelſum præ regibus terræ:* ſicut in ſeptuageſimo primo Pſalmo dictum eſt: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ.* In æterternum (inquit) ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et hoc à forma dicitur ſer- *Matth. 28.* ui: quia miſericordiam Patris æterno videlicet honore ſuſcepit, cui perpetua data eſt poteſtas in cœlo & in terra. Teſtamentum vero fidele eſt illi, quando quæcumque Prophetæ de ipſo prædixerũt, integerrima veritate completa ſunt. *Et ponam* (inquit) *in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.* Seculum ſeculi ſignificat æternitatem. Semen vero Dauid Chriſtus eſt Dominus, qui in æterna gloria collocatur, regnat cum Patre & Spiritu B ſancto per omnia ſecula ſeculorum. Thronus autem eius, poteſtas eſt futuri iudicij: quæ tanta veritate peragenda eſt, vt ſanctis omnibus cœleſti claritate præfulgeat. Sciendum ſane, alios eſſe dies iſtos, qui ſibi vicaria reuolutione ſuccedunt; & illum futurum, qui continua luce perpetuus eſt: de quo in octogeſimo tertio Pſalmo dictum eſt: *Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper milia.* Aut merito dies cœli ſit dictus, qui obiectu telluris tenebras non poteſt habere nocturnas.

Ecce ego in paupertatula mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum milia, & argenti mille millia, talentorum æris vero & ferri non eſt pondus: vincitur enim numerus multitudine. Ligna & lapides præparaui ad vniuerſa impendia.

Quod Dauid in paupertate ſe dicit impenſas domus Domini præparaſſe, licet hæc verba humilitatem eius inſinuent: tamen figuraliter ſignificant indigentiam literæ legalis, quæ ſcientiæ multiplici deſeruit noui Teſtamenti: Nam ipſa propter infirmitatem & inutilitatem F eius *nihil ad perfectum adduxit:* ſicut Apoſtolus teſtatur, di- *Heb. 7.* cens: *Lex enim eſt exemplar verorum atque cæleſtium, vmbram* *Heb. 10.* *habere futurorum bonorum, non ipſa exprimens imaginem re-* *Gal. 4.* *rum:* quam & *elementum huius mundi* alibi nuncupauit. *Col. 2.* Omnis enim res terrena ſi comparetur cœleſtibus, & temporalia ſi adequentur æternis; quaſi parua eſſe videntur. Et tamen ſtructura, quæ in altum ſurgere nititur, & in imo fundamenta collocet neceſſe eſt, & ſic ad excelſiora prouehatur. Præparauit Dauid impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: cum patres veteris Teſtamenti in ſcriptis ſuis & ſenſus profunditatem, & eloquij venuſtatem copioſe inſerebant, quorum etiam perfectionem perfecti numeri demonſtrant. Centenarium ergo numerum & millenarium perfectos nemo eſſe ambigit. Similiter & in talenti nomine, quod cæteris ponderibus magnitudinis præminet, perfectio eiuſdem rei oſtenditur. Quod vero æris & ferri dicit non eſſe pondus: ſignificat, diuinorum teſtimoniorum firmitatem non eſſe æſtimabilem: quia conſtat eam eſſe incommutabilem. Vnde Saluator in Euangelio ad diſcipulos ait: *Nolite putare,* G *Matth. 5.* *quoniam veni ſoluere legem aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis: iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Et alibi: *Cælum,* in- *Marc. 13.* quit, *& terra tranſient: verba autem mea non tranſient.* Ligna & lapides præterea Dauid præparauit ad vniuerſa impendia ædificiorum; quia diuerſas hominum perſonas, quas lignorum & lapidum nomina notant (lignorum ſcilicet propter elationem mentis, & lapidum propter duritiam cordis) lex & prophetæ, ſecuri verbi decidendo & poliendo, ad conſtructionem domus Dei decentiſſime præparabant.

Habet quoque plurimos artifices, latomos & cæmentarios, artifices quoque lignorum omnium artium, ad faciendum opus prudentiſſimos in auro & argento, ære & ferro.

Artifices domus Dei prædicatores ſunt ſancti, qui aliquando latomorum, aliquando vero cementariorum, aliquando etiam carpentariorum, atque fabrorum auri & argenti, & cæterorum metallorum nomine propter H diuerſas actiones nũcupantur: quia iuxta qualitatem auditorum formari debent ſermones prædicantium. Aliter enim docendi ſunt ſapientes, atque aliter inſipientes; aliter ſuperbi, aliter humiles; & aliter fortes, atque aliter infirmi ſunt imbuendi.

Præcepit quoque Dauid cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum: cernitis, inquiens, quod Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos in manum veſtram, & ſubiecta ſit terra coram Domino, & coram populo eius. Præbete ergo corda veſtra & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum, & conſurgite & ædificate ſanctuarium Domino Deo.

Quod Dauid præcepit cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum in opere templi; oſtendit, quod Lex & Prophetæ firma authoritate docebant, vt omnes, qui principatum Iſrael rite gererent,

Digitized by Google

A *Saluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vnde inceuſum orationis eius ſemper placabile eſt apud Deum. Quod vero ſequitur:

Moyſi quoque hominis Dei, filij annumerati ſunt in tribu Leui, &c.

Significat, non paucos de priori populo ad Eccleſiaſticum ſacerdotium pertinere: ſicut manifeſtè in Actibus Apoſtolorum. de primitiua in Hieruſalem demonſtratur Eccleſia, vbi ſcriptum eſt: *Actor. 6.* *Verbum autem Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valde. Multa enim turba ſacerdotum obediebat fidei.* Poſt hoc quoq;, enumeratis principibus de filiis Leui, ſubſequitur Scriptura dicens:

Hi filij Leui in cognationibus & familiis ſuis principes per vices & numerum capitum capitum ſingulorum, qui faciebant opera miniſterij domus Domini à xx. annis & ſupra.

Quid eſt, quod à xx. annis, & ſupra, dicit miniſtros domus Domini annumeratos: niſi quod oſtendit, omnes, qui miniſterio Domini fungi voluerint, decalogi obſeruantiam in duobus præceptis charitatis ſeruare debere? B & ſecundum eorum iura miniſterium Eccleſiaſticum gerere: *Matth. 22. Rom. 13.* quia *in his duobus præceptis*, hoc eſt, in dilectione Dei & proximi, *vniuerſa pendet lex & Prophetæ. Plenitudo ergo legis* (iuxta Pauli ſententiam) eſt dilectio. Vnde Princeps Apoſtolorum, quomodo in ipſa charitate ſeruiendum ſit Deo, docet, dicens: *2. Pet. 1.* *Vos autem fratres curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc autem omnia ſi vobiſcum adſint & ſuperent, non vacuos & ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando: Si enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti.*

C *Dixit enim Dauid: Requiem dedit Dominus Deus Iſrahel populo ſuo, & habitationem Hieruſalem vſq; in æternum: nec erit officij Leuitarum, vt vltra portent tabernaculum & omnia vaſa eius ad miniſtrandum.*

Quamdiu ergo filii Iſrahel in deſerto fuerunt, & quando terram Chanaan bellis poſſidere cœperunt, tabernaculum Domini per diuerſa loca ferebatur. Poſtquam autem templum ædificatum eſt, non fuit neceſſaria hæc locorum mutatio: ſed in ipſo templo Domini ſanctificatio Domini eſt collata, myſticè ſignificans, quod cultus atq; obſeruantia veteris teſtamenti variis figuris imitabilis ac diuerſa in ſemetipſo ſemper fuit. Cum autem ad Euangelium acceſſit, iam ibidem ſtabilitatem motus ſui inuenit: *Ioan. 1.* *quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Iuxta præcepta quoque Dauid nouiſſima ſupputabitur numerus filiorum Leui à xx. annis, & ſuprà: & erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & vniuerſis operibus miniſterii templi Domini. Diſtribuente Dauid Leuitæ à xx. annis iuxta præceptum legis ſub manu filiorum Aaron, hoc eſt, D ſacerdotum in cultum domus Domini ordinabantur, vt minores diſcerent maioribus obedire, & maiores à minoribus adiuti dignius officium ſuum in miniſterio domus Domini poſſent explere. Sic & in Eccleſia præſenti minores gradus maioribus per humilitatem ſemper debent ſubeſſe, & maiores per charitatem minoribus ritè præeſſe: & ita omnium membra erant in pace. Quod autem dicit:

In veſtibulis & exedris.

Veſtibulum eſt locus ante fores, quod dicitur porticus vel aditus domus priuatæ, vel ſpacium: inde dictum, quod eo veſtiuntur fores templi vel quorumlibet ædificiorum. Exedræ quoque ſunt thalami vel cubicula, quæ habitationi Leuitarum atque ſacerdotum fuerant præparata: in his ergo Leuitæ miniſtrantes excubabant, quatenus docerent veri templi Domini miniſtros aditum ipſius diligenter obſeruare, & dignos quoſque intromittere, indignos vero inde abiicere atque repellere, quia clauiger cœleſtis peruigil ſemper eſſe debet & cautus in omnibus. E

Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, ad lagana & azyma & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus atq; menſuram.

Quod in quibuſdam codicibus habet: *ad feruentem ſimilam*; & in quibuſdam: *ad torrendum tantummodo*: error eſt. In Hebræo non habet in hoc loco, *ſimilam*: quæ ſimila paululum ſuperius nominata: ſed, *ad torrendum tantummodo*, ponitur, vt ſubaudias *ſpicas*. Primitiæ enim quando deferebantur ſpicarum, torrebantur, & graua comedebantur: quod genus cibi vulgo *grauitas* vocant. Nec enim & illud, quod in quibuſdam codicibus legitur: *ſuper omne pondus & menſuram*: in Hebræo dicitur non haberi pondus, ſed tantum menſuram. Hoc enim ſignificari putant & ea, quæ ſub brachiis ſuis manibus aut funibus metiuntur, & ea, quæ vaſis. Sacerdotum enim cura erat, vt omnia, quæ miniſteriis templi deputata erant, apte & rationabiliter & ſecundum ordinem ac menſuram fierent. F

Leuitæ ergo vt ſtent mane ad confitendum & ad canendum Domino, ſimiliterque ad veſperam tam in oblatione holocauſtorum Domini, quam in Sabbatis & Kalendis & ſolennitatibus reliquis iuxta numerum & ceremonias vniuſcuiuſque rei iugiter coram Domino.

Cum ſacerdotes ea, quæ ſupraſcripta ſunt, fecerunt; tunc Leuitæ & canendum, & ad cætera, quæ ſibi credita ſunt, officia commoueri, à Dauid ordinati ſunt. Vnde ita in ſequentibus ſcriptum eſt: *Igitur Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Eman, & Idithun, qui prophetarent in citharis & pſalteriis & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes.* Quod autem eos dicit mane & veſpere ſtare ad confitendum Domino, hoc eſt, illis horis, quando offerebatur iuge ſacrificium ſecundum legis præcepta, & in feſtiuitatis, hoc eſt, Sabbatis & Kalendis & ſolennitatibus reliquis, in quibus ſingulis ſpecialiter deputatur ſunt oblationes G Domino offerendæ, iuxta ritum legis, quæ tradita eſt filiis Iſrahel per manum Moyſi. Myſticè autem in Leuitis ac cantoribus domus Domini ſignificatur ſancta Eccleſia, quæ non ſolum priuatis locis, ac decretis temporibus, ſed in omni loco, & in omni tempore, ſemper & vbique laudat Dominum. Vnde & in Pſalterio tripudiando cum Propheta dicit: *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* *Pſal. 33.* Ad quam & Apoſtolus loquitur, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu ſancto. loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* *Epheſ. 5.*

CAPVT XXIV.

PORRO filiis Aaron hæ portiones erunt. Filij Aaron: Nadab, Abiu & Eleazar, & Ithamar. Mortui ſunt autem Nadab & Abiu ante Patrem ſuum abſque liberis: ſacerdotioq; functus eſt Eleazar & Ithamar, & diuiſit eos Dauid, id eſt, Sadoch de filiis Eleazar, & Abimelech de filiis Ithamar, ſecundum vices ſuas & miniſterium: inuentique ſunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Diuiſit autem eis, hoc eſt, filiis Eleazar principes per familias, Sedecim, & filiis Ithamar per familias & domus ſuas, VIII. *Porro diuiſit vtraſq; inter ſe familias ſortibus. Erant enim principes ſanctuarii, & principes Dei tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.* H

Quid eſt, quod Dauid diſtribuens ſacerdotalem originem, vtramque domum, & Eleazar videlicet & Ithamar, & ſacerdotii miniſterium & pontificatus dignitatem ordinauit? niſi quod Redemptor noſter non ſolum ex Iudæis, verũ ex gentib. elegit, qui ſacerdotio Eccleſiaſtico digne fungeretur? Poteſt quippe in Eleazar, ſeniore filio Aaron (q interpretatur, *Deus meus adiutor*, ſiue *Dei adiutoriũ*, & prior per ſucceſſionẽ filiorum ſuorũ ſummũ ſa-

A cerdotium tenendo Leuiticam ſtirpem regebat) Eccleſiaſtici ſacerdotii ac ſacrificii Spiritualis accipi figura: Gen. 14. quod prius legitur per Melchiſedech panis & vini oblatum eſſe ſacrificium (quod nimirum corporis & ſanguinis Christi præferebat Sacramentum) quam per Aaron ac Leuiticam tribum pecudum victimationes inſtitutas & hoſtias animalium. Vnde (iuxta Pauli ſententiam) Hebr. 7. *qui decimas accepit, decimatus eſt: adhuc enim Leui in lumbis patris Abrahæ erat, quando obuiauit ei Melchiſedech.* Similiter & Ithamar, qui interpretatur, *amarus*, & per Dauid ad culmen honoris Leuitici aſcendit, eorum typus eſt, qui per Redemptorem noſtrum de gente Iudæa, & figurali legis ac ceremoniarum obſeruantia ad veritatem Euangelii, & noui teſtamenti tranſlati ſunt cultum. Recte ergo ibi, *amarus*, gens Iudæa nuncupatur: quia licet primogeniti loco à Domino eligeretur, ac Angelorum obſequiis ac cibo cœleſti bene fuiſſet educata: tamen amaritudinem proteruiæ tuæ nunquam perfecte amiſit. Vnde ei per Ier. 2. Prophetam ipſe Dominus dixit: *Ego quidem te plantaui vineam meam electam omne ſemen verum. Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ?* B Et iterum: *Expectaui,* inquit, *vt* Eſa. 5. *faceret vuas, & fecit labruſcas.* Ob hoc vtique plures ex filiis Eleazar, quam ex filiis Ithamar electi ſunt ad ſacerdotium: Eſa. 54. *quia plures filij deſertæ magis, quam eius quæ habet virum.* 1. Reg. 2. atque ipſa quamdiu erat *ſterilis, peperit* VII. *& quæ multa in filiis infirmata eſt.* Septenario ergo numero propter ſeptiformem Spiritum vniuerſæ Eccleſiæ eſt ſignata perfectio: propter quod & Ioannes Apoſtolus ad ſeptem ſcri- Apoc 1. bit Eccleſias: & modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere. Et in Prouerbiis Salomonis hoc idem præ- Prou. 9. figurans: *Sapientia ſibi ædificauit domum, & ſuffulſit eam columnis* VII. Porro id, quod in filiis Eleazar principes, per familias, ſedecim fuerunt ordinati, & in filiis Ithamar tantummodo VIII. ad eandem ſignificationem reſpicit, quod nimirum Eccleſia ad operationem Synagogæ duplicem habet gratiam. In ſedecim ergo duplex conſtat octonarius, & in lege VIII. die carnalis circumciſio agi fuerat inſtituta. In Euangelio & ſpecialis circumciſio cordium, & futura corporum eodem numero expreſſa eſt reſurrectio: quando hi, qui Euangelicarum VIII. C beatitudinem ſpecies riteín hac vita ſeruauerunt, ad æternæ remunerationis in cœleſti regno conſcendent premium. Quod enim ſubiungitur: *erant enim principes ſanctuarij & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar:* oſtendit, quod nemo nec peruenit ad miniſterium ſanctuarii, & ad principatum ſacerdotii, niſi per electionem ordinationis Dei. Vnde hic excluditur omnis ſuperbiæ faſtus, & omnis terrenæ cupiditatis affectus, necnon & ſymoniacæ peſtis auaritiæ. neque vlli licet hoc pecunia appetere, quod diuina largitas hominibus gratuito munere ſolet conferre. Nec ſine myſterio illud eſt, quod dicitur Dauid vtraſque familias inter ſe diuiſiſſe ſortibus: verum iſta ſors in Scripturis diuinis tam ſæpè commemoratur, vt magnum neſcio quod diuini iudicii geſtare videatur arcanum. Scriptum eſt enim in Leuitico, vnam ſortem Domino dari, & vnam à Pompeio, id eſt, tranſmiſſori. Item Moyſes quibuſdam tribubus trans Iordanem terram ſorte diuiſit. Ieſu quoque filius Ieſunaue terram repromiſſionis filiis Iſrahel ſorte miſſa diſtribuit. Sors quoque Ionam prodidit latentem. Et in Salomone D legitur: *Contradictiones cohibet ſors, & inter potentes deſiniet.* Ioan. 1. Prou. 18. In nouo quoque Teſtamento, id eſt, in Actibus Apoſto- Actor. 1. lorum, ſors Matthiam deſignauit Apoſtolum. Paulus et- Epheſ. 1. iam idem Apoſtolus ſcribens ad Epheſios *ſorte* ſe dicit vocatum *ſecundum propoſitum eius qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Sic enim ad Coloſſenſes ſcribens Col. 1. dicit: *Gratias,* inquit, *agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit in parte ſortis ſanctorum in lumine.* Sed cum multa legantur tam in veteri quam in nouo Teſtamento ſortibus fuiſſe diuiſa, nemo auſus eſt negare per eam diuinitus eſſe monſtratum quod mens deuota petitione ſupplici poſtulauit. Tamen non temere nec indifferenter ſortibus eſt credendum, cum priuilegia ſingulorum (vt Hieronymus ait) communem legem facere non poſſint. Nec Diuinitas aliquo modo ad humana curioſitate tentari debet, iuxta

E quod ſcriptum eſt: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Verumtamen, quod ſi qui neceſsitate aliqua compulſi Do- Deut. 6. minum putent ſortibus, exemplo Apoſtolorum, eſſe conſulendum: videant hoc ipſos Apoſtolos non, niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, egiſſe.

Deſcripſitque eos Semeias filius Nathanael, ſcriba Leuites coram Rege & principibus, & Sadoch ſacerdote, & Abimelech filio Abiathar, principibuſque familiarum ſacerdotalium & Leuiticarum: vnam domum, quæ cum cæteris præerat, Eleazar: & alteram domum, quæ ſub ſe habebat cæteros Ithamar.

Quod Semeias, filius Nathanael, ſcriba Leuites coram Rege & principibus ſacerdotum dicitur deſcripſiſſe ipſas ſortes: ſignificat, doctorem ordine omnia, quæ in lege comprehenſa ſunt, myſteria pure & ſincere coram Deo & hominibus verbo rectæ fidei tractare, atque ad notitiam auditorum perducere. Quod bene ipſa nomina per interpretationes oſtendunt: nam Semeias, *Audiens Dominum:* Nathanael, *donum Dei rectè:* Sadoch *iuſtus:* Abimelech, *frater meus Rex:* & Abiathar, *pater ſuperfluus*, interpretatur. Qui ergo ritè audit Dominum recte diſcendo le- F gem eius, & obediendo mandatis illius: ipſe filius eſt doni Dei: quia hanc gratiam non niſi ex dono habet diuino. Sicque ſcriba doctus in regno cœlorum, & miniſter veri Matth. 13. templi deſcribit ritum ſacerdotii coram Rege, videlicet Chriſto ſeu populo Chriſtiano. Qui benè *Rex* poteſt dici, Apoc. 1. & 5. quia corpus eſt Chriſti, & vitam ſuam rectè regit, ſuiq; met ipſius benè dominatur. Qui etiam licet ex ſuperfluo patre hoc eſt gentili populo ſit editus tamen ſacerdotalem ſicut & regiam habet dignitate & iuſtitiæ nomine meritò cenſetur.

Exiuit autem Sors prima Ioiarib, ſecunda Iedeia, tertia Arim quarta Seorim, V. *Melchia* VI. *Maiman,* VII. *Accos,* VIII. *Abia* IX. *Ieſua,* X. *Sechenia* XI. *Eliarib* XII. *Iacbim,* XIII. *Oppa,* XIV. *Isbaal,* XV. *Abelga* XVI. *Emmer,* XVII. *Ezir* XVIII. *Aſaphſes,* XIX. *Aphetcia* XX. *Ieſecel,* XXI. *Iachim,* XXII. *Gamul,* XXIII. *Dalaian,* XXIV. *Mazziu. Hæ viceſeorum ſecundum miniſteria ſua, vt ingrediantur domum Dei iuxta ritum ſuum ſub manu Aaron patris eorum, ſicut præcepit Dominus Deus Iſrahel.*

Quid eſt, quod in XXIV. ſortes Leuitica tribus, & ſacer- G dotalis ordo diſtribuitur: niſi quod oſtendit, Eccleſiam 1. Pet. 2. Catholicam ſacerdotalem & regiam dignitatem pleniter habere, & legis atque Euangel. doctrinam perfecte ſeruare. Hanc videlicet Ioannes Apoſtolus & Euangeli- Apoc. 4. ſta in Apocalypſi ſua ſub eodem numero, hoc eſt, vicenario & quaternario in circuitu ſedis Dei ſub figura ſeniorum ſedentem vidit ſuper thronos XXIV. vt oſtenderet, vniuerſam Dei Eccleſiam, quæ per geminum teſtamentum de Patriarchis & Apoſtolis generata eſt, perpetualiter cum Chriſto regnare. *Sedentem* autem cernit propter iudiciariam eius in Chriſto dignitatem. Sedebunt enim & iudicabunt vniuerſa membra ſcil. in vno & per vnum caput. Cæterum quomodo poterunt ſancti in iudicio ſedere ſtantes ad dextram iudicis? Poſſunt etiam XXIV. ſeniores in illis intelligi, qui perfectionem operis, quæ ſenario numero commendatur, cl. ra Euangelii prædicatione conſummant. (Nam quater ſeni XXIV. faciunt.) Ibid. Nec non & eoſdem ſeniores amictos veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas habere prædictus Apoſtolus commemorat, vt demonſtret, illos bonis operi- H bus indutos perhenni mentis memoria gaudia ſuperna quæſituros. Sæpe enim capitis nomine mens ſolet intelligi. Quod autem dicit, has vices ſecundum miniſteria ſua & iuxta ritum ſuum ſub manu eſſe Aaron patris eorum: per nomen Aaron ſignificat Pontificem, qui extrema quoque ſorte electus ordine vicis ſuæ cæteris minoribus gradibus præerat, & diſponebat, quæ facienda erant in domo Dei. Erant enim (vt ſuperius dictum eſt) principes ſanctuarii & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. De his quoque ſortibus Ioſephus taliter narrat, dicens: *Diuiſit autem eos per generationes, & ſegregans ex tribu ſacerdotes, inueniens eorum generationes* XXIV. *Ex domo quidem Eleazar* XIII. *& de Ithamar* VIII. *& præcipiens, vt vnaquæque generatio miniſtraret Deo per dies* VIII. *à Sabbato vſque ad Sabbatum: & ita omnium generationes ſortem accipere,*

præſente

A *præſente Dauid & Sadoch & Abiathar ſacerdotibus & principibus vniuerſis. Et prima quidem generatio conſcendens ſcripta eſt prima, & ſecunda pariter & tertia & conſequenter vſque ad viceſimam quartam. Et hæc diuiſio permanſit vſq; ad præſentem diem. Fecit autem ex tribu Leuitarum partes* XXIV. *& ſortitis eodem modo conſcendere: vtq; ſecundum ſacerdotium* VIII. *diebus ipſi quoq; miniſtrarent, inſtituit. Eos autem, qui erant ex germine Moyſi, hos eminentius honorauit: fecit autem eos cuſtodes theſaurorum Dei atq; vaſorum, quæ Regis Deo dicare contingeret: iuſſitq; omnibus de tribu Leui ſimul & ſacerdotibus, vt die noctuq; Deo ſeruirent: ſicut ei præceperat Moyſes.*

Capvt XXV.

Icitur Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Eman, & Idithun, qui prophetarent in citbario & pſalteriis & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes, & reliqua.

Elegit Dauid ac ſegregauit cum ſenioribus populi tres principes cantorum, Aſaph ſcilicet & Eman & Idithun: vt ipſi cum filiis ſuis prophetarent in citharis & pſalteriis B & cymbalis ſecundum deputatum ſibi officium: vt præſignaret, quia verus Dauid, Rex & Dominus noſter, omnem ordinem Eccleſiaſtici miniſterii in ſancta Trinitatis fide miniſtranda ſuum officium agere vult: nec alius ei laudes digne cauere poteſt, niſi qui in confeſſione Patris & Filii & Spiritus ſancti per fidem, & ſpem & charitatem illum laudat. Quod & trium prædictorum principum nomina interpretatione ſua apte demonſtrant. Nam Aſaph, *colligens*, interpretatur: Heman, *cor eorum*: & Idithun, *tranſiliens*. Qui enim mente ſagaci diuinorum librorum ſententias colligit, atque tranſiliens omnem terrenarum rerum cupiditatem, eas ſecundam charitatis regulam rimando tractauerit: hic profecto diuinæ Maieſtati dignus laudes decantabit. Quid autem ipſa inſtrumenta, hoc eſt, cithara & pſalterium & cymbala ſignificent: ſuperius dictum eſt.

Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti Doctores ducenti octoginta octo.

C Apte Doctores cantici Domini ducenti octoginta octo eſſe dicuntur, vt oſtendatur, ipſos merito Doctores diuinæ laudes dici poſſe, qui canonem diuinorum librorum ſenſu Euangelio exponunt. Quater enim ſeptuaginta duo ducenta octoginta octo faciunt: libros autem veteris & noui teſtamenti ſeptuaginta duos eſſe omnibus notum eſt. Et ideo neceſſe eſt, vt quicunque diuino officio fungi ritè voluerit, quatuor principalibus virtutibus operam dans, meditationi Euangelicæ doctrinæ maximè incumbat, & ſecundam eius normam, quicquid dicerent, vel quicquid docuerit, formare curet.

Miſeruntq; ſortes per vices ſuas ex æquo, tam maior quam minor, doctus pariter & indoctus, & reliqua.

In omnibus ordinibus neceſſaria eſt cauta electio, ne fortè quis per petulantiam ſuam Eccleſiaſtici ordinis gradum dare aut accipere præſumat. Vnde hic, maior & minor, doctus pariter & indoctus vt ſortibus ſubiaceant, docet. Huic & Paulus ad Timothæum ſcribens ait: *Manum cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Tu ergo fili confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere.* Huic & per ſingulos ordines inſtrueris docet, qualiter vnuſquiſque peruenire ad gradum, & qualiter in eo conuerſari debeat: quia periculoſum eſt, quodlibet onus ſubire velle, quod ſe ſcit omnino ſufferre non poſſe. Enumeratis ergo ianitoribus, & origine eorum, ſequitur Scriptura, dicens: 1. Tim. 5.

D

***

Capvt XXVI.

Hi diuerſi ſunt ianitores. vt ſemper principes cuſtodiarum ſicut & fratres eorum, miniſtrarent in domo Domini. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo & paruis & magnis per familias ſuas in vnamquamque portarum. Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Porro Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo & erudito, ſortito obtigit plaga Septentrionalis. ObedEdom vero & filiis eius ad Auſtrum: in qua parte domus erat ſeniorum concilium Sephima & Choſa ad Occidentem iuxta portam quæ ducit ad viam aſcenſionis, cuſtodia contra cuſtodiam. Ad Orientem vero Leuitæ VI. *& ad Aquilonem* IV. *per diem: atque ad Meridiem ſimiliter in die* IV. *& vbi erat concilium, bini & bini. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem* IV. *in via, binique per cellulas. Hæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Chora & Merari.*

Ianitores ſunt & principes cuſtodiarum domus Dei, Doctores ſancti, qui obſeruant introitum Eccleſiæ, & ſingulorum, qui ad baptiſmum Chriſti, atque ad veram religionem accedunt, fidem & deuotionem explorant. Hi etiam ex æquo, & paruus & magnus, per ſortes eliguntur: quia non ſecundum perſonarum conſiderationem, ſed iuxta intellectum ſapientiæ, & probitatem vitæ, in honorem gradus promouentur. Vnde princeps Apoſtolorum diſceptantibus aduerſum ſe Iudæis de gentium ad fidem ſuſceptioni reſpondit: *In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet Dominum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Et quid per Selemiam, qui interpretatur, *reddente Domino*, niſi officium Apoſtolorum & primorum Doctorum Euangelii inſinuatur, quibus Orientalis porta, hoc eſt, primitiua in Iudæis Eccleſia commendatur. Hi ergo merito, *reddente Domino*, dicuntur: quia ſicut antiquis patribus Dominus promiſit, ita in filiis eorum ipſe compleuit. Vnde de eis per Eſaiam dicitur: *Ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Exultabo in Hieruſalem, & gaudebo in populo meo, & ædificabunt domos, & habitabunt, et plantabunt vineas, et commedent fructum earum: non plantabitur, et alius commedet. Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei: et opera manuum eorum inueterabunt electi mei. Non laborabitur fruſtra, neque generabunt in conturbationem: quia ſemen benedictorum Domini eſt, et nepotes eorum cum eis.* Act. 10. Eſa. 65.

E F G

Porrò Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo & erudito, ſorte obtigit plaga Septentionalis. Per Zachariam, qui, *memor Domini*, interpretatur, & fuit filius Selemiæ, Doctores gentium, qui ab ipſis Apoſtolis & primis prædicatoribus Euangelii ad prædicandum gentibus ordinati ſunt, deſignantur: qualis fuit Barnabas & Saulus de quibus, orantibus diſcipulis & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Per Septentrionalem plagam quæ frigidum ventum emittit, frigus infidelitatis Gentilium figuratur. Sed ex his plurimi ad fidem veniunt: vnde eis porta Septentrionalis & ianitores eius deputantur. De quibus per Hieremiam dicitur: *Erit dies, in qua clamabunt cuſtodes in montes Ephraim: Surgite, aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum: quia ſic dicit Dominus: Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus & claudus prægnans & pariens ſimul. Cœtus magnus reuertentium huc in fletu venient & in precibus deducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea.* ObedEdom verò & filiis eius ad Auſtrum deputata erat cuſtodia portarum. Et quid per ObedEdom, niſi Doctores illi, qui ad prædicandum Iudæis ordinati ſunt? De quibus Paulus ſcribens ad Gallathas ait: *Cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Petrus et Iacobus et Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe dextras mihi dederunt et Barnabæ Societatis vt nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem.* De his Lucas in Actibus Apoſtolorum narrat, dicens: *Illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerant vſq; Phœnicem et Ciprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.* Act. 13. Ier. 31. H. Galat. 2. Actor. 11.

Rectè ergo Auſtri nomine plebs Iudaica figuratur,

Digitized by Google

A cerdotium tenendo Leuiticam ſtirpem regebat) Eccleſiaſtici ſacerdotii ac ſacrificii Spiritualis accipi figura: Gen. 14. quod prius legitur per Melchiſedech panis & vini oblatum eſſe ſacrificium (quod nimirum corporis & ſanguinis Chriſti præferebat Sacramentum) quam per Aaron ac Leuiticam tribum pecudum victimationes inſtitutas & hoſtias animalium. Vnde (iuxta Pauli ſententiam) Hebr. 7. *qui decimas accepit, decimatus eſt: adhuc enim Leui in lumbis patris Abrahæ erat, quando obuiauit ei Melchiſedech.* Similiter & Ithamar, qui interpretatur, *amarus*, & per Dauid ad culmen honoris Leuitici aſcendit, eorum typus eſt, qui per Redemptorem noſtrum de gente Iudæa, & figurali legis ac ceremoniarum obſeruantia ad veritatem Euangelii, & noui teſtamenti tranſlati ſunt cultum. Recte ergo ibi, *amarus*, gens Iudæa nuncupatur: quæ licet primogeniti loco à Domino eligeretur, ac Angelorum obſequiis ac cibo cœleſti bene fuiſſet educata: tamen amaritudinem proteruiæ ſuæ nunquam perfecte amiſit. Vnde ei per Ier. 2. Prophetam ipſe Dominus dicit: *Ego quidem te plantaui vineam meam electam omne ſemen verum. Quomodo conuerſa es in* B *amaritudinem vitis alienæ!* Et iterum: *Expectaui*, inquit, *vt* Eſa. 5. *faceret vuas, & fecit labruſcas.* Ob hoc vtique plures ex filiis Eleazar, quam ex filiis Ithamar electi ſunt ad ſacerdotium: Eſa. 54. *quia plures filij deſertæ magis, quam eius quæ habet virum,* 1. Reg. 2. atque ipſa quamdiu erat *ſterilis, peperit* VII. *& quæ multa in filiis infirmata eſt.* Septenario ergo numero propter ſeptiformem Spiritum vniuerſæ Eccleſiæ eſt ſignata perfectio: propter quod & Ioannes Apoſtolus ad ſeptem ſcri-Apoc 1. bit Eccleſias: & modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere. Et in Prouerbiis Salomonis hoc ante præ-Prou. 9. figurans: *Sapientia ſibi ædificauit domum, & ſuffulſit eam columnis* VII. Porro id, quod in filiis Eleazar principes, per familias, ſedecim fuerunt ordinati, & in filiis Ithamar tantummodo VIII. ad eandem ſignificationem reſpicit, quod nimirum Eccleſia ad operationem Synagogæ duplicem habet gratiam. In ſedecim ergo duplex conſtat octonarius, & in lege VIII. die carnalis circumciſio agi fuerat inſtituta. In Euangelio & ſpecialis circumciſio cordium, & futura corporum eodem numero expreſſa eſt reſurrectio: quando hi, qui Euangelicarum VIII. C beatitudinem ſpecies in hac vita ſectuauerunt, ad æternæ remunerationis in cœleſti regno conſcendent præmium. Quod enim ſubiungitur: *erant enim principes ſanctuarij & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar:* oſtendit, quod nemo rite peruenit ad miniſterium ſanctuarii, & ad principatum ſacerdotii, niſi per electionem ordinationis Dei. Vnde hic excluditur omnis ſuperbiæ faſtus, & omnis terrenæ cupiditatis affectus, necnon & ſymoniacæ peſtis auaritiæ. neque vlli licet hoc pecunia appetere, quod diuina largitas hominibus gratuito munere ſolet conferre. Nec ſine myſterio illud eſt, quod dicitur Dauid vtraſque familias inter ſe diuiſiſſe ſortibus: verum iſta ſors in Scripturis diuinis tam ſæpè commemoratur, vt magnum neſcio quod diuini iudicii geſtare videatur arcanum. Scriptum eſt enim in Leuitico, vnam ſortem Domino dari, & vnam à Pompeio, id eſt, tranſmiſſori. Item Moyſes quibuſdam tribubus transIordanem terram ſorte diuiſit. Ieſu quoque filius Ieſunaue terram repromiſſionis filiis Iſrahel ſorte nulla diſtribuit. Sors quoque Ionam prodidit latentem. Et in Salomone D legitur: *Contradictiones cohibet ſors, & inter potentes diiudicet.* Ioan. 1. In nouo quoque Teſtamento, id eſt, in Actibus Apoſto-Prou. 18. lorum, ſors Matthiam deſignauit Apoſtolum. Paulus eti-Actor. 1. am idem Apoſtolus ſcribens ad Epheſios *ſorte* ſe dicit vo-Epheſ. 1. catum *ſecundum propoſitum eius qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Sic enim ad Coloſſenſes ſcribens Col. 1. dicit: *Gratias*, inquit, *agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit in parte ſortis ſanctorum in lumine.* Sed cum multa legantur tam in veteri quam in nouo Teſtamento ſortibus fuiſſe diuiſa, nemo auſus eſt negare per eam diuinitus eſſe monſtratum quod mens deuota petitione ſupplici poſtulauit. Tamen non temere nec indifferenter ſortibus eſt credendum, cum priuilegia ſingulorum (vt Hieronymus ait) communem legem facere non poſſint. Nec Diuinitas aliquo modo ad humana curioſitate tentari debet, iuxta

E quod ſcriptum eſt: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ve-Deut. 6. rumtamen, quod ſi qui neceſſitate aliqua compulſi Dominum putent ſortibus, exemplo Apoſtolorum, eſſe conſulendum: videant, hoc ipſos Apoſtolos non, niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, egiſſe.

Deſcripſitque eos Semeias, filius Nathanael, ſcriba Leuites coram Rege & principibus, & Sadoch ſacerdote, & Abimelech, filio Abiathar, principibusque familiarum ſacerdotalium & Leuiticarum: vnam domum, quæ cum cæteris præerat, Eleazar: & alteram domum, quæ ſub ſe habebat cæteros Ithamar.

Quod Semeias, filius Nathanael, ſcriba Leuites coram Rege & principibus ſacerdotum dicitur deſcripſiſſe ipſas ſortes: ſignificat, doctorem ordine omnia, quæ in lege comprehenſa ſunt, myſteria pure & ſincere coram Deo & hominibus verbo rectæ fidei tractare, atque ad notitiam auditorum perducere. Quod bene ipſa nomina per interpretationes oſtendunt: nam Semeias, *Audiens Dominum*: Nathanael, *donum Dei rectè*: Sadoch *iuſtus*: Abimelech, *frater meus Rex*: & Abiathar, *pater ſuperfluus*, interpretatur. Qui ergo ritè audit Dominum recte diſcendo le-F gem eius, & obediendo mandatis illius: ipſe filius eſt doni Dei: quia hanc gratiam non niſi ex dono habet diuino. Sicque ſcriba doctus in regno cœlorum, & miniſter veri Matth. 13. templi deſcribit ritum ſacerdotii coram Rege, videlicet Chriſto ſeu populo Chriſtiano. Qui benè *Rex* poteſt dici, Apoc. 1. & 5. quia corpus eſt Chriſti, & vitam ſuam rectè regit, ſuique met ipſius benè dominatur. Qui etiam licet ex ſuperfluo patre hoc eſt gentili populo ſit editus tamen ſacerdotalem ſicut & regiam habet dignitate & iuſtitiæ nomine merito cenſetur.

Exiuit autem Sors prima Ioiarib, ſecunda Iedeia, tertia Arim quarta Seorim, V. Melchia VI. Maiman, VII. Accos, VIII. Abia IX. Ieſua, X. Sechenia XI. Eliaſib XII. Iacim, XIII. Oppa, XIV. Iſbaal, XV. Abelga XVI. Emmer XVII. Ezir XVIII. Aſaphſes, XIX. Aphetia XX. Ieſecel, XXI. Iachim, XXII. Gamul. XXIII. Dalaian, XXIV. Mazziu. Hæ viceſeorum ſecundum miniſteria ſua, vt ingrediantur domum Dei iuxta ritum ſuum ſub manu Aaron patris eorum, ſicut præcepit Dominus Deus Iſrahel.

Quid eſt, quod in XXIV. ſortes Leuitica tribus, & ſacer-G dotalis ordo diſtribuitur: niſi quod oſtendit, Eccleſiam 1. Pet. 2. Catholicam ſacerdotalem & regiam dignitatem pleniter habere, & legis atque Euangelii doctrinam perfecte ſeruare. Hanc videlicet Ioannes Apoſtolus & Euangeli-Apoc. 1. ſta in Apocalypſi ſua ſub eodem numero, hoc eſt, vicenario & quaternario in circuitu ſedis Dei ſub figura ſeniorum ſedentem vidit ſuper thronos XXIV. vt oſtenderet, vniuerſam Dei Eccleſiam, quæ per geminum teſtamentum de Patriarchis & Apoſtolis generata eſt perpetualiter cum Chriſto regnare. Sedentem autem cernit propter iudiciariam eius in Chriſto dignitatem. Sedebunt enim & iudicabunt vniuerſa membra ſcil. in vno & per vnum caput. Cæterum quomodo poterunt ſancti in iudicio ſedere ſtantes ad dextram iudicis? Poſſunt etiam XXIV. ſeniores in illis intelligi, qui perfectionem operis, quæ ſenario numero commendatur, clara Euangelii prædicatione conſummant. (Nam quater ſeni XXIV. faciunt.) Ibid. Nec non & eoſdem ſeniores amictos veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas habere prædictus Apoſtolus commemorat, vt demonſtret, illos bonis operi-H bus indutos perhenni mentis memoria gaudia ſuperna quæſituros. Sæpe enim capitis nomine mens ſolet intelligi. Quod autem dicit, has vices ſecundum miniſteria ſua & iuxta ritum ſuum ſub manu eſſe Aaron patris eorum: per nomen Aaron ſignificat Pontificem, qui extrema quoque ſorte electus ordine vicis ſuæ cæteris minoribus gradibus præerat, & diſponebat, quæ facienda erant in domo Dei. Erant enim (vt ſuperius dictum eſt) principes ſanctuarii & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. De his quoque ſortibus Ioſephus taliter narrat, dicens: *Diuiſit autem eos per generationes, & ſegregans ex tribu ſacerdotes, inueniens eorum generationes* XXIV. *Ex domo quidem Eleazar* XIII. *& de Ithamar* VIII. *& præcipiens, vt vnaquæque generatio miniſtraret Deo per dies* VIII. *à Sabbato vſque ad Sabbatum: & ita omnium generationes ſortem accepere,*

A *præſente Dauid & Sadoch & Abiathar ſacerdotibus & principibus vniuerſis. Et prima quidem generatio conſcendens ſcripta eſt prima, & ſecunda pariter & tertia & conſequenter vſque ad viceſimam quartam. Et hæc diuiſio permanſit vſque ad præſentem diem. Fecit autem ex tribu Leuitarum partes* XXIV. *& ſortiti eodem modo conſcendere: vtque ſecundum ſacerdotium* VIII. *diebus ipſi quoque miniſtrarent, inſtituit. Eos autem, qui erant ex germine Moyſi, hos eminentius honorauit: fecit autem eos cuſtodes theſaurorum Dei atque vaſorum, quæ Regis Deo dicare contingeret: iuſſitque omnibus de tribu Leui ſimul & ſacerdotibus, vt die noctuque Deo ſeruirent: ſicut ei præceperat Moyſes.*

CAPVT XXV.

IGitur Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Eman, & Idithun, qui prophetarent in citbario & pſalteriis & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes, & reliqua.

Elegit Dauid ac ſegregauit cum ſenioribus populi tres principes cantorum, Aſaph ſcilicet & Eman & Idithun: B vt ipſi cum filiis ſuis prophetarent in citharis & pſalteriis & cymbalis ſecundum deputatum ſibi officium: vt præſignaret, quia verus Dauid, Rex & Dominus noſter, omnem ordinem Eccleſiaſtici miniſterii in ſancta Trinitatis fide miniſtranda ſuum officium agere vult: nec alius ei laudes digne canere poteſt, niſi qui in confeſsione Patris & Filii & Spiritus ſancti per fidem, & ſpem & charitatem illum laudat. Quod & trium prædictorum principum nomina interpretatione ſua apte demonſtrant. Nam Aſaph, *colligens*, interpretatur: Heman, *cor eorum*: & Idithun, *tranſiliens*. Qui enim mente ſagaci diuinorum librorum ſententias colligit, atque tranſiliens omnem terrenarum rerum cupiditatem, eas ſecundum charitatis regulam rimando tractauerit: hic profecto diuinæ Maieſtati dignus laudes decantabit. Quid autem ipſa inſtrumenta, hoc eſt, cithara & pſalterium & cymbala ſignificent: ſuperius dictum eſt.

Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti Doctores ducenti octoginta octo.

C Apte Doctores cantici Domini ducenti octoginta octo eſſe dicuntur, vt oſtendatur, ipſos merito Doctores diuinæ laudis dici poſſe, qui canonem diuinorum librorum ſenſu Euangelio exponunt. Quater enim ſeptuaginta duo ducenta octoginta octo faciunt: libros autem veteris & noui teſtamenti ſeptuaginta duos eſſe omnibus notum eſt. Et ideo neceſſe eſt, vt quicunque diuino officio fungi ritè voluerit, quatuor principalibus virtutibus operam dans, meditationi Euangelicæ doctrinæ maximè incumbat, & ſecundam eius normam, quicquid didicerit, vel quicquid docuerit, formare curet.

Miſeruntque ſortes per vices ſuas ex æquo, tam maior quam minor, doctus pariter & indoctus, & reliqua.

In omnibus ordinibus neceſſaria eſt cauta electio, ne fortè quis per petulantiam ſuam Eccleſiaſtici ordinis gradum dare aut accipere præſumat. Vnde hic, maior & minor, doctus pariter & indoctus vt ſortibus ſubiaceant,
1. Tim. 5. docet. Huic & Paulus ad Timothæum ſcribens ait: *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Tu ergo fili confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus, qui*
D *idonei erunt & alios docere.* Huic & per ſingulos ordines inſtrueris docet, qualiter vnuſquiſque peruenire ad gradum, & qualiter in eo conuerſari debeat: quia periculoſum eſt, quodlibet onus ſubire velle, quod ſe ſcit omnino ſufferre non poſſe. Enumeratis ergo ianitoribus, & origine eorum, ſequitur Scriptura, dicens:

***

CAPVT XXVI.

HI diuerſi ſunt ianitores, vt ſemper principes cuſtodiarum ſicut & fratres eorum, miniſtrarent in domo Domini. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo & paruis & magnis per familias ſuas in E *vnamquamque portarum. Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Porro Zachariæ filio eius, viro prudentiſsimo & erudito, ſortito obtigit plaga Septentrionalis. Obed Edom vero & filiis eius ad Auſtrum: in qua parte domus erat ſeniorum concilium Sepphima & Choſa ad Occidentem iuxta portam quæ ducit ad viam aſcenſionis, cuſtodia contra cuſtodiam. Ad Orientem vero Leuitæ* VI. *& ad Aquilonem* IV. *per diem: atque ad Meridiem ſimiliter in die* IV. *& vbi erat concilium, bini & bini. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem* IV. *in via, binique per cellulas. Hæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Chore & Merari.*

Ianitores ſunt & principes cuſtodiarum domus Dei, Doctores ſancti, qui obſeruant introitum Eccleſiæ, & ſingulorum, qui ad baptiſmum Chriſti, atque ad veram religionem accedunt, fidem & deuotionem explorant.
Hi etiam ex æquo, & paruus & magnus, per ſortes eliguntur: quia non ſecundum perſonarum conſiderationem, ſed iuxta intellectum ſapientiæ, & probitatem vitæ, in honorem gradus promouentur. Vnde princeps Apoſtolorum diſceptantibus aduerſum ſe Iudæis de gentilium ad fidem ſuſceptioni reſpondit: *In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni* Act. 10.
gente qui timet Dominum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Et quid per Selemiam, qui interpretatur, *reddente Domino*, niſi officium Apoſtolorum & primorum Doctorum Euangelii inſinuatur, quibus Orientalis porta, hoc eſt, primitiua in Iudæis Eccleſia commendatur. Hi ergo merito, *reddente Domino*, dicuntur: quia ſicut antiquis patribus Dominus promiſit, ita in filiis eorum ipſe compleuit. Vnde de eis per Eſaiam dicitur: *Ecce ego creo Hieruſalem* Eſa. 65.
exultationem, & populum eius gaudium. Exultabo in Hieruſalem, & gaudebo in populo meo, & ædificabunt domos, & habitabunt, et plantabunt vineas, et commedent fructum earum: non plantabitur, et alius commedet. Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei: et opera manuum eorum inueterabunt electi mei. Non laborabitur fruſtra, neque generabunt in conturbationem: quia ſemen benedictorum Domini eſt, et nepotes eorum cum eis. G

Porrò Zachariæ filio eius, viro prudentiſsimo & erudito, ſorte obtigit plaga Septentrionalis. Per Zachariam, qui, *memor Domini*, interpretatur, & fuit filius Selemiæ, Doctores gentium, qui ab ipſis Apoſtolis & primis prædicatoribus Euangelii ad prædicandum gentibus ordinati ſunt, deſignantur: qualis fuit Barnabas & Saulus de quibus, orantibus diſcipulis & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in o-* Act. 13.
pus ad quod aſſumpſi eos. Per Septentrionalem plagam quæ frigidum ventum emittit, frigus infidelitatis Gentilium figuratur. Sed ex his plurimi ad fidem veniunt: vnde eis porta Septentrionalis & ianitores eius deputantur. De quibus per Hieremiam dicitur: *Erit dies in qua clamabunt* Ier. 31.
cuſtodes in montes Ephraim: Surgite, aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum: quia ſic dicit Dominus: Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus & claudus prægnans & pariens ſi- H
mul. Cœtus magnus reuertentium huc in fletu venient & in precibus deducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent ea. ObedEdom verò & filiis eius ad Auſtrum deputata erat cuſtodia portarum. Et quid per ObedEdom, niſi Doctores illi, qui ad prædicandum Iudæis ordinati ſunt? De quibus Paulus ſcribens ad Gallathas ait: *Cum co-* Galat. 2.
gnouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Petrus et Iacobus et Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe dextras mihi dederunt et Barnabæ ſocietatis vt nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem. De his Lucas in Actibus Apoſtolorum narrat, dicens: *Illi qui-* Actor. 11.
dem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerant vſque Phœnicem et Ciprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.

Rectè ergo Auſtri nomine plebs Iudaica figuratur,

quæ

A porum, hoc eſt, præteritum, præſens & futurum. Similiter & quatuor viciſſitudines, hoc eſt, ver, æſtas, autumnus, & hyems diuidunt annum. Quid quatuor bella iſta Dauid & ſeruorum eius contra Paleſtinos ſignificant, niſi bellum Chriſti, quod omni tempore iſtius vitæ in membris ſuis contra perfidos quoſque iſtius ſeculi, & contra ſpiritales nequitias inceſſanter agitur? Licet enim faſtus mundanus, vel proteruitas malignorum ſe erigat contra Eccleſiam Dei Chriſti: omnis tamen principatus aduerſariorum, vero Dauid, hoc eſt, rege Chriſto imperante, ac prælia ſeruorum ſuorum diſponente, cedit, & omnes aduerſarij vincuntur, proſternuntur atque ad nihilum rediguntur. Vnde Pſalmiſta ex perſona Eccleſiæ *Pſal. 59* confidenter dicit: *Vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.*

CAPVT XXI.

B *2. Reg. 24.* *CONſurrexit autem Sathan contra Iſrael, & incitauit Dauid, vt numeraret Iſrael. Dixitque Dauid ad Ioab & ad principes populi: Ite & numerate Iſrael à Berſabee, vſque Dan. & afferte mihi numerum vt ſciam. Reſponditque Ioab: Augeat Deus populum ſuum centuplum, quam ſit. Quare hoc quærit Dominus meus rex, quod in peccatum reputetur Iſrael? Sed ſermo regis magis præualuit. Egreſſuſque Ioab, & circumiuit vniuerſum Iſrael, & reuerſus eſt Hieruſalem.*

Quomodo dicit, exquiſitionem numeri, quem Rex facere iuſſit, in peccatum reputari Iſraeli: cum præuaricatio ibi magis videatur eſſe regis, quam plebis? Sed peccatum mortem dicit, *Rom. 5.* *quæ cauſa peccati primum venit in mundum.* Hæc ergo in populo tantum graſſata eſt. At tamen ſciendum, quod pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium: vt pro malo gregis etiam viri boni *1 Reg. 13.* delinquat vita paſtoris. Ille enim, Deo atteſtante, laudatus: ille ſupernorum myſteriorum conſcius Dauid Propheta tumore repentino elationis inflatur, populum numerando, quod peccauit: & tamen vindictam populus, Dauid peccante, ſuſcepit: Cur hoc? Quia videlicet ſecundum meritum plebium diſponuntur corda rectorum. C Iuſtus vero iudex ex ipſorum animaduerſione corripuit peccantis vitium, ex quorum cauſa peccauit. Sed quia ipſe (ſua ſcilicet voluntate ſuperbiens) à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ ſuæ etiam ſuſcepit. Nam ira ſæuiens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore proſtrauit. Certe verum eſt, quod ita ſibi inuicem & rectorum merita connectantur, & plebium: vt ſæpe ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex merito plebium mutetur vita paſtorum. Sed quia rectores habent iudicem ſuum; magna cautela ſubditorum eſt, non temere vitam iudicare regentium. Neque enim fruſtra per ſemetipſum *Matth. 21. Ioan. 2.* *Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas euertit*: nimirum ſignificans, quia per magiſtros quidem vitam iudicat plebium, ſed per ſemetipſum examinat magiſtrorum. Quamuis etiam ſubditorum vitia, quæ à magiſtris modo vel diſſimulantur iudicari, vel nequeunt, eius procul dubio iudicio reſeruantur. Igitur dum ſalua fide res agitur, virtutis eſt merito, ſi, quicquid D prioris eſt, toleretur. Debet tamen humiliter ſuggeri, ſi fortaſſe valeat, quod diſplicet, emendare. Sed curandum ſummopere eſt, ne in ſuperbiam tranſeat iuſtitiæ inordinata defenſio: ne, dum rectitudo incautè diligitur, ipſa magiſtra rectitudinis (humilitas) amittatur: ne eum ſibi præeſſe quiſque deſpiciat, quem fortaſſe contigit, vt in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem ſuperbiæ ſubditorum mens ad cuſtodiam humilitatis edomatur, ſi infirmitas propria inceſſanter attenditur. Has vires noſtras veraciter examinare negligimus: & quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos, qui nobis prælati ſunt, diſtricte iudicamus. Quo enim noſmetipſos minus agnoſcimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Singula hæc mala ſunt, quæ à ſubditis ſæpe in prælatos, & ſæpe à prælatis committuntur: quia & omnes ſubditos hi, qui præſunt, minus, quam ipſi ſunt, ſapientes arbitrantur: & rurſum qui ſubiecti ſunt, rectorum ſuorum actiones iudicant, & ſi ipſos regimen tenere contingeret, ſe potuiſſe agere melius putant. E Vnde plerumq; fit, vt & rectores minus prudenter ea, quæ agenda ſunt, videant, quia eorum oculos ipſa nebula elationis obſcurat: & nonnunquam is, qui ſubiectus eſt, hoc, cum prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri ſubiectus arguebat: & pro eo, quod illa, quæ iudicauerat, perpetrat, ſaltem quia iudicauit, erubeſcat. Igitur ſicut prælatis curandum eſt, ne eorum corda æſtimatione ſingularis ſapientiæ locus ſuperior extollat: ita ſubiectis prouidendum eſt, ne ſibi rectorum facta diſpliceant. Si autem magiſtrorum vita iure reprehenditur, oportet vt eius ſubditi, etiam cum diſplicet, magiſtrum venereantur. Sed & hoc eſt ſolerter intuendum, ne quem imitari deſpicis, venerari contemnas. Subtilis etenim vita tenenda eſt rectitudinis & humilitatis: vt ſic reprehenſibilia magiſtrorum facta diſpliceant, quatenus ſubditorum mens à ſeruanda magiſterij reuerentia non recedat.

Deditque Dauid numerum eorum, quos circumierant: & inuentus eſt omnis Iſrael numerus mille millia, & centum millia F *educentium gladium. De Iuda autem trecenta ſeptuaginta millia bellatorum. Nam Leui & Beniamin non numerauit, eo quod inuitus exequeretur regis imperium.*

In Regum vero ita ſcriptum eſt: *Dedit ergo Ioab numerum* *2. Reg. 24.* *deſcriptionis populi Regi, & inuenta ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quinquaginta millia pugnatorum.* Aſſerunt autem Hebræi, quod hic numerus, qui in Paralipomenon legitur, (hoc eſt, de Iſrael mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: & de Iuda trecenta millia pugnatorum) inuentus ſit à Ioab: ſed ſummam illius noluiſſe oſtendere ſcriptorem, niſi in quantum in Samuelis libro ſcribitur: quia ibi tantummodo ſuperſtites cædi angelicæ continentur. Quod autem dicit, Leui & Beniamin non eſſe numeratos: Leui non numerabatur propter ſacerdotij dignitatem, quia præcellebat; & Beniamin, quia recenti tempore fraterno gladio pene vſq; ad internecionem corruerat.

Diſplicuit autem Domino, quod iuſſum erat, & percuſſit Iſrael. Dixitque Dauid ad Dominum: Peccaui nimis, vt hoc facerem. G *Obſecro Domine, aufer iniquitatem ſerui tui: quia inſipienter egi. Et locutus eſt Dominus ad Gad videntem Dauid, dicens: Vade & loquere ad Dauid, & dic ei. Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do: vnum quod volueris, elige, vt faciam tibi. Cumque veniſſet Gad ad Dauid, dixit ei: hæc dicit Dominus; Elige, quod volueris: aut tribus annis peſtilentiam: aut tribus menſibus fugere te hoſtes tuos, & gladium eorum non poſſe euadere: aut tribus diebus gladium Domini & mortem verſari in terra, & Angelum Domini interficere in vniuerſis finibus Iſrael. Nunc ergo vide, quid reſpondeam ei, qui miſit me. Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me anguſtiæ premunt: ſed melius eſt mihi, vt incidam in manus Domini: quia multæ ſunt miſerationes eius, quam in manus hominum. Miſit ergo Dominus peſtilentiam in Iſrael, & ceciderunt de Iſrael LXX millia virorum* &c.

In Regum libro ſcriptum eſt ita: *Percuſſit autem Dauid* *2. Reg. 24.* *cor, poſtquam numeratus eſt populus, & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto. Sed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egi nimis,* & reliq. H Vbi notandum, quod ideo Dauid in numerando populum Dominum dicitur offendiſſe, quia legis præcepta in eo non obſeruauit. Nam & in libro Numerorum Dominus legitur Moyſi ita præcepiſſe: *Tollite ſummam vniuerſæ congrega-* *Num. 1.* *tionis filiorum Iſrael, per cognationes & domos ſuas nomina ſingulorum; quicquid ſexus eſt maſculini à XX. anno & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſrael, & numerabitis eos per turmas ſuas tu & Aaron.* Quia vero Dauid generaliter iuſſit omnes numerari, & infra XX. annos, & ſupra XX. annos: idcirco indignationem Dei expertus eſt. Idem quoque in libro Exodi ita ſcriptum eſt: *Locutus* eſt *Dominus ad Moyſen, dicens: Quando tuleris ſummam filiorum* *Exod 30.* *Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli precium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi ſiclus viginti habet obolos. Media pars ſicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à XX annis & ſupra, dabit pretium. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper*

Digitized by Google

A *nihil minuet. Suſceptamque pecuniam, quæ collata eſt à filiis Iſrael, trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit in momentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Hoc ergo oblitus Dauid facere, idcirco offendit Dominum, & ob hoc plaga venit in Iſrael. Nec prætereundum, quod huius loci mentionem faciens Ioſephus ita refert, dicens: *Prophetis itaque declarantibus Dauid, quod ei Deus iraſceretur ſupplicare cœpit, eumque rogare, vt propitius eſſet & veniam peccati concederet. Tunc ergo Gad Prophetam miſit ad eum Deus tres ſupplicij conditiones portantem: vt, earum quam probaret, eligeret: vtrum vellet famem in prouincia generari annis tribus, aut tribus menſibus pugnando vinceretur ab hoſtibus; an certe morbus & languor accideret in diebus Hebræis. Ille vero in anxietatem huius electionis omnium rerum peſſimarum incurrens tribulabatur & vehementer animo videbatur eſſe confuſus. Cumque Propheta diceret; hoc omnimodis imminere, & reſponſum velociter exigeret, vt electam ab eo conditionem renunciaret; cogitans Rex, quia, ſi famem eligeret, contra alios hoc facere videretur; quando ipſe quidem habens multa frumenta,* B *non pateretur inopiam, reliquis vero eſſet anguſtia. Item ſi eligeret trium menſium victoriam hoſtium, ipſe quidem habens circa ſe viros fortiſſimos & cuſtodes, nihil omnino metueret, nec vero eius exercitus ſubiaceret: inter hæc autem communem potius paſſionem & regum & ſubiectorum elegit, in qua timor omnibus eſt æqualis, dicens: quia melius in Dei magis quam in hoſtium manus incidere. Hæc audiens Propheta renunciabat Deo, qui morbum & interitum miſit in exercitum Hebræorum. Moriebatur enim non vno modo, vt facile languor potuiſſet agnoſci. Sed mors quidem hominibus multorum languorum occaſionibus, & quæ non poſſent cognoſci, facile periebant. Alius enim ſuper alium moriebatur, & latenter imminens malum velociter ferebat interitum. Alij ſiquidem perire cum vehementibus doloribus, & amore gemitu animam relinquebant. Alij vero ipſis paſſionibus inardeſcebant: ita vt neque curam exhibere corporibus præualerent, ſed pro labore deficerent. Alij autem, repentinis tenebris eorum conatus abripientibus, ſuffocati protinus expirabant. Alij ſuper mortuos, quos ſepeliebant, ipſi quoque moriebantur, imperfectas relinquentes pariter ſepulturas. Incipiente itaque peſtifero languore eos ab hora matutina perimere vſque ad horam prandij conſummata ſunt milia LXX.* C Quod autem dicit, LXX. milia virorum interfecta fuiſſe de Iſrael; hi capita tantummodo plebis, & ſeniores numerati ſunt. Cæterum de omni populo tot millia interfecta Hebræi affirmant, quot milibus ille numerus, qui in Paralipomenon ſcribitur, eum, qui in Regum comprehenſus eſt, excedit. Aiunt enim, quod in Paralipomenon & hi, qui remāſerant, & hi, qui interfecti ſunt, ſimul ſint numerati. In Regum vero in VI. tantum denotati, ſicut ſuperius demonſtratum eſt.

Miſit quoque Angelum in Hieruſalem, vt percuteret eam. Cumque percuteretur, vidit Dominus & miſertus eſt ſuper magnitudine mali, & imperauit Angelo, qui percutiebat: Sufficit, iam ceſſet manus tua.

Quod autem dicitur, Dominum vidiſſe & miſertum eſſe: aiunt Hebræi, Sadoch ſacerdotem infulatum Dominum deprecatum fuiſſe: & imitatum fuiſſe Aaron patrem ſuum: & illius preces & deuotionem Dominum vidiſſe & miſertum fuiſſe.

D *Porro Angelus Domini ſtabat iuxta aream Ornam Iebuſei, leuanſque Dauid oculos ſuos, vidit Angelum Dei aſtantem inter terram, & coelum, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Hieruſalem, & ceciderunt tam ipſe, quam maiores natu Iſrael veſtiti ciliciis proni in terram. Dixitque Dauid ad Dominum: Nonne ego ſum, qui iuſsi, vt numeraretur populus? Ego, qui peccaui: ego, qui malum feci. Iſte grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur (obſecro) manus tua in me & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. Angelus autem Domini præcepit Gad, vt diceret Dauid, vt aſcenderet, exſtrueretque altare Domino Deo in Area Ornan Iebuzei, &c.*

2. Reg. 24. In Regum quoque ita ſcriptum eſt: *Erat autem Angelus Domini iuxta aream Iebuſæi, &c.* Denique *Area vna* interpretatur *archa* & *Ornan* latine reſonat, *lumen nobis*. Bene ergo Dauid cum Dominum pro offenſa, qua peccauit, vellet placare, altare iubetur in Areuna vel Orne conſtruere, vt inde vnuſquiſq; conijciat; quia aliter diuinitas ab homine placari non poteſt, niſi in area cordis ſui per lumen rectæ fidei & veræ dilectionis altare illi deuotè humilitatis conſtituat, in quo ſacrificium piæ confeſsionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod rectè per eundem Prophetam in Pſalmis manifeſtatur, vbi dicitur ex perſona Domini: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et item; *Sacrificium*, inquit, *Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Area Areuna, vel area Orne, ipſa eſt videlicet Hieruſalem. E Pſal. 49. Pſal. 50.

Dedit ergo Dauid Ornan pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos. & ædificauit ibi altare Domino, obtulitque holocauſta & pacifica.

In regum vero ita ſcriptum eſt: *Emit ergo Dauid aream & boues argenti ſiclis quinquaginta.* Vnde Hebræi autumant intelligi debere, in hac diuerſitate numerorum, boues argenti ſiclis quinquaginta, aream vero ſexcentis auri emptam eſſe. Alij autem dicunt in hac diſtantia emptionis, Id, quod in libro Regum ibi tantum quinquaginta ſiclis area empta eſſe commemoratur, ſolummodo exprimere locum altaris, vbi obtulit holocauſtum: Illud vero, quod in paraliopomenon narrat, ſexcentis ſiclis auri comparatam aream, locum ſignificare totius templi, in quo Salomon poſtea templum ædificauit & atria eius. 2. Reg. 24. F

Et inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de coelo ſuper altare holocauſti.

Sub Moyſe tantum & Dauid & Salomone & Elia ſuper altare aſcendit ignis è cœlo. Sub Manue autem Angelus de petra erupit in flamma. 3 Reg. 18. Iud. 3.

Præcepitque Dominus Angelo, & conuertit gladium ſuum in vaginam. Protinus ergo Dauid videns, quod exaudiſſet eum Dominus in area Ornan Iebuſæi: immolauit ibi victimas. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon; & non præualuit, Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Dominum; nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.

Debuerat enim Dauid (iuxta id, quod in lege præceptum eſt) in altari Domini coram tabernaculo fœderis hoſtias immolare: ſed propter repentinum caſum ſpacium illuc pergendi non habuit, ſiue etiam in mentem illi non occurit. Gladium ergo Angeli Domini plagam mortis dicit, quam Dominus Angelico miniſterio in homines miſit. In Exodo ergo legitur Dominus deſcendiſſe in Ægyptum, & peremiſſe primogenita Ægyptiorum: ſed & hoc per miniſterium angelicum, ſicut & iſtud, factum creditur: quia diuinitas non localiter mouetur, ſed ex ſemetipſa ſemper idem manens æterna poteſtate omnia diſponit, regit & gubernat. G Exod. 12.

CAPVT XXII.

D*Ixitque Dauid: Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael. Et præcepit, vt congregarētur proſelyti de terra Iſrael, & conſtituit ei latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Domini.*

In illo ſiquidem loco (vt Hebræi autumant) aliquando contigerat Abraham offerre ſuum filium Iſaac: quando, cum iam paratus eſſet occidere filium & in holocauſtum exhibere, improuiſo aries apparuit & altare circūſtetit, quem Abraham pro filio (ſicut prædiximus) immolauit. Congregatus proſelytis de terra Iſrael, latomos ad cindendos lapides & poliendos Dauid conſtituit: quia de terra Eccleſiæ artifices domus Dei Redemptor noſter elegit, qui inconditos mores hominum ſecuri Scripturarum cæderent, & dolabra verbi Dei eos polirent: quatenus aptè in ædificatione ſpirituali ſibi inuicem per iuncturas diuerſas fidei & charitatis cōuenirent, iuxta illud, quod per Oſee dicitur: *Dolaui in Prophetis, & occidi in verbis oris mei; & iudicia mea, quaſi lux, egredietur. Quia miſericordiam volo, & non ſacrificium; & ſcientiam Dei plus, quam holocauſtum.* Gen. 22. H Oſe. 22.

Ferrum quoq; plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras atq; iuncturas præparauit Dauid; & æris pondus innumerabile. Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij & Tyrij deportauerunt ad Dauid.

Quid eſt, quod Dauid Salomoni filio ſuo præparauit

Digitized by Google

A

Rom. 9.

ſumptus ad ædificium domus Dei: niſi quod Patres Veteris Teſtamenti, *ex quibus Chriſtus ſecundum carnem originem duxit*, docendo atque operando inſtrumenta competentia ad ædificationem ſpiritalis ædificij parabant; vt veniente ipſo Rege noſtro, vere ſcilicet Pacifico, eorum ſupplementis, hoc eſt, eorum atteſtationibus fidem confirmaret Euangelij, & Eccleſiam ſuam varijs ornamentis Scripturarum decoraret. Præparauit quoque ferrum plurimum ad clauos ianuarum, & ad omiſſuras atque cuncturas, cum fidei firmitatem ſacris dogmatibus ordinauit: quatenus intrantes in Eccleſiam timoris Dei aculeis configerentur, & dilectionis & ſocietatis fœdere per eandem fidem inuicem necterentur. Vnde idem

Pſal. 118.

Pſalmiſta precatur Dominum dicens: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Et alibi de ipſa ſpeciali Hieruſalem loquitur, dicens:

Pſal. 121.

Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Et paulo poſt: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Præparauit & æs, cum lectiones ſonoræ & cantica ſpiritalia ab ipſis ſanctis Patribus ad inſtructionem ſanctæ

B

Eccleſiæ condita ſunt. Præparauit & ligna cedrina, cum viros virtutibus claros in ipſis Scripturis ſuis ad exemplum fidelium inſeruerunt: quales fuerunt Abel, Enos, & Enoch, & Noe, & Abraham, & cæteri Patriarchæ; qui ambulauerunt cum Domino, & translati ſunt à mundo, quorum iuſtitiæ obliuionem non acceperunt: qualis Moyſes & Prophetæ,

Act. 7.

qui prænuntiauerunt de aduentu iuſti, & pijs dogmatibus ſacramenta, quæ nunc ſalubriter ſancta tenet Eccleſia, præconiati ſunt, quales & cæteri iuſti,

Heb. 11.

qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſionem. Hæc ergo ligna Sinodij & Tyrij ad Hieruſalem deformauerunt, quia non ſolum prædicantibus Apoſtolis & primus de Iudæa Enangelij diſpenſatoribus, verum etiam ipſis doctoribus, qui de gentium populo ad opus verbi electi ſunt tales viri ad notitiam Eccleſiæ peruenerunt: vt eorum documentis atque exemplis domus Dei cottidie ex viuis lapidibus conſtrueretur.

Et dixit David: Salomon filius meus paruulus puer eſt & delicatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis eſſe debet, vt in cunctis regionibus nominetur.

C

Præparabo ergo omnia neceſſaria. Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas. Vocauitque Salomonem filium ſuum, & præcepit ei, vt ædificaret domum Domini Deo Iſraël.

Quod autem Dauid Salomon filium ſuum puerum paruulum eſſe dicit & delicatum, domum autem, quam ædificare diſpoſuerat, magnam futuram: ſignificat, quod temporibus veteris Teſtamenti obſcura fuit notitia incarnationis Chriſti ad æquiparationem veritatis Euangelij: in qua omnia ſunt manifeſtè declarata, quæ in lege per figuram fuere denotata: ſiue etiam, quod eo tempore paruus numerus fuerit credentium, qui membra ſunt CHRISTI, ad comparationem fidelium, qui futuri erant ſub Nouo Teſtamento. Tunc

Pſal. 75.

enim fuit, quod ſcriptum eſt: *Notus in Iudæa* (tantum) *Deus, & in Iſrael magnum nomen eius:* & nunc, quod idem

Pſal. 85.

Propheta in alio Pſalmo præcinebat, dicens: *Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum: quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia. Tu es Deus ſolus.*

D

Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes parauit impenſas: cum quomodo ſancti viri, virtutibus ac ſapientiæ decore præclari, in ædificium ſpiritale domus Dei pertinerent, lex & Prophetæ æqualiter prædicendo demonſtrabant. An non Moyſes impenſas domus Dei præparauit, qui ad

Deut. 10.

filios Iſrael in Deuteronomio locutus eſt, dicens: *O Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, cuſtodiaſque mandata Domini, & ceremonias eius? Filij eſtote Domini Dei veri.*

Deut. 14.

Non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo: quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo. Sic & Eſaias, numquid enim ſumptus præparauit ad conſtruendum Domum Dei, qui futuro populo credentium per prophetiæ ſpiritum ex perſona

E

Eſa. 44.

Domini ait: *Audi Iacob ſerue meus, & Iſrael, quem elegi. Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab vtero auxiliator tuus: Noli timere Iacob ſerue meus, & rectiſſime, quem elegi: effundam enim aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.* Et iterum:

Eſai. 49.

Muri, inquit, *tui coram oculis meis ſemper. Venerunt ſtructores tui, deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamento, veſtieris & circundabis tibi eos, quaſi ſponſa.* Et alibi:

Leuit. 26.

Habitabo, inquit, *in illis, & ambulabo in eis: & ipſi erunt mihi populus, & ego ſum eis in Dominum.* Hinc & Hieremias ait:

Ier. 31.

Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ego ero eis in Dominum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.

F

His ergo omnibus teſtimonijs demonſtratur, domum cœleſtis ædificij longo tempore ante eſſe prædictam: ſed in aduentu CHRISTI Domini noſtri veraciter eſſe completam: quia ipſe veniens per ſe benedictionem tribuit, qui ante legem dedit per ſeruum, & ſui notitiam per Euangelij prædicationem, illuſtrante Spiritus ſancti gratia, ſine perſonarum acceptione omnibus contulit: nunc ſcilicet in fide, poſtmodum autem in ipſius veritatis contemplatione.

Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei: ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me.

G

Quid eſt, quod Dauid dicit, ſibi interdictam à Domino domus Dei ædificationem propter multi ſanguinis effuſionem, niſi quod demonſtrat Iudæos propter carnalem obſeruantiam legis, ac ſanguinolenta opera, victimarum corporalem mactationem, non poſſe Spiritalis ædificij templum Domino reparare? Dum enim attenti appetebant terrena, minus ſolliciti fuerant ad quærenda cœleſtia. Siue etiam ſignificat, ipſos Iudæos, qui pollutas manus habebant ſanguine Prophetarum ac ipſius Domini; non poſſe propter ferocitatem cordis ſui, Chriſti agnoſcere pietatem, qui

1. Tim. 1.

venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, credentes in ſe ab omni labe peccati mundare,

Tit. 2.

& facere ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vnde ipſa Veritas in Euangelio eidem populo ſub nomine Hieruſalem improperat, dicens:

Matth. 23.

Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, et noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.

H

Hæc ergo dignitas veri Dei templi ædificandi Pacifico noſtro reſeruata eſt: de quo ad Dauid ipſe Dominus ait:

Filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus; faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, et ob hanc cauſam pacificus vocabitur, et pacem et otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, et ipſe erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem. firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum.

In Pſalmo ſeptuageſimo primo (cui titulus eſt, *Pſalmus in Salomonem*) manifeſtis myſterijs Pacifici noſtri, hoc eſt, Domini Ieſu Chriſti Propheta Dauid prænuntiat aduentum, vbi inter alia dicit: *Orietur in diebus iuſtitia et abundantia pacis, donec extollatur Luna.* Erſic quoque. Orietur in die in tempore ſanctæ incarnationis: quando erat partu Virginis naſcitura. Iuſtitia enim Verbum Patris eſt, quod omnem creaturam & temporalia fecit vniuerſa, de quo legitur:

Pſal. 84.

Veritas de terra orta eſt, et iuſtitia de

A *cœlo proſpexit.* Addidit: *Et abundantia pacis, donec extollatur Luna.* Et hic quoque ſubaudiendum eſt *orietur.* Abundantia ergo Patris eſt, dum religio Chriſtianorum toto orbe dilatatur: *donec extollatur luna,* dixit, id eſt, quamdiu protendatur & augeatur Eccleſia, aut conſtitutus prædeſtinatorum numerus compleatur. Et paulo ante in eodem Pſalmo: *Ibidem.* *Suſcipiant,* inquit, *montes pacem populo tuo.* Per *montes* ſignificantur Apoſtoli & Prophetæ, qui ad ſuperna firmiter eleuati cœleſti gratiæ proximant. Iſti ergo tales pacem, id eſt, Chriſtum ſuſcipiunt fidei populo prædicandum. Ipſe enim Domini populus eſt, qui ei credidit, & ſpirituali ſe conuerſatione tractauit. De hoc pacifico Eſaias ita ſcribit, dicens: *Eſai. 9.* *Paruulus enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius: vocabitur nomen eius, Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* *Epheſ. 2.* *Ipſe eſt pax noſtra* (iuxta Pauli atteſtationem) *qui fecit vtramque vnum;* qui in Euangelio diſcipulis ait: *Ioan. 14.* *Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis.* B Qui veniens in mundum, *Epheſ. 2.* *pacem prædicauit his, qui prope, & pacem his qui longe fuerunt, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem.* Ipſe (inquit) ædificabit domum nomini meo: *Heb. 3.* *quæ* (teſtante Apoſtolo) *domus ſumus nos, ſi fidem firmam vſque ad finem retinuerimus.* Vnde memoratus gentium Apoſtolus ad ipſas gentes ſcribens ait: *Epheſ. 2.* *Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & Domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino; in quo & vos ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Et ipſe (inquit) erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem, firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum. Huic ſententiæ concordat Pſalmus octogeſimus octauus, vbi ex perſona Domini ita ſcriptũ eſt: *Ipſe inuocauit me: Pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ: & ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam. & teſtamentum meum fidele ipſi: & ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.* Et hoc à forma ſerui dicitur. C In his quatuor verſibus abſolutè debellatur iniquitas Iudæorum & hæreticorum. Quid enim euidentius, quid planius, vt eſſe credatur filius, qui inuocat patrem: & rurſum credatur eſſe puer, qui appellat filium? Nam quamuis hæc duo nomina relatiua ſibi ſint, vnumque ſufficiat dici, vt amborum virtus poſsit intelligi: tamen vt omnem ſcrupulum ambiguitatis excluderet, vtraque poſuit, vtraque firmauit: & adhuc non deſinit Iudæorum inſana deuiate proteruia, dum erroris fuit cauſa ſublata. Quod autem ſequitur: *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ:* perſcrutandum & nobis eſt, quare dixit, *primogenitum:* quaſi verò Pater ſic genuit ſubſtantialiter Filium, vt ſubſequeretur & alius. Et hoc locutionis genus Scripturæ diuinæ conſtat eſſe proprium: ſicut eſt & illud in Euangelio de Ioſeph & Maria, vbi ait: *Matth. 1.* *Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Nunquid conſequens erit, vt virgo ſemper Maria poſt Dominum Chriſtum, alterum pepeiſſe filium credatur? Sed bene dicitur *primogenitus:* quamuis ſolus proD betur ex Patris ſubſtantia genus. Ipſe enim dicit: *Ego ſum alpha & omega, nouiſſimus & primus:* initium & finis, princeps & origo *Dauid:* vt merito ſermo iſte quæſtionem habere non debeat, quando ipſum & principium eſſe conſtat & finem. Ponam, conſtituam (dicit: ſicut in ſecundo. Pſalmo ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*) *excelſum præ regibus terræ:* ſicut in ſeptuageſimo primo Pſalmo dictum eſt: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ.* In æternum (inquit) ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et hoc à forma dicitur ſer*Matth. 28.* ui: quia miſericordiam Patris æterno videlicet honore ſuſcepit, cui perpetua data eſt poteſtas in cœlo & in terra. Teſtamentum vero fidele eſt illi, quando quæcumque Prophetæ de ipſo prædixerũt, integerrima veritate completa ſunt. *Et ponam* (inquit) *in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius, ſicut dies cœli.* Seculum ſeculi ſignificat æternitatem. Semen vero Dauid Chriſtus eſt *Dominus,* qui in æterna gloria collocatur, regnat cum Patre & Spiritu B ſancto per omnia ſecula ſeculorum. Thronus autem eius, poteſtas eſt futuri iudicij: quæ tanta veritate peragenda eſt, vt ſanctis omnibus cœleſti claritate præfulgeat. Sciendum ſane, alios eſſe dies iſtos, qui ſibi vicaria reuolutione ſuccedunt; & illum futurum, qui continua luce perpetuus eſt: de quo in octogeſimo tertio Pſalmo dictum eſt: *Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper milia.* Aut merito dies cœli ſit dictus, qui obiectu telluris tenebras non poteſt habere nocturnas.

Ecce ego in paupertatula mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum milia, & argenti mille millia, talentorum æris vero & ferri non eſt pondus: vincitur enim numerus multitudine. Ligna & lapides præparaui ad vniuerſa impendia.

Quod *Dauid* in paupertate ſe dicit impenſas domus *Domini* præparaſſe, licet hæc verba humilitatem eius inſinuent: tamen figuraliter ſignificant indigentiam literæ legalis, quæ ſcientiæ multiplici deſeruit noui TeſtaF menti: Nam ipſa propter infirmitatem & inutilitatem eius *nihil ad perfectum adduxit:* ſicut Apoſtolus teſtatur, di*Heb. 7.* cens: *Heb. 10.* *Lex enim eſt exemplar verorum atque cœleſtium, vmbram habere futurorum bonorum, non ipſa exprimens imaginem re**Gal. 4.* *rum:* quam & *elementum huius mundi* alibi nuncupauit. *Col. 2.* Omnis enim res terrena ſi comparetur cœleſtibus, & temporalia ſi adequentur æternis; quaſi parua eſſe videntur. Et tamen ſtructura, quæ in altum ſurgere nititur, & in imo fundamenta collocet neceſſe eſt; & ſic ad excelſiora prouehatur. Præparauit Dauid impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: cum patres veteris Teſtamenti in ſcriptis ſuis & ſenſus profunditatem, & eloquij venuſtatem copioſe inſerebant, quorum etiam perfectionem perfecti numeri demonſtrant. Centenarium ergo numerum & millenarium perfectos nemo eſſe ambigit. Similiter & in talenti nomine, quod cæteris ponderibus magnitudinis præminet, perfectio eiuſdem rei oſtenditur. Quod vero æris & ferri dicit non eſſe pondus: ſignificat, diuinorum teſtimoniorum firmitatem non eſſe æſtimabilem: quia conſtat eam eſſe incommutabilem. VnG de Saluator in Euangelio ad diſcipulos ait: *Matth. 5.* *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis: iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Et alibi: *Marc. 13.* *Cœlum,* inquit, *& terra tranſient: verba autem mea non tranſient.* Ligna & lapides præterea *Dauid* præparauit ad vniuerſa impendia ædificiorum; quia diuerſas hominum perſonas, quas lignorum & lapidum nomina notant (lignorum ſcilicet propter elationem mentis, & lapidum propter duritiam cordis) lex & prophetæ, ſecuri verbi decidendo & poliendo, ad conſtructionem domus Dei decentiſſime præparabant.

Habes quoque plurimos artifices, latomos & cementarios, artifices quoque lignorum omnium artium, ad faciendum opus prudentiſſimos in auro & argento, ære & ferro.

Artifices domus Dei prædicatores ſunt ſancti, qui aliquando latomorum, aliquando vero cementariorum, aliquando etiam carpentariorum, atque fabrorum auri H & argenti, & cæterorum metallorum nomine propter diuerſas actiones nũcupantur: quia iuxta qualitatem auditorum formari debent ſermones prædicantium. Aliter enim docendi ſunt ſapientes, atque aliter inſipientes; aliter ſuperbi, aliter humiles; & aliter fortes, atque aliter infirmi ſunt imbuendi.

Præcepit quoque David cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum: cernitis, inquiens, quod Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos in manum veſtram, & ſubiecta ſit terra coram Domino, & coram populo eius. Præbete ergo corda veſtra & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum, & conſurgite & ædificate ſanctuarium Domino Deo.

Quod Dauid præcepit cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum in opere templi; oſtendit, quod Lex & Prophetæ firma authoritate docebant, vt omnes, qui principatum Iſrael rite gererent,

A *Saluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vnde incenſum orationis eius ſemper placabile eſt apud Deum. Quod vero ſequitur:

Moyſi quoque hominis Dei, filij annumerati ſunt in tribu Leui, &c.

Significat, non paucos de priori populo ad Eccleſiaſticum ſacerdotium pertinere: ſicut manifeſtè in Actibus Apoſtolorum. de primitiua in Hieruſalem demonſtratur Eccleſia, vbi ſcriptum eſt: *Verbum autem Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valde. Multa enim turba ſacerdotum obediebat fidei.* (*Actor. 6.*) Poſt hoc quoq;, enumeratis principibus de filiis Leui, ſubſequitur Scriptura dicens:

Hi filij Leui in cognationibus & familiis ſuis principes per vices & numerum capitum capitum ſingulorum, qui faciebant opera miniſterij domus Domini à xx. annis & ſupra.

Quid eſt, quod à xx. annis, & ſupra, dicit miniſtros domus Domini annumeratos: niſi quod oſtendit, omnes, qui miniſterio Domini fungi voluerint, decalogi obſeruantiam in duobus præceptis charitatis ſeruare debere? B & ſecundum eorum iura miniſterium Eccleſiaſticum gerere: quia *in his duobus præceptis,* hoc eſt, in dilectione Dei & proximi, *vniuerſa pendet lex & Prophetæ.* (*Matth. 22. Rom. 13.*) *Plenitudo ergo legis* (iuxta Pauli ſententiam) eſt dilectio. Vnde Princeps Apoſtolorum, quomodo in ipſa charitate ſeruiendum ſit Deo, docet, dicens: (*2. Pet. 1.*) *Vos autem fratres curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc autem omnia ſi vobiſcum adſint & ſuperent, non vacuos & ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manutentans, obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando: Si enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti.*

C *Dixit enim Dauid: Requiem dedit Dominus Deus Iſrahel populo ſuo, & habitationem Hieruſalem vſq; in æternum: nec erit officij Leuitarum, vt vltra portent tabernaculum & omnia vaſa eius ad miniſtrandum.*

Quamdiu ergo filii Iſrahel in deſerto fuerunt, & quando terram Chanaan bellis poſſidere cœperunt, tabernaculum Domini per diuerſa loca ferebatur. Poſtquam autem templum ædificatum eſt, non fuit neceſſaria hæc locorum mutatio: ſed in ipſo templo Domini ſanctificatio Domini eſt collata, myſticè ſignificans, quod cultus atq; obſeruantia veteris teſtamenti variis figuris imitabilis ac diuerſa in ſemetipſo ſemper fuit. Cum autem ad Euangelium acceſſit, iam ibidem ſtabilitatem motus ſui inuenit: (*Ioan. 1.*) *quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Iuxta præcepta quoque Dauid nouiſſima ſupputabitur numerus filiorum Leui à xx. annis, & ſuprà: & erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & vniuerſis operibus miniſterii templi Domini. Diſtribuente Dauid Leuitæ à xx. annis iuxta præceptum legis ſub manu filiorum Aaron, hoc eſt, D ſacerdotum in cultum domus Domini ordinabantur, vt minores diſcerent maioribus obedire, & maiores à minoribus adiuti dignius officium ſuum in miniſterio domus Domini poſſent explere. Sic & in Eccleſia præſenti minores gradus maioribus per humilitatem ſemper debent ſubeſſe, & maiores per charitatem minoribus ritè præeſſe: & ita omnium membra erant in pace. Quod autem dicit:

In veſtibulis & exedris.

Veſtibulum eſt locus ante fores, quod dicitur porticus vel aditus domus priuatæ, vel ſpacium: inde dictum, quod eo veſtiuntur fores templi vel quorumlibet ædificiorum. Exedræ quoque ſunt thalami vel cubicula, quæ habitationi Leuitarum atque ſacerdotum fuerant præparata: in his ergo Leuitæ miniſtrantes excubabant, quatenus docerent veri templi Domini miniſtros aditum ipſius diligenter obſeruare, & dignos quoſque intromittere, indignos vero inde abiicere atque repellere, quia clauiger E cœleſtis peruigil ſemper eſſe debet & cautus in omnibus.

Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, ad lagana & azyma & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus atq; menſuram.

Quod in quibuſdam codicibus habet: *ad feruentem ſimilam:* & in quibuſdam: *ad torrendum tantummodo:* error eſt. In Hebræo non habet in hoc loco, *ſimilam:* quæ ſimila paululum ſuperius nominata: ſed, *ad torrendum tantummodo,* ponitur, vt ſubaudias, *ſpicas.* Primitiæ enim quando deferebantur ſpicarum, torrebantur, & graua comedebantur: quod genus cibi vulgo *grauetas* vocant. Nec enim & illud, quod in quibuſdam codicibus legitur: *ſuper omne pondus & menſuram:* in Hebræo dicitur non haberi pondus, ſed tantum menſuram. Hoc enim ſignificari putant & ea, quæ ſub brachiis ſuis manibus aut funibus metiuntur, & ea, quæ vaſis. Sacerdotum enim cura erat, vt omnia, quæ miniſteriis templi deputata erant, apte & rationabiliter & ſecundum ordinem ac menſuram fierent. F

Leuitæ ergo vt ſtent mane ad confitendum & ad canendum Domino, ſimiliterque ad veſperam tam in oblatione holocauſtorum Domini, quam in Sabbatis & Kalendis & ſolennitatibus reliquis iuxta numerum & ceremonias vniuſcuiuſque rei iugiter coram Domino.

Cum ſacerdotes ea, quæ ſupraſcripta ſunt, fecerunt; tunc Leuitæ & canendum, & ad cætera, quæ ſibi credita ſunt, officia commoueri, à Dauid ordinati ſunt. Vnde ita in ſequentibus ſcriptum eſt: *Igitur Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Eman, & Idithun, qui prophetarent in citharis & pſalteriis & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes.* Quod autem eos dicit mane & veſpere ſtare ad confitendum Domino, hoc eſt, illis horis, quando offerebatur iuge ſacrificium ſecundum legis præcepta, & in feſtiuitatis, hoc eſt, Sabbatis & Kalendis & ſolennitatibus reliquis, in G quibus ſingulis ſpecialiter deputatur ſunt oblationes Domino offerendæ, iuxta ritum legis, quæ tradita eſt filiis Iſrahel per manum Moyſi. Myſticè autem in Leuitis ac cantoribus domus Domini ſignificatur ſancta Eccleſia, quæ non ſolum priuatis locis, ac decretis temporibus, ſed in omni loco, & in omni tempore, ſemper & vbique laudat Dominum. Vnde & in Pſalterio tripudiando cum Propheta dicit: (*Pſal. 33.*) *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Ad quam & Apoſtolus loquitur, dicens: (*Epheſ. 5.*) *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu ſancto. loquentes vobiſmetipſis in Pſalmo & Hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

CAPVT XXIV.

Porro filiis Aaron hæ portiones erunt. Filij Aaron: Nadab, Zabiu & Eleazar, & Ithamar. Mortui ſunt autem Nadab & Abiu ante Patrem ſuum abſque liberis: ſacerdotioq; functus eſt Eleazar & Ithamar, & diuiſit eos Dauid, id eſt, Sadoch de filiis Eleazar, & Abimelech de filiis Ithamar, ſecundum vices ſuas & miniſterium: inuentique ſunt multo plures filii Eleazar in H *principibus viris, quam filii Ithamar. Diuiſit autem eis, hoc eſt, filiis Eleazar principes per familias, Sedim, & filiis Ithamar per familias & domus ſuas,* VIII. *Porro diuiſit vtraſq; inter ſe familias ſortibus. Erant enim principes ſanctuarii, & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.*

Quid eſt, quod Dauid diſtribuens ſacerdotalem originem, vtramque domum, & Eleazar videlicet & Ithamar, & ſacerdotii miniſterium & pontificatus dignitatem ordinauit? niſi quod Redemptor noſter non ſolum ex Iudæis, verũ ex gentib. elegit, qui ſacerdotio Eccleſiaſtico digne fungerentur? Poteſt quippe in Eleazar, ſeniore filio Aaron (q interpretatur, *Deus meus adiutor,* ſiue *Dei adiutorium,* & prior per ſucceſſioné filiorum ſuorũ ſummũ ſa-

præſente Dauid & Sadoch & Abiathar ſacerdotibus & principibus vniuerſis. Et prima quidem generatio conſcendens ſcripta eſt prima, & ſecunda pariter & tertia & conſequenter vſque ad viceſimam quartam. Et hæc diuiſio permanſit vſque ad præſentem diem. Fecit autem ex tribu Leuitarum partes XXIV. *& ſortiri eodem modo conſcendere: vtque ſecundum ſacerdotium* VIII. *diebus ipſi quoque miniſtrarent, inſtituit. Eos autem, qui erant ex germine Moyſi, hos eminentius honorauit: fecit autem eos cuſtodes theſaurorum Dei atque vaſorum, quæ Regis Deo dicare contingeret: iuſſitque omnibus de tribu Leui ſimul & ſacerdotibus, vt die noctuque Deo ſeruirent: ſicut eis præceperat Moyſes.*

Capvt XXV.

IGitur Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Eman, & Idithun, qui prophetarent in citharis & pſalteriis & cymbalis, ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes, & reliqua.

Elegit Dauid ac ſegregauit cum ſenioribus populi tres principes cantorum, Aſaph ſcilicet & Eman & Idithun: vt ipſi cum filiis ſuis prophetarent in citharis & pſalteriis & cymbalis ſecundum deputatum ſibi officium: vt præſignaret, quia verus Dauid, Rex & Dominus noſter, omnem ordinem Eccleſiaſtici miniſterii in ſancta Trinitatis fide miniſtranda ſuum officium agere vult: nec alius ei laudes digne canere poteſt, niſi qui in confeſsione Patris & Filii & Spiritus ſancti per fidem, & ſpem & charitatem illum laudat. Quod & trium prædictorum principum nomina interpretatione ſua apte demonſtrant. Nam Aſaph, *colligens*, interpretatur: Heman, *cor eorum*: & Idithun, *tranſiliens*. Qui enim mente ſagaci diuinorum librorum ſententias colligit, atque tranſiliens omnem terrenarum rerum cupiditatem, eas ſecundum charitatis regulam rimando tractauerit: hic profecto diuinæ Maieſtati dignus laudes decantabit. Quid autem ipſa inſtrumenta, hoc eſt, cithara & pſalterium & cymbala ſignificent: ſuperius dictum eſt.

Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti Doctores ducenti octoginta octo.

Apte Doctores cantici Domini ducenti octoginta octo eſſe dicuntur, vt oſtendatur, ipſos merito Doctores diuinæ laudis dici poſſe, qui canonem diuinorum librorum ſenſu Euangelio exponunt. Quater enim ſeptuaginta duo ducenta octoginta octo faciunt: libros autem veteris & noui teſtamenti ſeptuaginta duos eſſe omnibus notum eſt. Et ideo neceſſe eſt, vt quicunque diuino officio fungi ritè voluerit, quatuor principalibus virtutibus operam dans, meditationi Euangelicæ doctrinæ maximè incumbat, & ſecundam eius normam, quicquid dicerit, vel quicquid docuerit, formare curet.

Miſeruntque ſortes per vices ſuas ex æquo, tam maior quam minor, doctus pariter & indoctus, & reliqua.

In omnibus ordinibus neceſſaria eſt cauta electio, ne fortè quis perpetulantiam ſuam Eccleſiaſtici ordinis gradum dare aut accipere præſumat. Vnde hic, maior & minor, doctus pariter & indoctus vt ſortibus ſubiaceant, docet. Huic & Paulus ad Timothæum ſcribens ait: *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Tu ergo fili confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere.* [1. Tim. 5.] Huic & per ſingulos ordines inſtrueris docet, qualiter vnuſquiſque peruenire ad gradum, & qualiter in eo conuerſari debeat: quia periculoſum eſt, quodlibet onus ſubire velle, quod ſe ſcit omnino ſufferre non poſſe. Enumeratis ergo ianitoribus, & origine eorum, ſequitur Scriptura, dicens:

***

Capvt XXVI.

HI diuerſi ſunt ianitores, vt ſemper principes cuſtodiarum ſicut & fratres eorum, miniſtrarent in domo Domini. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo & paruis & magnis per familias ſuas in vnamquamque portarum. Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Porro Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo & erudito, ſortito obtigit plaga Septentrionalis. Obed Edom vero & filiis eius ad Auſtrum: in qua parte domus erat ſeniorum concilium Sephima & Choſa ad Occidentem iuxta portam quæ ducit ad viam aſcenſionis, cuſtodia contra cuſtodiam. Ad Orientem vero Leuitæ VI. *& ad Aquilonem* IV. *per diem: atque ad Meridiem ſimiliter in die* IV. *& vbi erat concilium, bini & bini. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem* IV. *in via, binique per cellulas. Hæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Chore & Merari.*

Ianitores ſunt & principes cuſtodiarum domus Dei, Doctores ſancti, qui obſeruant introitum Eccleſiæ, & ſingulorum, qui ad baptiſmum Chriſti, atque ad veram religionem accedunt, fidem & deuotionem explorant. Hi etiam ex æquo, & paruus & magnus, per ſortes eliguntur: quia non ſecundum perſonarum conſiderationem, ſed iuxta intellectum ſapientiæ, & probitatem vitæ, in honorem gradus promouentur. Vnde princeps Apoſtolorum diſceptantibus aduerſum ſe Iudæis de gentium ad fidem ſuſceptioni reſpondit: *In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet Dominum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* [Act. 10.] Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Et quid per Selemiam, qui interpretatur, *reddente Domino*, niſi officium Apoſtolorum & primorum Doctorum Euangelii inſinuatur, quibus Orientalis porta, hoc eſt, primitiua in Iudæis Eccleſia commendatur. Hi ergo merito, *reddente Domino*, dicuntur: quia ſicut antiquis patribus Dominus promiſit, ita in filiis eorum ipſe compleuit. Vnde de eis per Eſaiam dicitur: *Ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Exultabo in Hieruſalem, & gaudebo in populo meo, & ædificabunt domos, & habitabunt, et plantabunt vineas, et commedent fructum earum: non plantabitur, et alius commedet. Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei: et opera manuum eorum inueterabunt electi mei. Non laborabitur fruſtra, neque generabunt in conturbationem: quia ſemen benedictorum Domini eſt, et nepotes eorum cum eis.* [Eſa. 65.]

Porrò Zachariæ filio eius, viro prudentiſsimo & erudito, ſorte obtigit plaga Septentionalis. Per Zachariam, qui, *memor Domini*, interpretatur, & fuit filius Selemiæ, Doctores gentium, qui ab ipſis Apoſtolis & primis prædicatoribus Euangelii ad prædicandum gentibus ordinati ſunt, deſignantur: qualis fuit Barnabas & Saulus de quibus, orantibus diſcipulis & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* [Act. 13.] Per Septentrionalem plagam quæ frigidum ventum emittit, frigus infidelitatis Gentilium figuratur. Sed ex his plurimi ad fidem veniunt: vnde eis porta Septentrionalis & ianitores eius deputantur. De quibus per Hieremiam dicitur: *Erit dies, in qua clamabunt cuſtodes in montes Ephraim: Surgite, aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum: quia ſic dicit Dominus: Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus & claudus prægnans & pariens ſimul. Cœtus magnus reuertentium huc in fletu venient: & in precibus deducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent ea.* [Ier. 31.] ObedEdom verò & filiis eius ad Auſtrum deputata erat cuſtodia portarum. Et quid per ObedEdom, niſi Doctores illi, qui ad prædicandum Iudæis ordinati ſunt? De quibus Paulus ſcribens ad Gallathas ait: *Cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Petrus et Iacobus et Ioannes, qui videbantur colũnæ eſſe dextras mihi dederunt et Barnabæ Societatis vt nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem.* [Galat. 2.] De his Lucas in Actibus Apoſtolorum narrat, dicens: *Illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerant vſque Phœnicem et Ciprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.* [Actor. 11.]

Rectè ergo Auſtri nomine plebs Iudaica figuratur,

A quæ legalibus & Propheticis ſententiis inſtructa vicina fuit ad percipiendum calorem fidei ac lucem ſapientiæ diuinæ. Et meritò hic ObedEdom & filii eius ad aperiendas portas domus Dei deputantur: vt nomina miniſtrorum congruerant perſonis ipſa miniſteria accipientium. Nam Obed interpretatur, *ſeruiens:* & Edom, *rubens.* Qui ergo ancillæ filii fuerunt à monte Sinai in ſeruiturem generati, & perfuſi rubore ſanguinis Chriſti, reatum ſuum in propatulo habuerunt: dignum fuit, vt per humilitatem ac condeſcenſionem magiſtrorum reducerentur ad priſtinam, vnde decidere, dignitatis gradum. Quorum pietatem & manſuetudinem Paulus per Epiſtolam in ſua perſona expreſſit, dicens: *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis, tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. His, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege: vt eos, qui ſub lege erant lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes ſaluos facerem.* Et paulo poſt: *Factus ſum,* inquit, *infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem.* (1. Cor. 9.) Quod autem ſubiungitur: *In qua parte domus erat ſeniorum conſilium:* oſtendit, quod ex ipſa

B plebe fuerunt Apoſtoli & Prophetæ, qui propter maturitatem ſapientiæ ſeniores ritè nominantur. De quibus in cantico Deuteronomii Moyſes ait: *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi ſeniores tuos, & dicent tibi.* (Deut. 32.) Et in Prouerbiis Scriptum eſt: *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenioribus terræ.* (Prou. 31.) Qui autem horum ſeniorum audit conſilium, profecto animæ ſuæ verum inueniet remedium. Porrò quod ſequitur: *Sepphania & Choſa ad Occidentem iuxta portam, quæ ducit ad viam aſcenſionis per Occidentalem plagam, vbi Sol occidit:* nouiſſimum tempus huius ſeculi iuxta finem mundi ſignificatur, quando futura eſt perſecutio validiſſima ſub AntiChriſto, & (ſecundum ſententiam Domini) *ſcandalizabuntur multi:* atque (iuxta Pauli ſententiam) *abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum.* (Matth. 24.) Huius ergo portæ ianitores ſunt Doctores illius temporis, qui conculcatam perſecutionibus Eccleſiam ſuis dogmatibus leuant, atque exhortationibus roborant. Quod benè ipſorum ianitorum exprimunt nomina Interpretatur enim Sepphana, *humilis* ſiue *campeſtris:* & Choſa, *diuinans.* Humiliabitur enim tunc Eccleſia hoſti-

C um perſecutionibus, licet ſanctorum roboretur dogmatibus. Campeſtris efficitur in laſciniorum moribus: ſed imperfectorum eleuabitur actibus. Quæ vtraque diuinis demonſtrantur eloquiis. Scriptum eſt in nouiſſima viſione Danielis Prophetæ, quod Angelus dixit ad Prophetam: *Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad tempus præfinitum, donec eligentur, & dealbabuntur &, quaſi ignis probabuntur multi: & impie omnes agent impij. Porro docti intelligunt.* (Dan. 12.) Paulus autem ad Timothæum ita ſcribens ait: *Hoc autem ſcito quod in nouiſſimis diebus inſtabunt, tempora periculoſa. & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi elati ſuperbi, blaſphemi parentibus inobedientes ingrati. ſceleſti ſine affectione, ſine pace, criminatores, inconuenientes, immites, ſine benignitate, proditores proterui, timidi, voluptatum amatores magis quam Dei habentes ſpeciem pietatis quidem, virtutem autem eius abnegantes.* (2. Tim. 3.) Et benè dicitur, quod hæc porta iuxta viam aſcenſionis fuerit: quia illius temporis æuum propinquum erit diei iudicii, quanto in reſurrectione corpora immortalia ſuſcipientes per præſentiam iuſti iudicii ad poſſidendum regnum Patris cœleſtis inuitantur. Quod

D autem dicitur, quod cuſtodia fuerit contra cuſtodiam: ſignificat concordiam diuinorum teſtamentorum: quia quod ſancti Patres ante Incarnationem Dominicam de myſteriis futuris Eccleſiæ præfigurabant typo, hoc Doctores Euangelii modo poſt expletam Incarnationem Domini, paſſionem, reſurrectionem atque aſcenſionem ad cœlos geſtu demonſtrant euidentiſſimo: necnon & cætera turba fidelium de Iudæis atque gentibus vna fide, vno baptiſmate, vnius Dei per totum Orbem terrarum celeberrimo comprobat culta. *Ad Orientem,* inquit, *Leuitæ ſex: ad Aquilonem* IV. *per diem: atque ad Meridiem in die ſimiliter* IV. *& vbi erat concilium, bini & bini. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. Hæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Chore & Merari.* Quod dicit, in Oriente VI. Leuitas, atque in cæteris pla-

E gis eſſe quatuor conſtitutos: per ſenarium numerum primum bonam operationem diuinorum ſignificat miniſtrorum. Per quaternarium quoque Euangelica exprimitur doctrina, ſimul cum quatuor virtutum principalium plenitudine. Quiſquis ergo ianitor diuini templi hoc eſt, Doctor ſanctæ Eccleſiæ fieri voluerit: neceſſe eſt, vt Euangelicam doctrinam ſimul cum bonorum operum perfectione ſtudeat habere, vt ij qui ad ianuam ſpiritualis ædificii accedunt, per ipſorum doctrinam atque exempla ritè poſſint intrare, ac laudes Domino ibidem digne cantare. Quibus per Pſalmiſtam inuitantem ad laudandum Dominum dicitur: *Intrate portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis confeſſionum. Laudate nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius, & vſque in ſeculum ſeculi veritas eius.* (Pſal. 99.) Nec illud etiam ſine myſterio eſt, quod ipſos ianitores dicit binos eſſe in cellulis atque in via: ſed ſignificat, æditu or Domini, ſiue in cellulis ſint, hoc eſt, in ſemetipſis interius curam gerant, ſiue in via, hoc eſt, vt aliis exterius verbum Dei prædicent, ſemper duo præcepta charitatis ſecundum regulam diuinorum teſta-

F mentorum omnino ſeruare debere.

Porro Abias erat ſuper theſauros domus Domini, & vaſa ſanctorum.

Quis eſt iſte, qui præponitur theſauris domus Domini: niſi Redemptor noſter, in cuius poteſtate ſunt omnia dona virtutum ac ſapientiæ, quæ ſancta habet Eccleſia. (Interpretatur enim Abias, *frater meus.*) De quo Paulus ait: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte ſortis ſanctorum in lumine: qui eripuit, nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus Redemptionem, remiſſionem peccatorũ, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* (Col. 1.) (Col. 2.)

G *Filij Ledan filij Gerſoni. De Ledan principes familiarum. Ledan & Gerſon Iehieli. Filij Iehieli, Zathan & Iohel frater eius, ſuper theſauros domus Domini. Amramitis & Iſaaritis & Hebronitis & Ozihelitis: Subahel autem filius Gerſoni, filij Moyſi, præpoſitus thezauris.*

Denique Moyſi filii qui eminentius à Dauid honorabuntur, vt Ioſephus teſtatur, & ſuper thezauros domus Domini conſtituebantur, ſignificant, Doctores de Iudaica plebe eſſe præpoſitos domus Dei, quibus ornamenta ſanctæ Eccleſiæ, hoc eſt, decor animarum commendatus eſt. De ipſa enim plebe fuerunt Apoſtoli & primi doctores Euangelii, qui meritò cuſtodes dicuntur eſſe thezaurorum: quia diſpenſatores cœleſtium fuere ſacramentorum.

Frater quoque eius Eliezer, cuius filius Raabia, & huius filius Iſaias, & huius filius Ioram, huius quoque filius Zechri ſed & huius filius Salemith. Ipſe Salemith & fratres eius ſuper thezauros ſanctorum: quæ ſanctificauit Dauid Rex & principes familiarum & tribuni & centuriones & duces exercitus de bellis & manubiis preliorum quæ conſiderauerant ad inſtaurationem & ſuppellectilem templi Domini. Hæc autem vniuerſa ſanctificauit H *Samuel videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner Ioab filius Saruiæ,* &c.

Hac ſententia oſtendit, donariæ principum theſauros eſſe ſanctorum. Quæ enim prædicti Reges ſiue Duces de manubiis hoſtium ablata offerebant, in ſuppellectilem templi Domini redigebant, hoc myſticè ſignificando: quod quicunque bene laborans aliquid virtutis bonorum operum acquiſierit, Dei hoc eſt gratiæ, non ſuis meritis deputare debet, atque ad laudem ipſius cuncta transferre, dicenda cum Propheta: *Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.* (Pſal. 113.)

Iaaritis vero præerat Chonenias & filij eius ad opera foriſecus ſuper Iſrahel, ad docendum & iudicandum eos.

Qui ſunt illi operarii, qui opera Iſrahel foriſecus ope-

A

rantur: niſi illi, qui in ſancta Eccleſia per ſimplicitatem mentis humilitati obedientiæ operam dant vt ea, quæ ſibi à magiſtris imperantur, deuota mente, ac ſtrenua perficere ſtudeant actione. Hi licet idonei non ſint lingua alios docere, tamen operibus doctrinam virtutum proximis oſtendunt. Horum typum præferebat Iacob Patriarcha, Gen. 25. de quo ſcriptum eſt, quod vir ſimplex habitaret in tabernaculis. Hoc & Nathanael præfigurabat in Euangelio: cui ipſe Saluator teſtimonium perhibuit, Ioan. 1. dicens: *Ecce vir Iſrahelita, in quo dolus non eſt.* Talibus ergo operariis præſeuerat Chonenias, qui interpretatur, *ærarius meus*, ſiue *nidus meus* aut *poſſeſſio*: quia ille, qui humilitati & manſuetudini præcipue ſtudet, Domini imitator factus eſt: bona exempla aliis forinſecus præbens, ipſe intus in anima nidus & poſſeſſio Dei efficitur. Vnde Do- Eſa. 66. minus per Prophetá ait: *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* Matth. 11. Hinc & ipſa Veritas in Euangelio diſcipulis ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus Veſtris.*

B

Aſabias & fratres eius, viri fortiſſimi, mille ſeptingenti, præerant Iſraheli trans Iordanem contra Occidentem in cunctis operibus Domini, & in miniſterio Regis.

Iſrahelitæ, qui trans Iordanem poſſeſſionem acceperunt, hoc in loco poſſunt ſignificare eos, qui mediocritate, ſua contenti ſummam ſcientiæ ac virtutum perfectionem ob turbulentiam iſtius ſeculi mente tranſcendendo appetere nolunt: ea tamen mandata, quæ ſciunt, bona operatione exercere non negligunt. Quos ille ſcriba ſignificat, qui in Euangelio Dominum interrogauit, di- Matth. 19. cens: *Magiſter bone, quid faciam boni, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus. Si autem vis vitam ingredi, ſerua mandata. Dicit illi: Quæ? Ieſus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices, honora patrem & matrem: & diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui: quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis. Erat enim habens multas poſſeſſiones:* aliud eſt enim exteriora

C

mandata ſeruare actione: & aliud eſt, omiſſis exterioribus rebus, totam ſe intus ad diuinam referre contemplationem. Sed quia nemo ipſa exteriora bona opera valet, niſi Dei dono: ideo dicitur iſtis præpoſitus eſſe Aſabias. Interpretatur enim Aſabias, *facienti Domino.* Hi rectè cum Propheta Domino dicere poſſunt: Eſa. 26. *Omnia enim opera noſtra operatus es in nobis.* Ioan. 15. Hinc & Dominus in Euangelio diſcipulis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Hebroniſtarum autem princeps fuit Erias ſecundum familias & cognationes eorum.

Hebron enim ciuitas, vbi regni initium accepit Dauid, eos ſignificare poteſt, qui conuerſationis initium inchoant, & Domino in ſua vita regnum præparant. Hebronitis enim Eria, qui interpretatur, Eccl. 1. *timens Dominum*, princeps conſtituitur: quia *initium ſapientiæ timor eſt Domini; intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Qui enim per timorem à malis actibus ſe coercet, & bona, quæ valet, agere ſtudet, ille timori Domini cohærens ab eo regitur.

D

Qui etiam Hebron ſua interpretatione non inconuenienter exprimit. Interpretatur enim, *coniugium.* At idem ſi in timore Domini perſeuerauerit, & ſemetipſum ſemper meliorando proficere certauerit; profectò 1. Ioan. 4. à timore ad amorem perueniet, illum videlicet, *qui perfectus foras mittit timorem*; & non iam ſeruus, ſed filius nuncupatur. Quod autem ſubiungitur: *Quadrageſimo anno regni Dauid recenſiti ſunt & inuenti viri fortiſſimi in Iazer Galaad; fratreſque eius robuſtioris ætatis, duo millia ſeptingenti, principes familiarum*, & cætera: oſtendit, quod in nouiſſimo anno regni Dauid iſta numeratio facta eſt, quando ante obitum ſuum vniuerſa ordinauit, & ſingulos iuxta officia ſua diſpoſuit, Salomonique filio ſuo omnia, quæ facienda erant, deſignando monſtrauit atque, ritus Imperii quomodo tenendus eſſet, rationabiliter expoſuit.

E

Caput XXVII.

Filij autem Iſrahel ſecundum numerum ſuum, principes familiarum tribuni, & centuriones, & præfecti, qui miniſtrabant Regi iuxta turmas ſuas. ingredientes & egredientes per ſingulos menſes in anno XXIV. millibus præerant ſinguli, & cætera.

De hoc Ioſephus ita narrat, dicens: *Poſt hæc autem diuiſit exercitum in cohortes XII. cum ducibus ſuis & centenariis & tribunis. Habebat autem vnaquaque cohors XXIV. millia virorum, quos obſeruare præcepit per tricenos dies à prima hora vſque ad nouiſſimam Salomonem Regem, cum millenariis & centenariis. Conſtituit autem in diem vniuſcuiuſque cohortis, quem bonum iudicauit & iuſtum, & tutores theſaurorum & vicorum & agrorum alios, ac iumentorum.* Denarius ergo numerus Apoſtolicum ordinem aptiſſime deſignat, quos Chriſtus

F

Ioan. 1. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 11. duodecim horis diei in Euangelio comparauit, Matth. 5. & lucem huius mundi nuncupans, lumen fidei in totum Orbem ſpargere præcepit, dicens: Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Annum ergo illum, quem (ſicut in Euangelio ſcriptum eſt) Do- Luc. 4. minus, in Synagoga legens ſermones Eſaiæ Prophetæ, demonſtrauit eſſe acceptabilem Domino, iſti menſes ordinant, & ad ſeruitium veri Salomonis Eccleſiæ populum ordinando deſtribuit. Propterea in ſingulis menſibus XXIV. millia ad ſeruitium regium deputata ſunt. Quod autem myſterii hic numerus teneat, iam ſuperius dictum eſt: quia in eo legis & Euangelii vniuerſa perfectio per figuram in eſſe manifeſtatur.

Noluit autem Dauid numerare eos à XX. annis inferius: quia dixerat Dominus, vt multiplicaretur Iſrahel quaſi ſtellæ cœli. Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit. quia ſuper hoc ira irruerat in Iſrahel: & idcirco numerus eorum, qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos Regis à Dauid.

G

Vſus enim erat, ſi quando numerabantur, à XX. annis & ſupra numerarentur hi, qui poterant ad bella procedere, aut aliquo miniſterio fungi. Quia verò Da- 2. Reg. 24. uid primùm per Ioab generaliter iuſſit omnes numerari, & infra XX. annos, & ſupra XX. annos: idcirco indignationem Dei expertus eſt, & non ſunt allati in faſtis Regis Dauid. Faſti ergo ſunt libri annales, in quibus Regum & conſulum ſcribuntur actus, à faſcibus dicti. Ideo enim numeratio populi quam fecerat Ioab, non eſt inſerta in factis Regis Dauid: quia, ſuperueniente indignatione Dei, omnis ille numerus conturbatus eſt, & non fuerunt iuxta illum diſtributi per miniſteria, neque ad aliqua officia. Super thezauros autem Regis fuit Azimoth filius Adhihel. Theſaurus Regis noſtri ſcientia eſt ſpiritualis & opes virtutum. In his enim delectatur pacificus noſter, & ex his honorat ſibi deuotos ac fideliter obſequentes. His benè

H

præficitur Aſimoth, qui interpretatur, *fortis morte*: quia illi, qui conſtantiam habent mentis, & patientiæ fulgent virtute, horum ſcientia atque doctrina probabilis exſtat. Vnde per quendam Sapientem dici- Prou. 19. tur: *Doctrina viri per patientiam dinoſcitur.* Et item: Prou. 16. *Melior eſt*, inquit, *vir patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Apteque Aſimoth dicitur eſſe filius Adihel, qui interpretatur, *Pater meus Deus*: quia quicquid ſancti habent de ope virtutum, Dei ſe dono habere aperte ſciunt.

His autem Theſauris, qui erant in vrbibus & in vicis & in turribus præſidebat Ionathan filius Oziæ.

Theſauros in hoc loco non ſolum pecuniam, ſed & omnes ſubſtantias nominat. Typicè autem ille veri Salomonis merito officio in vrbibus & vicis & in turribus

A præfertur, qui Ionathæ nominis dignitatem ac patris eius Oziæ fide atque operibus ſeruat. Interpretatur enim Ionathas, *Dei donum*: & Ozias, *fortitudo Domini.* Qui ergo Dei dono accipit lumen ſcientiæ, ac rectitudinem fidei fortiter ſeruat in bona operatione, Eccleſiarum Dei non incongruè curam atq; cuſtodiam accipit.

Operi autem ruſtico & agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub; vinearumq; cultoribus Semeias Ramothites. Cellis autem vinariis Zabdias Aphonites.

Quis melius agricolæ & vinearum cultoris perſonam geſtat, quam illi, qui prædicatoris ac doctoris officium in Eccleſia gerit? Quod diuinorum librorum paginæ manifeſtis indiciis probant. Vnde Dominus per parabolam Math. 21. Euangelii, exſtirpatis malis agricolis, vineam ſuam aliis Math. 20. agricolis ſe commendaſſe teſtatur, qui reddat ei fructum temporibus ſuis. Et in alia parabola paterfamilias diuerſis horis operarios conduxit in vineam ſuam. *Vinea* enim *Domini* (Eſaia teſtante) Eſa 5. *domus Iſrabel eſt, & viri Iuda, germen delectabile eius.* Cellæ autem vinariæ eandem poſſunt habere ſignificationem: quia in Euangelio horrea, vbi triti-B cum congregatum, habentur, vbi fructus laboris noſtri in futuro ſeruandus recolligitur, & vnicuique cultori digna merces laboris ſui reſtituetur. Nec etiam hunc ſenſum refugit interpretatio nominum ipſorum præpoſitorum. Nam Ezri interpretatur, *adiutus à Domino*: Semeias, *audiens Dominum*: & Zabdi, *fluxus vehemens* vel *abundans.* Qui enim audit Dominum, intendendo in præcepta eius, quemque ipſe miſericordia ſua adiuuat: vt quæ intelligitur, opere perficere valeat: ille abundantem bonorum operum fructum congregat in vitam æternam.

Nam ſuper olineta & ficeta, quæ erant in campeſtribus, Balanan Gaderites: ſuper apothecas autem olei, Ioas.

Olineta & ficeta, vbi oliuæ & ficus conſiſtunt, ſignificant cœtus ſanctorum, qui miſericordiæ & charitatis oleum in pectore, & manſuetudinis atque humilitatis dulcedinem habent in moralitate. Quæ virtutes conſiſtunt in campeſtribus, quia in propatulo & præſto ſunt omnibus: nec perſonarum acceptionem, ſed bonæ voluntatis rectitudinem quærunt. Apothecæ autem olei eandem C poſſunt ſignificationem olei habere, quam cellæ vinariæ, vbi fructus ſingularum virtutum recolliguntur, pro quibus operatores eorum in futuro dignè remunerabuntur. Ioan. 4. Vnde in Euangelio ſcriptum eſt: *Qui metet, mercedem accipiet, & congregat fructum in vitam æternam.* Balanan ergo, qui interpretatur, *habens gratiam*, ſuper olineta & ficeta conſtituitur: quia, niſi ex Dei dono, nemo habet vbertatem bonorum actuum. Porrò Ioas, qui interpretatur, *ſperans* vel *Domini robur*, apothecas olei cuſtodit: quia nullus perueniet ad præmium, niſi qui robur mentis ſpe fida tendit ad cœleſte regnum.

Porrò armentis, quæ paſcebantur in Sarona, præpoſitus fuit Sethras Saronites.

Armentorum nomine poſſunt Iudaicæ plebes ſynagogæ deſignari: quæ iugum legis traxere. & lac ſimplicis doctrinæ ſuis auditoribus præbuere. His præpoſitus eſt Sethrai, qui interpretatur, *exauditor meus* vel *abſconſio mea*, hoc eſt, prophetarum chorum, qui interno audita per gratiam Spiritus ſancti inſtructu abſcondita à ſeculis my-D ſteria tropico ſermone per Euangelium reuelanda proferebat.

Et ſuper boues in vallibus Saphat filius Addi.

In boum nomine perſona Doctorum poteſt accipi, qui colunt ſuis doctrinis corda humilium, & Euangelico vomere terram Eccleſiæ arantes, fructus virtutum germinare faciunt. Quorum magiſter & princeps Saphat dicitur, qui interpretatur, *iudicauit*, & filius eſt Addi, hoc eſt, *patris gratia*, ſignificans Apoſtolicum ordinem, qui cæteris doctoribus ipſa electione Domini præficitur. Quibus & iudiciaria poteſtas ab ipſo auctore omnium bonorum collata eſt, ad quos ipſa Veritas in Euangelio ait: *Vos,* Math. 19. *qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes, iudicantes* XII *tribus Iſrahel.*

Super Camelos verò Vbil Iſmahelites, & ſuper aſinos Iadias Meronathites. E

Per Camelos & aſinos, quæ deformia & immunda ſunt animalia, poſſunt Gentiles exprimi: qui quondam fortitudine peccatorum deprauati, ſuæ exercuerunt immunditiam libidinis: ſed in poſſeſſionem ac regnum Dauid noſtri venientes acceperunt ſuper ſe magiſtros Vbil & Iadiam, qui ſpernentes Philoſophiam humanam, Col. 2. & inanem fallaciam mundi, elegerunt ſimplicitatem Euangelii Chriſti, non ſe magnos æſtimari volentes, ſed humiles & deſpectos. Quod eorum nomina apertè demonſtrant. Nam Vbil interpretatur, *ſtultus* vel *inſipiens*: & Iadias, *dimidium fuit.* Vnde & Doctor Gen- 1. Cor. 1. tium Corinthiis ſuperbe de ſe ſentientibus ſcribens ait: *Videte enim vocationem veſtram fratres: quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Et item: *Nemo*, inquit, *ſe ſeducat. Si quis videtur* 1. Cor 3. *inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* F *Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum ſcriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.* Et iterum: Ibid. *Dominus nouit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.*

Super oues quoq; Iaziz Agarenus.

Ouium nomine ſimplices & manſueti intelligi poſſunt. Qui enim Dominicam ſententiam actibus proſequitur, quam Dominus Ieſus in Euangelio ad diſcipulos proferens ait: *Tollite iugum meum ſuper vos & diſcite à me,* Math. 11. *quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris*: hic meritò ouis Domini nuncupatur. Sed ouibus Aziz Agarenus paſtor conſtituitur: quia ille, qui tota mente, totaque virtute ad Domini ſeruitium ſe conuertit, & ad futuram vitam tota intentione anhelans, aduenam ſe & peregrinum in hoc mundo agnoſcit: ipſe rectè à Domino auxiliatus, gregis Dominicis cuſtodiam dignè explebit.

Ionathan autem, patruus David, conſiliarius, vir prudens & litteratus, ipſe & Iahiel filius Achimoni: hi erant cum filiis Regis.

G Quid per Ionathan, qui interpretatur, *Domini donum*, vel *columba dedit*, niſi Apoſtoli & Prophetæ, qui ex priore populo ac Patriarcharum ſtirpe deſcenderant, figurantur? Hi non ſolum litera legis, ſed ſpirituali prudentia dono Spiritus ſancti plene inſtructi, ſecretorum veri Dauid conſcii eſſe meruerunt. Vnde ipſa Veritas in Euangelio eiſdem Apoſtolis ait: *Iam non dicam vos ſeruos, quia* Ioan. 15. *ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Hinc ſociatus in conſortium conſilii Iahiel filius Achimoni, hoc eſt, illi prædicatores Euangelii, qui de Gentibus ad fidem conuenerant. Quod bene ipſa nomina exprimunt: quia Iahiel interpretatur, *requies Dei*: & Achimoni *ſpinarum*. Qui ergo fuerunt gentilitatis errore, & ſpinetis vitiorum aſperrimi; hi per conuerſionis rectitudinem efficiebantur requies Dei. Vnde Dominus per Prophetam ait: *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſu-* Ephes 6. *per humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* Quod H autem ſubiungitur; *Hi erant cum filiis Regis*; oſtendit Doctores ſanctos fidelium cuſtodes, qui ſacro baptiſmate regenerati per Spiritus ſancti gratiam Dei eſſe meruerunt.

Achitophel etiam conſiliarius Regis.

Quid per Achitophel, qui quondam Dauid conſiliarius fuit, & poſtea cupiditate deprauatus, cum Abſalon de nece ipſius tractabat, niſi Iudas Scarith, qui de Apoſtolatus culmine in proditionis foueam cecidit, inſinuatur? Quod bene vocabulum *Achitophel* exprimit; interpretatur enim, *frater meus cadens*, ſiue *irruens* ſeu *tractans.* Hic enim inter cæteros Apoſtolos familiaritatis locum cum ipſo Saluatore habuit: ſed poſtea cum Iudæis, auaritia ſeductus, mortem Domini meditando, perpetuo mortis ſibi ruinam aſciuit. Vnde & Achitophel (ſicut in libro 2 Reg 15.

Digitized by Google

A 2. Reg. 17.

Regum narratur) videns ſuum conſilium infatuatum, in domo propria laqueo vitam finire elegit. Similiter & Iudas, Euangelio teſtante, videns, quod Ieſus ad mortem damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris: & proiectis argenteis in templo, receſſit & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Poſſunt non incongruè per Achitophel ipſi Iudæi intelligi, qui patrum prærogatiua aliquando erant chariſſimi, ac collocutione Dei clariſſimi: ſed incarnatione ac paſſione ſcandalizati, hoſtes effecti ſunt crudeliſſimi: vnde condignam pœnam meritis ſuis recipientes per Romanos principes in domo propria, hoc eſt, in Hieruſalem necati ſunt.

Matth. 27. Rom. 9.

Et Chuſi Arachites amicus regis.

Chuſi, qui interpretatur, *Æthiops*, & Dauid in omnibus permanſit fidelis, Gentium populum ſignificat, qui poſtquam ad fidem venit, vſque in finem fidelis perſeuerauit. Vnde de vtroque populo diſiunctionem faciens Dominus per Pſalmiſtam ait: *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: ab auditu auris obediuit mihi: Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterauerunt & claudicauerunt à ſemitis ſuis.*

B Pſal. 17.

Poſt Achitophel conſiliarius fuit Ioiada, filius Banaiæ & Abiathar.

Quod in locum Achitophel Ioiada ſubſtituitur, ſignificat, quod Iuda præuaricante ac decidente de Apoſtolatu, non remanſit duodecimus locus vacuus, ſed in locum præuaricatoris, Petro, cæteriſque Apoſtolis ordinantibus, ſucceſſit cognoſcens gratiam Dei Matthias humilis atque fidelis, qui gratiam, quam dono Dei percepit, humiliter ſeruauit. Quod benè ipſa nomina Ioiadæ & Banaiæ ſua interpretatione oſtendunt. Interpretatur enim Ioiada, *ſciens* vel *cognoſcens*: & Banaia, *ædificator Domini*.

Quem enim gratia Dei in Apoſtolatum prælegit, hunc agnitio ſanæ fidei in ipſa dignitate ſeruando conſolidauit. Quod ſubiungitur: *Et Abiathar*: demonſtrat hiſtorialiter ipſum Abiathar filium Abimelech Pontificis ſacerdotem eſſe ad tempus inter conſiliarios Dauid: ſed quia in electione Adoniæ, quem voluit ſimul cum Ioab pro Salomone fieri Regem, deuiauit: ſignificat eos, qui in Eccleſia ordinem ſuum ac gratiam, quam diuino munere perceperunt, propter cupiditatem terrenam non conſeruant. Hi enim per veri Salomonis ſententiam, ſi in carcere pœnitentiæ iuxta morem Achitophel permanere noluerint, pœna plectendi ſunt perpetua.

C

Princeps autem exercitus regis erat Ioab.

Ioab, vir bellicoſiſſimus & in actu militari ſtrenuoſiſſimus, in hoc loco poteſt ſignificare eos, qui perfectioni virtutum ſtudentes, vniuerſam nequitiam toto niſu perſequuntur. Interpretatur enim Ioab, *inimicus*, vel *idem pater*. Ex quorum perſona idem Propheta in Pſalterio ad Dominum ait: *Ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* Hunc locum dignitatis Apoſtoli Chriſti plene habuere creduntur, qui ab ipſo Domino in Euangelio audire meruerunt. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Et item: *Ecce*, inquit, *do vobis poteſtatem ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Qui enim in exercitio virtutum ſunt perfectiſſimi, merito cæteris fidelibus in dignitate præſtantes apparent glorioſiſsimi.

Pſal. 118. Matth. 5. D Luc. 10.

* * *

E

Caput XXVIII.

CONGREGAVIT *ergo Dauid omnes principes Iſrahel, & Duces tribuum, & præpoſitos turmarum, qui miniſtrabant regi: tribunos quoque & centuriones, qui præerant ſubſtantiæ & poſſeſſionibus regis: filioſque cum eunuchis, & potentes & robuſtiſſimos quoſque in exercitu Hieruſalem*, & cætera.

Quæri poteſt, quomodo hic eunuchi ad tam grande concilium vocati eſſe dicantur: cum legis auctoritas prohibeat Iſrahelitas abſcidi ac aliqua inuſtione notari: & alienigenæ non facile poſsint ad tam ſecretũ & honeſtum conſilium admitti? Vnde dicunt Hebræi in hoc loco illos vocari eunuchos, qui ab omnibus actibus ſeculi alieni, orationi tantum & lectioni vacabant, atque vxores non cauſa libidinis, ſed ſuſcipiendæ prolis gratia habebant, quos Ioſephus eorum hiſtoricus, iuxta nomen ipſorum hæreſis, Eſſenos vocat.

Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus & templi & cellariorum & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, necnon & omnium, quæ cogitauerat, atriorum & exedrarum per circuitum in theſauros domus Domini, & in theſauros ſanctorum, diuiſionumque ſacerdotalium & Leuiticarum in omnia opera domus Domini, & vniuerſa vaſa miniſterij templi Domini, aurum in pondere ad vaſa miniſterij, argenti quoque pondus pro vaſorum ac operum diuerſitate, & cætera.

F

Quid eſt, quod Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem totius domus Dei, quæ ab ipſo ædificanda erat, dedit, & ſumptus ad hoc vniuerſos exhibuit: niſi quod Pſalmi ipſius Dauid, necnon & dicta ſeu facta myſtica tam ipſius quam cæterorum patrum, qui ſub veteri teſtamento fuerunt, figuris atque ænigmatibus præmonſtrant vniuerſa, quæ Pacificus noſter incarnatus in Eccleſia ſua ſpiritualiter fabricatus erat? Ibi enim inuenitur prædictum, quomodo omnes nationes terræ per fidem & baptiſmatis ſacramentum aditum introeundi habuerint in Eccleſiam: qualis ipſius Eccleſiæ venerabiliſsimus ſtatus in præſenti vita foret: qualiſque perfectio ſanctorum, ac remuneratio in regno cœleſti futura eſſet: qualiter diuerſa miniſteria ac ſingulorum profectus fierent: ac qualis remuneratio vnicuique pro meritis in futuro reddenda ſit: per diuerſas cellas atque exedras: quia *multæ manſiones ſunt in regno Dei*: nec non & per varia diuerſorum ponderum omnia præfigurabantur. Ibi ſapientiæ ſplendor in auro, atque prædicationis nitor in argento præfigurabantur: quæ Spiritus ſanctus vnicuique fidelium tribuit, *diuidens ſingulis, prout vult*. Hæc ergo cuncta quomodo in ſancta Eccleſia ordinata ac conſtituta ſunt: ſi quis plenius noſſe voluerit: legat expoſitiones diuerſas ſanctorum Doctorum, quæ de tabernaculi ac templi atque vaſorum eius conſtructione ſcripſerint: & ibi omnia manifeſtè explanata inueniet. Quod autem poſt alia ſequitur:

G Ioan. 14. 1. Cor. 12.

Aurum quoque dedit in menſas propoſitionis pro diuerſitate menſarum: ſimiliter argentum in alias menſas argenteas, ad fuſcinulas quoque & phialas & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos aureos, pro qualitate menſuræ pondus diſtribuit, in leunculum & leunculum: ſimiliter & in leones argenteos diuerſum argenti pondus ſeparauit: altari autem, in quo adoletur incenſum, aurum puriſſimum dedit: & vt ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubin extendentium alas, velantium arcam fœderis Domini.

H

Igitur neque in Exodo in conſtructione tabernaculi, ſed neque in Regum in ædificatione templi leunculi ſiue leonea vſpiam leguntur facti, excepta cælatura, quæ in quibuſdam, operibus templi facta narratur: vt in confectione decem baſium ac laterum, vbi leones & boues & Cherubin & palmæ ſculptæ atque cælatæ memorantur. Sed neque Cherubin in ſimilitudinem quadrigæ formata: ſed tantum, quod duo Cherubin fuiſſent fabricata, quæ alis ſuis tegerent arcam, narratur. Nam quia nunc hic de leunculis, ſimiliter & de leonibus, nec-

A non quadriga Cherubin mentio fuit facta: quod myſterium nobis innuat, quærendum eſt. Legitur e-
Ezech. 1. nim in Ezechiel Propheta, quod ei in prima viſione, quam vidit iuxta fluuium Chobar, oſtenſa ſit ſimilitudo quatuor animalium, & hic aſpectus eorum. *Similitudo hominis in eis: & quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. & pedes eorum pedes recti & planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli.* Et poſt pauca: *Similitudo, inquit, vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* & cætera. Sic & in alia viſione in poſterioribus idem Propheta narrat
Ezech. 10. dicens: *Quatuor facies habebat vnum: facies vna, facies Cherub: & facies ſecunda, facies hominis, & in tertia facies leonis: & in quarta facies aquilæ: & eleuata ſunt Cherubin. Ipſum eſt animal, quod videram iuxta flumen Chobar. Cumque ambularent Cherubin, ibant pariter & rota iuxta ea: & cum leuarent Cherubin alas ſuas, vt exaltarentur à terra: non reſidebant rotæ, ſed ipſæ iuxta erant. Stantibus illis, ſtabant, & cum eleuatis eleuabantur. Spiritus enim vitæ erat in eis.*
B *Et egreſſa eſt gloria Domini à limine templi, & ſtetit ſuper Cherubin: & eleuantia Cherubin alas ſuas exaltata ſunt à terra coram me: & illis egredientibus rotæ quoque ſubſecutæ ſunt: & ſtetit in introitu domus Domini portæ Orientalis, & gloria Dei Iſrahel erat ſuper ea. Ipſum eſt animal, quod vidi ſuper Dominum Iſrahel iuxta fluuium Chobar. Et intellexi, quod Cherubin eſſet quatuor per quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni, & ſimilitudo manus hominis ſub alis eorum: & ſimilitudo vultuum eorum, ipſi vultus, quos videram iuxta fluuium Chobar.*

Igitur quia locus inuentus eſt, vbi de quadriga Cherubin, quibus præſidebat gloria Dei, narratur: ſpecialem eius ſignificantiam iuxta Patrum dicta ediſſeramus.

De quatuor ergo animalibus, quorum aſpectus erat ſimilitudo hominis, ita duntaxat, vt ſingula haberent quaternas facies & quaternas alas, pedesque rectos, & plantam pedis quaſi veſtigium pedis vituli: quidam quatuor Euangelia horum animalium putant nominibus ſignari: Matthæi, quod quaſi hominem
C deſcripſit: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij A-*
Matth. 1. *braham.*

Mare 1. Leonis ad Marcum refertur: *Initium Euangelii Ieſu Chriſti filij Dei ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.*

Vituli ad Lucæ Euangelium, quod à Zachariæ incipit ſacerdotio. Aquilæ ad Ioannis exordium, qui ad excel-
Ioan. 1. ſum euolans ita cœpit. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Alii vero, qui Philoſophorum ſtultam ſequuntur ſapientiam, duo hemiſphæria in duobus templi Cherubin nos & antipodas, quaſi ſupinos & cadentes homines, ſuſpicantur.

Plerique, iuxta Platonem, rationale animæ, & iraſcentiam & concupiſcentiam ad hominem & leonem ac vitulum referunt: rationem ac cognitionem & mentem & conſilium, eandemque virtutem atque ſapientiam in arce Cherubin humani ponentes: feritatem vero & iracundiam atque violentiam in leonem,
D quæ conſiſtit in felle: porrò libidinem, luxuriam & omnium voluptatum cupidinem in iecore, id eſt, in vitulo, qui terræ operibus hæreat, iramque ponunt, quæ ſupra hæc, & extra hæc eſt, quam Græci vocant *Syneſin*, quæ ſcintilla conſcientiæ in Cain quoque pectore, poſtquam eiectus eſt de Paradiſo, non extinguitur: & victi voluptatibus vel furore, ipſaque interdum rationis decepti ſimilitudine, nos peccare ſentimus.

Quam propriè aquilæ deputant non ſe miſcentem tribus, ſed ita errantia corrigentem, quam in Scripturis
Rom. 8. interdum vocari legimus Spiritum, *qui interpellat pro*
1. Cor. 2. *nobis gemitibus inenarrabilibus. Nemo enim ſcit ea, quæ hominis ſunt, niſi Spiritus, qui in eo eſt*, quem & Paulus ad
1. Theſſ. 5. Theſſalonicenſes ſcribens cum anima & corpore ſeruari integrum deprecatur. Et tamen hanc quoque
E conſcientiam iuxta illud, quod in Prouerbiis ſcriptum eſt: *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit:* Prou. 18.
cernimus præcipitari, ac quoſdam & ſuum locum omittere, qui nec pudorem quidem & verecundiam habent in delictis, & merentur audire: *Facies meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere.* Ier. 3.

Hanc ergo quadrigam in aurigæ modum Deus regit, & incompoſitis carentem gradibus refrenat, docibilemque facit, & ſuo parere cogit imperio. Quam diſputationem partium animæ, id eſt, hominis, qui minor mundus ab iſtis Philoſophis appellatur, & nos attingemus. Sunt, qui ſimpliciter in quatuor animalibus iuxta Hippocratis ſententiam quatuor arbitrantur elementa monſtrari, de quibus conſtant omnia: ignem, aerem, aquam, terramq;.

Quatuor ergo rotas de terrenis ad ſublimia conſurgentes ſingulis & quadriformibus vinctas animalibus & eorundem elementorum commixtione æſtimant: & temporum circulum, qui ternis conficitur menſibus, annumq; vertentem: qui ab eo, quod ſemper vertatur, & F
in ſe redeat, nomen acceperit: de quibus pulchre vno verſiculo dictum eſt.

Ver, æſtas, autumnus, hyems. *& menſis & annus.*

quodque dicitur: *erat in rota*: annum in annos ſignificari putant. De quo alius Poeta:

Atq; in ſe ſua per veſtigia voluitur annus.

Firmamenti ſimilitudine, quæ cryſtallo comparatur, cœlum hoc, quod ſuſpicimus, intelligi volunt, ſub quo voluuntur & tranſeunt quatuor animantia, thronumque coloris Sapphiri, & ſedentem deſuper hominem ſub humana ſimilitudine, imperium cuncta regentis, omniaque habentis ſub pedibus ſuis omnipotentiæ Dei deſcribi autumant: dicique ad extremum hic viſionem ſimilitudinis gloriæ Domini, per quam, quaſi per picturam quandam & imaginem, Prouidentiam demonſtrari.

Quodque pedes animantium recti eſſe dicantur, & planta pedis vituli, ſeu rotunda terrenaque ad cœleſtia ſubuolare & omnibus angulis amputatis rotundi- G
tatem ſequi, quæ omnium figurarum pulcherrima eſt: ſcintillas rutilantes cuncta plena luminis indicare, & manus hominis ſub pennis tam ipſius hominis, quam leonis & vituli & aquilæ: vt ratio cuncta ſuſtentet ac de humilitate terrena cœleſtia ſubleuet. Hæc ergo ad Euangelia & ad cuncta, quæ ſupra poſuimus, referri poſſunt. Poſſet etiam iuxta anagogen ſicut quatuor animalia quatuor Euangelia & quatuor Euangeliſtas ſignificant: ſic ſub eorum ſpecie ſimul perfectos annos ſignificare.

Omnis etenim electus atque in via Domini perfectus, & homo & vitulus & leo ſimul & aquila eſt: homo enim rationale eſt animal: vitulus in ſacrificio mactari ſolet: leo vero fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum: aquila ad ſublimia euolat, & in reuerberatos ſolis radios oculos intendit.

Omnis itaque, qui in ratione perfectus eſt, homo eſt: & quando ſemetipſum ab huiuſmodi voluptatibus mortificat, vitulus eſt. Quia vero ipſa ſua ſpon- H
tanea mortificatione contra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet, leo eſt. Vnde ſcriptum eſt: *Iuſtus autem, quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Prou. 28.

Quia vero ſublimiter contemplatur ea, quæ cœleſtia atque æterna ſunt, aquila eſt. Igitur quoniam iuſtus quiſque per rationem homo, per ſacrificium mortificationis ſuæ vitulus, per fortitudinem ſecuritatis leo, per contemplationem vero efficitur aquila: rectè per hæc & cætera animalia ſignari vnuſquiſque perfectus poteſt. Quod idcirco dicimus, vt ea, quæ de quatuor animalibus dicta ſunt, pertinere quoque ad perfectorum ſingulos demonſtremus.

A Quod autem dicitur gloria Domini ſiue maieſtas, quæ ſteterat in templo lumine; ſteriſſe ſuper Cherubin, quæ eleuantia alas ſuas; Propheta cernenta, exaltata ſunt, rotis pariter ſequentibus, & ſtetit in introitu domus Domini Orientalis: oſtendit, quod paulatim protectio DEI requirit Iſrahel. Primum fuit in templo, deinde ſtetit in atrio templi ſiue limine. Qua recedente de templo, nubes & caligo impleuit templi penetralia. Rurſumque ipſa gloria ſedit ſuper Cherubin: & illis ſtantibus, auolantibus & ad exteriora abeuntibus, ſecutæ ſunt rotæ, & gloriam ſtetit in porta domus Domini Orientalis. Quod cum Propheta vidiſſet: *ipſum eſt*, inquit, *quod vidi ſubter Dominum Iſrahel, iuxta fluuium Chobar: & intellexi, quod Cherubin eſſet.*

Quid enim noui viderat, quod intelligeret eſſe Cherubin, quæ prius non intellexerat. Cherubin in lingua noſtra, *ſcientia multitudo*, eſt notitia Sacramentorum Dei, & thronus eius ac requies. Vnde & in Pſalmo dicitur: (Pſal. 79.) *Qui ſedes ſuper Cherubin, manifeſtare.* Semper enim gloria (B) Domini ſedet in ſcientiæ multitudine, & tunc manifeſtatur, quando cuncta regi prouidentia demonſtrantur; nec fortuito quid fieri, non dicere eſt quempiam: (Ezech. 8. & 9.) *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non vidit.* Vnde & intuitus Cherubin, & appetitus eorum eſt obliuiſci præteritorum, & in futura ſe extendere. Ecce iuxta id, quod promiſimus; quomodo Cherubin quadriga Dei ſint, ex ſanctorum Patrum ſententiis oſtendimus: Si cui hæc expoſitio non placet, quærat aliam; ſi fortè alicubi inuenerit meliorem atq; congruentiorem.

Omnia, inquit *venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.*

Tradunt Hebræi, exémplar templi & vaſorum Moyſi in monte monſtrati ad Ieſum perueniſſe: deinde ad Iudices & ad Hely & ad Samuel & Dauid, ad extremum ad Salomonem. Vnde nunc ait: manu ad ſe Domini perueniſſe. Aliter manus Domini ipſe eſt Filius Dei, per cuius donum ipſe Dauid & omnes cuncti perceperunt, quicquid de ſanctæ Eccleſiæ ſtructura ritè agnoſcere rationabiliter proferre valebant.

C

Capvt XXIX.

Polliciti ſunt itaque principes familiarum, & proceres Iſrabel tribuum, tribuni quoque & centuriones & principes poſſeſſionum regis, dederuntque in opera domus Domini auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum: & apud quemcunque inuenti ſunt lapides, dederunt in theſaurum domus Domini per manum Iehiel Gerſonitis, & reliqua.

Quid eſt, quod, Dauid offerente impenſas copioſiſſimas ad ædificationem domus Dei, principes quoque familiarum, proceres & tribuni & cæteræ dignitates de facultatibus ſuis in idem opus expenderunt dona diuerſa: niſi quod vnuſquiſque, qui ſibimetipſi & eis, qui ſecum ſunt, benè principari & ritè præeſſe didicerit, præueniente ſe gratia Dei, quantum ex ſe ad lucrandum proximos, (D) & opus Dei agendum, per ſtudium bonum ac deuotam humilitatem obſequi debet, vt ipſe pro viribus in ſplendore ſapientiæ, in verborum nitore, in prædicationis ſonoritate, infirmitate fidei, & gemmis diuerſarum virtutum donum Dei, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam ædificare nitatur? Quia (iuxta Pauli ſententiam) (1. Cor. 3.) *vnuſquiſque à Domino mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Si quis ædificat ſuper fundamentum Dei, aurum, argentum, lapides pretioſos; mercedem accipiet: eius opus permanet. Qui autem fragilia conſtruit opera*, hoc eſt, *lignum, fœnum, ſtipulam: igne futuri iudicij ea exurente, detrimentum patietur.* Poſtquam vero Scriptura de oratione Dauid refert, adiungit dicens:

Præcepit autem Dauid vniuerſæ Eccleſiæ dicens: Benedicite Domino Deo noſtro. Et benedixit omnis Eccleſia Domino Deo (E) *Patrum ſuorum, & inclinauerunt ſe, & adorauerunt Dominum, & deinde regem: immolauerùntque victimas Domino, & obtulerunt holocauſta die conſequenti, tauros mille, & arietes mille, & agnos mille, cum libaminibus ſuis & vniuerſo ritu abundantiſſime in omnem Iſrabel, & commederunt & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia, & vnxerunt ſecundo Salomonem filium Dauid, vnxerunt autem Domino in principem, & Sadoch in Pontificem.*

Dum Dauid Dominum benediceret, tota Eccleſia ab ipſo commonita Dominum benedicebat & adorabat immolans ei victimas, & offerens holocauſta: quia congregatio fidelium ſcriptis Prophetarum admonita, & ſanctorum patrum dictis ſimul atque exemplis prouocata, laudes & hymnos Deo celebrant, immolando ei piæ confeſſionis hoſtias, & ſanctæ conuerſationis cum fructu bonorum operum. Offert holocauſta, hoc eſt, tauros pij laboris, arietes iuſti regiminis, & agnos veræ ſimplicitatis atque innocentiæ, cum libaminibus vtique ſacrarum orationum. Quod autem per millenarium numerum prædictorum animalium cenſura deſcribitur: ſignificat, (F) fideles Chriſti ea intentione oblationes Deo deferre, quatenus per ipſius gratiam æternæ vitæ perfectam beatitudinem conſequi mereantur: hocque ipſorum eſt gaudium, hæc cordis & animæ tota intentio, vt hac ſpe vnuſquiſque ſemetipſum confirmet, & ab indigentia famis futuræ virtutum ſe operibus replere ſtudeat. Quod autem ſubiungitur: quia vnxerit ſecundo Salomonem filium Dauid Domino in principem, & Sadoch in Pontificem: ſignificant, Dominum Saluatorem in regia ſimul & pontificali dignitate ab omnibus fidelibus ſana fide & pia confeſſione cœli pariter & venerari. Nam quia Salomon, *paſificus*; & Sadoch, *iuſtus*, interpretatur: nulli melius, quam Redemptori noſtro hæc nomina conueniunt, qui eſt Rex & ſacerdos noſter. (Epheſ. 2.) *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*, iuſtus & iuſtitiam diligens, iudex eſt viuorum & mortuorum. Hunc ergo verum Pacificum primo vnxit omnis fidelis in regem & ſacerdotem; cum illum in perceptione ſacri Baptiſmatis corde credulo confitebatur verum regem eſſe & ſacerdotem, mediatorémque Dei & hominum vnguit; & ſecundo (G) cum illum pia doctrina & bona operatione coram aliis prædicat atque collaudat. Vnde & ſponſa in cantico (Cant. 1.) canticorum ad ſponſum ait: *Vnguentum effuſum, nomen tuum*: quia cohors fidelium cum valida opinione bonæ operationis ac prædicationis longè latèque nomen ipſius ad multorum perducit notitiam. De quo per (2. Cor. 2.) Paulum dicitur: *Deo autem gratiás, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.*

Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in regem pro Dauid Patre ſuo, & cunctis placuit, & paruit illi omnis Iſrabel: Sed & vniuerſi principes & potentes, & cuncti filij Regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni Regi.

Omnibus placet veri Salomonis poteſtas, cum omnes, qui ſana mentis ſunt, eius ſubdi delectantur imperio, vniuerſi ſcilicet principes & potentes & cuncti filii Regis Dauid: quia nulla poteſtas; nullaque dignitas huius ſeculi iſtius regis rite ſpernere valet Dominationem, (Hebr. 2.) *propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctor ſalutis noſtræ.* (H) Vnde omnes illi tradunt manus & ſubiecti erunt ſeruientes & facientes voluntatem eius. Sequitur:

Magnificauit ergo Dominus Salomonem ſuper omnem Iſrabel, & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex Iſrabel.

Quia Pacificus noſter magnus eſt Dominus, & laudabilis nimis, & Rex magnus ſuper omnes Deos, nulluſque regum ei in toto Orbe terrarum adæquari poteſt: (Col. 1.) *quia omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant: qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt* (Epheſ. 4.) *ad impleret omnia*: cuius regnum regnum eſt omnium ſeculorum, & dominatio eius in omni generatione & progenie.

A E

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, COMMENTARIORVM IN VOLVMEN PARALIPOMENON LIBER TERTIVS.

Capvt I.

B CONFORTATVS *eſt ergo Salomon, filius Dauid, in regno ſuo, & Dominus Deus ſuus erat cum eo, & magnificauit eum in excelſum.*

Quid eſt, quod confortatum dicit Salomonem filium Dauid in regno ſuo, niſi quod oſtendit, Saluatorem noſtrum, cuius Salomon in nomine & in ædificatione domus Dei typum præferebat, firmiſſimum habere Imperium. Qui licet ſecundum Diuinitatem ſempiternam cum Patre & Spiritu ſancto habeat regnum: tamen ſecundum diſpenſationem ſuſceptæ humanitatis tunc dicit eum ſic conſecratum eſſe in regno ſuo, quando per paſſionem crucis de auctore mortis triumphauit, & regnum cœleſte atque terreſtre ſibi acquiſiuit. (*Col. 2.*) Vnde reſurgens à mortuis, apparensque diſcipulis ſuis, ait: (*Matth. 28. Actor. 10.*) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, & reliqua. Et, *Dominus*, inquit, *erat cum eo*, quia Pater ſemper eſt cum Filio. Vnde ipſa Veritas ait: (*Ioan. 8.*) *Qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Hinc & Petrus in Actibus Apoſtolorum ad Iudæos ait: (*Actor. 10.*) C *Viri fratres, vos ſcitis, quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam: incipiens enim à Galilæa poſt Baptiſma quod prædicauit Ioannes, Ieſum à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute: qui pertranſiuit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Quem Deus Pater magnificauit*, hoc eſt, in excelſum exaltauit; (*Philip. 2.*) *& dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Præcepitque Salomon vniuerſo Iſraeli, tribunis & centurionibus & ducibus & Iudicibus omnis Iſrael, & principibus familiarum, & abiit cum vniuerſa multitudine in excelſum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyſes famulus Dei in ſolitudine. (*Exod. 36. 37. 38. & 39.*) *Arcam autem Dei adduxerat Dauid de Cariathiarim in locum quem præparauerat ei, & vbi fixerat ille, hoc eſt, in Hieruſalem. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beſeleel filius Vri, filij Vr poſuerat coram tabernaculo Domini, & obtulit in eo mille hoſtias.*

Gabaon, vnde Gabaonitæ ſupplices venerunt ad Ieſum, (*Ioſ. 9.*) erat olim metropolis & regalis ciuitas Euæorum, ceciditque in ſortem tribus Beniamin. (*Ioſ. 18.*) Fuit autem & ipſa ſeparata Leuiticis, ſicut ſupernis demonſtratum eſt. Vnde miror, cur Ioſephus ſcripſerit, quod Salomon in Hebron veniens, D in altari æreo, quod fecerat Moyſes, (*Exod. 38.*) ſacrificaret Deo: niſi fortè ipſam Hebron excelſum Gabaon intelligi voluerit: eo quod Dauid ibi primum regnare cœperit. Interpretatur autem Gabaon, *ſublimitas* vel *collis patruelis.*

Ecce autem in ipſa nocte apparuit ei Deus, dicens: Poſtula, quod vis, vt dem tibi. Dixitque Salomon Deo: Tu feciſti cum Dauid Patre meo miſericordiam magnam, & conſtituiſti me Regem pro eo. Nunc ergo, Domine Deus, impleatur ſermo tuus, quem pollicitus es Dauid patri meo. Tu enim me feciſti Regem ſuper populum tuum multum, qui tam innumerabilis eſt, quam puluis terræ. Da mihi ſapientiam & intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim poteſt hunc populum tuum dignè, qui tam grandis eſt, iudicare, & reliqua.

Vbi moraliter conſiderandum eſt: ſi Salomon, Rex factus in terreſtri Hieruſalem, non aurum, nec diuitias, non ſubſtantiam, neque gloriam mundanam à Deo petiuit: F quanto magis neceſſe ſit rectoribus ſanctæ Dei Eccleſiæ, quibus commendata eſt cura & regimen animarum, vt non ſubſtantiam terrenam vel diuitias mundi quærant: ſed ſapientiam & ſcientiam legis Dei, atque diuitias virtutum appetant, vt poſſint populum Dei dignè iudicare, & ingreſſum eius ad fidem, atque egreſſum ad ſpeciem æternæ beatitudinis ritè ac rationabiliter docendo ei demonſtrare.

Venit ergo Salomon ab excelſo Gabaon in Hieruſalem coram tabernaculo fœderis.

Quod dicit: *coram tabernaculo fœderis*: ſignificat arcam Domini, in qua tabulæ teſtamenti ac pacti Domini, quod pepigit cum Iſrahel, collocatæ erant: maximè cum in ſuperioribus ita ſcriptum ſit; *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum ea dem tempeſtate erat in excelſo Gabaon, & non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obſecraret Dominum: nimio enim fuerat terrore perterritus, videns gladium Angeli Domini.* (*1. Par. 21.*) Arca autem Domini, poſtquam eam introduxit Dauid in domum ſuam, manſit ibidem, donec conſtructum eſt templum, G & tunc eam Salomon tranſtulit in templum Domini.

Et regnauit ſuper Iſrahel, congregauitque ſibi currus & equites: & facti ſunt ei mille quadringenti currus & XII. millia equitum, & fecit eos eſſe in Vrbibus quadrigarum & cum Rege in Hieruſalem.

Vrbes quadrigarum dicit oppida ſiue ædificia ac loca, quæ in terra Iudæ ſiue in Hieruſalem erant ædificata ad ſtationem curruum: quod ſequentia monſtrant, vbi dicitur: *Et cum rege in hieruſalem.* Myſticè autem currus & equites Dauid ſpiritualis ſignificant Angelorum hominumque miniſteria, quæ quotidiè deſeruiunt Creatori, & eius in omnibus obediunt voluntati; de quibus in Pſalmo ſcriptum eſt: (*Pſal. 67.*) *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in illis.* Conſuetudo eſt Scripturæ diuinæ, allegoricè loqui: vt cum *Dauid* dicat, aliud velit intelligi. Vnde hic *currus* ſignificatur hominum vincta copulatio, quia ita ſanctos charitas vincit, ſicut loris & iugis animalia ſociantur. Vnde & Dominus ait; (*Matth. 11.*) *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* H Sanctorum ergo vnanimitas currus eſt Domini, quia ille velut auriga inſidet, & ad voluntatis ſuæ miniſterium ſalutari lege moderatur. Sed vt iſtum curſum oſtenderet non equis deditum, ſed humanis cogitationibus attributum; ait: *Decem millium multiplex.* Quod benè ad innumeros populos, non ad equos, noſcitur pertinere. Subiunxit: *Millia lætantium*: quod vtique de fidelibus debet intelligi. Et vt oſtenderetur lætitiæ plenitudo, ait: *Dominus in illis*: qui magnæ exultationis eſt cumulus, & bonorum omnium dulcedo. Sed quia mille quadringentos currus & duodecim millia equitum Scriptura dicit eſſe Salomonis: quid per quadringentenarium numerum, vbi quadragies deni numerantur, niſi tempora legis priſcæ deſignantur? Quia & Moyſes illam accepturus, XL. diebus (*Exod. 24.*)

A Ieiunauit, & populus Iſraheliticus, qui per eam inſtruebatur, xl. annis in heremo manſit. Et quid per duodenarium numerum, niſi tempus gratiæ Chriſti, oſtenditur, in quo Apoſtolica doctrina populum noui teſtamenti edocendo nutrit? Ber è quoque per quadragenarium & duodenarium numerum currus & equites Salomonis numerantur: quia per vtrumque teſtamentum ſancti viri, ſacris literis eruditi, ſeſſioni Dei habiles efficiuntur, quibus ille præſidens ſecundum voluntatem ſuam nos regendo ducit ac gubernat.

Adducebantur autem ei & equi de Ægypto, & de Choa à negotiatoribus Regis, qui ibant & emebant precio quadrigam equorum ſexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta. ſimiliter de vniuerſis regnis Syriæ emptio celebrabatur.

Choam ergo alii dicunt inſulam eſſe vnam de Cycladibus: Hebræi vero dicunt, hoc nomen congregationem ſignificare. Adducebantur autem Salomoni equi de Ægypto & de Choa à negotiatoribus regis: cum per negotiatores ſpirituales, hoc eſt, Doctores ſanctos de gentibus homines rationabiles intellectu, atque actu ſtre-
B nui, ad fidem Chriſti conuertuntur, ſeſſionique diuinæ dignè conuerſando habiles efficiuntur. Vnde equorum quadrigam prætio ſexcentorum argenteorum emptam dicit, & equum ſimiliter centum quinquaginta: quia diuinorum teſtamentorum venuſtiſsima locutione ad cognoſcendam fidei veritatem, prædicatoribus ſanctis laborantibus, in vſum regis cœleſtis homines perducuntur. Sexcenti ergo numerus, vbi ſexagies deni enumerantur, perfectionem Euangelicæ Doctrinæ ſignificat, qua perfectio totius legis veraciter conſtat: præcipuè cum Redemptor noſter ſexta die paſſus pro ſalute humani generis omnia, quæ de ſe in lege & prophetis ſcripta ſunt, compleuit. Vnde ipſe in cruce pendens, quando offerebatur ei acetum in ſpongia Yſopo circumpoſitum,
Ioan. 19. cum accepiſſet potum, dicit: *Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit Spiritum.* Centum verò quinquaginta, vbi ter quinquageni conſiſtunt, veteris teſtamenti ſanctionem propter pentecoſten ac Iubilæum & propter illam triplicem diſtinctionem Scripturæ veteris teſta-
Luc. 24. C menti (quam Saluator in Euangelio fecit, dicens: *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis & Pſalmis de me*) manifeſte deſignat. De diuerſis ergo gentilibus quadrigæ & equi ſpirituales vero Salomoni adhibentur, quia ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, Eccleſia eius congregatur. Vnde, iuxta Pſalmi-
Pſal. 71. ſtæ vocem, *adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent.*

CAPVT II.

D*Ecreuit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium ſibi. Et numerauit LXX. millia virorum portantium humeris, & LXX. millia, qui cæderent lapides in montibus præpoſitoſq́; eorum tria millia, ſexcentos.*

Domus Dei, quam ædificauit Rex Salomon in Hieruſalem, in figuram facta eſt ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ: quæ à primo electo vſque ad vltimum qui in fine
D mundi naſciturus eſt, quotidie per gratiam regis pacifici (ſui videlicet Redemptoris) ædificatur: quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim, euaſis peregrinandi ærumnis, cum illo iam regnat in cœlis:
1. Cor. 15. vbi, peracto vltimo iudicio, tota eſt regnatura cum illo. Ad hanc domum pertinent electi Angeli, quorum nobis ſimilitudo in futura vita promittitur, dicen-
Luc. 20. te Domino: *Illi autem, qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt vxores: neque enim vltra mori poterunt. Æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cum ſint filij reſurrectionis.* Ad hanc ipſe pertinet Mediator Dei & hominum, Chriſtus Ie-
Ioan. 2. ſus, ipſo atteſtante, cum ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod exponens Euangeliſta
1. Cor. 3. ſubiunxit: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Dicit & Apoſtolus de nobis: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Si ergo ille templum Dei per
E aſſumptam humanitatem factus eſt, & nos templum Dei per inhabitantem Spiritum eius in nobis efficimur: conſtat vtique, quia figuram omnium noſtrum & ipſius videlicet Domini, & membrorum eius, quæ nos ſumus, templum illud materiale tenuit: ſed ipſius, tan-
Epheſ. 2. quam lapidis angularis, ſingulariter electi & prætioſi,
1. Pet. 2. in fundamento fundati: noſtri autem, tanquam lapidum viuorum, ſuperædificatorum ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, hoc eſt, ſuper ipſum Dominum. Deſignat eandem domum Dei ſpiri-
Exod. 16. 37. 38. & 39. tualem & tabernaculum quondam factum in heremo per Moyſen. Verum quia illa domus in itinere, quo ad terram repromiſsionis veniebatur: hæc autem ædificabatur in ipſa terra repromiſsionis, & in ciuitate Hieruſalem: illa, vt de loco ad locum crebro Leuitarum miniſterio portata, tandem in terram promiſſæ hæreditatis induceretur: hæc, vt mox in Patria ipſa & ciuitate conſtructa inuiolabili ſemper fundamento conſiſteret, donec inditum ſibi figurarum cœleſtium
F munus impleret: poteſt in illa præſentis Eccleſiæ labor & exilium, in hac futura requies & beatitudo figurari. vel certè quia illa à ſolis filiis Iſrahel, hæc à proſelytis etiam & gentibus facta eſt: poſſunt in illa principaliter patres veteris teſtamenti, & antiquus ille Dei Apoſtolus: in hac autem congregata de gentibus Eccleſia figuraliter exprimi: quamuis ædificium vtriuſque domus enucleatius ſpirituali ſenſu excuſſum, & labores præſentis Eccleſiæ quotidianos, & præmia in futuro perennia, gaudiaque regni cœleſtis, & electionem primæ de Iſrahel Eccleſiæ, & ſalutem omnium gentium in Chriſto multimodis oſtendatur inſinuare figuris.

Quod autem Salomonem decreuiſſe dicitur ædificare domum nomini Domini, & palatium ſibi: ad eundem ſenſum pertinet, quia ſancta Dei Eccleſia domus Dei eſt, quam ille perpetualiter inhabitat, & palatium cœleſtis regis, vbi ipſe gloriæ ſuæ magnitudinem vniuerſis Gentibus oſtendit. Operarii autem ve-
G ri Salomonis quique ſunt electi: qui vel rectè credendo ac benè operando ſemetipſos habiles ædificio Dei faciunt, vel alios docendo ad futuram templi Dei gloriam præparant. Quid autem ſignificet ſeptuageſimus & octogeſimus, necnon & ſexcenteſimus atq; tertius numerus: in ſequentibus dicemus.

Miſit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egiſti cum Dauid patre meo, & miſiſti ei ligna cedrina, vt ædificaret ſibi domum, in qua habitauit: ſic fac mecum, vt ædificem domum Domini Dei mei, vt conſecrem eam ad adolendum incenſum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propoſitionem panum ſempiternam, & ad holocauſtomata mane & veſpere, Sabbatis quoque & Neomeniis & ſolennitatibus Domini Dei noſtri in ſempiternum: quæ mandata ſunt Iſrahel, & reliqua.

Narrat autem Regum hiſtoria: quod Salomon ædi- *3. Reg. 5.*
ficaturus domum Domino, quæſierit auxilium ab Hiram Rege Tyri, qui erat amicus Dauid omni tempore, & cum ipſo quoque Salamone, poſtquam regno potitus eſt, pacem habere iam cæperit, promptumque mox ad adiuuandum ſe in omnibus eius in- H
uenerit animum: ita vt artifices illi, & ligna & aurum, prout opus habebat, dederit: cuius beneficii gratia Salomon ei per annos ſingulos plurimos tritici & olei choros in in cibum domui eius dabat. Nulli autem dubium, quin Salomon, qui interpretatur, *pacificus*, & ipſo nomine & sereniſsimo regni ſui ſtatu illum ſignificet. de quo dixit Iſaias: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* *Eſa. 9.*
Hiram vero, qui Latinè dicitur, *viuens excelſe*, credentes ex gentibus & vita ſimul cum fide glorioſos figuraliter exprimit. Neque aliquid prohibet, quin Hiram, quia Rex erat, regalique patientia Salomonem in ædificio domus Domini iuuabat, conuerſos ad fidem ipſos rerum Domino, typicè denunciet: quorum ope conſtat Eccleſiam ſæpius ad vitam nobiliter augmentatam ac contra

hæreticos

A hæreticos, ſchiſmaticos & paganos principalibus erectam eſſe decretis. Petijt ergo Salomon in opere templi auxilium ab Hiram: quia cum veniens in carne Dominus dilectam ſibi domum, videlicet Eccleſiam, ædificare diſponeret; non de Iudæis tantummodo, verum & de gentibus adiutores operis elegit. Nam de vtroque populo miniſtros ſermonis aſſumpſit. Miſit Hiram Salomoni præciſa de Libano ligna cedrina & abiegna, quæ in domum Domini ponerentur: quia conuerſa gentilitas miſit ad Dominum viros quondam ad ſeculum claros: ſed ſecuri dominicæ præparat omnis de monte ſuæ ſuperbiæ iam deiectos & humiliatos, qui ad normam Euangelicæ veritatis inſtituti in ædificio Eccleſiæ pro ſuo quiſque merito vel tempore collocaretur. Miſit etiam artifices: quia conuerſos ad veram ſapientiam Philoſophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis iurè præponerentur, Domino gentilitas obtulit: qualis fuit ipſis Apoſtolorum temporibus Dionyſius Areopagita, qualis deinceps Doctor
B ſuauiſsimus atque fortiſsimus martyr Cyprianus, alijque quamplurimi. Miſit & aurum, quod in eadem penè ſignificatione accipitur: quia nimirum viros ſapientia & ingenio præclaros oſtendit. Pro quibus cunctis oblationibus gentilitas à Domino dona expectat gratiæ cœleſtis: triticum, videlicet verbum Dei, & oleum charitatis atque vnctionis & illuminationis Spiritus ſancti. Conuenit autem aptè rebus Eccleſiæ, quod auxilium operis ſancti efflagitans ait ad Hiram Salomon:

Mitte ergo mihi virum eruditum, qui nouerit operari in auro & argento, ære & ferro, purpura, coccino & Hyacintho, & qui ſciat ſculpere cœlata cum his artificibus, quos mecum habeo in Iudea & Hieruſalem quos præparauit Dauid pater meus. Sed & ligna cedrina mitte mihi & abiegna & thyma & pinea de Libano. Scio enim, quod ſerui tui nouerint cædere ligna de Libano. Et erunt ſerui mei cum ſeruis tuis, vt parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna eſt nimis & inclita. Præterea operarijs, qui cæſuri ſunt ligna ſeruis tuis dabo in cibaria, tritici choros viginti millia, & ordei totidem choros, olei quoque ſata viginti millia, & reliq.

C Serui quippe Hyram, qui præcidebant Salomoni cedros de Libano, doctores ſunt electi de gẽtibus; quorum officij eſt, eos, qui in hoc mundo rebus & gloria lætabantur, à ſuperbiæ faſtu corrigendo ſternere, adque obſequium ſui Redemptoris eorum vota transferre. Cum quibus videlicet ſeruis erant & ſerui Salomonis, ac pariter memorato inſtabant operi; quia primi doctores ex gentibus neceſſe habebant ipſorum Apoſtolorum, qui à Domino didicerant, eruditione in verbo fidei inſtitui, ne, ſi abſque magiſtris docere inciperent, magiſtri exiſterent erroris. Idcirco etenim Salomon ſeruos Hiram cædere ſibi voluit ligna de Libano; quia doctiores erant ſeruis ſuis ad cædendum. Sed idcirco etiam ſeruos ſuos ſimul adeſſe voluit, vt oſtenderent cedentibus, cuius menſuræ ligna fieri deberent. Cuius rei figura in promptu eſt, quia nimirum Apoſtoli certius verbum Euangelij, quod à Domino audiere, nouerunt. Sed gentiles ab errore conuerſi, atque ad veritatem Euangelij transformati, melius ipſos gentium errores no-
D uerant, & quo certius nouerant, eo artificioſius hos expugnare atque euacuare didicerunt.

Dixit autem Hiram rex Tyri per literas, quas miſerat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum ſuum, ideo te regnare fecit ſuper eum: & addidit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit cœlum & terram, qui dedit Dauid regi filium ſapientem & eruditum & ſenſatum atque prudentem, vt ædificaret domum Domino, & palatium ſibi. Miſi ergo tibi virum prudentem, & ſcientiſsimum fabrum Hyram. Heb. Abiſ, patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater Tyrius fuit, qui nouerit operari in auro & argento & ære & ferro & marmore & lignis, in purpura quoque & hyacintho & byſſo & coccino, & qui ſciat cælare omnem ſculpturam, & adinuenire prudenter, quodcumque in opere neceſſarium eſt, cum artificibus tuis, & cum artificibus Domini mei Dauid patris tui, & reliq.

Quod ergo dicit Hiram per literas ſuas ad Salomonem: *Miſi tibi virum prudentem, & ſcientiſsimum fabrum, patrem meum. Hiram, filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater Tyrius fuit*: oſtendit, eum ex progenie eſſe Salomith de E
tribu Dan, de quo in libro Numerorum ſcriptum reperitur. Patrem vero eius tradunt Hebræi fuiſſe Hebræum Num. 14.
de progenie Ooliab de tribu Dan, qui in heremo cum Beſelehel operatus eſt. Quod vero eum Tyrium vocat, Exod. 36.
aiunt Hebræi hoc translatione factum fuiſſe. *Zochri* enim lingua eorum *plaſmatio* intelligitur. *Tyrus* enim, quem illi *Czor* vocant, in quibuſdam locis *anguſtia*, in quibuſdam *plaſmatus* intelligi ſolet. Idcirco vocat Hyram patrem ſuum, quia ad eum de terra Iſrael ad peregrinandum profectus docuit illum timorem Domini, & adduxit ad cognitionem Dei. Myſticè autem Hyram ſignificat Doctores ex gentibus, quos miſit gentilitas ad Eccleſiam. Iſti norunt operari in auro & argento & ære & ferro & lignis & marmore, in purpura quoque & hyacintho & byſſo & coccino. Aurum ſignificat ſapientiæ claritatem, argentum eloqij nitorem, æs prædicationis ſonoritatem, ferrum fidei firmitatem, mar- F
mor virtutum decorem, ligna bonorum operum viriditatem, purpura per martyrium ſanguinis effuſionem, hyacinthus cœleſtem conuerſationem, byſſus corporis caſtitatem, coccinus charitatis plenitudinem. In his omnibus Hiram ſpiritalis ſcit operari: quia in Eccleſia Dei in ſingulis his ſpeciebus nouit ſtrenuus & vtilis fieri, quatenus omnis virtus domus Dei condigno ſplendore coram oculis hominum ad inſtructionem eorum fulgeat, & bonæ voluntatis odore ante conſpectum diuinitatis acceptabilis fiat. Quod autem dicit Hiram ad Salomonem: *Nos autem cædemus ligna de Libano, quod neceſſarium habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Ioppen: tuum erit transferre ea in Hieruſalem*: ſignificat, quod gentes, audita fama Euangelij, diuerſas hominum perſonas cum credulitate transmittunt ad Baptiſmatis perceptionem. Solius tamen eſt veri Pacifici noſtri videlicet Redemptoris, vt abluendo peccata per ſacramenta cœleſtia, vnitati illos ſanctæ inſerat Eccleſiæ. Vnde Ioannes in Euangelio
ait: *Qui me miſit baptiſare in aqua, ille mihi dixit: Super quem* G
videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt, Ioan. 1.
qui baptiſat in Spiritu ſancto. Et ego vidi & teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.

Numerauit ergo Salomon Rex omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſrael poſt dinumerationem, quam dinumerabat Dauid pater eius, & inuenti ſunt centum quinquaginta millia & tria millia, ſexcenti: fecitque ex eis ſeptuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octuaginta millia, qui lapides in montibus cæderent, tria autem millia & ſexcentos præpoſitos operum populi.

Proſelyti autem vocabantur Græcè, qui ex alijs nationibus progeniti, in fidem & conſortium populi Dei, accepta circumciſione, tranſierunt. Fuerunt itaque operarij domus Domini de filijs Iſrael, fuerunt de proſelytis, fuerunt de gentibus. De filijs videlicet Iſrael illi triginta millia, qui ad præcidendas de Libano cedros miſsi ſunt, ſicut in libro Regum narratur: de
gentibus Hiram & ſerui eius, qui cum ſeruis Salomo- 3 Reg. 5.
nis ligna cædebant de Libano. Omne ergo hominum H
genus, per quos ædificanda erat Eccleſia, in ædificio templi præceſsit. Iudæi namque proſelyti & gentiles conuerſi ad veritatem Euangelij vnam eandemque CHRISTI Eccleſiam ſiue rectè viuendo, ſiue etiam docendo conſtruunt. Fuerunt itaque Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octuaginta millia latomorum in monte, abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus, numero trium
millium trecentorum, vt in Regum ſcriptum eſt, præ- Ibidem.
cipientium populo, & his, qui faciebant opus. Latomos dicit lapidum cæſores. Idem autem lapidum cæſores, quod & lignorum cæſores, figuratè deſignant, hoc eſt, ſanctos prædicatores, qui mentes inſipientium dolabra verbi Dei exercent, eoſq; ab ea, in qua nati ſunt, tortitudine ac deformitate tranſmutare contendunt, ac regulariter inſtitutos vnitati fidelium, ædificio

Digitized by Google

A videlicet domus Dei, aptos reddere curant. Quod autem & ligna & lapides in monte cæduntur, ac cæſa ac præparata vtraque materies ad montem domus Domini transfertur: patet ſenſus, quod omnes in monte ſuperbiæ nati ſumus; quia de præuaricatione primi hominis, quam ſuperbia fecit originem carnis traximus. Quotquot autem gratia Dei præordinati ſumus ad vitam, excidimus cathechizando, & ſacramenta fidei percipiendo de monte ſuperbiæ, & montem domus Domini transferimur; quia eruti de poteſtate tenebrarum ad arcem virtutum, quæ eſt in vnitate ſanctæ Eccleſiæ, peruenimus. Notandum autem, quod iidem operarij ita erant diſtributi, vt pars in monte lapides cæderent, pars item onera portarent. Diuerſa namque ſunt dona Spiritus; & quidam maiorem dicendi ac proteruos arguendi conſtantiam habent: quidam interiores ad conſolandos puſillanimes, & infirmos ſubleuandos exiſtunt: quidam vtriuſque virtutis munere præditi ad opus domus Domini conueniũt, B quales fieri voluit eos, quibus Apoſtolus loquitur dicẽs: 1. Theſſ. 5. *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* Præpoſiti autem, qui præerant ſingulis operibus, ipſi ſunt ſacræ conditores Scripturæ, quorum magiſterio in omnibus erudimur: quomodo inſcios docere, & contemptores corripere; quomodo nos inuicem Gal. 6. onera noſtra portare, vt impleamus legem Chriſti, conueniat. Recte præfati operarij Lxx. millia, & Lxxx. millia perhibentur: ſeptuaginta videlicet propter ſabbatiſmum animarum; ſeptimus enim dies in ſabbatum, id eſt, requiem conſecratus eſt: Lxxx. propter ſpem reſurrectionis, quæ octaua die, id eſt, per ſabbatum in Domino præceſſit, & in nobis quoque octaua die ſimul & octaua ætate ſperatur. Præpoſiti autem erant tria millia trecenti propter fidem nimirum ſanctæ Trinitatis, quam ſancta nobis eloquia prædicant. Quod vero in præſentis libri 3 Reg. 5. hiſtoriæ, hoc eſt, Paralipomenon pro tribus millibus trecentis præpoſitis, qui in hiſtoria Regum annumerantur, tria millia ſexcenti ſunt ſcripti: ad eandem prorſus ſublimium virorum perfectionem reſpicit. Nam quia in ſenario numero Dominus mundi ornatum compleuit; recte in eo perfecta bonorum ſolent opera figurari. Et C quia ſancta Scriptura cum fide veritatis opera iuſtitiæ docet habenda: recte propoſiti operum templi tria millia & ſexcenti fuiſſe perhibentur.

Capvt III.

2 Reg. 24. 1. Chron. 21. *ET cœpit Salomon ædificare domum Domini in Hieruſalem in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius in loco, quem præparauerat Dauid in area Ornan Iebuſæi.*

Ædificabatur ergo domus Domini in Hieruſalem, hoc eſt in *viſione pacis*: quia dilatata totum per orbem Eccleſia. In vna eademque fide, & veritatis Catholicæ ſocietate conſiſtit. Namque in ſciſſura mentium Deus non eſt: Pſal. 75. ſed *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Ædificatur in monte, videlicet in ipſo Domino Saluatore, de Eſai. 2. quo Iſaias ait: *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Do-* Matth. 5. *mini in vertice montium.* Et ipſe de ſe in Euangelio: *Non poteſt*, inquit, *ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Ipſe eſt enim D mons montium, qui de terra quidem per originem aſſumptæ carnis ortus eſt, ſed omnium terrigenarum potentiam ac ſanctitatem ſingularis culmine dignitatis tranſcendit. In quo nimirum monte ciuitas ſiue domus Domini conſtructa eſt; quia ſi non in illo radicem figat ſpes & fides noſtra, nulla eſt. Et recte mons *Moria*, id eſt, *viſionis* vocatur: quia electos ſuos, quos ad æternam ſuæ claritatis viſionem conſeruat, in hac interim vita laborantes videre & adiuuare dignatur. Qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius. Oſtenſus namque erat Dauid, ſicut cæteris Prophetis, venturus in carne Dominus. Beneidem locus in area erat Iornan Iebuſæi; quia & Eccleſia areæ ſolet vocabulo deſignari, dicente Ioanne de Do- Matth. 3. mino: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam.* Ornan, qui interpretatur, *illuminatus*, & erat natione Iebuſæus, natione quidem gentiles ſignificat; nomen autem eoſdem illuſtrandos à Domino, atque in filios Eccleſiæ commutandos oſtendit, quibus merito dicat Apo- E ſtolus: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ephes. 5. Iebus eadem eſt ciuitas, quæ eſt Hieruſalem, ſicut ſupra oſtenſum eſt. Et Iebus quidem interpretatur, *conculcata*: Hieruſalem autem *viſio pacis*. In qua quamdiu Ornan gentis regnabat, Iebus dicta eſt: cum vero in ea Dauid locum holocauſti emeret, cum Salomon templum in ea Domino ædificaret; non iam Iebus, ſed Hieruſalem vocata eſt, quia nimirum gentilitas quamdiu diuini cultus neſcia perdurabat, conculcabatur & illudebatur ab immundis ſpiritibus, ad ſimulacra muta, prout ducebatur, ſequens: cum vero illam gratia ſui conditoris reſpexit, continuo pacis in ſe & locum inuenit & nomen.

Cœpit autem ædificare menſe ſecundo, anno quarto regni ſui.

In libro vero Regum de hoc ita ſcriptum eſt: *Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum* 3 Reg. 6. *Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus regis Salomonis ſuper Iſrael.* Ordo & ſenſus eſt; In anno quarto regis Salomonis ſuper Iſrael, menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus. F Menſem autem ſecundum ipſe Maium dicit. Namque Apoſtolis, quo Paſcha celebratur, principium menſium erat in menſibus anni. Ex quo manifeſte claret, quia mox, peracto paſcha, cepit ædificare domum Domino; & conſecratur myſtica ſolemnitate populus, quia manum ad myſticum opus miſit. Ibidem. Fit autem in Regum commemoratio egreſſionis ex Ægypto, quando tabernaculum ædificari ceptum eſt, vt admoneatur lector, quot annorum tempus inter ædificationem vtriuſque domus tranſierit; & huic quoque ſummæ temporis ſacramentum ineſſe ſpeciale cognoſcat. Permanſit autem cultus & religio tabernaculi annos quadringentos & octoginta, ac ſic templum ædificari incipit. Quod autem quarto anno regis Salomonis ædificari cepta eſt domus Domini; poteſt eo referri myſticè, quod poſt expletam diſpenſationem dominicæ incarnationis, quæ in quatuor euangeli libris ſcripta eſt, miſſo de cœlis Spiritu Act. 2. ſancto, Eccleſiæ ſtructura cœperit. Et quod menſe ſecundo cepta eſt, poteſt ad electionem gentium referri, quæ, ſecundo loco poſt Iſrael, ædificationem in ſe ſui ſuſcipere Creatoris. G Num. 9. Vnde & ſecundus menſis in lege conceſſus eſt ad faciendum Paſcha hic, qui immundi ſuper anima, vel in via procul poſiti ad faciendum in primo menſe Paſcha occurrere nequirent. Vbi nos apertiſsime deſignati ſumus, qui immundi ſuper morte animæ noſtræ, & procul adhuc poſiti à populo Dei non potuimus primum Paſcha facere, quod in carne & ſanguine Redemptoris noſtri, à quo quæſiti & mundati ſumus, actum eſt.

Et hæc ſunt fundamenta, quæ iecit Salomon, vt ædificaret domum Domini. Longitudinis cubitos in menſura prima LX. latitudinis cubitos XX. Porticus vero ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta menſuram latitudinis cubitos XX. porro altitudo centum xx cubitorum erat.

Denique in libro Regum de menſura iſtius domus ita 3. Reg. 6. ſcriptum eſt: *Domus autem, quam ædificabat Salomon Domino, habebat Lx. cubitos in longitudine, & xx. cubitos in latitudine, & xxx. cubitos in altitudine.* Longitudo domus longanimitatem deſignat ſanctæ Eccleſiæ, quam in exilio peregrinationis huius patitur atque tolerat, donec ad pa- H triam, quam expectat, perueniat. Latitudo inſinuat charitatem; qua dilatato ſinu mentis non ſolum amicos in *Deo*, ſed & inimicos diligere gaudet per *Deum*, donec Matth. 5. veniat tempus, quando ſiue ad pacem ſuam conuerſis, ſiue funditus omnibus extinctis inimicis, cum ſolis gaudeat inimicis *Deo*. Altitudo ſpem denunciat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæque, ſiue quæ demulcent, ſeu quæ aduerſantur, contemnit, vſque Pſal. 26. dum, vtriuſque tranſcenſis, ſola mereatur *videre bona Domini in terra viuentium.* Vbi notandum, quod xxx. cubiti altitudinis non vſque ad tectum templi, ſed vſque ad cœnaculum inferius pertingebant. Namque in libro præſenti Paralipomenon aperte ſcriptum eſt, quod altitudo 3 Reg. 6. Cxx cubitorum erat. Notandum ſane, quod xxx. cubiti altitudinis, de quibus in Regum legitur, vſque ad medium cœnaculum pertingebant. Deinde alij xxx. cubiti vſque ad tertium cœnaculum addebantur; quouſque

porta,

Digitized by Google

A porti, quæ erant circa templum ab Auſtro & Aquilone & Occaſu, ad tectum perueniebant, vt Ioſepho narrante didicimus. Deinde vſque ad ſupremum templi tectum alij Lx. cubiti numerabantur, & ſic tota altitudo domus iuxta librum Paralipomenon in Cxx. cubitis conſummata eſt. Porticus quoque, quæ erat ante frontem templi ad Orientem, iuxta fidem præfati voluminis, eandem cubitorum ſummam in altitudine habebat, qui videlicet liber illas, de quibus prædiximus, porticus circa templum, *cellaria* vocat & *cubicula*. Vnde in priore libro ita
1. Par. 28. ſcriptum eſt: *Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus templi, & cellariorum & cænaculi & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis.* Vbi & exteriorũ domorum, quæ erant extra atrium ſacerdotum in circuitu templi, fecit mentionem, cum protinus adiunxerit: *Necnon & omnium, quæ cogitauerat, atriorum & exedrarum per circuitum in theſauros domus Domini, & in theſauros ſanctorum.* Quod autem omnis altitudo templi Cxx. fuit cubitorum, ad idem ſacramentum reſpicit: quod & primitiua in Hieroſolymis Eccleſia poſt paſſionem, reſurrectionem & aſcenſio-
B nem Domini in cœlos, in hoc numero virorum gratiam Spiritus ſancti accepit. Quindecim namq;, qui ex ſeptem & octo conſtant, ſolent nõnunquam ad ſignificationem referri vitæ futuræ, quæ nunc in ſabbatiſmo geritur animarum fideliũ, perficietur aũt in fine ſeculi, reſurrectione corporum immortalium. Ipſa autem quindecim in trigorium ducta, id eſt, cum omnibus ſuis partibus annumerata, Cxx. efficiunt. Quapropter aptè numero centenario & vicenario magna electorum beatitudo in futura vita deſignatur. Aptè hic tertium domus Domini cœnaculum conſummatur: quia poſt præſentes fidelium labores, poſt acceptam in futuro requiem animarum, plena totius Eccleſiæ felicitas in reſurrectionis gloria complebitur.

Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis cypreſſinis, & laminas auri obryzi affixit per totum.

Domum maiorem, ipſum templum, quod erat pro foribus oraculi, dicit. Nam tripartita fuit diſtinctio ipſius fabricæ: hoc eſt, porticus ante templum, & ipſum templum (in quo altare thymiamatis, & menſa panum propoſitionis, & candelabrum luminis poſita erant) & ora-
C culum, hoc eſt, ſanctum ſanctorum, vbi arca teſtamenti, & Cherubin poſt velum collocata erant. Quæ omnia ſecundum ſpiritalem ſignificationem ita diſtingui poſſunt: vt dicamus porticum, quæ erat ante templum, antiquorum figuram geſtare fidelium: ipſum vero templum eorum, qui poſt incarnationis Dominicæ tempus in mundum venerunt: porro domum interiorem regni cœleſtis gaudia, quæ vtriſque iuſtis dantur, figurare. Notandum ergo, quod ipſius domus parietes lapidibus pretioſis fuerunt facti, opertique tabernaculis cypreſſinis ſiue cedrinis, & inſuper laminis aureis veſtiebantur. Vnde in
3. Reg. 6. Regum ſcriptum eſt: *Et cedro omnis domus veſtiebatur, habens tornaturas ſuas & iuncturas fabrefactas & celaturas eminentes.* Lapides parietis ſiue pauimenti, & tabulæ & aurum, ſanctorum in Eccleſia vitam omnia deſignant: ſed ea vtique diſtinctione, cum pariter ponuntur: vt lapides viui ſint ſancti, fortitudine fidei in vnam eandemque regulam ſibimet agglutinati: tabulæ cedrinæ ſiue cypreſſinæ
D ſint ſancti, latitudine variarum virtutum ſecundum donationem Spiritus ſancti in vna eademque fide ſibimet alterutrum connexi: auri laminę ſint ſancti ſupereminentem ſcientiæ charitatem habentes, hocque fulgore gratiſsimo ad inuicem congaudentes. Quæ tria beatus Apo-
Gal. 5. ſtolus vna ſcientia complexus eſt, dicens: *Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Fidei namque inuictæ lapis figuram tenuit: cedrus ſiue cypreſſus, actionis odoriferæ: aurum, tranſcendentis omnia dilectionis.

Sculpſitque in ea palmas & quaſi catenulas ſe inuicem complectentes.

Sculptura palmarum deſcriptio eſt virtutum, per quas victoria vera adipiſcitur, & remuneratio futura cœlis promeretur. Catenulæ ergo inuicem ſe complectentes, ipſa ſunt officia charitatis, quibus adinuicem fraternitas ſancta copulatur, atque in vnam Chriſti do-
E mum toto terrarum orbe componitur. Quæ etiam do-
3. Reg. 6. mus iuxta id, quod in Regum ſcriptum eſt, habet celaturas eminentes: cum opera virtutum ſancti nequaquam occulta tegunt, ſed manifeſta expreſsione foris omnibus, quales ſint ipſi, quid agant, in exemplum viuendi proferunt.

Strauit quoq; pauimentum templi pretioſiſſimo marmore decore multo.

In Regum vero de pauimẽto domus Dei ita ſcriptum
3. Reg. 6. eſt: *Attexit pauimentum tabulis abiegnis.* vnde patet: quia tabulas abiegnas, quib. pauimentum tegeret, nequaquam in terra poſuit: ſed primo illud marmore prætexit, ac deinde tabulas marmori ſuperpoſuit: ac tertium his duobus auri veſtitum ſuperaddidit, vt in ſequentibus legitur. Sicut autem latitudo parietis in altum exurgens, atque vſque ad laquearia perueniens, profectus virtutum, quibus electi ad regnum cœleſte perueniunt, vel certe ipſos electorum choros ſibimet per tempora variantia ſuccedentes ſignificat: ita æqualitas pauimenti concor-
F dem eorundem humilitatem, qua in temporali hac vita poſiti ſocialiter inuicem, charitate dictante, conuerſantur, non immerito demonſtrat. Quod videlicet pauimentum precioſiſſimo erat marmore ſtratum decore multo, idemque marmor mox tabulis tectum abiegnis: quia nimirum vita iuſtorum primo fidei firmitate præmunienda in corde, ac deinde ſpiritalium virtutum latitudine eſt adornanda in opere. Alioquin quid vtilitatis habebat decor marmoris precioſiſſimi, lignorum tabulis obtectus, ſi non myſticum aliquid tacite ſignificat, ac bonorum plenitudinem operum fortitudine fidei intemeratæ ſuffulciendam eſſe docebat? Abies vero propter altitudinem ſui, & robur diu durabile, mentem electorum infima quoque deſideria ſpernentem, & cœleſtium contemplationi ſemper intentam, virtute quoque patientiæ ſingulariter excellentem non incongrue demonſtrat. Auri autem laminæ, quæ marmori aut tabulis ſunt
1. Tim. 1. abiegnis ſuperpoſitæ, ipſa eſt latitudo *charitatis de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta.* Quia ſicut aurum aliis pretioſius eſt metallis: ita charitas cæteris eximior virtu-
G tibus in templo Dei ſingulari luce refulget. De quo conſequenter ſubiungitur:

Porro aurum erat probatiſſimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius & poſtes & parietes & oſtia.

Parietes templi Salomon auro texit, cum Redemptor cæcum filium lumine ſapientiæ atque charitatis illuſtrauit: & trabes, cum ſanctos Doctores eodem ſapientiæ lumine atque contemplationis & dilectionis honore præcipue ſublimauit. Texit poſtes & oſtia, cum aditum fidei, ipſo Domino pandente, qua veritate reluceat, omnibus in Eccleſiam intrantibus oſtendit. Oſtium ergo
Ioan. 14. templi Dominus eſt: quia nemo venit ad Patrem, niſi per
Ioan. 10. ipſum. Et ſicut alibi dicit: *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.*

Et celauit Cherubin in parietibus.

Hoc eſt: angelicam conuerſationem formauit in hominum moribus: vt ſicut ab angelis ſibi laudabiliter ſeruitur in cœlis, ita & ab hominib. deuote ſibi ſeruiatur in terris.

H *Fecit quoque domum ſancti ſanctorum, longitudinem, iuxta latitudinem domus, cubitorum viginti, & latitudinem ſimiliter viginti cubitorum, & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis.*

3. Reg. 6. Hinc quoq; in Regum ita ſcriptum eſt: *Porro oraculum habebat 20. cubitos longitudinis, & 20. cubitos latitudinis, & 20. cubitos altitudinis.* Oraculum namque vocatur ipſa domus, quæ, & *Sancta ſanctorum* dicitur: quia vel diuina hominibus, vel euangelica allocutio cum ſecretorum quoque reuelationum myſterio conceditur. Vnde bene Oraculum in adytis, hoc eſt, in interiori domo factum eſt: quia in ſuperna patria & angelorum nobis viſio atq; allocutio, & ipſa Dei præſentia reuelabitur. Quod dicit 20. cubitos altitudinis, parietem ſignificat cedrinum, qui Oraculum id eſt, Sancta ſanctorũ ab æde exteriore ſegregabat. Oraculũ vero, vbi erat arca, habebat vicenos cubitos in longitudine & latitudine & altitudine, id eſt, per quadrum:

A quia in ſuperna illa patria, vbi regem Chriſtum in decore ſuo vident oculi ſanctorum, ſola charitatis diuinæ ac fraternæ per omnia fulget. Quod ſequentibus quoque verbis aſtruitur, cum dicitur: *Et laminis aureis texit eam.* Quod eſt aperte dicere, quia ſupernæ munia charitatis impleuit. Quod autem ſubditur; *quaſi talentis ſexcentis*: in *tal*enti nomine, quo perfectio ponderis demonſtratur, ipſius charitatis perfectio (ſicut & in *ſexcentis*) inſinuatur, vbi centenarius numerus per ſenarium multiplicatus conſtat.

Sed & clauos fecit aureos: ita vt ſinguli claui ſiclos quinquagenos appenderent; cœnaculaque texit auro.

Quinquagenario namque numero ſolet in Scripturis remiſſio peccatorum, & gratia Spiritus ſancti, & requies æterna figurari. Et quinquagenorum erant ſiclorum claui ſinguli, quibus laminæ auri affigebantur in parietibus domus Domini: quia nimirum verba cœleſtia, quibus in amore bono operum proficimus & conſeruamur, veniam nobis promittunt peccatorum per gratiam Spiri- Eſai. 66. tus ſancti, & ſabbatiſmum in futuro pollicentur æternum. Et hi quidem ſunt claui dilectionis. B Sunt vero alij claui timoris, quibus incipientes quique, & necdum ad perfectionem venientes, illecebras vitiorum carnaliumque voluptatum mortificant, illis videlicet ſermonibus veritatis confixi, quorum inſtitutione *carnem noſtram cru-* Gal. 5. *cifigere cum vitiis & concupiſcentiis* edocemur. Quos habere deſiderabat Propheta, cum ait: *Confige clauis à timore tuo* Pſal. 118. *carnes meas; à iudiciis enim tuis timui.* Qui rurſum ad perfectiora perueniens dicit de claui dilectionis: *Mihi autem ad-* Pſal. 72. *hærere Deo bonum eſt.* Quod autem cœnacula quoque tecta ſint auro, ad eundem ſenſum reſpicit. Sicut enim interior domus, Sancta ſanctorum, vbi erat arca, internam Sanctorum vitam in conſpectu ſui Conditoris & Redemptoris ſignificat, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Abſcondes eos* Pſal. 30. *in abdito vultus tui à conturbatione hominum*; ita cœnacula in alto eandem vitam, hoc eſt, in cœlis eſſe, & non in hoc Col. 3. mundo deſignant, dicente Apoſtolo: *Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.*

Fecit etiam in domo Sancti ſanctorum Cherubin duo opere ſtatuario, & texit eos auro. Alæ Cherubin viginti cubitis exten- C *debantur: ita vt vna ala haberet cubitos quinque & tangeret parietem domus, & ala altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius Cherub. Similiter Cherub alterius ala quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala eius altera quinque cubitorum alam Cherub alterius contingebat. Igitur alæ vtriuſque Cherub expanſæ erant & extendebantur per cubitos xx ipſi autem ſtabant erectis pedibus, & facies eorum verſæ erant ad exteriorem domum.*

De hoc quoque plenius in libro Regum narratur, vbi 3 Reg. 6. ita ſcriptum eſt: *Quod fecit in Oraculo duo Cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera, id eſt, decem cubitos habentes à ſummitate alæ vſque ad alæ alterius ſummitatem. Decem quoque cubitorum erat Cherub ſecundus menſura pari et opus vnum erat in duobus Cherubin, id eſt, altitudinem habebat vnus Cherub decem cubitorum, & ſimiliter Cherub ſecundus. Poſuitque Cherubin in medio templi interioris. Extendebant autem alas ſuas Cherubim, & tangebat ala vna parietem,* D *& ala Cherub ſecundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi ſe inuicem contingebant. Texit quoque* Ezech. 10. *Cherubin auro.* Cherubin, ſicut Hiezechiel aperte declarat Angelicæ dignitatis vocabulum eſt, numeroque ſingulari *Cherub* dicitur, plurali *Cherubin.* Vnde aptè in figuris Cherubin, quæ erant in Oraculo factæ, angelica miniſteria, quæ Conditori ſuo in cœlis ſemper aſſiſtunt, poſſunt intelligi. Qui recte de lignis oliuarum facti eſſe perhibentur: quia nimirum virtutes angelicæ gratia Spiritus ſancti, ne vnquam ab amore Dei areſcant, vnctæ ſunt. Decem autem ſunt cubitorum altitudinis: quia denario vitæ æternæ fruuntur, habentes inuiolatam in ſe ſui Conditoris imaginem, ſeruata perpetuo ſanctitate & iuſtitia & veritate, quam prima conditione perceperunt. Denarius namque decem obolis conſtat, & continere in ſe nomen regis & imaginem conſueuit. Quapropter & figuræ regni cœleſtis aptiſſimè congruit, vbi & Angeli ſancti

E in imagine ſui Conditoris, ad quam facti ſunt, ſemper manent: & electi homines imaginem eius, quam peccando amiſerant, recipiunt. Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera, id eſt, decem cubitos habentes in ſummitate alæ vſque ad alæ alterius ſummitatem. Alæ cum in ſanctorum hominum figura ponuntur, virtutes ſignificant eorum, quibus ad cœleſtia ſemper volare, atque in his conuerſationem delectantur habere. Cum vero in ſignificationem Angelorum ponuntur alæ; quid apertius, quam gratiam demonſtrant perpetuæ & indefectiuæ fælicitatis eorum, qui ſemper in cœleſtibus in miniſterio ſui perſiſtunt Auctoris? Vel certè, quia leuitate ſpiritalis naturæ ſunt præditi ita vt vbicunque voluerint, ſtatim quaſi volando præueniant: & hic cum alis figurati, & prophetis cum alis oſtenſi. Bene autem dicitur, quod quinque cubitorum fuerit ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera: quoniam virtutes angelicæ legem Dei, quæ in quinque libris deſcripta eſt, indefeſſa deuotione cuſto- F diunt, diligendo videlicet Dominum Deum ſuum ex omnibus viribus ſuis, diligendo & proximos tanquam ſeipſos. *Plenitudo* enim *legis charitas eſt.* Proximum autem Rom. 13. eorum & ipſi adinuicem ſunt angelici ſpiritus, & homines electi, eorum æquè conciues. Hebr. 12. Vnde vtraque ala Cherub eiuſdem menſuræ eſſe perhibetur: quia videlicet eadem ipſa deuotione, qua ſeſe alterutrum in Deo diligũt, noſtram quoque ad ſe aſcendentium ſocietatem deſiderant. Sicque ſimul alæ decem cubitos complent, cum in gemina charitatis exhibitione angeli de Conditoris ſui præſentia lætantur. Decem quoque cubitorum erat ala Cherub ſecundi menſura pari, & opus vnum erat in duobus Cherubim. Duo erant facta Cherubim propter conſortium eiuſdem, de quo loquimur, Charitatis ſignificandum: quia minus, quam inter duos, charitas ſtare non poteſt. Vnde & Saluator binos ad prædicandum Marc. 6. diſcipulos mittere curauit, vt tacite doceret eis, qui ver- Luc. 10. bum fidei prædicarent, virtutem dilectionis ante omnia eſſe tenendam. Vniuſque menſuræ & operis erant duo Cherubin: quia diſparilitas volũtatum ſiue cogitationum in ſuperna patria nulla eſt, vbi omnes vna eademque Dei G præſentis viſione & gloria illuſtrantur. Poſuitque Cherubim in medio templi interioris. Extendebant autem alas ſuas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub ſecundi tangebat parietem alterum. Alæ autem alteræ in medio pariete templi ſe inuicem contingebant. Manifeſtum eſt ex his, quæ prædicta ſunt: quare Cherubim in medio templi interioris ſint poſiti, quorum habitatio ſemper eſt in cœlis. Extendebant autem alas Cherubim, quaſi ad volandum: quia ſpiritus angelici ſemper habent animum ad obſequium diuinæ voluntatis paratum. Quod vero ala vna tangebat parietem & ala Cherub ſecundi alterum parietem: ad illam charitatis adminiſtrationem, quam nobis exhibent Angeli, pertinent. Quod alæ alteræ in medio ſe inuicem contingebant: eam dilectionis gratiam, qua ſe alterutrum complectuntur, exprimit. Bene autem ſequitur: *texit quoque Cherubin auro*: quia & naturam eorum Conditor immortali charitate ſublimauit, & mentem vera dilectionis Exod. 37. atque humilitatis luce repleuit. H Notandum ſane, quod Moyſes, dum tabernaculum faceret, fecit & duos Cherubin aureos, quos poſuit in propitiatorio, quod erat ſuper arcam. Salomon autem addidit alios duos multo maiores, quos in templo poneret, ſub quorum alis arcam in medio poneret cum propitiatorio & Cherubin in prioribus. Sicque factum eſt, vt in tabernaculo quidem eſſent Cherubin duo, in templo autem quatuor. Ad vnam verò, eandemque ſignificationem vtrique pertinent. Sed repetitum eſt opus atque auguſtius factum per Salomonem, vt typice doceretur: quod multiplicata poſt Incarnationem Dominicam Eccleſia, latius eſſet gentibus ſublimitas cœli ciuium pandenda, qui ſic Conditorem de collato ſibi munere beatitudinis collaudant, vt de noſtra quoque ereptione atque ad eandem beatitudinem introductione congaudeant. Extendunt enim alas ad inuicem ſuper arcam: cum ad laudem Domini Saluatoris re-

ferunt

A ras alas ad parietes Oraculi, cum ſanctos etiam homines
ſecum videre lætantur, eoſque velut alarum ſummitati-
bus tangunt, quos conſortes atq; imitatores fuiſſe in hac
vita ſuæ puritatis exultant. Duos autem æquè parietes
alis ſuis tangunt: quod fideles vtriuſque populi, Iudæi
& gentiles, poſſeſſores ſecum habent aulæ cœleſtis: non
quod in illa patria diſtinctio ſit localis inter vtrumque
populum: ſed quia maior fiat feſtiuitas internæ beatitu-
dinis de conſortio adunatæ in Deo fraternitatis. Exten-
dunt ergo Cherubin ad vtrumque parietem Oraculi alas
ſuas, quia lætantes in cœleſti patria iuſtos vtriuſque po-
puli viſione quoque ſuæ gloriæ ad laudem ſui Creato-
ris excitant: nec ſolum de illorum, quos ſecum intus
habent, hominum iuſtorum felicitate lætantur agmina
cœleſtia: verum etiam noſtri, qui hic adhuc poſiti de pro-
fundis ad Dominum clamamus, curam gerunt ſedulam.
Vnde bene de eiſdem Cherubin in libri præſentis hi-
ſtoria ſcriptum: *Ipſi autem ſtabant erectis pedibus, & facies*
eorum verſa erant ad exteriorem domum: quia nos ab huius
B ærumna peregrinationis erectos ad ſuum deſiderant
peruenire conſortium. Sic ergo pedibus ſtant erectis,
ſic alas ſuas auro tectas ad Oraculi parietes extendunt,
vt facies habeant ad domum verſas exteriorem: quia
ſic Angeli ſuam perpetuo innocentiam conſeruant, ſic
de animarum ſanctarum in cœlis beatitudine congau-
dent, vt eis quoque, quos in terris adhuc peregrinari
conſpiciunt, electis opem ferre non deſinant, donec &
Heb. 1. illos ad cœleſtem patriam introducant. *Omnes* enim *ſunt*
adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæ-
reditatem capiunt ſalutis. Poſſunt etiam per duos Che-
rubin duo teſtamenta figurari. Qui nimirum Cheru-
bini in Oraculo ſunt facti: quia in conſilio diuinæ proui-
ſionis, nobis vtique inacceſsibili atque incomprehenſibi-
li, ante ſecula diſpoſitum eſt: quando & qualiter, quibuſ-
ve auctoribus ſacra Scriptura conderetur. De lignis oliua-
rum ſunt facti, quia lucem nobis ſcientię tribuunt, iuuan-
te flamma charitatis Dei, quæ per Spiritum ſanctum dif-
Rom. 5. funditur in cordibus noſtris. Decem cubitis ſunt alti:
quia per obſeruantiam decalogi legis Deo ſeruiendum
Matth 20. prædicant. Vnde Deo fideliter ſeruientes denario re-
C munerandos eſſe regni perpetui oſtendunt: Geminas
habent alas: quia memores teſtamenti ſui Conditoris
per aſpera æquè vt proſpera indefeſſo propoſito ſemper
ad cœleſtia tetendiſſe ac perueniſſe ſe declarant, qui
hic idem auditoribus ſuis faciendum eſſe demon-
ſtrant. Quinque cubitorum ala Cherubina, & quin-
que cubitorum ala Cherub altera: quia in omni laben-
tium rerum varietate ſancti vniuerſos ſui corporis ſen-
ſus in obſequium ſui Conditoris extendunt. Et opus
vnum erat in duobus Cherubin: quia vtriuſque teſta-
menti ſcriptores vna eademque caſtitate operis, & cha-
ritatis deuotione Deo ſeruiunt. Vna & conſona Do-
mini voce ac fide prædicant. Alæ ergo Cherubim inte-
riores ſuper arcam ſe inuicem contingebant: quia te-
ſtamenta pari de Domino atteſtatione conſentiunt.
Item alis exterioribus iſte vnum parietem, ille alterum
contingebant: quia vetus Teſtamentum proprie eſt an-
tiquo Dei populo ſcriptum: nouum vero nobis, qui poſt
D Incarnationem Dominicam ad fidem venimus. Et ſe-
cundo parieti, hoc eſt. ſeptentrionali rectè comparamur,
quibus, poſt frigora ac tenebras idolatriæ, lucem veri-
tatis cognoſcere datum eſt. Verſas habent facies Che-
rubim ad exteriorem domum: quia noſtri gratia, qui ad-
Rom. 8. huc foris ſtamus, neque re ipſa, ſed *ſpe ſalui facti ſumus*, di-
uini ſunt libri conditi: quia ſcriptores eorum iam re-
gnantes cum Domino: illumque collaudantes in cœlis,
curam noſtræ gerunt ſalutis, proq; noſtris erratibus apud
eius pietatem interpellant.

Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, coccino & byſſo. &
intexuit ei Cherubim.

Hoc, quod hic de velo ante Oraculum narrat, in Re-
gum prætermiſſum eſt: ſed ibi narratur, quod hic nō ha-
3 Reg. 6. betur: quod in ingreſſu Oraculi fecerit oſtiola de lignis
oliuarum, poſteſque angulorum quinque, & duo oſtia de
lignis oliuarum. Sed velum iſtud decoris quidem gratia
factum eſt, vt inter parietes deauratos etiam ob ſericum
fulgeret: ſed in eiuſdem myſterij, cuius & oſtiola, con- B
grua ſignificatione arcam atque ingreſſum Oraculi ap-
penſum: vt ſicut oſtiola congruis horis aperiebantur,
ſic & velum reuelaretur, quoties aduenirent, quibus in
Sancta ſanctorum eſſet ingrediendum. Huius ergo veli
ſedula reuelatio ſecundum legem apertionem ſignifi-
cat regni cœleſtis, quæ nobis per incarnationem Do-
mini & Saluatoris noſtri donata eſt. Vnde & baptiſato Matth 3.
eo cœli aperti ſunt: vt oſtenderetur, quia per baptiſma,
quod nobis ipſe conſecrauit, ianuam patriæ cœleſtis de-
beremus ingredi. Et, moriente illo in cruce, idem ve-
lum ſciſſum eſt medium à ſummo vſque deorſum: vt Matth 27.
aperte doceretur, quod figuræ legales iam tunc ad finem
veniſſent, ac veritas Euangelij, arcanaque cœleſtia, & ipſe
cœli ingreſſus non adhuc prophetandus ac figuraliter ſi-
gnificandus, ſed iam iamque eſſet proxime omnibus a-
periendus, qui ab initio mundi vſque ad id temporis in
fide veritatis de mundo tranſierunt. Bene idem velum, F
ſub quo in Oraculum intrabatur, ex hyacintho, pur-
pura, coccino & byſſo factum eſſe, ei quoque Cherubim
intexti eſſe memorantur. Hyacinthus quippe, qui cœli
colorem imitatur, ſupernorum deſideriis apte compa-
ratur. Purpura, quæ ſanguine conchyliorum confici-
tur, & ſanguineam ipſa præfert ſpeciem non immerito
ſacramentum Dominicæ ſignat paſsionis, quod nos imi-
tari, crucem noſtram portando, debemus. Coccino,
quod rubeo colore flammeſcit, congrue virtus imprimi-
tur amoris, de quo mirantes dixere qui cum Domino
ambulauerant diſcipuli. *Nonne cor noſtrum ardens erat in* Luc 24.
nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Byſ-
ſus, quæ de terra virenti germine naſcitur, & longo ar-
tificum exercitio natiuum exuit virorem, atque ad al-
bentem perducitur ſpeciem, congruè caſtigationem car-
nis noſtræ inſinuat: cuius quaſi humorem ingenitum
exſiccari iubet Apoſtolus, dicens: *Mortificate membra ve-* Col. 3.
ſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libi-
dinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam quæ eſt ſimulacro-
rum ſeruitus. Ad quantam vero candoris gratiam hanc ve-
lit perduci, alias oſtendit, dicens: *Obſecro vos fratres per mi-* G
ſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, Rom. 12.
ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Inte-
xuntur vero Cherubin, eiſdemque quatuor eximijs co-
loribus conficiuntur, cum vniuerſa, quæ piè agimus, à ve-
nenatis dæmonum telis per angelica præſidia, Domino
donante, protegimus. Intexuntur velo Cherubim, cum
in bonis, quæ agimus, multitudine ſapientiæ indeſinen-
ter vtimur, reſpicientes ſemper ad eloquia diuina, &, ne
fortè à virtutum colle aberremus, horum intuitu conti-
nuo veſtigia noſtra tegimus.

Fecit etiam ante fores templi duas columnas quæ 30. & 5. cu-
bitos habebant altitudinis. Porro capita earum 5. cubitorum: nec
non & quaſi catenulas in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus co-
lumnarum. Malogranata etiam cētum, quæ catenulis interpoſuit.
Ipſas quoq; columnas poſuit in veſtibulo templi, vnam à dextris, &
alteram à ſiniſtris. Eam, quæ à dextris erat, vocauit Iachin, hoc
eſt firmitas & quæ ad læuam, Booz, hoc eſt, in robore.

In Regum vero, vbi de aduentu Hyram artificis ad Sa-
lomonem narratur, de his columnis ita ſcriptum eſt: *Qui* H
cum veniſſet ad Regem Salomonem, fecit omne opus eius, & fin- 3 Reg 7.
xit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis
columnam vnam, & linea duodecim cubitorum ambigebat co-
lumnam vtramq;. Duo quoq; capitella fecit, quæ ponerentur ſuper
capita columnarum, fuſilia ære. Quinque cubitorum altitudinis ca-
pitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum al-
terum, & quaſi in modum retis & catenarum ſibi inuicem miro
opere contextarum. Vtrumq; capitellum columnarum fuſile erat.
Septena verſuum retiacula in capitello vno, & ſeptena retiacula
in capitello altero. Et perfecit columnas & duos ordines per circui-
tum retiaculorum ſingulorum, vt tegerent capitella, quæ erant
ſuper ſummitatem malogranatorum. Eodē modo fecit & capitello
ſecundo. Capitella autem, quæ erāt ſuper capita columnarum, quaſi
opere lilij fabricata erant in porticu, quatuor cubitorum: & rur-
ſum alia capitella in ſummitate columnarū deſuper iuxta menſu-
ram columnæ contra retiacula. Malogranatorum autem ducenti

A *Ordines erant in circuitu capitelli ſecundi*, &c. Hæ ſunt colum-
Gal. 2. næ, de quibus Paulus ait: *Iacobus & Cephas & Ioannes, qui
videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſo-
cietatis: vt nos in gentibus, illi autem in circumciſione.* Quibus
verbis quaſi exponere videtur myſterium columnarum
materialium: & quid videlicet figurauerint, & quare
duæ ſint factæ. Apoſtolos namque & Doctores cunctos
ſpiritales ſignificant, fortes nimirum fide atque opere, &
contemplatione ad ſuperna erectos. Duæ enim ſunt, vt
& gentes, & circumciſionem prædicando in Eccleſiam
introducant. Stabant in porticu ante fores templi, & in-
greſſum illius ſuo decore ac pulchritudine ex vtraque
parte mirabiliter ornabant. Oſtium autem templi Do-
Ioan. 14. minus eſt: quia nemo venit ad Patrem, niſi per ipſum. Et
Ioan. 10. ſicut alibi dicit: *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalua-
bitur.* Quod videlicet oſtium columnæ ab vtroque late-
re eorum poſitæ circumſtant, cum miniſtri ſermonis v-
trique populo introitum regni cœleſtis oſtendunt, vt ſiue
à luce ſcientiæ legalis quiſque, ſeu ex rigore gentilitatis
B ad fidem Euangelij venerit, habeat paratos eos, qui ſibi
iter ſalutis & verbo demonſtrent & exemplo: Vel certe,
quod de eiſdem columnis in hiſtoria præſenti, hoc eſt,
Paralipomenon ita ſcriptum eſt: *Ipſas quoque columnas po-
ſuit in veſtibulo templi, vnam à dextris, & alteram à ſiniſtris*: id-
eo ſunt duæ factæ columnæ, atque ita diſpoſitæ, vt nobis
& in proſperis & aduerſis ingreſſum patriæ cœleſtis ante
oculos mentis habendum eſſe doceant. Notandum ſane
in hac ſententia Paralipomenon, quod ea porticus tem-
pli etiam veſtibulum templi vocabatur: & quod in Pro-
phetis legimus, quod inter veſtibulum & altare orabant
ſacerdotes, inter porticum & altare debere intelligi. Be-
ne autem vtraque columna decem & octo cubitos alti-
tudinis habere memoratur. Ter etenim ſeni decem &
octo faciunt. *Tria* vero ad fidem pertinere propter ſan-
Gen. 2. ctam Trinitatem, *ſex* ad operationem, quod in eo dierum
numero mundus ſit factus, luce clarius eſt. Et tria per ſex
Habac. 2. multiplicantur, cum *iuſtus* & *fide viuit*, cognationemque
piæ credulitatis executione bonæ actionis accumulat.
Columnaq; ante fores templi decem & octo cubitis alta
eſt, cum prædicator quiſque egregius palam cunctis in-
C ſinuat, non, niſi per fidem & opera iuſtitiæ, nos ad ſuper-
na gaudia vitæ poſſe peruenire. Quod autem dicitur in
Paralipomenon, ipſas columnas triginta & quinque eſſe
cubitorum: allegorica ſignificatione ſimiliter ipſam per-
fectionem indicat magiſtrorum. Septenarius ergo nume-
rus ſi per quinarium, vel quinarius ſi per ſeptenarium
multiplicentur, triceſimum & quintum numerum ad-
implebunt, & quinarius propter Pentateuchum Moyſi
legem veterem, ſeptenarius vero, propter ſeptiformem
ſpiritum in flore radicis eſſe manentem, Euangelium ex-
Matth. 14. primere videtur. Vnde Dominus alibi quinque panibus
Matth. 15. quinque millia hominum, & alibi ſeptem panibus qua-
tuor millia virorum pauiſſe in Euangelio deſcribitur.
Columnæ ergo prædictæ trigintaquinque cubitos habe-
bant, vt inſinuarent, Apoſtolos Chriſti & Doctores Eu-
angelij geminorum teſtamentorum perfectè habere ſci-
Marc. 4. entiam. Quibus Dominus in Euangelio ait: *Vobis datum eſt
D noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*: & quibus
Luc. 24. ipſe poſt reſurrectionem ſuam *aperuit ſenſum, vt intellige-
rent Scripturas*: tribuens eis Spiritum ſanctum, qui illis o-
mnia manifeſtauit, ſicut ipſe promiſit eis, dicens. *Paracli-
Ioan. 14. tus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo,
ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero
vobis.* Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper
capita columnarum, fuſili ære. Quinque cubitorum al-
titudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitu-
dinis capitellum alterum. Capita etenim columnarum,
hoc eſt, ſuprema pars earum, præcordia ſunt fidelium Do-
ctorum, quorum Deo deuotis cogitationibus, ſicut capi-
te membra, ita ipſorum omnia & opera diriguntur, &
verba. Duo autem capitella, quæ his capitibus erant ſu-
perpoſita, duo ſunt teſtamenta: quorum meditationi at-
que obſeruantiæ Doctores ſancti toto & animo ſubdun-
tur, & corpore. Vnde bene vtrumque capitellum quin-
que cubitos habebat altitudinis: quia nimirum quinque
libris ſcriptura Moſaicæ legis comprehenſa eſt: quinque E
etiam ſeculi ætates tota veteris inſtrumenti ſeries com-
plexa eſt. Nouum ergo teſtamentum non nobis alia præ-
dicat, quam quæ Moyſes prædicanda per hoc eſſe prædi-
xerat, & Prophetæ. Et quaſi in modum retis & cathena-
rum, ſibi inuicem miro opere contextarum, vtrumque
capitellum columnarum fuſile erat. Vnde ſuperius in hi-
ſtoria ſcriptum eſt, quod Hyram fecerat quaſi catenulas
in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum.
Species namque catenarum & ſimilitudo retis in capi-
tellis varietas eſt virtutum ſpiritualium in ſanctis, de qua
Domino cantatur in Pſalmis: *Aſtitit regina à dextris tuis in* Pſal. 44.
veſtitu deaurato, circumdata varietate diuerſorum chariſ-
matum. Vel certe multiplex contextio catenarum & re-
tis expanſio multifarias electorum perſonas inſinuat: quæ
cum verbis ſanctorum prædicatorum fideliter auſcul-
tando atque obediendo adhærent, quaſi columnarum
capitibus appoſitæ retis & catenulæ miraculum ſuæ
connexionis cunctis aſpectantibus præbent. Septena qui-
dem verſuum retiacula in capitello vno, & ſeptena retia- F
cula in capitello altero erant. Septenario namque nume-
ro Spiritus ſancti ſolet gratia deſignari, Ioanne atteſtan-
te in Apocalypſi. Qui cum vidiſſe ſe diceret agnum ha-
bentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, mox exponen-
do ſubiunxit: *Qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſsi in vniuerſam* Apoc. 5.
terram. Quod Propheta Eſaias apertius explicat, cum de
naſcituro in carne Domino loquens: *Et requieſcet*, inquit, Eſai. 11.
*ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spi-
ritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & reple-
bit eum Spiritus timoris Domini.* Septena ergo verſuum re-
tiacula erant in capitello vtroque: quia patres vtriuſque
teſtamenti per gratiam vnius eiuſdemque Spiritus ſepti-
formis, vt eſſent electi, acceperunt. Et perfecit columnas
& duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulo-
rum, vt tegerent capitella. Duo quidem ordines erant
retiaculorum in gyro capitelli, vt rurſum in ſeipſum quaſi
circulo facto rediret. Nec figura ſacramenti in abſcondi-
to eſt, quare duo ordines ſint retiaculorum: cum conſtet,
geminæ diſcretionis eſſe virtutem dilectionis, quando
videlicet Dominum ex toto corde, tota anima, tota vir- Deut. 6.
tute; proximum, tanquam noſipſos, amare præcipimur. G
ſed vterque ordo ille ſeptem habet verſuum retiacula:
quia nec Deus abſque gratia Spiritus ſancti poteſt amari,
nec proximus. Facta ſunt autem retiacula hæc, vt tege-
rent capitella, hoc eſt, vndique in gyro circumdarent:
quia omnis Scripturæ ſanctæ pagina cum rectè intelligi-
tur, gratiam per omnia charitatis ſonat ac pacis. Capitel-
la etenim volumina diuinorum eloquiorum, retiacula
ſunt vincula mutuæ dilectionis. Et retiaculis teguntur
capitella, cum ſacra eloquia (vt ita dixerim) dono chari-
tatis vndique probantur eſſe veſtita. Nam & in eis, quæ
in Scripturis non intelligimus, charitas latet: & in eis, quę
intelligimus, charitas late patet. Bene autem de eiſdem
retiaculis ſiue capitellis adiungitur: *Quæ erant ſuper ſummi-
tatem malogranatorum.* Malogranata namque, quorum
natura eſt vno foris cortice multa interius grana circum-
dare, apte in figura ſanctæ ponuntur Eccleſiæ, quæ Ca-
tholico vnius fidei munimine innumera electorum
agmina ſolet includere. Poteſt autem & vniuſcuiuſque H
victi vitam moreſque deſignare, qui velut plurima vno
cortice grana, circumplectens mala cogitationum virtu-
tumque ſpiritualium inſignia, ne forte defluant, firma fi-
dei & humilitatis curat vallare cuſtodia. Et apto prorſus
myſterio capita malogranatis erant in gyro circundata:
quia Doctores ſanctos neceſſe eſt priorum vitam fide-
lium ad memoriam reuocare, eorumque ſemper exem-
plis actus ſuos ac ſermones ex parte omni communire:
ne, ſi forte aliter, quam illorum habet regula, vixerint aut
docuerint, errent. Cum vero dictum ſit de retiaculis, vt
tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem malo-
granatorum: videtur iuxta ordinem operis ipſius, quod
malogranata fuerunt facta in circuitu capitellorum à
parte inferiore: atque ex eiſdem malogranatis orirentur
retiacula, quibus capitella ex parte aliqua tegerentur.
Pateteque figura myſterij, quare retiacula ſuper ſummi-

Digitized by Google

A tatem fuerint malogranatorum annexa, quæ ad vnam pene ſignificationem ſiue perſonarum ſeu virtutum pertinent ſpiritalium. Scimus enim, virtutes de virtutibus naſci, & *ſanctos ambulare de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion:* Pſal. 83. qua virtute nulla poteſt maior adiri. Vnde & Apoſtolus: *Scientes*, inquit, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem.* Rom. 5. Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. Quid enim per lilia, niſi ſupernæ claritatis patria, atque immortalitatis floribus redolens Paradiſi deſignatur amœnitas? Quid per quatuor cubitos, niſi Euangelicus ſermo, qui introitum nobis æternæ illius beatitudinis promittit, & iter, quo ad hanc perueniatur, oſtendit? Cum ergo ſancti Doctores promiſſa nobis lumina regni cœleſtis in quatuor Euangelij libris oſtendunt, quaſi capita columnarum opus in ſe lilij quatuor cubitorum exhibent. Vbi notandum iuxta literam: quia cum opus lilij in capitellis quatuor cubitorum eſſe memoratur, neque additur; *latitudinis aut altitudinis:* lectoris B vtrique iudicio, vtrum in altitudine, an in latitudine intelligi debeat, relictum eſt. Conſtat autem abſque vlla prorſus dubietate: quia columna, quam duodecim cubitorum reſtis ambiebat, quatuor cubitos habebat groſſitudinis. Omnis enim circulus quantum habet ſpacij in diametro, tãtum habet ter in gyro. Deniq; mare æneum, quia diametrum habebat decem cubitorum, vt in ſequẽtibus legitur, conſequenter habebat triginta cubitos in gyro. Verum quod dicitur, opus lilij quatuor fuiſſe cubitorum; ſiue latitudinem, ſeu deſignet altitudinem: nihilominus ratio perſpicua eſt: quia non, niſi per Euangelium, exoptatiſsima illa vox inſonuit: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Matth. 3. Quod vero ſequitur: *Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper iuxta menſuram columnæ contra retiacula:* iuxta menſuram columnæ dicit tantæ amplitudinis, quanta erat & columna. Cuius tamen altitudo quanta fuerit, minime narratur. Quæ etiam (vt reor) præſens hiſtoria in ſequentibus, vbi facturam templi per ſingulas ſpecies enumerat, epiſtylia nominat. Sed hæc capitella qualiacumque & quantacumque C fuerint (non enim menſura eorum apertè Scriptura deſignat) more liliorum videntur eſſe appoſita. De quorum factura ſi quid myſticum inquirere delectat, illam regni perennis ſublimitatem poteſt non incongrue deſignare: *quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Eſai. 64. 1. Cor. 2. Verum quia eadem supernorum ſocietas ciuium vtriuſque populi fidelibus tribuitur, recte ſubiungitur: *Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli ſecundi.* Diximus enim, malogranata vel totius ſanctæ Eccleſiæ, vel ſingulorum quorumque fidelium typum tenere. Centenarius vero numerus, qui ad dexteram manum peruenit, nonnunquam in æternæ beatitudinis figura poni conſueuit. Duplicatur autem hic numerus malogranatorum in circuitu capitelli ſecundi, vt inſinuetur myſterium, quod vtriuſque teſtamenti populus adunandus in Chriſto, atque ad æternam vitæ ſit introducendus coronam. Quod autem dicitur in poſterioribus D huius hiſtoriæ locis, inter cætera, quæ fabricauit Hyram artifex regi Salomoni in ædificio templi, feciſſe malogranata quadringenta, & retiacula duo, ita, vt bini ordines malogranatorum ſingulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epiſtylia & capitella columnarum: hoc non hiſtoricæ narrationi vllo modo, neque allegorico ſenſui aduerſatur: quia iuxta hiſtoriam ſicut duæ columnæ & bina capitella, binaque epiſtylia: ita & retiacula duo fuerunt per ſingulas columnas ſingula: & bini ordines malogranatorum, hoc eſt, ducenta malogranata ſingulis retiaculis iungebantur. Bis enim ducenti quadringentos efficiunt. Myſtice autem ſicut centenarium numerum prædiximus æternam beatitudinem figurare, & ducentenarium vtriuſque teſtamenti populos ibidem in Chriſto adunandos: ita & nunc teſtamur, per quadringentenarium quatuor Euangelia eãdem beatitudinem omnibus rite in Deum credentibus & hanc fidem

E bonis operibus vſque in finem vitæ condigne ſeruantibus ſpondere, à bonorum omnium largitore in cœleſti regno tribuendam. *Et ſtatuit*, inquit, *columnas duas in porticu templi.* Cum ſtatuiſſet columnam dexteram, vocauit eam nomine *Iachin*, hoc eſt, *firmitas.* Similiter erexit columnam ſecundam, & vocauit nomen eius, *Booz*, hoc eſt, *in robore.* Dextera columna (vt ſupra diximus) illorum exprimit figuram Doctorum, qui primitiuam in Hieroſolymis inſtituêre Eccleſiam: ſecunda eorum, qui ad prædicandũ gentibus deſtinati ſunt. Vel certe dextra columna eos ſignificat, qui venturũ in carne Dominum prophetando prædixerant: Secunda illos, qui hunc iam veniſſe, & mundum ſuo ſanguine redemiſſe teſtantur. Et apte ſimili vocabulo ambæ cenſebantur columnæ, cum vna, *Firmitas*; altera, *In robore*, dicta eſt: vt vna fidei & operis fortitudo cunctis ineſſe Doctoribus monſtraretur, noſtrique temporis inertia tacite notaretur: vbi ſe nonnulli Doctores ſacerdotes & columnas domus Dei videri atque appellari volunt, cum nil in ſe prorſus firmæ F fidei ad contemnendas ſeculi pompas, ac deſideranda bona inuiſibilia: nihil habeant roboris ad corrigendos: nil induſtriæ ſaltem ad intelligendos eorum, quibus prælati ſunt, errores.

Capvt IV.

F*Ecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*

Scriptum eſt in poſterioribus, quod Salomon fecerit omnia vaſa domus Dei, & altare aureum, & menſas & ſuper eas panes propoſitionis, &c. Et quidem altare thymiamatis Moyſes fecit in Heremo, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, & duos cubitos in altitudine. Exod. 37. Quantæ autem magnitudinis hoc Salomon fecerit, Scriptura Regum ſiue Paralipomenon non dicit: ſed tantum, quod aureum fecerit, dicit. Conſtat autem, quod tantum facere non potuit, quantum fecit holocauſti: quia ſi decem cubitorum in longitudine & latitudine factum eſſet, totam templi latitudinem impleuiſſet. G Quãto ergo exterius erat poſitũ altare holocauſti, quam incenſi: quantumque genere oblationis, ac vilitate metalli ignobilius fuit; tantum quantitate menſuræ, & hoſtiarum frequentia præſtabat. Quia nimirum plures ſunt multo, quibus dicatur: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata:* Matth. 19. quam quos audire delectet: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Ibidem. Nec tamen huius menſura altaris myſtica ratione caret & numero. Habet enim viginti cubitos longitudinis, & totidem cubitos latitudinis, & decem cubitos altitudinis. De quo quidem numero ſupra in expoſitione templi & veſtibuli eius diximus. Sed & nunc dicendum breuiter: quia ſi altare holocauſti illorum in Eccleſia typum tenet, qui ſuum corpus & animam Deo conſecrare per ignem amoris illius quærunt; perſeuerantia horum in bona operatione per longitudinem altaris, amplitudo in charitate Dei & proximi per latitudinem, ſpes in exſpectatione diuinæ viſitationis per altitudinem figuratur. Quod autem longitudo H & latitudo altaris vicenorum erat cubitorum, magnam vtique perfectionem deſignat eiuſdem indefeſſæ longanimitatis ac ſinceræ dilectionis: quæ per vtriuſque teſtamenti nobis obſeruantiam tribuitur. Quater enim quini vicenarium numerum complent. Quinque autem libri Moſaicæ legis, quatuor autem ſunt Euangelicæ libertatis. Et cum ad intelligentiam atque cuſtodiam legis ſpiritalem, illuſtrante Euangelij gratia, peruenimus: vicenarium profecto numerum perficimus; fitque idem numerus in longitudine & latitudine altaris, cum corda electorum, docente vtroque teſtamento, & adiuuante ipſo vno vtriuſque teſtamenti auctore, & perſeuerantiam boni operis etiam in perſecutionibus ſeruant, & hilaritatem dilectionis etiam in eos, qui perſequuntur, exhibent. Denario enim numero ſpes cœleſtium præmiorum ſolet deſignari, Domino affirmante, Matth. 20. cum eos, qui in vinea magni patris familias laborant, de-

A nario remunerandos eſſe teſtatur. Et idem altare, quod in figura factum eſt electorum, ob ſignificandam eorum vitam perpetuam decem cubitis altum eſſe narratur.

Mare etiam fuſile decem cubitis à labio vſque ad labium, rotundum per circuitum, quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius. Similitudo quoque boum erat ſubter illud, & decem cubitis quadam extrinſecus celatura quaſi duobus verſibus aluum maris circumibant. Boues autem erant fuſiles, & ipſum mare ſuper duodecim boues impoſitum erat: quorum tres reſpiciebant ad Aquilonem, & alij tres Occidentem, porro alij tres Meridiem, & tres qui reliqui erant, Orientem, mare habentes ſuperpoſitum. Poſteriora autem boum erant intrinſecus ſub mari. Porro vaſtitas eius habebat menſuram palmi, & labium illius erat quaſi labium calicis, vel repandi lilij. Capiebat quoque menſura tria millia metretas.

Hæc eadem in libro Regum continentur, licet commixto ordine referantur. Vnde ea quæ ibi in eiuſdem
B loci expoſitione dicta ſunt, hic maxima ex parte poni placet. Mare quidem hoc fuſile in figuram lauacri ſalutaris, quo in remiſsionem peccatorum emundamur, factum eſt. Namque ſacerdotes in eo lauabantur, vt verba dierum in ſequentibus teſtantur. Sacerdotes autem conſtat omnes electos typice in Scripturis vocari, eo quod ſint membra ſummi ſacerdotis, Domini noſtri IESV CHRISTI. Et recte huic vaſi Scriptura maris nomen indidit, in memoriam videlicet maris ru-
Exod. 14 bri, in quo prius per extinctionem Ægyptiorum, & populi Dei liberationem Baptiſmi forma præceſsit, ex-
1 *Cor.* 10. ponente Apoſtolo eis dicente: *Quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptiſati ſunt in nube & in mari:* Sacramentum autem Baptiſmi & vitæ nobis munditiam quærit in hoc ſeculo, & vitæ nobis æternæ gloriam promittit in futuro. Quod vtrumque in mari hoc æneo vna ſententia deſignatur, cum eſſe decem cubitorum à labio ad labium perhibetur. Decem namque præceptis in lege Do-
Exod. 20. minus omnia, quæ facere debeamus, expreſsit. Dena-
Matth. 20. rio æque mercedem benefactorum ſignauit, cum hunc in vinea laborantibus dandum eſſe prædixit. Erat ergo
C mare decem cubitorum à labio vſque ad labium, quia à primo baptiſato in nomine Ieſu Chriſti vſque ad vltimum, qui in fine mundi crediturus & baptiſandus eſt, omnis fidelium chorus vnam eandemque viam veritatis ingredi, & communem à Domino debet coronam ſperare iuſtitiæ. Rotundum erat in circuitu, vt Orbis vniuerſus in gyro lauacro vitæ à ſorde peccatorum deſignaretur eſſe mundandus. De quo bene ſubditur: *quinque cubitorum altitudo eius*; quia nimirum quicquid viſu, quicquid auditu, quicquid olfactu, quicquid guſtu, quicquid tactu deliquimus: totum hoc nobis gratia Dei per ablutionem viuifici fontis relaxat. Sed non ſufficit præteritorum remiſsio peccatorum, ſi non quiſquis deinceps bonis ſtuduerit inſiſtere operibus. Alioquin diabolus, qui exierit de homine, ſi hunc à bonis vacare operibus viderit, mul-
Luc. 11. tiplicius redit, facitque *nouiſſima hominis illius peiora prioribus*. Vnde aptè ſubditur: *Et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius:* Per funiculum namque diſciplina præce-
D ptorum cœleſtium, qua à noſtris voluntatibus religamur, poteſt aperte ſignari, Scriptura dicente: *Quia funiculus*
Eccleſ. 4. *triplex difficile rumpitur:* quia nimirum obſeruatio mandatorum Dei, quæ in cordibus electorum fide, ſpe & dilectione ſupernæ retributionis firmata eſt, nullo temporalium rerum poteſt obſtaculo diſſolui. Et ſculptura ſubter labium circumdabat illud decem cubitis ambiens mare. Duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum erant fuſiles. Cum prædictum ſit ſupra, quod reſticula triginta cubitorum mare circuiuerit, & nunc additur, quod ſculptura hoc ſubter labium poſita decem cubitis ambierit: patet ex vtraque relatione, quia vas erat in modum phialæ repandum ac diffuſum, quo à triginta cubitis circuitus, quos habebat in labio, vſque ad decem eſt cubitos coarctatum. Sculptura autem hiſtriata eſt, quæ hiſtorias rerum aliquas imitatur. Vnde recte per ſculpturas hiſtriatas, quibus mare circumdabatur, exempla ſunt priorum temporum deſignata, quæ neceſſe eſt nos ſolerter
E intueri: vt videamus, quibus operibus ſancti Deo placuerint ab initio: qua obſtinatione in ſceleribus perdurarint: quanta infelicitate ob ſcelera perierint reprobi. Et ſtabat ſuper duodecim boues, è quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem. Duodecim vero boues duodecim ſunt Apoſtoli, & omnes qui vice eorum regendam in Chriſto ſuſceperunt Eccleſiam ſanctam. Qui nimirum boues mare ſibi ſuperimpoſitum portant, cum Apoſtoli, Apoſtolorumque ſucceſſores iniunctum ſibi euangelizandi officium prompta implere deuotione ſatagunt. Treſque ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem reſpiciunt: cum vniuerſis quadrati Orbis partibus fidem prædicant ſanctæ Trinitatis. Quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant. Intrinſecus namque latitant vniuerſa boum poſteriora: quia qua mercede ſancti prædicatores in perpetuum donentur, interni arbitri examine iam diſpoſitum eſt: ſed
F nobis, qui adhuc foris ſumus, manet omnimodis occultum: quibus tamen hoc eſſe occultum nullatenus poteſt: quod omnis, qui lauacrum Baptiſmi ad ſalutem accipit & vitam, fidem, ſpem & charitatem debet habere: nec ſine his tribus virtutibus quiſquis aliquid iam operari, neque intrare ad vitam valet. Vnde in Regum libro recte ſubiungitur: *Groſſitudo autem luteris trium*
vnciarum erat. Groſſitudo etenim luteris in mari firmi- 3. *Reg.* 7.
tas eſt virtutis in Baptiſmo: & trium vnciarum eſt hæc groſsitudo, dum robore fidei & ſpei & dilectionis perceptio Baptiſmi communitur. Neque aliter proficuum eſſe accipientibus oſtenditur, niſi harum firma certitudo virtutum mentem accipientium ſimul & opera confirmet. Pro eo autem, quod in Regum libro narratur trium vnciarum eſſe groſsitudo luteris, hic in Paralipomenon menſuræ palmi dicitur ipſius eſſe vaſtitas. Cui quoque concordat Ioſephus, dicens, quatuor digitorum eſſe craſſitudinem eius: manifeſte demonſtrans, quæ fuerit magnitudo ipſius palmi. Sed ad eundem ſenſum allegorice referri hæc omnia poſſunt: quia quiſquis fide, ſpe & charitate ſe-
G cundum quatuor euangeliorum doctrinam opera facit iuſtitiæ, æternæ vitæ mercedem in cœleſti regno percipiet. Labiumque eius quaſi labium calicis & folium repandi lilij. Per labium quippe calicis guſtus Dominicæ paſsionis: per folium repandi lilij patefacta claritas reſurrectionis exprimitur. Capiebatq; menſuræ tria millia metretas, vel, iuxta Regum libros, duo millia batos. Millenarius namque numerus pro ſignificatione perfectionis ſolet poni in Scripturis: quia nimirum denarium numerum quadratum ſolidum facit. Decem quippe decies ducta centum faciunt. Quæ videlicet figura iam quadrata, ſed adhuc plana eſt. Verum vt in altitudinem ſurgat & ſolida efficiatur, multiplica centum per decem, & fiunt mille. Quo profecto numero ſtabilis & inſuperabilis & velut conquadrata iuſtorum conſcientia deſignatur. Quocunque enim verteris quadratum, ſtabit: ſic & animus electorum nullo tentationum occurſu à ſtatu ſuæ rectitudinis poteſt inclinari. Capiebat mare tria millia metretas, cum ſacramentum Baptiſmatis in fide ſanctæ
H Trinitatis datum, remiſsionem omnium peccatorum in ſe ablutis conferre probatur. Alias autem mare capiebat duo millia batos. Batus namque Hebræorum menſura eſt, quam ipſi *Bath* nominant, habens modios tres. Ipſa eſt & *Ocphi*, quod illi *epha* nuncupant. Sed Ocphi ad menſuram pertinet frugum variarum, tritici, hordei, leguminum: batus vero eſt in ſpeciebus liquidis, vino, oleo, aqua. Itaque batus quia certa norma menſuræ eſt, opera deſignat æquitatis & iuſtitiæ, quibus hi, qui in remiſsionem peccatorum baptizantur, neceſſe habent inſtitui. Batos quippe mille capiebat mare, cum aqua baptiſmatis plebem Iudæorum abluens, ad regnum cœleſte tranſmiſit. Recipiebat & alios mille, cum etiam turbas nationum eodem fonte renatas, & operibus iuſtitiæ confirmatas, eiuſdem regni perennis fecit eſſe participes.

Digitized by Google

A *Fecit quoque conchas decem, & poſuit quinque à dextris, & quinque a ſiniſtris, vt lauarent in eis omnia, quæ in holocauſtum oblaturi erant. Porro in mari ſacerdotes lauabantur.*

3 Reg. 7. Quomodo hæ conchæ factæ fuerint, plenius in libro Regum narratur, vbi ita ſcriptum eſt: *Et fecit baſes decem æreas, quatuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis. Et ipſum opus baſium interraſile erat, & ſculptura inter iuncturas, & inter coronulas & plectas leones & boues & Cherubim, & in iuncturis ſimiliter deſuper, & ſuper leones & boues quaſi lora ex ære dependentia, & quatuor rotæ per baſes ſingulas, & axes ærei, & per quatuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles, contra ſe inuicem reſpicientes. Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate: & quod forinſecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat vnum cubitum & dimidium. In angulis autem columnarum variæ celaturæ erant, & media inter columnas quadrata, non rotunda. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos baſis erant, cohærebant ſubter baſi. Vnde rota habebat altitudinis cubitum & ſemis. Tales autem rotæ erant, quales ſolent in curru fieri.* B *Et axes earum, & radij & canthi & modioli, omnia fuſilia. Nam & humeruli quatuor illi per ſingulos angulos baſis vnius ex ipſa baſi fuſiles & coniuncti erant. In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas vnius & dimidij cubiti ita fabrefacta, vt later deſuper poſſet imponi, habens celaturas ſuas & ſculpturas varias ex ſemetipſo. Sculpſit quoque in tabulis illis, quæ erant ex ære, & in angulis Cherubim & leones & palmas, quaſi in ſimilitudinem ſtantis hominis: vt non celata, ſed appoſita per circuitum viderentur. In hunc modum fecit decem baſes fuſura vna, & menſura ſculpturaque conſimili. Fecit quoque decem luteres æneos. Quadraginta batos capiebat luter vnus, eratque quatuor cubitorum. Singulos quoque luteres per ſingulas idem decem baſes poſuit*, &cæt. Multifarie, multiſque modis vna eademque noſtræ ſalutis ſacramenta præfigurantur. Nam ijdem Apoſtoli, virique Apoſtolici, qui per boues mare portantes deſignati ſunt, deſignantur etiam per baſes, quæ portandis erant luteribus præparatæ, quomodo ipſi luteres eiuſdem lauacri ſpiritalis, cuius mare typum gerebat. Siquidem (vt verba dierum narrant) omnia in eis, quæ in holocauſtum oblata erant, lauabant. C Holocauſtum autem Domini generaliter omnis electorum multitudo poteſt intelligi, quæ iuxta vocem Præcurſoris baptizata eſt ab ipſo in Spiritu ſancto & igne. Matth. 3. Sicut ergo ſacerdotes, qui in mari lauabantur, formam exprimunt eorum, qui per baptiſma efficiuntur ſummi conſortes ſacerdotij, quod eſt in Domino Ieſu Chriſto: ita etiam holocauſta eorundem figuram aptiſſime prætendunt, cum poſt ablutionem Baptiſmi gratia Spiritus ſancti implentur. Lauatur namque in lutere hoſtia, cum quis fidelium aqua Baptiſmi perfunditur. Offertur vero in holocauſtum, cum per impoſitionem manus Epiſcopi donum Spiritus ſancti accipit. Quod vero ad portandos luteres decem ſunt baſes factæ, poterant ita myſtice interpretari: quia miniſtri lauacri vitalis ad æternæ gaudia beatitudinis, quæ denario ſolent numero figurari, eos, quos imbuunt, vocent. Verum quia de eiſdem luteribus diſtinctè in conſequentibus ſcriptum eſt, quod videlicet quinque ex his poſiti ſint ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram: D magis in eis quinarij numeri ſunt intuenda myſteria. In vtraque etenim parte templi ſunt poſitæ baſes luterum, vt vtrique Dei populo ſacri fontis gratia deſignaretur eſſe pandenda. Et quinque in vtraque ſunt parte, vt interpoſitione maris, quod quinque cubitis altum eſſe iam diximus, demonſtraretur typice, vniuerſa fidelibus, quæ per quinque ſenſus corporis deliquerant, per lauacrum baptiſmatis eſſe remittenda. Sic ergo in vno mari, duodecim bubus ſuperpoſito, vnitas exprimitur Baptiſmatis, quæ per Apoſtolos toto erat orbe prædicanda. Ita etiam per duos ordines literarum myſtice oſtenditur, quod gentilitas cum Iudæa in vnum fidei conſortium per baptiſmatis erat vndam colligenda. Quod autem quatuor cubitorum longitudinis, & quatuor cubitorum latitudinis, trium cubitorum altitudinis baſes ſingulæ fuere: facile intellectu

E eſt: longitudo etenim ad patientiam longanimitatis, latitudo ad dilatationem dilectionis, altitudo pertinet ad ſpem ſupernæ retributionis. Quatuor autem ſunt principales virtutes, quibus cætera virtutum ſtructura imminet: prudentia ſcilicet, fortitudo, temperantia, iuſtitia: & ideo quaternorum erat cubitorum longitudo & altitudo baſium: quia ſancti prædicatores ſiue aduerſa mundi, & longitudinem exilij ac laborum præſentium foris tolerent, ſeu cor in dilectione ſui Conditoris, ſuorumque proximorum interna exultatione dilatent: ſemper operam dare virtutibus curant, prudenter videlicet inter bona & mala diſcernentes, fortiter aduerſa ſuſtinentes, cor ab appetitu voluptatum temperantes, iuſtitiam in operatione tenentes. Trium vero cubitorum fit altitudo baſium, cum per exercitium virtutum, quas cum patientia malorum, & dilectione bonorum exercent, continua intentione ad viſionem ſanctæ Trinitatis peruenire ſatagunt. Et ipſum opus baſium interraſile erat, & ſculpturæ inter iuncturas. F Iuncturas videtur dicere eas, quibus ipſe luterum tabulæ ſibimet inuicem connexæ ſunt, vt ſcilicet quatuor ſiue quinque tabulis vna fieret baſis. Quod æquales autem ſculpturas baſes inter has iuncturas, id eſt, impreſsis ſuis lateribus ante & retro, dextra & ſiniſtra, & ſupra quoque habuerint: Subdendo aperitur, cum dicitur: *Inter coronulas & plectas leones & boues & Cherubim, & in iuncturis ſimiliter deſuper.* Non enim plana erat vlla ex parte ſuperficies baſium, ſed vndique verſum myſticis ſculptura figuris: quia ſanctorum mentes, immo vniuerſa eorum conuerſatio virtutum in omnibus gratiam prætendit: neque aliqua illos hora inanis & vacua præterit, in qua pijs vacare operibus vel ſermonibus vel cogitationibus deſiſtant. Coronulas quippe in ſe ſculptas habent, cum in deſiderio vitæ cœleſtis, quæ ſurſum eſt, nunquam fraternæ ſocietatis, quæ iuxta eſt, vincula diſſoluunt. Habent inter coronulas & plectas leones, cum ita ad ſperanda cœleſtia mentem erigunt, ita ad diligendos proximos dilatant: vt in peccantes quoſque, qui ſibi commiſſi ſunt, feruorem aſperæ inueſtigationis exercere non tardent. G Habent cum leonibus boues: quando ipſam inuectionem corripiendi cum ſpiritu manſuetudinis exhibent: quando in feruore arguendi nunquam habere fiſſam vngulam diſcretæ actionis vel loquelæ: nunquam verba diuinæ lectionis velut ruminando in ore voluere ceſſant. Et ſuper leones & boues, quaſi lora ex ære dependentia: ſuper leones quippe & boues lora dependent, quando ſancti Doctores & in ſeueritate diſtrictionis, qua peccantes iudicant, & in manſuetudine lenitatis, qua pænitentibus remittunt, iudicium ſui timent auctoris: ne forte iniuſte ligando aut ſoluendo quempiam, iam iuſte ligari ipſi ab eo, cuius iudicium errare nequit, mereantur. Et quatuor rotæ per baſes ſingulas; & axes ærei, & per quatuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles, contra ſe inuicem reſpectantes. Quatuor rotæ, quatuor ſunt Euangeliorum libri, qui aptiſſime rotis comparantur: quia ſicut volubilitas rotæ citiſſimo curſu, quocumque ducitur, currit: ita ſermo Euangelicus, iubente Domino, per Apoſtolos vniuerſas in breui mundi plagas impleuit. H Sicut rota ſuperimpoſitum ſibi currum à terra ſubleuat, & ſubleuatum, quo auriga dirigit, portat: ita Euangelica prædicatio mentes à terrenis cupiditatibus in cœleſtia deſideria ſuſpendit, ac ſuſpenſas ad profectum bonæ actionis ſiue ad miniſterium prædicationis, quocumque adiuuans gratia Spiritus voluerit, ducit. Namque in ſequentibus dicitur: quod tales erant rotæ, quales ſolent in curru fieri. Legimus autem de Sanctis: *Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium.* Eſai. 67. Si ergo baſes luterum ſancti ſunt Doctores, qui lauacrum nobis vitæ miniſtrant, & rotæ quaternæ baſium, quatuor ſunt libri Euangeliorum: quid axes rotarum, qui baſes geſtant, niſi ipſa eorundem ſunt corda Doctorum? Quæ dum præceptis Euangelicis ſedulo intendentia eos ab infimorum appetitu ſuſtollunt, velut immiſſi rotis axes altius baſim à

A terra ſubleuant. Porro humeruli, qui rotis antepoſiti, ne ab axibus dilabi poſſent, obſiſtebant, præconia ſunt Prophetarum, quibus Euangelica & Apoſtolica Scriptura, ne cui legentium in dubium forte veniat, confirmatur. Bene autem dicitur, quod humeruli, qui per quatuor partes ſubter luterum erant poſiti, contra ſe inuicem fuerunt reſpectantes: quia nimirum omnis Scriptura Prophetica ſibimet inuicem conſentanea eſt, vtpote vno Dei Spiritu condita. Quatuor autem fuere per baſes ſingulas humeruli, videlicet iuxta numerum rotarum: non quia quatuor ſunt tantum libri prophetici: ſed quia in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ & Moyſes, dictis quatuor Euangeliſtarum teſtimonium præbuere: vt ex conſenſu vtriuſque Teſtamenti vna fides & dilectio CHRISTI noſtra omnium corda firmaret. Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate, & quod forinſecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat vnum cubitum & dimidium. Os luteris vnius erat cubiti propter vnitatem confeſsionis & fidei, qua omnes in confeſsione Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizantur, dicente Apoſtolo: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* Et ipſum os in capitis erat ſummitate, vt ad Cœleſtia nobis regna per baptiſma iter eſſe patefactum doceret. Ipſe vero luter in amplitudine cubitum habebat vnum & dimidium, per operis nimirum perfectionem, & initium contemplationis. Integer etenim cubitus in lutere perfectionem bonæ deſignat actionis. Quam abſque vlla dubietate habebat ille, de quo tentatori antiquo Dominus aiebat: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis ſuper terram, homo ſimplex & rectus ac timens Dominum, & recedens à malo?* Eſt vero alter cubitus diuinæ viſionis, qui ex parte nonnulla etiam in hac adhuc vita recentibus fidelibus donari conſueuit. Vt idem Iob, deuicto aduerſario, cum Domino loquens ait: *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* Scriptum namque eſt in ſequentibus: *Vna rota habebat altitudinis cubitum & ſemis.* Et paulo poſt: *In ſummitate autem baſis erat quadam rotunditas vnius & dimidij cubiti ita fabrefacta, vt luter deſuper poſſet imponi.* Luterum quippe menſura vnius erat cubiti & dimidij: quia nimirum ea fide in fonte vitæ lauamur, vt per opera iuſtitiæ ad vitam intrare mereamur: quamuis ſine peccato, dum hic viuimus, eſſe nequeamus: ipſam vero vitæ cœleſtis dulcedinem guſtare ex parte, ac diligere in hac interim vita, perfecte autem videre nulla ratione valeamus. Rotæ quoque vno & dimidio cubito menſurantur: quia Scriptura lectionis Euangelicæ, qualiter hi, qui perfecti eſſe velint, viuere debeant, oſtendit, ſpemque nobis æternæ retributionis in præſenti demonſtrat: ipſam vero retributionis illius qualitatem in futuro nobis pandendam ſimul & donandam eſſe promittit. Baſes etiam ipſæ vnum habebant cubitum ac ſemiſſem amplitudinis in ſummitate ſui, vbi luteres reciperent: quia ipſi Doctores ſummi ac miniſtri lauacri ſalutaris opere quidem perfecti in hac vita fulſerunt, ſed luce contemplationis ex parte ſunt fruiti. Vnde & aiunt: *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetauimus: cum autem venerit, quod perfectum eſt; euacuabitur, quod ex parte eſt.* In hunc modum fecit decem baſes fuſura vna, & menſura ſculpturaque conſimili. Fecit quoque decem luteres æreos. Quare decem ſint baſes factæ, totidemque eis ſuperpoſiti luteres; ſupra iam dictum eſt. Quod vero vna erat fuſura, menſuraque & ſculptura conſimilis omnium baſium ſiue luterum: non in ea ſignificatione factum eſt, quod æqualia poſsint eſſe merita doctorum; ſed in ea potius, quod vna eſt fides Euangelij, quo inſtituuntur; vnum eſt ſacramentum baptiſmatis, quo abluuntur; vnus idemque eſt Spiritus, quo omnes conſecrantur electi: tametſi donationes habent diuerſas in ipſo Spiritu, *qui diuidit ſingulis prout vult.* Quadraginta batos capiebat luter vnus. Quadragenarius numerus ſolet magnæ perfectionis typum tenere: quia nimirum quaterdeni faciunt XL. Decem autem ſunt præcepta, quibus omnis noſtra operatio in lege diuina præfixa eſt: quatuor vero Euangeliorum libri, in quibus, per diſpenſationem Dominicæ Incarnationis cœleſtis patriæ nobis eſt patefactus introitus. Et quia omnes, qui ad miniſterium ſacri baptiſmatis pertinent, cum fide & ſacramentis Euangelij fructum debent rectæ operationis oſtendere: apte luteres ſinguli, in quibus holocauſta lauabantur, quadraginta batos capiebant. Quod vero ſequitur: *eratque quatuor cubitorum*; ſiue in altitudine, ſiue in latitudine ſignificet; intellectus vero myſterij in promptu eſt. Luter enim vnus quatuor erat cubitorum, vel propter quatuor ſancti Euangelij libros, in quibus forma nobis Baptiſmi præfixa eſt; Vel propter quatuor cardinales virtutes, quibus quiſque fidelis, ſi non fruſtra fidelis eſt, debet inſtitui; vel certe propter quatuor mundi plagas, quibus lauacrum ſalutis miniſtratur, dicente Pſalmographo: *Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari.* Quod vero ſupra dixit: *Pariterque habebat vnum cubitum & dimidium*; & neque ibi, altitudinem an amplitudinem ſignificaret, adiecit: Videtur, quia fundum ipſius luteris huius eſſe amplitudinis voluerit intelligi. Quod ex menſura (ni fallor) baſis, in qua poſitus erat quiſque luter, facillime conijcitur, quæ ita deſcribitur: *In ſummitate baſis erat quadam rotunditas vnius & dimidij cubiti ita fabrefacta, vt luter deſuper poſſet imponi.* Latitudo ergo fundi in luteribus vnius erat cubiti ac dimidij; ipſa vero capacitas luterum quatuor habebat cubitos; ſed vtrum in altitudine, an in amplitudine, an in vtraque dicat, qui nouerit.

Et conſtituit decem baſes, & quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram.

Dexteram partem templi & ſiniſtram non intus in ipſo templo, ſed ante templum dicit, ad orientalem plagam, videlicet in atrio interiore, quod ſacerdotum proprie vocabatur. Quinque autem poſuit ad dexteram partem templi propter Iudæos, qui ſolem iuſtitiæ per doctrinam legis antiquitus vti ſolebant: & quinque ad ſiniſtram propter nos, qui cæco diutius corde ſeruituti adhærebamus eius, qui ait: *Ponam ſedem meam ad Aquilonem.* Quod eſt aperte dicere: Illis in cordibus requieſcere deſidero, quos à via veritatis, & flamma diuinæ charitatis alienos eſſe conſidero. Mare autem poſuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad meridiem; & hoc in eodem atrio poſitum eſt ad Orientem. Quod autem ad dexteram partem templi, hoc eſt, quod repetit dicens; *ad meridiem.* Ingredientibus enim atrium ab Oriente primo diuertendum erat ad meridiem, vbi mare in ipſo angulo ſtabat ad lauandum ſacerdotibus paratum. Deinde progredientibus intro occurrebant luteres ad lauandas hoſtias, ab vtraque parte poſiti. Intra hos baſis erat ænea, quinque cubitorum longitudinis, & trium cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis: in qua ſtans Salomon dedicabat templum. Deinde vltra progredientibus occurrebat altare holocauſti contra medium atrium. Deinde porticus templi ſiue veſtibulum, in quo erant columnæ æreæ circa oſtium templi. Quod ergo mare poſuit ad dexteram partem templi; ſignificat, nos per lauacrum Baptiſmi ad regnum cœleſte, quod iure vocabulo *Dextra* figuratur, debere peruenire: *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Namque vbi dextera ſimul & ſiniſtra in bono accipiuntur, vel Iudæam vel Gentilitatem (vt in expoſitione baſium ſupra diximus) vel præſentem Eccleſiæ vitam & futuram, vel læta ſeculi & triſtia, vel aliqua deſignat huiuſmodi. Vbi vero abſolute ponitur dextera, æterna ſæpius gaudia demonſtrat. Quod vero contra Orientem poſuit mare, ad eandem prope ſignificationem reſpicit: quod videlicet per lauacrum ſacri fontis ſplendor nobis aperitur æternæ claritatis. Quod ad meridianum latus atrij, ſignificat fideles per acceptionem ſancti Spiritus ad flagran-

tiam

Marginal notes: Matth. 28. (B) Epheſ. 4. — Iob. 1. — Iob 42. — (C) — (D) 1. Cor. 13. — 1. Cor. 12. — (E) — Pſal. 105. (F) — (G) Eſai. 14. — (H) Marc. 16.

A

tiam ſolere veræ charitatis accendi. Feruor etenim meridiani ſolis conſueuit in Scripturis ardorem dilectionis, & illuſtrationem ſignificare ſancti Spiritus, per quem eadem dilectio diffunditur in cordibus electorum.

Rom 5.

Fecit autem & candelabra aurea 10. ſecundum ſpeciem, quæ iuſſa erant fieri & poſuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris: necnon & menſas decem, poſuitque eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, &c.

3. Reg. 7.

De hoc in libro Regum ſcriptum eſt: *Et candelabra aurea quinque ad dextram, & quinque ad ſiniſtram contra Oraculum ex auro primo, & quaſi lilij flores & lucernas deſuper aureas.* Sicut enim menſæ in typo ſanctæ Scripturæ recte ponuntur: quia & eſurientibus iuſtitiam panem verbi Dei miniſtrant, & vaſa ferunt miniſterij cœleſtis, id eſt, iuſtorum nobis actus in exemplum proponunt: ita etiam aptiſsime per candelabra eadem diuina eloquia figurantur, videlicet quod lucem ſapientiæ errantibus præferunt. Hinc etenim Pſalmiſta: *Lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Hinc etenim Salomon ait, quod *mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Recte autem bis quina ſunt candelabra; non ſolum, quia legiſlator quinque volumina ſcripſit: verum etiam quia tota teſtamenti veteris ſeries quinque ætates complectitur. Geminatur vero numerus quinarius, & quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris ponuntur, cum poſt incarnationem Dominicam eadem Scriptura ſiue vtrique Dei populo, Iudæo ſcilicet, & gentili, committitur; ſiue Euangelicis plena figuris oſtenditur, quæ quondam antiquo populo Dei iuxta literam ſolum intelligenda eſſe putabantur. Cum vero dixiſſet: *quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris:* conuenienter addidit: *contra Oraculum.* Oraculum namque, vbi erat arca (vt ſæpe dictum eſt) ad eum deſignat patriæ cœleſtis, *Vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*, paternorum vtique conſcius arcanorum. Et candelabra templi aurea contra oraculum ſunt poſita, quia diuina eloquia ſemper ad habitationem ſupernæ ciuitatis aſpectant, vt huius agnitionem & deſiderium noſtris cordibus infundant, & eos, qui originem carnis æternam habent, ad appetendam promerendamque in cœleſtibus ſedem perpetuæ manſionis accendant. Si autem quæris, quid inter candelabra & lucernas eorum typice diſtet: poſſumus recte intelligere, lucernas eſſe viros ſanctos, qui oleo Spiritus ſancti infuſi & ipſi igne dilectionis ardent in corde, & proximis lucem ſcientiæ præferunt in lingua: candelabra autem, quæ has lucernas in ſublime tollant, vt longe lateque videri poſſint in Eccleſia, Scripturam eſſe ſacram, quæ ſanctorum nobis virtutes & doctrinam ſua lectione demonſtrant. Cui videlicet interpretationi annuit ſermo Domini, quo dicit de Iohanne: *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Siue reciproco ordine poſſumus etiam ita aptiſsime dicere, quod lucernæ diuina ſunt eloquia, iuxta illud Pſalmiſtæ, quod & ſupra poſuimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine & lumen ſemitis meis.* Candelabra autem harum lucernarum ſancti ſunt omnes, qui ſua & corda & corpora ferendis Domini mandatis humili ſemper intentione ſupponunt. Quiſquis enim in nullo propriam ſequi curat voluntatem, verum in omnibus, quæ Scriptura ſancta dicat, attendit, eiuſque ſe ſubijcere mandatis, eius ſatagit auſcultare promiſsis: quaſi candelabrum domus Dei aureum, aureas eius geſtat lucernas: quia caſta corporis ſui membra, caſtas mentis cogitationes ad facienda, quæ Deus iubet, ſupponere contendit: & hoc tam fixa intentione, quam candelabrum neceſſe eſt, firmiter ad ſuperna erectum, impoſitas ſibi lucernas non ſolum abſque ruina, ſed etiam abſque illa ſtatus ſui motione ſeruare. Quod vero cum dixiſſet: *Et candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum ex auro primo:* addidit: *Et quaſi lilij flores & lucernas deſuper aureas:* Videtur iuxta literam, quia ſuprema pars candelabrorum in modum ſit lilij repandi efformata: quomodo in candelabro tabernaculi factum eſſe legimus, cuius & ſtipes medius & calami ex ipſo procedentes cum ſcyphis & ſphærulis lilia ſcribuntur habuiſſe perplurima. Flores autem lilij (vt ſæpe dictum eſt) amænitatem ſemper virentis terræ iuuentutem deſignant, de qua dicit beatus Petrus, *regeneratos nos à Domino in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſsibilem, conſeruatam in cælis.* Et bene lilij flores aurei in candelabro ſunt facti domus Dei: quia Scriptura diuina, ſpretis temporalibus gaudijs, ad appetenda nos bona patriæ cœleſtis prouocare conſueuit. Et quomodo erectum in altitudine candelabrum lilij flores & lucernas habet aureas in capite: ita electi omnes, qui in eadem Scriptura ſacra continentur, erecto ad ſuperna ſenſu cœleſtia bona à Domino quæſiſſe & percepiſſe probantur. Quod autem per candelabra facta de menſis numero plurali ſcriptum addidit, dicens: *Nec non & menſas decem, poſuitque eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris.* In Regum vero ſingularem numerum habet, vbi cum de altari aureo, quod fecit Salomon, refertur; additum eſt continuo: *Et menſam, ſuper qua ponerentur panes propoſitionis auream.* Menſa, autem aurea, Scriptura eſt ſacra, ſpiritalis ſcientiæ claritate fœcunda, de qua Pſalmiſta Domino inquit: *Paraſti in conſpectu tuo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Ne enim nos aduerſarij tribulantes ad errorem inflectant, menſam nobis Conditor noſter ſcientiæ cœleſtis, per quam in fide veritatis confortemur, parauit. Panes namque propoſitionis ſancti ſunt Doctores: quorum per opera nobis vel verba ſalutaria ad exemplum vitæ propoſita ſemper in diuinis paginis, quiſquis bene quærit, inuenit. Vnde aperte ijdem panes in Exodo duodecim fieri præcepti ſunt, videlicet propter Apoſtolos duodecim, per quorum miniſterium & nobis Scriptura noui Teſtamenti condita eſt, & inſtrumenti veteris, donante Domino, reuelata myſteria. Quorum nimirum numero non tantum ijdem Apoſtoli, ſed omnes ſunt deſignati: qui verbum prædicando, pabulum vitæ fidelibus miniſtrant; quia omnes vtique ipſam doctrinæ formam, quam à Domino Apoſtoli accepere, ſequuntur. Quod vero in verbis dierum ſupra legimus, quia fecit Salomon menſas decem, poſuitque eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, phialas quoque aureas centum: non has menſas tam ad panes propoſitionis, quam ad vaſa Domini portanda factas eſſe credibile eſt, phialas videlicet, quas pariter factas Scriptura refert, thymiamateria, thuribula, mortariola, & cætera, quæ in ſequentibus leguntur. Nam quod paulo poſt in eodem verborum volumine ſubinfertur: *Fecitque Salomon omnia vaſa domus Domini, & altare aureum, & menſas & ſuper eas panes propoſitionis:* vel pluralem numerum pro ſingulari poſuit more Scripturis vſitatiſsimo; vt in Ieſu Naue: *Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate:* cum Achan ſolus, & non plures ex Iſrael hoc fecerint. Vel certe, quia panes propoſitionis ſolebant ante ſabbatum coqui, vt in ſabbato mox poni poſſent in menſam propoſitionis; potuit fieri, vt panes noui nouiter cocti mox illis menſis imponerentur, ibidemque nocte illa ſeruarentur aperti, donec primo mane, ablatis veteribus, ſuper menſam propoſitionis ponerentur calidi. Non autem hæ menſæ decem, à figura vnius menſæ propoſitionis diſcrepant. Nam ſicut vna menſa duodecim panibus onuſta vnanimem totius Scripturæ concordiam auctoritate Apoſtolica munitam deſignat; ita non immerito decem menſæ aureæ diuina legis & prophetarum eloquia figurate denunciant; quæ vel refectionem nobis verbi Dei, quaſi panes propoſitionis, offerunt; vel nobis exempla fidelium, quaſi poſitorum in ſe vaſorum Domini claritatem, & miracula proponunt. Quare autem quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris poſitæ ſint menſæ; ex his, quæ de candelabris ſupra tractauimus, facillime patet.

Fecit etiam atrium ſacerdotum, & baſilicam grandem, & oſtia in baſilica, quæ texit ære.

De hoc in libro Regum ita ſcriptum eſt: *Et ædificauit Rex Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.* De interiori atrio breuiter loquitur, de exteriori prorſus tacere videtur. Ve-

A

rum in Verbis dierum vtriuſque fit mentio. Atrium ergo interius, quod vocatur ſacerdotum, eo, quod ſacerdotes & Leuitæ in eo miniſtrarent, ex omni parte erat templo circumdatum: ſed ab Oriente, vnde erat ingreſſus, multo longius à templo, quam à cæteris tribus plagis ſecretum: quia nimirum in ea plaga, id eſt, in facie templi fiebant miniſteria ſanctorum. Ibi altare æneum ad hoſtias Domino offerendas: ibi decem luteres ad lauandas eaſdem hoſtias: ibi mare æneum erat poſitum ad lauandas manus pedeſque ſacerdotum, cum ad miniſtrandum intrarent. Habebat autem hoc atrium tres cubitos altitudinis, vt Ioſephus narrat: quatenus & ab ingreſſu templi cæteros prohiberet, & ſolis ſacerdotibus hoc licere ſignificaret. Eratque ei ianua ad Orientalem plagam, ad quam vſque populus hoſtias ſuas & ſacrificia inferebat, inde ſuſcipienda à ſacerdotibus atque ad altare perferenda. De exteriori vero atrio, quod Verba dierum baſilicam grandem vocant, ita ſcribit Ioſephus: *Extrinſecus autem huius templi aliam ædificauit aulam quadrangulo ſchemate factam, erigens maximas porticus atque latas, & portas excelſas & amplas per quatuor mundi partes in eo conſtituens, quarum ſingulæ ad vnumquemque ventum quatuor angulis attendebant, vbi aureas ianuas collocauit.* Et paulo poſt: *In hoc ſacrarium omnes populi, quibus purgatio & obſeruatio legitimorum inerat, introibant.* Has vero porticus Caſſiodorus ſenator in pictura templi, quam in pandecte poſuit (vt ipſe in pſalmorum commemorat) triplici ordine diſtinxit: primum videlicet ordinem ponens extra atrium ſacerdotum ex omni parte per quadrum: ſecundum eodem modo extra intimas porticus vndique verſum in gyro: extremum ſimiliter ex omni latere priorum porticuum in circuitu. Sicque templum triformi ædificiorum præſidio ab omni erat parte munitum, facto pauimento ſub Dio inter ædificia ſingula de marmore, & parietibus domorum interioribus, hoc eſt, eis, qui ad templum reſpiciebant, factis, in columnis exterioribus vero ſolidis. Sicque fiebat, vt omnis ſtructura templi pro graduum eſſet varietate rationabiliter diſtincta. Namque in ſancta ſanctorum ingrediebatur Pontifex; in ipſum templum ſacerdotes purificati, & non purificati, vna cum Leuitis & cantoribus; in intimum atrium baſilicæ maioris viri Iudæi purificati ſtantes & orantes ſub dio, ſi ſerenum eſſet; ſi tempeſtas, in porticus proximas ſeſe recipientes; in interius atrium mulieres viduæ purificatæ; in extremum atrium gentiles & Iudæi, qui nuper venerant ex gentibus vſque ad ſextum purificationis diem. Hæc vt in pictura Caſſiodori diſtincte repperimus: breuiter annotare curauimus, rati, eum ab antiquis hæc in dies didiciſſe, neque virum tam eruditum voluiſſe in exemplum legenti proponere, quæ non ipſe prius vera eſſe cognouiſſet. Hæc ſunt loca, quorum meminit ſupremus graduum pſalmus, qui ita incipit: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri.* In his porticibus Hieremias & Prophetæ alij, in his Dominus & Apoſtoli verbum populo prædicabant: In harum aliqua Dominus ſedebat docens, quando, attentantibus Phariſæis, mulier adultera illi iudicanda oblata eſt. In his inuenit vendentes & ementes oues & boues & columbas, hoſque cum ſuis mercimonijs eliminauit è templo. In his Petrus & Iohannes claudum inuenientes ſanarunt, ac ſecum ingredientes interius ad orandum duxerunt. In his orabat omnis multitudo populi, quando incenſum ponenti Zachariæ Angelus ad altare thymiamatis apparuit, eumque de Præcurſoris Domini natiuitate perdocuit. Non autem hæc atria cum porticibus ſuis aſpectum templi de longe aſpectantibus abſcondere potuerunt: quia locus in quo templum erat ſitum, multo ſublimior erat, quam vbi fundatæ porticus fuere. Nam (ſicut Ioſephus ſcribit) extremæ atriorum fabricæ cum in quadringentis cubitis eſſent erectæ, tamen vſque ad verticem montis, in quo templum ædificatum erat, peruenerunt. Hæc quidem de ſtructura templi ſtudioſo lectori credimus intimanda. Verum in eis, quæcumque Scriptura ſacra

B

C

Pſal. 133.

Ioan 8.

D

Luc 19.

Act. 3.

Luc. 1.

E

referre commodum duxit, figuram myſteriorum quæramus: cæteris pro hiſtoriæ cognitione ſimpliciter vtamur. Ædificium ergo templi intra atrium ſacerdotum, perfectorum in ſancta Eccleſia & ſublimium vitam exprimit virorum, eorum videlicet, qui excellentia virtutum Domino appropinquare, & alijs verbo atque opere ducatum minoribus debeant oſtendere ſalutis. Sacerdos namque ab eo latine nomen accepit, quod ſacrum præbere ducatum minoribus debeat. Quo nomine in Scripturis myſtice non ſolum altaris miniſtri, Epiſcopi videlicet & presbyteri, ſed & omnes vtique cenſentur, qui altitudine rectæ conuerſationis ac doctrinæ ſalutaris eminent: nec ſibimetipſis tantummodo, ſed & pluribus proſunt. Qui dum corpora ſua hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem exhibent: ſacerdotale profecto miniſterium ſpiritaliter exercent. Neque enim Epiſcopis & presbyteris, verum omni Eccleſiæ Dei loquebatur Apoſtolus Petrus; cum ait: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta populus acquiſitionis.* Cuius honoris dignitate etiam antiquus populus Dei erat inſignitus, dicente ipſo ad Moyſen: *Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filiis Iſrael.* Et paulo poſt: *Et vos eritis mihi regnum ſacerdotale & gens ſancta.* Baſilica vero grandis, quæ erat extra atrium ſacerdotum, in qua omnis populi multitudo adorare ſiue ad verbum audiendum confluere ſolebat, carnalium in ſancta Eccleſia vitam moreſque figuraliter inſinuat: qualibus dicit Apoſtolus: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam.* Qui bene per Baſilicam grandem deſignantur: quia abſque vlla dubietate multo maior eſt in ſancta Eccleſia talium, quam perfectorum numerus: ſed quantum numero præſtant, tantum ſuccumbunt merito. Vnde apte Baſilica hæc grandis etſi plurimos capit; non eos tamen in interiora templi deaurati, non ad altaris officium, non in idipſum ſaltem atrium ſacerdotum intromittit: quia & carnales quique, atque infirmi adhuc in Eccleſia etſi ob meritum caſtæ fidei ac pietatis Domini deuotè ad electorum ſortem pertinent: longe tamen abeſt, vt illis æquentur, qui cum fiducia dicere probantur: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium verbo & factis.* Et iterum: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Accedebat quidem vulgus vſque ad atrium ſacerdotum, hoſtias ſuas vſque ad huius ianuam deferebat, ſuſceptas à ſacerdotibus atque in altari oblatas oculis proſequebatur; in ipſum etiam templum, cum aperiebatur, intuitum ſuum à longe dirigebat: nec tamen atrium ſacerdotum intrandi facultatem habebat. Verum de inferioribus clamabat ad Dominum: quia nec carnalium in Eccleſia ſimplicitas à Domino deſpicitur, quando fideliter ea, quæ valent, illi vota pietatis offerunt. Dirigunt enim viſus à longe in templum Dei, cum vitam ſublimium diſcere & admirari ſedulo gaudent, & quos virtutis imitatione ſequi nequeunt, piæ venerationis complectuntur affectu. Vident hoſtias ſacerdotum in altari igne ſacroſancto conſumi: quia magna magnorum opera cognoſcunt, à Domino per Spiritum ſanctum dignantur accipi. Afferunt & ſuas hoſtias ad atrium ſacerdotum offerendas Domino per illos, dum bona, quæ præualent, operantes, maiorum ac doctiorum & confirmantur exhortatione, & interceſſione Domino commendantur. Offerunt etiam tunc hoſtias ſuas ſacerdotibus per eos Domino commendandas, cum ſanctis quibuſq; egentibus neceſſaria mundi huius, quibus ipſi abundant, ſummæ mercedis intuitu, Domino tribuunt ammonente ac dicente: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Bene atrium ſacerdotum tribus ordinibus lapidum politorum (fides, ſpes, charitas) & recte politorum, quia certe neceſſe eſt diſcendi ſolertia: vt quiſque, quomodo dicere, quid ſperare, ſiue diligere debeat, dinoſcat. Vnus autem ordo lignorum cedri, ipſa eſt bona operatio, ac ſine corruptione ſimulationis exhibita, ſine cuius ſuperad-

Rom. 12.

1. Pet. 2.

F

Exod. 19.

1. Cor. 3.

G

Rom. 15.

2. Tim. 4.

H

Luc. 16.

iectione

A lectione Fides, Spes & Charitas vera eſſe non valet. Dictum namque eſt ſæpius, quod ligna cedri propter odoris gratiam & imputribilem ſuæ naturæ potentiam perſeuerantiam famamque piæ deſignant actionis. Ad hoc atrium vſque vniuerſi aſcenderunt electi, qui fide, ſpe, dilectione atque opere Deo placere appetierunt. Hoc alta meritorum gratia tranſcendunt perfecti, cum in tanto virtutum culmine proficiunt, vt dicere ſuis auditoribus
1. Cor. 11. poſſint: *Imitatores noſtri eſtote, ſicut & nos Christi*: glorien-
1. Cor. 6. turque & dicant: *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia?* Quod autem dicitur, quod hoſtia baſilicæ tecta fuiſſent ære; ſignificat, introitum fidei ſermone limpidiſſimæ prædicationis præparari debere, vt aduenientes quique diſcant, quomodo per fidem Christi, & ſalutifera Sacramenta debeant intrare in Eccleſiam Christi: & poſtquam intrauerint, quam religioſe oporteat ipſos in ea conuerſari.

Fecit quoq; Hiram lebetas & creagas & phialas, & compleuit omne opus regis in domo Domini.

Exod. 17. Lebetes factæ fuerunt, vt liber Exodi commemorat,
B ad ſuſcipiendos cineres altaris holocauſti. Creagæ, hoc eſt, fuſcinulæ ad hoc in miniſterio habebantur altaris, vt carnes victimarum per eos de caldariis coctæ proferrentur, atque ad eſum eorum, qui his erant reficiendi, afferentur. Phialæ vero ad offerenda libamina. Sed lebetes cineres ſanctos ſuſcipiunt, cum fideles quique vel exempla ac Sacramenta Dominicæ paſſionis ad cuſtodiam ſui pia mente retractant, vel certe exitum præcedentium iuſtorum diligenter aſpiciunt, qui, magnis pro Domino elaboratis agonibus, nunc, curſu conſummato, de percepto iam iam brauio ſine fine lætantur; quatenus, conſideratis maiorum virtutibus, & ipſi magni fieri poſsint, iuxta præ-
Hebr. 13. ceptum Apoſtoli dicentis: *Mementote præpoſitorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem.* Creagæ autem ſanctorum prædicatorum æque figuræ congruunt, quorum miniſterii eſt animas fidelium verbo fidei reficere, & iuxta regulam A-
1. Pet. 2. poſtolicæ diſcretionis rudibus adhuc diſcipulis rationa-
Hebr. 5. bile & ſine dolo lac doctrinæ ſimplicis adhibere: perfectioribus autem ſolidum cibum doctrinę ſublimioris mi-
C niſtrare. Quicunq; enim Sacramenta Chriſti ſummatim cognoſcere atq; ad imitationem ſuſcipere norūt, hi quaſi carnibus hoſtiæ ſalutaris refecti ſatiantur. Et quia doctorum eſt ſpiritualium, quæ cuiq; perſonę myſteria audienda committant, ſolertiſsime diſcernere recte: recte fuſcinulas facere iubetur ſacerdotibus per Moyſen, quibus carnes hoſtiarum, prout oportuerit, componant: & alia quidem hominibus, ſed mundis edenda afferant: alia verò altaris ignibus conſumenda relinquant. Reliqua ſunt in verbis deinde nonnulla, quæ noſtræ humilitati reuelare & ad noſtræ epulas refectionis concedere dignatus eſt. Sunt item alia tantæ profunditatis, quæ ſancti Spiritus ſolummodo ſcientiæ pateant, noſtræ verò capacitatis per omnia menſuram tranſcendant. Nam phialæ latiorem atque apertiorem ſacræ doctrinæ ſignificant ſermonem, qui hauſtum ſapientiæ pie ſitientibus ſalubriter impendunt, & pie laborantibus refocillationem congruam prædicatorum miniſteria tribuunt, quatenus hoc ſolatio adiuti ad fontem vitæ æternæ peruenire poſsint, ex quo
Ioan. 6. qui biberit, ipſa veritate atteſtante, *non ſitiet in æternum*. Et
D notandum, quod in eo loco, vbi in Paralipomenon legitur, quod Hiram fecerit lebetas & creagas & phialas, illic
3. Reg. 7. in libro Regum habet: *lebetas & ſcutras & amulas.* Scutræ ergo vaſa ænea eſſe dicuntur æqualem in fundo & in ore habentia amplitudinem, vt cooperta deſuper calefacere poſſent, quod vellent. Amula verò ſpecies quædā eſt vaſorū libatoriorū ad offerenda vina. Deniq; leguntur
Exod. 37. in Exodo phialæ factæ, acetabula & cyathi, in quib. offerenda fuerunt libamina in tabernaculo Domini. Et quid varia vaſa, quę ad offerenda libamina ſunt facta, niſi variæ ſunt diſtinctiones eloquii diuini pro diſpari capacitate audientium? Non enim vna eademq; omnibus poteſt conuenire doctrina. Aliter namq; ſapientes, aliter inſipiētes, aliter diuites, aliter pauperes, aliter ſani, aliter infirmi, aliter ſenes, aliter iuuenes, aliter viri, aliter feminæ, aliter cæ-

libes, aliter coniugati, aliter prælati, aliter ſubditi docendi ſunt. Quæ tamen vaſa omnia ad menſam tabernaculi, E
omnia ad offerenda libamina pertinent: quia quæcunque prudens Doctor diuerſa pro diuerſitate audientium loquitur, vniuerſa in regula ſacræ Scripturæ reperiuntur, atq; ad offerenda Domino vota bonorum operum corda excitant auditorum. Quæ videlicet operum diuerſitas ſanctæ prædicationis, ipſius Domini ore deſignabatur, cum diceret: *Qui putas eſt fidelis diſpenſator & pru-* Matth. 24.
dens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Menſuram quippe tritici conſeruis dat in tempore fidelis diſpenſator & prudens, quando diſcretus verbi miniſter non ſolum tempus oportunum in dicendo obſeruat: verum etiam qualitatem, ſenſumque auditorum diligenter exquirit, & iuxta diſtantiam huius modum ſui ſermonis temperat.

Omnia vaſa fecit Salomoni Hiram Pater eius in domo Domini ex ære mundiſsimo, in regione Iordanis fudit ea Rex in argilloſa terra inter Sochoth & Saredatha. Erat autem mul- F
titudo vaſorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris.

De hoc in libro Regum ita ſcriptum eſt: *Omnia vaſa,* 3. Reg. 7.
quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant, &c. Aptè in regione Iordanis fuſa ſunt vaſa domus Domini, in quo videlicet flumine Dominus noſter bapti- Matth. 3.
zari dignatus eſt: eius tinctus vndis, aquarum nobis elementum in ablutionem peccatorum conuertit. Et quia omne fidelium baptiſma, quo Domino conſecrantur, in exemplum celebratur baptiſmatis illius, quo ipſe aquas ſanctificauit: rectè in regione Iordanis vaſa ſunt domus Domini facta. Neque enim aliter vaſa electionis & miſericordiæ fieri poſſumus, niſi ad baptiſma eius, quod illo in flumine ſubiit, reſpicientes & ipſi in tali flumine ſatagamus ablui. Notandum autem, quod non tantum in regione Iordanis, ſed & in campeſtri regione illius facta dicit eadem vaſa: ſignificans multiplicationem fidelium, quæ non ſolum in Iudæa, ſed & in omnium nationum latitudine futura erat: expleta prophetiaq; dicit:
Gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt. Cui ſimile eſt hoc, Pſal. 95.
quod idem Pſalmiſta de Sacramentis Dominicæ Incar- G
nationis loquens, ex perſona eorum, quibus completa Incarnationis arcana ad fidem venerunt, ait: *Ecce audi-* Pſal. 131.
uimus ea in Ephrata, inuenimus ea in campis ſiluæ. Audiuimus quippe *in Ephrata.* Bethleem Sacramenta Dominica, quia promiſſum legimus Dauid Patriarchæ, qui erat ex eadem ciuitate: *De fructu ventris tui ponam* eius Chriſtum Ibid.
in carne venturum. *Inuenimus ea in campis ſiluæ*, quia reuelata hæc in altitudine gentium ipſi per orbem cognouimus, ipſi vidimus, ipſi participes facti ſumus. Fudit ergo Rex vaſa domus Domini in campeſtri regione Iordanis: quia Dominus baptiſmo ſalutis de quo vaſa miſericordiæ faceret, totam mundi latitudinem impleuit.

Argilloſa autem terra, de qua factæ ſunt formæ ad fundenda vaſa Domini, quæ melius quam Scriptura ſacra, de qua regulam bene viuendi accipimus, valet intelligi? Quaſi enim argilla ignibus durata formam vaſis Domini, quanta & qualia fieri debent, exhibet, cum nobis Scriptura regulam iuſtitiæ, quam
ſequimur, oſtendit: ſanctorum nobis exempla, qui H
igne tribulationum inuincibiles perſeuerauerunt, in omnibus ſequenda præmonſtrat, ſi vaſa in domo Domini electa ac precioſa eſſe conſpicimus. Eius igne liquefactum argillæ formas ingreditur, quo vas poſsit aptum miniſteriis cæleſtibus effici, cum ipſi ſalubriter humiliati & flamma ſuæ diuinæ charitatis ſiue etiam humanæ aduerſitatis molliti, viam patrum bene operando intramus: vt ad præmia patrum benè currendo perueniamus. Neque enim ſemper nos regulis neceſſe eſt bonæ operationis arctari: ſed, completa operatione bona, palma eſt beatæ retributionis ſperanda: quia nec ſemper vaſa informis argillæ tenebantur incluſa: verum vbi ad perfectionem ſui peruenerant, fractis formarum clauſtris produce-

A

bantur in lucem, & in templo Domini pro ſuis quoque locis diſponebantur. Hoc autem dicimus non quod opera ſanctorum vnquam ſint interitura: ſed quia vbi coronam iuſtitiæ, quam benè operando meruerant, acceperint, laborioſæ operationis cuncta ceſſent officia. Quis enim in illa vita pro fide Chriſti martyrium patiatur, vbi, expulſis aduerſariis, omnes electi in præſentia Chriſti lætantur? Quis ibi mortuum ſepeliat, vbi ſolum viuentium terra eſt? Quis lugentem conſoletur, vbi *abſtergit Deus omnem lacbrimam ab oculis ſanctorum?* Quis ibi domum peregrino & hoſpiti aperiat, vbi omnes ſimul electi habitationem ex Deo habent? *domum non manufactam, æternam in cælis?* Quis mihi illic panem eſurienti potumve ſitienti afferat, vbi *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit?* Diſruptis ergo formis vaſorum quondam neceſſariis, vaſa ipſa in domo Dei iam ſplendida refulgent: quia, ceſſantibus in fine mundi non ſolum perſecutionibus, quas propter iuſtitiam patiuntur, verumetiam laborioſis iuſtitiæ operibus, quibus ſua ſponte pro æterna beatitudine inſudant electi, ſola in viſione ſui Conditoris perceptæ immortalitatis claritate lætabuntur.

Apoc. 7. & 21.

2. Cor. 5.

Pſal. 22.

B

Fecitque Salomon omnia vaſa domus Dei, & altare aureum & menſas & ſuper eas panes propoſitionis: candelabraq; cum lucernis ſuis, vt lucerent ante oraculum iuxta atrium ex auro puriſſimo.

Quid eſt, quod ſuperius dixit feciſſe Hiram Salomoni omnia vaſa in domo Domini? & nunc dicit, Salomonem ipſum feciſſe omnia vaſa domus Domini? niſi vt oſtendat hiſtorialiter, Salomonem ipſum feciſſe opus templi dictando, & Hiram operando? Iuxta allegoriam verò ſignificat, Redemptorem noſtrum in ſanctis prædicatoribus, atque in omnibus fidelibus ſuis ornatum Eccleſiæ parare, atque opera virtutum efficere, quia ipſius doni totum eſt: quotcumque rectè ſapiunt, benè volunt ac fideliter agunt: qui in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* De quo Iacobus Apoſtolus ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Altare aureũ corda ſignificat perfectorum iuſtorum, internæ charitatis & caſtitatis luce coruſca, quorum ſublimitatis ſignificandæ etiam locus conuenit eiuſdem altaris. Stabat enim ante oſtium ſancti ſanctorum, vt in factura tabernaculi manifeſtè legimus: in quo videlicet altari non hoſtiarum ſanguis, neq; libamina, ſed thymiamata tamen incendebantur, quorum fumus ad ſuperiora aſcendens operiebat arcam, atque oraculum odore ſuauitatis impleuit. In quo figura exprimebatur ſanctorum, qui dum, neglectis temporalium rerum cupiditatibus, tota intentione cœleſtia quærunt, velut intus in vicinia oraculi ſunt poſiti, nec longe ſunt remoti à velo, quo templum & ſancta ſanctorum dirimuntur: quia corpore tantum terram incolunt, cæterum ſecundum interiorem hominem totam habent conuerſationem in cœlis. Aſcenditque ab huiuſmodi altari fumus incenſorum intra ſancta ſanctorum, vbi arca eſt recondita, cum orationes ſanctorum flamma charitatis excitatæ ad cœlum vſque perueniunt, *vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Non enim in hoc altari ſanguis hoſtiarum, ſed thymiama tantum incenditur: quia tales viri non habent opera carnis & ſanguinis, quæ in ara ſui cordis immolantes Domino mactant: ſed ſolummodo lachrimarum & orationis ei vota pro deſiderio regni cœleſtis offerunt. Fecit quoque Salomon & altare æneum ad holocauſta & ſacrificia, cuius factura & myſteria ſuperius iam expoſita ſunt, ſicut & ex menſurarum ſignificatione. Cum autem de candelabro cum lucernis ſuis facto & colorato ante oraculum dixiſſet, adiunxit: *Et florentia quadam ad lucernas & forcipes aureos; omnia de auro mundiſſimo facta ſunt.* Florentia quædam nominat ſpecies liliorum in candelabro factas, ſuper quas ponebantur lucernæ. Forcipes autem aureos emunctoria nuncupat, quibus emungebantur lumina candelabri, vt reparata melius lucerent. Cæterum forcipes illi, qui in altaris vſum iuſſi ſunt fieri, ænei fuere. Sed & hi forcipes, quibus emungebantur lucernæ, quid niſi interpretationem ſpiritualis ſenſus per Doctorum officia, deſignant? Ipſi enim verba ſacri eloquii ab hiſtoria in allegoriam, & ab vmbra in veritatem transferentes, quaſi lucem ſcientiæ in Eccleſia Dei ſuper candelabrum myſticum poſiti, multiplicant, ac prædicando renouant: atque ideo dicuntur de auro mundiſſimo facti, quia lumine veræ ſapientiæ exiſtunt clariſſimi.

Ioan. 15.

Iac. 1.

C

Exod. 37.

Col. 3.

Exod. 37.

D

E

Thymiamateria quoq; & thuribula & phialas & mortariola ex auro puriſſimo.

Thymiamateria ergo atque thuribula, &c. vaſa in quibus thymiama odorabatur, benè poſſunt exprimere corda electorum, in quibus oratio pura & ſuauè flagrans Domino defertur, de qua dicit Pſalmiſta: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum, in conſpectu tuo.* Vnde & in Apocalypſi Iohannes vidit, ſanctos habere phialas aureas plenas odoromentorum: quod confeſtim exponendo ſubiunxit: *Quæ ſunt orationes ſanctorum*, quæ ex aromatibus virtutum in mortario puræ conſcientiæ conditæ ſuauiſſimum odorem exhibent Domino.

Pſal. 140.

Apoc. 5.

Et oſtia cælauit templi interioris, id eſt, in ſancto ſanctorum, & oſtia templi forinſecus aurea.

F

Hinc in libro Regum ita ſcriptum eſt. *Et cardines oſtiorum domus templi interioris ſancti ſanctorum & oſtiorum domus templi ex auro erant.* Si oſtia domus interioris ſancti ſanctorum angelica ſunt miniſteria, quæ nobis de corpore egreſsis introitum vitæ cœleſtis reſerant, & oſtia domus templi Doctores ſunt ſancti ac ſacerdotes, qui inſtruendo, baptizando, communicando Dominici Corporis & ſanguinis myſteria, prima nobis Eccleſiæ præſentis limina pandunt: quid cardines vtrorumque hoſtiorum, niſi ſenſus & corda ſunt eorundem Angelorum, ſiue hominum ſanctorum, quibus immobiliter contemplationi ac dilectioni ſui Conditoris adhærent: vt eo miniſterium diuinitus ſibi delegatum rectè compleant, quo à voluntate illius, cui miniſtrant, nunquam oculos auertant? aperiuntur enim & clauduntur oſtia congruo tempore, ſed nullo ſuum cardinem tempore deſerunt: quia Angeli & homines ſancti, ſiue in hanc vitam fidei, ſeu in illam ſpei fideles atque electos ſuſcipiant, ſemper animum in radice æternæ dilectionis fixum tenent. Vnde bene iidem cardines ex auro eſſe facti perhibentur, propter videlicet vel meritum propriæ claritatis, vel illius, quam habent in Deum, charitatis. Quod autem dicit, oſtia eſſe celata tam interioris domus quam etiam exterioris: ſignificat, quod non ſolum angelicæ virtutes, ſed etiam ſanctæ Dei Eccleſiæ Doctores variarum virtutum decore ſunt honorabiles, & ad imitandum nobis ſalubres. Quicunque enim eorum decori in iuſtitia, ſanctitate, & veritate per fidem, ſpem & charitatem in præſentiarum propinquare ſtuduerit, procul dubio eorum gloriæ participem in futura vita ſe eſſe gaudebit.

3. Reg. 7.

Luc. 16.

G

Capvt V.

Sicq; completum eſt omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

Perficit Salomon, quod faciebat in domo Domini, cum Rex pacificus noſter in die nouiſsima omnes electos reſurrectionis immortalitate glorificat. Alioquin quamdiu ſtatus huius ſeculi geritur, facit quidem opus domus Domini Salomon, ſed nondum perficit: quia corda electorum Dominus, vt bona operentur, inſpirat & adiuuat: nulli tamen in hac duntaxat vita commoranti, abſque peccato eſſe tribuit: namque hoc donum futuræ vitæ beatitudini reſeruat. Perficit verò omne opus templi ſui, & hoc dedicationi aptum reddit: cum translatos de hac vita electos ſuos æternum perducit ad regnum. Quod benè ſignificatur in eo, quod templum VII. annis ædificatum eſt, octauo autem perfectum atq; dedicatum. Septem namque diebus omne hoc tempus voluitur, octaua autem eſt dies iudicii & reſurrectionis futuræ, de qua Pſalmus ſextus & vndecimus attitulati ſunt. Cui videlicet tempori conuenit aperte, quod ſequitur.

H

Intulit ergo Salomon omnia in dedicatione, quæ vouerat Da-

Digitized by Google

A *uid pater ſuus; argentum & aurum, & vniuerſa vaſa poſuit in theſauris domus Dei*, &c reliqua.

Argentum namq; ad nitorem eloquentiæ, aurum ad ſplendorem ſapientiæ, vaſa generaliter ad rationabilem
2. Reg. 8. creaturam vouit, ſiue (vt in libro Regum habetur) ſanctificauit Dauid Pater Salomonis argentum, cum Deus Pater eloquentes quoſque gratia ſui Spiritus ad loquendum verbum Euangelii confortat. Sanctificat aurum, cum naturali ingenio præditos ſuo replens Spiritu ad conſideranda in lege ſua mirabilia illuminat. Sanctificat & vaſa, cum omnibus generaliter Eccleſiæ filiis eiuſdem Spiritus gratiam largitur, adamando illos & appetendo dona perpetuæ ſalutis inflammat. Hoc autem argentum, hoc aurum, hæc ſanctificata vaſa Salomon refert in templum. Vnde conſequenter ſcriptum eſt.

Portauerunt Leuitæ arcam, & intulerunt eam & omnem paraturam tabernaculi. Porro vaſa ſanctuarij quæ erant in tabernaculo, portauerunt ſacerdotes cum Leuitis, &c.

Cum Dominus noſter, peracto vniuerſali iudicio, omnes electos, & doctorum videlicet cæterorum fidelium
B cætum in gaudium regni cæleſtis introducit: reponitq; vaſa diuerſi generis argentea ſiue aurea in theſauris domus Domini: quando eos, qui multitudine dulcedinis
Pſal. 30. eius frui meruerunt, *abſcondit in abdito vultus ſui à conturbatione hominum.* Et aptè multi ſunt theſauri, in quibus vaſa electionis recondantur, ſed vna domus Domini, in qua iidem ſunt facti theſauri: quia & vna eſt Eccleſia, in qua omnes continentur electi, quantumlibet meritis diſtent: & vna non diuerſa eſt patria illa cæleſtis, quæ ele-
1. Cor. 15. ctis promittitur omnibus: quamuis *ſicut ſtella à ſtella in claritate, ita & Reſurrectio mortuorum.* Quod vtrumque iudex ipſe, ac diſtributor præmiorum, Dominus vna ſen-
Ioan. 14. tentia demonſtrauit, cum ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Vnam ergo domum Domini fecit Salomon, multos in ea theſauros ad recipienda vaſa diuerſi generis: vna tamen benedictione ſanctificata parauit:
2. Cor. 5. quia nimirum *vna eſt domus* Patris *non manufacta, æterna in*
Ioan. 14. *cælis*: ſed *multa* in ea *manſiones* ad recipiendos omnes, quos timentes ſe ac diligentes Dominus benedicit, puſillos cum maioribus.

C *Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, id eſt, ad oraculum templi in ſancta ſanctorum ſubter alas Cherubim, ita vt Cherubim expanderent alas ſuas ſuper locum, in quo poſita erat arca. & ipſam arcam tegerent cum vectibus ſuis. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paulo longiores erant, capita parebant ante oraculum. Si vero quis paululum fuiſſet extrinſecus, eas videre non poterat. Fuit itaque arca ibi vſque in præſentem diem. Nihilque erat aliud in arca, niſi duæ tabulæ, quas poſuerat Moyſes in Oreb, quando legem dedit Dominus filiis Iſrahel egredientibus ex Ægypto.*

3. Reg. 8. Hinc quoque in libro Regum ita ſcriptum eſt: *Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum, in oraculum templi, in ſancta ſanctorum, ſubter alas Cherubin. Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam & vectes eius deſuper. Cumque eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris ſanctuarium ante oraculum non apparebant vltra extrinſecus. Qui & fuerunt ibi vſque in præſentem diem. In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Oreb, quando pepigit fœdus Dominus cum*
D *filiis Iſrahel, cum egrederentur de terra Ægypti.* Quod illata arca in ſancta ſanctorum dicitur, cumque eminerent vectes & apparebant vltra extrinſecus: notandum iuxta id, quod in Paralipomenon ſcriptum eſt, quia etſi capita vectium accedentibus propius ac diligentius intuentibus parebant ante oraculum; non tamen fieri poterat, vt ipſa eorum capita ante oraculum eminerent: quia nimirum neceſſe erat, vt, clauſo oraculo & appenſo ante oſtia velo, ipſi quoque vectes, arca & Cherubin abderentur interius: quod fieri non poterat, ſi prominentes vlterius vectes producendis ad claudendum hoſtiis locum non darent.

Quorum poſitionem vectium Scriptura non ſine cauſa, ſed magni intuitu Sacramenti tam diligenter expedire curauit. Conſtat enim, quia domus templi exterior peregrinantem in terris Eccleſiam, ſancta autem ſancto-
rum internam ſupernæ patriæ felicitatem deſignauit. Item illata in ſancta ſanctorum arca aſſumptam Chriſti humanitatem, & intra velum regiæ cæleſtis inductam: vectes verò, quibus arca portabatur, prædicatores verbi, per quos ipſe mundo innotuit typicè denunciant. Quod autem dicitur, nihil eſſe in arca, niſi duas tabulas, quas poſuerat Moyſes in Oreb, quando legem dedit Dominus filiis Iſrahel egredientibus ex Ægypto: oſtendit generaliter, nihil eſſe in ipſa arca, quod contrarium fuerit præceptis legis Domini in duabus tabulis comprehenſis: ſed ea ibi ſolummodo condita, quæ iuxta eiuſdem legis mandata ad cultum vnius Dei, & ad fidei noſtræ commendationem typico ſchemate geſta fuerunt: vt figura, vmbra futurorum per omnia dicto ac facto venturæ veritati teſtimonium præberet; ſicque ea in mundo apparente fidem certam tempore congruo ſuæ hiſtoriæ obſeruantiæ acciperet. Erat autem in arca, vt Paulus Apoſtolus in Epiſtola ſua ad Hebræos E
teſtatur, vrna aurea habens manna: *quia in homine Chri-* Hebr. 9.
ſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Erat virga Col. 2.
Aaron, quæ exciſa denuo floruerat: quia poteſtas omnis F
iudicandi penes eum eſt, cuius iudicium in humilita- Num. 17.
te paſſionis videbatur eſſe ſublatum. Erant & tabulæ Eſa. 53.
teſtamenti, quia *in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Col. 2.

Adhærebant ei vectes, quibus portabatur: quia Doctores, qui quondam laborabant in verbo Chriſti,
nunc præſenti viſione congaudent gloriæ CHRISTI. Phil. 1.
Quod enim vnus eorum de ſe dixit: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*: de omnibus vtique ſui operis conſortibus intelligendum reliquit. Apparebant ſummitates vectium foris ante oraculum, non ſemper, ſed cum oſtia eiuſdem oraculi aperiri contingeret: neque hoc omnibus, ſed his ſolummodo, qui propius accedentes, attentius ea, quæ intus erant, ſatagebant intueri. Ipſa autem arca, qualis & quomodo eſſet poſita, ſolis eis, qui oraculum intraſſent, videre licebat: quia nullus ſanctorum in hac adhuc vita poſitus: (tametſi multum in altitudine ſe mentis attollens,) ſed ſoli illius Patriæ ciues gloriam inibi ſui Redemptoris plenè contuentur.
Sunt & vectes cum arca in oraculo reconditi: quia *ab-* G
ſconditi ſunt & iam nunc perfecti quique & electi, qui Pſal. 30.
nos præceſſerunt de mundo, *in abdito vultus Dei à conturbatione hominum.*

Quorum tamen ſummitates vectium nonnunquam aperto oraculo his, qui appropinquant viſuntur; cum perfectioribus quibuſque atque oculum ſui cordis tota intentione purificantibus diuina gratia aliquid extremum de ſupernorum ciuium gaudio contemplandum donauerit. Quæ nimirum contemplatio his, qui paulo longius receſſerunt, minimè conceditur: quia quanto exterius mente vaga remanent, tanto minus, quæ ſunt interna gaudia, gaudent.

Omnes enim ſacerdotes, qui ibi poterant inueniri, ſanctificati ſunt: nec adhuc illo tempore vices & miniſteriorum ordo inter eos diuiſus erat, tam Leuitæ quam cantores, id eſt, & qui ſub Aſaph erant, & qui ſub Heman, & qui ſub Idithun.

Hæc dum XXIV. turmæ ſortem miſerunt, quis primus aut ſecundus aut tertius miniſtraret: omnes ſanctificati
pariter ſeruiebant. H

Filij & fratres eorum veſtiti byſſinis, cymbalis & pſalteriis & citharis concrepabant, ſtantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis ſacerdotes centum viginti, canentes tubis.

Qualiter autem Ioſephus de veſtibus ſacerdotalibus ab Salomone confectis narret, videamus: *Fecit*, inquit, *ſtolas ſacerdotales pontificibus cum his, quæ pendebant ad pedes. & ſuperhumerales & rationales & gemmis mille. Corona vero, in qua Dominum Moyſes inſcripſerat, vna fuit: quæ adhuc diem vſque permanſit. Sacerdotales autem ſtolas & byſſo contextas & zonas purpureas ſingulis decem millia, & tubas ſecundum præceptum Moyſi ducenta millia. Item ſtolas Leuitarum hymnos dicentium ex byſſo ducenta millia, & inſtrumenta muſica & ad hymnos dicendos inuenta, quæ vocantur nabla & cinara, ex electo conſtituit quadraginta*

millia.

Digitized by Google

A *millia.* Hæc omnia ad honorem Dei Salomon copioſe & magnifice fabricatus eſt, in nullo parcus exiſtens: ſed circa ornamenta templi vſus eſt præcipua largitate, quæ etiam in theſauros Dei recondidit. Myſticè autem quid per ſtolas byſſinas, niſi candens decore munditiæ corporalis caſtitas deſignatur? Hanc ergo induere decet omnes, qui officio diuino aſſiſtere debent, & laudem eius in ore, moribus & actu concrepare: quia cymbala oris confeſſionem, Pſalteria mortalitatem, citharæ vero mortificationem carnis, & bonorum actuum ſtrenuitatem, XXIV. chordis ſpiritualibus, hoc eſt, propheticis & Apoſtolicis doctrinis instructa deſignant. Et benè dicitur, quod ſtarent ad Orientalem plagam altaris: quia iuxta altare fidei ortum lucis æternæ expectabant, cum quibus & ſacerdotes CXX. pariter ſtabant: quia Doctores ſancti per centenarium & vicenarium numerum ſunt expreſſi: eo quod legislator iuxta huius numeri quantitatem annorum ſeriem impleuit, & in cænaculo Sion in die Pen-

Actor. 2. tecoſtes eodem numero credentes gratiam Spiritus paracleti acceperunt, prædicationibus validis turbis fideli-

B um ſplendorem ſolis iuſtitiæ innotuerunt: vt vtriq; hoc eſt, docentes & audientes lumine veræ ſapientiæ decorarentur.

Igitur cunctis pariter & tubis & Voce & cymbalis & organis & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longè ſonitus audiebatur: ita vt cum Dominum laudare cœpiſſent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius: impleretur domus Dei nube nec poſſent ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.

Quid eſt quod ſacerdotibus & leuitis organis & diuerſi generis muſicorum laudem Dei in templo concinentibus propter caliginem ſiue (vt in libro Regum ſcriptum

3. Reg. 8. eſt) propter nebulam non potuerunt ſtare & miniſtrare: niſi quod, prædicantibus Saluatore & Apoſtolis eius Euangelium, ſuperbi Iudæorum Pontifices, exigentibus

Matth. 13. meritis, dum diuina myſteria per parabolas audiunt, quaſi ſacerdotes in domo Domini propter nebulam miniſtrare nequiuerunt? Qui & in teſtamento veteri dum ſenſus myſticos literæ velamine coopertos inter obſcu-

C ras allegoriarum caligines inueſtigare deſpiciunt, debitum fidei ſuæ miniſterium propter nebulam perdiderunt: quibus & tunc in nebula Doctrinæ ſuæ vocem Dominus protulit, cum de ſe etiam aperta narrauit. Quid eſt

Ioan. 10. enim apertius, quam: *Ego & Pater vnum ſumus?* Quid eſt

Ioan. 8. apertius, quam: *Ante Abraham ego ſum?* Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo compleuerat: quaſi emiſſum ſolis radium nebula interiacens abſcondebat. Igitur (vt iam diximus) per nebulam caligo intelligenter deſignatur. Et quia, apparente in carne Domino, ſacerdotum ſenſus de eius intellectu caliginem pertulit: nebula ſynagogam, id eſt, domum Domini impleuit. *Et ſacerdotes propter nebulam miniſtrare non poterant:* quia dum ab intellectu incarnationis Dei perfidiæ ſuæ peſte obſcurati ſunt, veri ſacerdotii miniſterium perdiderunt. *Compleuerat enim gloria Domini domum Dei:* quia myſteria, quæ ante in lege ſub vmbra & velamine latebant, per aduentum Mediatoris Dei & hominum omnia in lucem rectè credentibus & digne accipientibus in Euangelio proceſſerant: cæteris vero, qui ad fidem accedere nolebant,

D priſtina obſcuritas, imo magis cæcitas remanebat. Vnde ipſa Veritas in Euangelio diſcipulis, ſciſcitantibus ab eo

Luc. 8. de quibuſdam parabolis ſuis, ait: *Vobis datum eſt,*

Eſa. 6. *noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & qui vident, cæci fiant.*

Capvt VI.

E *TVnc Salomon ait: Dominus pollicitus eſt, vt habitaret in caligine: Ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum: & conuertit faciem ſuam, & benedixit vniuerſæ multitudini Iſrahel,* & reliqua.

Iuxta illud beati Iob: *Nubes latibulum eius.* Et Pſalmiſta *Iob 22.*

inquit: *Caligo ſub pedibus eius.* Latibulum ergo Domini *Pſal. 17.*

Scriptura eſt ſacra, quæ multiplicibus parabolis ac figuris cæleſtia geſtat Sacramenta: Sed quæ infidelibus ac ſuperbis tecta atque abſcondita ſunt, humilibus ac Deum per fidem Catholicam ritè quærentibus ſecreti ſui pandit introitum, ſecundum quod Saluator in Euangelio exultans Spiritu ad Patrem ait: *Confiteor tibi Pater Domi-* *Matth. 11.*

ne cæli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.

Siquidem fecerat Salomon baſin æneam, & poſuerat eam in medio baſilicæ, habentem V. cubitos longitudinis, & V. cubitos latitudinis, & tres cubitos in altum: Stetitq; ſuper eam, & reli- F

qua.

Quid per baſim æneam, quam fecerat Salomon, niſi ſoliditas veræ humilitatis deſignatur? quam Saluator noſter præcipue docuit verbo, & oſtendit exemplo; cuius longitudinem ſecundum quinarium numerum metitur, cum ſecundum legis Dei traditionem longanimitatem patientiæ, & latitudinem dilectionis habendam nobis commendat. Cuius & latitudo trium eſt cubitorum: quia ſanctæ Trinitatis confeſſionem in fide, ſpe & charitate nos tenere docet, firmiterque in ea bene operando omni tempore perſiſtere.

Et dedicauit domum Dei Rex & vniuerſus populus: Sacerdotes autem ſtabant in officiis ſuis, & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Domus Domini ſancta eſt Eccleſia, ſicut ſupra oſtenſum eſt: hanc dedicauit Rex Chriſtus, quando eam ſanguine ſuo mundauit, & Spiritus ſui gratia ſanctificauit, ac diuerſis virtutum donis multiplicauit. Hanc dedicant &

filii Iſrahel ſecum, quando vnuſquiſq; fidelium ſecundũ G

donum ſibi collatum à Deo verbo prædicationis, & virtutum operibus proximos ſuos, quoſcumque valet, ad meliora & perfectiora conuertere ſatagit. *Templum enim*

Domini (ait Apoſtolus) *ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Sed hanc *1. Cor. 3.*

ſanctificationem Rex & populus, caput & membra non æqualiter perficiunt: quia de Chriſto Ieſu ait: *De plenitu-* *Ioan. 1.*

dine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Hinc Paulus ait: *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui ri-* *1. Cor. 3.*

gat: ſed, qui incrementum dat, Deus. Sed quantum valeat hominis prædicatio, prædictus Apoſtolus ſubſequenter exponit dicens: *Qui plantat autem & qui rigat, vnum ſunt.* *Ibid.*

Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores. Dei agricultura eſtis. Dei ædificatio eſtis. Igitur ipſe ſanctificauit ſuum templum, quaſi Deus & Dominus inhabitando, nos autem digne habitationi eius conuerſando. Sequitur:

Sanctificauit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini. Obtulerat enim ibi holocauſta & adipes pacificorum: quia altare æneum quod fecerat non poterat ſuſtinere holocauſta & ſacrificia & adipes. H

Quid ergo eſt quod Salomon ſanctificauit medium atrii offerens ibi holocauſtum & ſacrificium? Propterea quia altare æneum quod iuxta conſtitutionem legis ante fores templi poſitum erat non poterat totum capere, niſi quod Chriſtus ea, quæ in lege propter infirmitatem eius perfici non poterant, nunc in Eccleſia Catholica pleniter gerit: Ipſa eſt enim atrium domus Domini: quia per ipſam ingreſſus patet in templum Domini in Hieruſalem cæleſtem. Quod ergo holocauſta & ſacrificia omnia in altari typico veteris teſtamenti non potuerunt offerri, eo quod omnia ibi figuraliter fiebant, Rex noſter & ſacerdos erexit nouum altare fidei in Eccleſia Catholica, in quo pinguia holocauſta & Sacrificia acceptabilia quotidie ſpiritualiter Deo offeruntur. Hinc eſt quod Domi-

A nus reprobans vetus ſacrificium per Prophetam ait: *holocauſta & ſanguinem victimarum nolui.* & item in Pſalmis. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Proinde ſuperius ſcriptum eſt quod Rex Salomon & vniuerſus cætus Iſrahel & omnes qui fuerant congregati ante arcam immolarent arietes & boues abſque vllo numero: quia quicquid electi Dei, qui ſunt membra regis in bona operatione ac congrua gubernatione ſuimetipſius ſuorumq; agunt totum Deo acceptabile conſtat eſſe ſacrificium.

Eſa 1.v.11. Pſal 49. v. 23.

Fecit ergo Salomon ſolemnitatem in tempore illo VII. *diebus & omnis Iſrahel cum eo, Eccleſia magna valde ab introitu Emath vſq; ad torrentem Ægypti*, &c.

Quod dicitur quia fecit Salomon feſtiuitatem celebrem & omnis Iſrahel cum eo multitudo magna ab introitu Emath, vſq; ad riuum Ægypti coram Domino, per introitum Emath ſeptentrionalem terræ repromiſſionis plagam, per riuum ſiue torrentem Ægypti quæ verba dierum nominant, deſignat auſtralem. De quibus aliqua Latinis ex verbis ſancti Hieronymi ponere gratum puto eſſe B lectori. Scriptum eſt in libro Numerorum in quo omnis terra repromiſſionis per quatuor plagas breui ſermone diuiditur. *Pars Meridiana incipiet à ſolitudine Sin, quæ eſt iuxta Edom, & habebit terminos contra Orientem mare ſalſiſſimum qui circumibunt Auſtralem plagam per aſcenſum Scorpionis: ita vt tranſeant in Senna & perueniant à Meridie vſq; ad Cades-Barne, vnde egredientur confinia ad villam nomine Adar & tendent vſque ad Aſemona. ibitque per gyrum terminus ab Aſemona vſque ad torrentem Aegypti, & maris magni littore finietur.* Pro quo in vltima viſione Prophetæ Hezechielis ita dicitur. *Plaga autem Auſtralis Meridiana à Samar vſque ad aquas contradictionis Cades, & torrens vſque ad mare magnum*, quod ſignificat latiſſimam ſolitudinem Sin, quæ eſt iuxta Edom & in mari rubro terminum circumire, & per aſcenſum ſcorpionis & per Senna & Cades-Barne, & atrium ſiue villam Adar & Aſemona peruenire vſque ad torrentem Ægypti, qui iuxta vrbem Rinocoluram mari influit. Hic verò terminus plagæ auſtralis incipit à Thamar, quæ vrbs in ſolitudine eſt, quam & Salomon miris C operibus extruxit & hodie Palmira nuncupatur. Hebræoque ſermone Thamar dicitur quæ in lingua noſtra Palmam ſonat, vſque ad aquas contradictionis Cades, quam in deſerto eſſe non dubium eſt, & torrens ingrediens mare magnum hoc, quod Ægypti Paleſtinæq; prætendit littoribus. Sequitur in libro Numerorum. *Plaga autem Occidentalis à mari magno incipiet & ipſo fine clauditur.* hoc eſt, à mari vſque ad mare, à torrente videlicet Rinocoluræ qui in mare influit, vſque ad eum locum vbi eſt Emath vrbs Siriæ, cuius in hac plaga & nomen poſuit Ezechiel *Et plaga maris, mare magnum à confinio per directum, donec venias Emath*: quæ nunc Epiphania nominatur, ab Antiochio crudeliſſimo tyrannorum nomine commutato: nam cognomentum habuit Epiphanes. *Porro ad Septentrionalem*, inquit *plagam à mari magno termini incipient per uenientes vſque ad montem altiſſimum, à quo venians in Emath vſque ad terminos Sedada: ibuntque confinia vſque ad Zephrona & villam Enan. Hi erunt termini in parte Aquilonis.* Dicunt Hebræi Septentrionalem plagam incipere à mari magno quod Palæſtinæ, Phœnicis, & Syriæ quæ appellatur Cœle, Ciliciæq; prætendit littoribus & per Aegyptum ten- D dit ad Lybiam. Quod autem dicit peruenientes terminos vſque ad montem altiſſimum, idem Hebræi autumant vel Amanum montem ſignificare, vel Taurum, quod nobis videtur verius. Ibuntque inquit confinia vſque ad Zephrona. Quamobrem hodie Zephium oppidum Ciliciæ vocant. Quod autem ſequitur & villam Enan, pro quo in Hebræo ſcriptum eſt, Haſerenan quod interpretatur atrium fontis. terminus eſt Damaſci. Vnde dicit Hezechiel. *Et erit terminus à mari vſque ad atrium Enon ſiue Aſez terminus Damaſci, & ab Aquilone ad Aquilonem terminus Emath, plaga Septentrionalis. Inde metabuntur*, inquit, *fines contra Orientalem plagam de villa Enan vſque Sephama, & de Sephama deſcendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde peruenient contra Orientem ad mare Cenereth, & tendent vſque ad Iordanem, & ad vltimum ſalſiſſimo clauden-*

Num. 34.

Ezech. 47. v.19.

Num 34. v. 7.8.9.

Num 34. v.10.

E *tur mari.* A fine ergo Septentrionalis plagæ, hoc eſt, atrio Enan, tendunt fines vſque ad Sephama, quam Hebræi Aphamiam nominant, & de Aphamia deſcendunt termini in Rebla quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et vt ſcias Reblam hanc ſignificare vrbem, quæ nunc in Cœle Syria nobiliſsima eſt, ſequitur *contra fontem* quem perſpicuum eſt ſignificare Daphnon, de quo fonte ſupra dicta vrbs aquis abundantiſſimis fruitur. *Inde*, inquit, *peruenient termini contra Orientem ad mare Cenereth*, id eſt, ad ſtagnum Tiberiadis.

Mare autem dicitur cum habeat dulces aquas iuxta idioma Scripturarum, quæ congregationes aquarum appellant maria. *Et tendent*, inquit, *vſque ad Iordanem & ad vltimum claudentur mari*, vel mortuo vel vt alii putant lingua maris rubri, in cuius littore Ahila poſita eſt. Quod autem dicitur, feciſſe Salomonem ſolemnitatem in tempore illo VII. diebus, & omnem Iſrahel cum eo Eccleſiam magnam valde, ab introitu Emath vſque ad torrentem Aegypti, feciſſeque die octauo collectam eo quod dedicaſſet altare VII. diebus & ſolemnitatem celebraſſet F diebus VII. ſicque die viceſimo tertio menſis ſeptimi dimiſerit populum in tabernacula ſua; non puto aliud hic velle intelligi, niſi quod expletis diebus VII. dedicationis templi, ſubſecuti ſunt ſcenopegiæ quæ à XV. die menſis ſeptimi ſecundum legem inchoabant & in die viceſima ſecunda finiebantur. Vtriſque ergo feſtiuitatibus ritè peractis, & ſcenopegiarum octaua die finita, dimiſit Rex Salomon ad ſua lætantes, atque gaudentes ſuper bono, quod fecerat Dominus Dauid & Salomoni, & Iſrahel populo ſuo. Cui ſenſui videtur Ioſephus ſuffragari ita dicens. Dimiſit ergo Salomon Eccleſiam, cum ſacrificia celebraſſet pro ſe & pro vniuerſis Hebræis, id eſt, vitulos quidem XX. duo millia. oues autem CXX. millia. Tunc enim prius in templo ſacrificia celebrata ſunt, & in eo epulati ſunt omnes Hebræi cum vxoribus ſuis & filiis, inſuper etiam & feſtiuitatem quæ vocatur Scenopegia faciens ante templum clarè nimis & magnificè diebus XIV. Rex cum omni populo ſuo pariter epulatus eſt. Cumque hæc fuiſſent ſufficienter exhibita, nihilque deeſſet circa pie- G tatis diuinæ culturam dimiſsi à Rege ſinguli ad propria remearunt, agentes gratias regi propter prouidentiam quam habuiſſet, & opera quæ feciſſet: & orantes Dominum vt eis regem præberet longæuo tempore Salomonem, abibant reuertentes cum gaudio ſublimiter, & cum delectatione hymnos decantantes, ita vt ea iucunditate ſine labore ad propria remearent. Myſticè autem hic quod Salomon completo opere templi feſtiuitatem celebrem fecit, & omnis Iſrahel cum eo multitudo magna ab introitu Emath vſque ad riuum Aegypti coram Domino Deo. Significat æternum gaudium ſanctorum quod cum Rege ſuo vero videlicet, pacifico, perpetualiter habent. Nec enim loca ipſa quibus termini terræ Iſrahel deſcripti ſunt, Emath videlicet & riuus Aegypti huic ſignificationi contradicunt. *Emath enim* interpretatur Domini veritas: & riuum ſiue *torrentem Aegypti* quem melius intelligere poſſumus quam mortem temporalem? Quia hanc in Aegypto, id eſt, in tenebris iſtius mundi conſiſtens nullus euadere poteſt. Propheta atteſtante qui ait: *Quis eſt qui viuit & non videbit mortem?* Vnde de ipſo mediatore Dei & hominum in Pſalmo ſcriptum eſt. *de torrente in via bibit propterea exaltauit caput.*

Pſal. 88.49. H *Pſal. 109.*

Torrens fuit turbulenta perſecutio Iudæorum. de qua Dominus Chriſtus bibit in via, id eſt, in hac vita dum corpore pertulit, & cum in via dicitur, illata vis oſtenditur, & velociſsimus tranſitus indicatur, per quam itinerantes vehi ſolent ad aliam manſionem: CHRISTO enim propter glorioſæ meritum paſsionis *datum eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen vt in nomine eius omne genu flectatur cæleſtium terreſtrium & infernorum.* Omnis ergo Iſrahel à riuo Aegypti vſque Emath feſtum celebre cum Salomone faciunt. quando ſancti poſt finem præſentis vitæ veraciter æternis gaudiis cum Domino Chriſto perfruuntur. Quod autem ſeptem &

Philip. 2.

Digitized by Google

A ſeptem diebus eandem feſtiuitatem celebrant, ſignificare poteſt quod electi per ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam illuminati & modo in hac vita, quæ ſeptenario numero dierum diſcurrit, gaudent in ſpe; & tunc in Sabbato vero, hoc eſt in futura animarum requie gaudent in ipſius veritatis perceptione.

Igitur in die viceſimo tertio, menſis ſeptimi dimiſit populos ad tabernacula ſua lætantes atque gaudentes ſuper bono, quod fecerat Dominus Dauid & Salomoni, & Iſrahel populo ſuo.

Bonum fecerat Dominus Dauid quia dimiſſo peccato ipſius quod commiſit in Vriam Ethæum regnum conceſſit illi in ſempiternum: bonum fecit & Salomoni, quia illum quem de vxore alienigena natum lex prohibebat Eccleſiam Dei intrare, non ſolum introire permiſit; ſed etiam regno ſublimauit. Bonum fecit & Iſraheli populo ſuo, cui poſt tantam multitudinem præuaricationum qua Domini mandata contemnendo ſæpè tranſgreſſi ſunt, templum magnificentiſſimum pro cultu ſuo habere permiſit: & requiem de hoſtibus vndique non paruo tempore conceſſit, donec peccatis priſtinis noua adiicientes vindictam meritam iuſte perceperunt. B Quod autem dicitur, quia in die viceſimo tertio menſis ſeptimi hoc eſt per octauam ſcenopegiæ ſolennitatis diem vt in libro regum dicitur dimiſſus ſit populus à Salomone ire in tabernacula ſua, ſignificat poſt finem iſtius vitæ poſtque ſabbatiſmum animarum ſanctarum, quæ nunc quieſcunt ante diem iudicii, in octaua ætate hoc eſt in die Reſurrectionis ſanctos recepturos corpora immortalia & in manſionibus cæleſtibus quoſque ſecundum meritorum qualitates collocandos. Vbi ſemper alacri corde lætantur gaudentes & laudantes Dominum ſuper omnibus bonis. quæ in Domino Chriſto Pater omnipotens contulit populo Chriſtiano.

CAPVT VIII.

Expletis autem XX. annis poſtquam ædificauit Salomon domum Domini & domum ſuam, ciuitates quas dederat Hiram Salomoni ædificauit, & habitare ibi fecit filios Iſrahel.

C Quid eſt quod dicitur Hiram dediſſe Salomoni ciuitates quas ipſe Salomon ædificauerit & habitare fecerit ibi filios Iſrahel, cum in libro Regum magis narretur, quod non Hiram Salomoni, ſed Salomon Hiram xx. oppida in terra Galilæa dediſſet? 3. Reg. 9. Vnde *egreſſus eſt Hiram de Tyro vt videret oppida quæ dederat ei Salomon. Sed non placuerunt ei & ait hæcine ſunt ciuitates quas dediſti mihi frater & appellauit eas terram Chabul vſque ad diem hanc.* Hanc ergo Hebræi ita ſoluunt quæſtionem, vt dicant ipſas xx ciuitates quas dederat Salomon Hiram regi non acceptas fuiſſe ab eo, ſed magis ſpretas. Vnde Salomon quod Hiram eas habere noluit, propriis vtilitatibus deputauit.

Et ædificauit Salomon Palmiram in deſerto & alias ciuitates munitiſſimas ædificauit in Emath.

De hoc Ioſephus ita narrat. Cumque Rex Salomon videret muros pro munimine turribus indigere, aliaque tuitione: nam ſecundum ciuitatis meritum oportebat etiam copioſam eſſe munitionibus murorum: hæc effecit & turribus ciuitatem præcipuis valdè circumdedit. Et poſt pauca: pergens in deſertum ſuperioris Syriæ, eamq; D capiens conſtituit ibi ciuitatem maximam duorum dierum itinere à Syria ſuperiore diſtãtem, ab Euphrate verò vnius, & maxima Babilone ſex manſionibus procul abſtantem. Quod autem hæc ciuitas à partibus habitabilibus Syriæ ita deſtitit, hæc cauſa eſt. quod in inferiore terra, aqua nuſquam inuenitur, in illo autem loco ſolummodo fontes & putei nimis abundarent. Hanc itaque ædificans ciuitatem & muris eminentiſſimis eam circumtegens, Thadamur appellauit, & hactenus apud Syrios ita dicebatur, quam Græci Palmiram vocant.

Extruxitque Bethoron ſuperiorem & Bethoron inferiorem ciuitates muratas, habentes portas & vectes & ſeras. Balaad etiam & omnes vrbes firmiſſimas quæ fuerunt Salomonis.

Bethoron ciuitas eſt ad quam vſque Ioſue perſecutus eſt inimicos reges, quæ cecidit in ſortem filiorum Ioſeph. id eſt, Ephraim. E Sunt autem duo vici duodecimo ferme ab Elia lapide Nicopolim pergentibus; propter ſitum vnus dicitur Bethoron ſuperior, quem ædificauit Salomon, & alius Bethoron inferior datus leuitis in poſſeſſionem. Balaad autem ciuitas eſt in tribu Iuda. Præterea aliæ ciuitates ſimili modo in libro Regum conſtructæ à Salomone narrantur, hoc eſt Ezer, Mageddo, & Gazer, necnon & Mello: quæ omnes per nominis ſui myſterium ſanctæ Eccleſiæ monſtrant decorem, quam verus Salomon in iucunditate regni ſui ad laudem & ſempiternam lætitiam ſibi præparauit. Interpretatur autem Mello adimpletio. Ezer ſeparatus vel ſanctificatus. Mageddo cænaculum eius. Gazer præciſio vel diuiſio. Bethoron domus montium & Balaad aſcendens interpretatur. Sancta ergo Eccleſia ciuitas Dei viui eſt, vbi impletur quotidiè Dei voluntas, hæc ſeparata ab omni errore infidelium ſanctificata eſt in fide & bonis operibus, ibi refectio virtutum eſt, hæc diſcernit mundum ab immundo, virtutes à vitiis: & domus eſt montium, id eſt, habitatio ſanctorum, & fructu iuſtitiæ ſicut palma florens aſcendit de virtute in virtutem, vt videat Deum Deorum in Sion. F Omnes vicos qui ad ſe pertinebant & qui erant abſq; muro muniuit Salomon: quia Chriſtus cœtus fidelium ſuorum gratiæ ſuæ protectione ita muniuit, vt hoſtibus ſpiritualibus ſemper inſuperabiles exiſterent.

Omnia quæcunque voluit Salomon atque diſpoſuit, ædificauit in Hieruſalem & in Libano & in vniuerſa terra poteſtatis ſuæ.

Quod hic dicitur in Libano vel templum ſignificat quod cedrorum decore veſtitum erat ſimul & auri laminis in ea confixis. iuxta illud quod in Zacharia ſcriptum eſt. *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* Vel cætera ædificia regia quæ ſimiliter lignis cedrinis à Libano ductis ædificata erant, vt fuit armamentarium domus Zach. 11. ſaltus Libani, & alia nonnulla. Cui ſenſui concordare videtur Ioſephus, qui de ædificiis Salomonis taliter refert. Difficile namque eſt enumerare magnitudinem & varietatem domuum, aularumque regalium, quanta erant maxima & quanta horum inferiora & quanta ſub terra, quæ videri non poterant: nec non & pulchritudinem ſolariorum & viridariorum quæ erant facta delectabiliter ad aſpectum, quo exuſta corpora poſſent ab æſtus ardore refugere. Et vt breuiter dicam, totam regiam domum ex G lapide albo & cedro & auro & argento ſplendido nimis & opulentiſsimè inſtruxit: cameras & parietes veſtiuit auro, & quomodo Dei templum reſplendens exhibuit. Myſticè autem omnia quæ Salomon noſter voluit atque diſpoſuit, ædificauit in Hieruſalem & in Libano & in vniuerſa terra poteſtatis ſuæ. quia omnia in cæleſtibus atq; terreſtribus ſecundũ nutum propriæ voluntatis diſponit atq; diſpenſat. de quo in Pſalmo ſcriptũ eſt. *Omnia quæcũq; voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus* Pſal. 134. *abyſſis*, nec eſt qui poſsit reſiſtere voluntati eius: quia Dominus vniuerſorum ipſe eſt, & in nomine eius flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, atque infernorum, & Philip. 2. omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in in gloria eſt Dei patris. regnabit in æternum & in ſeculum & adhuc, & regni eius non erit finis.

Omnem populum qui derelictus fuerat de Hethæis & Amorrhæis, &c. qui non erant de ſtirpe Iſrahel: de filiis eorum & de poſteris quos non interfecerant filij Iſrahel, ſubiugauit Salomon in tributarios vſq; in diem hanc. Porrò de filiis Iſrahel non poſuit vt H *ſeruirent operibus regis: Ipſi enim erant viri bellatores & primi duces & principes quadrigarum & equitum eius.*

Vniuerſum populum qui non fuerit de filiis Iſrahel facit pacificus noſter tributarios: cum eos qui non ſunt in filiorum numero ſed in ſeruili conditione poſiti in poteſtate ſua continet, & ſingulis vtitur ad proprium ſeruitium. Siue enim Iudæi ſiue gentiles ſiue hæretici in eius dominatione conſiſtunt, quia ipſe vniuerſorum dominator eſt, & eis vtitur ad ſuam voluntatem. in cuius voluntate ſunt vniuerſa poſita. Tales licet in multis aduerſentur; tamen frequenter vſibus ſeruiunt Eccleſiæ, cum in præſenti tempore neceſſaria tribuunt, & de rebus ſuis ſolatia præbent. De filiis autem Iſrahel, hoc eſt, qui non ancillæ filii ſunt; ſed liberæ, quos ipſe filius Dei ſan-

Digitized by Google

A guine ſuo liberauit, non conſtituit Salomon noſter ſeruire quenquam, quod neminem cogit ritu Gentilium viuere, neminem ceremonias veteris legis temporibus noui teſtamenti ſeruare; ſed viros bellatores eſſe, qui contra ſpirituales nequitias ſcuto fidei & gladio Spiritus dimicent, & miniſtros ſuos fieri, hoc eſt, ſpeciale obſequium in bonis operibus ſibi præbere, & Principes & Duces, ſcilicet vt benè ſibi principentur, & carnis laſciuiam doment: ſiue vt ſubditos ſibi bene regant, & in ſemitam iuſtitiæ ducant.

Omnes autem Principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta qui erudiebant populum.

Conſtat ergo numerum centenarium qui in computo digitorum de læua transfertur in dexteram nonnunquam in Scripturis vitæ cœleſtis habere figuram. Quæ ſicut dextra læuæ, ita merito vitæ præfertur præſenti, cuius nimirum numeri frequens in diuinis litteris myſterium reperitur. ædificationem arcæ Noe centeſimo anno compleuit, quia ſanctam Eccleſiam quam in hac interim vita ædificat, Dominus in futura perficiet. Abrahæ cen-
B tenario filius promiſſionis naſcitur Iſaac, quia nimirum benedictio hæreditatis, quæ in ſemine eius omnibus familiis terræ promittitur; in futura cœleſti Patria reddetur. Centum annos peregrinatur ipſe in terra repromiſſionis, quia qui filii Abrahæ per fidem efficimur, in ſpe ſupernæ hæreditatis debemus peregrinam in præſenti Eccleſia ducere vitam. Seuit Iſaac in Geraris, quod interpretatur incolatus, & inuenit ipſo anno centuplum, quia quæcunq; filii promiſſionis in hac vita peregrinantes bona operamur, mox egreſſi de corpore in celeſti vita recipiemus.

In qua figura & ſemen Euangelici ſermonis, quod in bonam terram cecidit, exortum fecit fructum centuplum, quia qui temporalia bona propter Chriſtum & propter Euangelium relinquit, centuplum accipit in præſenti, & in ſæculo futuro vitam æternam, id eſt, gaudium fraternæ Societatis nunc in ſpe vitæ cœleſtis, & tunc in re ipſam vitam regni cœleſtis. Quinquagenarius ergo numerus Remiſſionem peccatorum, & requiem æ-
C ternam, ac gratiam Spiritus ſancti ſignificat: quia in Pſalmo eiuſdem numeri pœnitentia, confeſſio, & remiſſio deſcripta eſt peccatorum, & per iubilæum requies futura expleta, atque per pentecoſten in aduentu Spiritus paracliti ſeptiformis gratia eſt expreſſa. Conſtituit ergo Salomon noſter ducentos quinquaginta Principes ſuper totum exercitum ſuum, quia ex vtroque populo elegit paſtores atque rectores Eccleſiæ, qui per gratiam Spiritus ſancti illuminati atque plene edocti, Remiſſionem peccatorum impetrandam, vitamque æternæ quietis & beatitudinem perpetuam appetendam ſuos quotidiè ſalubriter inſtituebant, & vt ad illam peruenirent, per progreſſum bonorum operum in fide recta, toto niſu laborabant.

Tunc obtulit Salomon holocauſta Domino ſuper altare Domini quod extruxerat ante porticum, vt per ſingulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moyſi, in Sabbatis, in Kalendis, & in feſtis diebus, ter per annum, id eſt, in ſolemnitate azimorum, & ſolemnitate hebdomadarum & in ſolemnitate tabernaculorum. Et conſtituit iuxta diſpoſitionem Dauid Patris ſui officia ſacerdotum in miniſteriis ſuis, & Leuitas in ordine ſuo, vt laudarent &
D *miniſtrarent coram ſacerdotibus iuxta ritum vniuſcuiuſque diei.*

Offert pacificus noſter per membra ſua, in altari fidei Catholicæ, quod conſtruxit in Eccleſia ſua ante ingreſſum cœleſtis Patriæ, holocauſta bonorum operum Domino per ſingulos dies, hoc eſt, per omne tempus præſentis vitæ, vſque ad conſummationem videlicet ſæculi. Offert & in Sabbatis & in Kalendis, & in feſtis diebus: ter per annum, cum pro æterna quiete, & nouitate vitæ futuræ, & pro cœleſtis gaudii perceptione in ſanctæ Trinitatis fide, quicquid acceptabile ac gratum diuino arbitrantur conſpectui, pia intentione ac ſumma deuotione totum exhibet. holocauſtum ergo, totum incenſum dicitur: nam holocauſtum crematur in altari, cum in corde cuiuſcunque electi, qui ſe ipſum totum, &

E carne videlicet & corde Deo vouerat, opus bonum feruente charitatis igne patratur. Ordinat præterea Rex noſter officia ſacerdotum ac miniſteria Leuitarum ſecundum diſpoſitionem Dauid Patris ſui, cum ſecundum id, quod in lege & Prophetis de eo ſcriptum eſt, iuxta ritum vniuſcuiuſque diei, hoc eſt, iuxta congruentiam atque conuenientiam cuiuſque temporis, ita omnia in Eccleſia ſua diſponit atque diſpenſat, quatenus vnuſquiſque ordo officio ſuo functus diuinum ſeruitium atque miniſterium ritè & ſecundum ordinem peragat: quomodo autem iuxta ritum vnuſcuiuſque temporis dignè diuinum officium per aptas perſonas adimpleatur, ſolus ille nouit in cuius manu omnia conſiſtunt tempora, necnon & hi qui deſeruiunt tempori: hic ſolus habet immortalitatem & lucem habitat inacceſſibilem, ſancta Deus Trinitas, regnans per omne ſæculum. Ipſe enim per Doctores Apoſtolicos, atque per idoneos miniſtros noui Teſtamenti, qui non littera ſolum, ſed Spiritu Dei viui ſunt edocti, ſecundum diſpoſitionis ſuæ inenarrabilem modum ordinat, quando & quomodo firren ibus
F Chriſtianæ Religionis perſecutoribus, per conſtantiam fidei, & fortitudinem prædicatorum reſiſtatur: quomodo & quando hæreticis inſanientibus, erroris ſui nequitia per Catholicorum magiſtrorum prudentiam illis improbetur atque obſiſtatur: necnon & qualiter in tempore oportuno deuotis auditoribus moralis inſtitutio, ac ſpiritualis ſcientiæ intellectus ad correctionem vitæ atque eruditionem ſenſus, per ſtrenuitatem atque ſolertiam ſpiritualium magiſtrorum ſalubriter impendatur. Sicque omnia agit ſecundum nutum, conſilium ac ſapientiam ſuam, vt ratio diſpenſationis exhibeatur, & electi populi ſaluatio miſericorditer compleatur.

Tunc abiit Salomon in Aſiongaber & in Ahilath ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom. Miſit autem ei Hiram per manum ſeruorum ſuorum naues & nautas gnaros maris, & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem.

Aſiongaber fertur eſſe inſula haud procul ab Ahila in rubro mari, vbi claſsis Ioſaphat vi tempeſtatis attrita eſt.
G Ophir autem nomen eſt prouinciæ, ex Ophir vno de poſteris Heber nominata, ex cuius ſtirpe venientes à fluuio Cophne vſque ad regionem Iudeæ quæ vocatur Hieria, habitaſſe referuntur, vt Ioſephus narrat. Claſſem itaque quam fecit Salomon in Aſiongaber, quæ feſtinantes aut fortes ſiue viriliter interpretatur, non aliam eſſe puto quam Eccleſiam fidelium, quæ in mari iſtius mundi poſita, ſtudium impendit, theſauros ſapientiæ & ſcientiæ opeſq; virtutum acquirere. Ibi ſunt ſerui Salomonis, dum Gentiles ſeculari ſapientia eruditi, cum his qui in lege Moyſi periti ſunt in vnitate fidei ſociantur. Hos ergo Salomon noſter in Ophir quæ interpretatur infirmans, mittit, vt ſumptum inde aurum ad ſe deferant, cum in vilitate litteræ, ſenſum pretioſum iubet quærere, & ſic acceptam ſummam quadringentorum quinquaginta talentorum auri ad Regem deferunt, cum ſenſum pretioſum hiſtoriæ, allegoriæ, tropologiæ, atque anagogen in diuinis libris per gratiam Spiritus ſancti inueniunt, & eum ſapientiæ & conſilio diuino aſſcribentes tribuunt.

H

Caput IX.

Regina quoque Saba cum audiſſet famam Salomonis, venit vt tentaret eum in ænigmatibus in Hieruſalem, cum magnis opibus, & camelis qui portabant aromata, & auri plurimum gemmaſq; pretioſas.

Saba eſt ciuitas regalis Æthiopiæ, quam Ioſephus à Cambiſe Rege Meroen cognominatam ex ſororis vocabulo refert. Regina autem Auſtri, quæ à finibus extremis excita veniens, Salomonis audire ſapientiam concupiuit; iam tunc venturam de gentibus Eccleſiam, deſiderantem Chriſtum figurabat, quæ iuxta Prophetiam circumamicta varietate in veſtitu deaurato, & populi ſui, & paternæ domus oblita currebat, barbara gente non a-

A nimo. quæ in aperto peregrina fuit, ſed in occulto ſanctorum fieri ciuis optabat. Vnde non ſolum cœleſti premio Reſurrectionis beata; ſed etiam poteſtate Apoſtolica de Iudæis adulteris iudicandis ipſius ore iudicis digna cenſetur: quia Chriſtum in Salomone mirata verum regni cœleſtis affectum, imagine myſtica Eccleſiæ prouidentis impleuerat.

Quod autem dicitur hæc mulier Regina eſſe Saba, per ipſius nominis ſignificantiam conuerſionis ſuæ exprimit virtutem: Saba enim conuerſio, vel captiuitas interpretatur, quia veraciter ad fidem Chriſti conuerſa ad eius captiuitatis ſortem meruit pertinere, de quo ſcriptum eſt: (Epheſ. 4) *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*

Hæc in camelis apportabat vero Salomoni aromata, & aurum, & gemmas precioſas, cum Gentiles ad Chriſti fidem adducebat fortitudine peccatorum deformes; ſed tamen ingenio ac ſtudio florentes, habileſque dono diuino ad percipiendum diſpenſantibus ſanctis prædicatoribus fulgorem ſapientiæ, aromata bonæ famæ, gemmaſque precioſas multiplicium virtutum, quibus omnibus cultu celebri honorabat Salomonem noſtrum, imo honorata ab eo maiorem gratiam ſpritualis muneris ipſo tribuente percepit. Vnde poſt pauca in ſequentibus ſcriptum eſt: *Rex Salomon dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit & quæ poſtulauit, multo plura quam attulerat ad eum.* quia & in præſenti vita gratiam Spiritus ſancti cum dono ſapientiæ atque virtutum ei contulit, & in futuro in conſpectu gloriæ ſuæ vitam largietur æternam.

Cumque veniſſet ad Salomonem, locuta eſt ei quæcunque erant in corde ſuo, & expoſuit ei Salomon omnia quæ propoſuerat, nec quicquam fuit quod ei perſpicuum non fecerit.

Sciſcitatur Eccleſia à Rege Chriſto diſcere volens omnia quæ in corde ſuo cogitabat, ſibi eſſe ſalubria atque neceſſaria, hoc eſt, fidei quærens ab eo veritatem, ſanctæ religionis rectitudinem, & vitæ futuræ beatitudinē, qualiter in hoc mundo eius cultui per omnia fideliter deſeruire, & in cœleſti regno ipſius contemplatione æternaliter perfrui poſſet. C Cui omnia quæ ſcire deſiderabat per Legis ſuæ notitiam, ac Spiritus ſancti gratiam manifeſta faciebat: nec quicquam eſt quod non ei perſpicuum fecerit, quod hic ex parte aliqua cognoſcere, & in ænigmate quędam videre ac prægustare cęleſtis gaudii bona concedit; ibi vero cognitionem perfectam tribuet, quando videbit facie ad faciem, & cognoſcet ſicut & cognita eſt. De cuius cognitionis perfectione ipſa veritas in Euangelio pro diſcipulis ad Patrem loquens ait. (Ioan. 17) *Pater iuſte, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt quia tu me miſiſti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.*

Quæ poſtquam vidit ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, nec non cibaria menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, & victimas quas immolabant in domo Domini, non erat præ ſtupore vltra in ea Spiritus. Dixitque ad Regem. Verus ſermo quem audieram in terra mea de virtutibus & ſapientia tua. Non credebam narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei, & probaſſem vix medietatem mihi ſapientiæ tuæ fuiſſe narratam. Viciſti famam virtutibus tuis. Beati viri tui, & beati ſerui tui hi qui aſſiſtunt coram te omni tempore & audiunt ſapientiam tuam. Sit D *Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum regem Domini Dei tui.*

Hæc quidem verba benè conueniunt ſanctæ Eccleſiæ quæ auditis miraculis Chriſti prouocata eſt ad quærendum eum. Sed poſtquam ad ipſum peruenit per baptiſmum & fidem, conſideratis ſanctæ Scripturæ teſtimoniis, diuinitatis eius potentiam agnoſcens, parum ei videbatur eſſe omne quod ſibi antea de eo narratum eſt, in comparatione perceptæ gratiæ. Vnde & admirando in laudem eius erumpit dicens, beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam, &c. His quoque ſimilia & Pſalmiſta in deſiderio regni cœleſtis exardeſcens, ex perſona ſanctorum protulit dicens: (Pſal. 83) *quam amabilia ſunt tabernacula tua Domine virtutum,* E *concupiſcit & defecit anima mea in atria Domini, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et paulo poſt: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te.* Illi ergo Beati & verè Beati ſunt, quorum Rex eſt Chriſtus, & qui æterna viſione eius perfrui merentur, & gloriam eius quam cum Patre & Spiritu ſancto conſpicere, & ſapientiam per quam ipſe mundus corde dignatur ſe oſtendere perpetualiter percipere lætantur. Sicq; probabunt verum eſſe hoc quod ſcriptum eſt: quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

Sed & ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir & ligna Thyina, & gemmas precioſiſſimas, de quibus fecit Rex de lignis ſcilicet Thyinis, gradus in domo Domini, & in domo Regia, citharas quoque & pſalteria cantoribus. Nunquam viſa ſunt in terra Iuda ligna talia.

Hoc in libro Regum ita ſcriptum eſt. (3. Reg. 10) *Fecit Rex Salomon de lignis Thyinis fulcra domus Domini & domus Regiæ, & citharas liraſque cantoribus. Non ſunt allata huiuſcemodi ligna Thyina, neque viſa vſque in præſentem diem.* F De quo Ioſephus ita narrat. Eodem verò tempore delata ſunt Regi à terra, quę vocatur aurea, lapides pretioſi & ligna pinea, quibus vſus eſt ad fortitudinem templi, domuumq; regalium, & ad inſtrumenta muſicorum. Fecitque ex eis citharas & nabla, vt dicerent hymnum Deo, Leuitæ. Omnium verò rerum quæ fuerunt aliquo tempore Regi delata, ea quæ illo die deuecta ſunt, magnitudinem & pulchritudinem præcellebant. Nullus ergo arbitretur, quia ligna pinea, quæ nunc propter precia vendentium ſic appellantur, illis vicina ſint; Illa ſiquidem viſione rotunda quaſi pinea ſunt, ſed multo candidiora & valde fulgentia, hoc autem dixi, vt nullus naturam veræ pinus ignoraret. Benè autem dicitur, quod Rex Salomon de lignis precioſis nimis, fecerit fulcra ſiue gradus domus Domini, & domus regiæ, & citharas liraſque cantoribus: quia conditor noſter ligna precioſa, hoc eſt, Doctores ſanctos, quorum viror fidei nunquam areſcit, nec folia verborum decidunt, ſed qui fructum bonorum operum reddunt temporibus ſuis, ad munimen domus Domini, & domus regiæ, hoc eſt, ad confirmationem Eccleſiæ ſuæ ponit, vt G eorum vndiq; vallata doctrinis atque exemplis, ruinam errorum & ſcelerum non ſentiat. Taleſque viri meritò quaſi citharæ & liræ ad laudandum Dominum fabricati dicuntur, quia omnia quæcunque fecerint proſperabuntur, & laudem Domini inter aduerſa & proſpera corde, ore, ſimul & opere pronunciare non ceſſant. Hi ſecundum Apoſtolum, quicquid agunt aut in opere, omnia in gloriam Dei faciunt, De quibus ex perſona Domini per Prophetam dicitur, *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes tota die & tota nocte non tacebunt* (Eſa. 62) laudare nomen Domini.

Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri, excepta ea ſumma quam legati diuerſarum gentium & negotiatores afferre conſueuerant, omneſq; reges Arabiæ, & Satrapæ terrarum comportabant aurum & argentum Salomoni.

Quid autem ſignificat pondus auri quod Salomoni deferebatur ſecundum ſenarii numeri qualitatem augmentatum, niſi perfectionem donorum quę regi noſtro à nobis deferenda ſunt? In ſexaginta verò, denarii multiplicatio per ſenarium exſtat & in ſexcentis centenarii H itidem per ſenarium apparet multiplicatio. Denarius mandatorum ſignificat perfectionem, & centenarius æternæ beatitudinis remunerationem. Valde enim deſiderat Rex noſter noſtram perfectionem, vt habeat quos perfecta mercede remuneret. Vnde ipſa veritas in Euangelio ſuis ait. *Eſtote perfecti quia & pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, (Matth. 5) & ad ſcribam interrogantem de æternæ vitæ acquiſitione reſpondit dicens: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* (Matth. 19) Et poſt pauca. *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade vende quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Ad Apoſtolos autem ita ait: *Amen dico vobis quod vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis*

A *& vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrabel, & omnis qui reliquerit vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternã poſſidebit.* Obterunt Salomoni diuerſæ gentes ac negociatores omnes, Reges Arabiæ & Satrapæ terrarum, aurum atq; argentum: quia vnaquæq; gens, & vnaquæque perſona certat pro viribus pacifico noſtro deferre munus rectæ fidei, ſenſus puritatem, plenitudinem ſacræ confeſſionis, atque nitorem conſcientiæ, eum concordia bonorum operum eius ſeruitio ſtudet ſe omni tempore mancipare. Vnde in Pſalterio de eo ſcriptum eſt.

Pſal. 71. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.*

Fecit igitur Rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum aureorum qui in haſtis ſingulis expendebantur; trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſcuta ſingula, poſuitq; ea Rex in armamentario quod erat conſitum nemore.

3. Reg. 10. B De hoc in Regum ita ſcriptum eſt. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo. ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius, & trecentas peltas ex auro probato. Trecenta minæ auri, vnam peltam veſtiebant. Poſuitque ea Rex in domo ſaltus Libani.* Scuta ergo ſimul & haſtæ aureæ, quibus vtebantur, ſicut in ſequentibus oſtenditur, duces qui excubabant ante oſtium domus, quid ſignificant niſi armaturam ſpiritualem quam habent prædicatores cuncti, qui cuſtodiunt domum Dei, & excubant ad oſtium eius? vt callidis inſidiatoribus intercludant aditum, ne decipiant innocentes. De quibus in canticis canticorum ſcriptum eſt.

Cant. 3. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrabel, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi.* quia & præſentis Eccleſiæ quietem ac pacem prædicatores ſancti, contra hæreticorum tuentur incurſus, & internam celeſtis patriæ requiem, perfectiores quique fixa intentione ſpeculantur. Benè autem iterando adiungitur. *ex fortiſſimis Iſrabel*, Iſrahel quippe vir videns Dominum interpretatur. Omnes quidem qui ad diuinæ viſionis gaudia tendunt, rectè Iſrahel nomine cenſentur, ſed fortiſſimi inquit in eis ſunt, vtique illi qui ſiue celeſtis dono ſpeculationis ſublimantur, ſeu prædicationis miniſterium C ritè peragendum ſuſcipiunt. qui & aptè ſexagenario ſunt numero deſignati, quia tales nimirum denarium æternæ retributionis pro perfectione bonæ operationis expectant. *Omnes tenentes gladios*, de quibus dicit Apoſtolus, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritus quod eſt verbum Dei. *Ad bella doctiſſimi*: de quibus idem admonet dicens. Induite vos armaturam Dei vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli; quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates &c. & rectè *doctiſſimi*: quia magna bellandi arte indigent, qui in carne concluſi, in terris poſiti, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus certant. Magna arte, immo magna Dei gratia indigent: cum contra Archangelum tot millibus annorum ad bella exercitatum carnis fragilitas pugnat. Rectè ergo ducentæ haſtæ de ſumma ſexcentorum aureorum ſiue ſiclorum, vt in Regum habetur, factæ ſunt, quia Patres veteris teſtamenti doctrina & operatione perfecti eſſe noſcuntur. cum quicquid ſermone docuerunt, bonis exemplis probauerunt. Necnon & trecenta ſcuta, quorum ſingula trecenti aurei D veſtiebant, perfectam fidem eorum ſignificant, quam in ſanctæ Trinitatis confeſſione habebant. Benè ergo cuſtodes domus Dei haſtas & ſcuta aurea portant: quia ſancti prædicatores qui ſunt Eccleſiæ ſanctæ cuſtodes claritate ſupernæ ſapientiæ ſplendentes, & verborum & factorum iaculis inimicos confodiunt, & ſcuto ſacræ fidei tela nequiſſimi ignea repellentes extinguunt. Quod autem adiungitur. *Poſuit ea in armamentario quod erat conſitum nemore.* id aptè huic myſterio congruit: Armamentarium ergo in quo conduntur arma ſpiritualia, ſancta eſt Eccleſia, in qua diuerſæ ſpecies virtutum ac doctrinarum ſeruantur, quibus fideles benè muniti proteguntur. & hoſtes vniuerſi fortiter expugnantur. Hoc armamentarium dicitur conſitum eſſe nemore. quia diuerſæ hominum

E perſonæ ex variarum gentium nationibus illuc congregatæ, atq; ibidem per fidem Catholicam ſunt conſitæ. ad decorem videlicet ipſius Eccleſiæ, & ad delicias manifeſtandas regis cœleſtis.

Fecit quoq; Rex Solium eburneum grande & veſtiuit illud auro puriſſimo, ſex quoque gradus quibus aſcendebatur ad Solium, & ſcabellum aureum & brachiola duo altrinſecus, & duos leones ſtantes iuxta brachiola: ſed & alios duodecim leunculos ſtantes ſuper ſex gradus ex vtraq; parte. Non fuit tale Solium in vniuerſis regnis.

Solium ergo quod Rex Salomon fecit benè Eccleſia ſancta intelligitur, in qua pacificus noſter regnans iudicia ſua facere dignoſcitur, quia anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Et benè de ebore illud factum eſſe memoratur, quod non ad ſolas diuitias intelligamus aptatum, ſed quoniam elephas cuius hæc oſſa ſunt, nimiæ ſanctitatis aſſeritur, qui inter quadrupedia & ſenſu plurimum valet, & inter bruta miſcetur fœminæ vnicæ & coniuge ſecunda non vtitur.

F Hoc pudicis animabus decenter aptatum eſt, quod illæ eburneæ fuiſſe noſcuntur, quæ per caſtitatem Chriſti Domini præcepta ſecutæ ſunt. Hanc veſtiuit auro fuluo nimis quia ſplendorem gloriæ ſuæ in ea clareſcere fecit. eum per ſigna & miracula maieſtatis ſuæ potentiã oſtendit. Habebat autem thronus iſte ſex gradus: Quid per ſenarium numerum niſi bonorum operum perfectio deſignatur? ſex diebus perficit Deus mundi ornatum, & ſeptimo requieuit ab operibus ſuis. Siquidem & ſenarius numerus primus eſt numerus, qui ſuis partibus perfectus eſſe dignoſcitur: habet enim medietatem trium tertiam partem duorum, ſextam vnius. Vnum vero, duo & tria ſex efficiunt. Igitur quia ſex ætatibus mundus conſtat, in quibus licet operari, quiſquis ad cæleſtem patriam peruenire deſiderat, bonis operibus aſcendere feſtinet: quia niſi bonis actibus aſcendatur, illuc minime peruenietur. Quod autem dicitur ſcabellum aureum eſſe in Solio, ſcabellum aureum poſſumus intelligere ſanctos & religioſos homines, & virtutum fulgore ſplendentes, in quorum cordibus diuina dignatur inhabitare maieſtas. Vnde Dominus per Prophetam dixit. *Super quem requieſcet Spiritus meus niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones* G *meos.* De quo & ipſa veritas in Euangelio ait: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Siue illi poſſunt ſcabelli nomine notari, qui infirmi ſunt in corpore Chriſti, hoc eſt, pœnitentes: qui de peccatis ſuis veraciter pœnitendo ſtudent gratiam quam peccando amiſerant, pie laborando recuperare. Seu illi ſcabellum vocantur, qui nouiſſimi iuxta finem mundi ad fidem Chriſti conuertuntur.

Qui tamen aurei ſunt: quia igne perſecutionum ac tribulationum, quas AntiChriſti ſæuitia illo in tempore auctura eſt, examinati, per patientiam probatiſſimi inueniuntur. *Et brachiola duo altrinſecus.* In regum quoque ita ſcriptum eſt. *Et duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile.* Quid ergo duo brachiola ſiue duæ manus tenentes ſedile Salomonis ſignificant, niſi ſolatia diuinæ gratiæ, quæ ſanctam Eccleſiam ad cœleſte regnum prouehunt? & hæc aptè per binarium numerum deſcripta ſunt: quia in vtroque teſtamento hic prædicatur, hic maximè commendatur: quia non niſi per diuinum adiutorium aliquid boni H perfici poſſit. Vnde ipſa veritas dicit: *ſine me nihil poteſtis facere. Et duo leones ſtabant iuxta brachiola.* Quid per leones niſi Patres vtriuſque teſtamenti figurantur? qui per fortitudinem animi & ſibi & aliis dominari bene didicerunt? Duo ergo leones iuxta manus ſtabant, quia in lege & in Euangelio ſancti Patres quicquid boni fecerunt. non ſibi; ſed Deo deputauerunt. Vnde & Pſalmiſta dicit: *Non nobis Domine non nobis ſed nomini tuo da gloriam, ſuper miſericordiam tuam & veritatem tuam.* Et Apoſtolus: *gratia Dei*, inquit, *ſum id quod ſum.* Et item: *qui gloriatur, in Domino glorietur. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus, hinc atque inde.*

Quid per duodecim leunculos niſi prædicatorum ordo, qui Apoſtolicam doctrinam ſequitur, ſignificatur. Hi

A ergo ſupra ſex gradus hinc atque inde ſtant: quia bonorum operum greſſus hinc atque inde ſuis doctrinis atque exemplis munire certant, ne pius labor benè incipientium in operando vacillet, ſed rectitudinem in progreſſu virtutum fortitèr conſeruet. Quod autem ſubditur *non eſt factum tale ſolium in vniuerſis regnis*, aptè ſanctæ Eccleſiæ conuenit, de qua ſcriptum eſt. *fortitudo & decor indumentum eius, & videbit in die nouiſſimo. Surrexerunt filij eius & benè prædicauerunt: vir eius & laudabunt eam: Multæ filiæ congregant diuitias tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Sequitur.

Omnia quoque vaſa conuiuij Regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.

Hinc in Regum ita ſcriptum eſt: *Sed & omnia vaſa de quibus potabat Rex Salomon erant aurea & vniuerſa ſuppellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo. Non erat argentum nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.* Omnia vaſa quæ pacifici noſtri miniſterio funguntur aurea ſiunt: quia omnes animæ ſanctorum quæ ſunt vaſa Dei, vt voluntati ſeruiant diuinæ, ſplendore ſapientiæ & dilectionis fulgo- B rè nitentes continent potum aquæ viuæ, & fiet in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Nec alicuius pretij argentum putabatur in diebus Salomonis, quia ſecundum Apoſtolum non eſt in ſermone regnum Dei ſed in virtute, & prædicatio Euangelij non in perſuaſionibus humanæ ſapientiæ verbis conſiſtit, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Vt fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Vnde ipſa veritas ait: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Et item: *qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Siquidem naues Regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum & Ebur & ſimias & pauos.

Quid eſt quod ſerui Salomonis cum ſeruis Hiram ibant in Tharſis ſemel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum, & Ebur, niſi quod Redemptor no- C ſter Apoſtolos & Doctores Euangelij de populo Iudaico cum illis prædicatoribus quos de plebe Gentium elegit, trina confeſſione, ſed vna fide mittit in mundum? vt inde ei deferant in credentium perſonis aurum ſapientiæ, argentum eloquentiæ, & ebur caſtitatis? afferant ſimul & Simias & pauos. Simia enim ingenioſum eſt animal & hominis in quibuſdam imitatur actus. Quod non inconuenienter philoſophorum perſonæ per figuram aptatur, qui rationabiles veræ ſapientiæ aliquando imitantur ſenſus, & in diſciplinis ſuis moralis vitæ differunt actus. Hi cum per prædicatorum ſolertiam ad fidem Chriſti conuertuntur, gratum munus vero erunt pacifico. Similiter & pauones, qui varietate colorum quam in pennis oſtendunt, illos poſſunt ſignificare, qui ob laudem humanam ſpecies variarum virtutum in ſuperficie oſtendunt, ſed hi cum Doctorum ſtudio intus per fidem reformati eas ſolius Dei amore gerere diſcunt, tunc iam æterni regis deliciis per omnia apti ſunt.

Magnificatus eſt ergo Salomon ſuper omnes reges terræ præ diuitiis & gloria; omneſq; reges terrarum deſiderabant faciem Sa- D *lomonis videre, vt audirent ſapientiam quam dederat Deus in corde eius, & deferebant ei munera,* &c.

Benè ergo dictum eſt quod magnificatus ſit Rex ſuper omnes reges terræ, quia pacificus noſter ſuper omnem celſitudinem ſanctorum, qui verè reges dicuntur exaltatur, & nullus ei coæquari poteſt. quoniam quis in nubibus Domino, aut quis ſimilis erit inter filios Dei? Deus qui glorificatur in conſiliis ſuæ maieſtatis, & metuendus ſuper omnia quæ in circuitu eius ſunt. Et item magnus Dominus noſter & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Vnde & Iohannes dicit. Et vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Et vniuerſa terra deſiderat videre vultum Regis noſtri, quia vniuerſa Eccleſia ſanctorum hoc ſolummodo appetit, vt ad conſpectum gloriæ eius. perueniat, cui per Prophetam dicitur, tibi dixit cor meum, E exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. & alibi; ſicut ceruus, inquit, deſiderat ad fontes aquarum ita deſiderat anima mea ad te Deus. Et ſinguli deferent ei munera, dum vnuſquiſque ſecundum id quod vires ſibi ſuppetunt, in verbo ſeu factis obſequium ſtudet præſtare Deo.

Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum equitumque duodecim millia, conſtituitque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat Rex in Hieruſalem.

Quid per quadragenarium numerum niſi tempora legis priſcæ deſignantur? quia & Moyſes illam accepturus quadraginta diebus ieiunauit, & populus Iſraheliticus qui per eam inſtruebatur, quadraginta annis in heremo manſit. Benè ergo per quadragenarium numerum equi Salomonis numerantur in ſtabulis collocati, quia duritia legis veteris conſtricta atque coercita fuerat inſolentia prioris populi. Duodenarius vero numerus præſens tempus ſignificat, in quo Apoſtolica auctoritas præ- F ſidendo populis gentium doctrina noui Teſtamenti illos nutrit. *Qui conſtituti erant in vrbibus quadrigarum*, hoc eſt, in cuſtodia diſciplinarum, *& vbi erat Rex in Hieruſalem*, in viſione videlicet pacis. Diſtantiæ locorum diſcretionem oſtendunt profectuum. Sic enim qui in vrbibus quadrigarum conſtituti erant, illos ſignificant, qui diuerſis diſciplinis Eccleſiæ ſubditi per magiſtros ſpirituales ad veræ Religionis obſeruantiam erudiuntur: ita illi qui iam eruditi omni doctrina virtutum, habiles ſunt vſui Regis cœleſtis, præſentiam veri pacifici & vicinitatem habere merentur, de quibus ſcriptum eſt, currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in illis. & alibi. Quoniam aſcendens aſcendes ſuper equos tuos & equitatus tuus ſanitas. Cuius equitatus figura etiam iuxta litteram in Domino monſtrata eſt, cum Hieroſolimam tendens ſedebat in aſino, concinentibus turbis quæ antecedebant & quæ ſequebantur, & quæ obuiam veniebant. Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini. In qua equitatione ſanitas reſonabat: quia nimirum illorum iter ſpirituale ſignabatur, qui Domino du- G ce per Apoſtolos ad eius quæ ſurſum eſt Hieruſalem, quæ eſt mater omnium noſtrum, regna ducuntur.

Exercuit etiam poteſtatem ſuper cunctos reges à fluuio Euphrate vſq; ad terram Philiſtinorum, & vſque ad terminos Ægypti.

Scriptum eſt de veri Salomonis, hoc eſt, pacifici noſtri regno & dominatione in Pſalmis. Vbi dicitur: *Dominatur* *Pſal. 71.* *à mari vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarũ.* Iſtud autem ad Salomoné filium Dauid omnibus modis nõ poteſt pertinere, qui tantum in gente Iudæa rex fuiſſe cognoſcitur. Mare enim Oceanum debemus aduertere, qui aream totius terræ ſicut quidam dicunt limbo ſuo circumambiens includit. Nam ſi maria iſta noſtra velis intelligere, totius mundi ambitum quem verus iſte ſignificat non præualebis aduertere. Sequitur. *& à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum.* Pulchra quidem breuitas ſed ingentia nobis ſacramenta profudit: à flumine à Iordane dicit. vnde per totum orbem terrarum ſaluberrimè regula ſacri baptiſmatis emanat. Dominatur ergo rex noſter ſuper H cunctos reges, hoc eſt ſuper vniuerſos qui rectè regiminis exercent poteſtatem: *à fluuio Euphrate* qui interpretatur frugifer ſiue creſcés, *vſq; ad terram Philiſtinorum*, id eſt, dupliciter cadentium: Philiſtiim enim interpretatur ruina duplex: cum per obliuionem peccatorum ab inchoatione ſui in Iordane baptiſmatis vſque ad conuerſionem omnium gentium ad fidem, eius redundat gratia poteſtatis: vt vbi defluxus fuit carnalium deſideriorum, ibi ſtabiliatur bonorum germen virtutum. vt vbi tam idololatria quàm etiã ſceleſta conuerſatione duplex populorũ fuit ruina; ibi per confeſſioné rectæ fidei ac cultũ veræ pietatis, ad cæleſte regnũ fideliũ exurgat vita. Pertingit etiam poteſtas eius *vſq; ad terminos Ægypti*, h.e. vſq; ad tenebroſas mentes infidelium, quas ab errore conuertens lumine ſuæ replet fidei. Inde eſt quod conſequenter ſupra

memorato verſui Propheta annectit dicens. *coram illi procident Æthiopes & inimici eius terrã lingent.* Æthiopes peccatores populos debemus aduertere. Nam ſicut illi teterrimo corio veſtiuntur, ita animæ delinquentium, ſcelerum obſcuritate tenebrantur. Ego iſti Æthiopes qui ſunt peccatores ante illum procidunt, quando ſe pœnitentiæ humilitet proſternunt. Adiecit *& inimici eius terram lingent.* illos quibus eſt Domini miſeratione parcendum coram ipſo procidere dixit, iſti autem Iudæi pertinaces inimici nominantur, qui in ſua obſtinatione manſuri ſunt. Quæ ergo illis eſt pœna? *Terram lingent*, id eſt, terram ſapient. hoc enim ſapit vnicuique quod lingit, quibus in modum ſerpentis humus eſt eſca pænalis. Hoc ad humilitatem ipſius iuſtè dicimus referendum; quoniam qui Chriſtum Dominum credere noluerunt tali vltione damnati ſunt.

Tantamque copiam præbuit argenti in Hieruſalem quaſi lapidum; & cedrorum tantam multitudinem, velut ſicomorum quæ gignuntur in campeſtribus.

Quid per lapides niſi duritia & inſenſibilitas gentium exprimitur? Et quid per argentũ niſi nitor eloquentiæ, & iucunditas doctrinæ Eccleſiaſticæ deſignatur? Quid per cedros niſi ſublimitas & odor virtutum? Præbuit ergo verus Salomon in myſtica Hieruſalem tantam copiam argenti quaſi lapidum, cum corda Gentilium quæ ad intellectum omnipotentis Dei inſenſibilia fuere, & lapides pro numinibus coluêre, ad meditationem legis Dei & ad prædicationem Euangelii conuertit. Nec immerito lapidum nomine gentes ſignificatæ ſunt, quæ lapides coluerunt, quia ſcriptum eſt *ſimiles illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* De quibus nimirum lapidibus Ioannes Baptiſta in Euãgelio ait. Potẽs eſt Deus de lapidib. iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: filii Abrahæ de lapidibus ſuſcitati ſunt: quia cũ dura corda Gentiliũ in Abrahæ ſemine crediderunt, eius filii facti ſunt, cuius ſemini ſunt vniti. Vnde & eiſdem gentibus per egregium prædicatorem dicitur. Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes. Similiter pacificus noſter in Hieruſalem præbuit Cedrorum tantum multitudinem velut ſicomorum, ſterilitatem Gentilium, quia eos qui terrena appetentes in altum ſe erigere non valebant, ad fæcunditatem bonorum operum & celſitudinem peruexit virtutum. Diximus ſuperius, & nunc eadem commemorando repetimus quod cedrus arbor eſt incomputribilis naturæ, odoris iucundi, aſpectus nitidi, ſerpentes accenſa, nidori fugans ac perimens: quæ vniuerſa perfectis quibuſque conueniunt, quorum inſuperabilis eſt patientia, fama virtutum eximia, præſentia cunctis gratiſſima bonis, auctoritas ad reuincendos confutandoſque eos qui veritati reſiſtunt conſtantiſſima, qui & in hac vita, & in futura ſingulari præ cæteris ſanctis eminentia fulgent.

Reliqua autem operum Salomonis priorum & nouiſſimorum, ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahia Silonitis in viſione quoque. Addo videntis contra Ieroboam filium Nabat. Regnauit autem Salomon in Hieruſalem ſuper omnem Iſrahel quadraginta annis, dormiuitque cum patribus ſuis & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid.

Quod verò dicit Scriptura opera priora Salomonis, ea demonſtrat opera, quæ geſſit antequam præuaricaretur vt fuerunt ædificatio templi, & oblationum varietas, &c. facta eius quæ myſticam ſignificationem habent, vt ſuprà oſtendimus. Nouiſſima autem ea quæ dicit opera ſunt ea quæ geſſit poſtquam tranſgreſſus eſt legem Dei, ducens alienigenas vxores, quæ eum ad idololatriam vſque perduxerunt. De his ergo operibus Salomonis quid dicam? quæ vehementer arguit ſacra Scriptura, atq; condemnat, nihilque de pœnitentia eius, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat. Licet Hæbræi autument librum Eccleſiaſten in pænitentia ſua illum conſcripſiſſe. Nec prorſus occurrit quid ſaltem in allegoria boni ſignificet hęc deflenda ſubmerſio, niſi fortè dicat quis, mulieres alienigenas quarum amore exarſerat, ſignificare Eccleſias electas ex Gentibus. Poſſet hic fortaſſe non abſurde intelligi, ſi illæ propter Salomonem deſererent Deos ſuos, & colerent Deum eius; cum verò propter illas offendit Dominum ſuum & coluit Deos earum, non eſt quid inde boni coniectari poſſit. nec tamen nihil arbitror ſignificare, ſed malum. ſicut de vxore filiabuſq; Loth diximus. Apparet enim in perſona Salomonis mira excellentia & mira ſubmerſio. Quod ergo in illo diuerſis temporibus & prius bonum, & poſterius malum, hæc in Eccleſia in iſto adhuc ſeculo ſimul in vno tempore oſtenditur: nam bona illius, bonos Eccleſiæ; mala autem illius, malos Eccleſiæ ſignificare puto. tanquam in vnitate illius areæ, ſic & in illo vno homine bonos in granis, malos in paleis; aut in vnitate vnius ſegetis, bonos in tritico, malos in zizaniis accepimus.

Hrabani Mauri Lib. III. Commentariorum in Volumen Paralipomenon finis.

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, COMMENTARIORVM IN VOLVMEN PARALIPOMENON LIBER QVARTVS.

Capvt X.

PRofectus eſt autem Roboam in Sichem, illuc enim cunctus Iſrabel conuenerat, vt conſtituerent eum Regem. Quod cum audiſſet Hieroboam filius Nabat qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem) ſtatim reuerſus eſt. Vocaueruntque eum, & venit cum vniuerſo Iſrabel, Et locuti ſunt ad Roboam dicentes. Pater tuus duriſsimo nos iugo preſsit, tu leniora impera Patre tuo, qui nobis grauem impoſuit ſeruitutem, & paululum de onere ſubleua, vt ſeruiamus tibi. Qui ait: Poſt tres dies reuertimini ad me. Cumque abiiſſet populus inijt conſilium cum ſenibus qui ſteterant coram Patre eius Salomone, dum adhuc viueret dicens. Quid datis conſilij vt reſpondeam populo? Qui dixerunt ei. Si placueris populo huic & lenieris eos verbis clementibus, ſeruient tibi omni tempore. At ille reliquit conſilium ſenum & cum iuuenibus tractare cæpit qui cum eo nutriti fuerant, & erant in comitatu illius, &c.

Senes illos qui ſteterunt coram Salomone Patre Roboam æſtimant Hebræi eſſe Banaiam filium Ioiadæ, & Ihachel filiũ Acomoni, qui alio nomine Chila vocabatur quorum conſilio relicto Roboam, cum iuuenibus tractare cœpit, hoc eſt, cum Aduram, qui in ſequentibus lapidatus deſcribitur, & eius ſimilibus, quorum ſtultitia ſe prodit in conſilio prolato. Iuuenem autem non ſemper iuxta ætatem nominat Scriptura, ſed iuxta inſtabilitatem animi. Non enim fuit Roboam eo tempore iuuenis ætate, quia quadrageſimo primo anno ætatis ſuæ regnare cœpit; ſed ſenſu fuit brutus & puer. Myſticè autem Roboam filius Salomonis, qui vtili ſeniorum conſilio relicto adoleſcentium conſilium ſecutus eſt, licet de domo Dauid fuerit, tamen in via eius non gradiebatur. Fecit enim Iudas, Scriptura regum atteſtante, in illis diebus malum coram Domino, & irritauerunt eum ſuper omnibus quæ fecerant Patres eorum in peccatis, quia peccauerunt. Ædificauerunt autem & ipſi ſibi ſtatuas & aras, & lucos, ſuper omnem collem excelſum, & ſuper omnem arborem frondoſam. Sed & effæminati fuerunt in terra: Feceruntque omnes abominationes Gentium quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Iſrahel. Significat ergo malos rectores in Eccleſia, qui terrenis cupiditatibus deditI negligunt curã habere ſubditorũ, & delectantes gaudent in multitudine ſibi obſequentiũ, nec tamẽ condigna habẽt ſollicitudinẽ ſibi cõmiſſorũ. Interpretatur aũt Roboam latitudo populi & bene latitudo populi nominari poſſunt, qui latam & ſpacioſam viam gradientes, per quam multi vadunt ad mortem, anguſtam viam quę paucorum eſt, & ad ęternam vitam ducit, ingredi detrectant, relictoq; ſanctorum Patrum conſilio, quorum dicta & exempla ad celſitudinem tendunt perfectionis; eligunt iuuenum obtemperare præceptis, hoc eſt eorum, qui iuuenilibus deſideriis mancipati, laudibus iniquis & adulationibus eos grauant, & fit in eis quod per Prophetam dicitur. Qualis populus talis eſt & ſacerdos. Omnes enim à minimo vſq; ad maximum auaritiæ ſtudent. & cæci cæcis ducatum præbentes, in foueam perditionis pariter cadunt. Quibus comminatur ſapientia Dei dicens. Væ tibi terra cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt: & è contrario de ſanctorum populo & Rege Chriſto laudando ſubſequitur dicens, Beata terra cuius eſt Rex nobilis, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo, quia omnia quæcunq; fecerint proſperabuntur.

Capvt XII.

ANNO autem quinto regni Roboam aſcendit Seſac Rex Ægypti in Hieruſalem (quia peccauerant Domino) cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum, nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Aegypto, Libyes ſcilicet, & Troglodytæ & Aethiopes, cepitq; ciuitates munitiſsimas in Iuda, & venit vſq; in Hieruſalem. Semeias autem Propheta ingreſſus eſt ad Roboam & Principes Iuda, qui congregati fuerant in Hieruſalem fugientes Seſac, dixitq; ad eos. Hæc dicit Dominus. Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac. Conſternatiq; Principes Iſrahel, & Rex, dixerunt. Iuſtus eſt Dominus. Cumq; vidiſſet Dominus quod humiliati eſſent factus eſt ſermo Domini ad Semeiam dicens. Quia humiliati ſunt non diſperdam eos, daboq; eis pauxillum auxilij & non ſtillabit furor meus ſuper Hieruſalem per manum Seſac. Verumtamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ & ſeruitutis regni terrarum. Receſsit itaque Seſac Rex Aegypti ab Hieruſalem ſublatis theſauris domus Dei, & domus Regis, omniaq; ſecum tulit & clypeos aureos quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos. & tradidit illos principibus ſcutariorum qui cuſtodiebant veſtibulum palatij.

Quid ergo per figuram hic inſinuatur, quod propter peccatum Roboam, Seſac Rex Aegypti de domo Domini theſauros abſtulit, & theſauros regios, niſi quod mali rectores propter negligentiam ſuam, regem Aegypti, hoc eſt principem tenebrarum in Hieruſalem typicam prouocant, Eccleſiam videlicet ſibi commiſſam, vbi ipſi ad tempus dominari videntur? Qui theſauros domus Domini & theſauros regios abſtulit, cum ſcientiam ſanctarũ Scripturarum, ſimul & opera virtutum, ab incaſtis & deſidioſis abſtrahit. Seſac ergo byſſus cilicum ſiue gaudium cilicum interpretatur. Et quia byſſus ſubtilitatem ſignificat, cilicium verò quod de caprarum ſetis conficitur, peccata. quid melius in byſſo cilicum quam verſutia fraudis Diabolicæ in perſuaſione peccatorum accipi poteſt? Seſac enim Hieroſolimitanas opes aufert, cum diabolus qui callide decipit & gaudet in multitudine peccatorum, Eccleſiaſticos quoſq; ſcientia ſpirituali, opere virtutum deprædatur, eoſq; qui videbantur in Eccleſia decori eſſe, ſpoliatos ſecum in barathrum perditionis ſuæ demergit. Nec & illud quod idem Rex ſcuta aurea quæ fecerat Rex Salomon abſtulit, pro quibus fecit Rex Roboam ſcuta ærea, & tradidit ea in manu ducum ſcutariorum: ad eundem ſenſum reſpicit: Salomon enim ſcuta aurea condẽs, cuſtodibus domus ſuę dedit, cum redemptor noſter ſpiritualẽ ſcientiã per duo teſtamenta doctoribus Eccleſiæ ad tuendã plebẽ ſuã commendauit. Hanc antiquus hoſtis per incuriã rectorũ abſtrahit: quia cum intenti ſunt reb. terrenis, minusq; curant de cœleſtibus, officio priſtino & ſcientia denudatos, quaſi in domo propria opibus ſpoliatos relinquit. Deniq; tales cũ ſe ſenſu ſpirituali priuatos conſpiciunt, per eloquentiã verborum copiã quærunt, quatenus eorum ſonoritate, velut ſcutorũ æreorum firmitate,

tutamen contra hoſtes pro ſubiectis ſibi opponant. Sed quanto æs eſt vilius auri metallo, tanto inferior eſt vana eloquentia veræ ſapientiæ fructu. Vnde per quendam ſapientem de eloquentia dicitur. Vbi plurima verba, ibi frequenter egeſtas: & in Pſalmis ita legitur: *Vir linguoſus non dirigetur in terra.* (Pſal. 139.) Nam de ſapientia ita ſcriptum eſt. Sapientia pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. longitudo dierum in dextera eius; in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Qui vero oportunam defenſionem Eccleſiæ exhibere vult contra hæreticos, & contra omnes inimicos, ſapientiæ vtique adminiculo hoc debet perficere, nec eloquentia aliquid ad hoc, ſine ſapientia proficit, imo plurimum nocet. *Opera vero Roboam prima & nouiſſima ſcripta ſunt in libris Semeiæ Prophetæ, & Addo videntis, & diligenter expoſita.* Semeias idem vates eſt qui ſuperius Roboam & filios Iuda pro tranſgreſſione & peccatis ſuis arguebat: & Addo ſiue Iaddo ipſe eſt prophetes qui ad arguendum Ieroboam pro altari quod fecerat, à Domino miſſus eſt in Samariam. Hic & à leone occiſus eſt, eo quod contra præceptum Domini à pſeudopropheta ſeductus ibidem manducauit.

Pugnauerunt aduerſum ſe Roboam & Ieroboam cunctis diebus & dormiuit Roboam cum patribus ſuis, ſepultus eſt in ciuitate Dauid: & regnauit Abia filius eius pro eo.

CAPVT XIII.

ANno octauo decimo regis Hieroboam regnauit Abia ſuper Iudam. Tribus annis regnauit in Hieruſalem, nomenque matris eius Michaia filia Vriel de Gabaa. Et erat bellum inter Abiam & Ieroboam.

Porro quod legitur in dierum volumine necnon & in regum, bellū fuiſſe inter reges Iuda, & reges Iſrael cunctis diebus eorum, non aliud ſignificare puto quàm quod ſancta Eccleſia quæ in vnitate fidei perſiſtit: bellum habeat ſemper cum hæreticis & ſchiſmaticis, & omnibus qui violare contendunt fidem Catholicam: omnes enim vt ait Apoſtolus, qui volunt pie viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur: quia draco antiquus perſequitur mulierem inſidians calcaneo eius.

Stetit ergo Abia ſuper montem Semeron, qui erat in Ephraim & ait. Audi Ieroboam & omnis Iſrael, num ignoratis quod Dominus Deus Iſrael dederit regnum Dauid ſuper Iſrael in ſempiternum ipſi & filiis eius. &c.

Semeron vrbs erat quam cepit Ioſue rege illius interfecto. Dicit autem Ioſephus nunc pro ea Sebaſten vocari oppidum Palæſtinæ, vbi ſancti Ioannis Baptiſtæ reliquiæ ſunt conditæ. Legimus in regnorum libris quod Ambri rex Iſrael emerit mōtem Semeron, à quo iam Semer, & ædificauit in vertice eius ciuitatem, quam ex nomine domini appellauit Semeron.

Perſecutus eſt autem Abia fugientem Ieroboam, & cepit ciuitates eius, Bethel et filias eius, et Heſana cum filiabus ſuis, Ephron quoque et filias eius.

Bethel ciuitas erat in duodecimo ab Hieroſolima lapide ad dextram euntibus Neapolim quæ prius Luza, i. Amigdalon vocabatur & cecidit in ſortem tribus Beniamin: iuxta Bethan & Hai, quam expugnauit Ioſue rege illius interfecto. Porro quod quidam putant ſecundum errorem Græcorum, Vlamluzam antiquitus vocatam, vehementer errant. Verbum quippe Hebraicum & nomen ipſius ciuitatulæ pariter miſcuerunt: cum Vlam ſignificet *prius*, id eſt, *proteron*. Vocabatur autem prius Luza, Bethel necnon & Bethaum, quod aliud oppidum ſuſpicantur; Hebræi putant eandē eſſe Bethel: ſed ex eo tempore quo ibi à Ieroboam filio Nabat vituli aurei fabricati ſunt, & à decem tribubus adorati, vocata eſt Bethaum, i. domum idoli, quod ante vocabatur domus Dei. Heſana autem ciuitas eſt in tribu Iuda, ſimiliter & Ephron in tribu Iuda eſt. Vnde & villa pergrandis Ephrea nomine contra ſeptentrionem in viceſimo ab Ieruſalem miliario hactenus vocatur. *Nec valuit vltra reſiſtere Hieroboam in diebus Abiæ: quem percuſſit Dominus et mortuus eſt.* Non Hieroboam percuſſit Deus vt plerique æſtimant, ſiquidem iuxta Regnorum librum, in viceſimo anno regni eius imperauerat Aſa filius Abia ſuper Iudam & Hieruſalem; ſed Abiam, quia capta Bethel idola Iſraeli in ſcandalum reſeruauit, vt Hebræi aſſerunt.

CAPVT XIV.

DOrmiuit autem Abia cum patribus ſuis, et ſepelierunt eum in ciuitate Dauid: regnauitq́; Aſa filius eius pro eo. In cuius diebus quieuit terra annis decem: fecit autem Aſa quod bonum et placitū erat in conſpectu Dei ſui. et ſubuertit altaria peregrini cultus et excelſa: et confregit ſtatuas lucoſq́; ſuccidit. ac præcepit Iudæ vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, et faceret legem, et vniuerſa mandata: et abſtulit è cunctis vrbibus Iuda aras et fana, et regnauit in pace, &c.

Iſte eſt Aſa qui in principio regni ſui reſtaurauit cultum diuinum, & fecit quod bonum & bene placitū erat in conſpectu Dei, ſubuertitq; altaria idolorum, & confregit ſimulachra. Vnde gratiam Domini promeruit, ita vt pugnans contra Æthiopes victoriā caperet, & eos vſq; ad internecionem cęderet, quia Dño pro eo pugnante, & exercitum eius adiuuante, cōtriti ſunt, ſed poſtea in deterius relabens cum auxilium Aſſyriorum contra Baaſa regem Iſrael quæſiſſet, & Hanani prophetam ad ſe à Domino miſſum vt eum inde corriperet, in vincula miſiſſet, grauiter inde Dominū offendit. Vnde ipſe, iuſte ſibi Deo tribuente, incidit in languorem grauiſſimum, & pedum dolorem vehementiſſimum, in quo & obijt. *Nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confidens,* deluſus eſt. Is itaque eos ſignificat typice. qui bono inchoant initio, ſed malo finiunt termino: qui poſt abdicationem idololatriæ, & ſpretam ſeruitutem dæmonis, & percepta gratia baptiſmatis, & chriſmatis ſacri vnctione, ſtatim in primordio vitæ ſuæ, pietatis arripiunt opera, ſed fortiori ætate ac iuxta terminū præſentis vitæ, quando virtutibus operam dare debuerant, ad vitia relabuntur, & in prauis delectantur actibus. Hi licet dum cultui diuino inſtabāt, Æthiopes ſpiritales & rectores tenebrarum harum ſuperando fugauerint, tamen poſtquam voluptatibus præſentis vitæ dediti Aſſyrios qui regnum confuſionis tenent auxiliatores & defenſores quærunt, adeo iuſte deſeruntur, & varijs languoribus errorum capti fructuoſis priuantur actibus, nec iam bonorum operum valent procedere greſſibus, ſed imminente morte ſine pœnitentia & emendatione morum vitam nefandam, morte finiunt perpetua.

CAPVT XVI.

DOrmiuitq́; Aſa cum patribus ſuis, et mortuus eſt anno quadrageſimo primo regni ſui, et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo quod fecerat ſibi in ciuitate Dauid: poſueruntq́; eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus et vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.

Aromata & vnguenta meretricia iuxta hiſtoriam nuncupant odores, quibus luxurioſi ob libidinem vti ſolent. Notandum autem q, in regibus vt Hebræi tradunt, cauſa reuerentiæ combuſtionis precioſarum veſtium, ſimul cum aromatibus fiebant. Vnde alibi ſcriptum eſt, iuxta combuſtiones maiorum facient tibi, quia mos apud veteres fuit, vt regum ornamēta precioſa quæ habebant; poſt obitum ſuum in pyra vrerentur, tamen abſque cadaueribus. ſignaliter autem aromata & vnguenta meretricia, quæ in lectulo Aſa ob honorem illius concremabantur, vanam ſignificant famæ iactantiam, quoniam Philoſophi vel poetæ poſt obitum regum ſuorum ſiue etiam falſi Chriſtiani obeuntib. ſuis impendunt magiſtris: Superuacua enim eos extollunt laude, quorum conuerſatio tota fuit plena turpitudine, & hæc in ignem mittit, quia omnia gehennæ ignibus obnoxia eſſe oſtendunt, quæ hic ſine aliqua vtilitate atque ædificatione fratrum protulerunt. Vnde in Iob de viris iniquis ſcriptum eſt, ſucciſa eſt erectio eorū, & reliquias eorū deuorauit ignis. & in Pſalmo. ſepulchra inquit eorum domus eorum in æternum; tabernacula eorum in generatione & progenie inuocabunt nomina eorum in terris ipſorum: mos enim ſtultorum eſt, ritum ſequi gentilium, quem in parentalibus agere conſueuerunt, quando fatua ſuperſtitione in

A terris eorum, id eſt, in ſepulchris laudes celebrat mortuo-
rum, & credunt hæc illis prodeſſe, quod eorum videntur
exhibere memoriæ.

Capvt XVII.

*Regnauit autem Ioſaphat filius eius pro eo & inualuit contra
Iſrahel. Conſtituitque militum numeros in cunctis vrbibus
Iuda, quæ erant vallatæ muris, præſidiaque diſpoſuit in terra Iuda,
& in ciuitatibus Ephraim, quas ceperat Aſa pater eius. Et fuit
Dominus cum Ioſaphat, qui ambulauit in vijs David patris ſui
primis, & non ſperauit in Baalim ſed in Deo patris ſui, & perre-
xit in præceptis illius, & non iuxta peccata Iſrael.*

Quod autem dicit de Ioſaphat, ambulaſſe eum in vijs
Dauid patris ſui primis, oſtendit eum executorem fuiſſe
ſagaciſsimum diuinorum teſtamentorum, ſicut fuit Da-
uid pater eius initio regni ſui, antequam in vxore deli-
querit Vriæ. Cuius peccati ignominia licet obſcurare vi-
deatur famam eius, ſed pœnitentiæ laudabilis ſatisfactio
B æternam illi memoriam præparauit.

*Confirmauitque Dominus regnum in manu eius, & dedit o-
mnis Iuda munera Ioſaphat, factæque ſunt ei infinitæ diuitiæ &
multa gloria. Cumque ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias
Domini & excelſa & lucos de Iuda abſtulit*, &c.

Denique Ioſaphat rex typum præfert populi creden-
tium de gentibus, qui ad redemptorem noſtrum relicto
parentum errore cum venit ſacro baptiſmate ablutus &
ſancti chriſmatis vnctione linitus, à Chriſto Chriſtianum
nomen & regiam dignitatem accepit, cui Petrus Apo-
ſtolus in Epiſtola ſua ait. Vos eſtis genus electum à Domi-
no, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitio-
nis. Quod nominis Ipſius interpretatio bene confir-
mat: Interpretatur enim Ioſaphat Domini dos, ſiue qui
eſt donatus. Eccleſia ergo gentium, precio ſanguinis
Chriſti comparata, & ſpiritus pignore dotata, conſor-
tium ſponſi cœleſtis, & ſocietatem regni promeruit: cui
factæ ſunt infinitæ diuitiæ, ſiue in conuentu diuerſarum
nationum ad fidem, ſeu in acquiſitione variarum virtu-
tum, & multa gloria ſpecialis ſapientiæ, de qua in Pro-
uerbiis ſcriptum eſt. Multæ filiæ congregauerunt di-
C uitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Cui omnis Iuda mune-
ra obtulit, quia vnuſquiſque fidelis ſanæ doctrinæ & bo-
norum operum munera in illius vnitate, vero regi ſe con-
ferre gaudebit. Excelſa & lucos de terra Iuda tulit, quia
omne ſcandalum de credentium turmis auferre con-
tendit. Mittit rex iſte principes ſuos ac ſacerdotes in vr-
bes Iuda, vt erudiant populum præcepta legis Domini,
cum Doctores ſanctos ad diuerſos populos dirigit, vt illis
prædicent Euangelium Chriſti. Sicque fiet illud quod de
Ioſaphat ſcriptum eſt.

*Itaque factus eſt pauor Domini ſuper omnia regna terrarum
quæ erant per gyrum Iuda, nec audebant bellare contra Ioſaphat
ſed & Philiſtæi Ioſaphat munera deferebant, & vectigal argenti;
Arabes quoque adducebant pecora arietum ſeptem millia ſeptin-
gentos & hircos totidem.*

Cum propter nomen glorioſum & propter virtutes
quæ geruntur in Eccleſia, audacia comprimitur pagano-
rum, & gentium incitantur corda, vt deferantur vero
D Regi Chriſto, qui caput eſt Eccleſiæ, munera rectæ cre-
dulitatis, & cenſum bonorum operum, ac piæ confeſsio-
nis ſoluant, adducantque illi pecora ſimplicitatis ſuæ: hoc
eſt, arietum ſeptem millia ſeptingentos, & hircos toti-
dem, cum per ſpiritus ſancti gratiam illuminati, & viros
habiles magiſterio propter ſcientiam & bonorum ope-
rum probitatem offerunt, & peccatorum multitudinem
per confeſsionem & pœnitentiam ſeruitio Illius ſubij-
ciunt. Arietes enim duces ſunt gregis, & in lege in
pacificorum hoſtijs immolabantur. Hirci au-
tem pro peccato offere-
bantur.

Capvt XVIII. E

*Fvit ergo Ioſaphat diues & inclytus multum, & affinitate con-
iunctus eſt Achab: deſcenditque poſt annos ad eum in Sama-
riam, ad cuius aduentum mactauit Achab arietes & boues plu-
rimos ipſi, & populo qui venerat cum eo: perſuaſitque illi, vt aſcen-
deret in Ramoth Galaad. Dixitque Achab rex Iſrael ad Ioſaphat
regem Iuda, veni mecum in Ramoth Galaad: Cui ille reſpondit,
Vt ego, & tu; Sicut populus tuus, ſic & populus meus: tecumque
erimus in bello.*

Ioſaphat vt ſuperius diximus, populum ſignificat
Chriſtianum, qui fidem tenet Catholicam & religionem
ſeruat Chriſtianam. Achab autem impius qui in Samaria
regnabat, hæreſiarchas exprimit, qui perditorum turbam
per errorum deuia ducunt, & in perpetuæ mortis præ-
cipitium trahunt. Quod autem Ioſaphat affinitate con-
iunctus Achab, deſcenditque ad eum in Samariam, con-
tra hoſtes præbēs ei auxilium; illos figuraliter demōſtrat,
qui è Catholicis ad hæreticorum amicitiam ſe inclinant.
F qui licet à rectæ fidei tramite non recedant, tamen erran-
tium ſocietatem atque communionem perfecte non de-
uitant: quod nullo modo ſine culpa eſſe poterit, maxime
cum Paulus Apoſtolus doceat, hæreticum hominem poſt
vnam & ſecundam correptionem deuitandum, & Io-
annes in Epiſtola ſua ita dicat. Si quis venit ad vos & hanc 2. 10.
doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum,
nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat
operibus eius malignis. Hinc & per ſapientiam dicitur,
qui tetigerit picem inquinabitur ab illa, & qui commu-
nicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Ob hoc & ipſe Io-
ſaphat per Iehu videntem filium Hanani (illius videlicet
prophetæ, qui Aſa increpauerat) arguitur, quod Impio
præbuerit auxilium, & his qui oderunt Dominum amici-
tia iungeretur. Quapropter hæreticorum conſortia ſunt
deuitanda, quia nulla ſocietas eſt luci ad tenebras, nec
conuentio Chriſti vllo modo poteſt eſſe cum Belial, ne-
que poſſumus pariter calicem Domini bibere, vbi ſalu-
bris hauſtus eſt ſapientiæ, & calicem dæmoniorum, vbi
venenum mortiferum propinatur nequitiæ.

G *Vocauit ergo Rex Iſrael vnum de Eunuchis & dixit ei, voca
cito Michaam filium Iemla. Porro Rex Iſrael & Ioſaphat rex
Iuda, vterque ſedebat in ſolio ſuo veſtiti cultu regio, ſedebant au-
tem in area iuxta portam Samariæ, omneſque Prophetæ vatici-
nabantur coram eis*, &c.

Denique Propheta Michæas vocatus ad regem Iſrael
& regem pariter Iuda, prophetauit contra regem Iſrael
ita dicens. *Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo & omnem exer-
citum cœli aſsiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris & dixit Dominus.
quis decipiet Achab regem Iſrael vt aſcendat & corruat in Ramoth
Galaad? Cumque diceret vnus hoc modo alter aliter, proceſsit ſpiri-
tus & ſtetit coram Domino & ait, ego decipiam eum: Cui Domi-
nus in quo, inquit, decipies? At ille reſpondit. Egrediar & ero ſpiri-
tus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque Domi-
nus; decipies & præualebis, egredere & fac ita;* Quid per ſolium
Domini niſi Angelicas poteſtates accipimus, quarum
mentibus Deus altius præſidens inferius cuncta diſpo-
nit. Et quid exercitus cœli niſi miniſtrantium angelorum
H multitudo deſcribitur? Quid eſt ergo quod exercitus cœ-
li à dextris & à ſiniſtris eius ſtare perhibetur? Deus enim
qui ita eſt intra omnia, vt etiam ſit extra omnia, nec dex-
tra nec ſiniſtra includitur, ſed dextra Dei Angelorum
pars electa; ſiniſtra autem Dei, pars angelorum reproba
deſignatur. Non n. miniſtrant Deo ſolummodo boni qui
adiuuent; ſed & qui redire nolentes grauent. Nec quod
cœli exercitus dicitur angelorum pars reproba, In eo
intelligi poſſe prohibetur: quos enim ſuſpendi in aere no-
uimus, aues cœli nominamus. Et de eiſdem ſpiritib. Pau-
lus dixit, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Quo-
rum caput enuncians ait, ſecundum principem aeris hu-
ius. A dextra ergo & à ſiniſtra Angelorum exercitus ſtat:
quia & voluntas electorum ſpirituū diuinæ pietati con-
cordat, & reproborum ſenſus ſiue malitiæ feruiens, iudi-
cio diſtrictionis eius obtemperat. Vnde & mox fallax
ſpiritus in modum proſiliiſſe deſcribitur, per quē Achab

A rex exigentibus ſuis meritis decipiatur: Neque enim fas eſt credere, bonum ſpiritum fallaciæ deſeruire voluiſſe, vt diceret *egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat, vt tali debuiſſet deceptione damnari, quatenus qui ſæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens raperetur ad pœnam, occulta iuſtitia licentia malignis ſpiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo ſtrangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Denique hic qui vitam reprobam non mutat, & à perpetrandis peccatis animum non auertit, cum à Propheta aliquid requirit, illa audit *D*eo diſponente, quæ merebitur audire damnandus. Ecce enim vt vnum vel duo ex multis loquamur, ab omnipotentis *D*ei cultu domus Iſrael ſub idolorum ſeruitute receſſerat, & tamen ad Prophetas à quibus decipi cõſueuerat, ſæpe veniebat proſpera requirens; cum vero ex ore Prophetarum peruerſa agens proſpera audire merebatur, quid aliud ſuperna iudicia agebant, niſi vt peccator populus in ſuo corde cape-B retur? quatenus qui perfidiam ſequendo deliquerat, ſic Prophetarum ſuorum blandis ſermonibus deciperetur, vt iam nec pertimeſceret quia deliquiſſet, & tanto poſt durius raperetur ad pœnam, quanto nunc ſecurius viueret in culpa. Sed ecce iam largiente omnipotente *D*eo ab idolorum cultu remotum eſt quamplurimum genus humanum, veram fidem publice fatetur: ſubdi lignis & lapidibus, vel cuilibet creaturis renuit. Securus ergo iã Prophetam quilibet in fide poſitus conſulet. quia hoc auditurus eſt, quod audire fidelẽ decet. Fidenter dicam, ſi ab immundicijs atq; à prauis actionib. receſsiſſet, ſecurus eſſet. nam cum Paulus egregius prædicator clamet, *& auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus*; quiſquis adhuc auaritiæ ſubiectus eſt, à cultu idolorum liber nõ eſt: Si ergo hic, qui auaritiæ æſtibus anhelat in fide quidem poſitus eſſe videtur, ſed aliena ambit accipere, honores mundi deſiderat comprehendere, habereq; temporalem gloriam cõcupiſcit, atq; de hac eadem gloria Prophetam conſulat, iuſtum valde eſt ex culpæ ſuæ merito à Prophetæ ore proſpera non audiat, quatenus qui verba Dei audire in ſacro eloquio noluit, vt terrena deſpiceret, cœleſtia ambiret, illud diuino C Iudicio ex Prophetæ ore audiat, vnde amplius obligatus cadat: vt dum ſpe terrenæ gloriæ delectatus paſcitur, ſuis deſideriis ad ima ſemper ducatur. Neq; autem bonus ille fuit ſpiritus, qui mendax eſſe appetijt in ore Prophetarum: Vnde præmiſſum eſt, quia exercitus cœli ſtetit à dextris & à ſiniſtris eius. Deus enim qui in circumſcripta eſt veritas, in illa æterna beatitudine quę dextra eius dicitur, ſiniſtram non habet, quia nihil eſſe quod diſpliceat poteſt. Sed quia ſimul omnia contuetur, ſimul cuncta aſpicit ea vi, in qua & bonos ſpiritus & malos vidit. Exercitus cœli à dextris & à ſiniſtris habere deſcribitur, vt ſicut ſupra diximus, per dexteram intelligamus Angelos electos, per ſiniſtram vero ſpiritus reprobos: nec mouere debet, quod exercitus cœli etiam repulſi angeli vocantur, quia ipſi quamuis ab æthereo cœlo expulſi ſunt, adhuc tamen in aereo cœlo demorantur: ſicut Paulus ait contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.

Capvt XX.

D *POſt hæc congregati ſunt filij Maob & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis ad Ioſaphat, vt pugnarent contra eum.*

Quod adiungit filijs Moab & filijs Ammon & Ammonitis, oſtendit Idumæos ſimul cum Moabitis & Ammonitis coniunctos eſſe ad pugnandum contra Iſrael. Vnde In ſequentib. narratur, quod filij Ammon & Moab conſurrexerunt aduerſus habitatores montis Seir, vt interficerent & delerent eos. Sed ſcriptor hiſtoriæ ob reuerentiam fraterni nominis magis volebat quod gerebatur aſſociatorum occulte annotare vocabulo, quam impietatem impudentium ſermone diuulgare publico. Maxime cum liber Numerorum narret quod egrediẽtes filij Iſrael de deſerto non permiſsi ſint vllam Idumæis inferre moleſtiam prohibente Domino. Notandum autem quod Ioſephus eos qui cum filijs Moab & filiis Ammon ierant In prælium Arabes eſſe arbitratur.

E *Veneruntque nuntij & indicauerunt Ioſaphat dicentes, venit contra te multitudo magna de his locis quæ trans mare ſunt, & de Syria & ecce conſiſtunt in Aſaſonthamar, quæ eſt Engaddi.*

Trans mare dicens, demonſtrat loca illa non quæ vltra mare Tyrrhenum; ſed ea quæ vltra mare Salinarum poſita ſunt, quod & alias ſtagnum Aſphaltide ſiue mare mortuum nominatur, vbi Iordanis influit. Quod autem dicit hoſtile agmen conſiſtere in Aſaſonthamar, quæ eſt Engaddi. Engaddi in tribu eſt Iuda, vbi abſconditus eſt Dauid in ſolitudine, quæ eſt in Aulone Iericho, hoc eſt, in regione campeſtri: Vocatur autem vſque hodie vicus pergrandis Iudæorum Engadda, iuxta mare mortuum, vnde & opobalſamum venit & ibi ſunt: quas vineas Engaddi Salomon nuncupat. De hoc pari modo Ioſephus refert. dicens eos caſtra poſuiſſe apud Gaddi ciuitatem, quæ eſt circa paludem Aſphaltidem, trecentis ſtadiis procul ab Ieroſolimis, in qua naſcitur palma præcipua & opobalſamum: Thamar enim palma interpretatur.

F *Ioſaphat autem timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium in vniuerſo Iuda. Congregatuſque eſt Iudas ad deprecandum Dominum, ſed, & omnes de vrbibus ſuis venerunt ad obſecrandum Dominum: Cumque ſtetiſſet Ioſaphat in medio cœtu Iudæ & Hieruſalem, in domo Domini ante atrium nouum, ait: Domine Deus patrum noſtrorum tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua eſt fortitudo & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere,* &c.

Atrium nouum ipſum templum Domini. Atriũm id nominat, eo quod Ioſaphat rex ab omnibus immundiciis quibus idololatræ reges illud polluerant, emundabat, & ſic atrium quod prius peccãdo filij Iſrael vetus fecerant, tunc pœnitendo ad priſtinam nouitatem reduxerant. Quod autem dicit Iahaziel Propheta miſſus ad Ioſaphat; *Nolite timere nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei: cras deſcendetis contra eos; aſcenſuri enim ſunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis illos in ſummitate torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Ieruel: non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos,* &c. Eundem locum Hebræi autumant G eſſe cliuum Sis quaſi ſolitudinem Ieruel: dicunt enim quod Sis, hoc eſt lebes ſiue olla, ideo nuncupatus ſit, eo q plurima ibi multudo hoſtium conſciſſa eſt; & ob hoc Ieruel interpretatur timor Dei, quia de manifeſto auxilio Dei quod contulit ſperantibus in ſe, pauor vndique alienigenis circa Iudæam habitantibus exercuit. Myſtice autem tres ibi hoſtium cunei, hoc eſt, Moabitarum, & Ammonitarum, atque Idumæorum triplicem cateruam ſignificant hoſtium, & perſecutorum ſanctæ Eccleſiæ; paganorum ſcilicet, Iudæorum, atque hæreticorum, qui gratis bellum excitant fidelibus, & nomen Chriſti ſimul cum religione Chriſtiana auferre contendunt. Sed Ioſaphat myſticus, hoc eſt Eccleſiæ populus, nõ armis corporalibus, ſed ſpiritalibus aduerſus eos dimicare præparat: Inſiſtit enim precibus & intimo cordis voto ſupernum quærit adiutorium, vt ipſe de quo ſcriptum eſt. Dominus fortis, Dominus potẽs in prælio: Dominus conterens bella, Dominus nomen ei: & alibi: portas inimicorum obſidet, & caſtra hoſtium ipſe ſubuertit: vt ſu-H perbos humiliet, & proteruos opprimat, atq; confidentes in ſe, à cunctis periculis protegat. Quid enim aliud facit cottidie eccleſiaſticus ordo, atq; vniuerſus cætus fidelium, niſi ad inſtar Ioſaphat ſermone admonitus prophetico, inuocat Dominum tota animi intentione, laudat pia confeſsionis voce, pſallit bona operatione, patienter expectans ſupernum iudicium atque opem diuinam? Vnde pius arbiter exaudiendo clamantes ad ſe, liberat, atque inſidias hoſtium, in proprium caput conuertit; ita vt ipſa æmulatione, qua ad innocentium necẽ conſpirauerunt, ſemetipſos inuicem lanient, & ad extremum, gehennæ cruciatibus & morti perpetuæ tradantur.

Venit ergo Ioſaphat, & omnis populus cum eo ad detrahenda ſpolia mortuorum, inueneruntque inter cadauera, variam ſupellectilem, veſtes quoque, & vaſa precioſiſſima, & diripuerunt, ita vt omnia portare non poſſent, nec per tres dies ſpolia auferre

pre

A *pra prædæ magnitudine. Die autem quarto cõgregati ſunt in valle benedictionis, etenim quoniam ibi benedixerant Domino vocauerunt locum illum vallis benedictionis vſque in præſentem diem. Reuerſuſque eſt omnis vir Iuda, & habitatores Ieruſalem, & Ioſaphat ante eos, in Hieruſalem, cum lætitia magna, eo quod dediſſet eis Dominus gaudium de inimicis ſuis.*

Quid eſt quod Ioſaphat & filij Iſrael venerunt colligere ſpolia interfectorum, & per tres dies hæc congregauerunt, niſi quod ſancti Doctores cum cætera turba fidelium, colligentes de ſupermemoratorum hoſtium ſpoliis, quicquid de Phyſica, Ethica, logica, legendo, ſcribendo, & docendo vtiliter ediderunt, per ſanctæ Trinitatis fidem, in vſum totius ſalubriter conuertunt Eccleſiæ: vt quod iniuſti poſſeſſores, propter infidelitatem cordis eorum, ſine vllo ſalutis ſuæ remedio habebant, hoc pie in Dominum credentes, ſanctamque religionem fideliter tenentes, ad ſanitatem animarum ſuarum perpetuam poſſideant. Vnde bene conuenit quod dicitur, quod in quarto die congregati ſunt in valle benedictionis, ad benedicendum Dominum, ſicque introierint in Hieruſa-
B lem, cum lætitia magna: Vallis enim benedictionis, humilitas ſanctæ Eccleſiæ eſt, vbi condigne laudes Deo cotidie decantantur, de quo in Pſalmo ita ſcriptum
Pſal. 14. eſt. *Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.* Qui enim ſancto quatuor Euangeliorum dogmate inſtructus per fidem, & baptiſmum ad vnitatem ſanctæ peruenit Eccleſiæ, ibi rite laudans, ac digne Deo conuerſans cum ipſa matre omnium fidelium, viſione pacis perpetuæ, cum laude & lætitia ſempiterna intro re merebitur.

Poſt hæc iniit amicitias Ioſaphat rex Iuda cum Ochozia rege Iſrael, cuius opera fuerunt peſſima, Et particeps fuit vt facerent naues quæ irent in Tharſis: feceruntque claſſem in Aſion Gaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa ad Ioſaphat dicens Quia habuiſti fœdus cum Ochozia percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.

Diximus ſupra quod ſocietas & amicitia Ioſaphat regis Iuda, cum regibus Samariæ, illorum perſonam exprimeret, qui de Catholicorum numero ad hæreticorum
C ſocietatem aliqua fœderatione ſe compingerent, cuius amicitiæ pactum omnino non placet Deo: Vnde & refertur, quod naues quas rex Iuda & Samariæ pariter in Tharſis miſerunt, in Aſion Gaber contritæ ſint, quod Dominus percuſſit opera eorum, ad inſinuandum quod quicquid in præſentis vitæ nauigio cum hæreticorum concilio aut factione communiter agitur, coram oculis Dei diſplicere in extrema vltione declarabitur: Vnde ſaluator in Euangelio dicit, Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.

Caput XXI.

Dormiuit autem Ioſaphat cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid, regnauitq; Ioram filius eius pro eo. Qui habuit fratres filios Ioſaphat, Azariam & Iahiel & Zachariam, & Azariam & Michael, & Saphatiam: Omnes hi filij Ioſaphat regis Iuda & reliq.

Quod ergo enumerans ſex fratres Ioram, filios videlicet Ioſaphat regis Iuda, ſubiungit Scriptura dicens. omnes hi filij Ioſaphat regis, ſignificat quod iſti imitabantur
D perfectionem operum regis Ioſaphat, fratre eorum Ioram ſemper in deteriora labente, ob quod illos legitur idem Ioram interfeciſſe cum principibus Iſrael.

Dereliquerat enim Dominum Deum patrum ſuorum: inſuper & excelſa fabricatus eſt in vrbibus Iuda, & fornicari fecit habitatores Hieruſalem, & præuaricari Iudam. Allatæ ſunt autem ei litteræ ab Helia propheta in quibus ſcriptũ erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Quoniam non ambulaſti in vijs Ioſaphat patris tui, & in vijs Aſa regis Iuda, ſed inceſſiſti per iter regum Iſrael, & fornicari feciſti Iudam & habitores Hieruſalem, imitatus fornicationem domus Achab; inſuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidiſti; ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis, vniuerſaque ſubſtantia tua.

Hæc ergo vindicta quę per Prophetam prędicta fuerat Ioram regi, per manus Philiſtinorum, & Arabum, iuxta merita ſua, in eo completa eſt, cum eius terram vaſtauerunt, & diripuerunt cunctam ſubſtantiam, filioſq; eius, pariter & vxores. Iuxta allegoriam quoque Ioram, qui interpretatur quis eſt excelſus, & de religioſo patre Ioſaphat genitus, ad perfidiam declinauit, & fornicari fecit filios Iuda, imitatus fornicationem domus Achab: eos poteſt ſignificare, qui Catholica fide imbuti, ac Chriſtiano baptiſmate regenerati, Eccleſiæ inſtruebantur ſacramentis; ſed relinquentes fidei veritatem errores ſequuntur hæreticorum, & non ſolum ipſi à tramite ſani dogmatis exorbitant, immo alios ſecum per errorum deuia ducere certant. Vnde illos Helias, hoc eſt ſermo Propheticus redarguit, quia omnis diuinorum librorum ſanctio tales reprehendit; ac merito ſuæ peruerſitatis grauiſſimis conteſtationibus increpat. Hinc per Ezechielem commemorans beneficia ſua, & populi peruerſi tergiuerſationem exprobrans Dominus, ad Iudam ait. *Iuraui* Ezech. 16.
tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum ait Dominus Deus, & facta es mihi, & laui te in aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te,
& vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te ianthino, F
& cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo & polymito, & multicoloribus; Similam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum, & egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te dicit Dominus Deus tuus, & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres. Et ſumens de veſtimentis tuis, feciſti tibi excelſa hinc inde conſuta, & fornicata es ſuper eis ſicut non eſt factum, neque futurum eſt, & tuliſti vaſa decoris tui, et de auro meo, et argento meo, quod dedi tibi, et feciſti imagines tibi maſculinas, et fornicata es in eis. Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, et operuiſti illas et oleum meum et thymiama meum poſuiſti coram eis, et panem meum quem dedi tibi, ſimilam et oleum, et mel, quibus enutriui te, poſuiſti in conſpectu eorum in odorem ſuauitatis; & paulo poſt. *Propterea meretrix audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Quia effuſum eſt æs tuum, et reuelata eſt* G
ignominia tua in fornicationibus tuis, ſuper amatores tuos, et ſuper idola abominationum tuarum in ſanguine filiorum tuorum, quos dediſti eis: ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, et omnes quos dilexiſti cum vniuerſis quos oderas, et congregabo eos ſuper te vndique, et nudabo ignominiam tuam coram eis et videbunt omnem turpitudinem tuam, et iudicabo te iudicio adulterarum, et effundentium ſanguinem, et dabo te in ſanguine furoris et zeli, et dabo te in manus eorum, et deſtruent lupanar tuum, et demolientur proſtibulum tuum et denudabunt te veſtimentis tuis, et auferent vaſa decoris tui, et derelinquent te nudam plenamque ignominia, &c.

Tu autem ægrotabis peſſimo languore vteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per dies ſingulos, & reliq.

Cruciantur ergo vteri, hoc eſt, mentes hæreticorum, languore peſſimo perfidiæ, donec egrediantur vitalia eorum paulatim per dies ſingulos; quouſque videlicet omnis vigor ſenſus eorum, per vecordiam deſipiendo, veracis ſapientiæ vitalem funditus perdat intellectum. Deua-
ſtabunt eos Philiſtæi & Æthiopes ſpiritales, diripientes cunctam ſubſtantiam eius laboris, quæ inuenta eſt in do- H
mo conuerſationis ſuæ: inſuper & filios eorum & vxores, hoc eſt, ſollicitudinem carnalem, & fructus operum nefandorum, ducent cum omni ſupellectile ſua in loca tenebrarum, & profundum tartari inferni, morienturque infirmitate peſſima diſpenſationis, nec eis populus cultum celebrem præbet exequiarum, ſed delentur de libro viuentium, neque cum iuſtis in cœleſti regno conſcribi merentur. Iuſti vero poſſidebunt terram viuentium, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam, ini- Pſal. 36.
mici autem Domini, mox vt honorificati & exaltati fuerint, deficientes vt fumus deficient, peribit memoria eorum cum ſonitu, & nomen eorum in cætu ſanctorum non memorabitur amplius. Vnde & ſequitur.

Mortuuſque eſt in infirmitate peſſima, & non fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat maioribus

eius.

A *eius. Triginta duorum annorum fuit cum regnare cœpiſſet, & octo annis regnauit in Hieruſalem. ambulauitque non recte. Et ſepelierunt eum in ciuitate Dauid, veruntamen non in ſepulchro regum.*

Capvt XXII.

Conſtituerunt autem habitatores Ieruſalem Ochoziam filium eius minimum regem pro eo: Omnes enim maiores natu qui ante eum fuerant, interfecerunt latrones Arabum, qui irruerant in caſtra. Regnauitque Ochozias filius Ioram regis Iuda. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, & vno anno regnauit in Hieruſalem.

Quæſtio valde perplexa hic oboritur, vbi dicitur Ioram octo annis regnaſſe, & quadraginta vixiſſe; filium autem eius Ozochiam cum regnare cœpiſſet, fuiſſe quadraginta duorum annorum. Quod ita eſt, duobus annis antequam ipſe pater natus eſſet, filium genuit. Hoc niſi alio modo intelligatur, quam ſit ridiculum, ſimplex etiam lector aduertit. Vnde hanc quæſtionem Hebræi ita B ſoluunt, quod Ioram ipſe qui hic quadraginta annis vixiſſe deſcribitur, & octo annis regnaſſe, vixerit annos quadraginta, & regnauerit viginti octo. Etenim anni octo qui ei in regno tribuuntur, ipſi ſunt, quibus regnauit antequam fratres occideret, cum adhuc vtique innocenter viueret. Reliqui vero viginti anni quibus poſtea regnauit, idcirco à numero eius auferuntur, quia in languore & tribulatione deduxit eos. Ideoque filio eius ijdem tribuuntur: qui nõ amplius quam viginti annorum duorum, iuxta id quod in regum ſcriptum eſt, regnaſſe perhibetur, ne de numerorum ſumma remanentes anni, errorem in indagatione temporum facerent. Ozochias enim vixit XXIII. annis, ex quibus vno tantum anno regnauit. Collatio enim lectionis libri Regum, huic quæſtioni ſoluendæ, magnum præbet auxilium. *Igitur Azarias filius Ioram Rex Iuda, deſcendit vt viſeret Ioram filium Achab in Iezrahel, ægrotantem.* Hic Azarias paulo ſuperius Ochozias nominatus eſt, Ochozias enim interpretatur apprehendens Dominum, & Azarias adiutorium Domini: Ideoque & Hebræi putant, mutatum ei nomen in meC lius in hoc loco, eo quod iuxta præceptum Domini, ad infirmum viſitandum deſcenderat.

Voluntas quippe fuit Dei aduerſum Ochoziam, vt veniret ad Ioram, & cum veniſſet, & egrederetur cum eo aduerſum Iehu filium Namſi, quem vnxit Dominus vt deleret domum Achab. Cum ergo ſubuerteret Iehu domum Achab, inuenit principes Iuda, & filios fratrum Ochoziæ, qui miniſtrabant ei, & interfecit illos. Ipſumque perquirens Ochoziam comprehendit latentem in Samaria adductumque ad ſe, occidit.

Refertur in hiſtoria Regum qualiter per Helizæum Prophetam Dominus ordinauerit Iehu ad extirpandum domum Achab, & ſacerdotes Baal interficiendos. Qui & percuſſit Ioram regem Iſrael, & Ochoziam regem Iuda, & Iezabel impijſſimam reginam de palatio in Iezrahel præcipitare fecit. Iehu enim typice poteſt deſignare gentium principatum, quem Dominus ac Redemptor noſter deſtinauit, vt in ſacrilega ciuitate, quæ Prophetas & ipſum Dominum Prophetarum occidit, & Apoſtolos D eius perſecuta eſt, iudicia exerceret, & eam vltione iuſta perimeret, atque ſacerdotium vanum quod poſt Chriſti aduentum inaniter habuerat, deſtrueret: templumque ſubuerteret, nec non & impiam ſynagogam, quæ ſanguinem ſanctorum ſemper ſitiebat, de regni culmine præcipitaret, ac rectores ipſius interficeret.

Nec erat ſpes aliqua vt de ſtirpe regnaret Ochoziæ: Siquidem mater eius Athalia videns quod mortuus eſſet filius ſuus, ſurrexit, & interfecit omnem ſtirpem regiam domus Ioram. Porro Ioſabeth filia regis, tulit Ioas filium Ochoziæ, & furata eſt eum de medio filiorum regis cum interficerentur: abſconditque eum cum nutrice ſua in cubiculo lectulorum. Ioſabeth autem quæ abſconderat eum, erat filia regis Ioram, vxor Ioiadæ Pontificis, ſoror Ochoziæ; & idcirco Athalia non interfecit eum: fuit ergo cum eis in domo Dei abſconditus ſex annis, quibus regnauit Athalias ſuper terram.

Athalia ergo hæc, quæ ſemen Dauid extinguere mo-

E liebatur, & regiam ſtirpem delere, bene impietatem exprimit ſynagogæ, quæ per nequitiam mentis ſeminis Dauid, hoc eſt Chriſti inſidiatrix erat, & odium contra eum ſemper in corde gerebat. Quæ aliquando regnare videbatur, cum legis ceremonias temporaliter obſeruabat. Interpretatur autem Athalia, temporalis Domini. Sed Ioſabethæ ſtrenuitate, quæ interpretatur ſaturitas Domini, id eſt, Eccleſiæ, in qua veræ ſunt deliciæ, ſeruatur Ioas, qui interpretatur memoria *Domini*: CHRISTVS videlicet, in quo memoria eſt nominis Domini, ne per crudelitatem ſæuientis hoſtis, interimatur in cordibus electorum, magiſque nutriatur in domo Ioiadæ Pontificis, qui delectus Domini interpretatur: de quo patris vox ait. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Cuius domus eſt ſancta Eccleſia, vbi in fide electorum manens cottidie facit augmentum corporis ſui, donec tempore iudicij ſceptrum regni, & potentiam aduerſus eos extollet, qui eum deprimere cogitabant, & interfectricem ſanctorum, æternis F deputabit pœnis.

Capvt XXIII.

ANNO *autem ſeptimo confortatus Ioiada, aſſumpſit centuriones. Azariam videlicet filium Ieroam, & Iſmahel filium Iohanan, Azariam quoque filium Obed, & Maaſiam filium Adaia. & Elizaphat filium Zechri, & inijt cum eis fœdus. Qui circumeuntes Iudam, congregauerunt Leuitas de omnibus locis Iuda, & principes familiarum Iſrael, veneruntq; in Hieruſalem. Inijt ergo omnis multitudo pactum in domo Domini cum rege*, &c.

De hac eadem re & in libro Regum quarto narratur: in cuius expoſitione quæ ex patrum dictis explanata inuenimus, inſeruimus. Sed & nunc quomodo Ioſephus hiſtoricus Iudæorum de hoc referat inſerendum cenſemus, vt lector diligens cum diuerſorum narrationes audierit, facilius veritatem rei poſſit agnoſcere. Qui hoc modo refert. Ochozias ex vno patre habuit ſororem nomine Ioſabeth, cui copulatus erat Pontifex Ioiada. Hæc ingreſſa regiam domum, vbi erant interG fecti filij Regum, Ioas nomine infantulum anniculum celatum inueniens cum nutrice, & portans in cubiculum clauſit, & latenter aluit ipſa, & vir eius Ioiada in templo, ſeptem annis, quibus in Hieroſolimis ſuper duos tribus Athalia regnauit; Septimo vero anno, Ioiada hunc ſermonem pandidit quinque viris centurionibus, eiſque ſuaſit, vt ei conſiſterent contra ea quæ ab Athalia fuerant perpetrata, & regnum infanti traderent: percepturuſque ab eis iuſiurandum, quod ſecuritas talia gerentibus præpararetur, prodidit eis quæ gerenda forent, atque complenda. Tunc viri quibus ſacerdos Ioiada ſuum conſilium commiſerat, circumeuntes omnem prouinciam, ſacerdotes & leuitas congregantes ex ea, ſimul & principes tribuum omnes, Hieroſolymas ad Pontificem deduxerunt. Qui mox fidem ab eis iureiurando petit, vt quod ab eo cognoſcerent, cum taciturnitate ſeruarent, donec niſus eius intentionis potuiſſet impleri. Quibus iurantibus, ſecurus effectus, deduxit eum quem de genere Dauid enutrierat. Iſte, inquit, voH bis Rex ex illa domo erit, quam noſtis Dominum prophetaſſe ſuper nos omni tempore regnaturam. Moneo ſiquidem, vt tertiam partem veſtram, cum in templo cuſtodire faciatis, quatuor vero in omnibus templi ianuis ſtatuatis, reliqua vero pars teneat portam quæ ducit ad tecta regalia, alia vero inermis multitudo, conſiſtat in templo, nullumque armatum permittatis intrare, niſi tantummodo ſacerdotes. Eiſque præcepit, vt aliqua pars ſacerdotum & leuitarum, circa ipſum regem aſſiſteret, eum euaginatis gladijs circumdantes, vt ſi quis armatus in templum intrare præſumeret, repente perimeretur, & nihil metuentes, regem tam fortiter obſeruarent. Illi vero conſilio Pontificis obedientes, ſuam voluntatem opere declararunt. Interea Ioiada aperiens armamentum, quod erat in templo à Dauid conſtitutum, diuiſit centurionibus, & ſacerdotibus, &

pariter

Digitized by Google

A pariter leuitis, arma quæcunque illic inuenit, lanceas & pharetras, & quodcumque aliud apprehendit genus armorum, & armatos circa templum ſtatuit, vt manu ſua totum conſtipare viderentur ingreſſum, & quaſi murum habere, ſtudere molirentur. Producenteſque Ioam in medio puerorum ei regium diadema poſuerunt, & vngens eum Ioiada, regem ſolemniter ordinauit. Populus itaque gaudens clamauit: viuat rex. Porro Athalia tumultum & laudes inopinatas repente cognoſcens, vehementer perturbata, cum ſuo exercitu de regalibus exiliuit, & cum veniſſet ad templum, ſacerdotes quidam eam protinus exceperunt; armatos vero qui ſequebantur introire prohibuerunt. Erant enim à Pontifice præpoſiti ſicut dictum eſt, vt templi aditus obſeruarent. Tunc itaque Athalia, videns puerum ſtantem ſuper tribunal regium, eique diadema regale ſuperimpoſitum, ſciſſa veſte ſua, vehementer exclamans, iuſſit occidi qui ei fecit inſidias, & principatum auferre tentauerat. Ioiada vero euocans centuriones, iuſſit vt educerent Athaliam in conuallem B Cedron, eamque illic perimerent, ne templum, occidentes illic veneficam, violarent. Vnum præcipiens, vt ſi quis ei ferre velit auxilium, pari ſorte perimeretur. Tunc quidam, cui fuerat eius iniuncta peremptio, ſumens Athaliam deduxit eam ad portam mularum regis, & illic interfecit. Hæc Ioſephus. Porro quod in hiſtoria ſcriptum eſt, quod *vnxerit Ioiada Pontifex & filij eius* Ioiam in regem, *imprecatique* dixerint, *viuat rex.* filios Ioiadæ Synechdochice pro ſolo Zacharia poſuit, qui Propheta erat, quem poſtea idem Ioas interfecit, vt ad magnum damnationis pertineret augmentum, eum interficere, qui ſe in regem vnxerat.

Quod cum audiſſet Athalia vocem ſcilicet currentium, atque laudantium regem, ingreſſa eſt ad populum in templum Domini. Cumque vidiſſet regem ſtantem ſuper gradum in introitu, & principes turmaſque circa eum, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Inſidiæ, inſidiæ. &c.

Gradum dicit columnam illam ſiue baſim, quam præparauit Salomon, in Baſilica, de quo in ſuperioribus ſcriptum eſt, quod fecerat Salomon baſim æneam, & poſuerat eam in medio Baſilicæ, habentem quinque cubitos C longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos in altum, ſteteritque ſuper eam, & deinceps flexis genibus contra vniuerſam multitudinem Iſrael, & palmis in cœlum leuatis orauerit.

Pepigit autem fœdus Ioiada inter ſe, vniuerſumque populum, & regem, vt eſſet populus Domini.

Quid eſt quod dicit Ioiadam inter ſe, vniuerſumque populum, & regem pepigiſſe fœdus, niſi quod ſe loco legis & Dei, cuius miniſter erat, poſuit? ſicut in libro regum oſtenditur, vbi ita ſcriptum eſt. *Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, & inter regem, & inter populum, vt eſſet populus Domini.* Vnde interpretatur Dominum cognoſcens, ſiue Dominum diligens, quia Dominum cognoſcere filios Iſrael docuit. Pepigit itaque fœdus Ioiada inter Dominum, & populum, & regem, vt vterque, hoc eſt rex & populus, obedirent Deo & legi eius. Pepigit inter regem & populum, hoc eſt, vt populus erga regem fideliter ageret, & rex populum cum iuſtitia regeret. *ſub manibus ſacer-* D *dotum & leuitarum*, quorum officij fuit vt præcepta Domini, & legitima eius eis inſinuarent.

Capvt XXIV.

Poſt quæ placuit Ioas vt inſtauraret domum Domini; Congregauitque ſacerdotes & leuitas. & dixit eis. Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerſo Iſrael pecuniam ad ſarta tecta templi Dei veſtri per ſingulos annos, feſtinatoque hoc facite. Porro Leuitæ egerunt negligentius. Vocauitque rex Ioiadam principem, & dixit ei. Quare non tibi curæ fuit vt cogeres Leuitas inferre de Iuda & Hieruſalem pecuniam, quæ conſtituta eſt à Moyſe ſeruo Domini, vt inferret eam omnis multitudo Iſrael in tabernaculum teſtimonij?

Pecunia ergo quæ conſtituta eſt à Moyſe in tabernaculum deferenda, ipſa eſt quam Dominus in Exodo præ-
Exod. 30. cepit Moyſi dicens. *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael,*

E *iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino & non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli, iuxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis & ſupra, dabit pretiũ. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Suſceptamque pecuniam quæ collata eſt à filijs Iſrael, in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monimentum eorum coram Domino & propitietur animabus illorum.* Spiritali autem ſenſu ſumma filiorum Iſrael, ſummam omnium deſignat electorum, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlo. Singulique dant pro animabus ſuis precium Domino, cum ei in bonis operibus exhibent ſedulæ ſeruitutis obſequium. Alioquin plaga erit in eis, cum fuerint recenſiti: quia nimirum vltio manet perpetua eos, qui fidelium numero nominetenus ſociati, perfecta fidei opera Domino offerre detre-
ctant. Diciturque de talibus. *Non dabunt Deo placationem* Pſal. 48.
ſuam; & pretium redemptionis animæ ſuæ. Redemptio enim *ani-* Prou. 13.
mæ viri, diuitiæ ſuæ, vt Salomon ait: ſiue temporales, ſcili-
F cet cum eas diſtribuerit, dederitque pauperibus, vt iuſtitia eius maneat in ſeculum ſeculi: ſeu ſpiritales, hoc eſt ipſa iuſtitia, quam fecit, vel miſerando pauperibus, vel alia bona faciendo. Dabit autem omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli, hoc eſt viginti obolos, quod non aliud aptius quam obſeruantia Decalogi à nobis valet intelligi. Qui enim recte intelligere legem nouit, omnem in eo fidei atque operis plenitudinem, & futuræ promiſſionem retributionis ineſſe cognouit; namque in primis tribus, dilectio Dei, in ſequentibus ſeptem dilectio eſt proximi comprehenſa. Et Apoſtolo teſte, plenitudo legis eſt dilectio. Sed & aliud ſacramentum nequaquam prætereundum eodem numero denario continetur. Nomen enim Ieſus apud Hebræos à Iod, apud Græcos à iota incipit: quæ vtraque in ſua gente denarij eſt nota numeri, decemque obolos in precium animæ ſuæ offerunt, qui in Ieſum Chriſtum credentes ſignum nominis eius quod à denario numero incipit, in fronte & profeſſione proferunt. Et fortaſſe huius gratia ſacramenti, Dominus in Euangelio teſtatur, Iota vnum de lege præteriri non poſ-
G ſe: quia virtus decalogi quæ ibi continetur, fideſque nominis ipſius quæ ibi myſtice ſignatur, nulla vnquam poteſt infidelium perturbatione corrumpi. Suſcepta à filijs Iſrael pecunia in monimentum eorum coram Domino infertur, cum omne quicquid agimus boni, in æterna apud conditorem ac iudicem noſtrum memoria cuſtoditur quatenus ex eis, quæ illi obtulimus bonorum operum fructibus, propitius nobis fieri dignetur. Seruaturque eadem pecunia in vſum, cum ex bonis actibus ſequentium in Chriſto fidelium mores actuſque confirmantur, ac tales fieri minoreſque contendunt, quales fuiſſe eos quos cum Domino regnare norunt, agnoſcũt. Sequitur.

Athalia enim impijſſima, & filij eius, deſtruxerant domum Dei, & de vniuerſis quæ ſanctificata fuerant templo Domini, ornauerant fanum Baalim.

Non ideo dicit filios Athaliæ deſtruxiſſe cum ea domum Dei, quod ipſa filios aliquos habuerit tunc viuentes, cum antea legatur, quod Ochozia mortuo, quia non
H habuerat filium, omne ſemen regium interficere molita ſit, ſed filios eius, ſacerdotes nominat idolorum, qui ſpoliauerunt templum ornamentis ſuis, & ex eis ornauerunt idola ſua. Plerumque in ſacro eloquio filij non naſcendo, ſed imitando vocantur.

Præcepit ergo Rex, & fecerunt arcam poſueruntque eam iuxta portam Domini forinſecus, & prædicatum eſt in Iuda & Hieruſalem, vt deferrent ſinguli precium Domino quod conſtituit Moyſes ſeruus Domini ſuper omnem Iſrael in deſerto. Lætatique ſunt cuncti principes, & omnis populus, & ingreſſi contulerunt in arcam Domini, atque miſerunt, ita vt impleretur, &c.

Quid eſt quod Ioas rex ſacerdotes arguit, quod inertes & minus ſtudioſi fuerint in inſtauratione templi Domini, & quod pecunia collata à populo iuſſu regis per manus miniſtrorum, cæmentarijs & artificibus operum dabatur, vt reſtaurarẽt ſciſſuras parietum, & ſarta tecta reædificarent, niſi quod redemptor noſter, quem Ioas hoc actu

A præfigurabat, nec non & nomine: interpretatur enim Domini robur, mandat Doctoribus ſuis, vt accipiant omnem pecuniam quæ à prætereuntibus offertur in templum Domini pro pretio animæ, & voto cordis ſui, cum quicquicquid à prætereuntibus iuſtis ſcientiæ ſpiritalis, vel bonorum exemplorum, in theſaurum Domini collatum eſt, per ſacerdotum, hoc eſt, prædicatorum officia, ad inſtaurationem templi ſpiritualis conferatur: quatenus ibi quodcumque ſciſſum per errorem, vel per vitia læſum inuenerint, reſtaurent; ne forte per negligentiam magiſtrorum depereat multitudo auditorum.

Dederunt pecuniam rex & Ioiada his qui præerant operibus domus Domini. At illi conducebant ex ea cæſores lapidum, & artifices operum ſingulorum, vt inſtaurarent domum Domini: fabros quoque ferri & æris, & quod cadere cœperat, fulciretur, &c.

Cum rex noſter ſimul & ſacerdos, qui ſemetipſum patri obtulit pro nobis, pecuniam verbi diuini dignis diſpenſatoribus commendabat, vt euangelici tritici menſuram conſeruis ſuis his qui operantur in domo B Domini, & virtutum opera in ædificio diuino componunt, tribuerent: quid ergo fecerunt Apoſtoli, quos in Eccleſia principes electio diuina conſtituit, quando per ſubiectos ſibi diſcipulos verbi diuini ſomina per totum orbem ſparſerunt? quatenus operarios voluntatis Dei idoneos in auditoribus ſuis perficerent. Quorum alij fabricabant ligna, cum ſemetipſos, & eos qui ſibi obediebant, quando illa quæ per hæreſim & ſchiſmata rupta erant, reædificabant: Alij ſaxa cædebant, cum duros corde & incredulos fortiter increpabant. Alij metallis ferri & æris fabricabant, cum firmum robur rectæ credulitatis, & claram confeſsionem Catholicæ veritatis ab vnaquaque perſona rite expetebant, ita vt impleretur inſtauratio domus Domini in vniuerſis quę indigebant expenſa ad muniendum domum Domini, iuxta illud dictum Apoſtoli quo ait, *vnicuique autem* Ephes. 4. *noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Et paulo poſt: *Et ipſe,* inquit, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas alios vero Euangeliſtas, alios vero paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus* C *miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.*

Cumque omnes compleſſent omnia opera, detulerunt coram rege & Ioiada reliquam partem pecuniæ de qua facta ſunt vaſa templi in miniſterium, & ad holocauſta Phialæ quoque, & cætera vaſa, aurea & argentea, &c.

Quibuſdam autem minus conſiderantib. ſacrę ſcripturæ concordiam, videtur hæc ſententia contraria eſſe illi, quæ in libro regum ſcripta eſt, vbi dicitur. *Veruntamen non* 4. Reg. 12. *fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuſcinulæ & thuribula. & tubæ, & omne vas aureum & argenteum de pecunia quæ inferebatur in templum Domini:* non enim hic narratur quod de eadem pecunia quæ offerebatur à populo in templum Domini, ad inſtaurationem domus Dei facta fuerint ſacra vaſa in miniſterium templi. & ad holocauſta; ſed de reliqua parte pecuniæ, hoc eſt, ea quæ ex alijs donationibus collata fuerat. Potuit enim fieri, vt in diuerſis temporibus pecuniæ oblatæ, diuerſæ facturæ materiam præberent. Myſtice autem ſignificat, quod alia debet eſſe ratio formandorum ſpiritualium vaſorum in D miniſterium Domini; alia parandorum lignorum & ſaxorum in ædificium domus: quia alia debet eſſe doctrina, qua rudes imbuantur ad fidem, & alia qua iam perfecti inſtruuntur ad ſcientiæ plenitudinem. Bene autem vaſa domus Domini illi poſſunt intelligi, qui iam apti ſunt ad capienda munera diuina, & habiles fiunt ad miniſterium Dei. Sed phialæ tantum nominatim in Paralipomenon cum cæteris vaſis quæ ſpecialiter non exprimuntur, facta eſſe narrantur, quæ poſſunt ingenij capacitatem, vel latitudinem cordis, per dilectionem exprimere. Hæc videlicet vaſa efficiuntur aptiſsima ad miniſterium Dei. Cæterum nec illud etiam ſine myſterio eſt, quod in regum narratur, factas eſſe Hydrias & fuſcinulas, thuribula, & tubas. Nam hydriæ eos ſignificare poſſunt, qui aquam ſapientiæ diuinæ in ſe continent, fuſcinulæ quoque Doctores ſpeciales, quorum officij eſt, corpus & ſanguinem E Domini credentibus diſtribuere, & infidelibus abnegare: nec non & ſpecialem alimoniam verbi, cuique prout conuenit diſpertiri, quia ſunt in verbis Dei nonnulla, quæ noſtræ humilitati reuelare, & ad noſtræ epulas refectionis concedere, dignatus eſt Chriſtus; Sunt alia item tantæ profunditatis, quæ Spiritus ſancti ſolummodo ſcientiæ pateant; noſtræ vero capacitatis per omnia menſuram tranſcendant. Thuribula autem illos figurate demonſtrant, qui mundam orationem, ex conſcientia pura, & fide non ficta, offerunt Deo, & cum Propheta dicere poſſunt: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in* Psal. 140. *conſpectu tuo.* Tubæ autem quid aliud ſignificant, quam prædicatores ſanctos, qui in toto orbe terrarum, vocem Euangelicæ prædicationis emittunt? Quorum perſonæ per Prophetam dictum eſt: *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta* Isa. 58. *vocem tuam, & annuncia populo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et Pſalmiſta: *In omnem terram exiuit ſonus eo-* Psal. 18. *rum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Senuit autem Ioiada plenus dierum, et mortuus eſt cum eſſet F *centum triginta annorum: ſepelieruntque eum in ciuitate Dauid cum regibus, eo quod feciſſet bonum cum Iſrael et cum domo eius.*

Quid eſt quod Ioiada bonum feciſſe dicitur cum Iſrael & domo eius, niſi quod plebem Iſraeliticam, quæ domus Iacob, vel domus Iſrael ſæpe in Scripturis nominatur, cunctis diebus ſacerdotij ſui rite regebat, & ad cultum Dei diligenter inſtituebat? Vnde illis placato Deo, bona proſperitatis & pacis prouenire poterant. Ioſephus autem ideo eum dicit, Hieroſolymis in regiis monumentis ſepultum, quoniam generis Dauid reparaſſet imperium. Numerus autem ipſe annorum ætatis Ioiadæ, bene valet perfectionem vitæ eius ſignificare, pro qua æternam beatitudinem merito adeptus eſt: nobiſque figuraliter innuit, quod ſi tempus præſentis vitæ, in ſanctæ Trinitatis fide, cum profeſſione bonorum operum ſtuduerimus complere, ad æternam beatitudinem, quæ eſt in dextera Dei, opitulante gratia ipſius, perueniemus, & quiete æterna, cum G ſanctis illius, qui veri reges ſunt, in æternum perfruemur.

Poſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt principes Iuda, et adorauerunt regem, qui delinitus obſequijs eorum, acquieuit eis, et dereliquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſeruieruntque lucis et ſculptilibus, et facta eſt ira contra Iudam et Ieruſalem propter hoc peccatum.

Tradunt Hebræi adoratum à principibus Iuda regem Ioas fuiſſe, vt Deum, & honores ſupra modum humanum à ſibi ſubditis exhibitos, libenter accepiſſe. Vnde nimis offendebat Dominum, cuius iram ſubito expertus eſt. Nulla enim dementia maior eſſe poterit, quam creaturam corruptibilem, ſempiternæ Deitatis ſibi vſurpare honorem, & per arrogantiæ faſtum, propriam nolle cognoſcere menſuram. Ob quam cauſam & Herodes legitur in Actibus Apoſtolorum ab Angelo eſſe percuſſus, eo quod Domino non reddidit honorem. Vnde nobis omne genus ſuperbiæ & arrogantiæ omnino fugiendum eſt, quia ſuperbis Deus reſiſtit, & omnis arrogantia abominatio eſt apud Deum; humilibus autem diuinitas ſua præſtat gratiam, & ſuper humilem H atque quietum requieſcit ſpiritus Dei. Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

Spiritus itaque Domini induit Zachariam filium Ioiadæ ſacerdotem, et ſtetit in conſpectu populi et dixit eis. Hæc dicit Dominus. Quare tranſgredimini præceptum Domini quod vobis non proderit, et dereliquiſtis Dominum, vt derelinqueret vos? Qui congregati aduerſus eum, miſerunt lapides iuxta regis imperium, in atrio domus Domini, et non eſt recordatus Ioas rex miſericordiæ. quam fecerat Ioiada pater illius ſecum, ſed interfecit filium eius. Qui cum moreretur ait. Videat Dominus, et requirat.

Quæſtio hic oboritur, quare Dominus in Euangelio Zachariam inter templum & altare occiſum memorans, filium Barachiæ eſſe dixerit, cum præſens

A historia filium eum Ioiadæ fuiſſe manifeſte deſignet? Vnde nonnulli ſuper hac ſententia diuerſas ponunt opiniones. Alii Zachariam filium Barachiæ, dicunt eum eſſe qui in duodecim Prophetis vndecimus eſt, patriſque nomen conſentit in eo; ſed vbi occiſus ſit inter templum & altare ſcriptura non loquitur, maxime cum temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibuſdam Apocriphorum libris approbantes, quod Propheta occiſus ſit, quia ſaluatoris prædicauerit aduentum. Hoc quia de Scripturis non habuit auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Alij iſtum volunt eſſe Zachariam, qui occiſus ſit à Ioas rege Iudæ inter templum & altare ſicut regum narrat hiſtoria. Sed obſeruandum, quod ille Zacharias non ſit filius Barachiæ, ſed filius Ioiadæ Sacerdotis. Vnde ſcriptum refert, Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quæ ſibi feciſſet bona. Cum ergo teneamus Zachariam, & occiſionis conſentiat locus, quæramus quare Barachiæ dicitur filius, & B non Ioiadæ. Barachia in lingua noſtra benedictus Domini dicitur; & ſacerdotis Ioiadæ iuſtitia Hebræo nomine demonſtrantur. In Euangelio quoque quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ ſcriptum reperimus. Simpliciores fratres inter ruinas templi & altaris ſiue in portarum exitibus, quæ Siloam ducunt, rubra ſaxa demonſtrantes, Zachariæ ſanguine putant eſſe polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudæorum, & fidei pietate deſcendit.

Cumque euolutus eſſet annus, aſcendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Iudam & Hieruſalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuerſam prædam miſerunt regi in Damaſcum, & certe cum permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum, infinitam multitudinem, eo quod dereliquiſſent Dominum Deum Patrum ſuorum: in Ioas quoque ignominioſa exercuere iudicia & abeuntes, dimiſerunt eum in languoribus magnis.

Narrat quoque Ioſephus, quod Azahel Aſſyriorum Rex in prouinciam Iudæorum miſiſſet exercitum, qui deuaſtauit eam; atque depopulauit Geth. Cum vero eſſet ad Hieroſolymam venturus, metuens Ioas obſeſ- C ſionem euacuatis omnibus Dei theſauris, atque regalibus, & miniſterij templi, miſit Syrorum regi. Hic tamen redimens, ne ciuitas pateretur oppreſſionem, aut periculum rerum omnium ſuſtineret. Cui dum ſatisfactum fuiſſet, ingenti multitudine pecuniarum, nequaquam ad Hieroſolymam caſtra metatus eſt. Similiter idem Rex Syriæ deuaſtauit Samariam, quia eo tempore Ioachaz filius Iehu imperium tenebat. Qui impie gerens, ſicut priores fecere Iſrahelitarum reges, Deum ſpreuiſſe videbatur. Hunc autem humiliauit Azahel rex. Nam ciuitates ei plurimas & maximas abſtulit, & eius milites trucidauit. Hæc itaque paſſus eſt Iſraelitarum populus, ſecundum Heliſæi prophetiam, quando Aſael occidit Dominum ſuum, quia eum regnaturum eſſe prædixerat ſuper Syros & Damaſcenos.

Surrexerunt autem contra eum ſerui ſui in vltionem ſanguinis filij Ioiada ſacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt. Sepelieruntque illum in ciuitate David, ſed non D *in ſepulchris regum. Inſidiati vero ſunt ei Zabad filius Seniaath Ammonitidis, & Iozabad filius Semarith Moabitidis.*

Denique Hebræi aſſerunt, idcirco Ammonitas & Moabitas inſidiatos eſſe regi Ioas, deteſtantes iniuſtam necem Zachariæ, ad exaggerandam maliciam Iſraelitarum, qui vlciſci voluerunt ſacerdotem Dei: quod illi fecerunt, qui filij alienigenarum fuerunt.

CAPVT XXV. E

VIginti quinque annorum erat Amaſias cum regnare cœpiſſet, & viginti nouem annis regnauit in Hieruſalem. Nomen matris eius Ioadan de Hieruſalem. Fecitque bonum in conſpectu Domini; verumtamen non in corde perfecto.

Quæri poteſt, quomodo Scriptura dicat Amaſiam bonum feciſſe in conſpectu Dei, ſed non in corde perfecto, cum nullo modo bonum illud opus, in conſpectu Dei fieri poſſit, quod non bono geritur animo? maxime cum Diuinitas, Scriptura teſtante, intueatur cor, & voluntas effectum condigne remuneret. Sed bonum dicitur feciſſe in conſpectu Dei, quia quandam ſpeciem bonorum operum, quæ placere Deo manifeſtum eſt, coram hominibus oſtendit. Hæc illi arbitrantur bona eſſe, quia facietenus videbant, & ſecundum hanc illa laudabant, ſed coram Deo iam accepta non erant, quia reprobo animo facta fuerant. Vnde ipſe Amaſias ſemper in deteriora relabens, nouiſſime in idololatriam corruit, per quam F & periit, quia radicem cordis probabilem non habuit, quæ pro cultu pietatis gratiam Dei promereri poſſet.

Congregauit ergo Amaſias Iudam & conſtituit eos per familias, tribunoſque, & centuriones, in vniuerſo Iuda & Beniamin, & recenſuit à viginti annis ſurſum, inuenitque triginta millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent haſtam & clypeum. Mercede quoque conduxit de Iſrael centum millia robuſtorum, centum talentis argenti: venit autem homo Dei ad illum, & ait: O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael: non eſt enim Dominus cum Iſrael, & cunctis filiis Ephraim. Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus. Dei quippe eſt, & adiuuare, & in fugam vertere, & cæt.

Quæritur quare dictum ſit, non eſſe Dominum cum Iſrael, & cunctis filijs Ephraim? & cur prius nominet Iſrael, quo vocabulo omnes decem tribus comprehendit, & poſtea ſpecialiter filios Ephraim. Ad intimandum ſcilicet, quod omnes, tam ſubditi quam etiam prælati, qui in Samaria regnabant poſt Hieroboam, qui de tribu fuit Ephraim, noxij erant, & idololatria polluti: Ideo enim Dominus reſpuit eorum ſocietatem in bello cum G tribu Iuda, quia idola ſecum habebant, quorum cultus maxime Deo diſplicebat.

Porro Amaſias confidenter eduxit populum ſuum, & abijt in vallem Salinarum percuſſitque filios Seir decem millia, & alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum cuiuſdam petræ, præcipitaueruntque eos de ſummo, in præceps. Qui vniuerſi crepuerunt.

Denique in Regum de eodem Amaſia ita ſcriptum eſt. *Ipſe percuſſit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocauitque nomen eius Iectehel vſque in præſentem diem.* 4. Reg. 14. Vallis Salinarum erat vbi ſalem faciebant, vel fœno videlicet ſalſuginis, vt multis in locis, deciſo, exſiccato, & incenſo: vel aliquibus puteorum ſalſis, feruefactis, & vſque ad ſalis firmitatem coquendo perductis: vel alio quolibet ordine, quo ſal fieri conſueuit. In quo etiam loco, & Ioab duodecim millia Idumæorum percuſſiſſe legitur. Nec prætereundum quod pro valle Salinarum vetus editio quaſi nomen regionis H Gemela poſuit. Petra autem ciuitas eſt Arabiæ nobilis, in eadem terra Edom, quæ in libro Numerorum Recem dicitur, & ab Aſſyrijs hodieque ſic appellatur. Iectehel vero quod Amaſias victor ei nomen impoſuit, interpretatur cœtus Dei, vel auxilium Dei, agente Deo videlicet, vt per eam maneat memoria, quod hanc vel cœtus populi *Dei*, vel *Deo* adiuuante cœpit. Sed Ioſephus Petram non aliquam ciuitatem hoc in loco nuncupat, vbi Amaſias Idumæos vicit, ſed tantum quod ex decem millibus occiſis, totidem viuos cœpit, eoſque deducens ad magnam petram, quæ eſt in Arabia conſtituta, ex ea præcipitauerit.

Amaſias vero poſt cædem Idumæorum & allatos Deos filiorum Seir, ſtatuit illos in Deos ſibi, & adorabat eos, & illis adolebat incenſum. Quamobrẽ iratus Dominus contra Amaſiã, miſit ad illum prophetam qui diceret ei: Cur adoraſti Deos qui nõ liberauerunt

A *runt populum ſuum de manu tua? Cumque hæc ille loqueretur, reſpondit ei. Num conſiliarius regis es? quieſce ne interficiam te.*

Narrant Iudæi, quod Amaſias Rex, propter hoc ablatos Deos filiorum Edom poſt necem eorum ſtatuerit ſibi in Deos, quia cum præcipitarentur illa decem millia, quæ de Petra Arabiæ proiecta ſunt, reſponſa talia cultoribus ſuis dederint, ideo illos interfectos eſſe, quia in cultu eorum negligentes fuerunt. Videns ergo Amaſias eos huiuſcemodi reſponſa dare, & aras eorum eripi, hoc errore deceptus, adorauit eos. Hunc ergo Prophetam qui miſſus eſt ad increpandum regem pro idololatria quam ſtulte gerebat, dicunt fuiſſe Eleazar filium Dodoi, id eſt, auunculi eius.

Ceſſauitq; Propheta & dixit: Scio quod cogitauerit Dominus occidere te, quia & feciſti hoc malum, & inſuper non acquieuiſti conſilio meo.

Quid eſt quod Propheta dicit, Dominum cogitare occidere Amaſiam, cum ipſe per alium Prophetam dicat, nolo mortem peccatoris ſed vt magis conuertatur & viuat? Et Apoſtolus de ipſo Domino ait, qui vult omnes

B homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Quomodo hoc dicitur velle occidere, qui neminem vult perire, niſi quia vult, vt conuerſus à peccatis viuat; eum aũt qui in peccatis perſeuerat, iuſto iudicio damnat. Ideo ergo Amaſias interijt, quia admonitus per Prophetam, vt conſilio pœnitentiæ ſibimetipſi ſubueniret, non obediuit, imo in incæpto ſcelere, vſque in finem vitæ permanſit.

Igitur Amaſias rex Iuda inito peſſimo conſilio, miſit ad Ioas filium Ioachaz filij Iehu regem Iſrael, dicens: Veni, videamus nos mutuo: at ille remiſit nuncios dicens: Carduus qui eſt in libano, miſit ad cedrum libani dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Et ecce beſtiæ quæ erant in ſylua Libani tranſierunt, & conculcauerunt carduum. Dixiſti: Percuſſi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in ſuperbiam, ſede in domo tua, cur malum aduerſum te prouocas, vt cadas & tu & Iuda tecum.

Quid per iſtam ſimilitudinem Rex Iſrael Amaſiæ Regi innuit, niſi quod ipſe, licet à nobilibus parentibus, hoc eſt à Dauid, regia fuiſſet ſtirpe natus; tamen propter idololatriæ fœditatem, degeneret & vilis effectus, pro-

C priam menſuram non conſiderauit; ſed maiora vltra modum per ſuperbiæ faſtum appetens, mediocria quæ ſi vellet commode poſſet, perdidit. Vnde & Æſopi fabulæ graculum, qui pauonis pennas ſibi vſurpare ad ornatum, per rapinam voluerat, aliarum auium laceratione, proprio decore exutum narrant. Neq; enim bonum eſt alieni propria bona negligere, & aliena per fraudem atque auaritiam ambire.

Aſcendit ergo Ioas Rex Iſrael, & mutuos ſibi præbuere conſpectus. Amaſias autem Rex Iuda erat in Bethſames Iudæ: corruitque Iudas coram Iſrael, & fugit in tabernacula ſua. Porro Amaſiam Regem Iudæ, filium Ioas, filij Ioachaz, cepit Ioas Rex Iſrael in Bethſames, & adduxit in Hieruſalem: deſtruxitque murum eius, à porta Ephraim vſque ad portam anguli quadringentis cubitis. Omne quoque aurum, & argentum, & vniuerſa vaſa quæ reppererat in domo Domini, & apud Obed-Edom, in theſauris etiam domus regiæ abſtulit, &c.

D Bethſames ciuitas eſt ſacerdotalis in tribu Beniamin, quæ vſque hodie demonſtratur de Eleutheropoli per Gennicopolim in decimo milliario contra orientalem plagam, vbi quoque Amaſias & Ioas mutuo contra ſe dimicauerunt. Altera autem eſt Bethſames in tribu Nephtalim ad regnum decem tribuum in Samaria pertinens. Quod autem in Regum dicitur Bethſames oppidum eſſe Iudæ, ſignificat quod ad regnum Iudæ, hoc eſt, ad duas tribus quibus domus Dauid regnabat, pertinebat: cæterum ſecundum locorum ſitum, ad ſortem pertinebat Beniamin. Illud autem quod ſcriptura refert, Ioas tuliſſe theſauros quos repperit in domo Dei, & apud Obed-Edom, oſtendit eum non ſolum illa vaſa tuliſſe, quæ in domo Dei repperit; ſed & illa quæ apud ianitores, & cuſtodes templi, ſeruabantur. In priore libro narratur quod de filijs Obed-Edom per Dauid fuiſſent electi ſexaginta duo viri ad miniſtrandum in domo Dei, & ad cuſtodiam templi.

E *Reliqua vero ſermonum Amaſiæ priorum & nouiſſimorum ſcripta ſunt in libro Regum Iuda & Iſrael. Qui poſtquam receſſit à Domino tetenderunt ei inſidias in Hieruſalem. Cumque fugiſſet in Lachis, miſerunt & interfecerunt eum ibi, reportanteſque ſuper equos, ſepelierunt eum cum patribus ſuis, in ciuitate Dauid,* &c.

Recte dictum eſt, quod ex eo tempore quo receſſit Amaſias à Domino, inſurrexerit ſuper eum coniuratio in Hieruſalem: quia ex eo tempore quo Prophetæ conſilium non audiuit, neque ad Dominum conuerti voluit, præparatio coniurationis illius facta eſt; & catenus dilata donec ad conſummationem perueniret. *Reportanteſque ſuper equos ſepelierunt eum.* Non enim ſine cauſa ſcriptura dicit eum portatum ſuper equos, quia Deos Edom, qui in equis portabantur, adorauerit. Et idcirco non portatum ſuper humerum hominum, quia negligens erat ſeruire Deo Iſrael, cuius miniſteria ſuper humeros Caathitarum portari iuſſa ſunt. Num. 4.

F

CAPVT XXVI.

SEdecim annorum erat Ozias, cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in Hieruſalem nomen matris eius Iechelia de Ieruſalem, Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Amaſias pater eius, & exquiſiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum.

Ozias hic Dionymus erat: quia qui in Paralipomenon Ozias, idem in regum nominatur Azarias. Ozias 4. Reg 15.
enim interpretatur virtus Domini; & Azarias auxilium Domini: & recte virtus Domini vel auxilium Domini vocatur, quia quamdiu recta egit, diuina ope adiutus, plurima commiſit feliciter bella, & vbique de hoſtibus triumphauit; ſed poſtquam per ſuperbiam illicita tentauit, lepra percuſſus, & nominis, & honoris ſimul fuſcauit dignitatem: quia leproſus factus, & excluſus à populo, ſeorſum in domo ſeparata, vſque ad diem mortis ſuæ habitauit. Quod autem dicitur quod Ozias exquiſierit Dominum *in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Dominum.* Hunc Zachariam narrant Hebræi filium

G eſſe Zachariæ filij Ioiadæ, qui poſt mortem patris natus eſt poſthumus, ob quod & nomen patris ſortitus eſt. Intelligens enim propter ſacerdotium nuncupatus eſt; videns vero propter prophetiam.

Cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. Denique egreſſus eſt, & pugnauit contra Philiſthijm, & deſtruxit murum Geth, & murum Iabniæ murumque Azoti. Ædificauitque oppida in Azoto, & in Philiſthijm, & adiuuit eum Deus contra Philiſthijm, & contra Arabes qui habitant in Gurbaal.

Gurbaal ipſum dicunt eſſe locum, qui in Geneſi vocatus eſt Gerara, vbi fuit Abimelech rex, & in qua peregrinatus eſt Abraham cum vxore ſua Sara, ſicut in Geneſi legitur.

Ædificauitque Oſias turres in Hieruſalem ſuper portam anguli, & ſuper portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauitque eas, &c.

Portam enim Ephraim quam deſtructam ante retulit per Ioas regem Iſrael, nunc per portam vallis nominat. Noluit enim ſcriptor hiſtoriæ illud nomen ponere

H in ædificando, quod poſuit in deſtruendo. Nec immerito, quia Ephraim eo tempore idolis immolabat, & particeps Ioas regis ſui in deſtructione portæ Ieruſalem fuerat; in ædificatione ipſius proprio vocabulo ſuo, vt nominaretur non meruit: ſed nomine vallis nominata eſt, propter auctoris ſui humiliationem ac vilitatem. Meminit & Ezdras huius portæ, in reſtauratione vrbis poſt reditum captiuitatis Babylonicæ, vbi dicit, *& portam vallis ædificauit Hanun, & habitatores Zanoe.* Sci- 2. Eſd 3.
mus vallem Ioſaphat, quæ & Gehennon, hoc eſt, vallis Ennon dicebatur, ad orientalem plagam eſſe ciuitatis Hieruſalem, per quam torrens Cedron, cuius in Euangelio fit mentio, ſi quando pluuiarum vel niuium aquas recipit, à ſeptentrionali in auſtralem defluit plagam. Sed & in occidentali parte eius ciuitatis, vallem Gihon
legimus, dicente libro Paralipomenon de Manaſſe rege 2. Par 33.

A Iuda. *Poſt hanc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad occidentem in conualle*, Gihon autem eſt nomen fontis, vbi eſt Salomon vnctus in regem foras ciuitatem; Siue ergo hanc, ſiue illam, ſiue aliam quamlibet eiuſdem vallem Eſdras hoc loco ſignificet, patet ſacramētum: quia porta vallis ædificatur in Hieruſalem, cum vel imbutis nuper notitia diuina fidei, & veritatis, vel reparatis in caſtitate fidei, his qui aberrauerant à Doctoribus veritatis, inter alia virtus humilitatis obſeruanda præcipitur, per quam maiore Dei gratia ſublimari mereantur, dicente ſancta Scriptura, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Præparauit quoque eis Ozias. id eſt, cuncto exercitui clypeos, et haſtas, et galeas, et loricas, arcuſque, et fundas, ad iaciendos lapides. Et fecit in Hieruſalem diuerſi generis machinas, quas in turribus collocauit, et in angulis murorum, vt mitterent ſagittas, et ſaxa grandia. Egreſſumque eſt nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus et corroboraſſet illū. Sed cum roboratus eſſet B *eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum: & neglexit Dominum Deum ſuum, ingreſſuſque templum Domini adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis* &c.

Fuit itaque primum Ozias vir iuſtus, & fecit rectum in conſpectu Domini, ædificans templum, aquæductum fabricans, offerens vaſa, & pro hoc merito aduerſarios ſuperans, quod maximum eſt pietatis indicium; habens multos in ſuo imperio Prophetas. Hic quamdiu vixit *Zacharias* ſacerdos cognomento intelligens, placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum eius ingreſſus eſt; Poſtquam vero Zacharias obijt, volens per ſe offerre donaria, ſacerdotalem ordinem non tam pie quam audacter inuaſit, & reclamantibus leuitis, & cæteris ſacerdotibus: nonne tu es Ozias rex, & non ſacerdos? audire noluit, ſtatimque lepra perfuſus in fronte eſt, ſecundum Prophetæ vocem dicentis: Imple Domine facies eorum ignominia. Quam corporis partem, ſacerdos auri lamina protegebat, quam in Ezechiele Dominus iubet Tau literæ impreſſione ſignari, de qua Dauid exultabat dicens. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: in qua C Allophilus proeax, fundæ lapide ictus interijt. Regnauit autem Ozias annis L. & duobus, quo tempore apud latinos Æmulius, apud Athenienſes Agamneſtor imperabant. Poſt cuius mortem Eſaias Propheta, viſionem propheticam ſicut ipſe teſtatur, vidit, id eſt, eo anno quo Romulus Romani imperij conditor natus eſt ſicut manifeſtum eſſe poterit his, qui voluerint legere temporum librum.

Reliqua autem ſermonum Oziæ, priorum & nouiſſimorum, ſcripſit Iſaias filius Amos, Propheta.

Commemorat Eſaias in libro prophetiæ ſuæ, ea quæ Ozia viuente prophetauerat: nec non & ea, quæ ipſo mortuo viderat: vt eſt illud. *In anno quo mortuus eſt Ozias* Iſai. 6 *rex, vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum.* Cuius ſpiritualis viſionis intellectus venerabile innuit myſterium. Viuente leproſo rege, & quantum in ſe eſt, ſacerdotium diſſipante, Iſaias viſionem videre non potuit; Quamdiu ille regnum tenuit, in Iudæa, Propheta oculos non leuauit ad cœlum, non ei ſunt D reſerata cœleſtia, non apparuit Dominus Sabaoth, nec in miniſterio fideliter ſancti nomen auditum eſt; quando vero ille mortuus eſt, vniuerſa quæ ſubſequens ſermo monſtrauit, aperto eſſe lumine prodiderunt. Tale quiddam & in Exodo ſcriptum eſt, Dum Pharao vixit, populus Iſrael ex luti, & lateris, & palearum opere non ſuſpirauit ad Dominum. Dum ille regnauit nemo quæſiuit Deum patrum Abraham, Iſaac & Iacob; Quando vero ille mortuus eſt, ſuſpirauerunt filij, vt Scriptura dicit, & aſcendit clamor eorum ad *Dominum*, cumque vtique iuxta hiſtoriam tunc magis gaudere debuerunt, & ante ſuſpirare cum viueret, Ezechiel quoque prophetante, Pheltias filius Banaiæ occubuit, & poſt peſſimi ducis interitum, *cecidi*, inquit, Ezech. 11. *ſuper faciem meam, & clamaui voce magna, & dixi. Heu mihi, heu mihi. Adonay Deus, conſummationem tu facis reliquiarum Iſrael.* Si ergo intelligas de Iozia, & Pharaone, & Falcia, & E & cæteris iſtiuſmodi contrarias fortitudines, videbis quomodo illis viuentibus, nullus noſtrorum videat ac ſuſpiret & in pœnitentiam corruat. *Non regnet*, ait Apo- Rom. 6 ſtolus, *peccatum in mortali veſtro corpore.* Regnante peccato Ægypti extruimus ciuitates, in cinere verſamur, & in ſordibus, pro firmamento paleas, pro ſolida petra, luti opera ſectamur.

Dormiuitque Ozias cum patribus ſuis & ſepelierunt eum in agro regalium ſepulchrorum eo quod eſſet leproſus, regnauitque Ioathan filius eius pro eo.

Quid per ſepulturam Oziæ nobis innuitur, qui non in ciuitate *Dauid*, neque in ſepulchris regalibus, ſed in agro regalium ſepulchrorum ſepultus eſſe perhibetur, eo quod eſſet leproſus? niſi quod omnes hæretici atque ſchiſmatici, indigni ſunt ſocietate, atque communione Eccleſiaſtica, nec eorum memoria inter Catholicos haberi meretur, quia per maculas errorum ac vitiorum ſqualorem, ab eorum ſe diuiſerunt numero, atque conſortio? Qualiter autem Ioſephus de eodem rege narret, non indignum videtur huic operi propter cognitionem F rerum inſerere. Refertur autem hoc modo. Lapſus itaque eſt felicitatis euentu, & ad paterna peccata deſcendit, quæ etiam illum poſtquam claritatem bonorum, & rerum magnitudinem dereliquit, apprehenderunt. Hic enim inſtante inſigni die, & generali feſtiuitate, indutus ſtola ſacerdotali, intrauit in templum, oblaturus incenſum in aureo altari Deo: Pontifice vero Azaria cum alijs octoginta ſacerdotibus, cum prohibente ne faceret, quoniam hæc ſolummodo his adiacerent, qui ex genere Aaron erant, & clamantibus eis vt exiret, & non ageret contra Dei leges, iratus interminatus eſt eis mortem niſi tacerent. Inter hæc autem terræ motus factus eſt magnus, & ſtupente populo, claritas ſolis valde nimis ſuffulſit, & incidit in faciem regis, & illi quidem lepra continuo prouenit, ante ciuitatem vero in loco qui dicitur Eroge, ſciſſa eſt media pars montis ad occidentem, & ſua volubilitate ad quatuor ſtadia procedens, ad orientalem reſtitit montem, ita vt & vias clauderet, & regias vrbes opprimeret. Cumque ſacerdotes regis faciem lepram apprehendiſſe conſpiciunt, pandebant ei calami- G tatem ſuam, hortantes vt tanquam pollutus exiret à ciuitate. Ille vero confuſione huius euentus, & dum illi iam nulla eſſet fiducia, quod iubebant, impleuit. Qui licet fuiſſet vltra humanas mentes elatus, & propter hæc impie geſſerit in Deum, miſerabilem tamen hanc, & vilem pertulit paſſionem, & tempus aliquod extra ciuitatem commoratus, in vita degens, filio licet eius ſuſcipiente regnum, deinde mæſtitia geſtorum faciente, defunctus eſt. Qui vixit quidem annos ſexaginta nouem, è quibus regnauit quinquaginta duos, ſepultus eſt autem ſolus in hortis. Huius ergo terræ motus, qui factus eſt temporibus Oziæ licet Regum aut Paralipomenon hiſtoriæ non faciant mentionem, tamen Amos Propheta huius meminit, in cuius libri principio ita legimus. *Verba Amos qui fuit in paſtoribus de Thecue, quæ vidit ſuper Iſrael in diebus* Amos 1. *Oziæ regis Iuda, et in diebus Hieroboam filij Ioas regis Iſrael: ante duos annos terræ motus.* Similiter & Zacharias Prophe- Zach. 14. ta de hoc eodem inter alia narrat dicens. *Egredietur Dominus & prœliabitur contra gentes illas, ſicut prœliatus eſt in die certaminis, & ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliuarum,* H *qui eſt contra Hieruſalem ad Orientem, & ſcindetur mons oliuarum ex media parte ſui ad orientem, & ad occidentem, prærupto grandi valde, & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad meridiem, & fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vſque ad proximum, & fugietis ſicut fugiſtis à facie terræ motus, in diebus Oziæ regis Iuda.* Volunt autem Hebræi annum fuiſſe vigeſimum quintum Oziæ, quando hæc acciderunt. Cuius reliqui anni faciunt viginti ſeptem. Omnes enim regnauit annos quinquaginta duos.

CAPVT

Digitized by Google

A E

Caput XXVII.

VIginti quinque annorum erat Ioathan, cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem.

Quid ſibi vult quod ſcriptura annos Ioathan eodem tenore in capite regni ipſius, quo & in fine enumerat, niſi quod eum ſignificat in incepta iuſtitia vſque ad finem vitæ perſeueraſſe. Qui enim bene viuere inchoat, & religioſam vitam vſque ad bonum finem perduxerit, merito tempora vitæ ipſius laude prædicantur condigna: & benedicitur regnaſſe in Hieruſalem, quia regnum ſibi commendatum, tam in ſe, quam in ſibi ſubditis bene gerens, æternæ pacis viſionem adipiſci promeruit.

Ipſe ædificauit portam domus Domini excelſam & in muro Ophel multa conſtruxit. Vrbes quoque ædificauit in montibus Iuda, & in ſaltibus caſtella & turres.

Portam domus Domini excelſam, ipſam Hebræi dicunt eſſe, quæ in Actibus Apoſtolorum ſpecioſa vocatur. B Hæc & ab ipſis Hebræis porta Ioathan, eo quod ipſe eam ædificauerit, vſque hodie nuncupatur. Ophel autem, turris erat non longe à templo enormis altitudinis. Vnde & Ophel, hoc eſt, tenebrarum, ſiue nubili nomen accepit, quod vſque ad nubes erigeret caput. Denique vbi in Mi- Mich. 4. chæa ſcriptum eſt, *& tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion*; in Hebræo pro *turris nebuloſa*, turris Ophel ſcripta eſt. Meminit huius turris & in qua parte ciuitatis ſit oſtendit in ſequentibus præſens liber Paralipomenon, referens de Manaſſe rege, quod & ſupra poſuimus, quod ædificauerit murum extra ciuitatem Dauid, ad occidentem Gihon in conualle, ab introitu portæ piſcium per circuitum vſque ad Ophel. Iuxta myſticum vero ſenſum, quid melius rex iſte Ioathan cuius vita & opera laudantur, quam Redemptorem noſtrum ſignificat? De quo Pſal- Pſal. 95. miſta ait: *Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis & terribilis ſuper omnes Deos.* Cuius perfectionem nomen ipſum Ioathan exprimit. Interpretatur enim conſummatus, ſiue perfectus: & de Domino Saluatore Paulus ad Hebr. 5. Hebræos ſcribens ait. *Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo* C *Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech.* Ipſe enim *portam domus Domini excelſam conſtruxit*: quia incarnationis ſuæ myſterium quo ſibi Eccleſiam, quæ vera domus Dei eſt, ſociaret, mirabili potentia confecit. Quod autem merito porta vocetur, oſtendit ipſa veritas in Euangelio cum ait: Ioan. 10. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis ingreditur, ſaluabitur.* Et recte excelſa hæc porta vocatur, quia de hac eadē Pſalmiſta ait. Pſal. 112. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus & ſuper cælos gloria eius.* Dicuntur etiam ſancti Doctores portæ, quia per eorum prædicationem vitæ diſcimus introitum; ſicut & portæ inferi dicuntur Hæretici, qui contra Eccleſiam ſuper petram ædificatā ipſius Domini atteſtatione præualere non poſſunt. Turriſq; Ophel bene poteſt ſacrarum ſcripturarum eminentiam ſignificare, quæ licet in hiſtoria fundamenta collocet, caput tamen ſpiritalis ſenſus in alta prouehit & inter nubila condidit, dum diuinæ ſcientiæ magnitudinem ab oculis humanis abſcondit. Vnde ſcriptum eſt, caligo ſub pedibus eius.

D Et poſuit tenebras latibulum ſuum. Caligo ſub pedibus eius, quia non ea claritate ab inferioribus cernitur qua in ſuperioribus dominatur. Aſcendit ſuper Cherubin & volauit. Cherubin quippe plenitudo ſcientiæ dicitur. Proinde ſuper plenitudinem ſcientiæ aſcendiſſe perhibetur & volaſſe, quia maieſtatis eius celſitudinem, ſcientia nulla comprehendit. Volauit ergo, quia longe in altum ab intellectu noſtro ſe rapuit. Volauit ſuper pennas, quia ſcientiam tranſcendit Angelorum: Poſuit tenebras latibulum eius, quia dum caligine noſtræ infirmitatis obſcuramur, per ignorantiam noſtram nobis abſconditur Deus, ne à nobis modo in æterna & intima claritate videatur. Vnde ei & in canticis canticorum ab ſponſa di- Cant. 1. citur: *Euge, dilecte mi.* Item ſuper Cherubin Dominus aſcendit & volauit, quia ſuper plenitudinem ſcientiæ quæ eſſe in hominibus potuit, incarnationis ſuæ myſterium ab intellectu humano ſubduxit. Quantalibet enim incarnationis ſcientia vita ſpiritalium fulgeat, apprehendere non valet, quomodo factum ſit, vt qui ſemper exiſtit, conciperetur, & ante ſecula auctor hominum naſceretur homo in fine ſeculorum, caro eſſet Verbum, infans fieret Deus.

Dormiuitque Ioatham cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid, & regnauit Achaz filius eius pro eo.

Caput XXVIII.

VIginti annorum erat Achaz cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Hieruſalem: non fecit rectum in conſpectu Domini ſicut Dauid pater eius, ſed ambulauit in vijs regum Iſrael, Inſuper & ſtatuas fudit Baalim. Ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Benennon, & luſtrauit filios ſuos in igne, iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Iſrael.

Scriptum eſt in libro Regum de Ioſia rege, quod contaminauerit Topheth, quod eſt in conualle filij Ennon, vt F nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem Moloch: frequens eſt in ſcripturis horum mentio locorum, maxime in libro Regum & Ieremia Propheta. Eſt autem vallis Benennon ſiue filij Ennon, iuxta murum in Hieruſalem contra orientem, in qua nemus pulcherrimum, Siloæ fontibus irrigatur. Tapheth autem ſiue Topheth, vtrumque enim ſcribitur, erat locus in eadem conualle iuxta piſcinam fullonis, cuius meminit ſcriptura: & iuxta agrum Acheldima, qui vſque hodie monſtratur ad auſtralem plagam montis Sion: Solebant autem in Tophet, quia locus erat amæniſſimus, vnde hodieque hortorum præbet delitias, poſita ara ſacrificare dæmonibus, nefandoque igne ſuos conſecrare liberos, ſiue holocauſtum offerre. Vnde nunc hiſtoria de Achaz ita narrat. *Ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Benennon, & luſtrauit filios ſuos in igne.* Benennon ſiquidem filium Ennon ſignificat, vallis autem Ennon dicitur Hebraice Gehennon. Cuius nomine in nouo Teſtamento pœna inferorum gehenna cognominatur, quia nimirum ſicut in conualle Ennon, qui idolis ſeruierunt, in ea Prophetis atteſtantibus perierunt; ita peccatores ex his quæ peccauerunt, G æterna damnatione puniuntur. Denique Hieremias cum referret præcepiſſe ſibi Dominum ac dixiſſe. Ier. c. 19. *Egredere ad vallem filij Ennon, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis*, paulo poſt dixit: *Et non vocabitur iſte locus amplius Topheth, & vallis filij Ennon, ſed vallis occiſionis; & diſſipabo conſilium Iuda & Hieruſalem in loco iſto, & ſubuertam eos gladio.* Eſaias quoque manifeſtiſſime Tophet infernum appellat. Qui cum perpetuum diaboli interitum ſub nomine Aſſur deſcriberet dicens: Eſai. 30. *à voce enim Domini pauebit Aſſur virga percuſſus: & erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum.* ſtatim quomodo & vbi eſſet periturus ſubdidit dicens. *Præparata eſt enim ab heri Thopheth à rege, præparata, profunda, & dilatata.* Pulchre ait *& dilatata*, quia Topheth dicitur latitudo, *Nutrimenta*, inquit, *eius ignis, & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Qualiter autem Achaz ſobolem ſuam in igne luſtrauerit oſtendit Ioſephus ita dicens: *Porro Ioa-* H *than mutauit vitam cum vixiſſet annos vnum & quadraginta, ex quibus regnauit ſedecim & ſepultus eſt in regiis monumentis, venitque regnum ad eius filium Achaz. Qui impius circa Dominum exiſtens, & paternas præuaricatus leges, reges Iſraelitarum imitatus, in Hieroſolymis idolorum aras conſtituit, & ſuper eas ſacrificauit, in quibus etiam ſuum in holocauſtum obtulit filium, more Chananæorum, & ſuper hæc multa alia ſcelera perpetrauit.*

Denique Achaz qui ex iuſto patre editus, in perfidiam & ſcelus idolatriæ delapſus eſt, ſignificat hæreticos, qui ex Catholicis patribus ſacramento fidei imbuti ſunt, ſed ad apoſtaſiam declinantes, cultum diuinum ſimulachris errorum ſuorum præbere non timent. Qui fructum vteri ſui, hoc eſt, affectum prauæ meditationis in igne zeli dæmoni immolant, omnes adulterantes quorum mens iuxta ſententiam Oſeæ *quaſi clibanus ſuccenſus à co-* Oſee 7. *quente. Diuiſum eſt cor eorum*, & Dominus confringet ſimula- Oſee 10. chra eorum, ac depopulabitur aras eorum: Qui ſicut Achaz ſpo-

Digitized by Google

A liata domo Domini, & domo regum & principum, dedit regi Aſſyriorum munera; & tamen ei nihil profuit: ita iſti aurum ſagacis ingenij, & argentum conflant in cultum idolorum, vt intereant. Ægyptum inuocant, & Aſſyrios adeunt, cum poteſtatibus iſtius mundi protegi quærunt; ſed in tranſitu eorum capti atque occiſi ſunt, quia maledictus eſt homo ſuper terram, qui confidit in homine & ponit carnem brachium & à Domino recedit cor eius.

Dormiuitque Achaz cum patribus ſuis & ſepelierunt eum in ciuitate Hieruſalem neque enim receperunt eum in ſepulchru regum Iſrael.

Neque enim dignum eſt vt hæretici ſocietatem cum Catholicis habeant in futura quiete, qui hic ſemper ab eis diſcordabant fide & conuerſatione. Vnde illud ſub perſona capitis ſui per Prophetam dicitur in Pſalmo.
Pſal. 51. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem; iniquitatem magis quam loqui æquitatem Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa, propterea deſtruet te Dominus in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.*
B Eccle. 10. Hinc in Eccleſiaſtico dicitur: *Perdidit Deus memoriam ſuperborum & reliquit memoriam humilium ſenſu.*

Igitur Ezechias regnare cœpit cum viginti quinque eſſet annorum, & viginti nouem annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Abia filia Zacharia.

Hunc Zachariam cuius Abia mater Ezechiæ filia eſſe memoratur, aſſerunt Hebræi poſthumum filium eſſe Zachariæ Prophetæ & ſacerdotis, quem Ioas rex interfecerat.

Fecitque quod erat placitum in conſpectu Domini iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius, ipſo anno & menſe primo regni ſui aperuit valuas domus Domini, & inſtaurauit eas.

Nota lector quod dicitur ipſo anno & menſe primo regni ſui Ezechias aperuiſſe valuas domus Domini, & inſtauraſſe eas, qui enim aliter per omnia imitator fuiſſet Dauid patris ſui, qui ab infantia Deo deditus in initio regni ſui cultum Dei in populo Iſrael plene inſtituebat, niſi ritum legis & cæremoniarum eius, per Achaz patrem ſuum abolitum ſtatim cœpiſſet inſtaurare? Moraliter enim ipſa ſtrenuitas Ezechiæ, ac maturitas in cul-
C tura domus Dei ammonet Rectores Eccleſiæ, vt non ſint ſegnes neque hebetes in officio ſibi commiſſo, ſed omnia diligenter atque deuote agant. Vnde Paulus ad
2. Tim. 4. Timotheum ſcribens ait *Teſtificor coram Domino & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & aduentum ipſius, & regnum eius, prædica verbum, inſta oportune, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et rurſum: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.* Myſtice autem Ezechias qui non tam per ſe ſuoſque, opus Dei ſtrenue geſſit, imo per nuncios ad ſimile ſtudium alios prouocat, typum gerit Domini ſaluatoris; quod & nominis ipſius interpretatio teſtatur. Interpretatur enim Ezechias apprehendens Dominum, vel fortitudo Domini. Hinc Paulus Chriſtum dicit eſſe Dei virtutem, & Dei ſapientiam. De quo & alibi ait,
Colloſſ. 2. 9. *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſt caput omnis principatus & poteſtatis*: qui *Dominus for-*
Pſal. 23. *tis & potens, Dominus potens in prælio, exſpolians poteſtates &*
Coloſſ. 2. 15. *principatus traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo,*
D *delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti:*
v. 14. *quod erat contrarium nobis, et ipſum tulit de medio affigens illud cruci.* Hic ergo tranſgreſſiones patrum & omnes præuaricationes quæ fuerunt ſub lege, ſanguine ſuo diluit & cultum pietatis in Eccleſia plene inſtaurauit. Ipſe legatos ſuos ad conuocandas gentes ad fidem, hoc eſt, primum Prophetas, deinde Apoſtolos miſit: quia non ſolum de Iudæa ſed & de aliis nationibus plurimos ad Catholicam fidem & ad veram religionem per prædicationem Euangelij ſui conduxit. Hic ſecundo menſe Paſcha celebrare inſtituit, quia vmbra legis prioris ceſſante nouam obſeruantiam veri Paſchæ ſeruare docuit: de quo
1. Cor. 5. Paulus ait: *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Non enim temporibus legis paſcha perfecte agi potuit, quod ſola gens Iudæa tunc figuraliter celebrauit, quia nondum ſanctificati erant de gentibus, qui per Euangelium Chriſti ad verum paſcha celebrandum conuocandi erant: Vnde in hiſtoria Ezechiæ ita ſcriptum eſt. E

CAPVT XXX.

INito ergo conſilio regis & principum & vniuerſi cœtus Hieruſalem, decreuerunt vt facerent Phaſe menſe ſecundo. Non enim potuerant facere in tempore ſuo, quia ſacerdotes qui poſſent ſufficere, ſanctificati non fuerant, & populus necdum congregatus fuerat in Hieruſalem.

Hoc ergo illud iam præfiguratum eſt in illo mandato legis, quo Dominus præcepit per Moyſen vt illi qui eſſent ſuper animam immundi ſiue in via procul fecissent phaſe menſe ſecundo. Quod nimirum in typum intelligitur prolatum populi gentium, qui cum omnibus dæmonibus fornicati immundi videbantur in anima; ſalubri vero confeſſione mundati, ad ſecundam natiuitatem, quaſi in ſecundo menſe tranſire præcipiuntur. Vnde in ſequentibus poſt ſanctificationem ſacerdotum & leuitarum officia, & hilaritatem plebis Iudæorum, ita ſubiungitur. F

Proſelytorum quoque de terra Iſrael & habitantium in Iudaa, factaque eſt grandis celebritas in Hieruſalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid regis Iſrael in ea vrbe non fuerat.

Cui concordat & illud quod poſt pauca ſubſequitur.

CAPVT XXXI.

EGreſſus eſt omnis Iſrael, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt ſimulachra, ſucciderunt que lucos, demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt, non ſolum de vniuerſa Iuda & Beniamin, ſed de Ephraim quoque Manaſſe, donec penitus euerterentur: reuerſique ſunt omnes filij Iſrael in poſſeſſiones & ciuitates ſuas.

Quia poſt aduentum noſtri Redemptoris in mundum non ſolum in Hieruſalem & in Iudæa, ſed in cunctis per totum orbem terrarum nationibus, deſtructa eſt idololatria, confracta errorum ſimulachra, & vbique diaboli concidit ſuperbia, cottidieque fidelium numero creſcente, decreſcit & minoratur cultura dæmoniorum, donec in fine mundi ipſa deſtruetur mors nouiſſima, & complebitur illud quod ſcriptum eſt, regnabit Dominus ſolus in die illa: & idola penitus contererentur, quando peracto G vniuerſali iudicio ſancti cum Chriſto cœleſte intrabunt regnum & peccatores cum diabolo in inferni demergentur profundum.

CAPVT XXXII.

POſt quæ & huiuſmodi veritatem venit Sennacherib rex Aſſyriorum, & ingreſſus Iudam: obſedit ciuitates munitas volens eas capere. Quod cum vidiſſet Ezechias veniſſe ſcilicet Sennacherib & totum belli impetum verti contra Hieruſalem, inito cum principibus conſilio viriſque fortiſſimis vt obturarent capita fontium qui erant extra vrbem & hoc omnium decernente ſententia congregauit plurimam multitudinem & obturauerunt cunctos fontes & riuum qui fluebat in medio terra dicentes, ne veniant reges Aſſyriorum & inueniant aquarum abundantiam.

Quod Ezechias infeſtantibus bello Aſſyriis terram Iudæorum & contra Hieruſalem pugnantibus, iuſſit fontes obturare ac riuum qui fluebat in medio terræ, ne venientes reges Aſſyriorum inuenirēt aquarum abundantiam, ſignificat quod cōtra paganos atq; hæreticos repugnantes atq; blaſphemantes diligentia atq; cautela adhibenda H eſt, & diuinorum ſacramentorum coram eis ſunt velanda myſteria, nec impudēter verbū Dei blaſphemis ingerendum qui neſciunt doctrinam ſanctam pijs morib. honorare: ſed magis ſtudent ore venenato lacerare. Vnde Dñs in Euangelio diſcipulis ſuis præcipit dicens. *Nolite ſanctum* Matth. 7.
dare canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, et conuerſi diſrumpant vos. Hinc Paulus ad Titum ſcribens ait. *Hæreticum hominem poſt vnam et* Tit. 3.
ſecundā correptionem deuita, ſciens quia huiuſmodi ſubuerſus eſt, et delinquit cum ſit proprio iudicio condemnatus. Hinc per Pſal- Pſal. 38.
miſtam dicitur: *Poſui ori meo cuſtodiam dum conſiſteret peccator aduerſū me, obmutui et humiliatus ſū et ſilui à bonis.* Hinc & Sa- Prou. 5.
lomon in Prouerb. iubet *Bibe aquam de ciſterna tua et fluenta putei tui, habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui,* fidis aurib. vniuerſa cōmittenda ſunt, & corā perfidis abſcondēda

A *Ædificauit quoque agens induſtrie omnem murum qui fuerat diſsipatus, & conſtruxit turres deſuper & forinſecus alterum murum, inſtaurauitq́; Mello in ciuitate Dauid & fecit vniuerſi generis armaturam & clypeos, conſtituitque Principes bellatorum in exercitu,*&c.

Eſa. 26. Vrbem ſanctam de qua ſcriptum eſt: *Vrbs fortitudinis noſtra Saluator.* Quia in monte ſita latere non poteſt, de qua & in alio loco ſcriptum eſt: *Fluminis impetus lætificat* Pſal. 45. *ciuitatem Dei.* Et rurſum: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Pſal. 86. Hic condit & munit de quo loquitur Pater. Iſte ædificauit ciuitatem meam, & ipſe omnem murum ſanæ fidei ac veræ religionis, qui fuerat malitia paganorum ſiue hæreticorum in aliquibus diſſipatus reſtaurat, & extruit turres virtutum, ponit & forinſecus alterum murum, hoc eſt, antemurale quod in ædificatione caſtrorum ſolent loricas appellare, cùm bonorum operum tenere docet effectum. Non enim ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur. Hic murus & hoc antemurale de viuis lapidibus extruitur, qui iuxta Prophetam voluuntur ſuper terram. Idem rex fecit vniuerſi generis B armaturam & clypeos: cum ſanctarum Scripturarum diuerſa condit teſtimonia, & doctrinam Euangelicam ad munimentum ſuæ Eccleſiæ componit. Ordinatq; Doctores qui Principes ſpecialium bellatorum ſint, & vniuerſam militiam rectè ac rationabiliter agant, caſtraq; Eccleſiæ contra hoſtes vniuerſos oportunè defendant.

Quæ poſtquam geſta ſunt miſit Sennacherib rex Aſſyriorum ſeruos ſuos in Hieruſalem, ipſe enim cum vniuerſo exercitu obſidebat Lachis, ad Ezechiam regem Iuda & ad omnem populum qui erat in vrbe dicens Hæc dicit Sennacherib rex Aſſyriorum. In quo habentes fiduciam ſedetis obſeſsi in Hieruſalem. Nunc Ezechias decipit vos vt tradat morti in fame & ſiti affirmans quoniam Dominus Deus veſter liberet vos de manu regis Aſſyriorum. Nunquid non iſte Ezechias qui deſtruxit excelſa illius & altaria & præcepit Iuda & Hieruſalem dicens, coram altari vno adorabitis & in ipſo comburetis incenſum? An ignoratis quæ ego fecerim & Patres mei cunctis terrarum populis? Nunquid præualuerunt Dij gentium omniumq́; terrarum liberare regionem ſuam de manu mea? Quis eſt de vniuerſis Diis gentium quos vaſtauerunt Patres mei, qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea, vt poſsit etiam Deus veſter eruere vos de hac manu? Non vos ergo decipiat Ezechias nec C *vana perſuaſione deludat, neq́; credatis ei. Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium atq́; regnorum liberare populum ſuum de manu mea & de manu Patrum meorum, conſequenter nec Deus veſter poterit eruere vos de hac manu mea. Sed & alia multa locuti ſunt ſerui eius contra Dominum Deum, & contra Ezechiam ſeruum eius. Epiſtolas quoq́; ſcripſit plenas blaſphemia in Dominum Deum Iſrahel, & locutus eſt aduerſum eum. Sicut Dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu mea, ſic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta. Inſuper & clamore magno lingua Iudaica contra populum qui ſedebat in muris Hieruſalem perſonabat, vt terreret & perturbaret eos & caperet ciuitatem. Locutusq́; eſt contra Dominum Hieruſalem, ſicut aduerſus Deos populorum terræ opera manuum hominum.*

Hæc omnia plenius in Regum hiſtoria & in Eſaiæ Prophetæ volumine referuntur. Nam in Regum ſcriptum eſt quod anno tertio Oſeæ filii Hela regis Iſrahel regnauerit Ezechias filius Achas regis Iuda. 4 Reg. 18. *Viginti quinq́; inquit annorum erat cum regnare cepiſſet, viginti & nouem* D *annis regnauit in Ieruſalem, & fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ Dauid Pater eius fecerat.* Et poſt paululũ. *In Domino Deo Iſrahel ſperauit & poſt eum non fuit ſimilis illi de cunctis regibus Iuda. Sed neq́; in his qui ante eum fuerunt, Adhæſit Domino & non receſsit à veſtigiis eius fecitq́; mandata eius quæ præceperat Dominus Moyſi. Vnde erat & Dominus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, ſapienter ſe gerebat. Rebellauit autẽ contra Regem Aſſyriorum & non ſeruiuit ei. In cuius ſexto anno imperij ſui Salmanaſſer Rex Aſſyriorum cepit Samariam & decem tribus quæ appellantur Iſrahel, & tranſtulit eos in Aſſyrios collocauitq́; eos in Haila & in Habor, fluuiis Gozam, in ciuitatibus Medorum. Poſt annos autem ſeptem, id eſt, decimo quarto anno Ezechiæ rex Aſſyriorum Sennacherib ingreſſus eſt Iudæam, & obſedit ciuitates eius munitas volens eas capere. Cumq́; obſideret Lachis miſit ad eum Ezechias nuncios dicens. Peccaui recede à me,* E *& omne quod impoſueris mihi feram. Cumq́; talenta trecenta argenti & xxx. auri ad regis imperium perſoluiſſet, fractis ianuis templi Domini & laminis eius detractis, quas ipſe affixerat, miſit Rex Aſſyriorum Thartan & Rapſacen de Lachis ad Regem Ezechiam cum manu valida Ieruſalem. Qui cum aſcendiſſent, venerunt in Hieruſalem & ſteterunt contra aquæ ductum piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via agri fullonis, vocaueruntque ad ſe Regem. Egreſſus eſt autem ad eos Eliachim filius Elchiæ præpoſitus domus & Sobna ſcriba, et Iohahe filius Aſapha à commentariis. Dixitq́; ad eos Rapſaces. Loquimini Ezechiæ. Hæc dicit Rex magnus Rex Aſſyriorum*, & cætera, quæ ad longum in eadem hiſtoria continentur. Poſtea autem ipſe quoque Sennacherib audiens Tharacam regem Æthiopum inferre ſibi bellum occurrit venienti, & nihilominus mittit nuncios ad Ezechiam & Epiſtolas, vt quos necdum viribus ceperat ſermone terreret, & quomodo populo dixerat non te decipiat Ezechias, eadem blaſphemia loquitur ad regem, non te decipiat Deus tuus. Ponitq; exempla maiorum quod quomodo cæteras terras non poterant liberare Dii ſui de manibus eorum, ſic nec Hieruſalem liberetur. F Pugnaſſe autem Sennacherib Regem Aſſyriorum contra Ægyptios & obſediſſe Peluſium, iamque extructis aggeribus vrbe capienda, veniſſe Tharacam regem Aethiopum in auxilium ex vna nocte iuxta Ieruſalem C. octoginta quinq; exercitus Aſſyrii peſtilentia corruiſſe narrat Herodotus, & pleniſsimè Beroſus Chaldaicæ ſcriptor hiſtoriæ, quorum fides de propriis libris petenda eſt. *Et tulit Ezechias libros de manu nunciorum et legit eos, et aſcendit in domum Domini et expandit eos coram Domino et orauit Dominum dicens. Domine exercituum Deus Iſrahel, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum et terram, inclina aurem tuam et audi, aperi Domine oculos tuos et vide, et audi omnia verba Sennacherib quæ miſit ad blaſphemandum Dominum viuentem. Vere enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras et regiones earum, et dederunt Deos earum igni. Non enim erant Dij. Sed opera manuum hominum ex ligno et lapide et comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius, vt cognoſcant omnia regna terræ quia tu es Dominus Deus noſter ſolus.* Contra Sennacherib Regis blaſphemias, huiuſmodi Ezechias G arma corripuit. Orauit & Eſaias Propheta, ſicut præſentis libri hiſtoria oſtendit dicens.

Orauerunt ergo Ezechias Rex et Eſaias filius Amos Prophetes aduerſum hanc blaſphemiam et vociferati ſunt vſque in cœlum et miſit Dominus Angelum qui percuſsit omnem virum robuſtum et bellatorem et Principem exercitus regis Aſſyriorum reuerſuſque eſt cum ignominia in terram ſuam. Cumq; ingreſſus eſſet domum Dei ſui filij, qui egreſsi fuerant de vtero eius interfecerunt eum gladio,&c.

4 Reg. 19. *Egreſſus eſt autem Angelus Domini et percuſsit in caſtris Aſſyriorum centum et octoginta quinque millia. et ſurrexerunt mane, et ecce omnia cadauera mortuorum. Et egreſſus eſt et abijt. et reuerſus eſt Sennacherib Rex Aſſyriorum, et habitauit in Niniue. Et factum eſt cum adoraret in templo Neſrach Dominum ſuum. Adramalech et Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio, fugerũtque in terram Armeniorum. Et regnauit Aſar-haddon filius eius pro eo.* Centum octuaginta quinque millia fortiſsimorum virorum ab vno Angelo vna nocte cæduntur, & abſque vulneribus occiſorum mors ſæua diſcurrit, excludens corporibus animas Domini voluntate, ſoluſque Rex eo H tempore idcirco reſeruatus eſt, vt ſciret potentiam Dei & blaſphemantia ora opprimeret, fieretque teſtis illius maieſtatis quam paulo ante contempſerat. Sic Pharao quoque in decem plagis Aegypti ſeruatus, vt nouiſsimus pereat. Quod & iſte paſſurus eſt. Cum enim reuerſus eſſet in Niniuen vrbem primam regni ſui & adorauit in templo Neſrach Dominum ſuum, quaſi victoriam de hoſtibus reportaret, & delubrum idoli ſui triumphans & gratulabundus incederet, contemptor veri Dei in fano falſi numinis trucidatur, nec Angeli perit gladio quod erat commune pluribus, ſed parricidio filiorum.

Qui cum fugiſſent in terrã Ararath quod intelligitur Armeniæ, ſucceſsit in patris locũ Aſarhaddõ, quẽ Scriptura teſtatur miſiſſe habitatores Samariæ. ſucceſsit, ne terra

A maneret inculta. Ararath autem regio in Armenia campeſtris eſt, per quam Araxes fluit incredibilis vbertatis ad radices Tauri montis: qui vſque illuc extenditur. Ergo & arca in qua liberatus eſt Noe cum liberis ſuis ceſſante diluuio non ad montes generaliter Armeniæ delata eſt, quæ appellantur Ararath Sed ad montes Tauri altiſſimos, qui Ararath imminent campos.

In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & orauit Dominum exauditque eum, & dedit ei ſignum. Sed non iuxta beneficia quæ acceperat retribuit quia eleuatum eſt cor eius & facta eſt contra eum ira & contra Iudam ac Ieruſalem, &c.

Hæc omnia plenius in libro Regum ſcripta inueniuntur
4 Reg. 20. vbi legitur, *quod Ezechias ægrotauerit vſq; ad mortem, & introierit ad eum Eſaias filius Amos Propheta dicens ei. Hæc dicit Dominus Deus. Præcipe domui tuæ morieris enim & non viues. Qui conuertit faciem ſuam ad parietem & orauit Dominum dicens. Obſecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Fleuit itaque Ezechias fletu magno.* Quem enim diligit Dominus corripit, & caſtigat omnem filium quem recipit.
B Ne eleuetur cor Ezechiæ poſt incredibiles triumphos & de media captiuitate victoriam, infirmitate corporis viſitatur, & audit ſe eſſe moriturum, vt conuerſus ad Dominum flectat ſententiam eius. Quod quidem & in Iona Propheta legimus & in comminationibus contra Dauid, quæ dicuntur futura, nec facta ſunt, non Deo mutante ſententiam, ſed prouocante humanum genus ad notitiam ſui. Dominus enim pœnitens eſt ſuper malitiis. Audienſque ſe eſſe moriturum non precatur vitam & annos plurimos ſed in Dei iudicio quod velit præſtare dimittit. Nouerat enim idcirco Deo placuiſſe Salomonem, quod annos vitæ non petierit ampliores, ſed conuerſus ad Dominum narrat opera ſua, quomodo ambulauerit coram eo in veritate & in corde perfecto. Fœlix conſcientia quæ
Matth. 5. afflictionis tempore bonorum operum recordatur. *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* & quomodo alibi ſcribitur quis gloriabitur purum habere ſe cor? Quod ſi ita ſoluitur, perfectionem cordis in eo nunc dici, quod idola deſtruxerit templi, valuas aperuerit, ſerpentem æneum comminuerit, & cætera fecerit, quæ ſcriptu-
C ra commemorat, fleuit autem fletu magno propter promiſſionem Domini ad Dauid, quam videbat in ſua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Nam poſt mortem eius Manaſſes cum duodecim eſſet annorum regnare cœpit in Iuda. Ergo iſte eſt fletus omnis, quod deſperabat Chriſtum in ſuo ſemine naſciturum. Alii aſſerunt, quoſuis ſanctos viros morte terreri propter incertum iudicii & ignorationem ſententiæ Dei, quam ſedem habituri ſint. Simulque facti quæſtio ſoluitur, ac neceſſitatis vincula atq; cauſarum, quod nequaquam dies mortis ſingulis præſtituta ſit. Sed voluntate Dei & ignotis mortalibus cauſis, vel viuat aliquis vel moriatur, præſertim cum & ſtatuta nunc mortis neceſſitas differatur & poſt mortem reſuſcitatos plurimos legerimus. *Et priuſquam egrederetur Eſaias mediam partem*
4 Reg. 20. *atrij, factus eſt ſermo Domini ad eum dicens. Reuertere & dic Ezechiæ duci populi mei: Audiui orationem tuam, vidi lachrimam tuam. Ecce ſanaui te. Dixitque Ezechias ad Eſaiam Quod erit ſignum quod Dominus me ſanauit. Cui Propheta reſpondit. Hoc erit ſignum à Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem*
D *quem locutus eſt. Vis vt aſcendat vmbra tot lineis aut vt reuertatur totidem gradibus. Cui dixit Ezechias, & facile eſt vmbram creſcere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus. Cumque inuocante Eſaia potentiam Domini ſignum eſſet effectum præcepit Eſaias afferri maſſam ficorum recentium, quam cum attuliſſent & poſuiſſent ſuper vulnus eius curatus eſt.*

Reuertitur autem ad regem Propheta Domini iuſsione, vt ipſe ſanaret qui percuſſerat, & vocatur Ezechias Dux populi mei & filius Dauid cuius opera ſectabatur. Fecerat enim rectum iuxta omnia quæ fecit Dauid Pater eius, cuius opera ſectabatur, & auditur eius oratio videnturque lachrimæ, quoniam ambulauerat coram Domino in veritate & in corde perfecto, & fleuerat fletu magno & quod placitum erat in oculis eius fecerat, adiici-

E untur q; xv. anni ad vitam, quos ille non poſtulauerat, & inſuper viuenti eo regni ſecuritas repromittitur. Sin autem vt quidam putant in corpore viuere condemnatio eſt, & iuxta illud quod dicitur: *reuertere anima in requiem* Pſal. 115.
tuam, Et in alio loco: *Educ de carcere animam meam.* Optan- Pſal. 141.
da eſt mors vt de carcere liberemur, quomodo nunc Dominus donat pro beneficio, vt qui liberandus erat adhuc xv. annis viuat in carcere? Datur autem ſignum vt Sol decem gradibus reuertatur, quos nos iuxta Simmachum in lineas & horologium vertimus, qui gradus intellexit in lineis, vt manifeſtiorem ſenſum legentibus faceret: ſiue ita erant extructi gradus arte mathematica vt per ſingulos vmbra deſcendens horarum ſpacia terminaret. Quod ſignum eſt præſentis temporis & futuri typus erat, vt quomodo Sol reuerteretur ad exordium ſui ita Ezechiæ vita ad dextros auctos rediret, nobiſque in hebdomada & Ogdoæ viuentibus per Reſurrectionem Chriſti vitæ ſpacia protelentur. Solent ſanctorum locorum in hac prouincia monſtratores intra conſeptum tem-
F pli oſtendere gradus domus Ezechiæ vel Achaz quod Sol per eos deſcenderet. Sed nunquam ego credam. Non dico Achaz qui Rex impius fuit, ſed cuiuslibet regis iuſti domum fuiſſe in templo Dei: cum Salomon idcirco Dominum inter cætera offendiſſe dicatur, quod in ſublime ædificauerit Mello, vnde atrium templi deambulans in turri palatii deſpicere ſolitus ſit.

Ipſe eſt Ezechias qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gion, & auertit eas ad Occidentem vrbis Dauid, in omnibus operibus ſuis fecit proſpere quæ voluit, attamen in legatione principum Babylonis qui miſſi fuerant ad eum vt interrogarent de portento quod acciderat ſemper terram, dereliquit eum Dominus vt tentaretur & nota fierent omnia quæ erant in corde eius.

Portentum quod dicit accidiſſe ſuper terram, ſolis ſignificat reditum per lineas decem, de quo ſupradictum eſt. Ad hoc enim myſterium inquirendum legati Babylonis venerunt ad Ezechiam. Sed dereliquit eum Dominus vt tentaretur, qui non cohibebat eum per Prophetam, ne oſtenderet theſauros ſuos & theſauros domus Domini alienigenis, & nota faceret omnia quæ erant in
G corde eius, hoc eſt, inocculta elatio mentis, qua coram Deo peccauit, ad notitiam hominum per effectum primi operis producentur. Vnde merito prolata vindicta in eum & ſibi obſequentes oſtenditur. Igitur quam pernicioſa ſit hominum animabus cenodoxiæ vitium, Ezechiæ factum manifeſte demonſtrat, quia in omnibus conſummatæ iuſtitiæ & ſanctarum Scripturarum teſtimonio comprobatur. Sed poſt innumera virtutum præconia vno elationis telo fuerat eiectus. Tantæ Iuſtitiæ tantæque virtutes tanta fides atq; deuotio, quæ naturam ipſam & totius mundi leges immutare meruerunt, vna iactantia depereunt. Ita vniuerſis virtutibus ſuis ac ſi nec fuiſſent obliuioni traditis iram confeſtim Domini ſuſcepiſſet niſi eam reſumpta humilitate placaſſet: vt qui de tam excelſo meritorum faſtigio elatione impellente deciderat, non niſi per eoſdem rurſum humilitatis gradus ad amiſſum culmen aſcenderet. Omnia vitia ſuperata marceſcunt, & deuicta per ſingulos dies infirmiora redduntur, & vel loco vel tempore minuuntur, atque deferuent, ſeu certe à contrariis virtutibus deſidentia vel cauentur facilius vel vitan-
H tur. Sic vero deiectum acrius reſurget ad luctam, & cum putatur extinctum, ſua morte viuacius conualeſcit. Cætera genera vitiorum eos tantummodo impugnare ſolent, quos in certamine ſuperarunt. Hic verò ſuos victores acrius inſectatur, quantoque fuerit validius eliſum, tanto vehementius victoriæ ipſius elatione congreditur, & hæc eſt ſubtilis inimici verſutia, vt militem Chriſti prius faciat telis ſuccumbere, quem hoſtilibus armis ſuperare non potuit. Alia interdum vitia ſicut diximus etiam locorum beneficio conquieſcunt, & materia peccati vel opportunitate eius & occaſione ſubtracta lenteſcere ſolet & minui. Hic verò cum confugiente deſerta penetrat, non loco nouo excludi, nec extrinſecus materia ſubtracta marceſcere. Non enim aliunde quam virtutum eius quem impetit ſucceſsibus animatur. Quædam etiam

A processu temporis vt præfati ſumus interdum molliuntur atque vaneſcunt, huic longitudo niſi fuerit induſtria ſolerti ac prudenti diſcretione fundata non ſolum non officit, verumetiam nouit fomenta congerere vanitatis. Poſtremo ceteræ perturbationes à contrariis ſibi virtutibus deſidentes, & experto tanquam de claro bellantes, & ſuperantur facilius & cauentur. Hæc autem inſerta virtutibus & acie permixta velut in nocte cæca dimicans atrocius inopinatos decipit & incautos.

Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum ſuper ſepulchra filiorum Dauid, & celebrauit exequias eius vniuerſus Iuda & omnes habitatores Ieruſalem.

Quod autem dicit ſepultum eſſe Ezechiam ſuper ſepulchra filiorum Dauid oſtendit ſepulchrum ipſius excelſius eſſe fabricatum quam cæterorum filiorum Dauid: meriti prærogatiua & cultura pietatis in Dominum.

Regnauitque Manaſſes filius eius pro eo.

Capvt XXXIII.

B *Dvodecim annorum erat Manaſſes cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta quinque annis regnauit in Hieruſalem, fecit autem malum coram Domino iuxta abominationes gentium, quas ſubuertit Dominus coram filiis Iſrahel, & conuerſus inſtaurauit excelſa quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, conſtruxitque aras Baalim & fecit lucos & adorauit omnem militiam cœli & coluit eam. Ædificauit quoque altaria domo Domini de qua dixerat Dominus, in Hieruſalem erit nomen meum in æternum. Ædificauit autem ea cuncto exercitui cœli in duobus atriis domus Domini transireque fecit filios ſuos per ignem in valle Benennon. Obſeruabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſeruiebat. Habebat autem ſecum magos & incantatores, multaque mala operatus eſt coram Domino vt irritaret eum, &c.*

His ſimilia Ioſephus de Manaſſe rege narrat addens etiam quod ad crudelitatem verſus omnes Hebræorum iuſtos occiderit neq; Prophetis pepercerit quorum quotidie ſingulos perimebat. Vnde tradunt Hebræi ab eodem Manaſſe ſimul & à principibus Iudæorum Eſaiam C Prophetam lignea ſerra per medium ſecatum atq; interfectum, vertentes hoc ei in crimen quod appellauerat eos principes Sodomorum & Gomorrhæorum, & qui dixerit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Dum ipſe Dominus per Moyſen dicat: *Non enim videbit me homo & viuere poteſt.* nec non & illud, quod dixerit ad Ezechiam verbo Domini: *addam ad dies tuos quindecim annos.* Cum per Moyſen dictum inueniatur: *Numerum dierum tuorum implebo.* Similiter & illud quod ait: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt.* Cum alibi ſcriptum ſit: *Quis eſt tam propinquus quomodo Dominus Deus noſter, quando eum inuocamus.* Addit præterea Ioſephus quod Rex Babyloniorum & Chaldæorum miſſo exercitu in Iudæam regionem eorum depopulatus ſit & regem Manaſſe dolo captum atque ad ſe deductum haberet ad ea quæ voluit tormenta ſubiectum. Manaſſes autem tunc intelligens in quibus malis eſſet, & horum omnium ſe arbitratur auctorem, ſupplicaret Deo vt ei hoſtem ſuum clementem faceret atque miſericordem. Cuius orationem Deus exaudiuit, concedens ei vt remiſſus à Rege Babyloniorum ad ſua regna reuerteretur, vbi poſtea e- D mendatius viuens, & diuinum cultum reſtaurans: anteriorum culparum per pœnitentiam deleuit noxam, ſicut hiſtoria præſens manifeſtè demonſtrat. Exemplar autem eſt hæc pœnitentia Manaſſe, quod poſt commiſſa ſcelera nullus debet de Dei miſericordia deſperare, ſed magis per pœnitentiam congruam ſpem habere veniæ, ſi eam ritè perfecit. Poſt Manaſſe ergo regnauit filius eius Ammon, qui ſimili dementia qua pater primum idola pro numinibus coluit, & adhuc magis quam pater eius deliquit. Contra quem cum veniſſent ſerui ſui, interfecerunt eum in domo ſua, Deo illi iuſtam retributionem pro meritis propriis reddente. Poſt Ammon autem filius eius Ioſias Rex iuſtiſſimus regnauit, qui omnem ſpurcitiam idolorum quam Patres ſui fabricauerunt emendauit, & ſe in Dei cultu ſtrenuè exercuit, & meritò, quia longè ante hoc de illo dictum eſt per Prophetam. E Interpretatur autem Ioſias, cuius eſt ſacrificium Domino, vel ſalus Domini vel fortitudo Domini.

Eſa. 6.
Exod. 33.
4. Reg. 20.
Exod. 23.
Eſa. 55.

Octauo autem anno regni ſui cum adhuc eſſet puer cœpit quærere Deum Patris ſui Dauid & vndecimo anno poſtquam cœperat regnare mundauit Iudam & Hieruſalem ab excelſis & lucis ſimulachriſq; & ſculptilibus. Deſtruxeruntq; coram eo aras Baalim, & ſimulachra quæ ſuperpoſita fuerant demoliti ſunt, lucos etiam & ſculptilia, ſuccidit atq; comminuit, & ſuper tumulos eorum qui eis immolare conſueuerant fragmenta diſperſit. Oſſa præterea ſacerdotum combuſſit in altaribus idolorum, mundauitq; Iudam & Ieruſalem, ſed & in vrbibus Manaſſe & Ephraim & Simeon vſque Nephtalim cuncta ſubuertit.

Cur autem Ioſias oſſa mortuorum concremare iuſſit ſuper altare niſi vt oſtenderet quod funeſta fuerunt eorum ſacrificia, & non ſolum pecudum hoſtias dæmoniis offerebant, ſed etiam ſemetipſos per errorem idololatriæ in poteſtatem dæmonum tradiderunt, qui iuſto Dei iudicio ſimul cum altari quod Idolis fabricauerant, diſſipandi erant.

F Myſticè autem ſignificat omnes qui Diaboli ſeruitio mancipati vitam ſacrilegam temporaliter finiebant æternis cruciatibus conſumendos, Deo illis retribuente ſecundum propria merita operum illorum. Deinde ſequitur de eodem rege, quod audito libro legis Domini, quem Elchias ſacerdos inuenit in templo Domini ſcidiſſe veſtimenta ſua & miſiſſe Elchiam ſacerdotem & cæteros qui ſubſequenter annumerantur, vt orarent pro ſe & pro reliquiis Iſrahel & Iuda, ſuper vniuerſis ſermonibus libri qui repertus eſt in domo Dei, ipſique abierunt ad Oldam Prophetam vxorem Sellum, quem Hebræi autumant, auunculum eſſe patris Ieremiæ Ananehel, quæ habitabat Hieruſalem in ſecunda. Quid ſignificet illud quod dicitur in ſecunda, in hiſtoria libri præſentis ſuperius declaratur, vbi ſcriptum eſt de præfato rege Ezechia: *Ædificauit quoque agens induſtriè omnem murum qui fuerat diſſipatus extruxitque turres & forinſecus alterum murum.* 2. Par. 32. Meminit huius loci & Sophonias dicens: *Vox clamoris à porta piſcium & vlulatus à ſecunda.* Sophon. 1. Pro quo vetus editio quaſi proprium nomen loci tranſtulit, in Maſena. G Maſena quippe interpretatur ſecunda. Quod ergo dicitur Propheteſſa habitaſſe in ſecunda, in ſecundi muri parte intellige.

Capvt XXXV.

Fecit autem Ioſias in Hieruſalem phaſe Domino quod immolatum eſt quarta decima die menſis primi & conſtituit, ſacerdotes in officiis ſuis, hortatuſque eſt eos vt miniſtrarent in domo Domini. Leuitis quoque ad quorum eruditionem omnis Iſrahel ſanctificabatur à Domino locutus eſt. Ponite arcam in ſanctuario templi quod ædificauit Salomon filius Dauid Rex Iſrahel, Nequaquam enim vltra eam portabitis, &c.

Tradunt Hebræi quod arca Domini quam modo in templum Ioſias reduci præcepit delata fuerit de templo tempore Achaz quando ſimulachra ab eo in templum miſſa ſunt, & ducta in domum Sellum viri Oldæ auunculi Hieremiæ, vbi permanſit vſque ad tempus Ioſiæ. Nec enim poterat arca Dei eſſe in loco vbi ſimulachra introducta fuerant, & Gentilium vſus & ritus nefandiſſimus obſeruabatur. H Quod autem prædictus Rex eiectis idolis de terra, necnon phitonibus & ariolis & omnibus immundiciis atq; abominationibus ablatis in octauo anno regni ſui Domino Phaſe celeberrimũ feciſſe legitur, moraliter docet nos vt purgemus primum terram cordis noſtri ab omnib. vitiis & mundemus actus noſtros ab omni inquinamento peccatorum, & ab operib. mortuis vt ſeruire poſſimus Deo viuenti: ſicq; gratum Domino celebremus Paſcha: *Non vtiq, in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* 1. Cor. 5. Secundum allegoriam autem Ioſias iſte typum tenet Domini Saluatoris qui ſalus & fortitudo Domini meritò dicitur, quia ipſe eſt de quo Scriptura dicit: *DOMINVS fortis DOMINVS potens in prælio.* Pſal. 23. Et alibi: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. Ipſe quidem zelo Dei mundat

A terram Iuda & Hieruſalem, ab omnibus immundiciis & abominationibus, qui per Prophetam dicit: *Zelus domus tuæ comedit me.* Pſal. 68. Matth. 3. Luc. 3. Mal. 3. de quo & Iohannes ait: *cuius ventilabrum in manu ſua & purgabit aream ſuam.* de quo & Malachias dicit: *Ecce venit dicit Dominus exercituum. Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans & quaſi herba fullonum & ſedebit conflans & emundans argentum & purgabit filios Leui, & conflabit eos quaſi aurum & quaſi argentum. Et erunt domino offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebit Deo ſacrificium Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio & ero teſtis velox maleficiis & adulteris & periuris, & qui calumniabantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit Dominus exercituum.* Celebrat ergo Ioſias noſter verum phaſe in octauo decimo anno regni ſui, quando in octaua ætate generali Reſurrectione perpetrata ſanctos ſuos cũ perfectione bonorum operum perducit ad æternæ beatitudinis denarium accipiendum, eiectis prius omnibus ſcandalis de regno eius, de quo prædictus Propheta ait. Mal. 4. B *Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem, ſtipula & inflammabit eos dies veniens dicit Dominus exercituum, qua non relinquet eis radicem & germen & orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ & ſanitas in pennis eius. Et egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis impios cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum.* Et rectè dictum eſt, quod non factum fuerit phaſe tale à diebus Iudicum, qui iudicauerunt Iſrahel, & omnium dierum Iſrahel & regum Iuda, ſicut in octauo decimo anno regis Ioſiæ in Hieruſalem, quia ablatis figuris veraciter in die iudicii tranſibunt ſancti de morte ad vitam, de corruptione ad gloriam, ſicque in conſpectu conditoris ſui in cœleſti Hieruſalem in æternum gaudebunt. Pſal. 83. Apoc. 21. *quia videbitur Deus Deorum in Sion* & *ciuitas illa non eget Sole neque Luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius agnus eſt, & ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam. nec intrabit in eam aliquid coinquinatum & faciens abominationem & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* & nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem: Pſal. 30. C *Benedictus Dominus quoniam mirificauit miſericordiam ſuam.*

Aſcendit Nechao Rex Ægypti ad pugnandum in Charchamis iuxta Euphraten, & proceſſit in occurſum eius Ioſias. At ille miſſis ad eum nuntiis ait. Quid mihi & tibi eſt Rex Iuda? non aduerſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, hoc eſt, contra domum Regis ad Remmon filij Iabrimon qui regnabat in Charchamis, qua ea tempeſtate qua & Ioſiam regem Nechao interfecit.

Ad quam me Deus feſtinato ire præcepit: Deſine aduerſum Deum facere qui mecum eſt, ne interficiat te.

Rex Ægypti ſe Dominum feſtinato ire præcepiſſe commemorat, quia ex verbis Prophetarum, h. e. Ieremiæ & aliorum potuit cognoſcere Domini voluntatem ad vltionem agendam in populo peccatore. Vnde & Rapſaces dicit Sennacherib Regi Aſſyriorum, Dominus iuſſit me aſcendere ad terram iſtam, quia iam Prophetæ Iſrahel prophetauerant hoc, quod ille aſcenſurus eſſet, quia hoc eum minimè latuit.

Noluit Ioſias reuerti, ſed præparauit contra eum bellum nec acquieuit ſermonibus Nechao Regis ex ore Dei, verum perrexit vt D *dimicaret in campo Mageddo, ibique vulneratus à ſagittariis dixit pueris ſuis, deducite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum. Qui tranſtulerunt eum de curru in alterum currum qui ſequebatur eum more regio & aſportauerunt eum in Hieruſalem. Mortuuſq; eſt & ſepultus in Mauſeolo patrum ſuorum & vniuerſus Iuda & Hieruſalem luxerunt eum. Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſia replicant, &c.*

De hoc prælio Ioſephus ita refert. Dum Ioſias in pace atque diuitiis & gloria ſuper omnes excelleret. Nechao Rex Ægyptiorum caſtra poſuit ad Euphraten fluuium vt contra Medos & Babylonios dimicaret, qui Aſſyriorum ſoluerant principatum. Habebat enim deſiderium vt regnaret in Aſia, & dum veniſſet ad ciuitatem Medin, quæ erat de regno Ioſiæ prohibebat eum Rex Ioſias per ſuam prouinciam contra Medos iter facere. E Tunc mittens legatos ad eum Nechao ſignificauit non ſe contra eum exercitum ducere, ſed ad Euphratem fluuium properare, adiiciens vt eum prouocare non deberet per ſuum bellum prohibendo, ne aliena iret ad prælia quo tendebat. Ioſias verò non acquieſcebat verbis Nechao, ſed inſtabat ne iter ſuum per eius faceret regionem. Reor vrgebat eum vt quod imminebat accideret. Hic dum aciem exercitus ſui componeret, & in curru vectus à curru tranſiret ad currum quidam iaculatus eum Ægyptiorum à belli feſtinatione ſuſpendit. Mox enim vulnere nimis affectus iuſſit exercitum reuocari & ad Ieruſalem remeauit quia plagatus eſt, ſepultuſq; magnificè in patriis monumentis. Qui vixit annis triginta & nouem, regnauitq; ex eis xxx. & vnum. omnis populus eum multis diebus magno luctu gemituque defleuit. Sed Hieremias Propheta morti eius carmen lamentabili modulatione compoſuit, quod hactenus noſcitur permanere. Hic verò Propheta etiam futuram ciuitatis cladem prædixit, ſcripto reliquit ſimul & captiuitatem nunc apud nos habitam & F Babyloniam variam migrationem, & non ſolum iſte prædixit hæc populo eſſe ventura, ſed & Propheta Ezechiel primus de his duos libros conſcribens plebi reliquit. Erant autem ambo ſacerdotes ſed Ieremias quidem in Ieroſolymis eſt commoratus, à decimo quarto anno regis Ioſiæ vſque dum ciuitas vaſtaretur & templum. Quid autem iuxta allegoriam interfectio Ioſiæ ſignificat, qui à Pharaone Nechao interemptus eſt in Mageddo, niſi perſecutionem antiqui hoſtis aduerſus ſanctos prædicatores quos per inuidiam neci tradere & de terra Eccleſiæ auferre conatur, quatenus facilius totam plebem diſſipare & inuadere poſſit. Interpretatur autem Pharao diſſipans. Nechao percuſſio. Mageddo de tentatione. Permiſſus quippe diabolus conſurgere aduerſus ſanctos, hoc ſolummodo agit, hoc totis viribus certat, quatenus tentando gregem Dei percutiens diſſipet, eoſque primum auferat quorum ſolatio adiuti contra hoſtem dimicare cæteri debuerant.

CAPVT XXXVI.

G *TVlit ergo populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ & conſtituit eum regem pro Patre ſuo in Hieruſalem, &c.*

Ioachas qui interpretatur retentus ſignificat prauos rectores, quos populus terræ carnales videlicet terrenæ cupiditati dediti ſecundum mores ſuos conſentientes vitiis ſuis perſonas eligunt. Quos Pharao in Rebla vinciuit & in Ægyptum duxit, cum diabolus multitudinem adulatorum eneruans decipit corda prælatorum. Reblath enim multitudo interpretatur, ſicque ſpiritualis Ægypti vinctos catenis peccatorũ in tenebroſam mergit abyſſum. Pro Ioachas quoque Nechao Ioachim regem conſtituens impoſuit multam terræ centum talentis argenti & talento auri, cum malignus Spiritus penſum ſeruitii ſui in populo perditorum expetit, vt tam ſenſu quam eloquio eius per omnia parati ſint obſequio. Vnde Ioachim iuxta præceptum Pharaonis vnumquemque ſecundum vires ſuas exigit vt daret tam argentum quam aurum, quatenus hoc redderet Pharaoni, quia diabolus per ſibi debitos viros ab vnoquoque exigit ſecundum vires ſuas H peccati cenſum ſoluere, ſicq; iniquiter prælatis quotidie præparat perditionem ſubiectis.

Viginti quinque annorum erat Ioachim cum regnare cœpiſſet & vndecim annis regnauit in Hieruſalem, fecitq; malum coram Domino Deo ſuo, contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum & vinctum catenis duxit in Babylonem, ad quam & vaſa Domini tranſtulit & poſuit ea in templo ſuo.

Notandum autem quod de eodem Ioachim filio Ioſiæ regis in regum ita ſcriptum eſt. 4. Reg. 24. Dormiuit Ioachim cum patribus ſuis, regnauitque Ioachim filius pro eo. Ioſephus autem videtur aſſerere ipſum Ioachim Patrem à rege Babylonis in Ieruſalem fuiſſe interfectum, quia captiuum in Babyloniam deductum, qui in decimo antiquitatum ſuarum libro ita refert dicens. Ioſeph. lib. 14. antiq. Dum Rex Babyloniæ intraſſet in ciuitatem, fidem nequaquam ſeruauit ſed iu-

uenes

A uenes fortiſſimos & pulchritudine decoros Ieroſolymitanorum occidit vna cum Rege Ioachim, quem etiam ante muros inſepultum proiici iuſſit, filium verò eius Ioachim conſtituit Regem vniuerſæ prouinciæ. Eos autem qui erant in dignitatibus conſtituti numero tria millia captiuos induxit Babyloniam, inter quos erat Propheta Ezechiel cum eſſet adhuc puer. Hic ergo finis habuit Ioachim regem, qui vixit quidem annis ſex & triginta, regnauit autem vndecim. Succeſſor verò regni Ioachim Rex nomine Onos regnauit menſibus tribus & diebus decem. Sciendum autem quod cum ſemel quis cuilibet ſe emanciparit vitio, non vno ſed multis Dominis obnoxius erit. Vnde Ioachim quem Pharao ante cenſum ſibi ſoluere coegit, nunc Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſibi tribus annis ſeruire compellit. Et quem Nabuchodonoſor alium intelligemus niſi eundem quem Pharaonem eſſe diximus, principem videlicet confuſionis, & rectorem tenebrarum harum. Ergo cum antiquus hoſtis aliquem ſibi cenſum peccati ſoluere perſuadet, mox totum in Dominium ſuum redigere, & plenum ſeruitium B expendere admonet. Quid eſt ergo aliud Regis Babylonis ſeruum eſſe, quam perſuaſione delectatione atque conſenſu antiquo hoſti ſubditum fore & in cogitando loquendo atque in agendo totum vitiis deditum quaſi libere ab eo poſſideri.

Reliqua autem verborum Ioachim & abominationum eius quas operatus eſt & quæ inuenta ſunt in eo continentur in libro Regum Iſrahel & Iuda.

De hoc autem Ioachim quam ſceleſtus fuerit non ſolum libri Regum ſed & Paralipomenon narrant, quando etiam & Hieremias quantæ dementiæ fuerit copioſiſſime in libro ſuo teſtatur, ita vt non ſolum prauis operibus Dominum irritauerit animo, quod maior calumnia eſt, Prophetarum qui ad ſe miſſi ſunt verba ſpreuerit, necnon & librum Hieremiæ quem Baruch errore ipſius Prophetæ conſcripſit cum coram ſe lectus fuiſſet, ſcalpello ſcindens proiecit in ignem, qui erat ſuper arcolam donec conſummaretur omne volumen igni & non timuerunt neque ſciderunt veſtimenta ſua, in his autem quod dicitur contra abominationes quas operatus eſt, & C quæ inuentæ ſunt in eo, tradunt Hebræi quod inter cætera mala quæ geſſit, etiam hæc fecit in corpore ſuo: quod Leuit. 9. Dominus prohibuit dum diceret: *non tondebitis caput veſtrum in rotundum, neque ſuper mortuum ſtigmata facietis in corporibus veſtris.* Qui poſtquam mortuus eſt in corpore eius inuenta ſunt.

Regnauit ergo Ioachim filius eius pro eo, octo annorum erat Ioachim cum regna recepiſſet, & tribus menſibus ac decem diebus regnauit in Hieruſalem fecitque malum in conſpectu Domini.

Sciendum ſanè quod nomen iſtius Ioachim qui & alio nomine Iechonias appellatur, non eiſdem elementis in fine apud Hebræos ſcribitur quo & Patris eius Ioachim, qui alio nomine Eliachim, appellatus eſt. Sed priorem, hoc eſt, Patrem in fine nominis per cappa & my. Secundum autem, id eſt, filium per chy & ny, annotant. Vnde nemo putet eundem in Danielis principio eſſe Ioakim qui in Ezechielis exordio Ioachim ſcribitur. Iſte extremam ſyllabam kim habet, ille chim, & ob hanc cauſam in D Euangelio ſecundum Matthæum vna videtur deeſſe generatio, quia ſecunda tos Seres Kedeeadis in locam deſinit filium Ioſię, & tertia incipit à Ioachim filio Eliachim. Quod ignorans Porphirius calumniam ſtatuit Eccleſiæ, ſuam oſtendens imperitiam, dum Euangeliſtæ Matthæi arguere nititur falſitatem.

Cumque anni circulus volueretur miſit Nabuchodonoſor Rex nuncios qui & adduxerunt eum in Babylonem aſportatis ſimul precioſiſſimis vaſis domus Domini.

De hoc quidem plenius in libro Regum narratur. vbi 4. Reg. 24. ita ſcriptum eſt: *In tempore illo aſcenderunt ſerui Nabuchodonoſor Regis Babylonis in Hieruſalem, & circumdata eſt vrbs munitionibus. Venitque Nabuchodonoſor Rex Babylonis ad ciuitatem cum ſeruis ſuis, vt oppugnarent eam. Egreſſusque eſt Ioachim Rex Iuda ad Regem Babylonis, ipſe & mater eius, & ſerui eius &* E *principes eius & Eunuchi eius, & ſuſcepit eum Rex Babylonis anno octauo regni ſui & protulit inde omnes thezauros domus Domini & theſauros domus regiæ, & concidit vniuerſa vaſa aurea quæ fecerat Salomon Rex Iſrahel in templo Domini iuxta verbum Domini & tranſtulit omnem Ieruſalem & vniuerſos principes & omnes fortes exercitus decem millia in captiuitatem & omnem artificem & incluſorem, nihilque relictum eſt exceptis pauperibus populi terræ. Tranſtulit quoque Ioachim in Babylonem, & matrem Regis & vxores Regis & Eunuchos eius & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ieruſalem in Babylonem & omnes viros robuſtos ſeptem millia & artifices & incluſores mille, omnes viros fortes & bellatores, duxitque eos Rex Babylonis captiuos in Babylonem, & conſtituit Mathathiam Patruum eius pro eo, impoſuitque nomen ei Sedechias.*

Miſticè autem captiuitas hæc Regis Ioachim per quam deductus eſt in Babylonem ſignificat lapſum atque ruinam paſtorum atque rectorum Eccleſiæ, qui veri Nabuchodonoſor, hoc eſt, diaboli arte deluſi in confuſionem adducuntur errorum atque vitiorum, & qui per Domini gratiam ac ſtudium bonum alios ſermone doctrinæ & F bonis exemplis ad veram religionem ſuſcitare debuerāt, ipſi variis iudiciis trucidati morte abſorpti ſunt peccatorum.

Hoc enim nomen Ioachim qui reſuſcitans vel qui eſt conſurgens interpretatur, ſignificat. Cum quo ſimul precioſiſſima vaſa Domini in captiuitatem aſportantur, quia illi qui ingenii acumine excellebant, vel morum honeſtate fulgebant, malorum præpoſitorum deprauati exemplis, ſimul cum ipſis in prædam ceſſére Diaboli.

Quod etiam Ieremias Propheta in lamentationib. ſuis Thren. 1. deflere videtur. Vbi dicit: *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius, facti ſunt principes eius velut arietes non inuenientes paſcua. & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium eius.* Hinc & Pſalmiſta ſubitaneam vineæ Domini admirans deuaſtationem, ad Pſal. 79. ipſum Dominum dicit: *Vt quid depoſuiſti maceriam eius & vindemiant eam omnes qui tranſeunt viam. Exterminauit* G *eam.*

Viginti & vnius anni erat Sedechias cum regnare cœpiſſet & vndecim annis regnauit in Hieruſalem, fecitque malum in oculis Domini Dei ſui, nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ loquentis ad ſe ex ore Domini. A Rege quoque Nabuchodonoſore receſſit qui adiurauerat per Deum & indurauerat ceruicem ſuam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Iſrahel. Sed & vniuerſi principes Sacerdotum & populus præuaricati ſunt inique iuxta vniuerſas abominationes gentium & polluerunt domum Domini, quam ſanctificauerat ſibi in Hieruſalem. Mittebat autem Dominus Deus Patrum ſuorum ad illos per manus nunciorum ſuorum de nocte conſurgens & quotidie commonens, eo quod parceret populo & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuncios Dei & parui pendebant ſermones eius illudebantque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio. Adduxit enim ſuper eos Regem Chaldæorum & interfecit iuuenes eorum gladio in domo ſanctuarii ſui. Non eſt miſertus adoleſcentis & virginis & ſenis nec decrepiti quidem, ſed omnes tradidit manibus eius, vniuerſaque vaſa domus Domini tam maiora quam minora & theſauros templi & Regis & principum tranſtulit in Babylonem. H

Quid per Sedechiam Regem Iudæ niſi illi qui gubernationem regiminis in populo Dei ſuſcipiunt deſignatur? qui iuxta interpretationem nominis ipſius Sedechiæ interpretatur iuſtus Domini. Legem & ſedem iuſtitiæ accipiunt, cum ſecundum Euangelicam doctrinam ad exercenda opera iuſtitiæ honores & officii accipiunt dignitatem, maximè cum filii Ioſiæ, hoc eſt, ſalutis Domini per gratiam Baptiſmatis & ſacri criſmatis vnctionem nuncupari merentur, ſed degenerantes ab hac dignitate relabuntur in vitiorum fœditatem, & non ſolum ſemetipſos impietati & impudicitiæ tradunt, ſed etiam ſubditos quoſq; ſibi conſentientes participes ſcelerum faciunt, nec fidem Deo quā promiſerant cuſtodiunt:

[A] nec cum hominibus ritè pacis fœdera ſeruant. Huiuſcemodi ergo homines quotidie lex diuina & Prophetarum atq; Apoſtolorum oracula à peccatis recedere, & ad Deum per pœnitentiam conuerti admonet, ſed ſemel indurati verba ſalutis deſpiciunt, & ſalutifero Domini mandato obedire contemnunt. Vnde ipſe iratus immittit ſuper eos regem Chaldæorum, hoc eſt, principem tenebrarum, cum ſatellitibus ſuis, ſpiritualibus vtique nequitiis, vt qui noluerunt ſalubri corrigi documento, hoſtiũ ſubiiciantur tormento. Qui nulli parcentes ætati, nulli honorem deferentes dignitati, quoſcumque capiunt in Babylonem, hoc eſt, in confuſionis laqueum transferunt, & domum Domini incendunt dum fideles qui templum Domini per fidem & Catholicam confeſsionem fieri videbantur, blaſphemare compellunt. Deſtruunt muros Hieruſalem, cum cuſtodiam paſtorum deiiciunt, vniuerſas terras obruunt, quando Eccleſiaſticos ordines, qui culmen honoris habuerant, per illicita deſideria excurrunt, & quicquid precioſum fuerat demoliuntur, cum quicquid de virtutum ac ſcientiæ prærogatiua ſibi [B] applauſerunt, totum propter impietatem illorum in peſſum & ad nihilum redigunt. Seruiuntq; regi Babylonis & filiis eius, cum Diabolo inſtigante variis vitiorum pollutionibus ſemetipſos tradere & diuerſis peccatorum paſſionibus ſe obligari non erubeſcunt, donec exurgat regnum aliud, de quo Prophetico prænunciatum eſt elogio & peccati regnum ſub diuino conruat iudicio, vnde ſequitur.

Seruiuit Regi & filiis eius donec imperaret Rex Perſarum & compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ & celebraret terra Sabbata ſua. Cunctis enim diebus deſolationum egit Sabbatum vſque dum complerentur ſeptuaginta anni.

Salomon ergo vt ſæpe iam replicem templum Domini ſeptem annis conſtruxit in Hieruſalem, octauo autẽ illud conſummauit ac dedicauit, ſignificans quod tempore ſeculi huius quod ſeptem diebus circuit Eccleſiam Dominus collectis ad ædificium cœleſte fidelibus conſtruit. Porrò in vita futura apparente gloria Reſurrectionis ad integrum perficit atque in gaudium vitæ immortalis in æternæ ſuæ claritatis viſione ſuſtollit. Quia enim ipſe [C] octauo die, hoc eſt, poſt ſeptimam Sabbati reſurrexit à mortuis, rectè octonario numero tempus etiam noſtræ Reſurrectionis exprimitur. Quod autem æuo ſequente quædam templi ædificia atque præ nimia vetuſtate diſſolui ceperunt, ſed eadem mox induſtria regum ac ſacerdotum quæ illis fuere temporibus inſtaurata, & in priſtinum ſuſcitata ſunt ſtatum, ſignificat quotidianos fidelium ac leuiſſimos erratus, de qualibus Salomon, *ſepties, inquit, ca-* [Prou. 24.] *dit iuſtus in die & reſurgit.* Qui quotidiana æquè ipſorum ſolertia donante Domino, per exempla vel exhortamenta præcedentium iuſtorum, quaſi per regum ac ſacerdotum Dei corriguntur induſtriam. Reges namq; ac ſacerdotes merito omnes in Eccleſia perfecti vocantur, cum ſint membra regis ac ſacerdotis ſummi, cum ſe ipſos benè regere, cum ſua corpora Domino hoſtiam viuentem exhibere didicerunt. Quod poſtmodum creſcentibus malis ipſum templum idolorum ſordibus profanatum, & ad vltimum à Chaldæis deſtructum, atque incenſum eſt, ſignificat grauiores lapſus eorũ qui per confeſsionem quidem rectæ fidei & Sacramentum lauacri ſalutaris [D] ſanctæ Eccleſiæ membris adunati, ſed denuo fraude malignorum Spirituum ab ſtatu fidei deiecti, ac vitiorum ſunt flamma combuſti. Quod diruto templo ac deſtructa pariter vrbe Hieruſalem ciues eius in Babylonem tranſmigrati ſunt poſt annos ſeptuaginta, acta de malis ſuis pœnitentia ad Patriam ſunt Domino miſerante remiſsi, ac rurſus idem templum atque vrbem ſanctam grandi cum labore reſtaurauit, figurate deſignat eos qui decepti à Diabolo non ſolum fidei ſinceritatem atque integritatem boni operis perdunt, verumetiam per acerbitatem ſcelerum gentibus ac publicanis aſsimilari videntur, iu- [Matth. 18.] xta illud Dominicum: *Si autem Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Quorum tamen nonnulli per diuinæ reſpectũ gratiæ reſipiſcentes ad Eccleſiam reuertuntur, cum illuſtratione ſancti Spiritus compuncti præcepta diuinæ legis quæ reliquerant, denuo audire incipiunt & cuſtodire: ſeptem namque ſunt dona ſancti Spi- [E] [Eſa. 11.] ritus, quæ Propheta Iſaias manifeſta diſtinctione enumerat. Decem verò præceptis, omnis diuinæ legis ſumma comprehenditur, & ſeptem multiplicata per decem ſeptuagenarium numerum perficiunt. Vnde apta ſignificatione qui per opera peruerſa in Babyloniam fuerunt captiuati poſt ſeptuaginta annos liberantur, ac domum Dei & ciuitatem ſanctam reædificant, quia nunquam hi per ſua peccata à communione & Societate ſanctæ Eccleſiæ ſeparati infidelium ſorti ac numero copulabantur, rurſum per donum ſancti Spiritus, ſtudioſe bonæ operationis actus exercent, ac per hoc conſortium fidelium domus videlicet & ciuitatis Domini de qua fuerant eiecti recipiunt.

Anno autem primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini quem locutus fuerat per os Ieremiæ ſuſcitauit Domi- [Ierem. 25. & 29.] *nus Spiritum Cyri regis Perſarum, qui iuſſit prædicari vniuerſo regno ſuo etiam per Scripturam dicens. Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum, Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli & ipſe* [F] *præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa, quis ex vobis eſt in omni populo eius? Sit Dominus Deus ſuus cum eo & aſcendat.*

Finis Libri Paralipomenon ſimilis eſt principio libri Eſdræ ſacerdotis: quem Hebræi Malachiam vltimum duodecim Prophetarum eſſe autumant, in quo edictum Cyri regis Perſarum & reditus populi Iudaici in terram Iuda deſcribitur. Vnde ſimili expoſitione hic locus exſolui poteſt, ita vt quæ expoſitores ipſius Prophetæ de illius libro in principio dixerunt hæc eadẽ nos in fine iſtius ponamus. Narrant veteres hiſtoriæ, quibus & Prophetæ Danielis Scriptura concordat, Cyrum Regem Perſarum iuncto ſibi ſocio Dario Rege Medorum Babyloniorum deſtruxiſſe Imperium occiſo vltimo eorum rege Balthaſar & ipſa vrbe diruta ac vaſtata. Qui videlicet Cyrus ſciens à Deo Iſrahel regnum ſibi traditum, mox vt regnum illud quod populum captiuarat ac ſeruitute premebat ſuperauit, dedit facultatem eidem populo patriam redeundi, ac domum Dei ſui quæ in ea erat incenſa reædifi- [G] candi, eandemq; libertatis ſententiam non tantum verbo præſentibus intimauit, verum etiam eis qui longius per omnes regni ſui prouincias ab erant miſsis Epiſtolis mandauit ipſum qui eſt Deus Iſrahel verum eſſe Deum & Dominum cœli omniumque regnorum auctorem publica voce confeſſus. Quæ omnia ſic futura Prophetæ ſancti, Eſaias & Ieremias apertè prædixerunt. Quorum Ieremias & numerum annorum quibus eſſent in Babylonia ſeruituri & quando in Patriam reuocandi præcinuit. Eſaias autem etiam nomen regis Cyri per quem à ſeruitio liberandi, in patriam reuocandi, cuius permiſſu templum eſſent reſtauraturi ſine vllis Propheticæ locutionis ænigmatibus oſtendit. Ait enim Ieremias: *Hæc dicit Do-* [Ier. 29.] *minus exercituum Rex Iſrahel omni transmigrationi quam tranſtuli de Ieruſalem in Babylonem. Ædificate domos & habitate, quia hæc dicit Dominus exercituum. Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum & reducam vos ad locum iſtum.* Porro [Eſa. 44.] Eſaias: *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus & formator tuus ex vtero. Ego ſum Dominus faciens omnia.* Et paulo poſt: *Qui dico profundo deſolare & flumina tua areſaciam, qui dico Cyro, paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: qui dico* [H] *Hieruſalem ædificaberis, & templo, fundaberis. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro cuius apprehendi dextram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego anteibo & glorioſos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum, vt ſcias quia ego Dominus qui voco nomen tuum Deus Iſrahel, propter ſeruum meum Iacob & Iſrahel electum meum & vocaui te in nomine tuo, aſsimulaui te & non cognouiſti me. Ego Dominus & non amplius, extra me non eſt Deus. Accinxi te & non cognouiſti me.*

Ex quo Eſaiæ Prophetæ credendum eſt pro eo maximè Cyrum Regem dilexiſſe filios Iſrahel, eoſque de captiuitate exemptos domum remiſiſſe, ac templum reædifi-

A

care iuſsiſſe, quod audierit Prophetas eorum per Spiritum Dei de ſuo regno, & Babyloniorum deſtructione fuiſſe prælocutos. Nam & ſpecialiter ipſum genus expurgationis quo Babyloniam cæpit expreſſerant. idem Prophetæ, quorum Eſaias: *qui dico, inquit, profundo deſolare, & flumina tua areſaciam:* Porrò Hieremias ait: *Murus Babylonis ille latiſsimus ſuffeſsione ſuffodietur & portæ eius excelſa igni comburentur.* Narrant enim hiſtoriæ, quia diuiſo atque exinanito per plurimos riuos flumine Euphraten qui per medium Babylonis influebat per areſactum ac deſolatum eius profundum, vrbem hoſtis intrauerit. Hæc de hiſtoria paucis dixerimus. At vero iuxta myſticos ſenſus Cyrus Rex Dominum Saluatorem & nomine deſignat & actis. Quod non ex noſtra coniectura ſed ex manifeſtiſſimis Eſaiæ verbis didicimus quibus ex perſona Domini dicebat: *Aſsimulaui te & non cognouiſti me.* Aſsimulauit namque eum Deus filio ſuo, quamuis ipſe Dominus ſe aſsimulantem minime cognouerit, primum in eo quod Chriſtum ſuum cognominare dignatus eſt, deinde quod eum Cyrum quod interpretatur hæres, multò antequam noſceretur vocandum eſſe diſpoſuit. Hoc enim vocabulum rectè congruit illi, cui dicit idem Deus Pater: *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* De quo & Apoſtolus: *quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* De quo etiam in carne apparente inimici perſequentes dicebant. *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.* Sed & in eo Deus Pater quod ſubiecit ante faciem Cyri gentes & dorſa Regum vertit, portas æreas contriuit & vectes ferreos confregit, videlicet Babylonis vel aliarum quas cæpit ciuitatum, quod dedit ei theſauros abſconditos & arcana ſecretorum videlicet apes ignotas prouinciarum, aſsimilauit eum Domino & Saluatori noſtro, qui prædicantibus per orbem Apoſtolis, gentium ſibi vniuerſarum colla ſubiecit, ipſos quoque rerum Dominos, & ſapientiæ ſecularis auctores, ditioni ſubſtrauit. Qui portas inferorum deſtruxit, vt ablatos inde electos ſuos ad libertatem patriæ cæleſtis introduceret. Qui errores contriuit gentium, & doctrinas humana ratione munitas, per humilium ora ſubuertit, vt eiſdem correctis, lumen ſuæ fidei & veritatis aperiret, in quo ſunt theſauri omnis ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quos videlicet theſauros & idem Dominus noſter in natura diuinitatis æternaliter ex patre habuit, ſed in aſſumpta humanitate ex tempore accepit. Aſsimilauit ergo Cyrum Dominus vnigenito filio ſuo & Domino noſtro Ieſu Chriſto: quia ſicut nimirum ex quo ipſe eſſe homo cæpit, ille deſtructo Chaldæorum imperio populum Dei liberauit ac in patriam remiſit, templumque quod erat incenſum Hieroſolymis reædificari præcepit, & hoc ipſum edictum etiam per literas manifeſtare curauit, vt implerentur verba Ieremiæ, quibus hoc futurum ipſe prædixit, ita mediator Dei & hominum deſtructo per orbem Diaboli regno, electos ſuos qui erant diſperſi ab eius tyrannide reuocatos in ſuam cógregat Eccleſiam, quæ & in præſenti iuſtificata ex fide pacem habet ad Dominum per ipſum, & ad viſionem perpetuæ pacis feſtinat in futuro. Hieruſalem quippe viſio pacis dicitur. Qui etiam templum quod erat incenſum reſtaurat, cum illos qui inſidiis antiqui hoſtis fidem perdiderant ad ſalutem reducens, ſua habitatione dignos efficit. Sed & Scripturas ſanctas in vniuerſum miſit mundum, quibus fidem ſui nominis ac ſpem ſalutis cunctis qui ad ſuum regnum pertinent, hoc eſt, electis omnibus prædicaret. Quod ita futurum non Hieremias ſolus ſed & communi ſenſu omnes prædixere Prophetæ iuxta hoc quod ipſe diſcipulis ait: *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me.* Suſcitauit autem Dominus Spiritum Cyri regis Perſarum vt agnita poteſtate ac prouidentia Dei Iſrahel faceret quæ de eo narrat Scriptura, ac Dominus in Euangelio ait Iudæis: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater. Hæc loquor.* Quod vero in Scriptura ſua dicit, idem Cyrus: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.* Bene quidem Dominum Iſrahel Dominum Deum cæli confeſſus eſt, quem etiam regna terræ

Eſa. 44.
Ier. 51.
Eſa. 44.
B
Pſal. 2.
Hebr. 1.
Matth. 21.
C
D
Luc. 24.
Ioan. 8.
2. Par. 36.
1. Eſdr. 1.

E

omnia in poteſtate habere & cuicunq; vellet dare poſſe cognouit, ſed minus verum videtur ſonare, quod ſibi omnia regna terræ ab eo tradita dicit, niſi fortè intelligendum eſt quod eo tempore quo hæc ſcripſit nullum ſibi regnum aduerſarium habuerit, vel certe victore deſtructo atque exhauſto tam robuſto tanquam antiquo Chaldæorum imperio nullum ſibi regnum in toto orbe reſiſtere poſſe crediderit. Veraciter autem hic ſermo conuenit maieſtati eius qui dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Sequitur eadem Scriptura Cyri: *Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius. Sit Deus illius cum ipſo & aſcendat Hieruſalem quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Dei Iſrahel ipſe eſt Deus qui eſt in Hieruſalem.* Magna in his verbis fides Regis, magna claret pietas. fides quidem, quod populum præ cæteris nationibus Dei eſſe populum intellexit, pietas quod nullo prorſus excepto omnes qui vellet liberos patriam redire permiſit. Fides, quod eundem Dominum Deum & habitare in cœlis & eſſe in Hieruſalem & cum ſingulis reuertentium de Babylone in Hieruſalem aſcendere poſſe confeſſus eſt. An non luce clarius eſt quod hunc non corporeum & loco comprehenſibilem, ſed Spiritum & vbique præſentem credidit, quem ita in Hieruſalem & in templo habitare confeſſus eſt, vt ſimul cœli regno præſidere non dubitaret; ita in cœlis regnare credidit, vt nihilominus cum ſuis fidelibus eſſet in terra, eorumque & animos & manus ad ea quæ ſalutaria eſſent facienda dirigeret. Cæterum omnia Scripturæ huius verba ſpiritualem ſenſum redolent. Cum enim non facile pareat, ſolos illos cum quibus Deus eſt, de confeſsione peccatorum ad virtutum opera quaſi de ſeruitio de Babylone in Ieroſolimam ad libertatem poſſe tranſire, quia ſine ipſo nihil poſſumus facere. Quis non videt rectè in eadem ſententia aſcenſionem eſſe nominatam? Quia nimirum omnes qui peccant quum ſæculi curis ſeruiunt in imo ſunt, qui vero placent, ad altiora neceſſe eſt mentem erigant, cœleſtia ſuſpirent, pompas mundi omnes atque illecebras æternorum amore tranſcendant. Hieruſalem quoque eſſe in Iudæa, hoc eſt in confeſsione memoratur, vt qui per obliuionem Dei captiuari à Chaldæis, qui interpretantur quaſi dæmonia, hoc eſt, malignis ſpiritibus mancipari meruimus, per confeſsionem diuinæ pietatis, ad viſionem liberæ pacis & lucis redeamus, ibique ædificemus domum Domino Deo Iſrahel, hoc eſt, in vnitate Catholicæ pacis, in confeſsione ſiue noſtræ iniquitatis, ſeu diuinæ miſerationis & gratiæ præparemus corda noſtra, in quibus Dominus ipſe propitius inhabitare atque ea ſua præſentia illuſtrare dignetur, ſed & proximorum corda ad laudem ſui conditoris & opera pietatis accendere curemus. Vtroque etenim modo domum Domino ædificamus, cum vel noſmetipſos in operibus iuſtitiæ exercemus, vel eos quos vellemus ad iter iuſtitiæ & exemplis prouocamus & verbis. Sequuntur reliqua eiuſdem Scripturæ Cyri Regis. *Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitant adiuuent eum viri de loco ſuo, argento & auro & ſubſtantia & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt in templo Dei, quod eſt in Hieruſalem.*

Notanda diſtinctio verborum, quia omnibus ſolutis ab iniuria captiuitatis dedit facultatem Rex, vt quicunq; vellet ad ædificandum templum Domino duce aſcenderet, non tamen omnes illuc aſcendere iuſsit. Qui enim eſſent de eodem populo Dei, quos plus aliis quibuſque in locis libertate donata vti delectaret, hoc aſcendentibus auxilio eſſe de ſuo quoque loco præcepit, data ſcilicet illis in neceſsitatem tam longi itineris pecunia ſiue pecoribus. Sed & alia illis dona eos dare & commendare deſiderauit, quæ illo peruenientes in templum Domini pro memoria mittentium afferre deberent. Omnes ergo de captiuitate Babylonia liberati ſunt, omnes pietatis actibus ſunt dediti, ſed perfectiores ad ædificandum Domino templum aſcenderunt, cæteri eos qui aſcenderant adiuuarunt, quia etſi omnes electi de poteſtate tenebrarum eruti ad libertatem pertinerent gloriæ filiorum Dei, omnes ad Societatem ſanctæ ciuitatis, id eſt, Eccleſiæ ſe annumerari lætantur, non tamen omnium ſed perfectorum ſolummodo eſt in ædificatione eiuſdem Eccleſiæ etiam

Matth. 28.
1. Eſdr. 1.
F
G
1 Eſdr 1.
H

A

Dan. 12.

Ioan. 3.

aliis prædicando laborare. Vnde tales præ cæteris fidelibus duplici honore ab Apoſtolo digni eſſe cenſentur, ſicut & Angelus Danieli: *Qui docti fuerint*, inquit, *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Qui nimirum eruditores multorum, quo magis ſuos auditores ad cæleſtia quærenda ac diligenda inſtituunt, eo minus ipſi pro terrenis acquirendis ſiue poſſidendis curam gerunt, immo etiam ſæpiſſimè temporalia iam acquiſita pro ſpe æternorum relinquunt. Vnde neceſſe eſt eorum inopiæ, vt ad prędicandum ſubſiſtant, ditiorum, qui prædicare nequeunt, largitate ſubueniri, vt etiam ipſi diuites prædicationis eiuſdem poſsint eſſe conſortes. In quorum perſona dicit Gaio Ioannes. *Pro nomine enim eius profecti ſunt nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi, vt*

B

cooperatores ſimus veritatis. Quamobrem nunc dicitur, quod hi qui aſcendebant ad ædificandum domum Domini adiuuari deberent largitione pecuniarum ab amicis ſuis, vbicumque habitarent, id eſt, ſiue in Chaldæa, ſeu in aliis locis, in quæ ob metum profugiſſent Chaldæorum. Excepto, inquit, quod voluntariè offerunt templo Dei, quod eſt in Hieruſalem, quia oportet eos qui temporalibus abundant diuitiis, non ſolum ex his pauperibus Chriſti neceſſaria miniſtrare, verum etiam ipſos bona, quæ poſſunt, pro ſe libenter operari, quatenus horum merito velut oblationis ſpontaneæ & ipſi in templo Dei, quod eſt Eccleſia, partem mereantur habere.

* * *

Explicit Liber IV. Commentariorum Hrabani Mauri in Volumen Paralipomenon.

Finito libro ſit laus & gloria Chriſto,
Omnibus inceptis poſtremos cernite caſus,
Omnipotens omnes ſeruet Deus hic habitantes.
AMEN.

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, IN LIBRVM IVDITH COMMENTARIVS.

PRÆFATIO AVCTORIS.

SVmme Sator rerum qui verbo cuncta creaſti,
Atq; opus omne tuum dextra tu rite paraſti,
Luminibus cælum & ramis florentibus arua
Ornans, ſicq; tuæ deitatis iura reuelas
Diuis, vnde Patrem ſummum te ſcire queamus;
Atq; parem ſemper tibi Chriſtum credere natū
Flatus nempe ſacer iſte tibi Numine claro
Permanet æqualis, tecumq; in ſecula viuit.
Tu Deus es hominum rector Saluator & idem
Præmia qui Iuſtis pænamq; merentibus indis
Sexus perſonas ætates perſpicis auctor
Mercedem & propriam donas iuſtiſſimus omni.
Te quoque depoſco ni linquas lædere quemquam
Reginam fraude, foueasq; benignus amatam
Tu vt facias fortis Iudex regnare quietam
Iſtic, ſicq; polo Iudith ipſa paretur adire.
Quo dignatq; vocata ipſa ſit munere Chriſti,
Quam hic memores lætus placat; ſis & vbiq;
Illi quo valeat canere odas dicere & aſtris,
Nec iam ſit voto reus altum ad culmen Olympi
Qui tendit mente caſam ordinis atq; beati
Ambit quam tribuit illi ſuper æthera ſedem
Arbiter omnipotens, qui ſolus regnat in arce
Hic tu Chriſte tui ſeruas per ſecula regnum &
Quos ſaluas illic, hic corripis ante benignus
Rex ſeuerus, Iuſtus, ſanctus, mitis amandus,
Fac nos velle rogo tua iuſſa implereq; rite
Condignis factis fidei bene iura tenendo
Quo ſedem ſuperam regem te valde ſequentes
Scandamus læti, & capiamus regna ſerena
Lux vbi perpetua eſt vitæ laus gloria vera.
Quo pater, ac natus, regnat & Spiritus almus
Viuus namq; Deus verus ſummuſq; creator
Paruos qui & magnos ſanat per ſecula iuſtus
Omnium & eſt factor Iudex atque omnibus æquus.

CAPITA LIBRI IVDITH.

DE Arphaxat Rege Medorum qui ſuperatis multis gentibus Ecbatanis ciuitatem extruxit & quomodo poſtmodum à Nabuchodonoſor ſuperatus eſt. I.

De Nabuchodonoſor Rege Aſſyriorum, qui propter ſpretos nuncios ſuos Holofernem Principem militiæ cum exercitu direxit, vt ei omnem Occidentem ſubiugaret. II.

Vbi Holofernes prouincias deuaſtans diuerſarum regionum legatos ad ſe miſſos ſuſcepit, qui ſe & cuncta ſua ei tradiderunt. III.

Vbi Filij Iſrahel cognito aduentu Holofernis exterriti, & cœperunt præparare munitiones & clamare ad Dominum inſtantiſſima voce. IV.

Quod Holofernes ex his quos ceperat, ſibi auxiliatores aſſumpſit, & ciuitates, quæ ei ſe tradiderunt, diruit. V.

De eo quod Eliachim Sacerdos Magnus filios Iſrahel confidere de Domini præſentia cohortatur, ne hoſtium pauerent incurſum. VI.

Quod Holofernes audiens filios Iſrahel itinera montium concluſiſſe, iratus eſt valde, & à Principibus ſuis exquirit, vnde filij Iſrahel originem ducerēt, vel quæ eorum virtus eſſet, cui Achior plenius de hac re reſpondit. VII.

Vbi ad relationem Achior irati Principes Holofernis eum ad Bethuliam duci fecerunt atque ad arborem ligari, quem Filij Iſrahel reſolutum vinculis ad Bethuliam duxerunt, atque eum conſolati ſunt. VIII.

De eo quod Holofernes exercitum ad Bethuliam duxit, & eorum aquæductus incidi præcepit, eoſque à fontibus arceri. IX.

Quod ciues Bethuliæ ſitis penuria coarctati ad Oziam venerunt, precantes vrbem tradi in manus Holofernis, quos ille quinque adhuc dies exſpectare perſuadet. X.

Vbi Iudith Chabrin & Charmin Presbyteros arguit, pro eo quod Ozias Princeps diem liberationis Domino ſtatuit, ipſaque ſe ad liberandum populum accingens, non vult, quid ſit actura, inquiri. XI.

Iudith poſt preces induta ornamentis iucunditatis ſuæ, portas ciuitatis pergens ad Holofernem egreſ-

ſaceſt, quæ ſuſcepta ab exploratoribus ad Holofernem deducta eſt. XII.

Holofernes ſciſcitatur Iudith, quam ob cauſam venerit, à qua deluſus filios Iſrahel capere ſe poſſe confidit. Iudith quoque pulchritudinem & ſapientiam omnes ſunt admirati. XIII.

Quod Holofernes Iudith in loco theſaurorum ſuorum manere præcepit, quæ vocata ad cœnam illius à cibis eius abſtinuit, & facto veſpere in cubiculum eius introducta eſt. XIV.

Vbi Holofernes cum temulentus lectulo decumberet, Iudith prece facta caput ipſius abſcidit, inuolutumque conopæum ſuis illud ciuibus deportauit. XV.

Facto ad portas ciuitatis magno populi concurſu, Iudith Dominum benedicens caput Holofernis eis oſtendit, vniuerſi autem laudantes Dominum benedixerunt Iudith. XVI.

Vbi Achior viſo capite Holofernis anguſtiatus præ pauore in terram corruit, Iudith populo conſilium præbet. XVII.

Iudith populo conſilium præbet, vt exeuntes extra portas armis perſtrepant, quod illi facientes Aſſyrios in fugam vertunt, & cæſis hoſtibus prædam magnam reportant. XVIII.

Ioachim ſummus Pontifex ab Ieruſalem deſcendit Bethuliam, vt videret Iudith, quã benedictionibus cumulauit, populusq; omnia, quæ fuerant Holofernis, victrici fœminæ largitus eſt. XIX.

Mirificum canticum Iudith. XX.

De eo quod perpetrata victoria populus ad orandum Dominum Ieruſalem adiit, Iudith quoque expletis centum quinque annis vitam ſuam fine extimo finiuit. XXI.

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, IN LIBRVM IVDITH COMMENTARIVS.

Capvt I.

Arphaxad itaq; Rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam quam appellauit Ecbatanis.

Quidam quærendum putant, hiſtoria Iudith quo tempore, quibuſve ſub Regibus edita fuerit; ob hoc maximè, quia ipſi Reges in hiſtoria notati ſunt, hoc eſt, Arphaxad & Nabuchodonoſor apud eos, qui Aſſyriorum vel Medorum hiſtorias conſcripſere, in ordine Regum vtriuſque regni inſerti nõ reperiuntur. Nam Rex primus apud Aſſyrios, qui eminere cæteris potuit, Ninus fuit, qui in regione Aſſyriorum ciuitatem nominis ſui, h. e. Ninum, quam Hebræi vocant Niniuen, dicitur condidiſſe. Hic ergo cum gentes plurimas bello petiuiſſet ac ſuperaſſet, poſtremum bellum illi fuit cum Zoroaſtre Bactrianorum Rege, qui primus fertur artes magicas inueniſſe, hocque occiſo & ipſe deceſſit. Poſt quem Samiramis vxor eius totius Aſiæ Reginæ Babylonem vrbem inſtaurauit, caputq; regni Aſſyrii vt eſſet, inſtituit, ſicque regnum Aſſyriorum diu inconcuſſa potentia ſtetit. Sed cum Arbatus, quem alii Arbacen vocant, Præfectus Medorum, idemq; natione Medus Sardanapalum Regem ſuum apud Babyloniam interfeciſſet, regni nomen & ſummam in Medos tranſtulit: ita nimirum Babylonis regnum eo anno in Medos deriuatum eſt; quo anno apud Latinos Prochas Amulii & Numitoris Pater, Auus autem Rex Siluiæ, quæ mater Romuli fuit, regnare cœpit. Diſcedente autem Arbato in Medos, partem regni penes ſe retinuere Chaldæi, quia Babyloniam ſibi aduerſus Medos vindicauerunt. Ita Babyloniæ poteſtas apud Medos, proprietas apud Chaldæos fuit. Chaldæi autem propter antiquam regiæ vrbis dignitatem non illam ſuã, ſed ſe illius vocare voluerunt. Vnde factũ, vt Nabuchodonoſor, cæteriq; poſt eum vſque Cyrum Reges, quamuis Chaldæorum viribus potentes, & Babyloniæ nomine clari legantur, in numero & ordine Regum non habeatur illuſtrium. Equidẽ eo tempore, quo Azarias, qui & Ozias nominatus eſt, ſuper duas tribus in Ieruſalem regnauit, & Ieroboam filius Ioab Regis Iſrahel ſuper decem tribus in Samaria regnauerat, regnum Aſſyriorum per Arbatum deſtructum, atq; in Medos tranſlatum eſt, & interim ſine Principibus res agebatur, vſq; Deiocum Regem, qui Gebatanam condidit ciuitatem; in medio autem tempore Chaldæi proprie præualebant; quorum ſeparatæ quædã Regum ſucceſſiones, vt ſupra dictum eſt, feruntur. Deniq; Thegladhalaſar & Salmanaſar & Sennacherib Reges Aſſyriorum, terram Iſraelitarum iiſdem temporibus vaſtaſſe, atq; eos in captiuitatem duxiſſe deſcribuntur, antequam Deiocus in Media regnarit. Noſter autem Nabuchodonoſor Ieroſolymam vaſtauit: Tamen aliquorum Regum Medorum inter Arbatum & Deiocum in Chronicis introducta reperimus nomina, vbi refertur, q. poſt Arbatum viginti octo annis regnantem, ſecundus Soſarinus in Medis triginta annis regnauerit. Poſt quem Medus tertius annis quadraginta: poſt hunc quartus Carduceas annis tredecim: Deinde Deiocus annis quinquaginta quatuor: Poſt Deiocum autem Phraares annis viginti in memorata gente regnauit. Poſt hunc Ciaxarus ſiue Diocles annis triginta duobus; qui moriens imperium Aſtiagis ex filia regno priuauit, ac regnum Medorum in Perſas tranſtulit & in Babyloniam vaſtauit, ac regnum illius penitus deſtruxit, interficiens Balthaſar abnepotem Nabuchodonoſor Regis Babylonis iuuante ſibi Dario, vt Ioſephus teſtatur, propinquo ſuo, filio vtriq; Aſtiagis, annos ætatis habente ſaxaginta duos. Hæc autẽ ideò poſuimus, vt lector diligens aliquam notitiam Regum Aſſyriorum atq; Medorum in prædicto opere breuiter à nobis ſuccinctam inueniens, paratius agnitis Regum ſucceſſionibus hiſtoriæ indagare poſſit veritatem, cui maximè prædictorum Regum ordo narrationis conueniat. Cæterum Euſebius in Chronicis ſuis aſſerit Cambiſem filium Ciri, qui poſt patrem triginta annis regnantem octo annis in Perſide regnauit, ab Hebræis ſecundum Nabuchodonoſor vocari, ſub quo Iudith hiſtoria conſcripta ſit. Sed quia ipſa hiſtoria Arphaxat dicit eſſe Regem Medorum, & Nabuchodonoſor Regem Aſſyriorum, qui regnaret in Niniue, ipſumq; Nabuchodonoſor ſuperaſſe Regem Medorum & obtinuiſſe eum, non inuenio quomodo regnum Aſſyriorum à Medis atq; Perſis deſtructum atq; vaſtatum rurſus præualuerit ipſis Medis, ſi Cambiſes Nabuchodonoſor eſſe intelligatur: niſi forte dicamus, quod ipſe Cambiſes, quia gentes finitimas impugnare & Ægyptum ſuperaſſe deſcribitur, cum regnum Aſſyriorum atq; Perſarum eo tempore vnitum erat, aliquem regem, nomine Arphaxad in Media repugnantem vicerit, ac ſuo imperio ſubiugauerit. Sed ad hanc opinionem ſequendam neminem inuitum trahimus, eligat quiſq; quod ſibi vtile videatur, tantum vt ſenſus eius veritati non diſcordet.

Et ipſe ædificauit ciuitatẽ potentiſſimã, quã appellauit Ecbatanis ex lapid. b. quadratis & ſectis: fecit muros eius in altitudinẽ cubitorũ ſeptuaginta, et latitudinẽ cubitorũ triginta, turres verò eius poſuit in altitudinem cubitorum centũ. Ecbatanis mediæ prouinciæ metropolis eſt, quam ſuperius diximus à *Deioco* Medorum rege conditam, ſed quia modo præſens hiſtoria ædificatam eſſe ab Arphaxad ciuitatem potentiſſimã murorum nimia celſitudine atque amplitudine, turrium altitudine narrat, poſſumus eam intelligere à Deioco primitus conditam ſed ab Arphaxad amplificatam; ſicut & Ioſephus narrat, Danielem Prophetam ſub *Dario* rege in eadem ciuitate Mediæ Mauſolæum valde præclarum & mirabiliter nimis inſtruxiſſe, quod equidem, vt ipſe dicit, manet hactenus, videntibus creditur mirum ædificatum, ita vt ea die, qua conſpicitur, putetur eſſe conſtructum, ſic ei pulchritudo noua videtur & ſolida, nullaq; ſenectute tam magni temporis longæuitate confecta cum ædificia eadem quæ homines patiantur & ad vetuſtatem perueniant & ſua fortitudine longæuitate careant, ac proprii decoris amiſſione marceſcant. Hactenus enim ſepeliuntur ibi Medorum reges atq; Perſarum, pariter & Paſtorũ. Et cui hæc cura committitur, ſacerdos eſt Iudæorum, & hoc fit vſque ad præſens tempus. Sequitur.

Et glorıabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum. Anno igitur duodecimo regni ſui Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna pugnauit contra Arphaxad & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau circa Euphraten & Tigrin, & Iadaſon, in campo Erioch regis Elicorum. Per nomina locorum ſitus denotantur gentium, quia & Coſmographi produnt, à flumine Indo, quod eſt ab Oriente, vſq; ad flumẽ Tigrim, quod eſt ab occaſu regiones ſunt iſtæ: Aracuſia, Parthia, Aſſyria, Perſida & Media, ſitu terrarum montuoſo & aſpero. Hæ à Septentrione habent montem Caucaſum, à Meridie, mare rubrum, & Sinum Perſicũ. In medio autem ſui

A flumina præcipua Idaſpem & Arbiminin. In eis ſunt gentes triginta duæ. Sed generaliter Parthia dicitur, quamuis Scripturæ ſanctæ vniuerſam ſæpe Mediam vocent à flumine Tigri vſque ad flumen Euphratem. Meſopotamia eſt incipiens à Septentrione inter montem Taurum & Caucaſum, cui ad meridiem ſuccedit Babylonia, deinde Chaldæa, nouiſsimè Arabia Eudemon, quæ inter ſinum Perſicum & ſinum Arabicum anguſto terræ tractu, & montem verſus extenditur. In his ſunt gentes viginti octo, ſicque factum eſt, vt duo potentiſsima regna inter ſe confligentes plurimarum gentium in confinibus ſuis comparauerint exercitus; vbi demum victoria ad Chaldæos, ſiue Aſſyrios conceſsit. Myſticè autem per Arphaxad arrogantium typus atque ſuperborum poteſt exprimi, quorum totus niſus & labor, qui per faſtum tumoris atq; per elationem mentis agitur, facile in partem ſpiritualis Nabuchodonoſor, id eſt, Diaboli cadit. Ipſe enim eſt, vt Scriptura teſtatur, Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Vnde etiam ſequitur: *Tunc exaltatum eſt regnum*
B *Nabuchodonoſor, & cor eius elatum eſt*, quia quando proditorum multitudinem decipiendo ac præualendo antiquus hoſtis ſuæ ſubiicit voluntati, tunc elatum eſt cor eius, propriæ illud aſſcribens fortitudini, non promiſſo diuini iudicii, & eo magis exardeſcit ad plurimorum interfectionem, quod ſe videt quibuſdam præualere per prauam ſuggeſtionem, & multos interitus ſui habeat principes, de quo ſubditur.

II. *Et miſit ad omnes, qui habitabant in Cilicia & Damaſco, & ad gentes, quæ ſunt in Carmelo & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Eſdrelon, & ad omnes, qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vſq; Ieruſalem, & omnem terram Ieſſe, quouſq; perueniatur ad montes Æthiopiæ.*

Per diuerſas prouincias ſpiritualis Nabuchodonoſor legatos ſuos mittit, cum turbas malignorum Spirituum ad ſeducendas gentes diſpergit, nec parcit quantum permittitur alicuius dignitati ſeu honori, ſed omnes ſecum vult ad gehennam trahere, & ſocios facere propriæ perditionis. Ad ipſos quoq; fideles actus ſui nequitiam porrigit, nec eos ſecuros & quietos eſſe permittit. quod nomen Iordanis atq; Ieruſalem figuraliter oſtendit. Neq; ſi-
C bi ſatis eſt Ethnicos per errorem captiuare, imo & ſtudet, ſi poſſibile eſt, electos ipſos ſubuertere. de quo in Iob ſcriptum eſt: *Abſorbet fluuium & non mirabitur, habet & fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Et item: *Eſca*, inquit, *eius electa ſunt*; ſed quia licet multos ſuperet, tamen à multis contemnitur, atq;, vt iuſtum eſt, cum prauis ſuggeſtionibus ſuis indigne repellitur atq; abiicitur, ſicut ſequentia demonſtrant, vbi dicitur.

Omnes vno animo contradixerunt & remiſerunt eos vacuos ac ſine honore abiecerunt.

Sed quia malignus hoſtis, licet aliquando à Piis ſuperetur, tamen à cœpta malitia non deſiſtit, ſed in proteruia ſua perſeuerans rediuiua ruiſum ſuſcitat bella, ac totum furoris ſui effundit tumultũ, vnde ſubiungitur. *Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex ad omnẽ terram ad illam iurauit per thronum & regnũ, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.*

Capvt II.

ANno tertio decimo Nabuchodonoſor Regis, vigeſima & ſecũda die menſis primi, factum eſt verbũ in domo Nabuchodonoſor
D *Regis Aſſyriorũ, vt defenderet ſe. Vocauitq; oẽs maiores natu, oẽſq; Duces & bellatores ſuos. & habuit cũ eis myſteriũ cõſilij ſui: dixitq; cogitationem ſuam in eo eſſe, vt oẽm terrã ſuo ſubiugaret imperio.*

Quid eſt, quod Nabuchodonoſor furore repletus, & faſtu arrogantię elatus promittit ſe vlciſci in his, qui reſiſtebant ſibi, iactatq; ſe omnem terram ſuo imperio ſubiugare velle, niſi quod Diabolus propria ſuperbia excitatus, totius orbis ſibi ſpondet imperium, certatque pro viribus, vt à cultu pietatis abſtracto, impietatis ſuæ faciat conſortes. Qui ſe quondam iactans de potentia regni ſui, iuxta Prophetæ ſententiam, ſub figura Regis Babylonis taliter in corde ſuo locutus eſt dicens: *In cœlum aſcendam, ſuper ſidera Domini exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis aſcendam ſuper altitudinem nubiũ, & ero ſimilis altiſſimo.* Qui & in Euangelio Redemptorem noſtrum deducens in montem excelſum, valde, oſtendit omnia mundi regna & gloriam eorum, & E
ait: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me*, arrogantia enim ei non per modum, ſed infima certum habet caſum, quod in fine clarebit.

Vocauit Nabuchodonoſor Rex Holofernem Principem militiæ ſuæ, & dixit ei: Egredere aduerſus omne regnum occidentis, & contra eos præcipuè, qui contempſerunt imperium meum. Non parcat oculus tuus vlli regno, omnemq; vrbem munitam ſubiugabis mihi.

Holofernem hunc aut gentium principatũ, q perſecutus eſt Eccleſiam Chriſti, aut ipſum etiã iniquorũ omniũ caput, & nouiſsimũ perditionis filium poſſumus intelligere. qui extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut q colitur; ita vt in templo Domini ſedens, oſtendat ſe tanquã ipſe ſit Dominus, in quẽ totus intrabit Satanas, vt faciat ea, quæ non fecerunt patres ſui, neq; patres patrum eius, & Domini patrum ſuorũ non reputabit, nec quenq̃ Deorũ curabit. Qui iuxta Danielis prophetiã aduerſus vniuerſa conſurget, & veniet in multitudine magna, vt cõterat & interficiat plurimos, & figat tabernaculum ſuum amplè inter maria ſuper montem inclitum, & ſanctum, v-
bi etiã diuinâ potentiâ contritus corruet. Huic etiam, iuxta Apocalypſin, Draco dedit virtutẽ & poteſtatem Beſtiæ, & adorauerunt beſtiã dicentes. *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Et datũ eſt ei os loquens magna & blaſphemiã, & data eſt illi poteſtas facere menſes quadraginta duos, & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Dominũ, blaſphemare eius & tabernaculũ eius, & eos qui in cœlo habitant. Et datũ eſt illi bellũ facere cũ ſanctis, & vincere illos. Et data eſt illi poteſtas in omnẽ tribũ & populũ & linguã, & gentẽ, & adorabunt eũ omnes qui inhabitant terrã, quorũ non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Per fraudẽ enim Antichriſti, & falſam ipſius poteſtatẽ Diabolus ſibi totius orbis pollicetur dominationem, nec parcet oculus eius vlli regno, quia perſecutionẽ maximã excitat in vniuerſo mundo: Erunt enim, vt Euangeliũ teſtatur, tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturę, quã condidit Deus vſq; nunc, neq; fient. Et niſi breuiaſſet Dominus dies illos, non fuiſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos, quos elegit, breuiauit dies. Vnde de hiſtorico Holoferne ſubiungit Scriptura dicens.

Aſcenditq; omnia caſtella eorum & obtinuit omnẽ munitionẽ. G
Vt typici Holofernis exprimatur ſæuitia atq; crudeli- III.
tas, per omnia caſtella aſcendit, & obtinet omnem munitionem, cum pleroſq; ex his, qui videbantur habere firmitatẽ fidei & virtutũ excellentiã partim dolo, partim etiam aperta inſecutione de ſtatu veræ religionis præcipitando deiicit atq; proſternit. Et frangit omnes ciuitates excelſas, quia de noſtris paſtoribus, qui prælati ſunt gregi Dominico, nõnullos aſtutiâ ſuâ frangit, ac omnẽ locupletationẽ eorum deprædat, cum ſcientiæ ipſorum amplitudinẽ, cum cæteris inſtrumentis, quibus Deo ſeruire debuerant, per illecebras voluptatum captiuando, vel in maniſeſtam blaſphemiam compellendo, in vſum ſeruitii ſui conuertit: Eoſq; qui reſiſtunt ſibi, occidit in ore gladii, quos deflectere ad cõſenſum nequitiæ ſuæ nõ ꝑualet, hos corporali morte interimere ſtudet. *Prædauitque omnes filios Tharſis, & filios Iſmael, qui erant contra faciem deſerti, & ad auſtrum terræ Cellon & tranſiuit Euphratem, & venit in Meſopotamiam.* Per diuerſas enim prouincias, & nomina diuerſorũ
locorũ, quæ in hiſtoria continentur, diſtinctio deſignatur H
octodecim perſonarũ grandiũ ac dignitatũ, ex quib. omnibus Diabolus aliquã contendit ſibi vindicare portionẽ: Nec formidat alicuius pugnæ ſubire difficultatem, ſed propria malitia inſtigatus, grandis potentiæ grauem certat efficere ruinam. *Et poſt hæc deſcendit in campos Damaſci in dieb. meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omneſq; arbores & vineas fecit incidi, & cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terrã.*

Quid per Damaſcum, qui interpretatur ſanguinis potus, niſi gentiliũ dominationis exprimitur poteſtas, quæ fidelium, hoc eſt, martyrum Chriſti inhianter ſitit fundere ſanguinem, & maximè in illa perſecutione nouiſſima, quæ iuxta mundi finem ventura eſt, quando tempus meſſis, hoc eſt, conſummatio appropinquat ſeculi. Tunc per ſecundam veri Holofernis, hoc eſt, Antichriſti crudeliſſi-

mam

A mam iuſſionem, per latitudinem totius orbis vniuerſæ Eccleſiæ grauiſſima excitatur perſecutio: Et quidquid in ſatis viride, vel quidquid in arboribus floriferum, ſeu in vineis ſpiritualibus fructiferum, hoc enim ſanctis viris inuenitur vtile, iucundum & fructuoſum, totum gladio perſecutionis deuaſtare, ac flamma inuidiæ exurere contendit; Vnde euenit, quod ſubiungitur: *Et cecidit timor illius ſuper omnes inhabitãtes terram*; quia carnalia corda, quæ amore terrenarum rerum obligantur, audita & viſa hoſtis ipſius immanitate contremiſcunt. At vero hi, qui exuti terreſtribus curis, & carnaliũ illecebris voluptatum cum Apoſtolo dicere poſſunt: *In carne autem ambulantes nõ ſecundum carnem militamus & noſtra conuerſatio in cælis eſt Vnde & Saluatorem noſtrum exſpectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformauit corpus humilitatis noſtra configuratum corpori claritatis ſua*, non terrentur hoſtium temporali perſecutione, ſed eleuatis oculis mentis propinquum iudicis ſui & redemptoris lætabundi expectant aduentum.

B IV.

CAPVT III.

T*Vnc miſerunt legatos ſuos vniuerſarum vrbium ac Prouinciarum Reges ac Principes Syria, ſcilicet Meſopotamia & Syria, Sobal & Libia atq; Cilicia, qui venientes ad Holofernem: Deſinat indignatio tua erga nos: melius eſt enim, vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor Regi magno. & ſubditi ſimus tibi, quam morientes cũ interitu noſtro ipſi ſeruitutis noſtra damna patiamur.*

Deuaſtante igitur Holoferne terram plurimorum, ex diuerſis vrbibus ac locis Reges & Principes adulandi & placandi ſibi eum cauſa legatos mittunt, hoc eſt, Syriæ, Meſopotamiæ, Libiæ atq; Ciliciæ; quia æſtuante in mundo perſecutore diuitiarum poſſeſſores, & potẽtes ſeculi, atq; voluptatum terreſtriũ amatores conciliare ſibi nequam principem ſtudent, quatenus mortis diſcrimen, & concupitarum rerum damnum euadere poſſunt. Deniq; difficile eſt, imo impoſſibile, vt amatores mundi veri fiant dilectores Domini, dicente ſcriptura: *Qui vult amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Domini conſtituitur.* Et Ioãnes Apoſtolus. *Si quis*, inquit, *diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Similiter quoq; Dominus in Euangelio de diuite, qui habebat multas poſſeſſiones, & triſtis in verbo Dei effectus

C eſt, dixit diſcipulis ſuis: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum: Et iterum dico vobis facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Item alibi in Euangelio de parabola ſeminãtis ſic inter cœtera ait: *Qui autẽ ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit, & ſollicitudo ſaculi iſtius & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Nomina ſupra memoratarum prouinciarum non incongrue idipſum ſua interpretatione oſtendunt; nam Syria interpretatur ſublimis, ſiue dumeta, ſeu vana vetuſtas. Meſopotamia eleuata: Libya venientis ſiue intrantis. Cilicia cœtus, luctus vel vomitus eius. Qui ergo corde in deſiderijs terrenis defluit, & extollitur mundana ſuperbia, veteriſq; hominis vanitatem ſequitur, ingrediens terram duab. vijs, proculdubio lugentium cœtui atq; luxuriæ ſuæ pœnas luentium in inferno ſociabitur. Et iuxta illud libri Iob: Ad calorem nimium tranſit ab aquis niuium, vbi ſecundum Euangelij ſententiam, *Et vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur.*

D *Tunc deſcendit de montibus cum equitib. in virtute magna & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram. De vniuerſis autem vrbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes & electos ad bellum. Tantuſq; metus prouincijs illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores Principes, & honorati ſimul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis, nec iſta tamen facientes ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt; nam & ciuitates eorum deſtruxit, & lucos eorum excidit.*

De montibus cum equitibus immanis turba perſecutorum deſcendit, cum de iniquo conſilio ſuperbę mentis ad perpetrandas prauas actiones foris procedit. Obtinet ciuitatem & omnem inhabitantem terram, cum carnalia mentes & operationes illorum in nequitiæ ſuæ vſum conuertit, cui auxiliatores ſunt viri fortes ex vrbibus & ſtrenui ad bellũ, cum eos, quos ingenij calliditate & corporis valetudine florere conſpicit, vndiq; ad ſuam mali-

E tiam exercendam colligit, vt tanto innocentium turbam fortius premat, quanto plurimorũ ſocietatẽ in ſuæ fraudis cõſenſum trahat: Et quorũ ſe mentib. per delectationes terrenas placere cõſiderat, per eorum molimina ſimplicium vitam in fundo ſubuertat. Nec tamẽ ipſi Executores ſuæ voluntatis iſta facientes ferocitatem eius Chriſtiani euadunt, ſed cum per eos ſui doli in alijs machinamentum expleuerit, ipſorum quoq; conſequenter interitum cõſummabit. Vnde ſubiungitur. *Ciuitates eorum deſtruxit, & lucos eorum excidit*, cum non ſolum eorum infandos actus finis malus diſſipat: ſed & ſimulationẽ eorum, qua ſe impune poſſe peccare fingebant poſt mortem corporis in animabus eorum pœnis ignis æterni excruciat. Cuius nequitię author nullo modo latet, ſed ſubſequenti ſententia manifeſtatur cum dicitur.

Præceperat enim illi Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret. vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari.

F Quia ipſe diabolus, qui rector & caput omnium eſt iniquorũ, hoc per occultas inſidias molitur, hocq; per apertas perſecutiones machinatur, vt ſenſus & labor terreſtrium vniuerſus in ſuum cultum commutetur, & ipſe omnium dominetur. Nec mirum, quia in hominibus hoc agere certat, cum & hominem Deum fraudis ſuæ dolo aggredi præſumpſit, & illum in montem excelſum ducens, & omnem gloriam mundi ei oſtendẽs ſermone nefando tentauit dicens: *Hæc omnia tibi dabo ſi procidens adoraueris me.* Sed confuſus ab eo receſſit, in quo malitię ſuæ effectum nullum habuit, imo poteſtatis ſuę dominationem in nobis amiſit, quia victoria noſtra caput eſt noſtrum, *qui alligauit fortem & eius vaſa diripuit. ipſamq; mortem ſua morte interficiẽs, triũphans reſurrexit in gloria. vt in nomine ipſius omne genu flectatur cæleſtium terreſtriũ et infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Deus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

CAPVT IV.

V. T*Vnc audientes hæc filii Iſrael, qui habitabãt in terra Iuda timuerunt valde à facie eius. Tremor & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & templis earum. Et miſerũt in omnẽ Samariam per circuitum vſque Iericho, et præoccupauerunt omnes*

G *vertices montium, et muris circumdederunt vicos ſuos, et congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.*

Æſtuante perſecutore timor & tremor inuaſit Iraelitas, ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini, quod fecerat cœteris ciuitatibus & templis eorum; cum Eccleſia Chriſti fragilitati compatiens infirmarũ animarum, quas ſub cura ſua ſuſceptas, quæ & rudium in fide caſum pertimeſcens, ſæuitia atq; calliditate hoſtis antiqui præcauere ſtudet, ne per lictores ſuos, hoc eſt, Paganos, Iudæos & Hæreticos corda innocentium decipiat, atq; grauem in populo Domini efficiat ruinam. Et propter hoc dicitur, quod mittentes Iſraelitæ circumquaq; præoccupauerint omnes vertices montium, quia ſanctæ Eccleſiæ authoritas præpoſitorũ ſuorum cõmouet ſtrenuitatẽ, quatenus probos viros, atq; virtutum ſtudijs celſos omni intentione & inſitam precibus, quam etiam exhortatione confortare & ſeruare ſtudeat illæſos; vt ſi alicubi hoſtis per ſimplicium iniuriam in caſtra Eccleſiæ irrumpere tentauerit, per iſtorum fortitudinem, ac robur fidei ocius repellatur.

H Et muris circumdant vicos ſuos, cum fidei ſcuto, & propugnaculo virtutum vndiq; munire ſtudẽt ſibi commiſſos. Et congregant frumẽtum in præparationem pugnæ, cum ſententias ſacrarum ſcripturarum, & pabulum cœleſtis doctrinæ in paſtum fidelium animarum recondunt, ne forte fame diuini verbi deſperent, atque hoſtium ſpiritalium prædæ fiant.

Sacerdos etiam Eliachim ſcripſit ad vniuerſos, qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra faciẽ campi magni iuxta Dothain et vniuerſos, per quos via tranſitus eſſe poterat, vt obtinerent aſcenſus montium, per quos via eſſe poterat ad Ieruſalem, et illic cuſtodirent, vbi anguſtum eſſe iter poterat inter montes.

Sacerdos Eliachim, qui interpretatur Dñi reſurrectio, nullum melius deſignat, quam redemptorẽ noſtrum, qui in Euangelio ait: *Ego ſum reſurrectio et vita.* Iſte ergo ſcribit ad vniuerſos, qui erant contra faciem campi magni

A [illegible] Euangelicam [illegible] famulos, qui co[illegible] & [illegible] deſideria, quæ du[illegible] vitæ ac mortem perpetuam, pu[illegible] [illegible]tium, hoc eſt, ſubti[illegible] [illegible] verſutia ſub [illegible] per [illegible] Eccleſiæ caſtra pe[illegible] [illegible] Sicut enim acumen [illegible] Deum ſince[illegible] fidei Catholicæ humiliter ſeruãtur plurimum [illegible] Domini timorem ſuperbiendo [illegible] componere non formidant. Sed veri Iſraelitæ ſacerdotis ſui & Domini ſcriptis admoniti, diuinorumque teſtamentorum ſententijs imbuti per viam præceptoris ſui obediunt mandatis. Vnde fit quod ſequitur.

Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in ieiunijs & orationibus ipſi & mulieres eorum, & induerunt ſe ſacerdotes cilicijs, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & B *altare Domini operuerunt cilicio, & clamauerunt ad Dominum Deum vnanimiter.*

Humiliant animas ſuas in ieiunijs ipſi & mulieres eorum, qui per continentiam ſalutarem non ſolum carnem macerant, quin etiam ſuas mentes ab illicitis deſiderijs coercendo caſtigant. Infanteſque proſternunt contra faciem templi, qui innocentium preces ante conſpectum gloriæ Domini cum lachrymis ſuppliciter offerunt. Induunt ſe ſacerdotes cilicijs, & altare Domini operiunt cilicio, cum Doctores Euangelij, & Duces plebis Dei & deuotionem pariter cum populo, & actionem aſſumunt pœnitentiæ, quatenus ſibi maieſtatem diuinam concilient, & pietatis eius miſericordiam impetrent. Ipſi ſunt autem altare Domini, qui in ara cordis ſui iugiter laudis hoſtiam immolant. Cilicium autem quod de caprarum pilis texitur, peccatorum præſtat figuram, pro quibus neceſſaria eſt pœnitentia, quia ſine illa ipſi peccatores veræ ſalutis non inueniunt remedia. Hocque ſciendum, quod magnum & præcipuum in pijs precibus ſit adiutorium, ſi meditatio dominicæ paſsionis adhibeatur, quæ C in ara crucis pro peccatis noſtris expleta eſt, quia non ſolum pro noſtris offenſionibus, ſed etiam pro totius mundi in expiationem omnium peccatorum ſanguis redemptoris noſtri effuſus eſt. De quo Ioannes ait: *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

Et clamauerunt, inquit, *ad Dominũ Deum Iſrael vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuiſionem & ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem.* Quia vnanimitas Eccleſiæ apud Domini miſericordiam, velocem meretur exauditionem, nec hoſtis præualet eis nocere nequitia, pro quibus charitatis atque vnanimitatis laborat inſtantia. Vnde Paulus docet vnitatem ſpiritus ſeruare in vinculo pacis, & vnanimes eſſe in orationibus. Quia iuxta Iacobi ſententiam *multum valet deprecatio iuſti.* Et Petrus: *Charitas* ait *multitudinem cooperit peccatorum.*

D VI *Tunc Eliachim ſacerdos Domini magnus circuiuit omnem Iſrael, locutuſque eſt ad eos dicens, ſcitote quoniam exaudiuit Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs & orationibus in conſpectu Domini.* Spiritualis enim Eliachim & verus ſacerdos noſter, qui ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex nobis à Deo factus eſt, non ſolum per ſemetipſum incarnationis ſuæ tempore, ſed & modo in Apoſtolis ſuis & Doctoribus Euangelij caſtra circuit Eccleſiæ, commonens fideles ſuos hoſtis antiqui præcauere inſidias, & exhortans eos in fidei virtute ac precum perſeuerare conſtantia, quæ eis certam de omnibus inimicis parit victoriam. Vnde legitur in Euangelio, quod circuiret Ieſus totam Galilæam docens in Synagogis & prædicans Euangelium, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et alibi ipſe diſcipulis ſuis ait: *Vigilate itaque omni tempore orãtes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt & ſtare ante filium hominis.* Hinc Petrus hortatur dicens: *Sobrij eſtote & vigilate in orationibus, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Adiuuant autem ad hoc certamen agendum fortium virorum exempla, qui eminentia rectæ fidei hoſtibus præſtabant vniuerſis, & robore virtutum eos conſtanter reuincebant. Vnde Eliachim ipſe Moyſi exemplũ, quo contra Amalech magis oratione, quam armis bellicis confligebat, introduxit. Hinc etiam Paulus ad Hebræos fidei virtutem laudans, patrum copioſa exempla in teſtimonium aſciuit, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſsionem. De quo & Iacobus ait: *Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ per Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* E

Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum permanebant in conſpectu Domini, ita vt etiam hi, qui offerebant Domino holocauſta præcincti cilicijs offerrent ſacrificia Domino, & erat cinis ſuper capita eorum. Et ex toto corde ſuo omnes orabant Deum, vt viſitaret populum ſuum Iſrael.

Denique fideles prædicatorum ſuorum exhortatione confortati permanent in oratione, & eo magis, quo bonorum magiſtrorum exemplis prouocantur, qui ſecundum Domini præceptum dicunt & faciunt. Offerunt ergo Eccleſiæ Chriſti ſacerdotes præcincti cilicijs holocauſta Domino, quando carnem ſuam crucifigentes cum vitijs & concupiſcentijs totam vitam dedicant Deo. Offerunt & ſacrificia Domino, quando hoſtiam laudis ore & animo offerunt deuoto. In quorum capitibus ponitur cinis, cum fragilitatis ſuæ ſedulò memores corde contrito & humiliato lachrymas Domino pro ſalute veri fundunt Iſraelis, quatenus ab inimicis liberati ad conſpectum perueniant ſui Redemptoris. F

Capvt V.

NVnciatumque eſt Holoferni principi militiæ Aſſyriorum, quod filij Iſrael præpararent ſe ad reſiſtendum, ac montium itinera concluſiſſent, & furore nimio exarſit in iracundia magna, vocauitque omnes Principes Moab & Duces Ammon, & dixit eis: Dicite mihi quis ſit populus iſte, qui montana obſidet, aut quæ, & quales, & quantæ ſint ciuitates eorum, quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eorum, vel quis Rex militiæ illorum, & quare præ omnibus qui habitant in Oriente, iſti contempſerunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt ſuſciperent nos cum pace. G

Nunciatur Holoferni typicè, quod filij Iſrael præparent ſe ad reſiſtendum, ac montium itinera concludant, quia hoc innoteſcit ſanctæ Eccleſiæ perſecutoribus vniuerſis, qui parent voluntati diaboli, ceu membra capiti, quod credentes Chriſto Domino deliberant repugnare malis animo fido, & omnem ſuperbiam deteſtentur, per quam maxime aduerſarij irrumpere & vincere ſtudent. Hinc irritatus hoſtis admirandè ſciſcitatur, vnde eis tanta ſit mentis conſtantia, quod munimentum fidei, quis rex, quæ militia tantæ virtutis, cuius potentiæ nemo reſiſtere poſsit? Et bene in Oriente iſti habitare dicuntur, quia lumine fidei, ac luce ſcientiæ tales ſemper illuſtrari deſiderant, quatenus tenebrarum cohortes expugnare ac repellere facilius poſsint.

Tunc Achior Dux omnium filiorum Ammon reſpondens ait: Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo de populo iſto qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falſum ex ore meo. Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt. Hic primum in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi Deos Patrum ſuorum qui erant in terra Chaldæorum. Deſerentes itaque ceremonias Patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde & habitarent in Charan. H

Per Achior ducem filiorum Ammon, qui licet Idololatriæ deditus fuerit, tamen aliqua vera de diuinis operibus atque miraculis prædicauit, non inconuenienter illi intelliguntur, qui nondum regenerati ſunt Chriſti baptiſmate, nec fidem Catholicam perfectè didicerunt, ſed tamen aliqua iam doctrinæ Euangelicæ inſignia audiendo perceperunt, quæ etiam proferre ad aliorum notitiam non pertimeſcunt, quæ fidei noſtræ concordant. Hi contra Eccleſiæ vnitatem cum cæteris perſecutoribus

Chriſtianæ

A Chriſtianæ fidei licet pugnare non detrectent, tamen ra-
tione veritatis ſuperati ipſam veritatem vſquequaq; ab-
ſcondere non poſſunt, imo plerumque eam lucidis ſen-
tentiis promunt. Vnde in libro Iob amici ipſius Iob, qui
ad conſolandum eum venerant ſuper plaga quæ ei acci-
derat, pro conſolatione iniuriam inferentes aliqua in ſuis
dictis vere inferebant, ſed tamen per omnia ipſi veritati
non concordabant. Habent quippe Hæretici proprium,
vt malis bona permiſceant, quatenus facile ſenſui audi-
entis illudant: Si enim praua dicerent, citius in ſua praui-
tate cogniti, quæ vellent, nemini perſuaderent. Rurſum
ſi ſemper recte ſentirent, profecto hæretici non fuiſſent;
ſed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis
bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abſcon-
dunt. Sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dul-
cedine mellis tangit, cumque hoc quod dulce eſt, primo
tactu delibatur, & illud quod eſt mortiferum indubitan-
ter abſorbetur. Itaque hæretici licet permiſceant recta
peruerſis, vt audiendo bona Auditores ſibi attrahant, &
B exhibendo mala eos latenter peſte corrumpant. Ali-
quando tamen prædicatione Eccleſiæ ſanctæ & exhor-
tatione correcti ab hac ſenſus ſui diuerſitate ſaluantur.
Sicut Achior videns victoriam Iudith, reliquit errorem
priſtinum, & aſſociatus eſt Iſraelitis per credulitatem cir-
cumcidens carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad po-
pulum Dei. Hinc & amici Iob reconciliationis ſuæ ſacri-
ficium eius de ſancti viri manibus offerunt, atq; ad ſuper-
ni Iudicis gratiam vel addicti reuocantur quos tamen in
Euangelio illa decem leproſorum mundatio deſignat, in
lepra quippe & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in
colore ſano retinetur. Leproſi itaque hæreticos expri-
munt, qui dum rectis praua permiſcent, colorem ſanum
maculis aſpergunt. Vnde & bene vt ſaluentur, clamant:
Ieſu Præceptor, qui enim in eius verbis ſe erraſſe ſignificant
hunc ſaluandi humiliter præceptorem vocant.

VIII. *Et factum eſt, cum ceſſaſſet loqui Achior verba hæc irati ſunt o-
*mnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicen-
tes ad alterutrum: Quis eſt iſte qui dicat, filios Iſrael poſſe reſiſtere
Regi Nabuchodonoſor & exercitibus eius, homines inermes. & ſi-
C ne virtute, & ſine peritia artis pugnæ? Vt ergo agnoſcat Achior,
quoniam fallit nos, aſcendamus in montana, & cum capti fuerint
potentes eorum, tunc cum eiſdem gladio tranſuerberabitur.*

Magnates Holofernis audito veritatis teſtimonio ira-
ſcuntur, cum hi qui in faſtu mundano ſuperbiunt teſtifi-
cante Euangelio virtutem Chriſti, irritantur, atq; prædi-
catores ipſius cum cætera turba fidelium interimere mi-
nantur, quaſi homines inermes & inhabiles pugnæ forin-
ſecus deſpiciunt, qui vigorem animi eorum & fidei vir-
tutem, quibus inuiſibiliter contra hoſtes ſpirituales pu-
gnant, conſiderare interius nequeunt, quaſi turbæ peri-
turæ præcones veritatis tradere iubent, qui ſpe falſa po-
tentiæ ſuæ ſe deluſos eſſe non vident. Hinc in Euangelio
Iudæi, qui propter perfidiam ſuam ad phalangas Holo-
fernis typice perueniebant, cœco nato à Saluatore illu-
minato, quem à ſynagoga eiecerunt quaſi inſultantes at-
que maledicentes dicebant. *Tu diſcipulus eius ſis, nos autem
Moyſi diſcipuli ſumus*, quia eum perditum æſtimauerunt,
qui de ſuo conſortio ſeparatus Redemptoris diſcipulatui
D adhæſiſſet, quem crucifigere, ac morti tradere iam tum
decreuerant. Vnde bene eiuſmodi conuenit, quod de
Achior factum ſcriptura commemorat, dicens.

Capvt VI.

*TVnc Holofernes præcepit ſeruis ſuis, vt comprehenderent Achi-
or, & perducerent eum in Bethuliam & traderent eum in ma-
nus filiorum Iſrael. Et accipientes eum ſerui Holofernis profecti
ſunt per campeſtria: ſed cum appropinquaſſent ad montana, exie-
runt contra eos fundibularij illi autem diuertentes à latere montis,
ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & ſic
vinctum reſtibus dimiſerunt eum, & reuerſi ſunt ad Dominum
ſuum.*

Serui Holofernis comprehenſum Achior per campe-
ſtria ducunt, cum perſecutores Catholicæ fidei Confeſſo-
res Chriſti ad illicita deſideria, & ad latam atq; ſpatioſam
viam ſeculi, quæ ducit ad mortem, pertrahere cupiunt, E
ſed cũ ad montẽ appropinquãt, fundibularij contra eos
egreſſi iaculis perterritos fugant; quia viri virtutis, qui ſu-
pernæ contemplationi frequentius adhærent, teſtimo-
niorum ſagittis maleuolos perturbant. At illi cum votum
ſuum ad effectum perducere nequeunt, vinctum ad ar-
borem manibus & pedibus ligare diſponunt. Quia
militem Chriſti cum perſuaſu prauo ſeducere non poſ-
ſunt, crucis ac mortis eius participem facere conten-
dunt; ipſique reuertuntur ad Dominum ſuum, quia non
correcti, ſed magis deprauati ad ſeruitium priſtini Domi-
ni per augmenta ſcelerum reuertuntur.

*Porro filij Iſrael deſcendentes de Bethulia venerunt ad eum,
quem ſoluentes duxerunt ad Bethuliam atq; in medio populi illum
ſtatuentes percunctati ſunt, quid rerum eſſet, quod illum vinctum
Aſſyrij reliquiſſent.*

Quid eſt quod ad arborem ligatum Achior Iſraelitæ ſol-
uunt, niſi quod Doctores Eccleſiæ catechumenos ſuos
pœnas perſecutorum non belli ſed ne mortem ipſam per-
timeſcere docet. Quaſi enim ab arbore ligatum ſolui, eſt à F
formidine crucis mentẽ pauidam ſanis ſermonibus & ad
paſsionem pro Chriſto euangelicis doctrinis & ſancto-
rum exemplis roborari, ſicque hoc digne fit, ſi ad exem-
plum illorum principum, hoc eſt Oziæ & Charmi, qui
Achior confortantes preces deuotas cum omni populo
effuderunt, Magiſtri Eccleſiæ cum cætera turba fidelium
auditores ſuos pijs precibus Domino commendare ſtu-
duerunt, vt eius dono impendatur, quod humana non
poteſt tribuere infirmitas.

*Tunc Ozias finito conſilio ſuſcepit eum in domum ſuam. & fe-
cit ei cœnam magnam, & vocatis omnibus presbyteris ſimul expleto
ieiunio refecerunt. Poſtea vero conuocatus eſt omnis populus. & per
totam noctem intra Eccleſiam orauerunt, petentes auxilium à
Deo Iſrael.*

Cœnam magnam expleto ieiunio facit, qui animam
languidam & pane verbi Dei diu indigam, euangelicis
doctrinis & dapibus virtutum reficit, adiunctis ad hoc
conuiuium omnibus presbyteris, quia valde congruum
eſt. vt in inſtructione Neophitorum presbyteri & virtu-
tum viri aggregentur, quatenus eorum cohortatione & G
exemplis ad perficiendam & conſeruandam fidem tra-
ditam roborentur. Hoc enim fecerunt Apoſtoli Chriſti,
quando ad prædicationem Euangelij dilatandam ſancti
ordinis viros ſibi ſubrogauerunt, vt Euangelij ſemina-
rium in totam mundi latitudinem longe lateque per
multos prædicatores diſpergeretur, & plurimus fructus
à pluribus meſſoribus in horreum Chriſti conferretur.
Hoc etiam iiſdem diſcipulis ſuis ipſa veritas præcepiſſe
videtur, cum in Euangelio ait: *Leuate oculos veſtros & vide-
te regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem*. Et item: *Meſſis*, inquit,
multa, operarij autem pauci, rogate Dominum meſsis vt mit-
tat operarios in meſſem ſuam.

Capvt VII.

*HOlofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis vt aſcen- IX.
derent contra Bethuliam. Filij autem Iſrael vt viderunt mul-
titudinem illorum, proſtrauerunt ſe ſuper terram, mittentes cine-
rem ſuper capita ſua, vnanimes orantes, vt Deus Iſrael miſeri- H
cordiam ſuam oſtenderet ſuper populum ſuum. Et aſſumentes ar-
ma ſua bellica ſederunt per loca, quæ ad anguſti itineris tramitem
dirigunt inter montoſa, & erant cuſtodientes ea tota die & no-
cte.*

Hortatur milites ſuos ſpiritualis Holofernes, & hoſtis
certiſsimus populi Dei, vt aſcendat contra Bethuliam,
hoc eſt, contra Eccleſiam Catholicam, quæ eſt domus
Dei, ex viuis lapidibus vtique conſtructa, quatenus quoſ-
cunque poſsint inde auferant & dolo perimant. Sed illi
vnanimiter clamant ad Dominum, petentes vt miſe-
ricordiam ſuam oſtendat ſuper populum ſuum; aſſu-
muntque arma ſua bellica, hoc eſt, virtutum ſacrarum
ſtudia, & cuſtodiunt anguſti itineris loca, mentis ſcilicet
ſuæ penetralia, ne hoſtis doloſus aditum patentem ali-
cubi inueniat, per quem delectationem carnalem noxia
cogitatione introducat.

A *Porro Holoſernes dum circuit, reperit quod fons qui fluebat in aquæductum illorum à parte auſtrali extra ciuitatem dirigeretur: & incidi præcepit aquæductum illorum: Erant tamen non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius, quam ad potandum. Sed filij Ammon & Moab acceſſerunt ad Holofernem dicentes: Filij Iſrael non in lancea nec ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt colles in præcipitio conſtituti. Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos, pone cuſtodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & ſine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent ciuitatem ſuam.*

Quid eſt quod Holofernes aquæductum, qui in parte auſtrali à fonte in ciuitatem inferebat aquam, præcipit incidi: niſi quod perſecutores fidelium doctrinam Euangelij, quam ex fonte viuo procedentem ſancti Doctores gratia Spiritus ſancti illuminati per oris ſui fiſtulam in ciuitatem introducunt Eccleſiæ, prohibendo ac mortem minando iubent auferre, quatenus indigentia potus vitalis prius in animabus ſuis ſitim ſuſtineant, & ſic fundi-
B tus eos pœnis inflictis euertant. Sed erant fontes ibidem ex quibus videbantur furtim haurire aquam, tam ad refocillandum, quam ad potandum, hos quoque ſuggerentibus filijs Ammon & Moab ſimiliter prædo iniquus iuſſit cuſtodiri, ne aliquod refrigerium Iſraelitæ inde haberent. Et quid per eos minutos fontes, ex quibus ciues Bethuliæ furtim bibebant, niſi dogmata Philoſophorum, quæ tam in philoſophica, quam etiam morali, atque etiam inſpectiua doctrina aliquod ſolatium ſcientiæ & honeſtatis proferre videntur Eccleſiæ filiis. Sed hæc ſimiliter noxius perſecutor ſuadentibus iniquis auferre molitur, vt vndique maxima penuria coarctati ſubito deſtituantur. Sic & in Regum libro legitur quod Philiſtijm auferentes fabros ferrarios cauerat, ne forte facerent Hebræis gladium aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſtijm, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum. Hoc eſt, quod Diabolus maximo conamine ſtudet, vt per miniſtros ſuos doctrinæ elementa, & virtutum arma ab Eccleſia, auferat, vt ſic nequitiam ſuam in interitu ſeruorum Dei expleat. Legitur etiam in hiſtorijs, quod gen-
C tium principes, & maxime Iulianus Apoſtata non ſolum diuinam, verum etiam humanam Chriſtianis interdicendo denegarit Philoſophiam. Sed tamen virtus Dei, quæ per Spiritus ſancti gratiam non ſolum per verba, quin etiam per internam aſpirationem electos ſuos docet, non derelinquit fiduciam habentes in ſe, ſed iuxta illud Pſalmiſtæ. *Redimet animas ſeruorum ſuorum, & non delinquet omnes qui ſperant in ſe.*

X. *Tunc ad Oziam congregati omnes viri fœminæque, iuuenes & paruuli, omnes ſimul vna voce dixerunt: Iudicet Deus inter nos & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Aſſyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. Et ideo non eſt qui adiuuet, cum proſternamur ante oculos eorum in ſiti & perditione magna. Et nunc congregate vniuerſos qui in ciuitate ſunt, vt ſponte nos tradamus omnes Holoferni. Melius enim vt captiui benedicamus Dominum viuentes, quam moriamur & ſimus opprobrium omni carni.*

Hæc vox carnalium eſt, qui fide tantum manent in
D Eccleſia, cæterum moribus valde diſcrepant, iuxta illam Euangelij parabolam, vbi mali piſces cum bonis in ſagena Domini hactenus incluſi memorantur, donec ad littus futuri iudicij penitus excludantur. Hi quoque præſentis vitæ incommoda grauiter ferentes melius eſſe credunt præſentibus vti delicijs, quam pro Chriſti nomine corporalibus affici pœnis, & cœleſtibus pro hoc in futuro remunerari bonis. Tales frequenter Magiſtros ſuos importunis querimonijs grauant, & ſibi ad luxum ſeculi ſequendum cogunt. Vnde ſubiungit.

XI. *Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus laſſati ſiluiſſent, exurgens Ozias infuſus lachrymis dixit: Æquo animo eſtote fratres, & hos quinque dies exſpectemus à Domino miſericordiam. Forſitan enim indignationem ſuam abſcindet, & dabit gloriam nomini ſuo. Si autem tranſactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba quæ locuti eſtis.*

Quinque dies iſti, quinque ſenſus corporis, cum qui-
bus præſens vita deducitur, poſſunt accipi. Quaſi enim E
quinque dierum ſpacium ad inducias Doctor iners petit, qui corporale ſolatium Auditoribus ſuis à Domino præſentialiter dandum indiſcrete promittit, quaſi in ſua manu ſit ſummi datoris munificentia, cum magis tempus ac modus tribuendi in dantis quam accipientis conſiſtat poteſtate. Sin autem præſentis vitæ illis iuxta promiſſum ſuum denegatur à ſummo Iudice conferri commodum eos protinus ſinunt ad illicitum declinare appetitum, & cedendo perſecutoribus ſuis corporale declinare ſupplicium; cuius conuentionis placitum Iudith noſtra, hoc eſt, ſancta Eccleſia reſpuit, & quaſi nociuum contemnit, quod in ſequentibus manifeſte declarabitur.

Capvt VIII.

*Et factum eſt, cum audiſſet hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari, filij Idex filij Ioſeph filij Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii
Enon filii Nathama filii Salathiel filii Simeon, filii Ruben, & vir F
eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ, inſtabat enim ſuper alligantes manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt in Bethulia in ciuitate ſua, & ſepultus eſt illic cum Patribus ſuis. Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus & menſibus ſex. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbatha, & neomenias, & feſta domus Iſrael. Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam numeroſam, ac poſſeſſiones armentis boum & gregibus ouium plenas. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. Hæc itaque cum audiſſet, quoniam Ozias promiſiſſet, quod tranſacto quinto die traderet ciuitatem, miſit ad presbyteros Chabri & Charmi. Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod eſt hoc verbum, in quo conſenſit Ozias, vt tradat ciuitatem Aſſyriis, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in
arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei; Sed quia patiens Domi- G
nus eſt, in hoc ipſum pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus: non enim quaſi homo ſic Deus comminabitur, neque ſicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Et ideo humiliemus illi animas noſtras & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi, dicamus flentes Domino, vt ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum miſericordiam ſuam.*

Iudith ergo, quod Eccleſiæ typum habeat, Magiſtrorum traditio manifeſtat; Interpretatur confitens vel laudans, & eſt filia Merari, hoc eſt, amaritudinis: Quia per præſentis vitæ tribulationem & amaritudinem ad futura gaudia peruenitur, vbi ſancta anima & in mortali carne Deum laudabit in æternum. Quod enim quinta decima generatione eadem Iudith progenita in ſcriptura reperitur, hoc nimirum ſignificat, quod noſtra Eccleſia per hextoadem & octoadem legis & Euangelij de Patriarchis & Apoſtolis edita eſt, & ad cœleſtem gloriam promerendam deſtinata; nam hic numerus graduum in pſalterio myſtice poſitus eſt, & typum præfert futuræ ad cœ-
lum aſcenſionis, quo ſancti peruenientes merito dicere H
poſſunt: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.* Hæc Manaſſen, qui interpretatur oblitus vel incitatus habuit maritum, qui & in meſſe hordeacea ſtans ſuper alligantes manipulos in campo, veniente æſtu ſuper caput eius, mortuus eſt. Quia ſine legis decalogo ſine ritu gentilitatis priſcis temporibus copulata atque obnoxia eſſe dignoſcitur, ſed veniente Chriſto, & ſole Euangelij clareſcente omnis illa carnalis obſeruantia ceſſit, & quaſi vilis meſſis collectio velocem finem habuit, ad ſpiritualem ergo per Chriſtum tranſlata eſt culturam. Quod Paulus Apoſtolus multiplici narratione ita oſtendit. Nam ad Galatas ſcribens ſic ait: *Priuſquam enim veniret fides ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Atque lex Pædagogus noſter erat in Chriſto Ieſu, vt ex fide iuſtificemur. At*

vbi venit fides, iam non ſumus ſub Pædagogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Et item: *Ego,* inquit, *per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuam Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem non ego, viuit vero in me Chriſtus, quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei.* Et iterum: *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ad Romanos vero ita ait: *Fratres mei, vos eſtis mortificati legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit.* Et rurſus: *Lex,* inquit, *ſpiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis: finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Epheſ. 2. Ad Epheſios quoque ſic ait: *Vos cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri: Deus autem qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos* CHRISTO, *cuius gratia eſtis ſaluati.* Et iterum: *Per quod memores eſtote, quod aliquando vos, qui eratis gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne manu facta, qui eratis illo tempore ſine Chriſto alienati à conuerſatione Iſrael & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in* CHRISTO *Ieſu vos: qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in ſemetipſum, in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizans pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem ijs, qui prope.* Quod autem dicitur Iudith poſt viri ſui mortem iam annis tribus & menſibus ſex relictam eſſe viduam, ſignificat Eccleſiam à mundi illecebris deſtitutam ſanctæ Trinitatis fidem, & bonorum operum habere perfectionem. In ſuperioribus ſuæ domus fecit ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, cum in arce mentis ſuæ firmam poſuit cuſtodiam, vt non per diuerſa vanis defluat deſiderijs, ſed cum cogitationibus mundis incontaminatam ſe in conſpectu ſui ſeruaret Conditoris. Hæc habebat ſuper lumbos ſuos cilicium, & ieiunabat omnibus diebus, quia per continentiam vitę, & mortificationem voluptatum terrena in ſe crucifixit deſideria, & concupiſcentias carnis reſtringebat, futuræ vitæ ſolemnitatibus & ſabbatho animarum in cœleſti regno omnino ſe præparans, vbi pro præſente tribulatione cum ſanctis Angelis plenum perceptura eſt gaudium. Cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum & gregibus ouium plenas: quia ſiue ex veteris legis inſtructione, ſiue etiam ex Philoſophicæ doctrinæ inſtitutione cum moralibus diſciplinis multiplices opes ſibi Eccleſia ad Chriſtum veniens reſeruabat ſcientiæ. Hinc & doctor gentium gloriabatur ſe nutritum eſſe ſecus pedes Gamalielis, qui erat Doctor legis honorabilis. Et Moyſes eruditus eſſe legitur in ſapientia & doctrina Ægyptiorum. Si cui viro hic ſenſus diſplicuerit, quod dixerim Manaſſem virum Iudith legis decalogum ſiue ritum gentilitatis ſignificare, poteſt eum alacriore myſterio ad Chriſtum, qui eſt verus ſponſus Eccleſiæ, transferre, qui bene Manaſſes dici poteſt, quia obliuiſci nos faciet calamitatis priſtinæ per conſolationem futuræ vitæ. Hic ergo in diebus meſſis hordeaceæ, hoc eſt, in conuerſione plebis Iudaicæ, cum mitteret prædicare Apoſtolos ſuos Euangelium, & congregare manipulos credentes de terra Iſraelitarum, venit æſtus ſuper caput eius, quando excitabant illi perſecutionem, cauſa diuinitatis eius. Caput vero Chriſti eſt Deus: nam maxime ſcandalum ſumebant inde Iudæi, quod diceret Patrem ſuum eſſe Deum, dicentes ad illum: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia; Et quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Et ad Pilatum: *Nos,* inquiunt, *legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Paſſus ergo eſt Dominus Ieſus in gente ſua, & ſepultus in horto Ieroſolymitano, tertiaque die reſurrexit à mortuis, aſcendens in cœlos ſedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus Iudex viuorum ac mortuorum. Huiuſmodi ergo ſponſa, poſtquam ablatus eſt ab ea ſponſus, ieiunio & abſtinentiæ operam dedit omnibus diebus vitæ ſuæ, vtique vſque ad conſummationem ſeculi ſeruat caſtitatem fidei, nec vllo modo conſentit erroribus hæreticorum pollui. Cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, ſpiritualis profecto ſapientiæ & omnium virtutum. Familiamque copioſam, cum omnium gentium congregauit ad eam multitudinem infinitam. Poſſeſſiones quoque in armentis boum & gregibus ouium, qui ſubdidit ei non ſolum eos, qui vtiles potuerunt fieri in agro dominico, ſed etiam illos, qui innocentiam mentis atque obedientiam actu impenderent deuoto. Hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam valde timet Dominum. Cuius laudes Salomon iuxta finem Prouerbiorum ſuorum pleniſſime explicat, vbi inter cætera ita dicit: *Mulier timens Dominum ipſa laudabitur, datur ei de fructu manuum ſuarum, & laudant eam in portis opera eius.* Hinc & Eſaias ait: *Timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.* Itaque cum audiſſet Iudith, quoniam Ozias promiſiſſet, quod tranſacto quinto die traderet ciuitatem, reprobauit ſententiam, iniuſtum iudicans Domino miſerationis ſuæ tempus conſtituendum, cum ille ſolus præ omnibus nouit & tempus & modum miſerationis ſuæ: ac propterea non licet cuiquam petulanter pro aliqua re Dominum poſtulare, ſed magis ad arbitrium eius cuncta referre: Sicut legitur quidam Patrum in oratione tantum dixiſſe; fili Dei, ſicut vis & ſicut ſcis meſerere mei. Vnde in libro Danielis tres pueri Nabuchodonoſor impijſſimo Regi, qui illis pœnas inferre minabatur, & Dei potentiam blaſphemauit, ita leguntur reſpondiſſe: Non oportet nos hac de re reſpondere tibi; Ecce enim *Deus* noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis, & de manibus tuis ô Rex liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia *Deos* tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus. Nullo ergo modo oportet Chriſtianum, cui cœleſtis regni gloria promiſſa eſt, de præſentis vitæ commodis nimium certare, ac Dominum inordinate poſtulare, qui dedit maiora, ipſe procurat etiam & minora, de quo ipſa veritas in Euangelio ait: *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia hæc adijcientur vobis.* Hinc & Apoſtolus ait: *Si autem in hac vita tantum in* CHRISTO *ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Ergo præſens vita fidelibus ſit in vſu, futura autem in fructu ſalutis æternæ. Res temporalis in itinere deſideretur, æterna in peruectione quaſi ex latere reſpiciatur, quicquid in hoc mundo agitur; Ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conſpiciunt, ad quæ perueniemus.

Et nunc fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda illorum erigite, vt memores ſint, quia tentati ſunt patres noſtri, vt probarentur, ſi vere colerent Deum ſuum. Memores eſſe debent, quomodo Pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Illi autem, qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt.

Præteritorum Principum fortia geſta; præſentium ſunt documenta ſalubria. Vnde Iudith ſummos Patriarchas gentis Iſraelitarum, hoc eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob, & primum Ducem eorum Moyſen in exemplum fidei ac patientiæ narratione ſua introducit: & è contrario

A impios murmuratores & queruloſos in teſtimonium puſillanimitatis & impatiẽtiæ ſuæ exh buit, vt ex bonis vtile nobis ad imitandum ſumamus exemplum, & ex malis diſcamus prauitatis ſuæ opus vitare nefarium, ne forte exterminij illorum patiamur tormentum. Vnde adhuc ſubditur.

Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his. quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa minora eſſe ſupplicia, flagella Domini, quibus quaſi ſerui corripimur, non ad perditionem noſtram eueniſſe credamus.

Hæc eſt enim via veritatis, vt in flagellis Domini humiliemus animas noſtras, & patientiam habere ſtudeamus, reputantes peccatis noſtris, quæ iuſte patimur, imo etiam minorem meritis noſtris eſſe vindictam, ſed per bonitatem Dei nobis ad ſufferendum temperatam credamus, qui vult omnes homines ſaluos eſſe, & ad agnitionem veritatis peruenire. Miſeretur omnium, & nihil odit eorum quæ fecit, diſsimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis propter magnam
B miſericordiam, quia ipſe ſolus eſt Deus noſter.

Et dixerunt illi Ozias & presbyteri, omnia quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprehenſio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum.

Nulla reprehenſio eſt in ſermonibus Iudith, ſed omnia vera ſunt, quæ leguntur. Quia omnia, quæ Eccleſia Catholica in confeſsione veræ fidei, ſeu in doctrina ſanctæ religionis profert, laudabilia ſunt valde, & abſque vlla reprehenſione. Cuius merito & dignitate credendum eſt ſingulos quoq; fideles apud Domini clementiam multum adiuuari. Quod ita digne fit, ſi vnuſquiſque curet, vt ſicut probauit verum eſſe, quod Eccleſia docet, ita actibus imitetur. quod ipſa honeſtis Exemplis perſuadet, de quo & ſubditur.

Et dixit illis: Sicut quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis, ita quod facere diſpoſuit, probate ſi ex Deo eſt, & orate vt firmum faciat Deus conſilium meum. Stabitis vos ad portam nocte iſta, & ego exeam cum Abra mea: & orate, vt ſicut dixiſtis in diebus quinque reſpiciat Dominus populum ſuum Iſrael.

Commendat Iudith Presbyteris portam, quia ſacerdotibus Chriſti ſancta Eccleſia ſollicitam caſtrorum Dei
C commendat cuſtodiam, vt peruigili intentione, ac ſolerti cura per arma orationum ea munire, & contra hoſtium inſidias illæſa ſeruare ſtudeant.

CAPVT IX.

QVibus abſcedentibus Iudith ingreſſa eſt oratorium ſuum. & induens ſe cilicio poſuit cinerem ſuper caput ſuum, & proſternens ſe Domino clamabat ad Dominum dicens: Domine Deus Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt femur virginis in confuſionem.

Quid eſt, quod poſt verba, quæ ad presbyteros locuta eſt Iudith petitura Dominum ingreſſa eſt oratoriũ ſuum, niſi quod ſollicitudo ſanctorum poſt expletum fortis prædicationis obſequium introrſus ad cordis ſui redit ſecretum, vt ibi expleat munda conſcientia puræ orationis
D officium, iuxta illam ſententiam Saluatoris, quam in Euangelio docuit dicens: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora patrem tuum, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Induit ſe cilicio, cum pœnitentiam pro peccatis agit. Cinerem ſuper caput ponit, cum fragilitatis ſuæ memoriam in mente recondit. Proſternens ſe ad Dominum clamat, dum per humilitatis affectum ſe à Domino exaudiri ſperat; quia ſcriptum eſt: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nõ ſpernet.* Et bene in oratione commemorat actum Simeonis Patriarchæ, qui cum Leui fratre ſuo gladio vltionis vindicauit ſtuprum ſororis ſuæ Alienigenis, quia futurum erat, quod Holofernes, qui in Iudith opus explere voluit libidinis, gladio puniretur diuini examinis.

Reſpice caſtra Aſſyriorum nunc, ſicut tunc caſtra Ægyptiorum videre dignatus es, quando poſt ſeruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis. & in equitatu ſuo, & in multitudine bellatorum. Sed aſpexiſti ſuper caſtra eorum, & tenebræ fatigauerunt
E *eos. Tenuit pedes eorum abyſſus, & aquæ operuerunt eos. Sic fiant & iſti Domine, qui confidunt in multitudine ſua, & in curribus ſuis, & in ſcutis. & in ſagittis, & lanceis gloriantur, & neſciunt, quia tu ipſe es Deus noſter.*

Sicut ſuperius comparauit libidinoſis luxurioſos: ita & nunc timidis ſuperbos. Aſſyrios enim in armis confidentes Ægyptijs dudum aduerſus Iſraelitas præliantibus aſsimilauit, vt oſtenderet, quia ſicut ibi & potentia Dei manifeſtata eſt in ſubuerſione Pharaonis & Ægyptiorum: ita & hic declarari poſsit in ſubuerſione Holofernis & Aſſyriorum, quia idem Dominus eadem potentia, eademque iuſtitia tunc & nunc, & per omnia manet ſecula.

Fac Domine, vt gladio proprio eius ſuperbia amputetur: Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ. Da mihi in animo conſtantiam, vt contemnam illum, & virtutem, & euertam illum. Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum. Non enim in multitudine eſt virtus tua Domine, F *neque in equorum viribus voluntas tua eſt, nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi: ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.*

Videtur quibuſdam minus intelligentibus, quod precationes ſanctorum contra reprobos, quæ in ſcripturis aliquando commemorantur, quaſi maledictiones ſint, cum nullo modo hæc verba ex voto malitiæ, quod in ſanctorum cordibus nequaquam fieri poteſt, ſed ex ſpiritu prophetiæ proceſſerint. Quod enim Spiritus ſanctus præſciebat eſſe iuſto iudicio reprobis futurum, hoc per ſanctorum ora prædixit faciendum. Vt eſt illud in Pſalmis: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, et in retributionem, et in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum, ne videant, et dorſum eorum ſemper incuruetur.* Et Paulus in Epiſtola ſua ita ſcripſit dicens: *Alexander Ærarius multa mihi mala oſtendit, reddet illi Dominus ſecundum opera ſua.* Qui & in Actibus Apoſtolorum Act. 23.
ad Ananiam Pontificem os eius percutere iubentem ait: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Vnde & verba iſta Iudith, quibus dicit: *Capietur laqueo oculorum ſuorum in me, et percuties eum ex labiis charitatis meæ,* non ſunt maledictiones intelligendæ, ſed de venturis præconia prophetiæ. Hoc enim Spiritus ſanctus per os ſanctæ fœminæ voluit præ- G
monſtrare, quod ſciebat nefarium Principem nequitia ſua promereri: Nec non illud in myſtico opere præſagire, quod omnis hæreticus, ſiue ſchiſmaticus, ſiue Iudæus, ſiue etiam Paganus, qui Eccleſiam prauo dogmate, ſiue peruerſo exemplo corrumpere voluerit, proprio ſuperbiæ ſuæ gladio caput voluntatis iniquæ per ſententiam iuſti Iudicis amputabitur, & inferni cruciatibus ſubijciendus pœnas dolorum ſentiet in æternum.

CAPVT X.

FActum eſt autem, cum ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit XII.
de loco, in quo iacuerat proſtrata ad Dominum; vocauitque Abram ſuam, et deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, et exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, et lauit corpus ſuum, et vnxit ſe myrro optimo, et diſcriminauit crimen capitis ſui, et impoſuit mitram ſuper caput ſuum, et induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ: Induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola et lilia, et inaures et annulos, et omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. H *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit.*

Quid eſt quod Iudith poſt peractam orationem exuit ſe veſtibus lugubribus, & induit ſe veſtimentis iucunditatis, niſi quod ſancta Eccleſia, licet aliquando pro peccatis ſuis pœnitentiæ gerat affectum, tamen ſpe remiſsionis & futuri præmij anxium ſatis exhilarat animum. Lauat corpus ſuum, cum actus corporis ſui pœnitentiæ lachrymis mundat. Vnxit ſe myrro optimo, cum in propriæ mortificatione carnis, charitatis ac cæterarum virtutum ſe replet odore. Diſcriminat crimen capitis ſui, cum ſolerti diſcretione ſingulas cogitationes diſtinguit cordis. Imponit mytram capiti, cum galeam ſalutis circumdat menti. Induit pedes ſuos ſandalijs, cum greſſus operum ſuorum euangelicis munit doctrinis. Aſſumit dextraliola

A & lilia, & inaures & annulos. In dextraliolis ſpes futurorum bonorum exprimitur, quæ in dextra Dei Sanctis in futuro dantur. In lilijs caſtitas, in inauribus obedientiæ deuotio, & in annulo ſignaculum fidei deſignatur. His ergo omnibus ornamentis ſe ſancta Eccleſia ornat, quia omnium virtutum decore ſe illuſtrare certat. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem gratiæ ſuæ, quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine præſentis vitæ, ſed ex virtute pendebat futura. Et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret. Quia valde iuſtum eſt, vt qui dilectionis perfectæ Dei ſeruet amore, omnium dignus habeatur honore.

Impoſuit itaque Abra ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam & palathas, & panes, & caſeum. & profecta eſt.

Quid eſt quod Iudith ad agonem proceſſura Abræ ſuæ impoſuit ad portandum ea, quæ in via ſibi fuerunt neceſſaria, niſi quod ſancta Eccleſia in ſtadio iſtius mundi certare contra hoſtem properans quorundam carna- B lium aduerſus ſuos præſenti vtitur miniſterio, qui ſi fideliter illud peregerint, poterunt ad veram libertatem peruenire, ita vt cohæredes & participes futuræ poſſeſsionis efficiantur, ſicut memorata Abra in fine iſtius libri libera à Domina ſua Iudith dimiſſa commemoratur: Sæpe enim contingit, vt qui in ſcientia & moribus minus perfectis, & præſentium rerum amore quodam modo irretiuntur, ſacramentis Eccleſiaſticis communicent, & de rebus ſuis ſpiritualibus myſteriis deſeruiant, ſolatijſque corporalibus illis obſequantur, ſed tamen ad renunciandum omnibus, quæ poſsident, & Apoſtolicæ perfectionis normam tenendam non ſunt idonei. Vnde diues in Euangelio ſe præcepta Dei cuſtoduiſſe Redemptori noſtro reſpondit, ſed tamen ad perfectionem tendere venditis omnibus rebus, & datis pauperibus, eumque ſequi iuxta eius monita non conſentiebat. Portat quidem hæc Abra, hoc eſt, carnalium turba, tradente ſibi ſancta Eccleſia Aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & panes, cum ſacramenta diuina in frumento vinoque confecta corpus videlicet & ſanguinem Domini, & chriſmatis vnctio- C nem venerabiliter ſeruat. Portat & palathas & caſeum: caſeus eſt lac coagulatum. quæ vtraque poſſunt in fide & dilectione cibum ſignificare animarum. Sed hæc omnia Abra ad ſuum libitum vertere, vel proprio vti arbitrio non permittitur, quin potius ea ad vſum & diſpenſationem Dominæ ſuæ ſeruare ordinatur. Quia iuſtum valde eſt, vt qui nondum nouit moderamina vitæ ſuæ, non ſubito fiat rector vitæ alienæ, ſed magis eis ſubditus fiat, qui vita & doctrina regulam tenent iuſtitiæ.

Factum eſt autem, cum deſcenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum, & tenuerunt eam dicentes: Vnde venis aut quo vadis? Quæ reſpõdit, filia ſum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt vltro tradere ſemetipſos, vt inuenirent miſericordiam in conſpectu veſtro.

Qui ſunt exploratores Aſſyriorum, niſi Philoſophi gentilium, & curioſi ſcrutatores humanarum diſcipli- D narum. Hi quaſi Iudith noſtram à Iudæis tranſeuntem ad gentes comprehendere nitebantur, cum prædicatores Euangelij relinquentes ob perfidiam Iudæos, & ad gentium prædicationem properantes ſuis dogmatibus vincere & ſuperare conabantur, quos ad tabernaculum Holofernis ducebant, cum principibus gentium quaſi obnoxios tradebant. Sed conſiderata ſinceritate religionis ipſorum protinus à vinculis abſolutos in domo Principis, hoc eſt, ſub dominatione ſecularium libere permanere permiſerunt. Vnde in Actibus Apoſtolorum legitur Paulus apud Athenas commorans diſputaſſe, atque diſſeruiſſe de Ieſu & reſurrectione cum Epicuræis & Stoicis Philoſophis, quem cum audirent de ijs annunciaſſe apprehenſum eum ad Ariopagum duxerunt dicentes: *Poſſumus ſcire quæ ſit hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina, noua enim quædam infert auribus noſtris, volumus ergo ſcire, quidnam velit hæc eſſe.* Quibus cum manifeſtiſsima oratione fidem Dei expoſuiſſet, quidam ex eis irridebant eum, quidam vero E viri adhærentes ei crediderunt, in quibus erat & Dionyſius Ariopagita, & mulier nomine Thamaris, & alij cum eis nonnulli. Poſt hæc quoque egreſſus ab Athenis venit Corinthum. Vbi apud Aquilam & Priſcillam moratus ſcenofactoria arte operabatur, & teſtificabatur omnibus ad ſe venientibus Ieſum Chriſtum. Sic & idem Apoſtolus apud Romanos in libera manens cuſtodia prædicabat verbum Dei cum omni fiducia, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum nullo prohibente. Hinc & in hiſtorijs Eccleſiaſticis legitur, quod ipſi Principes gentium viſa mãſuetudine ac ſobrietate fidelium pœnas ac vim eis inferre compeſcuerint. Sicut Tiberius Cæſar edicta firmauerat, ne quid aduerſum doctrinæ Chriſti atque contrarium moliretur, accuſatoribuſq; Chriſtianorum mortem comminatus eſt. Sic & Claudius Imperator, licet Iudæos aduerſis calamitatibus affligeret, tamen Chriſtianos non læſit. Vnde factum eſt, quod ipſo regnante Petrus Apoſtolus in vrbe Romana prædicando plurimos ad fidem Chriſti conuerteret. F Sic & Traianus, licet primum Chriſtiani nomine deceptus Confeſſores Chriſti perſecutus ſit, tamen Plinij Secundi relatu admonitus, & de Chriſtianorum modeſtia inſtructus, reſcriptis lenioribus temporauit edictũ: Similiter & Elius Adrianus per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum & Ariſtidem virum Athenienſem de Chriſtiana religione inſtructus atque eruditus, præcepit per Epiſtolam ad miniſtrum Fundanum Proconſulem Aſiæ datam, vt nemini liceret Chriſtianum ſine obiectu criminis aut probatione damnare: Idemque Pater Patriæ in ſenatu vltra morem maiorum appellatur, & vxor eius Auguſta. Adrianus Rempublicam iuſtis legibus ordinauit, bellum citra Sauromatas geſsit & vicit Iudæos, ſane perturbatione ſcelerum ſuorum exagitatos, & Palæſtinam prouinciam quondam ſuam depopulantes vltima cæde perdomuit. vltus eſt Chriſtianos, quos ilico Theba Duce, cur ſibi aduerſum Romanos non aſſectarentur, excruciabat, præcepitque ne cui Iudæo introeundi Ieroſolymam eſſet licentia, Chriſtianis tamen ciuitate permiſſa, quam ipſe in optimum ſtatum murorum extructione reparauit, & Eliam vocari de prænomine ſuo præcepit. G

XIII. *Videns itaque Iudith Holofernem ſedentem in Conopæo, quod erat ex purpura, auro, & ſmaragdo & lapidibus pretioſis intextum. Et cum in faciem eius intendiſſet, adorauit eum, & proſternens ſe ſuper terram eleuauerunt illam ſerui Holofernis, iubente Domino ſuo.*

Quod Iudith adorat Holofernem; non eſt perturbatio timoris, ſed conſeruatio ordinis. Quoties enim ſancti viri terrenæ poteſtati impendunt honorem, non ex vitio adulationis, ſed ex iure dignitatis hoc faciunt. Vnde Princeps Apoſtolorum in Epiſtola ſua docuit dicens: *Subditi ergo eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſsis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum; quia ſic voluntas Dei eſt, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Dominum timete, Regem honorificate.* Hinc & Paulus ait: *Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem. Bonum fac, & habebis laudem ex illo; Dei enim miniſter eſt in bono: Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, & qui malum agit. Ideo neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.* Et iterum: *Reddite,* Inquit, *omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Vnde Elias Propheta in Regum legitur adoraſſe impijſſimum Regem Achab, non vtiq; pietate diuini cultus, ſed honoris officio. Hinc & ſupra memoratus Apoſtolus Paulus in Actibus Apo-

Rom. 13. H

Ibidem.

Act. 26.

A ſtolorum coram Agrippa Rege, & Feſto Præſide cauſam
ſuam agens manſueta verba, & auditorem conciliantia
protulit dicens ad Agrippam: *De his omnibus, quibus ac-*
Act. 26. *cuſor à Iudæis, Rex Agrippa, æſtimo me beatum apud te,*
cum ſim defenſurus me hodie, maxime te ſciente omnia, quæ
apud Iudæos ſunt conſuetudines & quæſtiones. Propter quod
obſecro patienter me audias. Et ad Feſtum ſe arguen-
Ibidem. tem, atque ei dicentem: *Inſanus Paule, multæ te li-*
teræ ad inſaniam conuertunt. Reſpondit: *Non inſanio (in-*
quit) optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. Scit
enim de his Rex, ad quem & conſtanter loquor, latere enim
eum nihil horum arbitror, neque enim in angulo quicquam
horum geſtum eſt. Credis Rex Agrippa Prophetis, ſcio quia
credis, &c. Similiter & verba, quæ ad ipſum Holofernem
de ſuo aduentu, & de Iudæorum futuro caſu Iudith lo-
quitur, non ſunt adulationis profana mendacia, ſed fu-
turæ Prophetiæ veneranda myſteria; prædixit enim,
quæ homicidis & præuaricatoribus legis Dei à gen-
tibus, & Romanis Principibus futura erant ſupplicia, &
B quæ vniuerſæ terræ ipſorum, propter peccata eorum im-
mineret ſubuerſio. Sic enim ait.

Capvt XI.

N*Ec hoc latet, quod locutus eſt Achior, nec illud ignoratur,*
quod ei iuſſeris euenire. Conſtat enim Deum noſtrum ſic pec-
catis offenſum, vt mandauerit per Prophetas ſuos ad populum,
quod tradat eum pro peccatis ſuis. Et quoniam ſciunt ſe offen-
diſſe Deum ſuum filij Iſrael, tremor tuus ſuper ipſos eſt. Deſuper
etiam fames inuaſit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mor-
tuos computantur. Denique hoc ordinant, vt interficiant pe-
cora ſua, & bibant ſanguinem illorum: & ſancta Domini
Dei ſui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino
& oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt conſumere, quæ
nec manibus deberent contingere: Ergo quoniam hæc faciunt
certum eſt, quod in perditionem dabuntur. Quod ego ancilla
tua cognoſcens fugi ab illis, & miſit me Dominus hæc ipſa nun-
ciare tibi.

C Scriptum eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, quod inſtante
tempore vaſtationis Ieroſolymorum Apoſtoli quidam
prius ab illis fugati per omnem locum diſperſi perge-
rent in virtute CHRISTI, qui eis præceperat di-
cens: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris & Fi-*
lij & Spiritus ſancti. Eccleſia vero, quæ in Hieroſolymis
fuerat congregata, reſponſo à DEO accepto emigrare
iubetur, & tranſire ad oppidum quoddam Pellam no-
mine trans Iordanem; quo ablatis ex vrbe ſanctis vi-
ris & iuſtis, vindictæ cœleſti fieret locus tam de vrbe
ſacrilega, quam de populo impio per excidium pa-
triæque euerſionem ſumendæ. Quantis ergo malis
gens tunc vniuerſa mulctata, atque ipſa Iudæ terra
bello, fame, igni cœdibuſque vaſtata ſit; quanta po-
pulorum millia, patres ſcilicet cum coniugibus ac
paruulis liberis abſque numero & abſque diſcretio-
ne trucidati ſint. Quæ etiam diuerſarum vrbium ob-
ſidiones, ſed & vrbis magnificæ & famoſiſsimæ ci-
uitatis Ieruſalem quanta vaſtitas, & quanta fuerit
D diuerſorum montium ſtrages, quiſue per hæc ſin-
gula bellorum extiterit modus, & vt ſecundum id,
quod Pophetæ prædixerant, abominatio deſolatio-
nis in ipſo quondam Dei famoſiſsimo collocata ſit tem-
plo, vſque ad vltimum cuncta ignis populatus ſit, &
flamma conſumpſerit; ſi quis plenius noſſe vult hi-
ſtorias Ioſephi conſulat. Nos vero ex his ea tantum,
quæ ad explanationem cœpti operis ſufficiunt, aſ-
ſumemus. Et in quibus refertur, quod ex omni Iudæa
populi in die ſolemni Paſchæ Ieroſolymam velut exi-
tiali quadam manu cogente conuenerant, quos tricies
centena millia hominum dicit fuiſſe, iuſto ſcilicet
DEI iudicio, tempore hoc vltionis electo; vt quo-
niam in diebus Paſchæ Saluatorem ſuum & ſalutare
CHRISTVM Domini cruentis manibus & ſacrile-
gis vocibus violauerant. In illis diebus velut in vnum
carcerem omnis multitudo concluſa, feralis pœnæ
exitium, quod merebatur exciperet. Narrat quidem E
propter hæc hiſtoricus in quinto hiſtoriarum ſuarum
libro, quantam famem, quantamque perniciem ſedi-
tionis Iudæorum gens, antequam vrbs caperetur,
pertulerat, ita vt à miſeris omnis ſpes excluderetur ſa-
lutis, & inualeſcens acerbitas famis domos ſcilicet
& familias gentemque vaſtaret. Nam cum in pene-
tralibus ſtrata iacerent mulierum paruulorumque ca-
dauera, per plateas vero infelicium ſenum corpora
fame magis, quam ætate conſumpta; Iuuenes vero
atque omnis ætas robuſtior velut ſimulachra quæ-
dam in vijs & greſsibus loci oberrabant corruentes,
quocumque loco greſſum ſubruiſſet inedia. Sepelire
autem cadauera proximorum, nec defunctorum mul-
titudo, nec virium debilitas permittebat, ſimiliter
pro ſuæ vnuſquiſque vitæ incerto denique aliquanti
ſupra eos quos ſepeliebant, animas emiſere. Multi
etiam dum perſequuntur funera, priuſquam ad ſe-
pulchrum peruenirent, efflabant ſpiritum. Sed nec
planctus ex more defunctis exhibebatur, aut luctus, F
quia hoc totum ſibi vindicauerat fames: Sed nec ari-
ditas inedia humorem cuiquam reliquerat lachry-
marum. Obſederant ciuitatem profunda ſilentia,
& nox plena mortis cuncta contexerat, in qui-
bus malis omnibus ſoli grauiores vigebant prædo-
nes, qui nec ſepulchra quidem diripere, & ſpolia-
re cadauera illicitum ducebant, non tam prædam
petentes, quam ſcelus irriſione cumulantes & aciem
gladiorum ſuorum in cadauerum truncatione proban-
tes.

Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, &
coram pueris eius, & mirabantur ad ſapientiam eius, & di-
cebant alter ad alterum: Non eſt talis mulier ſuper ter-
ram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum. Et
dixit ad illam Holofernes: Benefecit DEVS, qui miſit te ante
populum, vt des illum tu in manibus noſtris, & quoniam bo-
na eſt promiſsio tua, ſi fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & meus
Deus.

Prima fuit via ſalutis gentibus miniſtros verbi Dei, G
aut prædicatores Euangelij gratanter recipere, &
eorum dictis fidem præbere, ſicque paulatim per
eorum doctrinam ad agnitionem veritatis peruenire.
Vnde Dominus in Euangelio diſcipulis ſuis præce-
pit dicens: *In quamcumque ciuitatem aut caſtellum intra-*
ueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & manete, donec exea-
tis. Intrantes autem in domum ſalutate eam dicentes: Pax
huic domui; & ſi quidem domus digna fuerit, veniet pax veſtra
ſupra eam, ſi autem non digna fuerit, pax veſtra ad vos reuer-
tetur. Iudith ergo noſtra, quia aditum deuotæ ſuſce-
ptionis apud gentes inuenit, ad effectum ſuæ volun-
tatis peruenit. Vnde beatus, qui non prauo animo, ſed
ſincero cordis affectu legatum veritatis ſuſcipit; quia
qui peruerſa intentione cum Holoferne atque cum
Herode Deum ſe quærere ſingit, nequaquam ad eius
gloriæ conſpectum lætabundus ſe pertingere gau-
debit, ſed ſuæ iniquitatis condignas pœnas in fine ſe
luere dolebit.

Capvt XII. H

T*Vnc iuſſit eam introire, vbi repoſiti erant theſauri eius, & iuſ-* XIV.
ſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conui-
uio ſuo. Cui reſpondit Iudith & dixit: Nunc non potero mandu-
care ex his, quæ præcipis mihi tribui, ne veniat ſuper me offenſio:
Ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo. Cui Holofernes
ait, ſi defecerint tibi iſta, quæ tecum detuliſti, quid faciemus tibi?
dixit Iudith: Viuit anima tua Domine meus, quoniam non
expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea
hæc, quæ cogitaui.

Quid eſt, quod Holofernes Iudith ibi manere præcepit,
vbi ſui theſauri erant repoſiti, niſi quod principatus ſeculi
huius prædicatoribus Euangelij apud eos plerumq; con-
ſentit habere locum, qui mentem habent intelligibilẽ, &
ſanæ fidei receptricẽ. Intentio ergo bonæ volũtatis, the-
ſaurus potiſsimus eſt cordis. Ibi Iudith typica manet, quia

A ſancta Eccleſia ſtabiliter permanet. Sed conqueritur Holofernes Iudith victualia, quę ſecum apportauit, deficere, & quærit, ſi quo modo poſſit, ſui conuiuij participem efficere, cum apud gentilium Principes aliquando deſpectus & vilis eſſe videtur cultus religionis Chriſtianæ, & executores eius ſtudent ad immunditiam idolorum, ſeu ad illecebras carnalium voluptatum pertrahere. Sed illi fido animo, & ſpe certa promittunt ſibi gratiam celeriter ſubuenturam diuinam, inſiſtunt precibus tota nocte iſtius mundi, & baptizant ſe fonte lachrymarum, lauant cum Pſalmiſta per ſingulas noctes lectum cordis ſui, ac ſtratum cogitationum ſuarum pijs fletibus rigant, ſicque triduo Catholicæ confeſsionis, per fidem, ſpem, & charitatem ſuam explentes, quarto tandem die, hoc eſt, Euangelij corruſcante luce, victoriam ſibi de hoſte præparant, ipſumque mortis ac tenebrarum auctorem propria malitia cœcatum, æterno reatui obnoxium damnant. Et ita mater Eccleſia innocentes ab iniqua perſecutione, & iniuſta oppreſſione gratia Dei opitulante li-
B berat, ac triumphum de hoſte nefando ad ciues ſuos tedens, glorioſiſſime ſecum reportat.

Tunc introiuit vagao ad Iudith & dixit: Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum cum iucunditate. Cui Iudith reſpondit: Quæ ego ſum, vt contradicam Domino meo? Omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum faciam. Quicquid autem illi placuerit, hoc erit mihi optimum omnibus diebus vitæ meæ. Et ſurrexit & ornauit ſe veſtimento ſuo, & ingreſſa ſtetit ante faciem eius. Cor autem Holofernis concuſſum eſt, erat enim ardens in concupiſcentia eius.

Quæ Vagao Iudith perſuadet, ad illicitas pertinent voluptates, quæ autem Iudit reſpondit, boni animi oſtendit virtutes: Ille prouocat ad libidinis luxum, illa ſe paratam teſtatur ad cœleſtis imperij iuſſum. Ornat ſe ſuis veſtimentis, quia cultum exhibet veræ pietatis. Stat ante faciem Principis, quia eum refugere hortatur à ruina impietatis: Sed væ illi, qui bonarum rerum vſum peſſimum habere appetit, qui ad exemplum Holofernis virtutes ſpirituales ad carnales reflectere vult cōcupiſcentias. *Deo*
C *autem gratias, qui triumphat in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in his, qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs quidem odor vitæ in vitam.*

Et dixit ad eam Holofernes: Bibe inde & accumbe in iucunditate, quoniam gratiam inuenisti coram me, & dixit Iudith: Bibam Domine quoniam magnificata eſt anima mea hodie præ omnibus diebus meis. Et accepit & manducauit, & bibit coram ipſo omnia, quæ parauerat illi ancilla eius.

Nota quod Iudith apud Holofernem conuerſans, non coinquinata eſt cibis vel potu gentilium, ſed ea manducauit & bibit, quæ ſibi præparauerat ancilla eius: Quia Eccleſia inter gentes habitans nullo modo polluitur idololatria aut ſuperſtitione gentilitatis, ſed his vtitur, quæ victui ſuo iudicat eſſe condigna, quæ deuotio fidelium per obedientiam & exercitium boni operis ſibi præparat. De quo cibo ipſa veritas in Euangelio ait: *Operamini cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Et alibi Diſcipulis rogantibus eum, vt manducaret, reſpon-
D dit. *Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis; meus enim cibus eſt, vt faciã voluntatẽ eius, qui miſit me & perficiam opus eius.*

CAPVT XIII.

XV. *ERant autẽ omnes fatigati à vino: Eratq; Iudith ſola in cubiculo. Porro Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus.*

Vinum Holofernis & ſatellitum eius hoc erat, à quo Apoſtolus credentes compeſcuit dicens: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et in cantico Deuteronomij de huiuſmodi vino ſcriptum eſt: *vua eorum, vua fellis, & botri eorum, botri amaritudinis, furor draconum vinum eorum & furor aſpidum inſanabilis.* Hoc ergo vino inebriatus hoſtis Eccleſiæ iacebat in lecto nefandæ ſecuritatis, qua ſe impune peccare poſſe confidebat, iuxta illud: *Impius, cum in profundum malorum venerit, contemnit;* ſed ſemetipſum fallebat, quia ad perditionem perpetuam improuidus tendebat.

Dixitque Iudith puellæ ſuæ, vt ſtaret foris ante cubiculum & obſeruaret: Stetitque Iudith ante lectum orans cum lachrymis &
E *labiorum motu in ſilentio dicens: Confirma me Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt ſicut promiſiſti, ciuitatem tuam erigas, & hoc quod credens per te poſſe fieri cogitaui perficiam. Et hæc cum dixiſſet, acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit; cumq; euaginaſſet illũ, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me Deus, Deus Iſrael in hac hora, & percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius & abſtulit conopæum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum.*

Columna, quæ erat ad caput lectuli Holofernis, ſignificat duritiam praui cordis, & errorem genuit malefidæ ſecuritatis. Gladius, qui in ea ligatus pendebat, malitia eſt iniquæ intentionis. Coma capitis, eſt elatio ſuperbæ mentis. Ceruix vero contumacia iniquæ actionis. Et conopæum, hoc eſt, rete muſcarum, inſidias ſignificat doloſæ cogitationis. Commendat ergo Iudith noſtra puellæ ſuæ oſtiorum cuſtodiam, quia ſancta Eccleſia vnicuique fidelium Catholicæ fidei præcipit habere obſeruantiam. Orat ipſa cum lachrymis, quia ſupernum auxilium
F poſcit intima deuotione cordis. Accedit ad columnam, & exoluit pugionem, per quem hoſtis nequiſsimi amputet caput; cum denudata malitia duri cordis abſcidit ab hoſte occaſionem proteruę tentationis. Aufert conopæũ, quia fraudes eius detegit, quibus ſimplices & incautos implicare contendit, ſicq; truncum hoſtis corpus euoluit, cum ipſum inimicum ex omni parte infirmum & debilem eſſe oſtendit, vt eo facilius bellatores Chriſti confidant hoſtem nequiſsimum ſe vincere poſſe, qui eum pleniter ediſcunt fragilem & ſuperabilem fore.

Et poſt puſillum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ ſuæ, & iuſsit vt mitteret illud in peram ſuam & exierũt duæ, ſecundum conſuetudinem ſuam, quaſi ad orationem, & tranſierunt caſtra & gyrantes vallem, venerunt ad portam ciuitatis. Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiſcum eſt Deus, qui fecit virtutem in Iſrael.

Quid eſt, quod Iudith ancillæ ſuæ tradidit caput Holofernis, vt mitteret illud in peram ſuam: niſi quod Eccleſia Auditoribus ſuis recordationem confecti belli non vult labi à cogitatione mentis, ſed ſollicite ſeruari in memoria
G cordis, ita enim de triumpho hoſtis, qñ eum per diuinam gratiam in aliquo ſuperamus, gaudere debemus, vt iterum eum contra nos bellum diſponere non diffidamus. Propter quod dicit Petrus Apoſtolus: *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Et Paulus
ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, ſequor autem, ſi quo modo comprehendã, in quo & cõprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicunq; n. perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Phil. 3.

Et gyrantes (inquit) vallem venerunt ad portam ciuitatis.

Vallem ambulando gyrat, qui humilitatem in omni actu ſuo ſeruat. Hic peruenit ad portam ciuitatis, quia ille pertingit ad introitum regni cœleſtis. Vnde ipſe, qui humilitatis & obedientiæ ſummæ exemplar nobis à Deo factus eſt, per hunc vitę ęternę habemus aditum, qui in Eu-
H angelio ait: *Ego ſum oſtium. per me ſi quis introierit, ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Ipſe alibi ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.*

Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiſcum eſt Deus, qui fecit virtutem in Iſrael.

Cuſtodes murorum, hoc eſt, tutores caſtrorum Eccleſiæ, ſunt Doctores ſancti, qui verbo & exemplo, atq; etiam oratione aſsidua muniunt vitam credentium, & ad æternam beatitudinem illis præparant introitum; de quibus per Prophetam dicitur: Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini. Poſſunt Angelicæ virtutes cuſtodes murorum intelligi ſpiritualium, quæ nobis deputatæ ſunt, vt nos ſuis ſolatiis contra malignos ſpiritus defendant. Clamat ergo Iudit à longe cuſtodibus, poſtulans ſibi aperiri portas, eo quod ſecum ſit Deus. Sic & Eccleſia

A in peregrinatione iſtius mundi, & via præſentis vitæ conſtituta totis medullis cordis clamans poſtulat, vt per ſuffragia ſanctorum ſibi ſupernæ patriæ pandantur introitus, vt ibi nominis ſui expleat officium, dicens cum Propheta: *Aperite portas iuſtitiæ, & ingreſſus ea confitebor Domino, hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam.* Et vnde hoc depoſcat addit dicens: *quia nobiſcum eſt, qui fecit virtutem in Iſrael.* Valde enim iuſtum eſt, vt, qui ſe vnitum cum capite ſuo agnoſcit, de quo ſcriptum eſt: *Dominus virtutem populo ſuo dabit, & benedicet populum ſuum in pace,* cum eo ad cœleſtis regni apicem aſcendat, quia ſine eo nullo modo illuc peruenire poteſt. Vnde ipſa veritas in Euangelio ait: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. Poteſt & hoc quod dicit Iudith cuſtodibus murorum, aperite portas, deuotio cordis auditorum ſuorum ab ea poſtulata intelligi, hoc eſt, vt præparet intẽtionem cordis, ad accipienda ea, quæ ſibi dicuntur; Sicut Saluator in Euangelio per parabolas do-
B cens dixit: *Qui habet aures audiendi audiat.* Et Ioãnes Apoſtolus in Apocalypſi ſua eandem ſententiam ſæpius repetit dicens: *Qui habet aures audiendi audiat,* quid ſpiritus dicat Eccleſijs. Merito ergo illa, quæ virtutes Domini, quas fecit, expromere vult, auditores deuotos quærit, quia ſcriptum eſt: *Beatus qui cauſam ſuam loquitur in aurem audientis.*

XVI. *Et factum eſt, cum audiſſent viri vocem eius, vocauerunt preſbyteros ciuitatis. Et concurrerunt ad eam omnes à minimo vſque ad maximum: quoniam ſperabant eam iam non eſſe venturam, & accendentes luminaria congyrauerunt circa eam vniuerſi.*

Ad vocem Iudith presbyteri ciuitatis cum omni plebe conueniunt; quia ad doctrinam ſanctæ Eccleſiæ non ſolum minores, ſed etiam maiores vniuerſi concurrunt, vt eius ſalubria dicta audiant, & pura intentione adimplenda ſuſcipiant: Hoc eſt enim luminaria accendere, ad diſcendam veritatem, cordis piam deuotionem præbere, & vniuerſas tenebras errorum à ſe repellere.

Illa autem aſcendens in eminentiorem locum, iuſſit fieri ſilentium; Cumque omnes tacuiſſent, dixit Iudith: Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe, & in me an-
C *cilla ſua adimpleuit miſericordiam ſuam, quam promiſit domui Iſrael, & interfecit in manu mea hoſtem populi ſui in hac nocte.*

Quid eſt Iudith in eminentiorem locum aſcendere, niſi ſanctam Eccleſiam ad ſuperna & cœleſtia dogmata ſermonem conuertere, vt illuc noſtros animos ſuſtollat, & ad laudandum Deum pro vniuerſis beneficijs ſuis, quæ miſericorditer vero impendit Iſrael, torpentes prouocet, cuius virtus hoſtem antiquum interfecit in manu illius fœminæ, de qua ad callidum ſerpentem Dominus in primordio ait: *Ipſa conteret caput eius.* Et cum ipſa veritas in Euangelio ait: Ecce ego dabo vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.

Et proferens de pera caput Holofernis oſtendit illis dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Aſſyriorum. Et ecce Conopæum, in quo recumbebat in ebrietate ſua, vbi per manus fœminæ percuſſit illum Dominus Deus noſter. Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem. &
D *ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria ſua, in euaſione mea & in liberatione veſtra. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

Profert Iudith in conſpectu populi caput Holofernis, & oſtendit illis conopæum eius, in quo recumbebat in ebrietate ſua: Cum ſancta Eccleſia mentem ſuperbam antiqui hoſtis fidelibus ſermone lucido exponit, & dolum illius, in quo malitia plenus confidebat, illis aperte reuelat, vt ſciant quantæ peruerſitatis inimicus ipſorum ſit, & quanta pietate omnipotentis Dei ſub dominio fidelium animarum ſuperatus atque redactus eſt: quas illæſas ab omni fraude hoſtis & contaminatione erroris protectio diuina cuſtodiuit, vt his omnib. perfecte agnitis Conditori ſuo atque Redemptori pro hoc condignas gratias agant, atque deuotas laudes inceſſanter referant.

Hinc eſt, quod Paſtor Eccleſiæ Auditores ſuos admonuit E
dicens: *Sobrij eſtote, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam* 1. Pet. 5.
leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Hinc & Paulus ait: *Timeo, ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam* 2. Cor. 11.
aſtutia ſua ita & ſenſus veſtri corrumpantur à veritate, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et item: *Confortamini* (inquit) Ephes. 6.
in Domino, & in potentia virtutis eius, & induite vos armatura Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Quia non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus:

Vniuerſi autem adorantes Dominum dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute ſua quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. Porro Ozias Princeps populi dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum noſtrorum; quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.

Benedicta eſt Eccleſia in virtute Domini, quia per i- F
pſum Dominus contriuit poteſtatem Diaboli, & benedicta eſt illa præ omnibus mulieribus ſuper terram; quia fidei eius confeſſio, & diuini cultus vera religio in toto orbe retinet principatum. Cuius laus non recedet de ore hominum, qui memores ſunt eius ſtudij, & bonorum actuum, eo quod per dilectionem Dei & proximi, qua maxime feruet, non miretur magnitudinem præſentium tribulationum: ſed fide plena, & ſpe firma contendit ad eminentiam cœleſtium præmiorum, vbi in futura vita conſors erit gaudij & beatitudinis ſanctorum angelorum.

Porro Achior vocatus venit, & dixit ei: Deus Iſrael cui tu teſti- XVII.
monium dediſti, quod vleiſcatur ſe de inimicis ſuis, ipſe caput omnium incredulorum incidit in hac nocte in manu mea. Et vt probes, quod ita eſt, ecce caput Holofernis, qui in contemptu ſuperbiæ ſuæ Deum Iſrael contempſit, & tibi interitum minabatur dicens. Cum captus fuerit populus Iſrael, gladio perforari præcipiam latera tua. Videns autem Achior caput Holofernis, anguſtiatus præ pauore cecidit in faciem ſuper terram, & æſtuauit anima eius.
Poſtea vero, quia reſumpto ſpiritu recreatus eſt, procidit ad pedes G
eius & adorauit eam.

Per Achior Ducem Ammonitarum, vt ſupra diximus, pagani ſiue hæretici deſignantur, qui cum viderent ſanctam Eccleſiam per fidem conſtantiam hoſtium, ac perſecutorum ſuorum ferocitatem ſuperare, nimio pauore concuſſi à contumacia elationis ſuæ corruunt, atque ſanctam Eccleſiam venerari nimio terrore compelluntur, ſicque cum ſequacibus ſuis errorem ſuum relinquere, atque fidelium numero ſe per Catholicam confeſſionem, & baptiſmatis perceptionem aſſociare feſtinant. Vnde
per Eſaiam dicitur: *Venient ad te curui filij eorum, qui te humi-* Esai. 60.
liauerunt, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſrael.

Capvt XIV.

XVIII. *Dixit Iudith ad omnem populum: Audite me fratres, ſuſpendite hoc caput ſuper muros veſtros: Et erit, cum exierit ſol, accipiat vnuſquiſque arma ſua, & exite cum impetu, non vt*
H *deſcendatis deorſum, ſed quaſi impetum facientes. Tunc exploratores neceſſe erit, vt fugiant ad Principem ſuum excitandum ad pugnam. Cumque Duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in ſuo ſanguine volutatum, decidet ſuper eos timor. Cumque cognoueritis fugere eos, ite poſt illos ſecuri, quoniam Dominus conteret eos ſub pedibus veſtris.*

Docet Eccleſia materno affectu, atque magiſtrali auctoritate filios ſuos, qualiter hoſtẽ ſpiritualem inſequantur, ſcilicet vt cum exierit ſol, ſuſpendant caput inimici ſui ſuper muros ſuos: hoc eſt, cum ſerenitas diuinæ placationis & superni ſolatij illis reſplenduerit, mox contritam ſuperbiam hoſtis antiqui doctrina Euangelica qua muniuntur credentes omnibus patefaciant, & induti armis cœleſtibus, id eſt, ſcuto fidei, lorica iuſtitiæ, galea ſalutis, gladio ſpiritus, q; eſt verbum Dei, non ſegniter, ſed

forti-

A fortiter inimicorum cuneum perſeqtiantur. At illi obedientes voci magiſtræ per omnia, ſicut erant edocti, ita faciunt. Vnde exterriti Duces aduerſi exercitus ad principem ſuum ſuſcitandum ire coguntur, cum primi perſecutorum videntes ſanctæ Eccleſiæ vnitatem & fiduciam contra ſe erectam, ad idola ſua, & falſa numina concurrunt, vt eorum munimine protegantur. Sed cum ad eos confugerint, inuenient illos fœditate propriæ nequitiæ eſſe ſpurciſſimos, nec eis aliquod ſolatium conferre poſſe, cum ipſi omni virtute atque robore ſunt deſtituti; Vnde fugæ præſidio ſe ſaluare ſperantes, relinquunt omnia, cum quibus temporaliter ſe cæteris excellere poſſe credebant, & per camporum vias & ſemitas collium diſperguntur; quia non eſt virtus, neque conſilium, neque potentia apud eos, qui contra Dominum rebellare diſponunt, ſicut ſcriptum eſt. *Non eſt prudentia, non eſt ſapientia, non eſt conſilium contra Dominum.* Ier. 46. Et Ieremias: *Non effugiet*, inquit, *velox, nec ſaluari ſe putat fortis. Dies autem Domini exercituum ſumet vindictam de inimicis ſuis, deuorabit gladius & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum.* B

Capvt XV.

Videntes itaque filij Iſraël fugientes, ſecuti ſunt illos, deſcenderuntque clangentes tubis & vlulantes poſt ipſos. Et quoniam Aſſyrij non adunati in fugam ibant præcipites, filij autem Iſrael vno agmine perſequentes debilitabant omnes, quos inuenire potuiſſent.

Fugientes aduerſarios Iſraelitæ perſequuntur clangentes tubis & vlulantes; quia prædicatores ſancti non armis carnalibus, ſed tuba Euangelica hoſtium fugant exercitum, & victoriam ſumere certant de inimicis ſuis. Vnde in libris Iudicum Gedeon contra Madianitas pugnaturus non haſtam, clypeum aut gladium, ſed tubas & lampades tulit, atque in eis famoſiſsimam victoriam de hoſtibus ſuis percepit: vt figuraret futuros Euangelij præcones, quibus colluctatio non erat gerenda contra carnem & ſanguinē, ſed aduerſus principes & poteſtates iſtius ſeculi, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, voce C prædicationis & miraculorum fulgere magis, quam armorum conquaſſatione terrere atque ſuperare hoſtes vniuerſos. Et infra quod dicit, Aſſyrios non adunatos in fugam eſſe præcipites, filios autem Iſrael vno agmine eos perſequentes; quia paganorum & hæreticorum, & omnium impiorum multiplices ſunt errores, & varia iniquitatum deuia, in quibus diſperſi nunquam ſe coadunare in via iuſtitiæ poſſunt. Populus autem Dei, & veri Confeſſores Chriſti vno agmine, hoc eſt, vno fidei tenore veritatis tramitem pergunt, & certam victoriam de perſecutoribus ſuis capiunt.

Miſitque Ozias nuncios per omnes ciuitates & regiones Iſrael. Omnis itaque regio, omnisq; vrbs electam iuuentutem armatam miſit poſt eos, & perſecuti ſunt eos in ore gladij, quouſque peruenirent ad extremitatem finium ſuorum. Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingreſſi ſunt caſtra Aſſyriorum, & prædam, quam fugientes Aſſyrii reliquerant, abſtulerunt, & onuſtati ſunt valde.

D Ozias, qui interpretatur robur Domini, nuncios per omnes ciuitates & regiones Iſrael mittit, & hortatur eos venire ad perſequendos hoſtes, cum ſtrenuitas ſanctorum Prædicatorum, qui fide Chriſti confortati ſunt, per verbum Euangelij omnes incitat contra hoſtes Chriſtianæ religionis, vt recte credendo & bene operando inimicorum ſtudeant proſtituere multitudinem. Vnde omnis vrbs & communis regio electam iuuentutem armatam miſit poſt eos: quia ad prædicationem verbi Dei ex gentibus atque prouinciis probatæ perſonæ, & viribus animi indefectæ in militia Domini ad conterendos hoſtes eius conueniunt, quos præuidens in ſpiritu Eſaias ait: *Ecce illi de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra* Eſai. 49. *auſtrali. Audite cœli, & exultet terra: Iubilate montes laudem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.* Et bene dicitur, quod perſecuti ſunt eos in ore gladij vſque ad extremitatem finium ſuorum; quia non cito Chriſti miles debet ſecurus eſſe, hoſte intra patriam manente, ſed toto niſu laborare, vt eum expellat de finibus conuerſationis ſuæ, cogitationum, ſcilicet, verborum, & actuum, ne forte, ſi alicubi concedit illi habitationem, ſubito eum confundat ac conterat. Cum autem peractum fuerit bellum, tum de hoſte ſecurus iam reportat triumphum. E

Hi vero, qui victores ſunt reuerſi ad Bethuliam, omniaque erant illorum, abſtulerunt ſecum, ita vt non eſſet numerus in pecoribus & iumentis, & vniuerſis mobilibus eorum, vt à minimo vſque ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum.

Intueri oportet, quod dicit eos, qui intra ciuitatem remanſerunt, Aſſyriorum abſtuliſſe prædam, eos vero qui victores de cæde hoſtium reuerſi ſunt, pecorum & iumentorum, & vniuerſorum mobilium tuliſſe multitudinem. Quia licet multiplex labor ſit militum Chriſti, vna tamen debet eſſe intentio & eadem deuotio, vt quicquid de hoſtium iniqua poſſeſsione eripere poſsint, ad ornatum & diuitias ſanctæ Eccleſiæ conuertant, hoc eſt, F aurum ſapientiæ, argentum eloquentiæ, gemmas moralitatis ac virtutum, nec non & homines carnali ſenſui deditos, qui captiuati erant idololatria & ſeruitute vitiorum obnoxij; quatenus hæc omnia, quæ ſuperbus Aſſyrius, & Princeps mundi huius iniuſte poſsidebat, per bellatores Chriſti referantur ad honeſtatem diuini cultus.

XXI. *Ioachim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis, vt videret Iudith. Quæ cum exiſſet ad illum, benedixerunt illam omnes vna voce dicentes: Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris. Ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.*

Quid per Ioachim ſummum Pontificem de Ieruſalem niſi Redemptor noſter intelligitur, qui factus eſt à Deo nobis Pontifex in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, per quem habemus acceſſum ad patrem, & ſpem vitæ æternæ. Quod etiam nominis eius interpretatio exprimere videtur: Interpretatur enim Ioachim Domini reſurrectio. G Vnde ipſa veritas in Euangelio ait: *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, non morietur in æternum.* Ioan. 11. Hic ergo Pontifex venit de Ieruſalem in Bethuliam, cum de cœlis deſcendit in vterum virginis, ex quā carnem aſſumens homo factus eſt pro nobis. Vnde elegit diſcipulos, quos ipſe fratres ſuos in Euangelio nominauit; qui merito presbyteri propter honoris dignitatem, & ſapientiæ perfectionem nominantur, vt videret Iudith, vt probaret ſcilicet Eccleſiæ ſuæ fidem & confeſsionem. *Quæ cum exiſſet ad illum*, hoc eſt, deuotionem mentis ſua bona operatione oſtenderet, *benedixerunt illam omnes vna voce dicentes: Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.* Benedixit ergo Eccleſiam ſuam Dominus, cum eam gratiarum ſuarum vbertate replet, & omnibus laudabilem eſſe demonſtrat, pro quo & ad patrem gratias agens in Euangello ait: *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis.* Matth. 11. Hinc & per Salomonem dicitur: *Surrexerunt filii eius, & beatiſsimam prædicauerunt; vir eius, & laudauit eam.* Prou. 31. H Gloria ergo Ieruſalem eſt ſancta Eccleſia, quia ad cœleſtem pertinet ciuitatem Dei, & ſocietatem & beatitudinem ſanctorum Angelorum, quæ fecit viriliter, contra mundi confligens principatum, contemnendo minas & perſecutiones hoſtium; caſtitatem amauit, quia ſynceritatem fidei ſeruauit, per quam omnem multitudinem fidelium Apoſtolus ſe cœleſti regi deſponſaſſe gloriabatur dicens: *Deſponſaui enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* 1. Cor. 11. Cuius thoro immaculatam ipſa ſe cuſtodit, nec hæreticorum errori communicare vllo modo conſentit. Ad benedictionem Pontificis & presbyterorum reſpondit: Fiat, fiat, hoc eſt: Amen, amen: quia à maioribus ſiue minoribus filijs matris Eccleſiæ ipſa ſola in toto orbe prædicabitur, & condigna cœleſti ſponſo vbique & ſemper laudabitur.

Digitized by Google

A *Per dies autem triginta vix collecta ſunt ſpolia Aſſyriorum à populo Iſrael.*

Iſti dies triginta vniuerſum tempus præſentis vitæ ſignificant, quia populus Dei per fidem, ſpem & charitatem diuina præcepta ſeruando de hoſte triumphans colligit ſpolia eius; & ſpiritualem Aſſyrium ſua ſupellectili vaſtando deprædat. Et merito, quia fiducialiter regem ſuum obſequendo, victor vbiq; fortis extat in prælio, de quo ſcriptum eſt: *Dominus fortis, Dominus potens in prælio.* (*Pſal. 23.*) Et in Euangelica parabola ipſa veritas narrat. (*Luc. 11.*) *Quod fortis cum armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet: ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Hinc & in Salomone de forte muliere prædicatur, (*Prou. 31.*) quod *confidat in eo cor viri ſui, & ſpolijs nō indigeat, quia accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum, fortitudo & decor indumentum eius & ridebit in die nouiſſimo.*

Porro autem vniuerſa, quæ Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith in auro & argento, & veſtibus & gemmis, & omni ſupellectili, & tradita ſunt illi omnia à populo. B

Quid eſt quod dicit vniuerſa, quæ peculiaria fuerunt Holofernis, populum dediſſe Iudith; niſi quod quique fidelium, qui militiam Chriſti gerūt, quicquid ab hoſtium principatu vel proprietate capiunt, totum ad laudem & ſtudium ſanctæ matris communiter deputant Eccleſiæ, & ad ornatum eius ſpiritualem conferre feſtinăt, vt ipſa in auro ſapientiæ fulgeat, in nitore eloquentiæ reſplendeat, in gemmis pretioſis virtutum radiet, & ornamentis variarum diſciplinarum induatur. Totum enim quod de bonis rebus poſſeſſor iniquus iniuſtè poſſidebat, hoc ipſa ritè ad ſuum attrahit decorem. Vnde & in Exodo populus Dei ab Ægypto recedens theſauris Ægyptiorum onuſtus valde incedebat, atq; ad culturam Dei, tabernaculiq; eius constructionem in deſertum ſecum aſportabat. Sic & Dauid Rex, & cæteri Reges iuſti in vetere teſtamento, quæ ab hoſtium manibus diuerſis prælijs eruebant, ad miniſterium templi Dei Domino conſecrabant.

Et omnes populi gaudebant cum mulieribus & virginibus & iuuenibus in organis & cytharis.

C Omnis populus Dei de percepta victoria gaudet, cum vniuerſa membra Chriſti, in fine mundi de triumpho antiqui hoſtis pleniter exultant. Tuncque in organis & cytharis Dei laudes reſonant, quando & voce iubilationis & concordi modulatione perfectæ vitæ omnipotenti Domino laudes perpetualiter decantant. Tunc & Iudith noſtra canticum nouum cantat Domino, quando de corruptione vel læſione hoſtium nihil vltra veretur, de quo conſequenter ſcribitur.

CAPVT XVI.

XX. *TVnc cantauit canticum hoc Domino Iudith dicens.*

Iudith, hoc eſt, confitens & laudans tunc canticum canit Domino, quando ſancta Eccleſia ſponſa videlicet ſummi Regis poſt peractum bellum præſentis vitæ, quo contra Diabolum atq; hoſtes ſpirituales confligebat pro triumpho atq; ereptione ſua Domino grates condignas exoluit, atq; officij ſui ſine aliquo impedimento pleniter (D) ipſi exhibet miniſterium, nec aliquid ei oberit paterni nominis, hoc eſt, Merari recordatio: quando iam nulla priſtinæ amaritudinis remanebit portio, ſed tota in gaudij perfecti magnitudinem vertitur temporalis doloris afflictio. Cum iuxta Apocalypſin Ioannis (*Apoc. 21.*) *tabernaculum Dei erit cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt: Et ipſe Deus cum eis erit eorum Deus: Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Sed videamus quomodo canticum Iudith inchoet.

Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi pſalmum nouum, Exaltate & inuocate nomen eius.

Tympanum quidam dicunt eſſe muſicum inſtrumentum, quaſi duabus mitris ſolis capitibus conuenientibus ſupra eas denſi corij ſonora reſultante, quod muſici diſciplinabili menſura percutientes gemina reſonatione modulantur. (E) Alij autem dicunt tympanum eſſe rem minimam, eo quod in manu mulieris portari poteſt; Sicut ſcriptum eſt in Exodo: (*Exod. 15.*) *Sumpſit ergo Maria propheteſſa, ſoror Aaron, tympanū in manu ſua.* Et fieri tubam cum vna fiſtula in capite anguſto, per quod inſpiratur, myſtice ſignificat minimam ſcientiam eſſe legis veteris in manu ſynagogæ Iudæorum antiquis temporibus, quæ modo per Chriſtum dilatata eſt in manibus ſanctæ Eccleſiæ. Cymbala vero ſunt paruiſsimæ phialæ permixtis metallis compoſitæ, ventricula fuſa in lateribus habentes, quæ artificioſa modulatione colliſæ acutiſsimum ſonum delectabili conſonatione reſtituunt, & ſignificat labiorum noſtrorum motum, quæ non immerito inter muſica inſtrumenta poſita ſunt, quia & ſimilitudo quædam eſt cymbalorum, & per eam voces humanæ harmoniam reddere ſuauiſsimam comprobatur. Harmonia enim eſt diuerſarum rerum in vnum conuenientium redacta copulatio, quod & in voce humana conſtat accidere, quando & tempora ipſa, & ſyllabæ ad vnam vocis concordiam perducuntur. (F) Pſalmus autem eſt, vt à maioribus traditur, organum muſicum, ſicut cythara, pindarium, aliaque quæ vocibus noſtris dulciſsima modulatione reſpondeant. Quod ſæpe diximus ad actus noſtros probatiſsimos pertinere; ac inde intuendum nobis eſt, qualiter cantrix noſtra iubeat nos Domino laudes canere, hoc eſt, primum incipere illi in tympanis, deinde cantare in cymbalis, ſicque modulare ipſi pſalmum innuit: ſcilicet demonſtrans, quod ſi velimus Deo canticum noſtrum placere, ſtudeamus ei corde & ore, atque bona operatione conſonas laudes dicere. Ille enim incipit Domino in tympano, qui legis Domini præcepta aſsidue cordis ſui meditatur ſecreto. Ille ei cantat in cymbalo, qui catholicam confeſsionem cum canticis ſpiritualibus labiorum decenti profert iubilo. Ipſe modulatur ei nouum pſalmum, qui in nouitate vitæ ambulans piæ cordis intentioni, & rectæ oris confeſsioni concinnum boni operis adiungit actum. Vnde in Pſalterio ſcriptum eſt: (*Pſal. 146.*) *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt Pſalmus, Deo noſtro iucunda ſit laudatio.* (G) Omnis opera humana mercedem ſibi poſtulat debere retribui, vt quod laborioſe peragimus, ſpe propoſiti muneris conſolemur. In laudationibus vero Domini actus ipſe habet præmium ſuum, quando ipſa erit retributio, quæ nunc eſt exercitatio. Nam cum bonum ſit Dominum prædicare, inde vnuſquiſque noſcitur promiſſa dona recipere: recipit plane, quando in illa Angelica ſingulare fit munus ſanctorum, perpetuum Domini ſubire præconium. Laudemus ergo deuotione qua poſſumus, & hic illa beata dona meditemur. Quid enim fælicius, quam modo exercere, quod te ſperas in futura beatitudine poſſe peragere. Spe enim ſalui facti ſumus, ſed nondum apparuit, quid erimus. Cum enim Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & ipſi cum eo, apparebimus in gloria, vnde & ſequitur.

Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi, qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui.

Redemptor noſter, de quo in Pſalmo ſcriptum eſt: (*Pſal. 23.*) (H) *Dominus fortis, Dominus potens in prælio*, ipſe per ſanguinem crucis ſuæ contriuit ſæuitiam Diaboli, & mundum ſubiecit ſuæ ditioni, qui reſurgens à mortuis ad diſcipulos ſuos ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et ſpiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* (*Matth. 28.*) Caſtra ergo ſua in medio populi ſui poſuit, cum Eccleſiam ſuam in medio nationum conſtituit, in qua ſemper manens quotidie electos ſuos de manibus inimicorum liberat, ſed in fine mundi perfectam liberationem eis præſtabit, quando abſorbetur id quod mortale eſt à vita, & ipſa nouiſsima deſtruetur mors; quando ſancti fulgebunt, ſicut ſol in regno patris eorum, & interitum omnium hoſtium ſuorum, cum capite ſuo ipſi videntes ridebunt & dicent: *Ecce homo, qui non poſuit Deum* (*Pſal. 51.*)

adiuto-

A *Pſal. 51.* *adiutorem ſibi, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperaui in miſericordia eius in æternum, & in ſæculum ſæculi confitebor illi.* Vnde nunc replicans contra malitiam inimicorum ſuorum in carmine ſuo ſubiunxit.

Venit Aſſur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis ſuæ, cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles. Dixit ſe incenſurum fines meos, & iuuenes meos occiſurum gladio, infantes meos dare in prædam, & virgines in captiuitatem. DOMINVS autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.

Aſſur quem Eſaias virgam furoris Dei, & baculum indignationis eius appellat, myſtice ſignificat Diabolum, qui per miniſtros ſuos, hoc eſt, immundos Spiritus, vel homines paganos vel Iudæos ſiue etiam hæreticos, veniens ex montibus, id eſt, ſuperbiæ ſuæ tractibus. Et ab Aquilone, hoc eſt, ab infidelitatis frigore diſpoſuit bellum contra populum Dei; cuius militiæ multitudo B obturauit torrentes, cum varias temporaliter fidelibus excitauit perſecutiones. Eiuſque equi cooperunt valles, cum ſuperbia lictorum eius vinculis captiuarat humiles. Cuius arrogantia plauſit ſibi, fines Eccleſiæ deuaſtaturam, & iuuenes eius, hoc eſt, robuſtos quoque in fide & bonis operibus gladio perſecutionis occiſuram: Infantes quippe, de quibus ſcriptum eſt. *Matth. 21.* *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, accipere in ſeductionis prædam & virgines, id eſt, caſtas & pudicas animas abducturam in carcerem vitiorum. Sed licet ipſe cæca ſtultitia tantum ſibi plauſerit, non tamen ſecundum votum eius rerum ordo illi ceſſit, ſed mirabili conſilio Dei ſuperbia eius deſtructa eſt. Et ipſe qui alibi ait: *Eſa. 14.* *In cælum aſcendam, ſuper ſydera Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſſimo.* Cecidit de cœlo lucifer, qui mane oriebatur, & corruit in terram, qui vulnerabat gentes. Dominus ergo omnipotens nocuit eum, & tradidit in manus fœminæ, quæ caput ſerpentis conterere in Geneſi olim deſcripta eſt, & confudit eum, ligans C eum videlicet ancillis ſuis, quæ deuotum ſeruitium humili animo ſemper conditori ſuo exhibebant; atque ita ipſe, qui per ſuperbiam ſibi ſimilitudinem Dei promiſerat, detractus ad inferos, & in profundum laci demerſus eſt, id eſt, ad infernum vltimum hoc enim ſignificat laci *Matth. 8.* profunditas; pro quo in Euangelio *tenebras exteriores* legimus, *vbi eſt fletus & ſtridor dentium.*

Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, & filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gygantes oppoſuerunt ſe illi, ſed Iudith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.

Non enim immanitas perſecutorum ſanctæ Eccleſiæ à iuuenibus, hoc eſt, ex robore carnis ſuperatur, nec ſagacitas humani ingenii, aut fortitudo imperii terreni necem illis inferre potuit, ſed virtus diuina per humilitatem & ſimplicitatem fidelium ſuorum inimicam cohortem ſuperauit, contriuit ac diſſipauit; ſpecies enim ac claritas omnium virtutum, quæ lucebat in ſermone noſtræ Iudith, ſimiliter & opere, cauſa fuit hoſtibus maximæ ruinæ. Qui enim neſciunt bonum in aliis repertum caſtè diligere, ſed nequiter inuidere, vnde potuerunt D habere ſolatium, inde ſibi perpetuum acquirunt tormentum.

Exuit enim ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrabel. Vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cincinnos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam ad decipiendum illum: Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius, amputauit pugione ceruicem eius.

Exuit ſe Eccleſia veſtimento viduitatis, cùm veteris hominis actus, pro quibus meruit deſeri, in aqua batiſmatis abluit, & noui hominis conuerſationem induit; qui renouatur de die in diem ſecundum imaginem eius, qui creauit eum, particeps facta gaudii cœleſtis. Vnde per Eſaiam de hac commutatione ſpiritualium indumentorum ad Ieruſalem typicam dicitur: *Confuſionis adoleſcen-* E *Eſa. 54.* *tiæ tuæ obliuiſcaris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius.* Vnxit faciem ſuam vnguento, quando vnctionem ſacri chriſmatis accepit in vultu, vt iuxta Pſalmiſtam exhilararet faciem ſuam in oleo. Concinnauit cincinnos ſuos mitra, cum fluctuantes motus cogitationum ſuarum diuino timore conſtrinxit ac ſpe firma coadunauit, per quod conatus antiqui hoſtis certiſſime deluſit. Sandalia eius rapuerunt oculos eius, quia indumenta pedum ſuorum, quibus calceata fuit in præparatione Euangelii pacis punxerunt oculos inimici, & pulchritudo virtutum illius, impotentem fecit animam eius. Vnde euenit, quod ſuperior facta, propriæ nequitiæ pugione damnando iugulauit ceruicem contumaciæ eius.

Horruerunt Perſæ conſtantiam eius, & Medi audaciam eius.

In Perſis, qui interpretãtur tentantes, & Medis, qui reſonant metuentes, exercitus Diaboli, id eſt, maligni Spiritus poſſunt intelligi qui tentare, ac decipere ſeruos Dei ſemper parati ſunt. Inde legitur in Euangelio ad Caput noſtrum acceſsiſſe in deſerto Tentatorem, quem F paulo poſt eadem Scriptura appellat Diabolum. Et Doctor gentium Corinthiis ſcribens ait: *1. Cor. 7.* *Ne tentet*, inquit, *vos is, qui tentat.* Horrent ergo Perſæ & Medi ſpirituales, hoc eſt, phalanges Diaboli, conſtantiam & audaciam Eccleſiæ, quia agnoſcunt illi à Chriſto poteſtatem datam eſſe calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Et quia fundata eſt ſupra petram nec portæ inferi præualebunt aduerſus eam. Hinc & Paulus Auditores ſuos admonuit dicens: Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis, nihil enim ſuperbius & ferocius illo eſt, cum animi ſui oſtendere permittitur qualitatem, ſed nihil eo infirmius, quando per ſeruos Chriſti diuina conteritur poteſtate. Nota Lector, quod dicit Perſas & Medos horrere conſtantiam eius, & vlulare Aſſyrios, & vide ſi forte vera opinio ſit, quam ſupra propoſuimus de Cambyſe filio Cyri, quod à pleriſque iſte Nabuchodonoſor, quem hiſtoria memorat, eſſe crederetur, qui Perſis & Medis, atq; Aſſyriis dominari demonſtratur.

G *Tunc vlulauerunt caſtra Aſſyriorum, quando apparuerunt humiles mei areſcentes in ſiti.*

Vlulant caſtra Aſſyriorum, qui dirigentes interpretantur, quando perſecutores Eccleſiæ, qui diſponebant bella aduerſus fideles, per humilitatem ipſorum, qui per abſtinentiam mortificabant in ſe deſideria carnis, & eſuriunt, atq; ſitiunt iuſtitiam, vincuntur.

Filij puellarum compunxerunt eos, & ſicut pueros fugientes, occiderunt eos.

Filii puellarum ſunt filii Eccleſiarum Chriſti, qui hoſtes ſuos veluti pauidos & inhabiles ad pugnandum, gladio verbi occidunt, cum ab audacia pugnandi eos deponunt: non ergo illi quibus præceptum eſt, vt inimicos ſuos diligant, & pro perſequentibus ſe orent, armis corporalibus quemlibet interficere geſtiunt, ſed ſpiritualibus, hoc eſt, ſacris virtutibus hoſtes ſuos per diuinum adiutorium ſuperare contendunt: Vnde certum eis ſemper præſtatur auxilium, ſicut in ſequentibus noſtra cantrix dicendo demonſtrat.

Perierunt in prælio à facie Domini mei.

H Dominus enim fortis Dominus, potens in prælio ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, populi videlicet Chriſtiani, qui ſunt membra vnigeniti Dei filii, Domini videlicet noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.

Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum cantemus Deo noſtro.

Bene ergo incitat myſtica Iudith populum nouum ſanguine Saluatoris redemptum, vt cantet Domino hymnum nouum, hoc eſt, noui teſtamenti prædicet ſacramentum, quod ideo dicitur nouum, quia incarnationem Domini corporeis oculis ætas noſtra nulla conſpexit, alias Deo nihil nouum eſt, quando ante conſtitutionem mundi vniuerſa præſciuit. Hymnus autem Græcis ſermo eſt, id eſt, laus carminum lege compoſita, qui hymni

A

erant, quos Idolis ſuis etiam gentilitas perſonabat. Addidit Deo noſtro, vt qualem hymnum diceret, diſtinctè potuiſſemus aduertere.

Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt.

Adonai vnum eſt de decem nominibus Dei apud Hebræos, & interpretatur Dominus, hoc ſignificans, quod dominetur cunctæ creaturæ. Vbi notandum, quod vbicunque ponitur ſecundo, Dominus, vt in præſenti loco, & in Ezechiele, vbi ſecundum ſeptuaginta editionem ad Principem Tyri ſermo loquitur dicens: *morte incircumciſorum morieris in manibus alienorũ, quia ego locutus ſum dicit Adonai Dominus.* Primum nomen tetragrammaton eſt, quod propriè ad Dominum pertinet, & ineffabile dicitur ſecundum commune quod ſæpe in hominibus inuenitur. Et bene Adonai congenitus Dei dicitur, quia Deus & homo. Dominus ergo eſt Dominus, quod dominetur omnibus, vel quod timeatur à cunctis, quem nemo in virtute ſuperare poteſt, ſed poteſt per humilitatem & ſubiectionem placare, & ad miſericordiam flectere, qui pius & miſericors eſt omnibus, qui ad eius pietatem & clementiam confugiunt.

Ezech. 28.

B

Tibi ſeruiat omnis creatura tua quia dixiſti & facta ſunt: miſiſti Spiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt, qui reſiſtat voci tuæ.

Nota quod Sanctam Trinitatem hæc hymniſtria prædicat, hoc eſt, Dominum Patrem, qui dicto ſuo, hoc eſt, per Verbum ſuum omnia fecit, & per Spiritum ſuum cuncta creauit. Huiuſmodi eſt & illud Pſalmiſtæ, qui ait: *Verbo Dei cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Cuius voci id eſt, iuſſioni nullus reſiſtere poteſt, quia in voluntate eius vniuerſa ſunt poſita, cuius velle facere eſt.

Pſal. 32.

Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis.

Per montes ſuperbia demonſtratur perſecutorum, qui à fundamentis mouentur cum aquis, quando ab iniquis conſiliis & ſeditionibus deſiſtunt, non voluntate tamen, ſed neceſſitate; quia id, quod ſuperbi cœperunt, victi potentia Dei ad effectum perducere non poſſunt. De qua re aliam comparationem ſubdidit dicens.

C

Petra ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam.

Hoc eſt, duritia ſuperborum, quæ ſe inſuperabilem fore credebat, in præſentia aduentus tui molleſcens deficiet; nam ſicut cera ex fauis collecta tenera eſt, molliſque ſubſtantia, quæ ſic ignis calore reſoluitur, vt ei corpulentia penitus abſumatur. Ita quoq; iudicio Dei à facie ipſius diſpereunt peccatores, quemadmodum cera proximo igne conſumitur. Et tamen dicit à facie Dei eos eſſe diſſoluendos, quia nunquam ad gratiam ipſius beneficiaq; venturi ſunt. E contrario, quid illis, qui Deum timent, eueniet, audiamus.

Qui timent (inquit) te, magni erunt apud te per omnia.

Sicut & contẽnentes Deum minorantur ac deficiunt; ita timentes illũ, magni erunt apud ipſum per omnia, ſcilicet in collatione virtutum, & in augmento præmiorum. Poſt hæc redit iterum memorata Prophetiſſa ad exponendas pœnas hoſtium ſuorum ac dicit.

Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis.

D

Pſal. 23.

Genus ſuum dicit viros cultores Dei; de quo in Pſalmo ſcriptum eſt: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Iacob.* E contrario eſt illa generatio, hoc eſt, praua & peruerſa, de qua Dominus in Euangelio ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes & ſcribas. Ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terrã, à ſanguine Abel iuſti vſq; ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis intra templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Huic ergo generationi Væ erit perpetuum, quia ſine vllo fine æternum illi manet tormentum, iuſto iudice ſibi rectè retribuente, quæ illa antea malitioſe in proximos ſuos egerat; vnde ſubiungitur.

Matth. 23

In die iudicij viſitabit illos.

Viſitabit vtique illos, non vt ſuperna cum ſanctis mercede coronet, ſed vt cum Diabolo & Angelis eius perpetuis pœnis excruciet in inferno.

E

Dabit enim ignem & vermes in carnem eorum, vt vrantur & ſentiant vſq; in ſempiternum.

Hinc voce conſolatoria Dominus per Eſaiam Prophetam ad iuſtos loquitur dicens: *Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis: ſicut & veſtimentum, ſic comedit eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea: ſalus autem mea in æternum erit, & iuſtitia eius in generationes generationum.*

Eſa. 51.

Non ſolum enim in carnes peccatorum tormenta inferni redundant, ſed etiam in animas, quia vtraque ſubſtantia dignè ibi punietur, quæ hic pœnitentiam peccatorum, & bonorum operum fructum agere neglexit. Sed ideo in carnibus dicit ignem & vermes dari, quia fœtor vermium de corruptione ſolet naſci carnis & ſanguinis. Ideo caro recens ſale conditur, vt exſiccato humore ſanguineo vermeſcere nequeat. Caro igitur & ſanguis vermes creat. Et quia delectatio carnalis, cui condimentum continentiæ reſiſtit, pœnam luxurioſis generat æternam, de quo Saluator in Euangelio ait: *Vbi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur.* In verme putredinem gehennæ, ſicut in igne ardorem deſignat; ſiue vermem dicit ſeram ſcelerum pœnitudinem, quæ nunquam in tormentis conſcientiam afflictorum mordere ceſſabit, vt ignis ſit pœna extrinſecus ſæuiens, vermis dolor interius accuſans.

F

Marc 9.

XXI.

Et factum eſt poſt hæc, omnis populus poſt victoriam venit in Ieruſalem adorare Dominum, & mox vt purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & vota & promiſſiones ſuas.

Et factum eſt, (inquit,) poſt hæc, id eſt, poſt necem Holofernis, poſt hoſtium fugam & interitum, poſt congratulationem ciuium cum Iudith de diuino auxilio ſibi collato; & de liberatione ſua, & laudibus, quas pro hoc Domino ſoluebat; venit omnis populus adorare in Ieruſalem Dominum, & proferre ibidem holocauſta, vota & repromiſſiones; quia ibi erat templum Dei & altare, & ſanctificatio præcipua. Myſticè autem ſignificat, quod vnuſquiſq; Electorum poſt peractum bellum huius mundi, & victoriam certam de hoſtibus, purificatus ab omni labe peccatorum properat in ſupernam ciuitatem Dei, vbi vera eſt viſio pacis: & vbi offerat Conditori ſuo pura vota cordis, placitam confeſſionem oris, & grata holocauſta Deo totius conuerſationis ſuæ. Quando illud, quod in Apocalypſi de ſanctis ſcriptum eſt, completur *Abſterget*, inquit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Tanta illius ciuitatis, & tam celſa de Dei munere claritas apparebit, vt nulla remaneát veſtigia vetuſtatis. Tunc ſiquidem corpora cæleſtis corruptio ſublimabit, & mentes æterni Regis paſcet intuitus. Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit, quæ prima abierunt, cum ſancta ciuitate nouiſſimo iudicio glorificata, dolor, luctus & mortalitas tantum in gehenna remanebunt.

G

Apoc. 7. & 21.

Porro Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit ei populus, & conopæum quod ipſa ſuſtulerat, de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis.

Quod ergo Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis, ſibi data à populo conſecrabat *Domino* ſignificat, quod ſancta Eccleſia illas animas, quas Diabolus ſua malitia deluſas ad vſum miniſterii ſui, ad opera ſcilicet impietatis ſubiectas habuit, ipſa per bonum ſtudium ab illius poteſtate eruens, vaſa acceptabilia aqua & verbo effecit Deo, iuxta illam parabolam Euangelii, qua Dominus ad Iudæos loquitur dicens: *Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.* Cum & Redemptor humani generis Principem huius mundi eiecit foras & alligauit fortem: Tunc accepit Eccleſia ipſius poteſtatem ab eo, vt vaſa hoſtis diripiens conuerteret in vaſa pietatis, nec non & ſtudium, quo nefandi ſeductoris fraudes prædicans detegebat, ipſum etiam pro dono acceptabili offert Regi & creatori ſuo. Vnde ſubiungitur: *Et conopæum quod ipſa ſuſtulerat, in anathema obliuionis.* Conopæum ergo, quod rete muſcarum eſſe dicitur, doli ſunt, quibus imprudentes capiuntur. Sed

H

Mar. 3.

A

hos anathematizat & damnat ſancta Mater Eccleſia, quia illos diſplicere Domino nouit, innocentiam autẽ placere; Iuxta illud Pſalmiſtæ,
Pſal. 23.
Innocens manib. & mundo corde, qui non accepit in vanũ animã ſuã, nec iurauit in dolo proximo ſuo, hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiã à Deo ſalulari ſuo.

Erat autem populus iucundus ſecundum faciem ſanctorum.

Veraciter & tunc populus Dei iucundus erit, cum peruenerit ad contemplationem vultus conditoris ſui, nec non & in hac peregrinatione iam in ſpe futurorum bonorum quodammodo iucundus & lætus eſt. Vnd dicit Apoſtolus:
Rom. 8.
Spe iam ſalui facti ſumus. Et iterum: *Spe*, inquit, *gaudentes, in tribulatione patientes.*
Rom. 12.
Hinc & ipſa veritas in Euangelio ait:
Matth. 10.
Cum vos perſecuti fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter nomen meum; gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Et per tres menſes gaudiũ huius victoriæ celebratũ eſt cũ Iudith.

Quid eſt per tres menſes gaudium huius victoriæ celebrari cum Iudith, niſi quemlibet ſanctorum Fide, Spe & Charitate in incolatu iſtius mundi cum matre Eccleſia congratulari, & pro viribus certare, vt diuina gratia adiutus, integrum & ſine querela ſpiritum ſuum, animam &
B
corpus in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruet. Fides enim, Domino teſtante, hominem ſaluum facit. Et de ſpe Pſalmiſta ait:
Pſal. 30.
Qui ſperat in Domino, non confundetur in æternum. Hinc & Ioannes Apoſtolus de Charitate
Ioan. 1.
dixit: *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Per tres menſes ergo huiuſcemodi gaudium celebrat omnis, qui ad æternam beatitudinem rectè peruenire deſiderat, & pia intentione, recta locutione atque bona operatione vitam perfectam ducendo aduentum Iudicis ſui ſollicitus exſpectat. Cum autem ille venerit, & tempus laboris illius tranſierit, tunc fiet quod ſequitur.

Poſt dies autem illos vnuſquiſq; redit in ſua.

Quia finito iudicio accepta ſententię ſancti Dei de peregrinatione iſtius mundi migrabũt ad poſſidendum regnum Patris æterni, q; paratum eſt illis ab origine mundi.

Et Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſrahel.

Quia tunc apparebit claritas & gloria Sanctę Eccleſiæ, q̃ antea latebat, cum in preſſuris iſtius mundi verſabatur. Tunc enim iuxta Euangelicum teſtimonium:
Matth. 13.
C
Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum; & puritas fidei, per quam Apoſtolus omnes ritè credentes virginem caſtam ſe deſpondiſſe vni viro Chriſto gloriabatur, in vera Bethulia, hoc eſt, in virginitate perpetua clarebit, quando ſponſa nobiliſſima ſuperno ſponſo veraciter coniuncta, ſine macula, & ſine ruga, & ſine corruptione vlla cœleſtem Ieruſalem intrauerit. Præclarior ergo erat Iudith vniuerſæ terræ Iſrahel, quia ſola Eccleſia Catholica eminet in toto orbe terrarum ſupernas diuitias quærens, thalamo cœleſtis Regis digniſſima, & cũ eo perpetuũ regnũ poſſeſſura. De qua ipſe ſponſus in Cantico Canticorũ ait:
Cant. 6.
Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ; vna eſt colũba mea perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ, viderũt eã filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ laudauerunt eam.

Erat etiam virtuti caſtitas adiuncta, ita vt non cognoſceret virũ omnibus diebus vitæ ſuæ ex quo defunctus eſt Manaſſes vir eius.

Caſtitas ergo Eccleſiæ admirabilis eſt, & valde laudabilis, quæ poſtquam pompæ Diaboli & idololatriæ abdicauerat, & iuxta Apoſtoli ſententiam mundus ſibi crucifixus eſt, ipſaq; mundo; nequaquam vltra paſſa eſt ad il-
D
lecebras carnalium voluptatum, atque priſtinas ſordes peccatorum relabi, ſed lauacro ſacræ regenerationis abluta atque renata, quod reliquum eſt temporis, in fide viuit filii Dei, cui per Paulum dicitur: *Eratis autem aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt lucis filij ambulate.*

Erat autem diebus feſtis procedens cum gloria magna.

Feſta Chriſtianæ religionis, quibus recordatur temporis Dominicæ Incarnationis, paſſionis, Reſurrectionis atque aſcenſionis ad cœlos, aduentus Spiritus ſancti, ſanctorum Martyrum & Confeſſorum natalitia atq; triumphos, in quibus omnibus Eccleſia procedit cum magna gloria; quia honeſta conuerſatione & probis morib. atq; laudibus diuina inceſſabiliter commemorat ſacramenta. Quod Propheta nouo populo, h. e. Chriſtiano mandare videtur in Pſalterio, vbi ſcriptum eſt: *Conſtituite diem ſolennem in cõfrequentationibus, vſq; ad cornu altaris*; dum ſoluendũ
E
Pſal. 117.
dicit, qui honore Domini & ſanctorum confeſſione ſacratus in confrequentationibus, i. e. profeſſionib. crebris, quas populi turba condenſat, & reddit celeberrima deuotione feſtiua. Quod vero addit vſq; ad cornu altaris, prohibentur forſitan aliqui, quod multis in vſu eſt, audita Euangelii lectione deſcendere, non enim ad cornu altaris accedunt, qui cõmunicationis gratia non replentur. Hoc de iſto altari viſuali, vt mihi videtur, competenter accipimus, quo corpus & ſanguis Domini ſolemni frequentatione datur. Illud verò altare eſt ante conſpectum Domini, vbi purificatis animis per contemplationem ad ſancta iubemur accedere, vt in hac actuali ſolemnitate illud ſemper debeamus inſpicere.

Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinq; & dimiſit Abraham ſuam liberam.

Domum viri pręſentem mundum poſſumus accipere, in quo ſub ęſtu tribulationum deſudat Eccleſia, quia poſtquam abdicauit errori, cui antea ſub gentili conuerſatione deſeruiebat, ſtatim moleſtiæ perſecutionum ei accreuerunt. Vbi annos centum quinque manebat, quia lege
F
Dei militans pro æterna beatitudine adipiſcenda decertabat. Quinq; ergo libri legis diuinæ ſunt, in quibus vnius Dei cultura commendatur, & omnium idolorum ſeruitus penitus interdicitur. Centum ergo, quia de leua numerum transfert in dexteram, æternam beatitudinem, vt diximus, meritò deſignat. Et dimiſit Abram ſuam liberã, eum carnalium conuerſationem, quæ timori ſemper obnoxia eſt, in libertatem gratiæ & ſecuritatem Charitatis docendo, exhortando, atq; bonis exemplis meliorando perducit: vt iam bona, quæ timore pœnarum pro parte gerebat in ſpem præmiorum, & amore ipſius boni perfecto agere ſtudeat. Quia vt Ioannes ait: *Timor, qui pœnas habet, non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*; 1 Ioan. 4.
Vnde timidi, ſeruorum, & dilectione pleni liberorum aſsimilantur conditioni.

Et defuncta eſt ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia.

Defunctam ac ſepultam dicit Eccleſiam ex parte membrorum eius, quæ ab initio peccati protoplaſti parentis noſtri vſq; ad finem mundi mortis corporeæ non poterant iura effugere, de quo per Prophetam dicitur:
G
Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem? morietur etiam ſecundum Eccleſiaſtis ſententiam, ſapiens & inſipiens, & ad vnum finem properant omnia; terra etiam ſepultura communis eſt bonorum & malorum. Siue altiore ſenſu defuncta ac ſepulta Iudith cum viro ſuo: quando Eccleſia in baptiſmate commoritur Chriſto, vt reſurgat cum ipſo. vnde dicit Apoſtolus: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; vt quomodo reſurrexit Chriſtus à morte per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rom. 6.

Luxitq; illam omnis populus diebus ſeptem.

Quid eſt, q; omnis populus pro morte Iudith lugeat dieb. ſeptem, niſi q; electi Dei per omne tempus præſentis vitę, q; per ſeptenarium dierum numerum currit, propter peregrinationem præſentis Eccleſiæ in dolore & gemitu ſe affligunt, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Sed luctus iſte non ex deſperatione, ſed magis tædio præſentium, & ex affectu futurorum, quem aſsiduè habent ſancti, naſcitur. Ex quorũ perſona Propheta in Pſalmis loquitur dicens: *Super flumina Babylonis illuc ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Pſal. 36.
H
Et item, *Sitiuit*, inquit, *anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pſal. 41.
Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Ergo vt diximus, planctus Eccleſiaſtici ſolennes ſunt non lugubres. Vnde in Euangelio legitur, quod *Rachel ploraret filios ſuos, & nollet conſolari, quia non ſunt.* Matth. 2.
Curauerunt viri timorati Stephanum, & confecerunt ſuper eum planctũ magnũ. Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur. E contrario autem, væ illis, qui nunc rident, quoniam flebunt. Flent ergo modo ſancti Dei *euntes & mittentes ſemina ſua, venientes autem venient in exultatione portantes manipulos ſuos.* Pſal. 125.

In omni autem ſpatio vitæ eius non fuit, qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis.

Quomo-

Digitized by Google

Quomodo autem dicitur, quod in ſpatio vitæ Iudith nullus perturbaret Iſrahel, cum tota humani generis vita tentatio ſit ſuper terram: Sed forſitan de clade hoſtium forinſecus dicit, quod poſt acceptam per Iudith victoriam minus moleſti fuerint ad tempus genti Iudæorum. Myſterium autem manifeſtum eſt, quod nullus electos Dei in præſenti Eccleſia nocere fnnditus poſſit; id eſt, vſque ad animæ interitum pertingere. Vnde ipſa veritas in Euangelio ait: *Omne, quod dedit mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiciam foras.* Et item: *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui me miſit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte in vitam.*
Rom. 8. Hinc & Apoſtolus ait: *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Cunctis ergo diebus, quibus Eccleſia in incolatu iſtius mundi peregrinatur, electi filii eius ſub vmbra alarum Dei vſque ad finem proteguntur illæſi. Et ſi in hoc tempore doloribus & anguſtiis pleniſſimo ſine damno ſalutis ſuæ conſeruantur: quanto magis poſt finem iſtius vitæ ſine omni anguſtia, gemitu & periculo cuſtodiuntur, vbi dolor vel gemitus amplius iam non erit vllus. Et hoc eſt quod dicitur poſt mortem eius annis multis; quia poſt obitum præſentis vitæ in ſæculum ſæculi anni eius ſunt, quibus cum Chriſto fœliciter viuit, & regnat in æternum.

Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis, ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore, vſq; in præſentem diem.

Meritò igitur feſtiuitas huius victoriæ ab Hebræis, hoc eſt, tranſitoribus, in numero dierum ſanctorum accipitur & colitur à Iudæis, hoc eſt, confeſſoribus, ex illo tempore vſque in præſentem diem; quia omnes, qui in via huius vitæ poſiti tranſire cupiunt ad regnum cœleſte, & confitentur Domino miſericordiam eius, & mirabilia eius ſuper filios hominum, nullo modo obliuiſci poterunt ſolennitatis iſtius, ſed in numero ſanctorum dierum accipiunt illam, quando hanc ſolam in gaudio vniuerſarum ſolennitatum ſuarum celebrant: Ex eo ſcilicet tempore, quo primum per baptiſmum de inimici euaſerunt poteſtate; vſque in præſentem diem, id eſt, donec præſens ſæculum finiatur. Cum autem futura venerit vita, tunc iam feſtiuitas ſtabilis erit atque perfecta, quando videbitur Deus Deorum in Sion, & ſancti eius regnabunt cum eo in ſæcula ſæculorum.

Finis Commentariorum Hrabani Mauri in Vol. Iudith.

JACOBI PAMELII COMMENTARIVS IN LIBRVM IVDITH.

PRÆFATIO.

CAlamitoſo hoc ſæculo noſtro quo quiſq; pro libito quiduis aut reprobat aut approbat, pertinaciores quidam & multa alia quæ pro ſacra Scriptura Eccleſia retinet, & hunc librum à Canone ſacræ Scripturæ remouent, argumento moti quod inter Canonicas eum Scripturas Hebræi non recipiant, confirmantes id D. Hieronymi in lib. Reg. Præfatione, vbi libris ab Hebræis receptis in Canonem prius enumeratis concludit. Quidquid ergo extra Iob eſt, inter apocrypha ponendum eſt. & igitur Sapientia quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Ieſu filii Syrach, liber Iudith, Tobias, non ſunt in Canone. Verum vt paucis ad hæc reſponſum demus, non ſtatim eſt conſequens, ſi apud Hebræos in authoritate non ſint, non eſſe recipiendos apud Chriſtianam Eccleſiam, quæ diuinitus edocta, totum nouum teſtamentum (quod Iudæi reiiciunt) cum quibuſdam libris ante Euangelia editis in Canonica authoritate tenet & prædicat.

Sunt quidem eloquia Dei ab Hebræis tranſlata & deuoluta ad Chriſti Eccleſiam, & manent veteris inſtrumenti Scripturæ, Iudæis & Chriſtianis communes & in diem vſq; hodiernum, Iudæi verò iam Chriſtum, finem omnium Prophetarum abnegantes, veram earundem Scripturarum intelligentiam perdiderunt, & volumina quæ palam Chriſtum ſonant multa in ſuarum Scripturarum Canonem non recipiunt, recepta poſtmodum ab Eccleſia Chriſtiana; de quibus quod ſint veriſſima & diuino Spiritu edita, iam olim Eccleſiis innotuit, inter quæ merito & hic liber, quem præ manibus habemus connumerandus eſt. Hieronymus vero in dicto prologo il: Digẽter attendenti manifeſtius eſt, q̃ vt probatione egeat, Canonẽ enumerare ſecundum Hebræorum ſententiã, tribuens ordines & nomina librorũ ſecundũ eorum conſuetudinem, ſummã eius infra citandi melior erit oportunitas. Iam q, à principio ſiue Eccleſiæ primitiuæ & inter Canonicas ſit habita hæc Scriptura, & tanq̃ talis citata à Patribus declarandum eſt. Inprimis itaq; qui circa annum 196. claruit Origenes, etſi in Scripturarum Canone, quẽ enumerat in comm. Pſal. 1. citante Euſebio lib. 6. Eccleſiaſt. Hiſtor. c. 8. non meminerit huius Scripturæ, vtpote, Canonem non Eccleſiæ ſed Hebræorum referens (vt ex addita particula: Sic Hebræi tradunt, manifeſtum eſt) idem tamen, vti reliquis Scripturis ab iis à Canone reſecatis, ſic & hanc citat hiſtoriam huiuſmodi ſacram Homil. vlt. ſuper libros Iudicum: plura fortaſſe loca diligens in eo lector inueniet. Chryſoſt. et ex variis & magn. locis Hom. 10. ieiunii commendationẽ ex hac vel maxime ſumit hiſtoria: Similiter Ambroſius cum officio lib. 3. c. 3. Epiſtol. lib. 10. 83 Epiſt. de virginibus lib. 2. & de inſt. Virgin. 2. c. tum latiſſimè in lib. de viduis, hiſtoriam hanc tanq̃ canonicã proſequitur, etiam expoſitione eam dignatus ꝓ non exigua ſui parte. Aug. autem etſi lib. 18. de ciu. Dei 26. cap. dicat librum Iudicum à Iudæis in canonem non recipi, idẽ tamen ſerm. 229 & 230. latiſſime hanc hiſtoriam ad populum proſequitur, & idem ſenſiſſe ſe, quod de Machabæorum libris eiuſdem lib. c. 36. (quod etſi Iudęorum non recipiat Eccleſia, Chriſtianorum tamen in canonem eos recipiat) apertiſſime ſubiudicat lib. 2. de doctr. Chriſtia. Dũ canonem Scripturarum recitans eiuſdẽ facit ordinis hanc & alias Scripturas, de quib. nobis eſt controuerſia cum libris Iob. Heſter & Eſdræ. Alius eſt ordo, inquiens, in quo ſunt hiſtoriæ tanq̃ ex diuerſo ordine, quæ neq; ſuperioribus libris, neq; inter ſe conuertuntur, ſicut eſt Iob, Tobias, Heſter, Iudicũ, Machabæorum duo, & Eſdræ duo. Auguſtini habes ſentẽtiã, iam q̃ Hieronymi fuerit paucis diſcutiamus. In primis itaq; Nicænam dicit Synodũ librũ hunc inter ſacras Scripturas computaſſe in prologo ſuper hunc librũ. Deinde q, & ipſe eum talem habuerit, manifeſtũ eſt ex variis locis, vbi hanc hiſtoriã vti alias ſacras in cõfirmationẽ dictorum ſuorum adfert. Quanquam n. quibuſdam reſtrictionem addat locis, vt in Epiſtola ad Furiã, ſi cui tamen placeat hunc librũ recipere, & ſuper Aggæi c. 1. Si quis tamen vult librum accipere mulieris, (quem locũ nota, an ne forte velit à muliere, ipſa nempe Iudith eſſe conſcriptũ) aliis tamen locis & potiſſimũ in Epiſtola ad Siluinam de viduitate nulla reſtrictione vtitur, ſed pari citat modo hanc hiſtoriã quo Heſter & locum Euangelii de Anna Filia Phanuelis. Sed obiices fortaſſe, quod in dicto prologo promittit Hieronymus, & ſimiliter Symbolũ illud, q, Cypriano à quibuſdam, ab aliis Rufino inſcribitur, authoritatẽ huius ad roboranda illa q̃ in contentionem veniunt minus idoneã iudicari verũ nihil id obſtat, quia & ibi ex ſententia non ſua ſe loqui ſignificat, cũ præmittit apud Hebræos, & vtitur, verbo, iudicatur. Pōt & illud reſponderi, ne forte vrgeatur, q, dictũ Symbolũ dicit. Hæc omnia Patres in Eccleſia legi voluerunt, non tamẽ ad authoritatẽ ex his fidei corroborãdã. Quod eiuſmodi libri tametſi non ſint idonei ad confirmandam fidem contra Iudæos, qui illos extra canonẽ locant; in Chriſtianarũ tamen Eccleſiis habeantur tanq̃ libri diuino Spiritu editi. Quod & ex conciliis confirmari poteſt tum ex Niceno illo à Hieronymo citato, quod tanq̃ quatuor Euangelia venerari ſe tradit Gregorius, tum ex concilio Carthaginenſi, 3. cui ipſe Auguſtinus interfuit, vbi canon. 4. definientes, qui libri in Eccleſia legi & cantari debeant Auguſtinus etiam hunc inter alios recenſet Patres, eodem fere ordine quo ſupra citato loco, Ita ſuppleuerunt, quod in concilio Laodiceno Can. vltim. omiſſum erat. Eundem ſeruat ordinem & Innocentius I. in Epiſtola decretali ad Exuperium c. 7. & Galaſius in concilio Rom. in exordio, & poſtea ſequuta conciliũ Conſtantienſe & Tridentinũ. Vnũ itaq; iam pateat, ex hoc libro, vt & ex reliquis Scripturæ libris egregios tractatores etiam ꝓximos Apoſtolicis ſucceſſoribus accepiſſe teſtimonia, tanq̃ diuina, conſequens eſt præter tres illos ordines, quos ex ſententia *Hebræorum* recenſet Hiero. Prolog. ſuper lib. Reg. ẽt quartum apud nos eſſe ordinem librorum veteris teſtamenti, quos etſi *Hebræi* inter apocrypha numerẽt, Chriſtiana tñ Eccleſia inter diuinos libros honorat & prędicat.

Porro iam tractandum occurrit, quo tempore, quove ſub Rege contigerit, & quo authore conſcripta ſit hæc hiſtoria *Hic* vero tanta eſt Scriptorum varietas, vt vix duos cõperias, q ſibi conſtent, nos aliquot ſententiis recitatis, q̃ maxime ꝓbabilis videatur, quãto poterimus breuiſſime Deo fauente demonſtrabimus. Primo itaq; ſe duæ offerunt, ꝓrſus vt videtur reiiciendæ. Alterã perperã ex Aug. colligit, q indicem in omnia eius opera contexuit, q, nempe ſub Cyro contigerit, q, quã vero ſit abſimile, vtpote q, is Iudæis ad extremum vſq; vitæ Spiritum, q̃ maxime fauerit, cuius notius eſt, quam vt probatione egeat. Altera eſt ea, quam ſequitur Euſebius in chronicis, & eius ſequaces Aug. lib. 18. de ciu. Dei c. 26. (nam ea potius inde pōt colligi q̃ iam dicta) & Beda de temporibus, quam etiam Zieglerus recentiorũ quidam falſo Philoni attribuit: hallucinatur ex eo, vt opinor, q, Regem ſub quo contigiſſe contendit Aſſuerum, priſcum Artaxerxem Cyro ſucceſſiſſe dicit, quem ipſe Cambyſem exiſtimat, cum reuera vt poſtea latius oſtendetur, Dariũ *Hiſtaſpem* intelligat. Ea eſt q, ſub dicto Cambyſe cõtigerit, verũ obſtat, inprimis imperii eius tempus breuius q̃ 12. ann. cũ omniũ *Hiſtoricorũ* ſuffragio non octo plenis annis regnaſſe conſtet, nec ſatisfacit id quod dicunt quidam ab iis enumerari tantũ tempus, quo poſt patris obitum imperauerit, prius vero 6. annis regnaſſe, Cyro in bellum Schyticum profecto; nam id quidem veriſſimum eſſe ex Metaſthene conſtat, verum tradunt ſæculares *Hiſtoriæ*, ſi Sabellico & Carioni fides adhibenda ſit, breuiſſimo eum tempore patri ſuperuixiſſe, vtpote non duorum annorum ſpatio, cum etiam Græci tantum 7. ann. menſes 5. imperio eius attribuant. obſtat & illud quam maxime, quod cap. 4. huius Hiſtoriæ He-

liachim & Ioachim ſummi Pontificis (Synonima enim ſunt Syris & Ægyptiis ſecundum Philonem hæc nomina) fiat mentio , quem certum Pontificatum obtinuiſſe longo poſt Cambyſem, tempore, quum Ieſus filius Ioſedech, ſub quo filii Iſrahel ex captiuitate reducti ſunt 36. annis primum & poſtea 20. Pontificatum geſſerit, cui demum ſucceſsit in Pontificatu Ioachim hic eius filius: ſunt & alia plura obſtantia quæ breuitatis cauſa omittimus.

Sunt & aliæ duæ quas non prorſus auſim reprobare, cum quibuſdam fundamentis nitantur ſatis ſolidis, approbare tamen omni ex parte nequaquam poſſum. Prior eſt Ziegleri ſupradicti & recentiorum quorundam qui contigiſſe putant, non poſt, vt plerique, ſed ante captam Hieroſolymam , ſub Ioſia nempe rege nondum adulto vtpote , quod legamus 4. Reg. 22. regnare eum cœpiſſe anno ætatis octauo. Quare durante eius pueritia curam prouinciæ confirmandæ commiſſam ſummo ſacerdoti. Primũ Helchiæ, Eliachim deinde eius filio cuius fit mentio 4. Reg. 18. & Eſaiæ 22. ſi non ſummo Pontifici , ſed tantum 2. ordinis ſacerdoti ; ob ſingularem tamen authoritatem electo à collegio ſacerdotum ob compertam pietatem quam cuſtodiſſent ipſe & pater inuiolatam ſub regibus , impiis Manaſſe & Amon; Regem autem hunc qui regnauit in Niniue , Nabuchodonoſorem intelligũt, priſcum dictum primum eius nominis, tertium tamen Chaldæorum regem, ſed 8. Babyloniorum, Patrem magni Nabuchodonoſoris, qui vaſtauit Hieroſolymam, de quo habetur 4. Reg. 24. quod Ieconiam cum vxore & liberis ſponte deditum in Aſſyriam traduxerit, & Sedechiam Regem conſtituerit. Arphaxat aũt contra quẽ bellum geſſerit fuiſſe putant, aut Phraartem Medorum Regem, quem apud Medos regnaſſe dicunt 12. ann. Nachuchodonoſor, aut Deiocum Patrem eius, qui vt author eſt Herodotus , longe maiori adhuc quam hic deſcribitur magnificentia, Ecbatanam condidit; quanq̃ priori magis opinioni de Phraarte faueant , eo quod Deiocus, ille circa annũ Nabuchodonoſoris 12. ſit mortuus. Et plauſibilior cæteris videretur hæc ſentẽtia , niſi eſſent quædam in ipſo progreſſu libri quæ obſtant vel maxime, nam cum teſte Euſebio in chronicis Aſſyriis ſibi repugnantibus Rex Medorum Ciaxares qui Phraoti ſucceſsit, Pater Aſtyagis Niniuen ſiue, vt ipſe vocat, Ninum ciuitatem funditus deleuerit , idque Ioſiæ tempore contigiſſe teſtetur Hieronymus ex Herodoto in Prologo ſupercomment. Ionæ Prophetæ, quidni coniectare liceat, Phraote Medorum Rege à Nabuchodonoſore ſuperato, filium eius Ciaxarem ſiue vt vocat eum Metaſthenes Aſtybarum vna cum filio ſuo Axanda , quem nos Aſtyagem vocamus imperantem (quod nota eo quod Hierony. ab Aſtyage ſubuerſam dicat) vltionem ſumpſiſſe de Nabuchodonoſore, belloque illi illato , vt ille Regiam Medorum Ecbatana ſic ipſe Aſſyriorum Regiam ad id vſque temporis Niniuen , expugnauerit; plauſibilis cuiq; videtur hæc ſententia; verum, obſtat inprimis quod Ioachim ſiue Eliachim (nam varietatem illam nominum non vrgeo) cuius hic fit mentio, ſummus Pontifex appelletur cap. 15. qualem non fuiſſe illum Heliachim ex Ioſepho manifeſtum eſt, qui 8. lib. antiq. cap. 10. ſeriem Pontificum enumerans Heleiæ non Heliachim, ſed Sareiam filium eius ſubſtituit, niſi forte eo quod contrariæ ſententiæ fauere videatur tum cap. 22. Eſaiæ tum Hieron. in Comment. & illius & 36. cap. Sareiam eundem eſſe exiſtimemus variis appellatum nominibus ; Deinde obſtat & illud quod cap. vlt. vixiſſe tradatur Iudith in domo viri ſui Annos 115. in omni autem ſpatio vitæ eius non fuiſſe qui perturbaret Iſrahel & poſt mortem eius multis annis. Iam vero ex ſacra conſtat hiſtoria annis non pluribus quam 42. aut circiter poſt Regem Ioſiæ vaſtatam Hieroſolymam. Poſtremo quid ad præcedentia , fortaſſe quis euaſionem excogitare poſsit, quid ad hoc reſpondeant omnino non video quod dicit Achior ad Holofernem cap. 5. Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione , qua diſperſi fuerant, adunati ſunt , quod præmiſiſſet ; Et plurimi eorum captiui ducti ſunt in terram non ſuam , ex quo plane conuinci videtur, poſt reditum ex captiuitate hæc contigiſſe. Quod , vt opinor aduertens Seuerus Sulpitius Hiſtoriæ ſuæ ſacræ lib. 2. ad alteram ſententiam propendet , & proinde traditum dicens poſt captiuitatem contigiſſe, reiecta Euſebii de Cambyſe ſententia ob non correſpondentes Annos eius imperii, modeſte præfatus, ſi in hiſtoria opinari liceat , ſub Ocho Rege , qui poſt Artaxerxem ſecundus fuit, ſub quo Heſter claruit, hæc geſta putat: idque vel ex hoc, quod idem Ochus natura immitis humanique ſanguinis & bellorum ſitientiſsimus fuerit, ſi gentilibus hiſtoriis fides ſit adhibenda: nam præterquã quod magnam exercuit tyrannidem , proprios etiam fratres interemit; Ægyptum etiã quæ ante multos annos deſciuerat ad Perſarum monarchiam, iterum adierit; quo tempore etiam ſacra eorum , & Apim in Deum receptum (quale quid & de Cambyſe traditum, mouiſſe videtur Euſebius & alii) irriſiſſe traditur , quod poſtea Bagues ſpado eius natione Ægyptius indignatus morte Regis vltus eſt. Meminit autem Baguæ cuiuſdam hæc Hiſtoria, cum ab eo ad cubile Holofernis deducta legitur Iudith 12. & iterum cap. 13. & 14. Vnde non immerito in argumentum ſuæ opinionis adductum ſe dicit, vt Regem Nabuchodonoſorem Ochum fuiſſe exiſtimaret annis etiam correſpondentibus , vtpote qui pluſquam annis 23. imperauit. Quam ſententiam etiam id confirmare videtur, quod Oroſio teſte libr. 3. ſuæ hiſtor. cap. 7. multos Iudæorum in tranſmigrationem egerit , atque in Hircania ad Caſpium mare habitare præceperit , quos etiam ſuo tempore ibi fuiſſe tradit opinione conſtanti , quandoque inde erupturos eſſe. Quid autem huic ſententiæ obſtet aliud non video niſi quod præterquam quod contra communem omnium ſententiam hiſtoriam hanc, hiſtoriam Heſter putent poſteri , etiam quis fuerit ſummus ille Pontifex, Ioachim, ſiue Eliachim (nam ſeptuaginta etiam priori loco legunt Ioachim) non videam: cum ex Philone conſtet Ioachim Pontificem Ieſu filium non vixiſſe niſi ad annum vſque 12. magni Artaxerxis, ſub Ocho vero duobus mediis Pontificibus obtinuiſſe Pontificatum 23. annis Ioachim, ad finem vſque vitæ ipſius Ochi, niſi forte eidem nomen vtrumque adaptari dicamus ſine nominis tantum variato , verum etiamſi id quod minus tamẽ probabile eſt , ſequeremur , quem Arphaxat hunc faciamus non video , ſed ſtudioſis id hiſtoriarum indagandum penitius relinquens, ad eam, quæ omnibus tutiſsima videtur Philonis (ſi tamen liber ſuum authorem non mentiatur) properandum puto.

Philo itaque in breuiario de temporibus , contigiſſe tradit, ſub Aſſuero Priſco Artaxerxe, qui Cyro ſucceſsit, quem non Cambyſem eſſe vt Zieglerus exiſtimauit , ſed Darium Hiſtaſpem. vel ex eo eſt manifeſtum, quod ſucceſſiſſe illi dicit filium eius Darium Artaxerxem Longimannum. iam illum Darii huius nõ Cambyſis filium fuiſſe cuiuis notum eſt. quod vero Metaſthenem ſequutus in enumerandis his regibus nec Cambyſis meminerit , nec Xerxis , hinc factum videtur , tum quod ille vt ſupra dictum eſt , minimo temporis interuallo poſt patris regnarit obitum , tum quod iſte ſtatim à principio regni in Græciam ſe conferens regnum Orientis Artaxerxi adminiſtrandum reliquit , & quia non præſens manſit Xerxes in Oriente, hinc apud Hebræos ignotus fuiſſe videtur: ſicque optime concordari poterit Catalogus horum Regum, qui apud Græcos eſt Hiſtoricos , cum eo qui apud Metaſthenem . Addit Philo , qui cum bellum hic pararet contra Arphaxat (ſic eum enim appellat factionis Tamaritinæ fautorem , qui Aſſyrios ad defectionem compulerat, Medoſque & Perſas , miſſum ad eum Ieſum Pontificem interceſſum pro Hebræis, eo quod contra eos, duces Syriæ ad Regem ſcripſerant , relicto in Pontificatu ann. 12. Aſſueri, filio ſuo Ioachim, qui & Eliachim , quem tamen non auditum ab eo, quod bello eſſet occupatus. Ioachim itaq; Pontificatum adminiſtrante, hiſtoriam hanc contigiſſe dicit, vnde & anno ſequenti audita Holophernis cæde, vetuiſſe edicto publico vt in lib. Eſdræ habemus, templum erigi. Et hæc eſt eius ſententia. Iam ad argumenta quibus mouentur alii vt ante captiuitatem contigiſſe putent hanc hiſtoriam, paucis reſpondendum eſt. Et

primum ad ea, quæ ex ipſa hiſtoria fundamentum habere videntur. Quorum primum eſt, quod cap. 4. de timore filiorum Iſrael iam conſternatorum dicitur, tremor & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Hieruſalem & templo Domini, quod cæteris ciuitatibus & templis fecerat, conſtat enim tempore huius Darii Hiſtaſpis, tantum iacta fundamenta templi, vnde metus eſſe non debuerit, aiunt, ne templum prophanaretur, quod necdum eſſet, multo vero minus, ne ciuitas, nam & illa necdum cœpta erat ædificari. Verum ad illud facile erit reſpondere, ſi diligentius attendamus, quid in Græco textu, quem ſeptuaginta interpretibus pleriq; attribuunt, quaſi explicationis gratia id ſit additum. Quia recenter aſcenderant de captiuitate & nuper omnis populus ex Iudæa congregatus, & vaſa, & altare, & domus à prophanatione ſanctificata erant, ex quo liquido intelligitur quod per templum altare iam erectum accipiatur, in quo iam holocauſta offerebant diuina & nocturna, atteſtante id 1. Eſdræ 3. collocauerunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas, & obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino mane & veſpere, &c. & per Hieruſalem iacta iam fundamenta, cum iis, in quibus degebant habitaculis, vnde in Græco quaſi explicationis cauſa & domus eorum legitur, vt iam dictum eſt. Minoris porro momenti eſt quod ſecundo adferunt loco ex ſexto capite deſumptum quod, quum paulo ante è captiuitate reuerſi eſſent filii Iſrael, ita vt recens adhuc eſſet eorum memoria, non potuerit ignorare ea omnia Holophernes, quæ tamen ſerio exquirit à principibus Moabitis, & Ammonitis; Poſſunt enim ea verba accipi tanquam ex admiratione & furore nimio dicta, quaſi diceret. Quis, qualiſue eſt hic populus qui auſit reſiſtere, aut quibus quæſo animantur auxiliis? qui ſenſus certe non alienus eſt; Deinde poſſit fortaſſe & aliud effugium reperiri, dicendo Ducem Holophernem, non Aſſyrium, aut Perſam, ſed ex vlterioribus mundi regionibus oriundum fuiſſe, qui ob egregia facinora ad tantam euectus ſit dignitatem, & proinde hæc illi fuiſſe incognita. Poſtremo ſi clauum clauo, vt in prouerbio eſt, pellere licet, ad id ab eis velim reſponderi, primũ quod mox in ſequentibus ab Achior dictum ſupra citauimus; Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione, &c. quibus correſpondet & lectio ſeptuaginta, qui præterea præmittunt his verbis, & ciuitates eorum deuaſtatę, & templum deſolatum. Iam vero quod de Niniue deleta, & Medorum monarchia, iam à Perſis occupata, adferunt, eiuſdem eſt firmitatis. Cum enim, ſi Hierony. loco ſupra citato, credendum eſt, deleta ſit Niniue ſub Ioſia inter quem & hunc Darium, centum anni elapſi ſunt, quid inopinari liceat, tam Niniuen reædificatam, In qua deficientibus, à ſe & ex Philone mox dixi, Aſſyriis, Medis, & Perſis regnauerit, quam Ecbatanam, nam ex interpretatione ſeptuaginta ſæpius citata, clarum eſt non tantum ab hoc Nabuchodonoſore, nam commune id nomen regibus Aſſyriis fuit, vt Perſis, Darii, & Artaxerxis; ſuperatum ipſum Arphaxat, ſed & ipſam ciuitatem Ecbatanam expugnatam, quum cap. 1. ſic legant inter multa alia, quæ habent amplius, quam noſtra communis verſio; Et peruenit vſque Ecbatana, & obtinuit turres, & deſtruxit plateas eius, & ornatum eius dedit in opprobrium. Quam tamen ſub ſucceſſore huius Dario Longimano (nam ſub eo templum conſummatum ſentit Philo) iterum reædificatam fuiſſe conſtat ex 1. libr. Eſdræ c. 6. vbi inuentum dicitur in Ecbatanis id volumen, in quo decretum Cyri deſcriptum fuit, de Iſraelitis è captiuitate emittendis, vnum id & Ioſephus teſtatur lib. 18. apud Ecbatana Danielem turrim magnificentiſſimam inſtruxiſſe, in qua vſque ad ſua tempora Perſarum Reges condi ſoleant. Quod adferunt autem neq; Niniuen, neq; Medos circa hæc tempora Reges habuiſſe, nullius momenti eſt, neque enim ſi penitius textum introſpiciamus, Nabuchodonoſor Rex Niniue dicitur, ſed in ea regnaſſe forte ſola reſidua vtpote etiam Babylone expulſus, ſi Herodoto, Iuſtino & aliis hiſtoricis credendum eſt, quam tamen poſtea Zopyri cuiuſdam recuperauit opera; Similiter pro eo, quod noſter legit textus Arphaxat Medorum Rex, 70. ſenſum melius exprimunt, dum ſic vertunt, Arphaxat, qui regnauit Medis in Ecbatanis, tanquam dicerent, regnum occupauit, ſicut autem ſuam confirmat ſententiam Seuerus Sulpitius, eo quod Baquæ cuiuſdam in hoc libro fiat mentio, pari ſane modo, & hæc confirmari poteſt, quum præfecti cuiuſdam huius Darii eodem nuncupati nomine aperte mentionem faciat Sabellicus, per quem necem Oliganis cuiuſdam ſuæ vitæ inſidiantis procurauerit; Et de his hactenus, nunc quis author huius ſit libri paucis ſubiiciamus.

Sicut autem in præcedentibus, ſic & hic Philonis videtur amplectenda opinio, qui Ioachim ſummum Pontificem, cuius in hoc libro fit mentio, & huius & libri Heſther authorem facit, vtpote qui pontificatum ſummum adminiſtrarit, primum in legationem miſſo patre, quo tempore hæc contigit hiſtoria annis 8. quo tempore & hanc hiſtoriam conſcripſerit, & anniuerſariam liberationis memoriam quotannis agendam inſtituerit, poſtea vero patre interim intermedio poſt reditum, iam ſecundo annis 48. à 20. Longimani anno ad 12. vſque magni Artaxerxis, Aſſueri, ſub quo Heſther claruit. Videretur interim fortaſſe cuipiam ex comm. Hieron. ſuper cap. 1. Aggæi, ab ipſa Iudith conſcriptum, quum dicat: ſi quis tamen librum vult recipere mulieris: verum eiuſmodi coniecturis ſæpe fallimur.

A E

IACOBI PAMELII IN LIBRVM IVDITH COMMENTARIVS.

CAPVT I.

Nabuchodonoſor victo Arphaxat, qui regnum Medorum adeoque ſuum omne vi occuparat, cunctis regnis nititur imperare.

B

Quis Arphaxat. Philonis ſententia in Darij temp.

Arphaxat itaque Rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo. Secundum ea quæ in Præfatione latius diximus, Arphaxat iſte, ſiue Artaxat, (vt eum vocat Philo) factionis fuit Thamariticæ fautor, eius nempe qua per Thamarim Reginam Scytharum, Cyrus deuictus & expugnatus eſt, qua elati victoria Schytæ, etiam imperij eius inuaſores extiterunt, fuitque inter primos eorum iam dictus Artaxat, qui teſte Philone Aſſyrios, Medos & Perſas ad defectionem compulit, quin quod hac factione, etiam Babylone exutus ſit Darius Hiſtaſpis, qui hic dicitur Nabuchodonoſor, teſtibus Herodoto & Iuſtino Hiſtoriographis. Atque, id eſt, quod hic dicitur Arphaxat Rex Medorum, ſiue (vt clarius habet textus Græcus) qui regnauit Medis in Ecbatanis, ſubiugauerat imperio ſuo, & ad defectionem compulerat gentes multas, Rex enim Medorum non alia ratione dicitur quam quod regnum occuparat. *Et ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quam appellauit Ecbatanis.* Ecbatanis ſiue Ecbatana vt 1. Eſdræ 6. Metropolis eſt maioris Mediæ, vbi reges eo quod frigida ſit, æſtuare ſolent condita iuxta Herodotum lib. 1. à Deioco Medorum Regi cui Phraotes ſucceſſit auus Aſtyagis, quem Cyrus regno expulit, vel ſi Volaterrano lib. 12 credendum, a Seleuco, atque hinc non recte vertit noſter interpres ædificauit, ſed potius vertendum erat, amplificauit aut ſimile quidpiam, conſeutit enim etiam textus Græcus, vt infra citabimus. *Ex lapidibus quadratis & ſectis fecit muros eius, in altitudine cubitorum ſeptuaginta, & in latitudine cubitorũ triginta. Turres vero eius poſuit in altitudine cubitorum centum, per quadrum vero earum, latus vtrumque vicenorum pedum ſpatio tendebatur poſuitque portas eius in altitudine turrium.* Latius deſcribit magnificentiam ædificij dictæ ciuitatis, tam quoad pulchritudinem, quam quoad fortitudinem, idque clare ſatis, nihil itaq; hic immorandum eſt, id tantum notandum, quod nonnihil diſcrepet textus Græcus, qui ſic habet; *Et ædificauit in Ecbatanis,* (nota quod prius monuimus, quod indicet non recens ab Arphaxat ædificatam hanc ciuitatem, ſed tantum munitam & ampliatam:) circumcirca muros ex lapidibus ſectis in latitudinem cubitorum trium in longitudinem cubitorum ſex, & fecit altitudinem muri cubitorum ſeptuaginta, & latitudinem ipſius cubitorum quinquaginta, & turres eius ſtatuit ſuper portis eius cubitorum centum, & fecit portas eius, portas ſublatas ad altitudinem cubitorum ſeptuaginta, & latitudo ipſarum cubiti quadraginta. *Et gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum.* Nec hic aliud eſt quippiam, quam modus ille veteribus vſurpatus, è turribus & quadrigis pugnandi, vt videre eſt in lib. Ioſue, Iudicum & Regum. *Anno igitur duodecimo regni ſui Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum.* Nabuchodonoſor commune nomen eſt Regum omnium Aſſyriorum, ſecundum Philonem, quemadmodum Ægyptiorum, Pharao, & Imperatorum Romanorum Cæſar & Auguſtus. quis autem hic intelligendus ſit, latius in Præfatione diſputauimus, & eam tanquam veriſimillimam amplexi ſumus ſententiam, quæ eſt apud Philonem in breuiario de temporibus vt nempe intelligatur Darius Hiſtaſpis, quem ipſe Aſſuerum, Priſcum Artaxerxem vocat, qui Cambyſi & Xerxi ſucceſſit. *Qui regnauit in Niniue ciuitate magna.* Niniue ciuitas fuit Aſſyriorum, quam ædificauit Aſſur, vt eſt Geneſ. 10 quæ ab alijs Ninus, ab Euſebio, Niſibis appellatur. Magna autem appellatur, fere vbicunque eius fit mentio, vnde illud Ionæ 1 Vade in Niniuen ciuitatem magnam. Magnitudo porro eius ibidem deſcribitur. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum* regnaſſe autem videtur dictus Nabuchodonoſor in Niniue, eo quod tum toto fere imperio, tum etiam Babylone regia ſua exutus fuerit à dicta factione Thamaritica, vt ſupra ex Iuſtino & Herodoto adduximus. *Pugnauit contra Arphaxat, & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau.* Multum hic a textu noſtro variat textus Græcus, vtpote qui hic tantum præparationem ponat ad bellum, poſtea vero in fine capitis victoriam talem proſequatur, atq; hic inprimis ſic legitur, fecit, ac ſi dicat præparauit bellum contra Arphaxat in campo magno, hic eſt campus in terminis Ragau, eſt itaque ſecundum noſtrum textum locus conflictus, ſecundum Græcum vero locus in quo ſuas collegit copias. *Circa Euphratem & Tigrim, & Iadaſan in campo Erioch Regis Elicorum.* Explicare videtur circa quæ loca fuerit iſte campus, quodque fuerit campus, aut ditio Regis Elicorum, in quo conflictus factus ſit. Quia tamen ſecundum Coſmographos longius ab inuicem ſunt diſſiti hi fluuij, quorum hic fit mentio, Euphrates, Tigris, & Iadaſa, ſiue Hiſtaſpis, vt legit textus Græcus, quam vt ad omnes eos pertingat iſte campus Ragau, aut Regis Elicorum, multo explicatior hic eſſe videtur Græci exemplaris lectio. Et occurrerunt ad eum omnes habitantes montana, & omnes habitantes Euphratem, & Tigrim & Hiſtaſpem, & campum Erioch Regis Elicorum, & conuenerunt gentes multæ valde in prælium filiorum Gelod. Nominibus itaque locorum gentes denotatæ, ſicut enim ſcribunt Coſmographi, à flumine Indo, qui eſt ab Oriente vſque Tigrim, qui ab occaſu, hæ regiones ſunt, Aracuſia, Parthis, Aſſyria, Perſia, & Media montuoſæ & aſperæ, quæ à ſeptentrione habent caucaſum montem. A Meridie mare rubrum, & ſinum Perſicum, in medio ſui flumina præcipua Hiſtaſpem & Arduum. In his ſunt gentes as quaſi tamen nomine dicitur Parthia, ſæpe & Media vocatur à Tyri vſque ad Euphraten. Significat itaque hic conueniſſe ad eum in prælium, omnes illi ſubditas gentes; *Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, & cor eius eleuatum eſt, & miſit ad omnes, qui habitabant in Cilicia & Damaſco, & Libano, & ad gentes quæ ſunt in Carmelo, & Cedar & inhabitantes Galilæam in campo magno Eſdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria & trans flumen Iordanem vſque Hieruſalem, & omnem terram Ieſſe, quouſque perueniatur ad montes Æthiopiæ. Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum.* Varias gentes enumerat, ad quas miſit Nabuchodonoſor ſecundum noſtram verſionem, vt ſe illi ſubijcerent, ſecundum textum Græcum, vt auxilio ſibi eſſent in expugnando Arphaxat. Notiores autem ſunt hæ regiones, quam vt explicatione ſit opus, niſi quod terræ Ieſſe, ſiue Geſen (vt legitur Græce) nomine, Ægyptus veniat accipienda, à parte regionis eius, quam quondam Iacob Patriarcha inhabitauit cum ſuis. Geſſen appellata Geneſ. 46. quam Hieron. in Hebrai. inſtitut. Thebaidem fuiſſe exiſtimat: Samariam autem inhabitantes illi accipiendi ſunt, qui adhuc reſidui erant ex captiuitate 10. tribuum, in quibuſdam ciuitatibus Samariæ: id eſt, regni decem tribuum, ſic enim frequenter in ſacra Scriptura accipitur, has iterum gentes paulo aliter in hunc modum textus Græcus recenſet.

V. C. G.

F

C

Variat Cod. Græc.

G

Gen. 46. Hieron in qu. Hebr.

V. C. G.

Et miſit ad omnes habitantes Perſiam, & ad omnes habitãtes vſq; Occidentem, & habitantes Ciliciam & Damaſcũ, & Libanum, & Antilibanum, & omnes habitantes contra faciem maritimæ regionis, & eos qui in gentibus Carmeli & Galaad, & ſuperiorem Galilæam, & campum magnum Eſdrelon, & omnes qui in Samaria, & ciuitates eius, & trans Iordanem vſque Hieruſalem, & Bethſame, & Chellus & Cades, & flumen Ægypti & Taphne, & Ramſſe, & omnem terram Geſen, quouſque perueniatur ad terga Tanais, & Memphis, & omnes habitantes Ægyptum quouſque perueniatur ad terminos Æthiopiæ. *Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiſerunt eos vacuos, ac ſine honore abiecerunt.* Nolentes nempe ei ſubijci, ſi noſtrum textum inſpiciamus: Græcus vero ſic habet; Et vilipenderunt omnes verbum Nabuchodonoſor, & non conuenerunt illi in bellum, &c.

D

Quis hic Nabuchodonoſor. Philo.

H

Gen. 10.

Ionæ 1. & 3.

Notandus eſt autem hic locus aduerſus eos, qui Cambyſen hic intelligunt, (Quod non ſub nomine Cambyſe contigerit hæc hiſtoria Nabuchodonoſor) conſtat enim ex 11. libr. Herodoti, eum omnes dictas regiones paratas accepiſſe præter vnam Ægyptum, quam poſtea armis peruaſit, & ſuo adiecit imperio. *Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex ad omnem terram illam iurauit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Hoc eſt, quod vindictam de eis ſumeret, conformiter enim ex Græco, vertitur: Et iurauit per thronum & regnum ſuum, vlturum ſe omnes terminos Ciliciæ, Damaſci, & Syriæ, & interempturum gladio omnes habitantes in terra Moab & filios Ammon, & omnem Iudæam, & omnes qui in Ægypto, donec perueniatur ad terminos duplicis maris.

Variat Cod. Græc.

Appendix Cod. Græc.

Additur autem ibi, quod noſter textus non habet, Et aciem inſtruxit in potentia ſua contra Arphaxat Regem in anno ſeptimodecimo, & confortatus eſt in bello ſuo, & omnes currus ſui, & dominatus eſt ciuitatibus eius, & peruenit vſq; ad Ecbatana, & obtinuit

turres

Digitized by Google

A

turres, & deſtruxit plateas eius, & ornatum eius dedit in opprobrium, & cepit Arphaxat in montibus Ragau, & iaculatus eſt eum in iaculis ſuis & diſperdidit eum, & reuerſus eſt poſtea in Niniuen, ipſe & omnis confœderatus illi, multitudo virorum bellatorum magna valde, & erat ibi torpens & conuiuia faciens ipſe & exercitus eius per dies centum viginti.

Caput II.

Holophernes à Nabuchodonoſore mittitur omnia regna & populos rebelles vaſtaturus.

Lyrani ſententia improbabilis.

ANNO tertiodecimo Nabuchodonoſor Regis vigeſima & ſecunda die menſis primi factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor Regis Aſſyriorum vt defenderet ſe Nimis libera hic eſt Lyrani ſententia, qua dicit, hunc decimum tertium annum fuiſſe ſecundum regni Cambyſis annum poſt mortem patris; non enim poteſt ex hiſtoriis colligi tempus, quo regnauit viuo patre amplius ſexennio, & tum ex Sabellico, cum ex Carione non amplius quã biennio patri ſuperuixiſſe conſtat, quin quod Græci integro eius imperio non plures quam 7. annos, menſes 5 attribuant, non poſſet itaque hoc vllo conſtare pacto, cum textum Græcum quantumcunque etiam admitteremus 10 annis, viuo patre ipſum regnaſſe. Sic enim habet, Anno decimo octauo Nabuchodonoſor, &c. Vbi iterum explicatius, quam in noſtro textu, vt vlciſceretur omnem terram, legitur.

B

Menſis autem primus apud Hebræos Martius fuit, circa finem cuius aptum eſt tempus præparando bello. *Vocauitque omnes maiores natu, omnesque duces & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilii ſui. Dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio Quod dictum, cum placuiſſet omnibus, vocauit Nabuchodonoſor Rex Holophernem principem militiæ.* Clariora ſunt hæc, quam vt expoſitione indigeant, tantum id notandum, quod addat exemplar Græcum, principem militiæ ſuæ ſecundum exiſtentem ab ipſo

Appendix Cod. Gr.

Et dixit ei: Egredere aduerſum omne regnum Occidentis, & contra eos præcipue, qui contempſerunt imperium meum. Non parcet oculus tuus vlli regno omnemque vrbem munitam ſubiugabis mihi Regnum vocat Occidentis, eo quod omnes hæ regiones Occidentales erant reſpectu Aſſyriorum, qui imperio Nabuchodonoſoris parebant. *Tunc Holophernes vocauit duces & magiſtratus virtutis Aſſyriorum, & dinumerauit viros in expeditione centum viginti millia peditum pugnatorum, & equites ſagittarios duodecim millia.* Conuenientius e Græco vertitur, & dinumerauit viros electos in prælium, & fortaſſe etiam hic legendum eſt in expeditionem.

Vera lectio.

Maior autem fuit peditum numerus, eo quod ſecundum Veget. de re militar. robur exercitus in peditatu conſiſtat. Equites etiam ſagittarios notanter dicit, eo quod equitibus vſitatum erat ſagittis pugnare, quomodo etiam Mauris

C

Omnemque expeditionem ſuam fecit venire in multitudine innumerabilium camelorum cum his quæ exercitibus ſufficerent copioſe, boum quoque armenta gregeſque ouium, quorum non erat numerus. Frumentum ex omni Syria in tranſitu ſuo parari conſtituit, aurum vero & argentum de domo regis aſſumpſit multum nimis. Latius deſcribit apparatum belli tam quoad commeatum ampliſſimum, quam quoad theſaurum auri & argenti ad ſoluendum militum ſtipendia. *Et profectus eſt ipſe & omnis exercitus cum quadrigis & equitibus & ſagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ ſicut locuſtæ* Deſcripto exercitus apparatu, deſcribitur eius ad bellum profectio. Eſt autem hic Hyperbole ad exprimendam magnam populi multitudinem:

Hyperbole.

Cumque pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui ſunt à ſiniſtra Ciliciæ, aſcenditque omnia caſtella eorum & obtinuit omnem munitionem In Græco textu paulo latius hæc profectio in hunc deſcribitur modum; Et exierunt à Niniue viam trium dierum ſuper faciem campi, Bectileth, & caſtra metati ſunt in Bectileth prope montem, qui eſt ad ſiniſtram ſuperioris Ciliciæ, &c. Vbi nota, quod montem dicit, non montes, qui enim hic montes Auge dicuntur: Taurus mons eſt qui inter Aſſyriam & Armeniam extenditur, prorſus verſus Occidentem *Effregit autem ciuitatem opinatiſſimam Melothi* Opinatiſſimam vocat famoſiſſimam, idque propter mercium abundantiam, inuaſit autem hanc tum ob munitionem loci, tum ob opportunitatem Ciliciæ armis peruagandæ. Opinandum eſt autem hanc eſſe; quam Mallum vocat Ptolomæus, cuius populi dicuntur Mallothæ, quorum mentio fit 2 Machabæor 4 contingit Tharſenſes, & Mallothas ſeditionem mouere, Græcus interim textus multo aliter, ſed obſcurius Et abiit, (inquit) inde in montana, & incidit Phud & Lud:

D

Prædauitq; omnes filios Tharſis, & filios Iſmael qui erant contra faciem deſerti, & ad Auſtrum terræ Chellon, Tharſis in Scripturis varie accipitur. Nonnunquam pro Carthagine, vt notauit Hieronymus in interpretat. locor. Hebr. eo quod in Ezechiele, vbi nos ſecundum 70 legimus, Carthaginem, in Hebræo Tharſis ſcriptum reperiatur, nonnunquam mare mediterraneum ſecundum quoſdam, vt apud Ionam Prophetam & Pſalm. 71. Omnes naues Tharſis, alii rurſum Indiam ſignificari putant 3 Reg 10. Hic interim ſaluo doctiorum iudicio plane exiſtimant à Tharſis Filio Iauan, cuius fit mentio Geneſ 10. Imo de eadem mentionem fieri, eſt veriſimile tum dicto lib Regum. tum Pſalm 71. tum Eſaiæ 2. tum Ezech. 10. Hinc & eius regionis Metropolis *Thita* mutato in *Tau* Tarſus nomen obtinuit, q̃ Patria fuit Pauli vt eſt in Actis Apoſtol. Hoc interim notandum, quod Græce (modo menda non ſit) pro Tharſis, Præſes legitur. Hoc item, quod quanquam, Lyrano teſte, pro Iſmahel quidam Codices habuerint

Tharſis. Hieron. de nom Hebr.

Thita Tau. Corrupta quædam exemplaria.

E

Iſrahel, mendoſos fuiſſe eos Codices quum correſpondeat etiam Græcus textus, & Agareni poſteri Iſmaelis fere in deſertis habitare conſueuerint, non ita filii Iſrael. *Et tranſiuit Euphratem & venit in Meſopotamiam, & fregit omnes ciuitates excelſas, quæ erant ibi à torrente Mambre vſquequo perueniatur ad mare.* Meſopotamia maioris Aſiæ, Syriæque pars Regio eſt inter Babyloniam & Arabiam, ad læuam Tigridis fluuii, imo intra duos amnes Tygridem & Euphratem à ſeptentrione Tauro excepta, vnde & ipſo vocabulo Græco, in medio fluminum ſita monſtratur, *Meſos* medius, *Potamos* vero fluuius interpretatur. Quis autem ſit iſte torrens Mambre inuenire non potui, Græce vocatur Arbonai.

Geneſ 13. Fit mentio conuallis Mambre, quæ eſt Hebron.

Et occupauit terminos eius à Cilicia vſque ad fines Iaphet, qui ſunt ad Auſtrum, adduxitq; omnes filios Madian & prædauit omnem locupletationem eorum, omneſq; reſiſtentes ſibi occidit in ore gladii Per fines Iaphet, quantum ex Coſmographis coniectari licet, intelligit Africam, ſcribit enim Beroſus, Iaphet filium Noe Aphricam tenuiſſe, ex quo gentiles ſint orti. Deinde ſcribit Plinius in Prolog. lib 3 Aphricam tertiam eſſe orbis partem inter Aſiam & Aphricam ad Auſtrum ſitam, multum itaque huic fauere videtur ſententiæ, quo dicitur ad Auſtrum, plus interim addit Græcus textus, ad Auſtrum & faciem Arabiæ, qui etiam pro adduxit, legit, circumdedit. Madian autem ciuitas eſt trans Arabiam ad Meridiem Iudææ ſita in deſerto Saracenorum, contra Orientem maris rubri, dicta à Madian filio Abraham ex Cætura de quo Geneſ 25.

Fines Iaphet, Africa.

F

Et poſt hæc deſcendit in campos Damaſci in diebus meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omneſque arbores & vineas fecit incidi, & cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram In Græco eſt, ſuper omnes inhabitantes regionem maritimam, qui erant in Sydone, & Tyro, & habitantes Sur & Ocina & Temnaan, & habitantes in Azoto & Aſcalone & continuo ſubiungitur: Et miſerunt ad eum legatos verbis pacificis dicentes, &c.

Caput III.

Holophernes etiam ſeſe ſponte dedentibus non parcit, nec vrbibus, nec Diis eorum.

TVNC miſerunt legatos ſuos vniuerſarum vrbium, ac prouinciarum Reges ac principes Syriæ ſcilicet & Meſopotamiæ & Syriæ, Sobal & Lybiæ, atque Ciliciæ: Syria in vniuerſum grandis Regio eſt, terminatur à Septentrione, Cilicia & parte Cappadociæ, ab occaſu Syrio pelago, ab Hebræis autem dicitur Aram, ab Aram filio Sem, inde Syri Aramei dicuntur: Syria Sobal dicitur & Syria Soba, 2. Reg 8. & 1. Paralip. 18. & in titulo Pſal. 60. eſt autem ea quæ dicitur Palæſtina, ad mare Mediterraneum pertingens ſita ad Occidentem Iudææ. ſic Ioſeph lib. 1. Iud antiq. cap. 12. Lybia autem magna Pars eſt Africæ, in qua tamen tunc adhuc nihil prouinciarum dominium fuit, nec ab Aſſyriis, nec à Chaldæis

Syria Sobal, Palæſtina.

2. Reg 8. 1. Par 18. Ioſeph. Lib 1 antiq. cap 12.

Qui venientes ad Holophernem dixerunt, deſinat indignatio tua ſuper nos Melius eſt enim vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor Regi magno, & ſubditi ſimus tibi quam morientes cum interitu noſtro, ipſi ſeruitutis noſtræ damna patiamur Omnis ciuitas noſtra, omniſq; poſſeſſio omnes montes, & colles campi & armenta boum, gregeſq; ouium & caprarum, equorumque & camelorum & vniuerſæ facultates noſtræ, atque familiæ in conſpectu tuo ſunt: Sint omnia ſub lege tua. Nos etiam & filii noſtri ſerui tui ſumus; Veni nobis pacificus Dominus, & vtere ſeruitio noſtro ſicut placuerit tibi Aliud hic nihil ſignificatur quam maximus metus omnium dictarum Regionum & earum ſubiectio, qua ſe ſeruituti magis dedere maluerunt, quam ipſi morti traderentur ſuis ciuitatibus deletis

G

Tunc Holophernes deſcendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem munitam, & omnem inhabitantem terram De vniuerſis autem vrbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum. Oſtenditur hic dura Dominatio Holophernis, vtpote, qui etiam ſubiectis non parceret; Notandus eſt autem hic vſitatus Scripturis loquendi modus, quo omnem terram accipit pro particulari aliqua terra, ac ſi dicat, omnem terram iam dictam. *Tantuſq; metus prouinciis illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores principes & honorati ſimul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes Choros in tympanis & tibiis Nec iſta tamen facientes ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt; nam & ciuitates eorum deſtruxit, & Lucos eorum excidit,* maioris explicationis gratia denuo ferocitatem Holophernis exaggerat

H

Præceperat enim illi Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus quæ potuiſſent Holophernis potentia ſubiugari Deſcribitur hic magna impietas & ſuperbia huius Regis, qui ſe ſolum tanquam Deum venerari voluit, reliquis Diis omnibus extinctis. *Pertranſiens autem Syriam Sobal, & omnem Apamiam omnemque Meſopotamiam venit ad Idumæos in terram Gabaa, accepitq; ciuitates eorum, & ſedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuerſum exercitum virtutis ſuæ* Idumæi intra Iordanem ſunt, quorum metropolis eſt Hierichus, extra montes regionis Arrabienæ, qui prohibuerunt Holophernem ne in Iudæam intraret facile, Græcus interim textus ſic legit: Et venit contra faciem Eſdraelon prope Dothaim, quæ eſt contra terram magnam Iudeæ, & caſtrametatus eſt inter Gabaa & Scytharum vrbem. Sunt autem hæ duæ vrbes in tribus Iuda finibus.

A

CAPVT IV.

Filÿ Iſrael ſeſe muniunt aduerſus Holophernem, hortante eos ad hoc Eliachim ſacerdote.

TVNC audientes hæc filÿ Iſrael, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius, tremor etiam & horror inuaſit ſenſus eorum ne hoc faceret Hieruſalem & templo Domini quod fecerat cæteris ciuitatibus Poſtquam deſcripta eſt, qualis perſecutio aliarum gentium: iam ad perſecutionem deſcendit filiorum Iſrael, prius tamen eorum apparatum ad bellum hoc capite recenſens. Eſt autem iſte vnus ex iis locis, ex quibus probare nititur Zieglerus non poſt captiuitatem contigiſſe hanc Hiſtoriam, aut tempore Cambyſis, aut tempore Darii Hyſtaſpis, vt noſtra eſt ſententia, ſed ante: conſtat enim tempore huius Darii Hyſtaſpis, tantum iacta fundamenta templi, vnde metus eſſe non debuerit, (inquit,) ne templum prophanaretur, quod necdum eſſet, multo vero minus ne ciuitas deleretur, quæ necdum cœpta erat ædificari.

Ziegleri ſententia reprobanda.

Verum (vt ſupra etiam in Præfatione monuimus) templi nomine altare iam erectum intelligendum eſt, in quo iam teſte 1. Eſdræ 3. holocauſta offerebantur diurna & nocturna, & per Hieruſalem iacta iam fundamenta cum iis, in quibus iam degebant habitaculis; Atque iſtud liquido manifeſtum euadit è Græco textu, vbi tum reditus eorum à captiuitate meminit, tum altaris iam recens ſanctificati Sic enim habet: Et pro Hieruſalem, & pro templo Domini Dei turbati ſunt, quia fuerant recenter aſcendentes de captiuitate & nuper omnis populus congregatus fuerat ex Iudæa, & vaſa & altare & domus eorum à prophanatione ſanctificata erant. Nihil itaque iſtud obſtat noſtræ ſententiæ

Argumento ipſius hinc ſumpti confutatio.

B

Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſque Hiericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium Et muris circumdederunt vicos ſuos. & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ. Aptiſſima eſt deſcriptio apparatus bellici, tam quoad munitionem oppidorum quam quoad commeatum, quæ duo inprimis ſunt neceſſaria. Samaria autem hic vt etiam ſupra in 1. cap. eſt annotatum, ſicut ibi, non pro ſola ciuitate illa capitur, ſed pro toto regno decem tribuum, intelligit itaque illos, quicunque è captiuitate adhuc erant in illis finibus reliqui. Quod ſatis etiam indicat Græcum exemplar, quod ſic habet: Et miſerunt ad omnes terminos, & vicos Samariæ, & Bethoron & Belmen, & Hiericho, & ad Choba & Eſora, & vallem Salem, & præoccupauerunt, & cætera, vti enumerantur ciuitates aliquot ſitæ in 10 tribubus. Iericho autem ciuitas fuit opulentiſſima in tribu Beniamin ab Hieroſolymis centum quinquaginta, ab Iordane 60 diſtans ſtadiis nobilis palmetis & balſami viridariis. Huius pulchram deſcriptionem videre eſt apud Ioſephum de bello Iudaico lib. 5. cap. 4.

Samaria [illegible]

Sacerdos etiam Eliachim. Quædam exemplaria legunt *enim*, Hoc etiam notandum, quod exemplar Græcum conſtanter legat: Ioachim Sacerdos magnus, qui erat in diebus illis in Hieruſalem, idque eo magis, quod infra cap. 15 hic idem Ioachim appellatur.

Var. exemplaria

C

Vnde & notat Philo, Synonima eſſe Syris & Ægyptiis hæc nomina: Eliachim, Elich, & Ioachim: fuiſſe autem hunc, cuius hic fit mentio Ioachim Filium Ieſu filii Ioſedech ſub quo reuerſi ſunt è captiuitate filii Iſrael, refert enim illum Ieſum miſſum fuiſſe ad Darium ſæpius nominatum interceſſum pro Hebræis, eo quod contra eos duces Syriæ ad Regem ſcripſerant, relicto in pontificatu, anno 12. Aſſueri noſtri, ſiue Nabuchodonoſor, filio ſuo Ioachim, qui & Heliachim: hoc itaque Pontificatum ſummum adminiſtrante, contigiſſe hanc hiſtoriam.

Philo. Ioachim & Heliachim Synonyma.

Eſt autem hoc loco potiſſimum noſtræ quam ſequimur ſententiæ fundamentum, eo quod, vt in præfatione latius declarauimus, non poſſint commode docere, quotquot aliam amplectuntur ſententiam, quis fuerit iſte Eliachim, ſiue Ioachim ſacerdos magnus, vnde & ipſe Lyranus, qui in præcedentibus mordicus ſententiam eam eſt amplexus, quæ de Cambyſe intelligit, hoc argumento motus, frigida reſponſione præmiſſa, quod binonymus fuerit Ieſus filius Ioſedech, videns nondū argumento ſatisfactum, aut inquit fatendum erit tempore Cambyſis non contigiſſe hanc hiſtoriam, ſed longo poſtea temporis interuallo; plura quod ad hunc attinet locum, qui deſiderat, ad præfationem ipſam remitto, in qua latius aliorum ſententias refutauimus.

Noſtræ quā ſequimur ſententiæ fundamentum.

Scripſit ad vniuerſos qui erant contra Eſdrelon quæ eſt contra faciem campi magni iuxta Dothaim & vniuerſos per quos tranſitus via eſſe poterat, vt obtinerent aſcenſus montium per quos via eſſe poterat ad Hieruſalem & illic cuſtodirent, vbi anguſtum iter eſſe poterat inter montes. Et fecerunt filÿ Iſrael ſecundum quod conſtituerat eis ſacerdos Domini Eliachim.

D

Multis hic deſcribit ſummi ſacerdotis diligentiam in apparatu belli faciendo. Videtur autem iſta ciuitas Eſdrelon, cuius iam etiam aliquoties in exemplaribus Græcis facta eſt mentio, ſita fuiſſe non procul à Samaria, eo quod addatur, iuxta Dothaim, quem conſtat locum eſſe, vbi Ioſeph reperit fratres ſuos, pecora paſcentes Geneſ. 37. quem etiam ſuo tempore ſuperfuiſſe teſtis eſt Hieronymus in duodecimo à Sebaſte (ea quondam Samaria dicebatur) milliario contra Aquilonis plagam, cuius etiam fit mentio 4 Regum 6 Græcus porro textus etiam hic nonnihil variat, & addit in hunc modum; ſcripſit iis qui habitabant Bethulia & Bethſemeſthan, quæ eſt contra Eſdrelon, & cætera.

Hieron.

Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis & orationibus ipſi & mulieres eorum Poſtquam quantum ad vires pertinet humanas, ſe muniuerunt, ſcientes plagas à Deo non immitti, niſi ob peccata, nec eſſe malum in ciuitate, quod non fecit Dominus, ad preces & ieiunia confugerunt, omnibus nobis in exemplum, vt in afflictionibus conſtituti, id inprimis vnice curemus, vt Deus peccatis noſtris reconcilietur, ac ſic Deo negotium omne noſtrum commendemus, non dubium, quin ſic vtiſ exaudiendi ſimus.

E

Et induerunt ſe ſacerdotes Ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini. & altare Domini induerunt Cilicio Modus iſte antiquitus vſurpatus eſt agendi pœnitentiam vt videre eſt tum Iohel 1. & 2 tum Ionæ 3. tum aliis Scripturæ locis quam plurimis, videtur autem hic ad complementum deeſſe ſententiæ præpoſitio, ſe, vt legatur, Et proſtrauerunt ſe, vnde & in Græco textu ſic legitur: Ipſi & mulieres eorum, & iumenta eorum, & omnis aduena, & mercenarius & ſeruus, impoſuerunt Cilicia ſuper lumbos ſuos, & omnis vir & mulier & pueri, ceciderunt contra faciem templi.

Modus pœnitentiæ antiquitus vſurpatus.

Et clamauerunt ad Dominum Deum Iſrael vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum. & vxores eorum in diuiſionem, & ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem, & fierent in opprobrium gentibus Græcus textus poſt *vnanimiter*, ſubiungit *aſſidue*, per quod docemur orationis conditionem, vt exaudiatur, vel præcipuam eam eſſe debere, vt aſſidua ſit & perſeuerans, vnde & infra hoc eodem cap. Eliachim victoriam pollicetur, ſi modo perſeuerauerint filii Iſrael in ieiuniis & orationibus, de qua conditione ad orationem requiſita pulcherrime tractat Chryſoſtomus ſupra Pſalm. 4 & curſum 7. vbi præter hanc quoque conditiones adfert requiſitas ad exauditionem.

Oratio aſſidua ſit, neceſſe eſt.

Tunc Eliachim ſacerdos Domini magnus circumiuit omnem Iſrael, allocutusque eſt eos dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras ſi manentes permanſeritis in ieiuniis & orationibus in conſpectu Domini Rurſum hic Græcum exemplar legit Ioachim: deinde ſermo ille *ſi manentes manſeritis*, Hebraiſmus eſt Scripturis vſitatiſſimus, cuiuſmodi eſt illud *deſiderio deſideraui*, & multa ſimilia, quæ paſſim reperire eſt. ſenſus autem eſt, ac ſi dicat, ſi aſſidue permanſeritis in ieiuniis & orationibus. Atque id eſt, quod iam diximus exprimi conditionem ad orationem requiſitam; Eſt autem & locus iſte notandus, contra Lutheranos, qui ieiunium omne abrogare conantur vt hinc ſicut & aliis innumeris Scripturæ locis, & vtilitas, & efficacia ieiunii oſtendatur, deinde & illud, quod non mirum ſit, ſi hodie à præfectis Eccleſiæ ieiuniorum modus inſtituatur, quum id etiam antiquitus vſurpatum habeamus.

F

Hebraiſmus.

Locus communis de ieiunio.

Memores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalech confidentem in virtute ſua, & in exercitu ſuo & in clypeo ſuo & in equitibus ſuis non ferro pugnando ſed precibus ſanctis orando deiecit, Sic erunt vniuerſi hoſtes veſtri ſi perſeueraueritis in hoc opere, quod cœpiſtis. Per exempla ſanctorum corroborat eos. Sic & Paulus ad Hebr. 11. fidem commendans, Patrum copioſa adducit exempla, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam. Hiſtoriam autem, quam hic attingunt, reperire eſt Exodi 17. Similiter & Ioannes Chryſoſtomus, alibi vires orationis & efficaciam commendans. Quis, (inquit,) non hoſtem orando deuicit orationibus? Danielis viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, feræ hebeteſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. Quanto igitur purior frequentiorque fuerit oratio, tanto erit celerior de hoſte vindicta.

Orationis quanta vires. Chryſoſt.

G

Ad hanc igitur exhortationem eius, deprecantes Dominum permanebant in conſpectu Domini ita vt etiam hi qui offerebant Domino holocauſta præcincti Ciliciis, offerrent ſacrificia Domino. & erat cinis ſuper capita eorum. Et ex toto corde ſuo omnes orabant Deum vt viſitaret populum ſuum Iſrael Diligentiam eorum & aſſiduitatem in orationibus multis proſequitur, quæ quomodo exauditæ fuerint, ſtatim infra recenſebitur.

CAPVT V.

Achior monet Holophernem, ne contra Iudæos temere pugnet.

NVnciatumque eſt Holopherni principi militiæ Aſſyriorum, quod filÿ Iſrael præpararent ſe ad reſiſtendum ac montium itinera concluſiſſent. & furore nimio exarſit in iracundia magna Vocauitque omnes principes Moab & Duces Ammon Poſtquam deſcripta eſt perſecutionis filiorum Iſrael ſpecialis occaſio, iam deſcribitur & deſcribi incipitur ipſa perſequutio, & inprimis inquiſitio Holophernis de ſtatu Iudæorum ab Ammonitis & Moabitis, quibus ob vicinitatem regionis erant notiſſimi, variat interim hic nonnihil textus Græcus in eo, inprimis quod pro ad reſiſtendum legat ad prælium, tum rurſum ſic addit, & muniuiſſent omnem verticem montis excelſi & poſuiſſent in campis ſcandala, & tertio, poſt mentionem Ducum Ammon, adiicit; & omnes ſatrapes regionis maritimæ.

H

Et dixit eis: Dicite mihi quis ſit populus iſte, qui montana obſidet. aut quæ & quales, & quantæ ſint ciuitates eorum, quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ multitudo eorum, vel quis Rex militiæ illorum, & quare præ omnibus, qui habitant in Oriente. iſti contempſerunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt ſuſciperent nos in pace? Varia inquirit, primum quæ origo eorum, deinde quales & quanti, vt audeant reſiſtere, quæue vires & audacia eorum, tertio quis Rex eorum, quam prouidus & ſapiens; poſtremo, ſi nihil tale illis ſit, cur magis reſiſtant quam reliquæ omnes, quas iam ſubiugauerat gentes, atque ea de cauſa, quomodo, (inquit Zieglerus) potuit iſte omnia hæc ignorare qui quærit, cum filios Iſrael, ſi paulo ante è captiuitate reuerſi fuerint, notiſſimos habere debuerit, ſufficienti itaque, (inquit) ſunt ar-

A

gumento vetuſtiorem captiuitate Babylonica eſſe, hanc hiſtoriam. Verum vt ſupra etiam in Præfatione, inprimis oppono illi reſponſionem Achior, quam nunc adſeremus. Itaque reuerſi ex diſperſione; deinde accipi poſſunt hæc verba tanquam ex admiratione dicta, ac ſi dicat, Quis, qualiſve iſte eſt populus aut quo Rege, aut quibus animatur auxiliis, vt auſit reſiſtere, non enim multum à re-

Sententia, quam ſequimur contra Zieglerum defenſio.

xtu alienum eſt. Poſtremo, ſi id magis plane veriſimile Holophernem non Aſſyrium, aut Perſam, ſed in vlterioribus multo mundi partibus oriundum fuiſſe, qui vt ſequēter ſit ob egregiatam Aſſyriis naualem operam ad tantam dignitatem euectus ſit, & proinde non mirum, ſi hæc illi ſint incognita, poſtremæ autem huic coniecturæ multum fauet, quod (ſi textum Græcum ſequamur,) omnes iſtos principes, ad quos loquitur filios Chanaan, at conſtat Ammonitas & Moabitas, multos alios fuiſſe à Chananeis. Deinde & illud, quod cum ſupra cap. 2. à Rege Aſſyriorum regnum Occidentis, vtpote à peritiore eius rei appellantur hæ regiones, ipſa hic eaſdem habitare dicat in Oriente. Quanquam interim ad poſtremum hoc Lyranus reſpondeat, quod quanquam reſpectu Aſſyriorum ad Occidentem eſſet, reſpectu tamen totius terræ habitabilis Iudæa, & iam dictæ regiones magis Orienti, quam Occidenti vicinæ ſint. Sed illi rurſum obiicitur, non eſſe veriſimile, iam exactum fuiſſe Mathematicum eum, qui perpetuo arti militari operam dederat. *Tunc Achior Dux omnium filiorum Ammon reſpondens ait: Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo, de populo iſto qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falſum ex ore meo.* Sequitur hic reſponſio ad interrogationem

B

ipſius Achior ducis Ammonitarum. Vtpote, qui in ipſo de Iudæorum genere natus eſſet, de Loth, vtpote & ita eorum agnoſcens gentem. Primum autem modeſte præfatus captat beneuolentiam à præfata eius rei, de qua interrogabatur ſcientia, ac ſic tandem de origine eorum ſecundum ordinem interrogatorum narrationem ſic accipit. *Populus iſte ex genere Chaldæorum eſt* Sic habe-

Geneſ. 11.

tur Geneſ. 11. Tulit itaque Thare Abraham filium ſuum, & Loth filium Aram filii ſui, & Sarai nurum ſuum, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, id enim nomen vrbis fuit de qua oriundi erant. Achior autem ad Holophernem, quanquam infidelis aliquid vtile co-

Hieron. in 7. c. Matth.

natus eſt, (inquit, Hierony. in 7. cap. Matth. 1.) ſicut Iethro Socer Moyſi arbor mala vtique in Deum Iſrael non credebat, dedit conſilium Moyſi bonum. *Hic primum in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum: Deſerentes itaque ceremonias patrum ſuorum quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cæli coluerunt.* Addit textus Græcus, Deum quem cognouerant & rurſum addit: Et habitauerunt ibi diebus multis, vſque ad mortem nempe Thare patris Abraham. *Qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in Charram,* Sic etiam appellatur hæc ciuitas Actor. 7. in Geneſ. vero loco dicto vocatur Haram, eſt autem locus in Meſopotamia, vbi cum ſuis ad mortem vſque commoratus eſt Thare. Quoniam aut nullum peculiare præceptum eſt in Geneſi quo in Tharran habitare præcipiuntur, ſed tantum poſt mortem patris Thare. Abraham

C

Commodior Græci paraphraſti lectio.

præceptum accipit Geneſ. 12. vt relicta habitatione & terra ſua, in terram Chanaan tranſmigret, rectius multo hic legere videtur textus Græcus hoc pacto: vt exirent de habitatione ſua, & irent in terram Chanaan, & habitauerunt ibi, & repleti ſunt auro & argento, & in iumentis multis nimis, ac tum demum ſubiicit illud noſtri textus. *Cumque operuiſſet omnem terram fames, deſcenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos multiplicati ſunt, vt dinumerari eorum non poſſet exercitus* Paucis enarrat, tum deſcenſum eorum in Ægyptum de quo Geneſ. 47. tum tempus, quo illic habitarunt, quod ſimiliter omnino exprimitur. Geneſ. 15 quadringentorum nempe annorum. Sunt interim, vt completum habeas numerum, hi anni computandi, à 5. anno Iſaac autem Iſmahel domum Abrahæ, ſi numerantur, vt Actor. 7. 430. anni computandi

Anni quomodo ſecundum quoſdam 400. ſecundum alios 430.

ſunt à 75. anno Abrahæ non peregrinatus eſt in Ægyptum, quem ſecuturum erat ſemen ſuum. *Cumque grauaſſet eos Rex Ægypti atque in ædificationibus Vrbium ſuarum in luto & labore ſubiugaſſet eos, clamauerunt ad Deum ſuum, & percuſſit totam terram Ægypti plagis variis.* De illo grauamine & promiſſione Ægypti in plagis multis habes in Exodo ſtatim à principio vſque ad caput 13.

Exod. 1. cap. vſq. ad 13.

Addit autem textus Græcus: plagis variis in quibus non erat ſanitas. *Cumque eieciſſent eos Ægyptii à ſe, & ceſſaſſet plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, & ad ſuum ſeruitium reuocare fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita vt hinc inde aqua quaſi murus ſolidaretur, & illi pede ſicco fundum maris perambulando tranſirent:* Paucis recenſet, quod late deſcribitur Exodi 13. & 14. non

V.C.G.

D

Exod. 13. & 14.

eſt itaque hic immorandum, quum nudam recenſet hiſtoriam, cuius tractatio non ad hunc, ſed ad illum ſpectat. *In quo loco cum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos perſequeretur, ita aquis coopertus eſt, vt non remaneret, vel vnus, qui factum poſteris nunciaret.* Quanto ſerior vindicta peccantium eſt, tanto iuſtior in ſimilitudinem Pharaonis, qui dire plagis admonitus non penitus in duritia perſeuerans, ad extremum rubri maris fluctibus eſt obrutus. Sic

Hieron. in 32. cap. Hieremiæ.

Hiero. ſuper cap. 32. Hieremiæ. *Egreſſi autem mare rubrum, deſerta Sina montis, occurrerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit* Quorum exemplaria paulo aliter, ſenſu tamen eodem ſic legunt: Egreſſi etiam & cætera, deſerta

V.C.G.

etiam occupauerunt. Quum autem ſecundum cap. Exod. 15. primum occupauerint, & primum occurrerit eis deſertum Sur, & alia quædam, ad deſertum vero Synai tantum 3 menſe egreſſionis veniſſe dicuntur Exod. 19. in hoc notandum, non ſeruari omnino eiuſdem hic ordinem, qui in Exodo, ſed tantum breuiter repeti hiſtoriam exitus filiorum Iſrael, recenſitis non omnibus locis, per

E

quæ tranſierint, ſed tantum præcipuis. Ideo plus notandum quod Hieron. ad Effabiolam tractat. in 42. manſiones filiorum Iſrael, quando octauam manſionem tractat. Sciendum, (inquit,) quod omnis vſque ad montem Synai eremus Sin vocatur & ex tota prouincia etiam locus nomen vnius manſionis accepit, Iſtud (inquam) notandum, quia alioqui non poſſit commode intelligi, quod hic di-

Hieron. ad Effabiolam de 42. manſion.

cit textus, in deſertis Syna, ſiue Syn fontes amaros obdulcatos, ſic enim ſequitur. *Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo conſecuti ſunt;* Alludit

Exod. 15.

ad illud Exodi 15. Et venerunt in Marath, nec potuerunt bibere aquas de Marath, eo quod eſſent amaræ, vnde & congruū loco nomen impoſuit Marath, id eſt, amaritudinem, &c. Deinde ad cap. eiuſdem lib. Exod. 16. vbi de cælo primum carnes, deinde manna datum eſt eis, quo poſtea vſi ſunt per 40. annos, quibus manſerunt in ſolitudine *Vbicunque ingreſſi ſunt, ſine arcu & ſagitta, & abſque gladio & ſcuto Deus eorum pugnauit pro eis* Hactenus originem & progreſſum filiorum Iſrael late deduxit, nunc quibus viribus confidunt, conſequenter oſtendit, vtpote non ſuis ſed Dei, quanquam enim pugnauerint cum Amalec & aliis armati, non tamen obtinuerunt victoriam per arma, ſed virtute diuina. Vnde 2. Amalech. cap. præceden. 2. Ioſ. 17. Moyſi debellatus dicitur, & in pugna Ioſue

Ioſ. 17.

contra Reges Chanaan, lapides grandinis interfecerunt aduerſarios, & ſol ſteterit immobilis, vt Ioſue 10. inuenire eſt. Reliqua quæ

Ioſ. 10.

ſequuntur patent in decurſu Iudic. & 4. Regum *Denique Chananæum Regem & Iebuſæum & Chareſæum, & Haueum, & Hethæum &*

F

Amorrhæum, & omnes potentes in Eſebon proſtrauerunt & terras eorum & ciuitates eorum ipſi poſſederunt, & vſque dum non peccarent, erant cum illis bona &c. Melior eſt, quæ hic rangitur hiſtoria ex libris Numeri. Deuteron. & Ioſu. quam vt inhærendum ſit, omnes Reges, qui hic breuiter, latius commemorantur Ioſ. 12. ad nu-

Ioſ. 12.

merum vſque 30. & cætera. Erant autem hæ gentes habitantes in ea terra, quam toties ſe daturum promiſerat Abraham, Iſaac, & Iacob *Nam & ante hos annos cum receſſiſſent à terra quam dederat illis Deus vt ambularent in ea, exterminati ſunt, præliis à multis nationibus, & plurimi eorum abducti ſunt captiui in terram non ſuam* Inprimis tempore tranſmigrationis Ioachim & captiuitatis ſuæ ſub Sedechia exterminati ſunt præliis per Reges Aſſyriorum, & Ægypti, vt patet in 4. Reg. & plurimi eorum captiui abducti ſunt, primum per Theglath Philaſar 4. Reg. 15. Secundo per Salmanaſ-

4. Reg. 15. & 17.

ſar. 4. Reg. 17. Poſſent autem hæc verba, vt facit Ziglerus intelligi tantum de exterminio regni Iſrael, ſed tum lectio Græca, tum verba ſequentia omnino tota addunt etiam intelligi debere de tranſmigratione Regni Iuda & Babylone, primo tempore Ioachim filii Ioſiæ, ſecundo tempore Ioachim filii eius 4. Reg. 25. Græce enim

4. Reg. 25. Lectio Græca fauet noſtra ſententia contra Zieglerum.

additur: Et ciuitates eorum deuaſtatæ, & templum deſolatum, quod conſtat non contigiſſe, niſi in vltima illa tranſmigratione Iuda & Babylone: verba vero ſequentia ſic habent, *Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt & aſcenderunt hæc montana, & iterum poſſident Hieruſalem vbi ſunt ſecula ſæculorum.* Obſtat (inquam) illud ſententiæ Ziegleri quam maxime, quia nuſquam legimus reuerſos fuiſſe filios Iſrael, illos (inquam) qui erant ſubiecti regno Decem tribu-

G

Verba plane conuincunt noſtram ſententiam

um, niſi forte ſimul cum aliis Iudæis omnibus tempore Cyri Perſarum Regis. Deinde ante Ioſiæ tempora Hieruſalem perdita non fuit, vt dici potuerit, nunc iterum poſſident Hieruſalem, quanquā in libris Regum ſemel atq; iterum ſpoliatum legamus Hieruſalem, ſemper tamen vſq; ad vaſtationē quæ per Nabuchodonoſor facta eſt, in poſſeſſione eius permāſerunt. Plane itaq; conuincit textus intelligendum hoc de reditu ex diſperſione & captiuitate ſub Cyro, cuius fit mentio ſtatim in principio 1. Eſdræ 1. Hieruſalem interim

1. Eſdræ 1.

pro ditione Hieroſolymitana commode accipienda, & ſic nihil nobis obſtabit, quod obiiciunt alii, nondum conſummatam fuiſſe tempore Regis Nabuchodonoſor, Darii Hyſtaſpis ædificationem ciuitatis. *Nunc ergo mi Domine perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum, & aſcendemus ad illos &c.* Narrata Iudæorum hiſtoria, finem imponit, concludens per conſilium quod Holopherni dat, quomodo ſe gerere debeat in inſtāti negotio, vt nēpe cognoſcat, non ſe poſſe filios Iſrael ſuperare, niſi per offenſam Dei ſui, quale quid & Balaam olim ſecutus eſt, qui docebat, vt dicitur Apocal. 2.

Apocal. 2.

Balac mittere ſcandalum filiis Iſrael edere & fornicari, quanquam melior fuerit iſte intentione, quam Balaam. *Et factum eſt cum ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes magnates Holophernis & cogitabant interficere eum &c.* Poſt narrationem Achior ſubiungitur maxima cum Aſſyriorum reliquorum, tum hoc loco, tum ipſius ducis Holophernis ſequent. cap. indignatio, eo quod diceret

H

non poſſe eos ſua virtute Iudæorum gentem ſibi ſubiugare, in qua indignatione ſubſecutum eſt, vt nec ipſi Achior minarentur, vbi primum ſuperati eſſent hoſtes, quod tantopere commendarat filiis Iſrael, atque, id eſt, quod inter cætera ſubiungunt: *Vt ergo agnoſcat Achior quoniam fallat nos,* hoc eſt, fallere nos omnibus nititur modis, aſcendamus in montana, in Iudæam (inquam) quæ montuoſa erat, *& cum capti fuerint potentes eorum, tunc eum eiſdem gladio tranſuerberabitur, vt ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, &c.* Non dicunt Deus cæli, ſed terræ, videntur enim eius erroris fuiſſe, qui dicebant cæleſtem prouidentiam ad cæleſtia ſe tantum extendere ſecundum illud Iob 22. Circa cardines perambulat nec noſtra conſiderat.

Iob 22.

A

CAPVT VI.

Achior ab Holopherne in manus Iudæorum traditur.

FActum eſt autem, cum ceſſaſſet loqui, indignatus Holophernes vehementer dixit ad Achior. Quoniam propheta ſti nobis dicens, &c. Exprimitur hic indignatio etiam ipſius Holophernis, quibus quod prius duces eius inter ſe conceperant, ipſe repetit primum verbis duriſſimis iiſdem fere ac deinde facto exequitur, & verba ipſa explicatione non indigent. *Porro autem ſi Prophetiam tuam veram exiſtimas, non concidat vultus tuus. &c.* Non mirum eſt ſi timebat Achior, tum quia in medio ipſorum conſtitutus reſiſtere non poſſet, ſi quid acerbius in eum molirentur, tum quod quanquam firmiter crederet, eum poſſe filios Iſrael tutari & defendere, neſciret tamen num ipſi Deum tam offendiſſent. Recte autem Prophetiam vocat. Neque enim aliud quicquam eſt Prophetia (inquit Chryſoſt. de verbis Iſaiæ, vidi Dominum hom. 2.) quam rerum futurarum enarratio fidelis. *Tunc Holophernes præcepit ſeruis ſuis, vt comprehenderent Achior, & ducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Iſrael, &c.* Dicta ſua mandato nunc exequitur Holophernes. Bethulia autem ciuitas eſt montana Paleſtinæ regionis, ex eo latere quo montes Occidentem reſpiciunt ſita contra Schythopolim, trib. leucis à Tiberiade diſtãs, vbi caſtrorũ Holophernis adhuc veſtigia conſtant. *Sed cum appropinquaſſent ad montana exierunt contra eos fundibularii. Illi autem diuertentes à latere montis ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, &c.* Enarrat modum quo venit Achior in manus filiorum Iſrael, & in Bethuliam, ſiue Bethuluam colligit Græcus textus, qui & hoc addit, ad montana & ad fontes, qui erant ſub Betulua. Funda aut inſtrumentum eſt è funiculo factus, quo funduntur, hoc eſt, iactantur lapides, qui primum inuenti ſunt in balearibus inſulis. Hinc eo utentes inſtrumento funditores, & fundibularii appellantur, nec eſt ſequenda hic interpretatio nominis, quam adfert Lyranus, non magis quam illorum, qui ſacerdotium facinorum interpretantur. *Porro filii Iſrael deſcendentes de Bethulia venerunt ad eum &c.* Hinc vides filiorum Iſrael in vinctum miſericordiam, qua vinctum ſoluentes, in ciuitatem duxerunt, eamque ingreſſi præ admiratione, cur ita vinctus eſſet diſquirere incipientes, conſtituerunt eum in medio totius populi. *In diebus illis erant ibi principes, Ozias filius Micha de tribu Symeon, & Charmi qui & Gothoniel* Græcus textus tres enumerat, Ozias (inquiens) filius Micha, &c. Chabris filius Gothoniel & Charmi, filius Melchiel, ſicque etiam habuiſſe olim latinos codices manifeſtum videtur ex hiſtoria, quæ inſcribitur ſcholaſtica, authore Comeſtore, quæ duos dicit in Bethuliam miſſos de Hieruſalem principes ſacerdotem & principem Oziam de tribu Symeon, nominantur autem iſti eo quod in medio & conſpectu ipſorum collocatus fuerit Achior. Atque, id eſt, quod ſequitur: *In medio itaque ſeniorum & in conſpectu omnium Achior dixit omnia, quæ locutus fuerat ab Holopherne interrogatus, &c.* Præponit hic textus Græcus, quod in noſtro non habemus, & ad latiorem pertinet hiſtoriæ explicationem. Et conuocauerunt omnes ſeniores ciuitatis, & concurrerunt omnes ſeniores ciuitatis eorum & mulieres ad congregationem, ac deinde ſubiungit, in medio itaque eorum: *Cumque Achior vniuerſa hæc expoſuiſſet, omnis populus cecidit in faciem adorans Dominum, & communi lamentatione, & fletu vnanimes preces ſuas effuderunt dicentes &c.* Iam ſequitur conſolatio, qua conſolati ſunt Achior, & id inprimis per deuotam, & communem populi orationem, quantum enim valeant communes Eccleſiæ preces, cum multis aliis Scripturæ locis, tum ex eo ſolo eſt manifeſtum, quod alibi Chriſtus dicit: Vbi duo aut tres fuerint congregati in nomine meo, ego in medio ipſorum ſum. ſi itaq; eſt in medio eorum, qui duo tantum aut tres ſimul ſunt congregati, quid exiſtimandum eſt, valere communes illas Eccleſiæ preces. *Domine Deus cæli & terræ intuere ſuperbiam eorum & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende &c.* Nouerant ipſi illud Sapientis, Oratio humiliantis ſe penetrat nubes, ideo humillimã hanc & breuem tamen orationem ipſorum hic eſt aduertere. Eſt præterea etiam hic locus notandus, contra modernos aduerſarios, qui omnem aſpernantur Sanctorum inuocationem, vides enim quomodo non ſuis confiſi meritis, per maiores ſuos, iam olim defunctos ſanctos Abraham nempe, Iſaac, Iacob, & aliorum ſanctorum patrum orationem ſuam exaudiri petunt. *Finito itaq; fletu, & per totam diem oratione completa, conſolati ſunt Achior, &c.* Iam confortati diuinitus in fine orationis ad conſolationem Achior ſe conferunt fiduciam ſuam illi proponentes, qua non dubitabant orationes ſuas exauditas, & proinde perpetuam etiam illi ſecum habitandi liberam concedunt licentiam, vt ex textu ſatis ſupra colligitur. *Tunc Ozias finito conſilio ſuſcepit eum in domum ſuam, & fecit ei cœnam magnam, &c.* Quali humanitate Achior a principe ipſorum Ozia exceptus ſit commemorat, vt qui in eius gratiam omnes presbyteros & ſeniores populi ad cœnam inſtructiſſimam conuocarit, iam enim ita diuinitus confirmatus erat eorum animus, vt in mediis hoſtibus conuiuium celebrarent. *Poſtea vero conuocatus omnis populus per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt, petentes auxilium a Deo Iſrael.* Exemplo ſunt iſti omnibus in anguſtiis conſtitutis, quomodo ſemper ad Deum confugiendum ſit, Eccleſiam vero Synagogam vocat particularem, quæ erat in Bethulia, vt in ſingulis aliis ciuitatibus Iſrael.

Prophetia quid Chryſoſt. de verbis Iſa. vidi Dominum.
Bethulia
B
V. C. G.
Funda.
Somnium Lyrani.
Vera lectio veterum.
C
Huc facit c. 8. infra.
V. C. G.
Sanctorum interceſſio.
D

E

CAPVT VII.

Holophernes obſeſſos in Bethulia ſiti cruciat obſtructo aquæ ductu ipſorum, ita vt fere in ſeditionem populus verſus ſit.

HOlophernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis, vt aſcenderent contra Bethuliam. Addit textus Græcus, & omni populo ſuo qui in auxilium venerant. *Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia &c.* Copias Holophernis paucis recenſet, in quarum tamen numero nonnihil etiam diſſentit Græcus Codex, qui legit peditum centum ſeptuaginta, & Equitum tantum duodecim millia. *Et venerunt per crepidinem montis, vſque ad apicem qui reſpicit ſuper Dothaim à loco qui dicitur Belma, vſque ad Gelmon qui eſt contra Eſdrelon.* Per crepidinem montis intelligere communitatem eius præcipitur: deſcribit autem circuitum ciuitatis Bethuliæ, & quo loco caſtra metati ſunt, quod interim apertius explicat Codex Græcus: Et caſtrametati ſunt (inquit,) in valle prope Bethuliam ſupra fontem, & extenderunt in latitudinem ſuper Dothaim, vſque Belmaim, & in longitudinem à Bethulia, vſque ad Giamonem, quæ eſt contra Eſdrelon. *Filii autem Iſrael vt viderunt multitudinem illorum proſtrauerunt ſe ſuper terram &c. Et aſſumentes arma ſua ſederunt per loca, quæ anguſti itineris tramitem dirigunt inter montuoſa & erant cuſtodientes ea tota die & nocte.* Iam denuo primum omnium ad humiles preces, & ad Deum confugiunt, deinde etiam humanitus ſe præparant. Quoniam interim non eſt vſque adeo veriſimile, quod tanto exercitu tam vicino auſi fuerint extra ciuitatem agere præſidia, commodior videtur lectio Græci Codicis. Et aſſumentes vnuſquiſque arma ſua bellica, & incendentes pyram ſuper turribus ſuis, manſerunt cuſtodientes die ac nocte. *Porro Holophernes, dum circumit per gyrum, reperit quod fons, qui influit aquæductum illorum a parte Auſtrali extra vrbem dirigeret & cætera.* Hoc eſt, inuenit, quod fons ille, vnde aquæductus ipſorum initium ſumebat ad auſtrum extra vrbem ortum ſuum haberet, vnde, vt frequentiſſimum eſt in bellis, incidi præcepit aquæductum. Quale quid 1. Reg. 13 legimus, vbi Phyliſtiim perconctarant, vt faber ferrarius non eſſet in Iſrael, & ſic vires ipſis reſiſtendi adimerentur. *Sed filii Ammon & Moab acceſſerunt ad Holophernem dicentes: Filii Iſrael non in lancea nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos &c.* Vt odium, quo proſequebantur Iudæos, iſti complerent, & quærentes Holopherni in eo complacere, conſilium dant ei, ad obſtruendum etiam illos paruos fontes, qui erant reliqui, quod enim ſemper filios Iſrael odio proſecuti ſint, patet etiam ex libris Iudicum, & ex libris Regum. Ideo eſt autem, ac ſi dicat, filii Iſrael non habent arma, nec exercitium præliandi, & proinde nec deſcendunt contra nos in aciem, Ideoque ſi ponantur cuſtodes prohibentes aditum fontium ſiti, aut ad mortem, aut ad deditionem compellantur. *Et placuerunt verba hæc coram Holopherne, & coram omnibus ſatellitibus eius, & conſtituit per gyrum centenarios, per ſingulos fontes.* Explicatur hic quomodo conſilium dictorum Ammonitarum & Moabitarum executioni demandatũ ſit. Latius interim hoc proſequitur textus Græcus in hunc modum: Et placuerunt verba hæc coram Holopherne & receſſerunt caſtra filiorum Ammon, & cum eis millia quinque filiorum Aſur, & Caſtrametati ſunt in valle, & præoccupauerunt aquas & fontes aquarum filiorum Iſrael. Et aſcenderunt filii Eſau, & filii Ammon, & caſtrametati ſunt in montanis contra Dothaim, & miſerunt ex eis ad Auſtrum, & Subſolanum contra Ecrebel, quæ eſt prope Chuſi, quæ eſt ſuper torrentem Mochmir, & reliquus exercitus Aſſyriorum caſtrametati ſunt in campo, & cooperuerunt faciem terræ. Vbi totum factum totius exercitus latiſſime depingens eos ipſos dicit miſſos ad impediendum aquationem eorum, qui erant in Bethulia, qui ad id conſilium dederant. *Cumque iſta cuſtodia per dies viginti fuiſſet expleta, defecerunt ciſternæ &c.* Numero huic dierum conſentit etiam Hiſtoria Scholaſtica, Græcus tamen Codex per dies legit 34. Explicat autem hic extremam aquæ penuriam, ita vt ad menſuram debuerit diſtribui ſingulis. *Tunc ad Oziam congregati ſunt viri, fœminæque iuuenes & paruuli omnes ſimul vna voce dixerunt: Iudicet Dominus inter nos & te, &c.* Ponitur hic querimonia murmuratio plebis aduerſum Oziam principem ciuitatis, multitudo enim afflicta ſiti volebat dare ciuitatem, quod Ozias & ſacerdotes impediebant, propter quod multitudo principem ad iudicium Dei vocat, imputans ſuperbiæ talem defenſionem, atque id eſt, quod ſubdit: *Et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum &c.* Hoc eſt, propter hanc noſtram rebellionem totaliter tradidit nos in manus eorum, omne ſuum ſubſidium nobis ſubtrahendo, vtpote qui ſiti cruciamur. Vnde tanquam concluſionem quandam inferunt. Nunc congregate vniuerſos, qui in ciuitate ſunt, vt ſponte tradamus nos, & cætera.

Petunt, (inquam,) vt dedatur ciuitas, idque non ſine ratione quam ſublegunt, quod nempe melius eſſet, & minus malum ſeruire Holopherni, quam ſiti perire, ac poſtremo videntes omnibus ſuis verbis nihil ſe proficere tandem ſubiiciunt: *Conteſtamur hodie cælum, & terram, & Deum patrum noſtrorum qui vlciſcetur nos ſecundum peccata noſtra, vt iam tradatis ciuitatem, & cætera.* Ac ſi dicat: contra te & ſacerdotes in teſtimonium hodie adducimus, & cœlum, & terram, & DEVM Patrum noſtrorum, quod inique nobiſcum agatis, niſi tradatis ciuitatem

Ad C. G.
V. G. C.
Explicatio lect. G. Cod.
F
V. C. G.
1. Reg. 13.
G
V. G. C.
V. C. G.
H

Digitized by Google

A

Peccatorũ meritis affligimur.

videmus enim iam iram Dei in nos deſæuiſſe, & velle vlciſci peccata noſtra, *Et cum hæc dixiſſent, factus eſt fletus, & vlulatus magnus in Eccleſia ab omnibus, & per multas horas clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus noſtris, &c.* Cum ad præcedentem murmurationem, quaſi deſperatione quadam compulſi eſſent, rurſum mentis interiora penetrantes auxilium à Deo poſtulant, peccatis ſuis inprimis ignoſci cupientes, quæ omnium malorum cauſam eſſe nouerant. *Tu quia pius es miserere noſtri, aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere confidentes in te populo, qui ignorat te, vt non dicant inter gentes, vbi eſt Deus eorum?* Miræ efficaciæ & deuotionis eſt hæc oratio, ac ſi dicant, flagella nos quantum tibi placuerit, ſed flagello tuo non hominum infidelium, in quorum manus precamur, ne tradas nos. Eſt autem ſimillima huic Dauid precatio. 2. Reg. vlt.

2. Reg. vlt.

quanquam prælegit à Deo flagellari, quam ab hominibus: Videtur itaque proceſſiſſe hæc oratio ex ore Sacerdotum & iuſtorum, qui magis timebant deſtructionem cultus diuini, quam propriæ incolumitatis. *Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus ſiluiſſent, exurgens Ozias infuſus lachrymis, dixit: Æquo animo eſtote fratres, & hos quinque dies exſpectemus à Domino miſericordiam, &c.* Indiſcretam hic videre eſt principis cum ciuibus conuentionem, qui promiſerit, ciuitatem dedere, niſi ante quinque dies veniret ſubſidium, non in hoc quidem quod diſtulerit ciuitatis deditionem, id enim certe ferunt, ſed præſcribendo terminum diuinæ miſericordiæ, quare & cap. ſequenti, ea de cauſa à Iudith reprehenditur, vt ibi videbitur.

B

Caput VIII.

Iudith vacillantes & præ timore deditionem cogitantes Iudæos conſolatur & firmat.

Et factum eſt, cum audiſſet hæc verba Iudith vidua: Hactenus præludia tantum quædam fuerunt præſentis Hiſtoriæ, iam ad ipſum ſcopum tendit, liberationem nempe populi Iſraelitici per Iudith viduam, cuius originem & parentelam paucis ſic deſcribit. *Quæ erat filia Merari, filij Idex, filij Ioſeph filij Oziæ, filij Elaci, filij Iannor, filij Gedeon filij Raphaim, filij Achitob filij Melchiæ, filij Enan filij Nathaniæ filij Salathiel, filij Symeon, filij Ruben.* Deducit autem omnem eius progeniem à patre in Merari vſque ad Symeon filium Iacob, vnde conſtat fuiſſe, & ex tribu Symeon filium Iacob, vnde conſtat fuiſſe etiam ex tribu Symeon, nam quod Symeon poſtremo loco ponitur, filij Ruben, exiſtimo mendum eſſe, hic cum in Græco codice poſtremo loco ponatur filij Iſrael, & nuſquam legamus Ruben habuiſſe filium eius nominis, cuius tamen filij enumerantur. Gen. 46 & 1. Paralip. 5. Et proinde legendum erit vltimo loco filij Iſrael, niſi malimus ſequi ſententiam Lyrani non improbabilem, qua in ſequenti cap. vbi patrem ſuum vocat Symeonem illum, qui vltus eſt ſtuprum Dinæ ſororis ſuæ, exiſtimat non enumerari omnes proauos, etiam vſque ad illum Symeonem Patriarcham, vt latius ſibi ex ipſo adferemus. *Et vir eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ, inſtabat enim ſuper alligantes manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt in Bethulia ciuitate ſua & ſepultus eſt illic cum patribus ſuis.* Non recenſet, de qua tribu fuerit vir eius, eo quod id omnibus ſit manifeſtum, commune fuiſſe apud Iudæos connubia contrahi inter eos, qui eiuſdem erant tribus, Græcus interim codex addit, de tribu & cognatione eius. Enumerat autem ſimul & originem morbi, quo Manaſſes diem obijt, quod nempe tempore meſſis hordeaceæ, cum inſtaret operarijs alligantibus manipulos, vt ſedulo magis, quod ſui eſt officij exequerentur, venerit æſtus ſuper caput eius, ex quo in lectum deciderit, vt addit Græcus textus, & mortuus ſit. Æſtum autem hunc exiſtimarunt quidam idem eſſe, quod catharrum vocant noſtri medici, quod vnde habeant, neſcio, mihi magis videtur probabile, vt intelligatur nimio æſtu caput eius afflictum, vt frequenter fieri videmus, & vehementi illi capitis dolori acceſſiſſe morbum quempiam alium, ex quo mors ſecuta ſit. Addit interim ex Græco Codice locum, in quo ſepultus fuit: in agro qui eſt inter Dothaim & Balamo. *Erat autem relicta eius vidua, iam annis tribus & menſibus ſex. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Græcus Codex legit, menſibus quatuor, locum autem hunc citans lib. de viduis. Ambroſ. Sed vt diſcat (inquit) naturæ viduitatis affectum, ſeriem ipſam proſequere Scripturarum, à diebus enim viri ſui, quibus ille defunctus eſt, veſtem iucunditatis depoſuit, mœroris aſſumpſit, per omnes dies iuuenta ieiunio, ſacrarumque temporibus feriatum non refectioni indulgens, ſed religioni deferens; Mire autem commendatur hic eius continentia, quod cum adhuc eſſet iuuencula, à marito relicta vidua ad ſecundas noluerit tranſire nuptias, quod vt facilius facto exequeretur ad euitandos aſpectus hominum, & colloquium, ſecretum ſibi in quo ſola cum puellis degeret, ædificauit cubiculum. *Et habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbatha, & Neomenias, & feſta domus Iſrael.* Interponit Codex Græcus præter, ante Sabbatha, per quæ videtur intelligere vigilias Sabbathorum, ieiunio autem vſque adeo ſe dedidit ad refrænandos motus illos concupiſcentiæ, Ieiunium enim (inquit Aug ſerm. 230. de tempore) purgat mentem, ſubleuat ſenſum, nec non ſpiritui ſubijcit, ieiunium cor facit contribulatum & humiliatum quod Deus non ſpernit, Ieiunium concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit, & cætera quæ ibidem ſequuntur, in eandem ſententiam executa eſt nunc ipſa opere, quod de iuſtis dicit Paulus ad Gal. 5. Qui autem Chriſti ſunt crucifixerunt carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs, iſtud autem vere eſt carnem ſuam crucifigere. *Erat autem eleganti aſpectu nimis, &c.* Duo dona eius magna enarrat, quæ multis infinitorum ſunt occaſio malorum, diuitias & formam, quibus tamen ipſa non tantum non abuſa ſit, quin potius multum inde illi lucri acceſſerit ad veram pietatem. Plurimum autem in Scripturis commendationis habuit, quæ cum potuerit tranſgredi, non eſt tranſgreſſa, &c. *Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat valde &c.* Simile eſt illud Sapientis. Mulier timens Deum laudabitur & laudent eam in eis portis, & opera eius. *Hæc itaque cum audiſſet quoniam Ozias promiſiſſet &c. miſit ad Presbyteros Chambri & Charmi,* & quod ipſa ad Sacerdotes non iuerit, non fuit ex ſuperbia, ſed ex zelo caſtitatis vidualis, quo inhoneſtum ducebat per vicos diſcurrere. *Quid eſt hoc verbum in quo conſenſit Ozias, &c.* Verba ſunt Iudith plena ſapientiæ, & perpetuæ pietatis erga Deum. Quanquam autem videatur prima facie ex his verbis Oziam nondum fuiſſe præſentem, ſed ſuperueniſſe cum hæc diceret, veriſimile tamen facit textus Græcus, eum adfuiſſe à principio, qui ſic habet in præcedenti. Et miſit ad Oziam, & Chabein & Charmin, & venerunt ad illam, &c. Dirigit interim ſermonem ſuum potiſſimum ad Sacerdotes, quaſi magis culpabiles, vt qui magis deberent eſſe pro cultu Dei ſolliciti, quam principes, capta enim hac ciuitate facilis erat ad Hieruſalem aditus, & ſic periculum magnum inſtabat diuino cultui, ideoque neceſſe erat ciuitatem hanc defendere, quam diu poſſent, etiam in maxima afflictione. *Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum, &c.* In quo tentarint Dominum ipſa nunc explicat, cum ſubdit: *Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini &c.* Eadem enim differentia laborauit Ozias princeps, qua olim per 40 annos filij Iſrael, eadem itaque & tentauit Deum deſperans ſic de Dei prouidentia circa ſe, ſi non primum atque optaſſet, adeſſet votis. Vnde & Paulus, 1. Cor. 10. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Dicentes enim illi eduxit nos ex Aegypto vt moreremur in ſolitudine Deum tentabant; Nam qui experiri bonitatem, aut virtutem diuinam cupit, de illo diffidere ſe oſtendit, idem autem hoc factum eſſe manifeſtum eſt. *Sed quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus &c.* Inſigne exemplum patientiæ, & fiduciæ plenę in Deum in rebus aduerſis. Poſtquam enim peccatum illis ſuum demonſtrauit ad pœnitentiam hortatur, idque ex mira Dei patientia, vnde & ſubiungit: *Non enim quaſi homo, ſic Deus comminabitur, &c.* ac ſi dicat; quod homo comminatur, ſtatim implere conatur, ſi quantum poteſt, Deus aliquando comminatur quod facere non intendit, vt patet Ionæ, 3. de Niniuitis, & de Ezechia rege Iuda 4. Reg. 20. & Eſaiæ 38. tales enim comminationes proferuntur, non ſecundum ordinem diuinæ præſcientiæ ſed ſecundum exiſtentiam demeritorum, quæ eſt mutabilis quidem, quanquam præſcientia Dei ſit immutabilis. *Et ideo humiliemus illi animas noſtras, & cum ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi dicamus flentes Domino vt ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum, &c.* Quia ieiunium & cor contritum ſine oratione parum valere ſciebat, hinc ad orationem hortatur Iudith, cõfidebat enim preces populi omnes exauditum iri à Domino, idque quia (ſicut pulchre docet Aug. dicto ſermone, 230.) quemadmodum ſine potu non eſt plena refectio, ſic & ieiunium ſine oratione non poteſt animam perfecte nutrire: Quid autem, inquit, oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium? *Quoniam non ſumus ſecuti peccata Patrum noſtrorum &c.* Cauſam explicat, cur confidat, & non dubitet orationes eorum exaudiri, quod nempe non eſſent ſecuti multiplicem illam idololatriam maiorum, de qua late tractat in 4. Reg. a & Paralip. 10. A reditu enim captiuitatis Babiloniæ non legitur populus Iſrael in hæc vſque tempora idola coluiſſe; eſt proinde & hic locus notandus contra ſententiam Ziegleri, qui tempore Ioſiæ contigiſſe hanc exiſtimat Hiſtoriam, quum tamen ſub Ioſia & Manaſſe atque alijs prædeceſſoribus Ioſiæ, ſi vnquam alias vel maxime idololatria etiam in tribu Iuda viguerit. Expectemus humiles conſolationem eius, &c. Similis eſt locus ille Pſalmi: Expecta Dominum & viriliter age. & cuſtodiet te Dominus, vnde eſt & illud Saluatoris: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Et nunc fratres, qui eſtis in populo Dei & ex vobis pendet anima illorum, &c.* Nunc ad Sacerdotes, vtpote populi doctores ſermonem dirigit, monens eos ſui officij & oneris, quo reddere tenentur rationem omnium ſubditorum ſuorum ſecundum illud Hieron. 39. Fili hominis ſpeculatorem te dedi domui Iſrael, ſi me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ſanguinem eius de manu tua requiram, &c. cuiuſmodi etiam ad verbum fere videre eſt apud eundem Prophetam cap. 3. *Vt memores ſint, quia tentati ſunt patres veſtri vt probarentur, ſi vere colerent Deum, &c.* Quali modo corda ipſorum erigere poſſint Sacerdotes paucis monet. Eſt autem ſimilis locus Deut. 13. vbi dicitur. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis Deum an non? Vtrobique autem oſtenditur modus, quo Deus hominem tentare dicitur, Vt tentare Dei aliud nihil ſit, quam probare fide. Vnde Aug. alludens ad locum Iacobi 1. Deus enim intentator malorum eſt, id eſt, non tentat ad malum quempiam, ipſe enim neminem tentat, de verbis Domini. Eſt tentatio, inquit, inducens peccatum, qua Deus neminem tentat, Eſt & tentatio probans fidem, qua tentare hominem Deus dignatur; Cui ſimilia ſunt & alia loca apud Auguſt. epiſt.

Iudith de tribu Symeon.

Textus mẽdoſus.

Gen. 46.
1. Par. 5.

C

Sententia Lyrani etiam non improbabilis.

V. C. Gr.

Æſtus quid.

Ad C. Gr.

D

Ad C. Gr.

Aug. ſerm. 230. de tẽp.

E

Gal. 5.

V. C. Gr.

F

Tentare Deum.

1. Cor. 10.

Comminatur nõnunquã Deus, nec infert pœnam.

G

Aug. loco citato ieiunium ſine oratione nihil.

Oratio quid.

Locus contra Zieglerum.

Sacerdotes ſubditorũ rationẽ reddere tenentur.

H

Tentare Deũ quid.

Aug. pluribus in locis.

A

226 ad Conſtantium lib. 3. de peccator meritis & remiſs. cap. 4. & de bono perſeuerant; cap 6 vbi tractat illud: Et ne nos inducas in tentationem, quandam vtilem tentationem diſtinguens ſecundum quod dicitur. Proba me Domine & tenta me Pſalm. 25. aliam noxiam, qua ſecundum Iacobum neminem Deus tentat, eſt quam ſignificat Apoſtolus. 1. Theſſal 3 Ne forte tentauerit vos is, qui tentat Diabolus nempe. *Memores eſſe debent, quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, &c. Et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles &c* Similis eſt locus ad Timoth. Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur, ſimilis eſt locus Pauli ad Hebræos, 11. & 12. & iterum apertior, vehementer eos increpantes & dicentes; Obliti eſtis conſulationis, quæ vobis tanquam filijs loquuta Prouerb nempe 3. Fili mi noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit; Adfert autem exemplum tentationis Abrahæ, Iſaac, Iacob, & Moyſi. Tentatus eſt enim Abraham ſuper filio Iſaac, ſuper eius immolatione Gen 22 Iacob ſuper fuga perſequutionis fratris ſui Eſau Gen. 27. & 28. Moyſes autem vbi tentatus fuerit, non attingunt commentarij, fortaſſe tamen recte tentatus dicetur, quando ipſi in rubo apparens, tria dedit ſigna quibus populum Iſrael ad credendum moueret, & tamen ipſe reſpondit, Domine non ſunt eloquens ab hodie & nudius tertius, &c. *Illi autem, qui tentationes ſuas non ſuſceperint cum timore Domini, &c.* Sicut exemplo bonorum admoneri, ita malorum exemplo terreri vult populum, alludit autem ad illud, Num. 11 vbi propter murmur populi adhuc carnibus exiſtentibus in dentibus eorum furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis, aut ad caput decimum quartum, vbi agitur de ſeditione & murmure ad reditum exploratorum in terra Chanaan, aut ad decimum ſextum, vbi de ſeditione Dathan & Abiron agitur. Et ſic, tam hic, quam 1. Cor. 10. vbi ſimiliter dicitur: Et perierunt ab exterminatore: exterminatoris nomine aut angelus, in quem Deus vindictam exercebat, aut exitialis quædam Dei potentia, & virtus peccata vindicans intelligenda venit, de poſteriori autem punitione per ſerpentes ignitos locus eſt Exodi 21. vbi late tractatur. *Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his quæ patimur, &c.* retorquendo nempe pœnas, quas ſuſtinemus in Deum & murmurando contra Deum, niſi dicamus fuiſſe fortaſſis tantæ malitiæ quoſpiam, vt tanquam ex vindicta quadam ex impatientia contra Deum tradi noluerint, ciuitatem Bethuliæ, quaſi in vltionem contra Deum, eo quod multum periculi immineret Dei cultui in Hieruſalem hac capta ciuitate ab hoſtibus. *ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe* Alludit prorſus ad illud Sapientis Prouerb 3. ſupra citatum. Eſt autem ſimillima plane & pulchra exhortatio Diui Chryſoſt homil. ad pop. Antioch. Ne cadamus inquit in tribulationibus, ſed in omnibus agamus gratias, vt aliquid magni lucremur, vt apud Deum inueniamur probabiles, qui tribulationes permittit Ipſorum lucrum Paulus nouit ſuper caput, loco citato, dicit ad Roman octauo Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem ſpem, ſpes vero non confunditur; Alludit autem in fine ſuorum dictorum etiam ad illud; Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; *Et dixerunt illi. Ozias & presbyteri, &c Nunc ergo ora pro nobis Dominum, &c* Ponitur affectus gratioſus orationis Iudith, quam ad eos habuit, ita vt ipſam, vt pro eis oret, deprecentur: conceperant enim tum in vita, tum ex verbis eius ſanctis gratiam Dei in ea eſſe. Ideo reſpondit Iudith: *Sicut quod potui loqui Dei eſſe cognoſcitis, ita quod facere diſpoſui probate ſi ex Deo eſt, & orate, &c.* Non quod velit eos anxie inquirere, quod poſtea factura eſt, nam infra dicit; Nolo actum meum ſcrutemini, ſed idem, ac ſi dicat, ſicut quod locuta ſum Dei eſſe cognoſcitis, ſic expectate euentum futurum & videbitis, quod vbi facta fuerit populi liberatio, ex Deo eſſe, quod cogitaui facere; Eſt interim etiam hic notanda humilitas Iudith, qua non ſibi ſoli, nec orationibus, & ieiunio ſuis ſolis confiſa, ſed etiam orationem pro ſe fieri poſtularet, tum à Sacerdotibus, tum à populo, vnde & ſubiungit: *Nihil aliud fiat niſi oratio pro me ad Dominum, &c.* Vnde & valedicens illi princeps cum ſacerdotibus, *Vade,* inquit, *in pace, Dominus ſit tecum. &c* ac ſi dicat prout petiſti, nolumus amplius actum tuum ſcrutari, tu quod bonum videbitur, & inſpiratum à Deo fuerit, exequere.

Heb 11 & 12.

Gen 22.
Gen 27 & 28.

B

Num 11.
Num 14.
Num 16.
1 Cor 10.
Exterminator quis.
Exod 21.

Supplicia petentium tribulationes;

C

Capvt IX.

D

Iudith oratorium ingreſſa, cilicio induta & caput cinere conſperſa, Deum orat pro populo ſuo proſtrata in terram.

Qvibus abſcedentibus Iudith, ingreſſa eſt oratorium ſuum. & induens ſe cilicio, &c. Cum Holofernes ille (inquit Auguſt. ſerm. 228. de tempore) filiorum Iſrael, ſui exitij inimicus, exterarum gentium ſibi ius vindicaret, atque obſidione, armis ignibuſque pugnaret, nec non & multarum gentium campos, canis meſſibus oneratos, in cinerem paſcente flamma conuerteret, Iudit ſanctiſſima, cuius precibus patuit cœlum orationis ante arma ſuſcitauit, quibus aduerſa confligeret, & paueſcentes viros, fœmina vindicaretur, non enim ſuffecerunt illi preces aliorum tantum quotquot erant in ciuitate, niſi & ipſa ſe quantum potuit, humilians eidem operam daret, ſciens illud Eccl. 35. Oratio humilianti ſe, penetrat nubes, cilicio autem dicitur induta etiam exterius, nam vt ſupra præced. cap. dictum eſt, habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ; *Domine Deus patris mei Symeon:* Intelligit Simeonem Patriarcham, vnde & ſupra cap. præcedent, oſtendimus paucis, Iudit fuiſſe de tribu Simeon, non Ruben, quia tamen ibi Ruben poſtremo ponitur loco, exiſtimarunt quidam, teſte Lyrano, ex paterno, eam fuiſſe de tribu Ruben; ex materno vero de tribu Symeon. Verum non videtur habuiſſe tam ſancta mulier parentes, qui legem non obſeruarent, cum itaque lege præceptum fuerit, vt quilibet de ſua tribu exiens duceret, Numeror 26. id non videtur veriſimile, quare aut dicendum erit vt ſupra, mendum eſſe in præcedenti capite & legendum, Filij Iſrael, non filij Ruben, cui fauet & codex Græcus, qui id poſtremo loco ponit, nec Ruben mentionem facit, quanquam & ibi deeſſe videntur, Filij Simeon, quod in noſtro textu habemus, aut (quod non minus eſt probabile) ſequenda erit Lyrani ſententia, quod cap. præcedent. non omnes generationes Iudith ad Simeon deduxerit, ſed tantum proximos enumerarit parentes, quod nullum facit veriſimile, prolixum illud annorum ſpatium, quod intereſt inter natiuitatem Symeon, & ætatem, qua Iudith claruit vtpote annorum mille ducentorum ſexaginta & amplius, qui faciunt plus quam generationes 30. A natiuitate enim Iſaac ad exitum vſque de Ægypto anni fluxerunt quadringenti, vt patet Gen. 15 quibus ſi ſubtrahas annos, centum 8. A natiuitate Iſaac vſque ad natiuitatem Ruben & Simeon, manent adhuc reſidui 300. minus annis octo. Iam ab exitu de Ægypto, vſque ad fundationem templi per Salomonem anni fluxerunt 480. 3. Reg 6. & inde vſque ad deſtructionem eius per Nabuchodonoſor anni 410 ſecundum Hebræos, & poſſent probari per tempora Regum, qui regnauerunt à tempore Salomonis vſque ad annum 11. Sedechiæ, quo nulla diſſentio facta eſt, inde ruſum vſq; ad quartum annum Cyri, in quo fundatum eſt 2. templum, anni, vt minimum 72. & inde ruſum 8. vſque ad Cambyſen efficiunt itaque ſimul anni 1260. quibus ſi addas adhuc 8. annos Cambyſis, & reliquos Darij, ſub quo contigiſſe dicimus hiſtoriam, etiam plures erit reperire; Quod autem ſpatio hoc annorum fuerint ad minimum 30. generationes patet tum inde, quod omnes generabant tot annorum exiſtentes 40 tum in Genealogia Chriſti Matth 1. vbi ab Abraham vſque ad tranſmigrationem Babylonis generationes ſunt 28. & tamen ommittuntur ibi tres generationes Regum Iuda, teſte Hier. in comm. & ruſum ſub nomine Booz ponuntur tres generationes pro vna. & iterum a tranſmigratione Babylonis vſque ad Darium, ſub quo contigit hæc hiſtoria, fluxerunt anni 86. aut circiter, qui vt minimum duas faciunt generationes, ſecundum hanc inquam ſententiam, Ruben iſte erit alius quidam de tribu Symeon, in quo deſinat Genealogia Iudith, eo quod vir fuerit magni nominis. *Qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua. &c.* Sicut in præced. cap. 1. ſic & hic defenſio pro vltione accipienda eſt, vnde & Codex Græcus legit in vltionem, arguit autem manifeſto locus iſte ipſam loqui de Simeon Patriarcha, vtpote quum non poſſit illud alteri cuipiam hiſtoriæ accommodari, niſi occiſione Sichimitarum ob conſtuprationem Dinæ filiæ Iacob, de qua Gen. 34 quæ facta eſt per Symeon, & Leui fratres Dinæ, poſſet interim etiam intelligi, datus huic gladius in defenſionem (vt notat Lyranus) eo quod non auſi fuerint propinqui gentiles, Iacob & filios perſequi credentes, vt in Gen. 35. territi à Deo, & ex furto Symeon & fratrum eius. Bene autem in oratione actum Simeonis commemorat, qui cum ſeu lani ſtuprum ſororis Dinæ vltus eſt, futurum enim etiam erat, vt Holophernes, qui in Iudith voluit explere immunditiam libidinis, gladio feriretur vltionis. *Qui Zelauerunt Zelum tuum, &c.* Quanquam enim modus vlciſcendi eo fuerit non commendandus, quod pactum frangerent cum Sichimitis, interim zelus tamen vlciſcendi ſtuprum fuit licitus & iuſtus, eo quod non haberet iudicem etiam, qui furtū puniret, cuius author erat princeps ciuitatis & populus eius fautor. & eo modo loquitur hic Iudith, ſecundum priorem vero modum, Iacob Geneſ. 34. Rex Senner malum dicent, Simeon & Leui fratres Vaſa iniquitates tollentia, *in conſilium eorum non introeat anima mea*, &c niſi id dicere velimus reſpexiſſe eum magis ad Prophetiam de Chriſto. *Tu enim feciſti priora & illa. poſt illa cogitaſti. &c. Græcus codex ſic habet:* Tu enim feciſti priora illorum & illa, & poſteriora, & præſentia, & ſuperuenientia cogitaſti, vbi paulo clarior eſt ſenſus, tu enim feciſti, quæ nunquam ante illa tempora facta ſunt, (vt illorum Genitiuus more Græco pro Ablatiuo ponatur) a creatione nempe mundi & vſque tempus, & illa etiam & quæ nunquam poſtea facta ſunt, quæ quam nunc fuerunt, & ſuperuenientia futuraque cogitaſti, ordine inquam diſpoſuiſti omnia *Reſpice contra caſtra Aſſyriorum nunc. ſicut tunc caſtra Ægyptiorum videre dignatus es, &c.* Sicut luxurioſum Holophernem, luxurioſis prius Sichimitis, ſic & ſuperbos ſuperbis Aſſyrios Ægyptijs comparat, ac ſi dicat, ſicut diuina oſtenſa eſt potentia in illorum, ſic & in iſtorum ſubuerſione manifeſtabitur Alludit autem ad illud Exod. quarto. Reſpiciens ſenile nempe iuſtitijs Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & illud Pſalm. Vultus autem Domini ſuper faciem maris. *Et tenebræ fatigauerunt eos, &c.* alludit ad illud eiuſdem capitis. Erat autem nubes tenebroſa ex parte Aegyptiorum, ſic & illuminans noctem, ex parte Hebræorum, ita vt adſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. *Qui conteris bella ab initio, &c* Hoc eſt ab antiquis temporibus, vt patet de Amalech contra filios Iſrael pugnante Exod. 17. De Og rege Baſan & Seon rege Amorrhæorum

E

F

G

H

Num.

A Num. 21. de regibus contra Ioſue pugnantibus Ioſ. 10. & pluribus alijs in locis. *Cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt ſe violare ſancta tua, &c.* Vt magis Deum ad miſericordiam commoueat, ponit ei ante oculos cultus diuini deſtructionem, quam meditabantur Aſſyrij, & contra Bethuliam, ſine magna difficultate opere compleuiſſent, promiſerunt enim iſtud Regi Nabuchodonoſori, vt ipſe ſolus dominaretur in Cara. & Deus nominaretur, vt ſupra dictum eſt. Sap 3. *Fac Domine vt gladio proprio eius ſuperbia amputetur, &c.* Hoc non dicit delectatione pœnæ, ſed amore iuſtitiæ, ſic & Prophetæ, quicquid in ſapientia iuſto iudicio vident futurum & inde ſapientiam petunt vt fiat, quale eſt illud Pſalm. 68 Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, &c. & illud Act. 23. Percutiet te Deus, paries dealbate, videtur autem hic prophetice loqui, eo quod poſtea contigerit, vt periuit amputato capite Holophernis proprio ipſius gladio, vt infr cap. 13. *Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex laqueo charitatis meæ, &c.* Ac ſi dicat, ſic alliciatur aſpectu oculorum meorum, vt ex eo illi familiaris efficiar, vt poſtulata adimplere valeam & ſi oculis ſolis id exequi nequiuero, etiam verbis meis id fiat, amorem prætendentibus, vnde Græcus Codex legit, labijs deceptionis meæ, quomodo autem iſtud fecerit, Iudith, & an petierit à Deo ſimpliciter, an aliter, tractabimus cap ſeq vbi de eius cõpoſition edicemus, non ex libidine, ſed ex virtute fuiſſe. *Da mihi in animo conſtantiam. &c.* Quia quod petebat arduum, erat potiſſimum, vt a muliere B cuius fere natura inconſtans eſt, perpetraretur. petit à Deo conſtantiam ſibi dari, vt nec timeat hoſtem, nec horrore deterreatur à perpetrando facinore in cæde Holophernis; Cauſam autem ſuæ petitionis ſubdit, dicens: *Erit enim hoc memoriale nominis tui. &c.* Ac ſi dicat, quum per fœminam iſtud patratum fuerit opus tam mirabile, & ſexus fragilis tantum auſus fuerit, ſoli tibi Deo aſſeribetur gloria, nec enim in multitudine eſt virtus tua ſita, quum ſolo poſſis nutu ſubuertere. *Nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi, ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. &c* Ruiſum ſuperbiam hoſtium & ſui populi, ſuamque prædicat humilitatem, ſciens quod Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus autem dat gratiam. In Græco interim Codice, plura ſunt verba maiorem affectum exprimentia, ſic enim legitur: Sed humilium es Dominus & miſerorum adiutor, defenſor impotentium, deſperantium protector, ſpe carentium Saluator. Concludens autem orationem ſuam: *Memento* (inquit) *Domine teſtamenti tui, &c.* Ac ſi dicat, ſi tuam hanc miſericordiam non mereantur noſtra merita aut humilitas noſtra, recordare promiſſionis iam olim factæ, & ſi nobis non parcis, parcas ſaltem cultui nominis tui, & efficias, ne blaſphemetur nomen tuum in gentibus.

C A P V T X.

C *Iudith ornamentis compta, vrbem egreditur cum ancilla, quæ ab exploratoribus retenta, ducitur ad Holophernem.*

F*Actum eſt autem cum ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtrata ad Dominum, &c* Poſtquam muniuit ſe armis orationis, incipit ſe præparare ad executionem eorum, quæ propoſuerat, vocataque Abra ſua, id eſt, iuniore ancillula (id enim ſignificare dicunt Græcam vocem eius linguæ periti) deſcendens è ſuperiori, quod ſibi à morte viri ædificarat, cubiculo, exuit ſe imprimis cilicio, & veſtibus viduitatis: *Et lauit corpus & vnxit ſe myrto optimo. & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput, &c.* Latius explicat ornatum, quo ſe ornauit, pro eo autem quod nos habemus myrtho optimo, Græcus Codex legit vnguento pingui, interim redit vtrumque in eundem ſenſum, & diuerſitas orta videtur ex vicinitate nominum, *Myron* enim vnguentum ab Homero vocatur, ſi autem legamus, vt noſter textus, intelligendus erit de vnguento confecto, aut ex myrrha, aut ex myrtho, cum vtraque ſit herba odorifera, vnde vnguenta confici ſolent, mitra autem muliebrem coronam ſignificat ad ornatum capitis, qua vti ſolent adoleſcentulæ ex qua pendebant faſciolæ, quæ Phylaræ dicebantur, quoniam florum inſtar depen-D derent. Ponit autem & inter ornamenta mulierum multa Eſaias capite tertio vbi & plura alia enumerat ornamenta, quorum hic fit mentio. *Et induit ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſit dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, &c* Sandalia genus calceorum dicit eſſe Lyranus æſtiualium, qui corio deſuper non ſunt contecti. Variat autem & hic nonnihil Codex Græcus, quod non fiat ibi mentio liliorum, nec ſandaliorum, ſed ſic legitur, Et induit brachiorum ornamenta, & dextrariola & inaures, &c. Vnde fortaſſe non omnino male colligat quiſpiam, primo loco poni explicationem poſterioris, vt dextrariola intelligantur eſſe brachiorum ornamenta; Quod enim aut quale ornamenti genus ea vox ſignificet, valde incertum eſt; nam apud ſcriptores inueniemus quidem vſurpatas has voces: Dextrale & dextrocherium, verum vox quæ hic ponitur, an apud vllum inueniri poſſit neſcio. Poteſt itaque accipi, vel pro dextrali, quod dextera eſt ornamentum tam viris quam mulieribus, aut pro dextrocherio, quod muliebre eſt ornamentum ex auro in annuli lati formam gemmis præcioſiſſimis intextum, vulgo bracolellen vocamus Vtitur autem ea voce Iulius Capi-

E tolinus, quum ſcribit Maximianum pollice fuiſſe tam faſto, vt vxoris dextrocherio pro annulo vteretur, facit autem pro poſteriori hoc ſenſu vox Græ. *ta pſellia*, quæ vel Ammonio teſte armillas ſignificat, armillæ autem pro ornamentis brachiorum à plerisque accipiuntur, nec obſtat quod eiuſmodi ornamenta olim viri militares ſibi ab Imperatoribus donata non in dextris, ſed ſiniſtris brachijs ferre conſueuerint, quæ brachialia vocat Cyprianus, quia mulieres in vtroque brachio, & potiſſimum dextro ijs vterentur. Lilia autem videntur eſſe faſciolæ illæ à mitra dependentes, de quibus ſupra, quæ Phylari dicebantur, quoniam florum inſtar dependebant, aut in illarum extremitate bullulæ aureæ dependentes in fili ſimilitudinem, quale quid videntur fuiſſe lunulæ illæ, quarum mentionem facit Eſaias cap dict ſecundum Hieron. *Et omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. &c.* Addit Codex Græcus, quibus ornabatur in diebus vitæ viri ſui Manaſſes diuturnis igitur mœroribus (inquit Ambroſ lib de Vidu.) & quotidianis roborata ieiunijs ſancta Iudith, quæ ſæculi oblectamenta non quæreret, periculi negligens, mortiſque contemptu fortior, vt non mente ſtrueret dolum, veſtem illam iucunditatis, qua viuente viro veſtiri ſolebat, ſe induit, quaſi placitura viro, ſi patriam liberaret, ſed virum alium videbat cui placere quærebat. illum vtique de quo dictum eſt, Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, ſed rurſum lib. 2 de virginibus Iudith, inquit, ſe vt adultero placeret, ornauit, quæ tamen quia hoc religione non amore faciebat, nemo eam adulte-F ram iudicabat, bene ſumpſit exemplum, nam ſi illa, quæ ſe commiſit religioni & pudorem ſeruauit & gratiam, & nos ſeruando religionem ſeruabimus & caſtitatem; Quod ſi Iudith pudicitiam religioni præferre voluiſſet, & pudicitiam perdidiſſet & patriam; *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat, &c.* Ad intellectum huius & præcedentium, atque etiam ſequentium notandum duplicem hic eſſe commentarium, quibuſdam dicentibus affectionem illam, ad liberandum populum in Iudith licitam fuiſſe & honeſtam, per ſimulationem vero eius affectionis feciſſe, & dixiſſe, & petijſſe quædam illicita, & eo modo petijſſe ardorem libidinis excitari in Holophernem, eaque de cauſa ſe ornaſſe, & plura per mendacia Holopherni & ſuis præſumpſiſſe, propter prius itaque illud ipſum in Scriptura commendari, & orationes eius exauditas & pulchritudinem eius diuinitus augmentatam, ſicut Exodi primo Obſtetrices commendantur de bona affectione, quam habuerunt ad ſeruandum pueros Hebræorum, non autem de ſuo mendacio; Et alijs contra negantibus illam in aliquo hic peccaſſe, nec in oratione prædicta, nec in ſui ornatu, nec etiam in verbis, quæ videntur mendacia in ſequentibus. Dicunt enim quod Iudith aliud intendebat, aliud prouidebat: intendebat enim ſic fieri grata Holopherni, vt cum eo conuerſando familiariter poſſet ad cædem ipſius pertingere, ſed præuidebat amorem illum illicitum Holophernis circa ſe, nec tamen propterea debuit propoſitum non complere, quemadmodum nec Deus peccatorem minus punit. ex eo quod præſciat, ipſum ſic peiorem effici, vel ſic ſaltem ambiebat fa-G miliaritatem Holophernis vt vellet ſe in rigorem ducere, & ſic opportunitatem exſpectaret perpetrandæ cædis, nec talis interfectio inſidioſa peccatum fuit, nam in bello iuſto licitum eſt inſidijs vti, vt patet Ioſ. 8 bellum autem filiorum Iſrael contra Holophernem erat iuſtiſſimum vtpote pro cultu Dei. Atque iſtud valde conforme eſt huic loco, & dictis verbis Ambroſij, quæ alioqui falſa viderentur, an vero ſimili modo mendacium eius ſit excuſandum, agemus infra *Impoſuit itaque Abra ſuæ Aſcopam vini* Exiſtimo prorſus legendum aſcoperam, quum correſpondeat textus Græcus & eius interpretes. & vox ea vſurpata ſit, pro vtre pellicio, ſiue marſupio, ab *aſcos.* quod vter, & *pyra*, quod peram ſignificat, eo autem vocabulo, & Suetonius vſus eſt in Nerone, alterius (inquiens) collo aſcopera deligata, nihil itaque aliud aſcopera vini, quam vtrem vini ſignificat *Et vas olei & polentam, & lapates, & panes, & caſeum, & profecta eſt,* Paulo aliter iterum hic legit Codex Græcus, Et peram impleuit farina, & palatha & panibus mundis; Ex quo videtur fuiſſe aſcopera ſimul cum vtre, etiam marſupium, in quo cibos ferre liceret, eſt autem hæc lectio, vt videtur probabilior, quod commodius faciunt, quam ſi polentam deferre ſecum licuerit, & rurſum in eo quod legat palatha, videtur enim in noſtro textu vitioſe prorſum legi lapates, ſed potius legendum palathas, quum vox illa ſcriptoribus prorſus ignota ſit. *Palati* vero Heſichio teſte, maſſam ſignificat caricarum & ficuum, dicitur autem quaſi inter palas compreſſa, eandem etiam vocem repe-H rire eſt, 2. Reg. 16. Apparuit Siba puer Miphiboſeth in occurſum Dauid cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ paſſæ, & ſeptem maſſis palatharum, pro quo legit Græci Codicis interpres, ficuum æſtiualium, quanquam enim proprie maſſam integram ſignificet, ficuum ſiccarum, ſiue caricarum, vtrobique tamen accipi videtur, pro ipſis finibus vſus, & in plurali ponitur. *Nihil tamen interrogantes eam dimiſerunt tranſire, &c.* Obtemperant mandato, quod ipſis præced cap. iniunxerat, ne facta eius ſcrutarentur, tractans autem locum hunc Ambroſius libro tertio Officiorum cap. tertio Quanta, inquit, honeſtatis authoritas, vt conſilium de ſummis rebus fœmina ſibi vendicaret, ac principibus populi committeret? Quanta honeſtatis authoritas vt Deum adiutorem præſumeret, quanta gratia vt inueniret eum; *Factum eſt autem cum deſcenderet montem circa ortum diei, &c* Iam narratio inſtruitur, quomodo in manus hoſtium Iudit deuenerit, egreſſa eſt aũt circa ortũ diei, vt clam cuſtodib egreſſa crederetur, & ſic facilius eis imponeret, ſolent enim fere illa hora ſe ad ſomnum vigiles componere; *Ideo ego fugi à facie eorum quoniam*

futurum

A *futurum cognoui, quod dentur vobis in deprædationem.* &c. Hæc & ſequentia verba, an excuſanda ſint a mendacio dicemus cap. ſeq *Et dixerunt ad eam: conſeruaſti animam tuam, duxeruntque illam ad tabernaculum Holophernis,* &c. Paulo latius hoc narrat Codex Græcus: Et elegerunt ex eis viros centum & currum iunxerunt ei, & ancillæ eius, & duxerunt, &c. Prodit (inquit Aug ſermone 228. de tempore) ſecura vnius puellæ comitatu contenta, & hoſtium ſecuris greſſibus properauit in caſtra. Intra muros ſollicita fuit, ſecura fit cum ad timenda peruenit, in qua fœmina inſidioſæ pulchritudinis nouitatem hoſtilis exercitus vehementer expauit, vt in eius obſequio, vices amitterent, arma proijcerent, & colla curuarent. Deducitur ad prætorium ſubiectis ordinibus, fraus Holophernis, & lugentis victoria ciuitatis. *Cumque intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in oculis ſuis Holophernes,* &c Hoc eſt, ſtatim accenſus eſt immoderata concupiſcentia eius; An autem concupierit eam pro concubitu fornicario tantum, an vero pro coniugali, ex textu non clare patet, nam ſequentia aliquando huic, aliquando illi videntur fauere ſenſui, ſufficit interim intentio Iudith bona, vt ſupra dictum eſt, vt non peccauerit in ſui ornatu, vnde dicto loco ſic Aug. Quam cum videret, inquit, Holophernes ſolutus eſt ſenſibus, animam cum capite perditurus. Iacuit enim mulieris vultu captiuus, licuit mulieri inermare iuuenes & debellare victores, ſollicitam defendere ciuitatem, & barbarum ſubuertere bellatorem. Decepit ſyncera corruptum, fefellit caſta pollu-
B tum, Illa enim tum barbaros animos inſidioſi ſui vultus fraude tõſuderat, vt redderet inter exercitus victum & inter arma captiuum; *Videns itaque Iudith Holophernem ſedentem in Conopæo,* &c. In cathedra nempe ſupra quam ad magnificentiam ſedis appoſitum erat Conopæum, cortina inquam inſtar Papilionis in modum pyramidis facta, primum autem inſtitutum eſt id genus ad arcendum culices à thoro, vnde eo maxime vtuntur Alexandrini, quod eò ex Nilo culices confluant, quos Græci *Conôpas* dicunt, poſſit interim eo modo appellatum intelligi à Conope Ægypti oppido, id enim & alias ſupra in ſimilibus deriuatum putat Lyranus à cono, in quo ſuſius terminari abſurdum eſt.

Capvt XI.

Interrogata Iudith ab Holopherne ſuper cauſa fugæ verborum ſuorum lenocinio pulchre illi imponit.

T*Vnc Holophernes dixit ei: Aequo animo eſto, & noli pauere in corde tuo quia nunquam nocui viro, qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor,* &c. Ecce tibi, ſe Iudith (inquit Ambroſius lib Offic. 3. cap. tertio) offert mirabilis, quæ formidatum populis, virum Holophernem adijt, Aſſyriorum triumphali ſuperatum ca-
C terua. Vnde prima fronte, per gratiã. & vultus decorem eũ perculit, deinde ſermonis circumſcripſit elegantia. Primus triumphus quod Integrum pudorem de tabernaculo hoſtis inuexit Secundus quod fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos conſilio ſuo, horruerunt Perſæ audaciam eius, quod autem forma eius illectus, tam humaniter cum ipſa loquatur manifeſtum eſt, vtpote alias etiam in ſubiectis ſecurus quod dicit ſe nunquam nouiſſe impium, qui vellet ſuo ſeruire Domino, mendacium eſt, mendacio mox retundendum *Et dixit illi Iudith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam ſi ſecutus fueris verba ancillæ tuæ, faciet Dominus perfectam eſſe tecum,* ac ſi dicat: faciet te Dominus peruenire ad propoſitum ſcopum, Quamquam autem tam hic, quam in præced. cap. in verbis, quæ ad vigiles locuta eſt; conantur quidam Iudith à mendacio excuſare, & verba eius veritatem habere poſſint ſecundum quendam ſenſum myſticum, quia tamen ſecundum ſenſum literalem, qui primo omnium ante reliquos conſtituendus eſt, non videtur poſſe excuſari, amplectendam hic exiſtimo eorum ſententiam, qua mendacia hæc officioſa fuiſſe dicuntur, & proinde peccata venialia, à quibus non mirum eſt, ſi Iudith non excuſetur, quum etiam de ſe dicat Ioannes Euangeliſta ille & Apoſtolus ſup 1. epiſt. cap. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus, nec obſtat commendatio eius in ſcriptura, quędam enim in ea commendantur, non propter perfectam virtutem, ſed propter quandam virtutis indolem, ſcilicet quia apparebat in illis aliquid lauda-
D bilis affectus, ex quo mouebantur ad quædam inſolita facienda Quemadmodum itaque obſtetrices Exodi 1. commendantur, & commemorationem acceperunt, eo quod timuerunt Deum, non eo quod mentitæ ſunt. Sic & Iudit laudatur non ob mendacium, quo mentita eſt Holopherni, ſed propter affectum liberationis populi, cuius gratia periculis ſe expoſuit. *Viuit enim Nabuchodonoſor Rex terræ & viuit virtus eius quæ in te eſt,* &c *vt fallacem fallat & illuſorem illudat.* Primum magnifice extollit potentiam tam eius, quam Domini ipſius, non eſt autem iſtud cenſendum iuramentum, quum alioqui à mortali peccato excuſari non poſſit, ſed tantum ſimplex falſi aſſertio. *Nec hoc latet, quod locutus eſt Achior,* &c. Vt illudat magis, etiam eam Holophernis ſententiam approbat, qui Athior deuictis Iſraelitis morti deſtinarat, idque ita futurum confirmat ob peccata populi, quibus quod offenſus eſſet, Deus nunciaſſet per ſuas Prophetas, & interim hoc inter mendatia numerandum, ſi enim ita fuiſſet, peccaſſet ipſa impediendo ne dederetur ciuitas. Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora ſua, & bibant ſanguinem eorum; Videtur & hoc falſum fuiſſe, quum vel maxime prohibitum eis fuerit ſanguinem

E comedere, quomodo interim poſſit hoc verificari, etiam ſecundum literam, cui lubet videre, licebit apud Lyranum. *Et ſancta Domini Dei ſui quæ præcepit Deus non contingi in frumento, vino, & oleo. hæc cogitauerunt impendere ſic volunt conſumere, quæ nec manibus deberent contingere,* &c Videtur prima facie ſenſus, quod ſancta vaſa decreuerant impendere in emptionem frumenti, vini, & olei, verum quum non viſa in Hieruſalem vaſa eiuſmodi fuerint, ſanctorum nomine intelligenda ſunt hic primitiæ, & decimæ Sacerdotibus debitæ, vt apte explicat Codex Græcus ſic habens, Et primitias frumenti & decimas vini & olei, quæ ſeruauerunt ſacrificantes Sacerdotibus aſtantibus in Hieruſalem ante faciem Domini Dei noſtri decreuerunt conſumere, quæ neque manibus conueniebat contingere quempiam è populo. Vbi etiam in poſtrema particula mendacium eſt, eo quod neceſſitatis tempore poterant comedi, vt patet de Dauide 1. Reg. 21. qui cum ſuis panes propoſitionis comedit etiam de voluntate ſummi Sacerdotis, eiuſmodi ſunt & reliqua eius quæ ſequuntur verba. *Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holopherne.* &c Eius approbationem verborum Iudith per Holophernem & principes eius, ita vt ſi ſic ſuccedant omnia, videntur illi ſuum coniugium promittere, & cultum Dei ipſius, an autem id vere, an ſub dolo non refert.

Capvt XII.

F
Iudith in domum theſaurorum introducta proprijs veſcendi cibis, facultatem obtinet, & nocte ad orationem egrediendi, inducta autem coram Holopherne ad conuiuium ſimul comedit.

TVnc iuſſit eam introire vbi repoſiti erant theſauri eius, &c. Reſponſio Iudith. quæ prius verbis tantum nunc etiam facto comprobatur, iuſſit enim eam introduci Holophernes in locum theſaurorum tanquam chariſsimam ſibi, & cui non minus confideret quam propriæ coniugi, quid, quod de cibis quotidianis illi prouideat, cui reſpondit Iudith & dixit. *Nunc non potero manducare ex his quæ mihi tribuis,* &c ac ſi diceret, excuſatum me habeas paruo tempore, ne fortaſſe offenſus Deus, quæ iam dixi non perficiat, videntur enim inter hos cibos, quædam fuiſſe cibariorum genera, lege prohibita, quia vt patet Gal. 2. nefas ducebant Iudæi cũ gentibus edere. Quid autem (inquit Ambroſ. de vid.) eius ſapientiam prædicemus, quod huiuſmodi commenta eſt conſilium, vt dum potentem elicit, intemperantia inferiores arceret, occaſionem pararet victoriæ, abſtinentiæ meritum, & pudicitiæ gratiam conſeruaret; Nec enim cibo vt legimus maculata nec adulterio, non minus ſeruatæ caſtitatis ex hoſtibus euexit trophæum quam
G patriæ liberatæ Et rurſum epiſt 82. Iudith luxurioſo Holopherni nequicquam inflixit conuiuio, ſolo titulo ſobrietatis deſperatum, animis virilibus reportauit triumphum, patriam obſidione exuit, ducem militiæ ſuis manibus occidit, Ægyptum docuit, quod & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria ſua emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi viris æqualem fecit, Non hic in ſexu ſuo victa eſt natura, ſed in cibo ſuo victa eſt, & regem ſuperbum ſuis inclinauit ieiunijs *Et dixit Iudith,* &c *Non expendet hæc omnia ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitaui,* &c. Hic veriſsima dicit & velut prophetare videtur, nam prius eſt per eam interfectus Holophernes, atque id ipſa facere cogitabat, quanquam aliud expectaret ipſe Holophernes, *Et intrans munda manebat in tabernaculo, vſque dum acciperet eſcam ſuam in veſpere,* &c. Hoc eſt munda manebat à conſortio gentilium, dicitur autem vſque dum, non quod tunc etiam non munda manſerit, ſed modo loquendi Scripturis vſurpato, quo, donec, & vſque ſæpe tempus infinitum ſignificant, vt eſt illud Matth. 1 *Donec peperit filium ſuum primogenitum,* & illud Math 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad fines ſæculi,* de cuiuſmodi locis pluribus pulcher eſt tractatus apud Hieron contra Heluidium, Manifeſtum eſt interim ex his verbis, quod etiam in caſtris Holophernis, vſque ad veſperam ieiunarit Iudith, quo eius magis exaudiretur oratio, Vnde Chryſoſt. ex varijs in Matth. locis hom. 10. Dum lætitia (inquit) vultus Iudith tegitur de hoſte triumphum victoriæ reportauit *Et factum eſt*
H *quarto die, Holophernes fecit cœnam ſeruis ſuis, & dixit ad Varao eunuchum ſuum.* &c Nunc tranſit ad occaſionem, qua vſa eſt Iudith ad cædem Holophernis, videtur autem celebraſſe hanc cœnam ipſe tanquam nuptialem, vtpote qui in animo haberet ipſi nocte ſequenti connubere. Inſtabat autem hic maximum Iudith caſtitati periculum, niſi Deus iuuaret, Vtique (inquit) de Offic lib. 3 Ambr non expauit mortis periculum. ſed nec pudoris, quod eſt grauius bonis fœminis, non vnius ictum carnificis, ſed nec totius exercitus tela formidauit, ſtetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter arma victricia, ſecura mortis, Honeſtatem igitur ſecuta eſt Iudith, & dum eam ſequitur, vtilitatem inuenit, honeſtatis enim fuit prohibere ne populus prophanis ſe dederet, ne ritus patrios & ſancta proderet, ne ſacras virgines, viduas, graues pudicas matronas barbaricæ ſubijceret impuritati, ne obſidionem deditione ſolueret, honeſtatis fuit ſe malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo, hoc autem hic notandum, quod Græcus codex paulo aliter in hunc legat modum: Et dixit Varoa eunucho, qui erat præfectus ſuper omnia quæ eius, atque ſic etiam olim lectum fuiſſe. Bacua nempe aut Barua, non Varao, vt noſter legit textus,

parer

A patet vel ex Seuero Sulpicio hiſtori. ſacr libro ſecundo vbi ſuam ſententiam, qua exiſtimat hiſtoriam hanc contigiſſe diu poſt hiſtoriam Heſter, ſub Ocho Rege, qui poſt Artaxerxem vicit Longimanum, eo vel maxime confirmat argumento, quod Baquas Spado ipſius Ochi natione Ægyptius iniuriam, quam ille Regi Ægyptiorum irridendo eum fecerat deuicta Ægypto morte Regis vltus ſit. Hiſtoria aũt hæc meminerit cuiuſdam Baquæ & hoc cap. 2. de ſequente. Sicut interim ille tali argumento ſuam confirmat ſententiam, ſimili plane, & noſtram licebit confirmare, (vt in præfatione diximus) eo quod clarius ille Hyſtaſpis, ſub quo contigiſſe dicemus hiſtoriam, præfectum quendam habuerit Baquæ nomine, per quem (teſte Sabellico) necem Oliganis cuiuſdam procurauit vitæ ſuæ inſidiantis, *Cui Iudith quæ ego ſum. vt contradicam Domino meo. &c* Poſſunt hæc verba intelligi illuſorie dicta, & ambigue loquendo, illuſorẽ ipsũ decepiſſe, intelligebat enim Vagao aut Baques (vt C.G) eam loqui de Holopherne, ipſa vero locuta videtur de Domino Deo, *Et ſurrexit & ornauit ſe veſtimentis ſuis, & ingreſſa ſtetit ante faciem eius, &c* Ornauit ſe tanquam ſponſa, tam ſponſo matrimonio iungenda. Paulo interim latius hic exſpatiatur Codex Græcus in hunc modum: Ornauit ſe veſtimento ſuo, & omni ornatu muliebri, & introiuit ancilla eius, & ſtrauit ei ante Holophernem in terram pelles, quas acceperat à Bagua ad quotidianum vſum vitæ ſuæ, vt reclinata manducaret ſuper illas, & ingreſſa accubuit Iudith. Cor autem Holophernis concuſſum eſt, &c. Hoc eſt nimio ardore libidinis commotum, quanquam autem

B etiam iſtud accipiatur, vt eam voluerit tanquam vxorem cognoſcere, id tamen facturus eſt ardore libidinis non ſpe prolis. *Et dixit Iudith. bibam Domine. quoniam magnificata eſt anima mea hodie, &c* Videbant enim appropinquare horam liberationis populi, paratur (inquit Auguſtinus ſermone ducenteſimo vigeſimo octauo) conuiuium regi, Iudith intereſſe iubetur, illa conſentit, vt vincat, accedit ad conuiuium, nihil de cibis aut poculis hoſtium guſtatura, quæ ſuis vtenſilibus voluit eſſe contenta, Quamuis ille bellator armorum tam caſtæ fœminæ male ſanus attenderet vultum, illa tamen quare venerat, de eius capite cogitabat, quo ſublato ea fortis ciuibus ſubueniret, & multa capita liberaret, defenderet, vindicaret. *Et iocundus factus eſt Holophernes ad illam, bibitque vinum multum nimis. &c* Vtpote qui ex ardore libidinis tam perdiderat diſcretionem cauendi ſibi ab exceſſu vini, vino autem (inquit Hieronymus libro tertio in epiſtolam ad Galatas) ſenſus hominis euertitur, pedes, caput, mens vacillat, libido ſuccenditur Vnde Apoſtolus Epheſæorum quinto. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxoria, Habet vnuſquiſque ſuæ ſententiæ poteſtatem. Ego Apoſtolum ſequor, in vino eſſe luxuriam, in vino ebrietatem, ebrietatem autem in luxuria inter carnis opera numerari, nec ille poteſt negare, qui eiſdem paſſionibus vincitur, eſt autem eadem de re, de ebrietate nempe vitanda pulcherrimus ſermo Aug. 231. de tempore.

C

Capvt XIII.

Ebrij Holophernis Iudith caput proprio ipſius enſe abſcidit, quod ad conciues efferens, ad gratiarum hortatur actiones.

VT autem ſero factum eſt, feſtinauerunt ſerui illi ad hoſpitia ſua, & concluſit Vagao oſtia cubiculi, & abijt; Erant autem omnes defatigati à vino, eratque Iudith ſola in cubiculo, &c. Præmiſſa hic diſpoſitione ad Holophernis interfectionem, mox ſubiungetur eius iugulatio, magnam autem hic ſobrietatis commendationem, & è contra, ebrietatem quanta ſequantur incommoda, hinc eſt aduertere Vnde Ambr. ſup. in dict. lib. de vid. Temperantia, inquit, eſt virtus fœminarũ, qua inebriatis vino, & ſomno ſepultis abſtulit vidua gladium, exacuit manum, bellatoris abſcidit caput, per medias hoſtium acies intemerata proceſſit. Aduertatis igitur, quantum mulieribus nocere poſſit ebrietas, quando viros vina ſic ſoluunt, vt vincantur à fœminis. Nam ſi Iudith bibiſſet, dormiſſet cum adultero, ſed quia non bibit, haud difficile ebrios exercitus vnius ſobrietas & vincere potuit, & illudere *Dixitque Iudith puellæ ſuæ vt ſtaret foras ante cubiculum, &c.* Valde prudenter opus, quod conceperat, aggreſſa eſt, exiſſe autem oportuit cubiculum,

D vt hoc illi nuntiaret, quum ipſam ſolam in cubiculo fuiſſe in præcedent. dictum ſit, ipſaque ita ad obſeruandum ne quis ſuperueniat foris, relicta rurſum introijt, regreſſa autem ſciens orationem ad omne opus vtilem, rurſus ad orationes confugit. & dicit: *Confirma me Domine Deus Iſrael. & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt ſicut promiſiſti, Hieruſalem ciuitatem tuam erigas. &c.* Ac ſi dicat, Quum in huiuſmodi factis ſoleat mens potiſſimè mulieris, multum expaueſcere, confirma mentem & manua, vt quod propoſitum eſt opere compleam, idque vt promiſſa tua effectum conſequi poſſint, quibus per Prophetas ſicut etiam ob peccata delenda, ita poſt pœnitentiam iterum reædificandum promiſiſti, per Eſaiam nempe, Hieremiam, Zachariam, Aggæum & alios. *Cumque euaginaſſet pugionem, apprehendit comam capitis eius & bis percuſſit in ceruicem eius, & abſcidit caput eius, &c.* Aug. ſæpius dicto ſermone ducenteſimo vigeſimooctauo prout, tertio legit: Vbi (inquiens) ſagina conuiuij finem exceſſit, & grauis

E calicibus ſomnus ſucceſſit videns Iudith inimici corporis Inclinatas ebrietate ceruices, ſurgens, ipſius cruentum arripuit collum, comam quoque barbati capitis manu occupauit. Dñe (inquit) confirma brachium meum, & percuſſit tertio in collo eius, & amputauit caput eius. Exiens foras tradidit illud puellæ, & miſit in peram Et poſt puſillum exiuit foras quaſi ad orationem ſecundum conſuetudinem. Ecce caſtitas Orationis fauore caſtitas proprium pudorem ſeruauit intactum & quietum, decepitque alienum: Iacet incluſum cadauer, & iam foris eſt caput, *Et euoluit corpus eius truncum. &c* Interpretatur hoc Lyranus ac ſi de lecto voluerit ad terram, vt ne quis interior ſtatim cædem factam aduerteret, Sed quum cap ſeq. Vagao dicatur primum plauſum feciſſe manibus ante cortinam, non videtur id fuiſſe factum, foreſſis enim euoluiſſe dicenda eſt e conopæo, quod ſecum abſtulit *Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum, &c* Hactenus deſcripta eſt cædes Holophernis, nunc deſcribitur eius manifeſtatio, quomodo nempe primum à cuſtodibus intromiſſa, deinde à ſenioribus, à Sacerdotibus, & toto populo honorifice excepta ſit, eo quod ſperauerunt, id eſt, metuerunt maxime (ſecundum illud Virgilij magnum ſperare, id eſt, metuere dolorem) ne reuerteretur, Iam itaque intromiſſa, toto populo circumſtipata, *Aſcendens in eminentiorem locum iuſſit fieri ſilentium, &c* Commoditatem omnem & opportunitatem quærit, quo poſſit audiri facilius à toto populo, & ita omnes ad gratiarum actiones incitare; Aſtruit autem hunc reditum eius pulchris verbis loco ſæpius dicto Auguſt. cum palmifera caſti-

F tate Iudith ad ciues ſollicite feſtinat, nec prohibetur regreſſu, cui quaſi ad orationem ante ire erat conceſſum; Iam recipit attonita ciuitas tantæ victricis palmas triumphales, iam luctus conuertuntur in gaudium, iam portæ pleniſſima ſecuritate panduntur, iam pendet muris victoribus caput, vbi enim aſſiduis pulſata orationibus cœlum, potentia ſemper calcatur armorum. Ecce glorioſæ fœminæ caſtitatem ſeruauit oratio, & hoſtem ſeruare non potuit multitudo, integram ciuitatem vna fœmina valuit vindicare, & tantus exercitus regem non potuit cuſtodire: *Cumque omnes tacuiſſent, dixit Iudith: Laudate omnes Dominum Deum noſtrum, &c* Sciens omnem illius victoriæ triumphum, Deo aſcribendum, ad gratiarum hortatur populum actionem, quo facto, & caput illis ipſius Holophernis, & conopæum in confirmationem dictorum demonſtrat Quo facto: *Viuit Deus (inquit) quoniam cuſtodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, &c.* ne fortaſſe ſuſpicio oriretur aliqua, quod ab Holopherne, aut alio quopiam damnum ſuæ caſtitatis paſſa eſſet, iuramento id nunc coram omni populo confirmat, orationem ſuam finit, quam cœperat, ita concludens laudibus Domini Dei & adhortatione ad confeſſionem laudis eius, & gratiarum actionem, pro tanta & tam ſubita, tamque mirabili victoria *Vniuerſi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam, benedixit te Deus in virtute ſua, &c* Iam ſequitur commendatio & benedictio Iudith, primum per populum vniuerſum, deinde & per principem populi, qui vbi inter cætera dicit: *Qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum &c* Legit Codex Græcus, & vt videtur conuenientius in

G ſingulari numero, in vulnus capitis, & cætera, quanquam interim etiam bis in carnem eius percutiendo veriſimile ſit eam plura vulnera inflixiſſe, *Vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini, &c.* Ipſa enim ab hominibus laus homini iuſto, quantacunque prouenerit, non ibi eſſe debet (inquit Auguſtinus ſuper illud 118 Pſalm Auerte oculos meos ne videant vanitatem) finis boni, ſed etiam ipſa referenda ſunt ad laudem Dei, propter quæ bona faciunt viri boni *Porro Achior vocatus venit &c* Non habet hoc Græcus Paraphraſtes hoc loco, ſed capite ſequenti ſtatim poſt principium, vbi de Achior fit mentio, iſtud illis verbis proponitur, & certe ordo ille multo videtur conuenientior. *Videns autem Achior caput Holophernis anguſtiatus præ pauore. &c* Non præ pauore anguſtiatus fuit, vtpote ille iam liberatus a timore mortis, ſed potius præ nimio ſtupore & admiratione conſternatus fuit, vt ferè fieri videmus, vbi nuntiari contingit ſubitos aliquos caſus, qui lætitiæ cauſa nobis ſint, multum enim mirabile, per manum fœminæ tantum facinus perpetratum, vnde ſtatim deliquium quoddam animæ paſſus eſt, id enim ſignificat, quod habemus: *& aſtuauit anima eius*, pro quo tamen quædam exemplaria legunt, hæſitauit, poſtquam ad ſe ipſum reuerſus eſt,

H velut de ſomno quodam læthargico expergefactus, *adorauit eam & dixit benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob. &c* Adorauit eam ſicut Abraham in Gen. dicitur adoraſſe populum terræ, non adoratione latriæ (inquit Auguſt. quæſt. ſerm. 61.) ſed duliæ, vt vocant.

Capvt XIV.

Holophernis capite in muro ſuſpenſo, Achiorque circumciſo, Iudæi irruunt in Aſſyrios, qui cum Holophernem excitarent, mortuum inuenerunt.

D*Ixit autem Iudith ad omnem populum Audite me. ſuſpendite caput hoc ſuper muros noſtros, eritque cum exierit ſol, accipiat vnuſquiſque arma ſua, &c* Poſt perpetratam necem Holophernis Iudith ad deſtructionem exercitus eius populum adhortatur,

Digitized by Google

A quoque magis hoſtium animos frangit, vt caput è muris ſuſpendatur, præcipit, ſuſpenſo enim Holophernis capite (inquit Ambroſ de Viduis) quod virorum conſilio non potuit excogitari, ſuorum erexit animos, hoſtium fregit, ſuos pudore excitans, hoſtes quoque pudore perterrens, eo quod cæſi ſint & fatigati. Ita vnius viduæ temperantia atque ſobrietas, non ſolum naturam ſuam vicit, ſed quod eſt amplius fecit viros etiam fortiores. *Tunc exploratores, neceſſe eſt vt fugiant ad principem ſuum, &c.* Vtpote ſine cuius voluntate non liceat bellum committere, non ſolum enim bellare (inquit Hiſtor. de bello Iudaico) ed etiam vincere ſine Duce, apud Romanos erat vituperabile, *Tunc Achior videns virtutem quam Deus fecit Iſrael, &c.* Hic primum vt ſupra dictum eſt reſumuntur quæ capite præcedenti de Achior dicta ſunt, quibus iſta ſubiunguntur, deſcribitur autem hic, quomodo viſis mirabilibus diuinis opibus relicto gentilitatis ritu Deo crediderit, & circumcidi ſe iuſſerit Achior, ita vt inter proſelytos conſtitutus fuerit tam ipſe, quam omnes eius poſteri. *Mox autem vt ortus eſt dies, ſuſpenderunt ſuper muros caput Holofernis, &c.* Interpoſita circumciſione Achior quomodo effectum ſuum ſit ſortitum conſilium Iudith explicatur, quomodo nempe capite è muro ſuſpenſo, exercitu gregali in caſtra hoſtium irrumpunt, *Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holophernis cucurrerunt, &c.* Iam mors Holophernis manifeſtatur, quomodo facta ſit deſcribitur eodem nempe ordine, quo Iudith prædixerat *Nullus enim audebat cubiculum virtutis Aſſyriorum pulſando aut intrando aperire, &c.* Virtus Aſſy-

B riorum princeps militiæ eorum dicitur, in quo robur exercitus conſiſtere exiſtimabant, ſicut virtus corporis naturaliter exiſtit in corde. Vnde Vegetius de re militari. Sicut cor eſt in medio corporis, ita princeps in medio exercitus debet collocari: Quum itaque appropinquantes, viderent iſti Iudæos quod alioqui facere non audebant, conati ſunt exequi, congregati itaque principes, ac tribuni exercitus, cubicularios, vtpote qui familiarius ingredi poſſent, aggreſſi ſunt. *Intrate & excitate illum* (inquientes) *quoniam egreſſi mures de cauernis ſuis auſi ſunt prouocare nos ad bellum*, vti vides, quam contemptibiliter, & opprobrioſe de Iudæis loquuntur, ſed mox pœnas ſui opprobrij daturi, *Tunc ingreſſus Vagao cubiculum eius, &c quum nullum motum iacentis ſenſu aurium caperet acceſſit proximus ad cortinam, & eleuans eam, vidensque cadauer, &c.* Paucis explicat, quomodo ad imperium ducum exercituum, ipſe Baques, ſiue Vagao tanquam primus cubicularius, tabernaculum Holophernis ingreſſus, mortuum Holophernem & truncum cadauer ſine capite reperit, etiam Iudith in fugam verſa, vnde & exclamauit, *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor, &c.* Ac ſi dicat, nimis probroſum eſt nobis ita à muliere expoſitum, id enim maximi opprobrij loco ſemper fuit habitum. Vnde & Iudicum 9. Abimelech à muliere lapidis ictu vulneratus, per armigerum ſuum ſe iuſſit interfici ne diceretur quod mulier interfeciſſet eum. *Quod dum audiſſent principes virtutis Aſſyriorum, ſciderunt omnes veſtimenta ſua, &c.* Iam deſcri-

C bitur confuſio, & turbatio totius exercitus Holophernis, quod etiam in cauſa fuit, vt minus ſe præpararint ad reſiſtendum irrumpentibus Iſraelitis, turbati enim minus prouident, teſte Philoſopho, ſcindere autem veſtimenta, vſitatius eſt in Scripturis, quod fieri ſolebat, tum ob triſtitiam nimiam, tum ob indignationem, tum ob perturbationem, quam vt explicatione ſit opus.

Capvt XV.

Fugiunt Aſſyrij perſequentes Iudæos, qui inde ſpolia colligentes valde lætati ſunt, vnde Iudith à populo, & Ioachim Summo Pontifice benedicitur.

Cvmque omnis exercitus decollatum Holophernem audiſſet, fugit mens & conſilium ab eis, &c. Cognita Holophernis decollatione, tunc exercitus eius conſternatus in fugam ſe proripit, & vſque adeo vnus alterum præuenire conabatur, vt omnia ſua ornamenta, theſauroſque omnes diripiendos reliquerit ab hoſtibus. *Videntes itaque filij Iſrael fugientes, ſecuti ſunt illos, deſcenderuntque clangentes tubis, & vlulantes poſt ipſos, &c.* Cognita itaque fuga Aſſyriorum Iudæi, magna feſtinatione ipſos inſequun-

D tur, ad maiorem terrorem eorum, vt in ſignum victoriæ tubis clangentes, non ſecus ac olim Gedeon Iudicum cap. 7. contra Madianitas pugnaturus tubis, & lampadibus ſe armans eos exercitos ſuperauit. *Miſitque Ozias nuncios per omnes ciuitates & regiones Iſrael, &c.* Vt quam pauciſſimi hoſtium fuga poſſent euadere, non contentus ſuis regibus Ozias, ad omnes miſit terminos Iſrael nuncios, quibus, vt eos perſequerentur hortabatur: Ad nuncium itaque ipſius omnes paratiſſimi, ad extremos vſque fines perſequuti ſunt. Latius autem iſta proſequitur in hunc modum Græcus Paraphraſtes. Et miſit Ozias in Betomaſthen, & Bebe, & Chobe, & Cota & in omnem terminum Iſrael, qui annunciarent ea, quæ facta erant, & vt omnes diffunderentur ſuper inimicos in interitum eorum, vt autem audierunt filij Iſrael, vnanimiter ceciderunt eos vſque Chobe. Similiter autem, & qui ex Hieruſalem aduenerunt, & ex omnibus montanis & qui in Galaad, & qui in Galilæa, diſſipauerunt eos plaga magna vſquequo præterierunt Damaſcum & fines eius. Reliqui autem qui erant in Bethulia ingreſſi ſunt caſtra Aſſyriorum, &c. Re-

E ſidui, qui remanſerant in Bethulia intrantes caſtra hoſtium, ſpolijs & præda eorum repleti ſunt, tantus enim fuit in caſtris hoſtium theſaurus, tantaque omnium omnis generis ornamentorum vis, vt etiam omnibus illis quotquot inhabitabant Bethuliam, daretur, reliqui etiam qui eos ad extremos vſque fines erant perſequuti, iam reuertentes abunde ſatis inuenerunt, quo & ipſi onuſti præda in patriam quiſque ſuam euaſerit, id enim eſt quod ſubditur *Hi vero qui victores reuerſi ſunt ad Bethuliã, & omnia quæ illorum erant, abſtulerunt ſecum. &c.* Ac ſi dicatur præda, quam illi reuerſi adhuc inuenerunt reſidua, nullo pacto comparanda fuit, & multo maior præda quam alij abſtulerant, ita vt omnes diteſcerent de prædationibus ipſorum. *Ioachim autem ſummus Pontifex, de Hieruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis Presbyteris ſuis, &c* Quod idem ſit eiuſdem nomen Ioachim & Eliachim, ſatis ſuperque declaratum eſt, tum ſupra 4. cap. tum latius in præfatione. Notandum autem hic quali honore Iudith affecta ſit, ita vt videndi eius gratia tantum, tum Summus Pontifex, tum vniuerſi Sacerdotes Bethuliam venirent. *Quæ cum exiſſet ad bellum benedixerunt illam omnes. &c.* Prima facie videtur velle textus, quod veniens eo Pontifex ipſam inibi non reperit, vtpote ad bellum profectam, atque ideo commodior mea ſententia erit lectio ſi legatur: Quæ quod exiſſet ad bellum, &c. Vt explicetur cauſa benedictionis, qua benedixerunt illi, benedictio autem ipſa ſatis manifeſta eſt, in qua interim hoc notandum, quod caſtitati eius aſcribat, quod à Deo exaudita fuerit: vnde notandus eſt hic locus in enco-

F mium caſtitatis. *Porro autem vniuerſa, quæ Holophernis fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith, &c.* Poſtquam benedixerunt illi, tam Pontifex, quam vniuerſus populus acclamando Amen ſiue fiat, fiat, ſpiritualiter, Benedictio etiam temporaliter Iudith impenditur dando illi omnia ea, quæcunque ad Holophernem pertinuerant; eſſe enim etiam quandam temporalem benedictionem, patet ex illo Gen. 30. quod dixit Iacob ad Laban: Diues effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis & citharis.* Nomen organi in Scripturis vſitatum eſt, hinc illud Pſalm 150. Laudate eum in chordis & organo, & illud Iob 21. Tenent tympanum & cytharam & gaudent ad ſonitum organi, & ſimilia multa. Organa tunc inprimis per excellentiam dicuntur omnia muſicorum inſtrumenta, ſecundum Auguſt. ſuper Pſalmum 56 & 120. quale autem ſit peculiare illud inſtrumentum omnibus notum eſt, paulo interim diuerſa & magis ſonora fuiſſe, patet ex epiſtola Hieronymi ad Dardanum de varijs muſicorum inſtrumentorum generibus, vbi de organo agens, de duabus (inquit) Elephantorum pellibus concauum coniungitur & per duodecim fabrorum ſufflatoria compulſatur, per quendam cytharæ æreæ in ſonitum nimium, quas in modum tonitrui concitat, ita vt per mille paſſuum ſpatia ſine dubio ſenſibiliter vtique & amplius audiantur. Sic apud Hebræos de organis, quæ ab Hieruſalem vſque ad montem Oliueti, & amplius ſonantur, & audiuntur, comproba-

G tur. Duo interim genera organorum a pleriſque eſſe dicuntur, primum quod prædiximus, & aliud quod de peregrinatione populi Iſraelitici apud Babilonios ſcribitur. Super flumina Babilonis, &c. Cytharæ etiam in Scripturis frequentiſſima eſt mentio, vt locis iam dictis, & rurſum Pſalm. 42. Confitebor tibi in cythara Deus Deus meus, & alibi ſæpius, ita vt dicto loco ſcribat idem *Hieron.* cap præced. conſuetudinis eſſe apud Hebræos, eſt autem idem inſtrumentum quod Lyra appellatur, vnde vbi 70 legunt Pſalm. 150. Laudate eum in Pſalterio & cythara, notat Chryſoſt. quoſdam vertiſſe, per nablum & lyram. ſcribit autem Hieron. effici in modum maiuſculæ literæ Delta & chordis viginti quatuor componi, & per digitos varijs vocibus, tinnuliſque, ictibus & diuerſis modis concitari. Eſt autem ſimile Pſalterio, niſi quod teſte ibidem Hier. Pſalterium in modum clypei tantum chordis componatur ſecundum illud Pſalm. 91 Pſalterio decem chordarum pſallam tibi, vnde dictis locis, & rurſum Pſalm 56 fere, Pſalteria ponuntur, tum dicitur ibi, Exurge pſallam in cythara Interim & illud intereſſe dicit tam Hieron quam Auguſt Chryſoſt & ideo ſuper Pſalm. 149. & 150. Item Auguſt. ſuper Pſalm 32. & 56 quod cythara deſurſum percutitur, Pſalterium ſurſum, cythara deorſum habet concauum, pſalterium deſurſum, illud concauum lignum, quod pendet & tactum reſonat, quia concipit aerem, pſalterium ſuperiore parte, cythara in inferiore parte illud habeat.

Capvt XVI.

H

Cantat Canticum Iudith ob victoriam, quo populum ad gratiarum adhortatur actionem, & tandem plena dierum moritur.

Tvnc cantauit Canticum hoc, Domino Iudith dicens, incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis modulamini illi Pſalmum nouum, &c. Aduerſarij deiectione & fidelis populi liberatione exultans Canticum hoc ſpiritu inſpirata diuino Iudith decantat, Fuit enim ab initio fidelibus id conſuetudinis, vt parta victoria ſtatim canticum aliquod componerent, quo perpetua rei contineretur memoria: Quale eſt inprimis illud Canticum Moyſi, Cantemus Domino, &c. Exodi 15 Quod Maria ſoror Moyſi tympano in manu ſumpto, in eundem fere modum quo Iu-

A *Eiuſmodi eſt & Canticum Debbora & Barach poſt victoriam, Iudic. 5.*

dith ad excitandas in laudem Dei reliquas etiam fœminas decantaſſe ibidem legitur. Tympana autem & cymbala inſtrumenta ſunt, multum in Scripturis vſurpata. Tympana quidem omnibus nota, quæ de ſono extenſoque corio facta, vna ex parte plana, intus vacua baculo pulſantur, quæ in manibus fere mulierum portari ſolent, teſte Hieronymo ſupra loco citato. Cymbala vero etiam nota ſunt, olim in ſacris cymbelis matris Deum, multum vſurpata, quæ bacillo ſic mutuo tangunt, vt certum edant ſonum.

Dominus conteret bella, &c. Ea nempe quæ contra ſuum populum excitantur, vt patuit non ſolum in hac de qua agimus hiſtoria, verum & in Pharaone Exodi decimotertio, & in Amalech Exodi decimoſeptimo, in Regibus Chananæorum Ioſuæ decimo. Item in Senachrib & octuagintaquinque illis millibus vna nocte interfectis tempore Ezechiæ, & alias frequentiſſime.

Qui poſuit caſtra in medio populi ſui, vt eripiat nos de manu omnium inimicorum noſtrorum. Interprete Hugone de Sancto Victore locum hunc de cuſtodia Angelorum quo ex Geneſis trigeſimo ſecundo Iacob de Angelis ſibi obuiantibus dixit, caſtra Dei ſunt hæc, & certe ſecundum noſtrum textum, quis alius ſenſus commode dari poſſit non video. Alio longe ſpectat, & clarior eſt Codex Græcus, ſic legens:

B

Quoniam in caſtris in medio populi eripuit me de manu perſequentium me. Vbi Deum laudat primum de liberatione ſui, ac deinde ad liberationem populi enarrandam pergit, cum dicitur. *Venit Aſur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis ſuæ &c.* Aſur vocat principem militiæ, & exercitus Aſſyriorum Holophernem, quem ita vocat à primo illo Aſſur de ſtirpe Noe, qui Geneſ. c. decimo dicitur egreſſus de terra Chanaan ædificaſſe Niniuen, à quo dicti ſunt Aſſyrij. *Dixit ſe incenſurum fines meos, &c.* Enumerata potentia & magnitudine exercitus eius, iam minas eius paucis proſequitur, omnia hæc enim, quanquam Iudæis interminatus fuerit, nihil tamen eorum ſuum effectum eſt ſortitum, vnde & addit aduerſatiuum.

Dominus autem omnipotens nocuit eum, &c. Sicut in alijs innumeris, ſic & hoc loco manifeſtum eſt, non multum fuiſſe curioſum interpretem Grammaticalium regularum, niſi fortaſſe mendum eſſe dicamus, nihil autem ſibi, ſed Domino totam victoriam tribuit, idque oratione quali poteſt, non enim ſuffirit mortalis eloquentia (inquit Auguſtinus loco ſupra citato) iuſtorum omnium orationes eximias atque triumphos, præclaraſque referre virtutes, quas omnipotens Deus dedit eis, quibus ſolet conferre victoriam, qui viros & fœminas vigere permiſit, & inſidioſos exercitus capite ſublato mundauit: referat autem quam poteſt breuiſſime totam, ſicut contigit, hiſtoriam, quæ quoniam ex præcedentibus manifeſta eſt, pauciſſimis perſtringemus.

C

Horruerunt Perſæ audaciam eius, & Medi audaciam eius, &c. Eſt etiam iſte locus notandus contra Zieglerum, tempore enim ſuo, Nabuchodonoſor ille, qui tempore Ioſiæ claruit, non habuit Perſas ſibi ſubiectos, quin quod paulo poſt filij eius à Cyro Perſa imperio exuti ſint, Darius autem noſter Hyſtaſpes, tam Perſis, quam Medis, & Aſſyrijs imperauit, ſub quo iam vigebat Monarchia Perſica.

Adonai Domine Deus magnus es tu, &c. Hic idem videre eſt quod dicit Hieronymus ſuper illud Pſalmi. Domine Deus noſter, quod quum in Hebræo legitur, nomen Deus geminatum, primum ſit tetragrammaton, ſecundum vero ſit Dei commune, id quod oſtendendum hoc modo: Adonai Domine, Adonai enim Hieronymus Exodi ſexto tranſtulit pro nomine Dei tetragrammaton, id eſt, quatuor literarum, quanquam alibi fere interpretetur Dominus, vnde & ipſe epiſtola ad Marcellum inter varia Domini nomina myſtica iſtud enumerans, Dominus interpretatur, notandum autem quod quatuor iſtæ literæ huius nominis, ſc. *he, vau, he iod,* non ſint compactæ ad hoc, vt ex eis dictio aliqua formetur, & ideirco nomen eſſe ineffabile, quod Hebræis re vera ineffabile dici videatur, quod tunc eis reuelatum non fuerit Trinitatis ſacramentum, etſi literis fuerit adumbratum. Hinc Exodi ſexto Et nomen meum *he, vau, he, iod,* non indicaui eis, quod ſi in ſyllabas cogeretur, pronunciareturque, eſſe vel eſſentiam, aut generationem ſignificaret; Nec ignorandum quod *iod nun daleth aleph* Adonai Domini mei numero multitudinis ſignificet, quando ſcribitur eiſdem literis, & punctis quibus pronunciatur, in tranſlatione autem Chaldaica, pro hoc nomine Dei tetragrammaton ſemper ponitur triplex *iod* ad myſterium Trinitatis ſignificandum, vt videtur.

D

Montes à fundamentis mouebunt cum aquis, &c. Alludere videtur ad extremum iudicium, quo imminente, vt eſt Lucæ vigeſimoprimo, in terris erit preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum & montes, & petræ, ſicut cera liqueſcent igne conflagrationis. *Qui autem timent te, magni erunt per omnia,* Latius iſtud in hunc modum legit Græcus Paraphraſtes; Timentibus autem te tum propitiaberis, quoniam parum tibi omne ſacrificium in odorem ſuauitatis & minimus omnis adeps in holocauſtum tuum, at qui timet Dominum, magnus ſemper. Et ſic erit idem iſtud cum illo Pſalmi. *Sacrificium autem & oblationem noluiſti,* & illo quod dixit Samuel ad Saulem, *Melior eſt obedientia, quam victima, &c.*

E

Væ genti inſurgenti ſuper genus meum, &c. Iam velut ſpiritu quodam prophetico omnibus ijs, qui fideles proſequuntur iudicium minatur extremum, & damnationem æternam, vnde & ſubdit, *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, &c.* Sic enim fere Scriptura vbique deſignat pœnas inferni, ipſaſque his nominibus notat, quale & illud Eſaiæ vltimo. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, id eſt enim quod & hic ſubdit: Vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum; Quod quomodo fieri poſſit, vt nempe ſemper ardeant corpora damnatorum, & nunquam tamen conſumantur, Quomodo autem id fiat tractans Auguſtinus libro vigeſimo primo de Ciuitate Dei capite primo, ſecundo, tertio; hoc erit tunc in corporibus (inquit) damnatorum, quod nunc eſſe ſcimus in animis hominum, quod nempe dolorem pati poſſit animus, mori non poſſit: An autem ille ignis corporeus ſit, tractans ibidem capite decimo. Cur non dicamus (inquit) quanquam miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam corporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari; Gehenna itaque illa, quæ ſtagnum ignis, vel ſulphuris alibi dicitur, corporeus ignis erit, & cruciabit damnatorum corpora; Si quæratur autem vbi, & qualis ſit ignis ille, reſpondet ibidem capite decimo ſexto Auguſtinus. Ignis æternus cuiuſmodi ſit, & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui Spiritus Diuinus oſtendit. Finito autem Cantico Iudith iam commemorato, redit iterum author libro primo ad hiſtoriæ continuationem.

F

Et factum eſt poſt hæc: omnis populus poſt victoriam venit in Hieruſalem adorare Dominum, &c. In gratiarum actionem profectus eſt omnis populus in Hieruſalem, quo vbi venêre, & purificati ſunt aqua luſtrationis ſecundum formam deſcriptam Numerorum decimo nono. Holocauſta & incenſa Domino obtulerunt, ſecundum facultates quiſque ſuas.

Porro & Iudith vniuerſa vaſa bellica Holophernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ſuſtulerat de cubili eius, obtulit in anathema obliuionis. Notanda eſt hic reuerentia erga Deum ipſius Iudith, quæ non auſa eſt ſibi conſeruare ſpolia ſibi iure data, ſed obtulit ea Deo & Sacerdotibus in Hieruſalem, idque in anathema obliuionis, id eſt, ea conditione, vt eis nemo vnquam vteretur, ſed aſſeruarentur tantum in memoriam perpetuam tantæ tamque mirabilis per fœminam factæ victoriæ.

G

Erat autem populus iucundus ſecundum faciem Sanctorum, &c. Illud additur, ne exiſtimetur gaudio diſſolutior fuiſſe factus iſte populus, ſed potius deuote, & in Domino gauiſus fuiſſe ſecundum illud Apoſtoli. Semper in Domino gaudete; illud enim ſecundum faciem Sanctorum idem eſt, ac ſi dicat, ſicut decet Sanctos: *Et Iudith præclarior erat vniuerſa terra Iſrael;* Eclipſis eſſe videtur, & ſupplendum, vniuerſæ terræ mulieribus, aut ſimile quidpiam.

Erat autem virtuti caſtitas coniuncta, &c. Nunc oſtendit quomodo reliquo vitæ ſuo tempore non minus ſanctam & caſtam, quam antea à principio viduitatis vitam egerit, nec elata victoria mens eius in laqueos diaboli inciderit; erat interim diebus feſtis in magna gloria, non ex ſuperbia, aut vana gloria, ſed ad perpetuam commemorationem tanti beneficij.

Manſit autem in domo viri ſui annis centum & quinque, &c. Hunc locum noſtra ſententia contra Ziegleri plane continet ſententiam, quomodo enim potuit Iudith centum quinque annis manere in domo viri ſui, quando annis non amplius quadraginta duobus, à tempore Ioſiæ, & templum ſit deſtructum, & omnis populus, tam Iuda quam Iſrael in Babylonem ductus captiuus.

H

Et defuncta eſt & ſepulta cum viro ſuo in Bethuliam. & luxit eam omnis populus diebus ſeptem. Varia loca in Scripturis inuenire eſt, quibus defunctos luxerunt proximi in viuis degentes. Sic Geneſis vigeſimotertio, planxit & defleuit vxorem ſuam Saram Abraham Sic Geneſis trigeſimoquinto, ob luctum quem fecit Iſrael cum filijs in monte Debboræ mulieris Rebeccæ, appellatus eſt locus ille aureus fletus: ſic mortuo Iacob luxerunt cum Ioſeph omnes Seniores domus Pharaonis, veneruntque ad aram Athad, quæ ſita eſt trans Iordanem, vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt ſeptem dies, Et idcirco vocatum eſt nomen loci illius planctus Ægypti. Geneſis vltimo. Quod & in principio eiuſdem capitis dicitur. Fleuitque eum Ægyptus illa ſeptem diebus. Sic Numerorum vigeſimo. Omnis multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo triginta diebus, per cunctas familias ſuas. Sic & Deuteronomij vltimo. Mortuo Moyſe fleuerunt Iſrael in Campeſtribus Moab triginta diebus. Vnde de exceſſu fratris capite primo Ambroſius tractans, an lugendi ſint mortui: Non omnis infidelitatis (inquit) aut infirmitatis eſt fletus. Alius eſt naturæ dolor, alia triſtitia diffidentiæ, & plurimum refert deſiderare quod habueris, & lugere quod amiſeris. Fecerunt & magnum planctum ſui, cum Patriarchæ ſepelirentur: Lachrymæ ergo probitatis ſunt indices, non illiciti doloris. Hinc & Chryſoſtomus Homilia ſexta ſuper Ioan-

A nem. Non lugere (inquit) ſed imprudenter lugere vero; Non ſum immanis atque crudelis, video naturam dolere, & quotidianam requirere conſuetudinem, non licet nullo affectu moueri nec lachrymari, ſed leniter & prudenter, & cum Dei timore, cuiuſmodi etiam plura videre eſt ap eundem in fine Homiliæ trigeſimæ ſecundæ ſuper Matthæun

Notandum eſt interim hic quod dicit Iudith ſepultam in Bethulia, idque contra toties repetitam ſententiam Ziegleri, ad id enim quod ſtatim diximus de deſtructione Hieroſolymæ, tum ſtatim ſequuta tempora ipſius Ioſiæ, quærit ipſe effugium, dicendo ipſam manſiſſe cum ſuis contribulibus, ſicut & aliæ multæ reliquiæ decem tribuum remanſerant. Verum rurſum obſtat, quod capta Hieroſolyma Nabuchodonoſor omnem populum in captiuitatem tranſtulit exceptis pauciſſimis, quibus Godoliam filius Archan præfuerat, ipſi non diu poſtea timentes Chalilæos, in Ægyptum migrarunt. Deinde poſito quod parcitum fuiſſet quibuſdam reliquijs decem tribuum, hinc non fit vllo pacto veriſimile, quod Bethuliæ parcitum fuiſſet, ob quam tantam cladem accepiſſet ipſe eiuſdem Nabuchodonoſoris exercitus: hic vero dicitur ſepulta in Bethulia: poſſet interim fortaſſis effugij quid ad iſta reperire, ſed plane eius ſententiam falſam arguit, quod ſequitur,

Tunc autem omni ſpatio vita eius non fuit, qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis. Quomodo enim E non cenſebitur perturbatus Iſrael in tanta afflictione in Babylonem tranſlatus, quod contigiſſe manifeſtum eſt, non amplius quā 42. annis à tempore Ioſiæ Si vero noſtram de Dario Hyſtaſpe ſequamur ſententiam, non inuenimus perturbatum fuiſſe Iſrael ad tempora vſque Machabæorum ſub Antiocho, nam quod vetuerit etiam ipſo Philone teſte poſt mortem Holophernis noſter Artaxerxes ſiue Nabuchodonoſor perfici templum, pauciſſimis annis id durauit, nempe tantum vſque ad imperium Darij Longimani, Vnde nec perturbatio vere dici poſſet.

Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum recipitur, &c. Magnam gratitudinem populi Iſraelitici oſtendit ob victoriam à Deo tam mirabilem conceſſam, vnde & anniuerſariam eius memoriam inſtituerunt. Quomodo & Heſter cap. 9. inſtitutum eſt, vt quartamdecimam, & quintam decimam menſis Adar pro feſtis ſuſciperent.

Finis Commentarij Pamelij in Librum Iudith.

HRABA-

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, IN LIBRVM ESTHER COMMENTARIVS.

LIBER Eſther, quem Hebræi inter hagiographa annumerant, multipliciter Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta in myſterio continet: quia ipſa Eſther in Eccleſiæ typo populum de periculo liberat, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partem conuiuij & diem celebrem mittit in poſteros. Hunc quidem librum aſſerit ſacræ hiſtoriæ interpres, de Archiuis Hebræorum releuatum verbum à verbo expreſsius ſe tranſtuliſſe. Attamen ea, quæ in editione vulgata reperit, non penitus prætermiſit, ſed Hebraica veritate plena fide expreſſa, cætera, quæ extrinſecus inuenit, iuxta finem libri addendo ſubiunxit. Nos autem ea, quæ ex Hebræorum fonte prolata ſunt, allegorico ſenſu expoſuimus. Cætera verò, quæ ex Græcorum lingua & literis inſuper addita ſunt, & obelo prænotata, exponere prætermiſimus, ſed horum ſenſus ſtudioſus Lector, cum anteriora bene rimauerit, ſatis agnoſcere poterit. Tu autē O NOBILISSIMA REGINA cum ſacramenta diuina in expoſitis bene agnoueris, in cæteris quid ſentiendum ſit, rite cenſebis. Deus omnipotens, qui illius Reginæ mentem ad liberandas populi ſui calamitates erexerat, te ſimili ſtudio laborantem ad æterna gaudia perducere dignetur.

CAPITA LIBRI ESTHER.

De Aſſuero Rege, & famoſiſſimo eius conuiuio. I.

De Vaſthi Regina, quæ vocata ad Regem venire noluit, ob quod à dignitate regali depoſita, & à marito repudiata eſt. II.

Quod ad Aſſueri Regis imperium ex diuerſis prouincijs puellæ virgines congregatæ ſint, inter quas erat Eſther, filia fratris Mardochæi Iudæi, quam ipſe patruus eius diligenti cura nutriebat. III.

Quod Eſther iuxta ordinem vicis ſuæ ad Regem introducta eſt, & ſuper omnes mulieres ab eo dilecta, Regina conſtituta eſt. IV.

De eo, quod duo Eunuchi Regem interficere volentes à Mardochæo proditi, dignè puniti ſunt. V.

Aman pro eo, quod illum Mardochæus adorare noluit, Iudæorum genus odio habens ad Regem accuſauit, quos ille vniuerſos vno die iuſſit interfici. VI.

Quod comperiens Mardochæus ſacco indutus eſt, miſitque ad Eſther, vt apud Regem pro Iudæorum nece ſupplicaret. VII.

Eſther ad Regem ingreſſa ipſum & Aman ad conuiuium inuitauit. VIII.

De eo quod Rex Aſſuerus, cum noctem inſomnem duxiſſet, iuſſit ſibi adferri hiſtorias & annales priorum temporum, qui dum coram eo legerentur, peruentum eſt ad locum, vbi Mardochæus Eunuchos inſidiatores prodidit, ob quod cum Rex, vocato Aman, ſtola regali & diademate decorari præcepit, & equo regio ſuperpoſitum amicum Regis per ipſum Aman prædicari. Vnde Aman triſtis domum reuerſus eſt. IX.

Secundo die conuiuij regina pro populo ſuo deprecante, Aman in ligno, quod Mardochæo præparauerat, ſuſpenſus eſt. X.

Quod Mardochæus loco Aman conſtituitur, & ad ſuggeſtionem Reginæ, epiſtolæ pro Iudæorum ſalute mittuntur. XI.

De gloria Mardochæi, & quomodo ſe Iudæi vlti ſunt de inimicis ſuis; & decem filij Aman in patibulo ſuſpenſi. XII

De eo, quod illi dies, quibus ſe Iudæi vlti ſunt, inter ſolemnes reputabantur. XIII.

Quod Aſſuerus Rex cunctas inſulas fecit tributarias, vbi hiſtoria Eſther apud Hebræos finem habet XIV.

A

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, IN LIBRVM ESTHER COMMENTARIVS.

E

Capvt I.

IN diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias, quando ſedit in ſolio regni ſui.

B Hiſtoriam Eſther non ſolum diuini libri, ſed & Ioſephi antiquitatum continent, licet in aliquibus hiſtorica narratione differant. Sed & illud in quæſtionem conuertitur, quis ille Aſſuerus fuit, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias; Nam hunc memoratus Ioſeph refert Cyrum eſſe filium Xerſis Regis, qui poſt Darium patruum ſuum regnauit in Perſide. Hunc ergo Cyrum dicit Artaxerxem apud Græcos vocari, qui Longimanus cognominabatur, regnum tenens annis quadraginta, ſed ego non puto Eſther eo tempore fuiſſe, nunquam enim Ezras de ipſa ſiluiſſet, qui ſcribit hoc tempore Ezram & Mennam reuerſos eſſe de Babylone, & ea deinceps conſecuta, quæ ab his geſta referuntur. Euſebius ergo in Chronicis ſuis arbitrabatur, hunc Aſſuerum eſſe Artaxerxem vocatum; Regnauit quoque poſt Darium patruum ſuum cognomento Nothum annis 40.

Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.

Suſis metropolis eſt Perſide, quam aiunt Hiſtorici Memnonis fratrem conſtituiſſe. Dicta autem Suſis, quod immineat Suſis fluuio, vbi regia eſt Cyri, lapide

C candido & vario, cum columnis aureis & lacunarijs gemmiſque diſtincta, continens etiam ſimulachrum cœli ſtellis micantibus præſignatum, & cætera humanis mentibus incredibilia. Vbi & præſens Rex conuiuium maximum cum grandi apparatu, & diuitiarum copia ſubiectis populis exhibuiſſe narratur: Vnde ſequitur.

Tertio igitur anno imperij ſui fecit grande conuiuium Principibus ſuis, & pueris fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Cumque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt Suſis à maximo vſque ad minimum. Et ſeptem diebus iuſſit conuiuium præparari in veſtibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris & carbaſini ac hyacinthini ſuſtentata funibus byſſinis atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat.

D *Bibebant autem, qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque & magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut Rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de Principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet.*

Hæc præparatio opulentiſsimi conuiuij licet hiſtorialiter diuitiarum pompam & deliciarum luxus Regis potentis demonſtrare videatur, tamen ſacratiore myſterio potentiſsimi Regis noſtri videlicet Domini Chriſti diuitiarum ſpiritualium magnitudinem ac vitalium opum excellentiam, quas ille ſecundum modum diſpenſationis ſuæ vnicuique fidelium ſuorum largiter diſtribuit, ſignificat. Nec enim alicui Rex ille ditiſsimus, qui vxoris ſuæ fideliſsimæ precibus exoratus, Iudæorum, quem iniqui meditabantur, imminentem remouit interitum, quam Redemptori noſtro per figuram aptatur, qui quotidie ſanctæ Eccleſiæ, quæ ſponſa ipſius eſt dilectiſsima, orationibus interpellatus, liberat electos ſuos de hoſtiũ manibus, atque inimicos eorum dignæ ſubijcit vindictæ. Quod autem Eſther typum Eccleſiæ teneat, nulli dubium eſt; nec ipſa alicuius ſponſa, quam Chriſti vllo modo dicenda eſt. Vnde refugere quilibet hãc interpre- F
tationẽ non debet, pro eo quod ille rex hiſtoricus perfidus erat, quaſi propter hoc regis iuſti typum tenere nullo modo poſsit: Non enim dicimus, quod perfidia ſeu peccata alicuius ſiue fidelis, ſiue etiam perfidi iſtius actus exprimant, *qui peccatum fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius; quæ enim ſocietas luci ad tenebras; aut quæ conuentio Chriſti ad Belial?* ſed bona facta ac iuſta iudicia cuiuſquam ad nullum melius referuntur, quam ad illum, de quo eſt omne bonum, de quo ſcriptum eſt. *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.* Nam ſicut gentilium errores, atque impia facta; ita nec fidelium tranſgreſſiones atque peccata facile per ſimilitudinem veritati competunt. Hæc enim ideo diximus, quia quidam Doctorum Dauid factum in Vriam & vxorem eius, figuraliter transferunt ad Chriſtum & Eccleſiam. Quid cauſæ eſt, vt aliquis dicat Moyſis dubitationem ad aquam contradictionis; Aaronis fictionem in factura vituli; Salomonis libidinem; Ezechiæ arrogantiam; Petri abnegationem, ac Saulis blaſphemiam Redemptori noſtro figuraliter conuenire? Attamen rite nullus denegare po- G
teſt eorum bona facta, ac rectam doctrinam, plurimum illi teſtimonium præbuiſſe. Vnde nemo nos reprehendere debet, quod regis magni pia opera ac iuſta iudicia Regi & Iudici omnium ſæculorũ quodãmodo ſimilando comparemus, quia ſuum eſt quicquid bonum eſt, & ab eo refugit omnis iniquitas. Si cui autem videtur incongruum eſſe, quod dicimus, legat Eſaiam Prophetam, qui Cyrum regem Perſarum hominem gentilem comparauit redemptori noſtro, dicens ex perſona Domini: *Dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias quia ego Dominus, quoniam voco nomen tuum Deus Iſrael, propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te in nomine tuo: aſsimilaui te, & non cognouiſti me. Ego Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus. Accinxi te, & non cognouiſti me.* Legat & opuſcula Patrum, qui actus ſiue caſus regum reproborum Saulis & Iechoniæ ſanctiſsima redemptoris noſtri opera figuraliter deſignare dixerũt, Saulis videlicet vncti in regem, ſed merito ſcelerum ſuorum occiſi, ſuper innoxij regis Chriſti morte interpretantes. Iechoniæ verò translationem de Iuda in Babylo- H
niam, quam propter peccata ſuſtinuit, ad gratiã eiuſdem redemptoris noſtri typici referentes, qua relictis ob perfidiam Iudæis ad ſaluandas per orbem nationes tranſmigrare dignatus eſt. Quid ſcta vel acta Pharaonis ſiue Nabuchodonoſor typice ſuper hoſtibus Eccleſiæ intelligẽda tradiderunt. Verbi gratia: Pharao præcepit infantes populi Dei maſculos in flumine necari, fœminas reſeruari: quia diabolus fortia in nobis opera extinguere fluxa & infirma cupit enutrire. Itẽ Nabuchodonoſor iuſsit oẽs populos ſibi ſubditos audita voce Symphoniarum & muſicorũ proſtratos adorare ſtatuam ſuam: Et Diabolus ſatagit genus humanum per dulcedinem pompæ terreſtris à rectitudine mẽtis inflectere, & ad ſequendã cupiditatẽ, quæ eſt, ſimulachrorum ſeruitus, deceptorũ cor

Margin notes: 1. Pet. 2. — 2. Cor. 6. — Pſal. 9. — Iſa. 45.

da per-

A da peruertere. Si ergo quædam opera, vel iuſtæ pœnæ reproborum in figura non ſolum malorum, ſed & bonorū præceſſerunt; cur non etiam boni bonorum actus, ſiue ſermones, qui in prophetico volumine continentur, bona ſequentiū geſta præfigurare potuerunt? Virtus namque ſacri eloquij, vt quidam ait, aliquando ſic tranſacta narrat, vt ventura exprimat; Sic factorem approbat, vt ei in myſterio contradicat; Sic geſta damnat, vt hæc myſticè gerenda perſuadeat. Item videamus Opuſcula Sancti Auguſtini, qui etiam ſeptem viros vnius mulieris ſine filijs defunctos, de quibus Saducæi reſurrectionem negantes Dominum tentabant, certam Eccleſiaſtici Sacramenti figuram dixerat habere. Nec non & mulierem & ſterilitatem eius & mortem, ipſorum quoque virorum mortem figuras eſſe memorabilium rerum docuit, cum hanc hiſtoriam neque ipſe Dominus, neque Euangeliſtarum quiſquam ex ſua perſona narrauerit; Sed quę impij nefando ore contra Dominum protulerant, Euangeliſtæ propter ſacratiſſimum Domini reſponſum ſuis literis indiderunt. Hæc ergo & his ſimilia, Lector fidelis, in

B ſanctorum Patrum dictis inueniens non nobis imputet, ſi ad eorum ſimilitudinem in noſtris Opuſculis aliqua inſeramus. *Tertio igitur anno imperij ſui Rex Aſſuerus fecit grande conuiuium cunctis Principibus & pueris ſuis fortiſsimis Perſarum & Medorum, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui;* cum Redemptor noſter, quem Aſsuerus & nomine exprimit & dignitate, interpretatur enim oſtium ſiue atrium meum, cum Patre & Spiritu ſancto ſempiternum hominis imperium tertio tempore iſtius ſæculi incarnationis ſuæ humano generi patefecit ſacramentum, & nobis vitæ aperuit aditum, ſpiritualeſq; epulas fidelib. ſuis abundātiſſimè miniſtrauit. Primum ergo tempus ante legē fuit. Secundum ſub lege. Tertium ſub gratia, in quo videlicet Euangelicam prædicationem, ac corporis & ſanguinis ſui vniuerſis gentibus opulentiſſimam parauit refectionem. Huius ſcil. conuiuij excellentiam in parabola Euāgelij ipſe Dominus, vbi de Rege, qui nuptias filio ſuo fecit, & de cœna magna per hominem facta referebat, ſpiritualiter myſterio nobis commendabat. Septem ergo diebus Rex magnus conuiuium inſtrui fecit, in veſtibulo

C horti & nemoris, quod regio cultu & manu compoſitū erat: cum Redēptor noſter toto tēpore iſtius vitæ quod per numerum diſcurrit ſeptenarium in pręſenti Eccleſia, in qua vnuſquiſq; fidelium ſemetipſum recta fide & bonis operib. ad introitum paradiſi, & regni præparat cœleſtis, pabulo diuini verbi & dapib. virtutum electos ſuos ſatiat; quatenus delitijs & iucunditati superni Regis per omnia habiles fiant, vbi arbores fructiferæ conſitæ ſunt, hoc eſt, ſancti viri, & bonis meritis præclari dono largiente diuino ſanctæ conuerſationis & rectæ doctrinæ oſtendunt decorem. Ibi pendent ex omni parte tentoria aërei coloris & carbaſini & hyacinthini; quia ibi ornatus ſpiritualis ſtudij, & ſplendor cœleſtis ſapientiæ cum fulgore virtutum ad inſtructionem in ea dignè conſiſtentiū micat: Carbaſinus etiam color ſpeciem auri (vt quidam volunt) prætendit & meritò nitori comparatur diuinæ ſapientiæ, quæ in cultu & religione pietatis maximè excellit. Et hæc tentoria byſsinis funib. atq; purpureis extenta erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Byſſus enim mortificationem carnis ſignificat; Purpura ſangui-

D nem martyrij. Ebur caſtitatem corporis. Et colūnæ marmoreæ firmitatem ſanctorum Doctorum. Bene ergo dicitur, quod tentoria diuerſi coloris byſsinis funibus atq; purpureis per circulos eburneos in columnis marmoreis ſuſpenſa eſſent; quia decor ſanctę Eccleſiæ, ſiue ſit in meditatione ſapientiæ, ſeu in profectu virtutum per continentiam atq; caſtitatem corporum, ſcilicet cum martyrij dignitate in Doctoribus ſancti Euangelij fulgere debet; & tam in illorum verbo, quam etiam exemplo ad multorum notitiam peruenire, vt ab his inſtructi, his incitati atq; confortati ad aulam cœleſtis imperij ritè pertingere poſsint. Ibi quoque lectuli aurei atq; argentei ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, q; mirâ varietate pictura decorabat, quia humilitas ſanctorum diuerſis ſpeciebus variarum virtutum deco-

E rata, in meditatione diuini verbi, & in indagatione veræ ſapientiæ electis Dei quietem internæ præparat contemplationis. Vbi ſuauitas agnitionis & dilectionis Dei piè quærentibus dono ſpiritus Sancti largiſsimè infunditur. De quo lectulo ſponſa in Cantico Canticorum dicit: *Lectulus noſter floridus*, quia nimirum ſancti quiq; cum tran- *Cant. 1.*
quillitate temporum vtuntur, & à tribulationum temporibus ceſſant, tunc maximè lectionibus ſacris, ieiunijs, orationibus, cæteriſq; fructibus ſpiritus vacant, & in ſupernorum contemplatione tunc ſeſe altius attollunt, ad ſpeculandum vtiq; gloriam maieſtatis diuinæ, cum ſerenum ab exterioribus occupationibus tempus accipiunt. Smaragdus enim gemma eſt à nimia viriditate vocata. Pariuſq; genus eſt marmoris candidiſsimi. Et aptè dicitur his duobus lapidib. pauimentum eſſe depictum, vbi lecti fuerunt poſiti, quia per candorem, hoc eſt, caſtitatē corporis, & per virorem bonæ mentis in gratia Dei ſemper virentis bene conſtruitur fundamentum humilitatis, vbi condignis quibuſq; præmium præparatur æternę
quietis. Vnde ſcriptum eſt: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam* *Matth. 5.*
F *ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et, *qui ſe bene humiliauerit, ritè*
exaltabitur. Hinc eadem veritas alibi in Euangelio ad diſ- *Matth. 23.*
cipulos ait: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, & in* *Matth. 11.*
uenietis requiem animabus veſtris, iugū enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Bibebant autem, qui inuitati erant ad regale conuiuium. Aureis poculis bibunt, qui in pretioſiſsimis ſancti Euangelij dictis ſapientiam diuinam hauriunt, hiſq; cibi diuerſis vaſis inferuntur, qui in lectionib. legis & Prophetarum Apoſtolorumq; & Euangeliſtarū multiplices dapes ſpiritualis doctrinæ accipere norunt, quib. ſaginantur animæ, quæ ad vitā nutriuntur æternam. Vinum quoq;, vt magnificētia Regia dignum eſt, abundans & præcipuum conuiuantibus ponitur, cum donum cœleſtis gratiæ ſingulis quibuſq; fidelibus ſecūdum diſpenſationem diuinæ clementiæ & S. Spiritus diſtributionē largiſsimè impenditur, quando iuxta Pauli ſententiam
Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per S. Spiritum, qui *Rom. 5.*
datus eſt nobis, & vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilita- *1. Cor. 12.*
tem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: Alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum: Alteri fides in eodem
G *ſpiritu: Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: Alij operatio virtutum, Alij prophetia, Alij diſcretio ſpirituum; Alij genera linguarum: Alij interpretatio ſermonum.* Quod autem nouiſsimè narratur, nō eſſe quenquam, qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut Rex ſtatuerat, ꝑponens menſis ſingulos de Principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet; ſignificat gratiæ libertatem, vbi nemo ad percipiendum donum ſpirituale cogitur inuitus, ſed voluntas prompta ſingulorum quæritur; iuxta illud dominicum
teſtimonium, quo dicit: *Qui poteſt capere capiat.* Et item: *Si* *Matth. 19.*
vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et iterum: *Si vis (ait perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurū in cœlo, & veni ſequere me.* Præponit enim Rex noſter in ſanctæ Eccleſiæ celebri ac ſacto cōuiuio Doctores ſuos ſuper menſam ſacrarum Scripturarum, vt vnicuiq; fidelium diſpenſent dogma cōgruum, & vniuſcuiuſque qualitatem conforment verbi prædicationi, vt inde ſumat vnuſquiſque, quod ſibi poſsibile & vtile eſſe perſpexerit. Tanta quippe arte vox Doctoris temperanda eſt, vt cum diuerſa ſint Auditorum vitia, & ſingulis in-
H ueniatur congrua, & tamen ſibimetipſi non ſit diuerſa; vt inter paſsiones medias vno quidē ductu tranſeat, ſed more ancipitis gladij tumores cogitationum carnalium ex diuerſo incidat, quatenus ſic ſuperbis prædicetur humilitas, vt tamen timidis non augeatur metus: Sic timidis infundatur auctoritas, vt tamen ſuperbis non creſcat effrenatio: Sic otioſis ac torpentibus prædicetur ſollicitudo boni operis, vt tamen inquietis immoderatæ licentia nō augeatur actionis: Sic inquietis ponatur modus, vt tamen otioſis non fiat torpor ſecurus: Sic ab impatientibus extinguatur ira, vt tamen remiſsio ac lenibus nō creſcat negligentia: Sic leues accendantur ad zelum, vt tamen iracundis non addatur incendium: Sic tenacibus infundatur tribuendi largitas, vt non prodigis prædicetur parcitas, & tamen tenacibus peritura rerum cu-

A ſtodia non augeatur: Sic incontinentibus laudetur coniugium, vt tamen continentes non reuocétur ad luxum: Sic continentibus laudetur virginitas corporis, vt tamen in coniugibus deſpecta non fiat fœcunditas carnis: Sic prædicanda ſunt bona, ne ex latere iubeantur & mala: Sic laudanda ſunt bona ſumma, ne deſpiciantur vltima: Sic nutrienda ſunt vltima, ne dum creduntur ſufficere, nequaquam tendatur ad ſumma. Seruus ergo fidelis & prudens, qui conſtitutus à Domino diſpenſator conſeruis ſuis in tempore tritici dat menſuram, voce dominica laudatur, & ſuper omnia bona ſua conſtituendus promittitur. Vnde neceſſe eſt, vt qui verbi pocula miniſtrat, diſcretionis normam teneat, quatenus de miniſterio ſuo magis laudem & præmium, quam damnum & tormenta conſequatur.

11. *Vaſthi quoque Regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi Rex Aſſuerus manere conſueuerat.*

Quid per Vaſthi Reginam, niſi plebs Iudaica exprimitur, quæ quaſi Regina regnaſſe videbatur, cum in cultu vnius Dei cæteris gentibus præeminere inueniebatur. B Hæc ergo conuiuium fœminarum, vbi Rex manere conſueuerat, fecit, hoc eſt, in ipſa Ieruſalem, vbi templum Dei & ſancta ſanctorum fuerant, cultu obſeruantiam legis exhibuit, vel in Scripturarum ſacrarum meditatione, in qua diuinitus potentiæ ſuæ notitiam tribuens ſuis animabus refectionem ſcientiæ ſpiritualis impendit.

Itaque die ſeptimo, cum Rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Mauman & Baratha & Harbona & Bagatha & Abgatha & Zethar & Charchas, ſeptem Eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant, vt introducerent Reginam Vaſthi coram Rege poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis & Principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. Quæ renuit, & ad Regis imperium venire contempſit.

Septimus dies conuiuij, pulchritudinem temporum ſignificat, in qua Dominus incarnatus omnia myſteria legis & Prophetarum, quibus piæ mentes religioſorum hominum eatenus paſcebantur, abundantiori gratia manifeſtauit. De qua plenitudine Paulus ad Galatas ſcri- (Gal. 4.) C bens ait: *Cum autem venit plenitudo temporum, miſit Deus filium ſuum ex muliere factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater.* Et bene dictum eſt, quod poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, quia copioſam gratiam dono Spiritus ſancti in Diſcipulos ſuos per aduentum Paracleti infudit. De quo mero in Actibus Apoſtolorum legitur, quod in cænaculo Sion, adueniente Spiritu ſancto ſuper centum viginti credentes, cum æſtimarent eos Iudæi muſto repletos eſſe, Petrus reſpondit dicens: (Act. 2.) *Viri fratres, non ita vt vos æſtimatis, ſic viri ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia.* Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel: (Ioel. 2.) *Et erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri videbunt viſiones, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt: Et quidem ſuper ſeruos meos, & ancillas meas, in diebus illis effundam de ſpiritu meo & prophetabunt, & dabo prodigia in cælo ſurſum, & ſigna in terra deorſum.* Cuius meri dulcedinem in nuptijs myſticis Euangelij guſtans Architriclinus ad ſpon- D ſum ait: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti vinum bonum vſque huc.* Præcepit ergo Rex in iucunditate ſua ſeptem Eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant, vt introducerent Reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis pulchritudinem eius: cum Redemptor noſter Chriſtus videlicet Dominus ſanctorum Prædicatorum ordinem ſeptiformis Spiritus ſancti gratia repletum ad conuocandam Iudaicam plebem ad conuiuium ſpirituale direxit: quatenus eius decor & nobilitas quam habebat ex prærogatiua Patrum & legis Prophetarumque ſcientia ac cultu pietatis, quem ante aduentum Domini habuerat, cæteris nationibus celebriorem E totius orbis innoteſceret gentibus. Sed illa non ſolum legatos deſpiciens, verum etiam ſupremi Regis imperium ſpernens venire contempſit. Quod in Euangelicis parabolis ipſe ſcilicet Dominus innotuit: cum pij patris clementiam ſuper filij prodigi pœnitentis ſuſceptione vitulum mactaſſe, & conuiuium inſtruxiſſe declarauit; vbi ſenior filius, licet oppido rogatus fuerit à Patre, tamen introire contempſit. Et alibi ad nuptias, quas Rex filio ſuo parauit, nec non ad magnam cœnam, quam quidam homo paraſſe, & multos aduocaſſe commemoratur. Illi qui ambitione aliarum rerum detenti fuerant, venire nolle deſcripti ſunt; ob quod etiam ſummi Patris familias iuſta indignatione reiecti, & alij in locum illorum ſubſtituti commemorantur. Senior ergo ille filius, & antiquus Synagogæ populus, qui in Vaſthi Reginæ perſona exprimitur, de domicilio ſuo egredi, hoc eſt, à legis litera auelli renuebat, ſed ſuo arbitrio viuere contentus in terrenis deſiderijs deſudando, longe à patria Spiritus ſancti ac conſilio Patris factus extorris, ſemper rigidus ac durus, rancore atque indi- F gnatione pleniſsimus, hic eſt qui ait: *Agrum emi, & neceſſe habeo exire ac videre illum: Rogo te habe me excuſatum.* (Luc. 14.) Hic qui iuga boum comparat quinque, & legis onere depreſſus terrenorum ſenſuum voluptate perfruitur. Hic qui vxore ducta ad nuptias venire non poteſt, & effectus caro nequaquam vnum eſſe cum ſpiritu valet. In huius perſona etiam illius parabolæ operarij congruunt, in qua prima, tertia, ſexta, nona hora, id eſt, vocationibus varijs mittuntur ad vineam & indignantur ſibi vndecimæ horæ operarios coæquari. Quid autem de Vaſthi ſtultiſsimæ Reginæ contumacia factum ſcriptura narret audiamus.

Vnde iratus Rex, & nimio furore ſuccenſus interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper illi aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges & iura maiorum. Erant autem primi & proximi Charſena, & Sethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſana, & Mamuchan ſeptem duces Perſarum atque Medorum, qui videbant faciem eius, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant, cui ſententiæ Vaſthi Regina ſubiaceret, quæ Aſſueri Regis imperium, quod per Eunuchos G *mandauerat, facere noluiſſet. Reſponditque Mamuchan audiente Rege ac Principibus. Non ſolum Regem læſit Vaſthi, ſed omnes Principes & populos, qui ſunt in cunctis prouinciis Regis Aſſueri. Egredietur enim ſermo ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit vt Regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit. Hoc exemplo omnes coniuges Principum Perſarum atque Medorum parui pendent imperia maritorum: Vnde Regis iuſta eſt indignatio. Et ſi tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequaquam Vaſthi vltra ingrediatur ad Regem, ſed regnum illius altera, quæ melior eſt accipiat.*

Quid eſt quod ſuperbiente Vaſthi Rex Aſſuerus ſeptem ſapientum, qui ex more regio ſemper ſibi aderant, conſilium quærit, & ſententiam ſuper eam facere iubet: niſi quod Saluator noſter per Doctores ſuos Spiritus ſancti gratia repletos, qui eius præſentiæ recta fide ac bonis operibus ſemper aſsiſtere curant, plebis iudaicæ contumacia, cuius pœnæ atque damnationis rea H ſit, depromit ſententiam; ſcilicet vt de thoro regali, hoc eſt, de conſortio Dei, quo ordinata ac prælecta eſt, expellatur, & locum ipſius altera, quæ melior eſt ea, Eccleſia videlicet gentium ſincera fide ac plena deuotione accipiat. Quod ergo ad conuocandam Iudæam Dominus per legem atque Prophetam promiſſus ſummi Patris conſilio deſtinatus ſit, ipſe in Euangelio oſtendit dicens: (Math. 15.) *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael;* Et item. *Non eſt bonum* (inquit) *ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed muliere gentili perſiſtente in petitione ſua, magna fides eius merito ab ipſo Domino laudatur. Atque alibi fides Centurionis fidei Iudæorum præfertur cum dicit: (Math. 8.) *Amen dico vobis, quod multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent*

A *tum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum; filij autem regni huius eijcientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Item alibi ipſa veritas ad Ieruſalem ait: *Luc. 13.* *Ieruſalem Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* De vocatione autem gentium poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis taliter præcepit dicens: *Matth. 28.* *Ite docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Aptè quoque per Mamucham, qui nouiſſimus in ordine ſeptem Sapientũ numeratur, ſententiam de Vaſthi promulgabat, per quod perſona Paulli Apoſtoli, qui nouiſſimè ad Apoſtolatum conuocatus eſt, exprimitur, per quem Iudæis ſua perfidia ritè exprobratur. Ipſe enim de ſe ait: *1. Cor. 15.* *Ego autem ſum minimus Apoſtolorum.* Et alibi: *Mihi,* (inquit,) *omnium* *2. Cor. 3.* *ſanctorum minimo data eſt gratia hac, vt Euangelizem Chriſtum in gentibus.* Hic ergo dum in Synagoga Iudæorum B cum Barnaba ſocio prædicaſſet verbum Dei, & Iudæi repleti zelo contradicerent his, quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes; conſtanter ad eos dixit: *Act. 13.* *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita; Ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus. Poſui te in lumen gentibus, vt ſis in ſalutem vſq; ad extremum terræ. Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificauerunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

CAPVT II.

III. *HIS ita geſtis, poſtquam Regis Aſſueri deferbuerat indignatio, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet. Dixeruntque pueri Regis ac miniſtri eius: quærantur Regi puellæ virgines, & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant in domum fœminarum ſub manu Egei Eunuchi, qui eſt præpoſitus & cuſtos mulierum regiarum & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vſus neceſſaria; & quæcunq; inter omnes oculis Regis placuerit ipſa regnet pro Vaſthi.*

Repulſa igitur Iudæa à conſortio regali, diuerſæ gen- C tes, ac diuerſæ perſonæ ſingularum gentium ex diuerſis partibus mundi ad ſocietatem regiæ dignitatis per prædicatores ſanctos, qui miniſtri fuerunt Euangelici verbi, adducebantur, & traditæ ſunt ſub manu Egei, qui interpretatur feſtinus vel ſolemnis, præpoſito mulierum regiarum, hoc eſt, ſub cura paſtorum ac rectorum Eccleſiæ, quibus cuſtodia commiſſa eſt animarum fidelium; vt ipſi eis præberent verbo & exemplo, quicquid ad cultum pietatis neceſſarium erat: ſicq; quæcunq; anima tecta fide ac pura conſcientia internis pectoris oculis placuerit, ad Regis æterni thalamum munda ac ſancta, pro repudiata Vaſthi contumaci ac proterua introduceretur.

Erat vir Iudæus in Suſis ciuitate, Vocabulo Mardochæus, filius Iair, filii Semei filij Cis, de ſtirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam Regem Iuda Nabuchodonoſor Rex Babylonis tranſtulerat; qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther, & vtrumq; parentem amiſerat, pulchra nimis & decora facie. Mortuiſque patre ac matre Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam. Cumq; D *percrebuiſſet Regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur Eunucho, Eſther quoq; inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in cõſpectu illius. Et præcepit Eunucho, vt acceleraret mundũ muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo regis, & tam ipſam quã pediſſequas ornaret, atq; excoleret.*

Quid per Eſther, quæ interpretatur abſcondita, & altero nomine vocabatur Ediſſa, hoc eſt, miſericordia, niſi gentium Eccleſia deſignatur, quæ in abſcondito cordis ſui propter fidei caſtitatem placet Deo, & miſericordiam ac gratiam coram oculis Dei magis inuenit, quam Synagoga Iudæorum, quæ merito impietatis ſuæ abſq; miſericordia per Oſeam Prophetam vocatur. Hanc ergo Mardochæus ſpiritualis, quia vtrumq; parentem amiſerat, ſibi adoptauit in filiam. Et quid per Mardochæum, niſi E Doctores gentium ſignificantur? Et maxime beatus Paulus Apoſtolus, qui etiam de ſtirpeIeminea, hoc eſt, de tribu Beniamin ſe eſſe teſtatur. Cui quoq; vocatione Dei à perſecutore in Apoſtolum conuerſo, commiſſa eſt Eccleſia gentium: Et ipſe eam mortuo patre & matre, errore ſcilicet atq; ſuperſtitione gentili, quodammodo fecit eſſe ſuam, cum per baptiſmi gratiam, & Verbum Euangelii omnipotenti Patri filiam ad ſalutem regenerauit æternam. Vnde ipſe dixit ad eos: *licet plures magiſtros haberetis,* 1. Cor. 4. *tamen non multos patres. Ego enim in Chriſto per Euangelium vos genui.* Hæc ergo quondam per Nabuchodonoſor Regem Babylonis in captiuitatem traducta eſt: cum per diabolum à naturali lege & cultu vnius Dei in confuſionem idololatriæ translata eſt. Sed eam pietas diuina omnino non deſeruit, imo per Prædicatores ſuos ad veritatis viã iterũ reuocauit, qui eius curam diligentius habentes, educauerant eam in omni pietate & iuſtitia & veritate. Huic Egeus Eunuchus, h. e. paſtorum ordo caſtiſſimus, parans mundum muliebrem, ſanam videlicet doctrinam, & boni operis exempla, tradidit partes ſuas, profecto ſcientiã F Scripturarum, & honeſtatem motum; cui etiam ſeptem puellas ſpecioſiſſimas pediſſequas ordinauit, quia plures perſonas fidelium ſeptiformis Spiritus ſancti gratia regeneratas, & q̃ bona operatione ſequerentur, ipſius diſciplinatui ſaluberrimo ſubrogauit; ſcilicet vt profectu fidei, & omnium virtutum adornata fulgore ad regis æterni thorum per omnia habilis inueniretur.

Quæ noluit indicare populum & patriam ſuam, Mardochæus enim præceperat vt de hac re omnino reticeret.

Noluit enim Eccleſia gentium ſanctorum Doctorum præceptis inſtructa patriæ & populi ſui prodere locum, quia ab omni labe peccatorum, & ſordibus idololatriæ per baptiſmum mundata, nequaquam vltra opprobrium ſuſtinet priſtinæ impietatis. Cui etiam & per Prophetam præcepit Dominus dicens: *Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui;* Pſal. 44. *quoniam concupiuit Rex ſpeciem tuam, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Vnde ſubſequitur per Mardochæi typum ſolertiam Magiſtrorum demonſtrando Scriptura dicens:

Qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in qua electæ Virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens, quid ei accideret. G

Quia ſancti Doctores cura peruigili quotidie excubant in doctrina Euangelii, vt plebis ſibi commiſſæ explorent credulitatẽ & operationem, ſi forte regulam rectæ fidei, per q̃ ſalus æterna adipiſcitur, intenta mente ſequantur, ſi diligentiam habeant in cura Dei, & in bonorum operum obſeruantia, per quam regni cœleſtis merces in futura vita promeretur; nec enim vlla hora huius ſollicitudinis vacua fieri poteſt apud eos, in quorũ cordibus ardor rectæ fidei, & ignis diuini amoris inceſſabiliter feruet. Vnde gentiũ Doctor de laborib. ſuis ac perſecutionibus, quas pro Chriſto paſſus eſt, vendicis verbis glorians ſubiunxit dicens: *Præterea quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omniũ Eccleſiarũ. Quis infirmatur & ego non* 2. Cor. 11. *infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et ad Romanos. *Teſtis eſt,* (inquit,) *mihi Deus, cui ſeruio in Spiritu meo in Euangelio filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Rom. 1.

Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum vt intrarent ad regem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus vterentur. IV. H

Quid eſt, quod puellæ, quæ ad regis cubiculum introducendæ erant, duodecim menſib. oleo atq; aromatib. præparabantur, ita vt ſex menſibus oleo myrrhino q; boni odoris eſſe conſtat, vngerentur, & aliis ſex pigmentis & aromatib. variis vterentur, niſi q; omnes animæ, quæ ad ſacri baptiſmi perceptionem, & ad veri ſponſi, regis videlicet Chriſti thalamũ inuitantur, oleo myrrino, h. e. lumine fidei, & pinguedine dilectionis cum aromatibus virtutum perfectè imbuuntur, quatenus eius conſortio dignæ fieri mereantur. Quid enim aliud agunt præ-

A

dicatores ſancti, quando catechumenos ſuos inſtruunt veritate fidei? niſi vt bonis operibus eandem fidem eos adornare doceant, vt ieiunijs, orationibus atq; eleemoſynis, cæteriſq; virtutum operibus priſtinas ſordes veteris hominis abluere, & noui decorem induere feſtinent. Sic enim in Actibus Apoſtolorum legitur, quod Cornelius Centurio orationibus & eleemoſynis primum placaſſet Deum, deinde adueniente Petro baptiſmi mundationem, & Spiritus ſancti ſanctificationem acciperet, vnde ſubiungitur.

Ingredienteſq; ad Regem, quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens, accipiebant, & vti eis placuerat, compoſita de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum tranſibant.

Quæcunq; enim anima certat ad cœleſtis ſponſi thalamum properare, condignum à ſuis Doctoribus ornatum ad hoc percipit, & quo ſe magis deuotam ad agnitionem fidei, & virtutum notitiam docendo, illis adminiſtrat, ita vt de competentium numero per ſanctę Trinitatis integram fidem, ac plenam confeſſionem ad perceptionem vnici baptiſmatis, & vnctionem ſacri Chriſmatis, vbi cœleſti ſponſo veraciter iungitur, accedat. Quod autem ſequitur.

B

Quæ intrabat veſpere, egrediebatur mane, atq; inde in ſecundas ædes ducebatur. & reliqua.

Myſtice oſtendit, quod poſt occaſum vitiorum exſurgere debet fulgor virtutum, qui non alibi, quam in vnitate ſanctæ Eccleſiæ rite ſplendebit. At qui ſe inde per aliquam errorum ac vitiorum fœditatem ſeparauerit, merito in ſecundas ædes, vbi concubinæ Regis morabantur, deduci perhibetur, quia caſus ſanæ fidei non profectum ſed refectum honoris meretur, nec vltra habebit huiuſcemodi poteſtatem ad Regem noſtrum redire, niſi gratia ſuperna viſitatus iterum in priſtinæ dignitatis ſtatum ſua vocatione reſtituatur.

Euoluto autem tempore per ordinem inſtabat dies, quo Eſther filia Abihail fratris Mardochai, quam ſibi adoptauerat in filiam, intrare deberet ad Regem, quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunq; voluit Egeus Eunuchus cuſtos virginum hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

C

Euoluto, inquit, tempore, hoc eſt, tranſactis quinque ætatibus mundi, in quibus Patrum propago præcedebat, & legalis inſtitutio apud Iudæos florebat, ſexta ætas adueniente Redemptore, in qua gentium multitudo per Euangelium conuocanda erat, inſtabat. Tunc enim myſtice Eſther, id eſt, Eccleſia de nationibus Apoſtolica prædicatione ad Chriſtum Regem, per ſanæ fidei credulitatem, & babtiſmatis ſacramentum introducebatur, formoſa, & incredibili virtutum pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur. Cuius temporis meminit Apoſtolus Paulus ſcribens ad Galatas, ita dicens:

Galat. 4. *Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum recuperemus.*

Ephes. 2. Et ad Epheſios: *Deus* (inquit) *qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos; & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſidere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.* Vnde etiam ſimul conſiderandum eſt, ipſum articulum temporis, quando Eſther ad Regis thalamum introducebatur.

D

Ducta eſt itaque in cubiculum Regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius, & amauit eam Rex plus quam omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, feciteq; eam regnare in loco Vaſthi.

Tebeth enim menſis Hebræorum ipſe eſt, qui apud Græcos *Eudymos*, & apud Latinos Ianuarius, in quo incarnatus Dominus octaua die eſt circumciſus, & à Magis ſtella præeunte adductis iam infantulus adoratus, atque muneribus auro, thure & myrrha prolatis, tanquam Deus, homo, & Rex honoratus, in quo etiam à Ioanne prædicatus eſt & baptizatus. Septimo ergo anno Aſſueri Eſther acceſſit ad thalamum Regis. Et Eccleſia ad Regem Chriſtum, in quo ſeptiformis Spiritus gratia incommu-

E

tabiliter manet, adducta atq; coniuncta eſt. Quam ipſe adamauit plus quam omnes mulieres, habuitq; gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, hoc eſt, ſuper omnes nationes terrarum. In cuius capite diadema regni poſuit, cum ipſam ſibi conſortem regni aſſciuit; fecitque eam regnare in loco Vaſthi, hoc eſt, Iudæorum Synagogæ, quæ Regem noſtrum ſpernendo & crucifigendo honoris perdidit dignitatem. Huius ſcilicet Reginæ excellentiam Propheta intuens ad Regem Chriſtum loquitur dicens: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Psal. 44. Et ſtatim ad ipſam loquens ſubiungit dicens: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui, quoniam concupiuit Rex decorem tuum. Ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum filiæ Tyri, in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.*

Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis Principibus & ſeruis ſuis pro coniunctione & nuptiis Eſther, & dedit requiem vniuerſis Prouinciis, ac dona largitus eſt iuxta munificentiam principalem.

F

Quid eſt conuiuium permagnificum pro nuptiis Eſther cunctis Principibus & ſeruis præparari: niſi pro ſpirituali coniunctione Chriſti & Eccleſiæ gaudium maximum in toto orbe terrarum à maioribus atque minoribus vniuerſis celebrari. In hoc enim conuiuio non carnales epulæ, ſed ſpirituales ſapientiæ & virtutum dapes à dignè conuiuantibus ſumuntur. Vbi ſacroſancta myſteria corporis ac ſanguinis Domini fideles quiq; ob ſalutis ſuæ remedia percipiunt, in quo paſtus æternæ vitæ ſiſtit. Dat Rex noſter requiem vniuerſis Prouinciis, ac dona largitur multiplicia, quando à peccatorum onere credentes ſibi liberat, & donis ſpiritualibus eos remunerat. Vnde ipſe in Euangelio ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Matth. 11. De quo & Propheta ait: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ephes. 4. Cui conſequenter addidit Apoſtolus dicens: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, Alios vero Euangeliſtas, Alios autem Paſtores ac Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationē corporis Chriſti, donec occuramus omnes in vnitatem fidei & agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Ephes. 4.

G

Cumque ſecundo quærerentur virgines & congregarentur, Mardochæus manebat ad Regis ianuam, necdumq; prodiderat Eſther patriam & populum ſuum, iuxta mandatum Mardochai, quicquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo iam paruulam nutriebat.

Quæruntur & ſecundo Regi Virgines & congregantur, quia non ſufficit Domino noſtro Ieſu Chriſto de Iudæis tantum primitiuam ſibi aſſociare Eccleſiam, verumetiam de gentibus per prædicatores ſuos fidelium ſibi multitudinem acquirit copioſam, vt fiat de vtroq; populo vna Eccleſia Catholica, ſponſa videlicet ipſius nobiliſſima, quæ non habet maculam aut rugam. Vnde ipſe in Euangelio ait: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.* Ioan 10. Mardochæus, inquit, manebat ad Regis ianuam, quia Doctores ſancti aſſiduo manentes in doctrina Euangelii, conuocant gentes ad introitum fidei & baptiſmatis Sacramentum, necdumque Eſther noſtra prodit patriam & populum ſuum iuxta mandatum Mardochæi typici; quia iuxta doctrinam fidei nullo modo aliquid agit ſanctorum Eccleſia per arrogantiam, ſed in pura conſcientia humiliter omnia ſeruat, quæ ſibi dictis Euangelicis præcipiuntur, de qua per Prophetam dicitur: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Psal. 44. Et Apoſtolus *Gloria.* (inquit,) *noſtra, hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. Cor. 1.

H

Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad Regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagathas & Thares duo Eunuchi Regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant, volueruntque inſurgere in Regem, & occidere eum; quod Mardochæum non latuit,

V.

ſtatimq;

A *ſtatimq; nunciauit Reginæ Eſther, & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat.*

Quid per hos duos Eunuchos, qui ianitores erant domus regiæ, & in primo palatii limine præſidebant, niſi Scribæ & Phariſæi deſignantur Iudæorum, de quibus dictum eſt, quod habentes clauem ſcientiæ, nec ipſi introierunt, nec alios introire permiſerunt. Hi volebant inſurgere in Regem, & occidere eum, quia ipſi doctrinæ & virtutibus Saluatoris ſemper inuidentes inſidiabantur, & cum miniſtris Romanæ poteſtatis moliebantur, quomodo eum interficerent. Vnde ſcriptum eſt in Euangelio, quod *abeuntes Phariſæi conſilium inierint,* *Matth. 22.* *vt caperent eum in ſermone, & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes: Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur; licet cenſum dare Cæſari an non?* Et alibi legitur, quod *Ioan. 11.* *collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit, ſi dimittimus eum ſic omnes credent in eum, & venient Romani & tollent noſtrum* B *locum & gentem.* Vnde poſt pauca ſubiungitur: *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Has duas perſonas Eſaias Propheta in duabus domibus notat, quibus Saluator incarnatus in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali factus eſt, & in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem, vnde offendent ex eis plurimi & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Horum ergo Eunuchorum nequitiam agnoſcens Mardochæus noſter, Regi per Eſther prodit, quia illorum dolos & prauitatem cordis prædicatorum ordo fidelibus, qui membra Chriſti ſunt, cauendos eſſe oſtendit. Poteſt & in ipſis duobus Eunuchis perſona hæreticorum & ſchiſmaticorum accipi, qui fraudis atque malitiæ venenum corde geſtantes, aduerſus veritatem iniqua conſilia ſedulo conſtruunt, qualiter eam à cordibus credentium auferant, & Chriſtum, qui eſt vita fidelium, quodammodo in eis interficiant: ſed horum iniquitatem ſancti Doctores manifeſtantes, latebras erroris illorum in lucem producunt, demonſtrando, quomodo innocentes per Dei iudicium à morte animæ eruantur, noxii iuſta vltione puniantur, beneque meriti condigna mercede re- C munerentur, vnde ſubiungitur.

Quæſitum eſt, & inuentum eſt, & appenſus vterq; in patibulo & iuſſit rex vt in libro memorialı ſcriberetur, vt pro vita ſua aliquid repenſaret ei, mandatumque eſt hiſtoriis, & annalibus traditum coram rege.

Libri ergo memoriales ſunt volumina duorum teſtamentorum, in quibus quæ iuſtis pro bonis actibus præmia, & quæ iniquis pro peccatis pœnæ in futuro maneant, commemorantur. Vnde ſcriptum eſt in Euange- *Matth. 16.* lio: *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Et item: *Ibunt,* (in- *Matth. 25.* quit,) *impii in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Hinc & Paulus ad Romanos ſcribens ait: *Reuelatur* *Rom. 1 & 2.* *enim ira Dei ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui veritatem in Dei iniuſtitia detinent, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius; his quidem, qui ſecundum patientiam boni operis; gloriam & honorem & incorruptionem, quærentibus vitam æternam; His autem, qui ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio,* D *tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum.* De *Ezech. 18.* quo & per Ezechielem dicitur: *Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum. Anima cum peccauerit, ipſa morietur.* De quo & Pſalmiſta pari modo teſtatur di- *Pſal. 33.* cens: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum, vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

CAPVT III.

VI. *POST hæc Rex Aſſuerus exaltauit Aman, filium Amadathi qui erat de ſtirpe, Agag. & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat, cunctique ſerui Regis, qui in foribus palatii verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: ſic enim* E *eis præceperat imperator: ſolus Mardochæus non flectebat genu, neq; adorabat eum.*

Quid per Aman ſuperbum, niſi faſtus potentum huius ſæculi exprimitur, qui beneficiis diuina pietate ſibi collatis abutentes, proximos ſuos, quos conſortes habent naturæ, ſocios gratiæ habere deſpiciunt. Vnde honorem ac reuerentiam, quam ſoli Deo impendere iuſte debuerant, in ſe nequiter transferre contendunt; eos autem qui hoc agere atque conſentire nolunt, odiis inſectantur, cruciatibus perſequuntur, atque morti tradere conantur. Sed ſupernus Iudex, *qui humilia reſpicit, & alta* *Pſal. 112.* *à longe cognoſcit, qui nouit decipientem & eum qui decipitur, conuertit dolorem iniquorum in caput eorum, & in verticem eorum iniquitas eorum deſcendit. In inſidiis ſuis capientur iniqui: Iuſtus de anguſtia ſua liberabitur, & tradetur impius pro eo.*

Poteſt & per Aman iſtum Agagitem, quam Ioſephus de ſtirpe Amalech eſſe editum narrat, Iudæorum populus ſanguinolentus figurari, qui Prophetas occide- F runt, & ipſum Dominum Prophetarum, atque Apoſtolos eius interficere non timuerunt: qui generis nobilitatem propter incredulitatem & duritiam mentis ſuæ perdentes, per Eſaiam Principes Sodomorum & populus Gomorrhæ appellati ſunt, quibus per Ezechie- *Ezech. 16.* lem dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Hi ergo confeſſores Chriſti, quaſi hoſtes legis Dei exiſtimant. Vnde non in ſolum Mardochæum, hoc eſt, in prædicatores Euangelii, ſed etiam in omnem plebem Catholicam manus inıicere, atque de præſenti vita exterminare feſtinant, ſed mortem, qua innoxios temporaliter multare machinabantur, ipſi meritis ſuis exigentibus, iuſto iudice retribuente, ſine fine in animabus ſuis ſuſtinere coguntur.

Dixitque Aman Regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias diſperſus, & à ſe mutuo ſeparatus, nouis vtens legibus & ceremoniis, inſuper & regis ſcita contemnens, & optimè noſti, quod non expediat regno tuo, vt inſoleſcat per licentiam. Si tibi placet, decerne, vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarii gazæ tuæ. tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman filio Amadathi de G *progenie Agag hoſti Iudæorum, dixitq; ad eum: Argentum quod polliceris, tuum ſit, de populo age quod tibi placet.*

Aman ergo decem talentorum pecuniam promittens Regi Iudæorum mortem expetiuit: Sic & iudaicus populus carnali obſeruantiæ ceremoniarum legis deditus, Deum ſe per hoc placare credendo, verorum Chriſti Confeſſorum, qui ſecundum Euangelicam doctrinam ſpirituale Deo ſeruitium exhibebant, mortem meditatus eſt. Vnde ſicut Aman Epiſtolas dirigens Regis ſignaculo eas munire curabat, quatenus per hoc facilius votum ſuum expleret: Ita perfidia Iudæorum libros diuinæ legis, in quibus ſignaculum ſummi regis expreſſum eſt, hoc eſt, Spiritus ſancti gratia manifeſtata eſt, ad comprobandam hæreſim ſuam in teſtimonium non recte aſſumens, gentium conuerſionem ad ſocietatem religionis reprobare nitebatur, & Chriſti Euangelium quaſi contrarium diuinis præceptis condemnare.

Nec etiam illud ſine myſterio eſt, quod duodecimus menſis Anni, qui vocatur Adar ad interfectionem Iſrael ſorte deputatus eſt, ſed id ſignificat, quod Chriſti gratia, H quæ in plenitudine temporum fidelibus commiſſa eſt, perſecutionem validam nouiſſimis temporibus in mundo per fideles paſſura eſt; De quo & Doctor gentium ad Timotheum ſcribens ait: *Hoc autem ſcito, quod in no-* *1. Tim 3.* *uiſſimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes* Hinc & Dominus in Euange- *Matth 24.* lio ait: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.*

A Et paulo poſt: *Erit*, (inquit,) *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſq; modo, nec fiet, niſi breuiati fuiſſent dies illi.*

Statimque in Suſis pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis qui in vrbe erant flentibus.

Hoc eſt, quod Saluator prædixit Diſcipulis ſuis in Euangelio: *Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Vnde quid de Mardochæo Scriptura conſequenter narret, videamus. Ioan. 16.

Capvt IV.

VII. *QVAE cum audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti, & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui, & hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum, indutum ſacco aulam Regis intrare,* & cætera.

B Audiens Mardochæus necem Iudæorum Imperialibus decretis deſtinatam, lugubribus ſe induit veſtimentis, & in amaritudine animi, atque eiulatu vocis vſq; ad fores palatii progreditur; cum Magiſtri Eccleſiæ audita perſecutione Principum terræ, quam innocentibus Chriſti famulis ingerere cupiunt, cum ieiuniis & eleemoſynis, cum vigiliis & orationibus, cum lachrymis & compunctione cordis ad ſecreta cœli neceſſitates ſuas, in cōſpectu videlicet ſuperni Iudicis profundere geſtiunt; vt per dignitatem & preces veræ Reginæ, hoc eſt, ſanctæ Eccleſiæ, quę partim adhuc peregrinatur in terris, partim autem iam cum Domino regnat in cœlis, à Rege omnium ſæculorum exaudiri mereantur. Si quis autem quæſierit, quomodo Regi iuſtiſsimo conueniat infligere tormenta innocentibus; ſciat hoc nō ex malitiæ voto, ſed ex ſummi conſilii procedere nutu; nā ſapientia diuina, q̄ vincit omnē malitiā, & attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, ipſa omnia, quæ vult, facit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſsis. Iuſto enim Iudicio agitur, vt fideles eius famuli in manus perſecutorum tradantur, ſiue ad peccatorum expiationem, ſiue ad morum correctionem, ſeu etiam ad meritorum

C augmentum, & præmiorum multiplicationem; quia, vt Propheta teſtatur, *iuſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis; prope eſt omnibus inuocantibus eum* in veritate, voluntatem timentium ſe faciet, & orationes eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos: non enim petente Satana tradidit Dominus Iob in manus eius, vt periret, ſed vt per eius adiutorium hoſtem nequiſsimum vinceret, & ita victoriæ ſibi palmam acquireret, hoſtique malitiæ ſuæ iuſtam pœnam relinqueret. Datus eſt Apoſtolo Paulo ſtimulus carnis ſuæ, Angelus ſcilicet Satanæ, vt eum colaphizaret, quatenus virtus in infirmitate perficeretur. Nec illud etiam ſilentio prætereundum eſt, quod dicitur Mardochæus ſacco indutus aulam Regis intrare non poſſe, ſed ad fores vſque Palatii perueniſſe, quia nullus cum corruptione præſentis vitæ poteſt intrare aulam cœleſtis patriæ, ſed hic interdum ante obitus vltimi diem debet quiſque per caſtigationem corporis, & compunctionem cordis regni pulſare introitum, & ſic poſt exitum mortis lætabundus Domini intrare paradiſum. Pſal. 144.

D *Eſther ergo hæc Mardochæo verba mandauit; Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Suſis reperieris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus. Et ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, inuocata.*

Orat Mardochæus cum Iudæis pro Eſther Regina: ſimiliter & ipſa Regina orat pro Mardochæo & Iudæis, quia magiſter p̄ diſcipulis, & diſcipuli p̄ magiſtris ad Dominum preces fundere debent, vt vniuerſus ſimul cœtus fidelium, hoc eſt, membra cum toto corpore pietate ſuperna illæſa cuſtodiantur. Vnde eſt illud, quod Paulus ad Romanos ſcribens, ſine intermiſsione memoriam eorum ſemper ſe facere narrat in orationibus ſuis; & ipſe ſimiliter eoſdem Romanos obſecrat per Dominum Ieſum Chriſtum, & per caritatem Spiritus ſancti, vt adiuuent eum in orationibus, & orent pro eo ad Dominum, vt liberetur ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa, & miniſterium ſuum, quod Ieroſolymam defertur, acceptabile fiat ſanctis. Hinc & in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quod Petro in carcere poſito, fieret oratio ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Dominum pro eo. Et ipſe pari modo in Epiſtola ſua poſtulat, vt gratia Dei, & pax in Eccleſia multiplicetur & adimpleatur in cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti. E

Capvt V.

VIII. *DIE autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra Baſilicam Regis. At ille ſedebat ſuper ſolium in conſiſtorio palatij contra oſtium domus: Cumque vidiſſet Eſther Reginam ſtantem placuit oculis eius, & oſtendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu, quæ accedens oſculata eſt ſummitatem virgæ eius, dixitque ad eam Rex: Quid vis Eſther Regina, quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni petieris; dabitur tibi. At illa reſpondit: obſecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium.*

F Quid eſt, quod die tertia induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, niſi quod Eccleſia gentium tertio tempore ſæculi, hoc eſt, poſt incarnationem, paſsionem & reſurrectionem Chriſti, in Sacramenta baptiſmatis per ſanctæ Trinitatis confeſsionem, Fide, Spe & Charitate, omniumque virtutum ſe induit decore, vt inde regali conſortio digna fieret, cum eius amore præcipuo inceſſanter ferueret. Quæ ſtat in atrio domus regiæ, quod erat interius contra baſilicam Regis, hoc eſt in præſentis vitæ pia operatione, quæ ſpectat ad futuram in cœlis remunerationem; vbi ipſe Rex Regum ſolio conſedit ſuperno, & precibus piè ad ſe clamantium annuit. Qui extendit contra hanc Reginam virgam, quam tenet manu, cum oſtendit illi regiminis ſui potentiam, vel crucem paſsionis ſuæ, per quam ſibi acquiſiuit poteſtatem in cœlo, & in terra, & ſubtus terram; ita vt in nomine eius omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hanc

G quidem ipſa amabiliter oſculatur, hoc eſt, omni deuotione veneratur. Cuius petitioni & ipſe Rex ſpondet ſe aſſenſurum, ſicut in Euangelio ait: *Petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis.* Et item: (*Petite,* (inquit,) *& accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum,* gaudium enim plenum ſanctæ Eccleſiæ non alibi tribuitur, niſi in perceptione regni cœleſtis, vbi cum Chriſto Rege fœlix Regina regnabit in æternum. At illa data ſibi electione petitionis, inuitat eum ad conuiuium ſuum, quod ei parauit, ſed hoc non aliud melius intelligitur, quàm plena ac perfecta fidei ſuæ deuotio, de qua paſcitur interius inſpector & arbiter omnium ſæculorum. Ad hanc quippe refectionem, hoc eſt, ſanæ fidei communionem inuitat Eccleſia non ſolum amicos, imo etiam inimicos atque perſecutores ſuos; paganos videlicet, Iudæos & hæreticos, vt relicto totius erroris deuio in vna domo Catholicæ confeſsionis de communi bono lætentur. Matth. 7.

Statimque Rex, vocate, (inquit,) *Aman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaq; Rex & Aman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.*

H Nota quod concordant voluntas inuitantis Reginæ, & iuſsio iubentis Regis; ſed væ illi, qui malignus ad menſam Domini accedit, qui præcordia odio polluta habens & immundam conſcientiam non veretur ad conuiuium Domini indignus intrare; qui licet ſæpius inuitatus venerit, ſuis meritis tamen cogentibus in lætitia conuiuantium non permanebit: ſed cum intrauerit Rex, vt videret eum ibi recumbentem non veſtitum veſte nuptiali, exprobrat ei ſuam temeritatem, & ligatis manibus & pedibus iubet proiici in tenebras exteriores; vbi doli damnum, quod innocentibus nequiter parabat, iuſtè ſuſtinere cogetur, iuxta illud Salomonis: *In inſidiis ſuis capientur iniqui.* Poſtquam igitur Rex ſecundo dedit Eſther petitionis ſuæ optionem, illa reſpondit dicens. Prou. 11.

Si inue-

A *Si inueni gratiam in conſpectu Regis, & ſi Regi placet, vt det mihi quod poſtulo, & meam impleat petitionem, veniat Rex & Aman ad conuiuium, quod paraui eis, & cras Regi aperiam voluntatem meam.*

Hęc dilatio petendi non eſt ſignitię vitio, ſed virtuti patientiæ deputanda, hoc nimirum ſignificans, quod iuſtis præmium, & peccatoribus pœna magis in futuro eſt tribuenda. Cras enim hic pro futuro tempore intelligitur, vt eſt illud Euangelicum: *Nolite ſolliciti eſſe de craſtino.*

Et in Geneſi Iacob ad Laban ait: *Cras apparebit iuſtitia mea.*

In Exodo quoque vbi de agni paſchalis eſu præcipitur, additum eſt: *nec remanebit ex eo quicquam vſque mane.*

Cum autem dies futuri iudicii venerit, & omne B humanum genus, iuſti videlicet ſimul & peccatores, ante ſupremi Iudicis præſentiam conſtituentur, tunc reuelabitur quali mente quis hic vixerit, vbi iuſti ad percipiendum regnum cęleſtis patriæ per ſententiam præſentis Iudicis inuitantur, & peccatores ſimul cum Diabolo inferni cruciatibus puniendi expelluntur.

Capvt VI.

IX. *NOCTEM autem illam Rex duxit inſomnem, iuſſitque adferri ſibi hiſtorias, & annales priorum temporum, quæ cum illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum, vbi ſcriptum erat, quomodo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares Eunuchorum Regem Aſſuerum iugulare cupientium. Quod* C *cum Rex audiſſet ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? dixeruntque ei ſerui illius ac miniſtri: nihil omnino mercedis accepit. Statimque Rex, quis eſt, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus Regiæ intrauerat, vt ſuggereret Regi & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. Reſponderuntque pueri: Aman ſtat in atrio, dixitque Rex, ingrediatur. Cumque eſſet ingreſſus ait illi: Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat? cogitans Aman in corde ſuo, & reputans, quod nullum alium vellet Rex niſi ſe honorare, reſpondit: Homo quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de Regis Principibus ac tyrannis teneat equum* D *eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet & dicat: Sic honorabitur, quemcumque Rex vult honorare. Dixitque ei Rex: Feſtina & ſumpta ſtola & equo fac ita, vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores Palatij. Caue ne quicquam de his quæ locutus es, prætermittas.*

Pſal. 120. Quid eſt quod Rex inſomnem noctem duxit, niſi illud, quod in Pſalmo ſcriptum eſt: *Ecce non dormitabit, neq; obdormiet qui cuſtodit Iſrael.*

Leguntur coram eo hiſtoriæ & annales priorum temporum, in quibus commemoratio fidei & bonorum actuum Mardochæi continetur, quia Rex

E ſanctorum & Princeps Regum terræ in ſe idem manens omnium temporum curſus, & ſingulorum actuum notitiam vno contemplatur intuitu, nec eſt apud illum quicquam recidiuum, ſed præſentialiter in conſpectu eius omnia patent, de quo per Ieremiam dicitur: *Qui enim firmauit omnia ipſe eſt, & Iſrael virga hæreditatis eius, Dominus exercituum nomen illi.* Ierem. 10.

Vnde & Apoſtolus ait: *In CHRISTO enim IESV non eſt in illo Eſt & fuit, ſed Eſt ſemper in illo eſt.*

Et item: *Ieſus,* (inquit,) *Chriſtus heri & hodie ipſe in ſæcula ſæculorum.*

Commemorantur ergo geſta Mardochæi coram hoc Rege, quia bona opera ſanctorum Doctorum nunquam apud eum obliuioni tradentur, ſed fit quod ſcriptum eſt: *In memoria æterna erit iuſtus, ab auditu malo non timebit.* Pſal. 111.

Iubetur Mardochæus regalibus veſtimentis indui, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt, F & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de Regis Principibus ac tyrannis tenere equum eius, & per plateam ciuitatis incedendo clamare: ſic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare: Cum Prædicatores ſancti Euangelii & magiſtri Eccleſiæ omnium virtutum cultu, & ſapientiæ decore illuſtrati, ac diademate Regiæ dignitatis, quia ſummi Regis membra ſunt, nobiliter honorati; aſcendere ſuper equum regium, hoc eſt, ſuper fidelium populum, in quorum cordibus Rex ipſe cœlorum iugiter præſidet, iubentur præeſſe ac dominari. De quibus equis per Abacuc Prophetam ad ipſum DOMINVM dicitur: *Aſcendens aſcendes ſuper equos tuos, & equitatus tuus ſanitas.* Abacuc. 3.

Cui Aman ſpiritualis hoſtis populi Dei, licet inuitus, tamen condignum obſequium præbet, cum perſecutores ſanctæ Eccleſiæ, quamuis indeuoto animo, ſuperno tamen nutu ſæpe coguntur veraci laudes Eccleſiæ prædicare teſtimonio; quia veritate patefacta G conuicti non poſſunt abſcondendo celare, quod manifeſtum eſt.

Reuerſus eſt Mardochæus ad ianuam palatij, & Aman feſtinauit ire in domum ſuam lugens & aperto capite: Narrauitque Zares vxori ſuæ, & amicis omnia, quæ eueniſſent ſibi. Cui reſponderunt ſapientes, quos habebat in conſilio ſuo, & vxor eius: Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius.

Hæc eſt immutatio dexteræ excelſi, vt ille, qui nuper gloriabatur ſuper alios ſe eſſe potentem, & præ omnibus glorioſum, ſubito fieret vilior cæteris, & infirmior cunctis. Cuius diſpoſitionis magnitudinem conſiderans Maria mater Domini in cantico Euangelii ait: *Fecit potentiam in brachio ſuo,* H *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis & diuites dimiſit inanes.* Luc. 1.

De quo per Eſaiam dicitur: *Conuertetur libanus, & Charmel in ſaltum reputabitur.* Eſa. 19.

Hinc videmus Iudæorum ſynagogæ contumaciam compreſſam, & humilitatem Eccleſiæ gentium exaltatam. Hinc perſecutores Chriſtianæ fidei, qui quondam vt leones feroces laterauerunt gregem Chriſti, modo deſtructi, & ad nihilum ſunt redacti: Confeſſores quoque Chriſti in toto orbe ſtatu ſanæ fidei erecti, & potentia virtutum ſunt ſublimati. Caput

A in caudam, & cauda in caput verſa eſt, quia *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

CAPVT VII.

X. *ADHVC illis loquentibus, venerunt Eunuchi Regis & cito eum ad conuiuium, quod Regina parauerat, pergere compulerunt. Intrauit itaque Rex & Aman, vt biberent cum Regina. Dixitque ei Rex etiam in ſecundo die, poſtquam vino incaluerat: Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi, & quid vis fieri? Etiamſi dimidiam regni mei partem petieris, impetrabis. Ad quem illa reſpondit: ſi inueni gratiam in oculis tuis, O Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro.*
B *Traditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur & pereamus. At vtinam in ſeruos & famulas venderemur, eſſet tolerabile malum, & gemens tacerem. Nunc autem hoſtis eſt noſter, cuius crudelitas redundat in Regem. Reſpondenſque Rex Aſſuerus ait: Quis eſt iſte, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? Dixit Eſther: hoſtis & inimicus noſter peſſimus eſt Aman. Quod ille audiens ilicò obſtupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non ſuſtinens.*

Ecce iam ſecunda dies conuiuii adeſt, vbi ſimiliter vt prius Aman conuocatus venit, ſed manifeſtante Eſther petitionem ſuam, inde damnatus ad pœnam ſeceſſit.

Hinc eſt enim, quod in Euangelio alibi prandium, alibi cœna ab homine facta memoratur; quia prandi-
C um præſentis Eccleſiæ deſignat, cœna autem æternum atque vltimum conuiuium.

Vnde ſequeſtratis peccatoribus ſoli boni in conſpectu ſui lætantur conditoris.

Aman quippe ſpiritualis & hoſtis populi Dei, quia charitatis indumentum, vnde regali conuiuio dignus eſſet, non habuit, iratum Regem ſenſit; atque eo in hortos properante, hoc eſt, electos ſuos ad delicias Paradiſi inuitante, Reginam pro ſalute ſua deprecari contendit, ſed fruſtra, quia tempus opportunum ad hoc non inuenit.

Tunc enim iam ſero eſt ad quærendum ſalutis remedia, quando imminet vltionis vindicta.

Sic & in Euangelii parabola adueniente ſponſo ſtultæ virgines à prudentibus oleum ad vaſa ſua reficienda petunt, ſed non accipiunt.

Vnde poſtquam ſponſus ad nuptias cum virginibus prudentibus intrauerit, ianuaque clauſa fuerit, ipſæ excluſæ foris remanentes aditum ſibi in-
D trandi exquirunt, quem tamen nullo modo promereri poſſunt, quia tempus miſerationis iam non inueniunt, quod prius dignis operibus quærere neglexerunt.

Ibi iam à Domino non poteſt mereri, quod petit, qui hic noluit audire quod iuſſit, qui tempus congruę pœnitentiæ perdidit, fruſtra ante regni ianuam cum precibus venit.

Hinc etenim per Salomonem Dominus dicit:
Prou. 1. *Vocaui & renuiſtis; extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis, quod timebatis, aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, tunc inuocabunt me & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me.* E

Cum autem reuerſus Rex intraſſet in conuiuij locum repperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, & ait: Etiam Reginam vult opprimere, me præſente in domo mea. Necdum verbum de ore Regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.

Deprecatio enim Aman ad Reginam Eſther apud Regem Aſſuerum pro calumnia deputabatur, quia imminente die iudicii petitio iniquorum non oratio ſed irritatio fit. Vnde in Pſalmo ſcriptum eſt: *Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius* Pſal. 108.
fiat in peccatum.

Tunc enim oppreſſio illis, qua antea humiles opprimebant, improperatur, quia remunerationis F
tempus adeſt; tunc enim damnati peccatorum ſuorum verecundia operientur, ſicut ſcriptum eſt: Pſal. 70.
Confuſio vultus eorum operiet eos, quando ad tartari tenebras pertrahuntur, vt ibi operum ſuorum condigna mercede remunerentur. Vnde & ſubditur.

Dixitque Harbona vnus de Eunuchis, qui ſtabat in miniſterio Regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro Rege, ſtat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit Rex, appendite eum in eo. Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo, & Regis ira quieuit.

Scriptum eſt in Prouerbiis: *Qui fodit foueam,* Prou. 26.
incidet in illam, & qui voluit lapidem, reuertetur G
ad eum.

Sic & Aman crucem, quam Mardochæo parauerat, ſuſtinere coactus eſt.

Sed quæri poteſt, quid ſignificet, quod crux ipſa quinquaginta cubitorum facta eſſe legitur.

Lex enim quinquageſima die poſt agni immolationem in monte Sina priori populo data eſt.

Et quia diximus ſupra, quod Aman ſignificaret ipſos Iudæos tumultuantes contra Chriſtum, qui in lege eis promiſſus erat, & Eccleſiam eius perſequentes; Lex ipſa, quæ eis ad cuſtodiam vitæ data eſt, quia per ipſam extinguere nomen CHRISTI, atque Confeſſores eius interficere moliebantur, mortis illis extitit cauſa.

Ita vt qui per legem iniuſte innoxios opprimere volebant, ipſi per eam iuſti iudicii acciperent ſententiam, de quo per Paulum dicitur: *Quicun-* Rom. 2.
que in lege peccauerunt; per legem iudicabuntur. H

Harbona autem Eunuchus, qui ipſam crucem factam prodidit, ſignificat Doctores legis, qui dolum Iudæorum, & omnia, quæ diuinis præceptis fecerunt contraria, ipſius legis lectione manifeſtauerunt.

Vnde Moyſes in Spiritu præuidens eos contemptores & ſacrilegos futuros, omnia, quæ præuaricatoribus erant ventura, in cantico Deuteronomii prædixit. Hinc & Saluator in Euangelio ad
ipſos Iudæos ait: *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem; eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis, ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit:* Ioan. 5.

A *ſi autem illius literis non creditis, quomodo meis verbis credetis?*

Capvt VIII.

Die illa dedit Rex Aſſuerus Eſther Reginæ domum Aman aduerſarij Iudæorum. Et Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem Regis, &c.

Quid eſt, quod Rex Aſſuerus dedit Eſther Reginæ domum Aman aduerſarii Iudæorum, niſi quod Rex verus & Dominus noſter omnem dignitatem, & omnem honorem, quem prior populus ex ſcientia legis & Prophetarum, atque cultu piæ religionis habuit, poſtquam aduentum mediatoris Dei & hominum in carne ſpreuit, atque eius Euangelium recipere noluit, totum ad ſanctæ Eccleſiæ tranſtulit vſum, vt ipſa poſſideret ſpirituales diuitias, & cuſtos fieret honeſtiſſima omnium virtutum. Vnde ſcriptum eſt in Prouerbiis: *Cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris.* Et Dominus in Euangelio ad ipſos Iudæos ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hinc iterum per Salomonem dicitur: *Qui bonus eſt auferet à Domino gratiam.*

Prou. 13. Matth. 21. B Prou. 12.

Vnde ſequitur de Mardochæo, quod ingreſſus ſit ante faciem Regis, quia laudante ac prædicante Eccleſia inſtantism Magiſtrorum ſuorum, ipſi Doctores ſancti pro labore, quem exercuerunt in nutrimine fidelium gratiam copioſam ante conſpectum inueniunt Conditoris omnium. Poteſt & ſententia hæc de perſona omnium perſecutorum Eccleſiæ generaliter prolata accipi, quia quicquid illi ſtudio ſapientiæ vel vtilium diſciplinarum ediderunt, aut de honeſtate virtutum indagando exquiſierunt, nec non ea, quæ in genere pœnarum ad torquendos martyres excogitauerunt, totum fidelibus Chriſti in augmentum honoris & gloriæ conuerſum eſt. Nec illis iniuſtis poſſeſſoribus quicquam remanſit pro elaboratu ſuo bonæ mercedis, ſed iſtis totum collatum eſt ad plenitudinem ſuæ perfectionis. Illud quoque quod ſubiungitur, tuliſſe Regem annulum, quem ab Aman receperat, & tradidiſſe Mardochæo, myſticè exprimit, quia ſignaculum fidei, quod perfidi Iudæi, & omnes perſecutores nominis Chriſti ſibi per prædicationem Euangelii oblatum recipere nolebant, ad gentium ſalutem per Apoſtolos CHRISTI tranſlatum eſt. Tenet ergo Eſther domum Aman hoſtis Iudæorum: cum Eccleſia CHRISTI mundum poſſidet, hoſtem quondam Chriſtianorum. Et ingreditur Mardochæus ante faciem Regis; cum quotidie animæ ſanctorum de incolatu præſentis vitæ capiuntur ad contemplationem vultus ſuperni Iudicis: cuius lætitiæ magnitudinem nullus occupat finis, ſed gloria perpes quotidie eis creſcit in gaudio æternæ exultationis.

C

Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.

Ecce Eſther Mardochæum conſtituit ſuper domum ſuam; quia hoc ſalubri ſanctæ Eccleſiæ placet conſilio, vt multitudo fidelium ſub regimine ſtatuatur ſanctorum prædicatorum, quatenus per humilitatem & obedientiam ſubdita fiat imperio electorum magiſtrorum.

D

Nec his contenta procidit ad pedes Regis fleuitque & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ & machinationes eius peſſimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri. At ille ex more ſceptrum aureum prætendit manu, quod ſignum clementiæ monſtrabatur. Illaque conſurgens ſtetit ante eum & ait: ſi placet Regi, & ſi inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videatur contraria, obſecro vt nouis Epiſtolis veteres Aman literæ inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis Regis prouinciis perire præceperat, corrigantur. Quomodo enim potero ſuſtinere necem & interfectionem populi mei? Reſponditque Rex Aſſuerus Eſther Reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman conceſſi Eſther, & ipſum iuſſi affigi cruci, qui auſus eſt manum in Iudæos mittere: Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet ex Regis nomine, ſignantes literas annulo meo. E

Quid eſt ergo Eſther procidere ad pedes Regis, eumque pro ſalute populi exorare, niſi ſanctam Eccleſiam pro ereptione filiorum ſuorum quotidie Dominum omnipotentem per fidem & myſteria incarnationis vnigeniti Dei humiliter poſtulare; quatenus eius gratia & hoſtium comprimatur audacia, & de manibus eorum fidelium liberetur innocentia. Extendit ſupernus Rex ſceptrum aureum contra petentem Reginam, quia pietatis ſuæ potenter ipſi impendit clementiam. Poſtulat illa vt nequiſſimi Aman veteres literæ nouis ſcriptis permutentur; quia hoc ſtudium eſt veræ Reginæ, vt omnis erroris ſecta, omneſque contrariæ machinationes, quæ antiquus hoſtis ad extinctionem populi Dei, per miniſtros ſuos molitur, ſaluberrimis Euangelii documentis repellantur atque deleantur. Signantur ipſæ literæ ex nomine Regis ſcriptæ annulo ipſius, quia omnino euangelica doctrina, quæ ex nomine CHRISTI in toto orbe prædicatur, Spiritus ſancti ſignaculo confirmata vbique declaratur: Cuius dono ipſi Prædicatores repleti ſempiterna fortitudine inſuperabiles omnibus apparent, & hoſtium ſuorum triumphatores glorioſiſſimi permanent. F

Erat autem tempus tertii menſis, qui appellatur Siban, viceſima & tertia illius die ſcripta ſunt Epiſtolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad Principes procuratoreſque, & Iudices, qui centum viginti ſeptem prouinciis, ab India vſque Æthiopiam præſidebant, prouinciæ atque prouinciæ, populo & populo iuxta literas & linguas ſuas, & Iudæis prout legere poterant & audire. Ipſæque Epiſtolæ, quæ ex Regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt, & miſſæ per veredarios, qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres litteras nouis nuntiis præuenirent.

Siban menſis, qui apud Hebræos poſt Niſan tertius in ordine eſt, id eſt, qui apud Græcos vocatur Theſſari, & apud Latinos nominatur Iunius. Huius viceſima tertia die ſcriptæ ſunt Epiſtolæ nouæ ſecundum Mardochæi dictationem, ad confutandas veteres Aman literas. Cuius rei ſignificatio in promptu eſt, quia Euangelii doctrina ita condita eſt per ſcriptores noui teſtamenti mediante Domino noſtro IESV CHRISTO, vt ſanctæ Trinitatis fides in ea pleniſſimè complecteretur, & totius decalogi in duobus præceptis caritatis ſumma perfectio eſſe demonſtraretur: Ipſaque Scriptura per Veredarios, hoc eſt, Prædicatores ſanctos directa eſt in totum orbem terrarum, quod ſignificant centum & viginti ſeptem prouinciæ, quæ in regno Aſſueri conſiſtebant; nam denarius numerus per duodenarium multiplicatus centeſimum & viceſimum facit, quibus ſi ſeptenarius aſſociatus fuerit, totius ſummæ plenitudinem concludit. G

Ita quoque Decalogi vera cuſtodia Apoſtolica traditione in omnes mundi partes per Doctores ſanctos eſt inſinuata, ſed ſeptemplicis Spiritus gratia in fidelium eſt corda diffuſa. Nec illud etiam ſine myſterio eſt, quod ipſæ Epiſtolæ, quæ ex Regis nomine mittebantur, & annulo ipſius obſignatæ erant, memorantur ſcriptæ iuxta ſingularum gentium literas & linguas, vt quæque gens legere & intelligere poſſet: quia ſic Euangelii doctrina ordinata eſt, vt eius primi Doctores per Spiritus ſancti gratiam edocti omnium loquerentur primum voce linguarum, deinde verbum fidei per eorum miniſterium in omnes ſeminaretur partes orbis terrarum, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, quod in cœnaculo Sion Spiritus paracletus in die Pentecoſtes ſuper centum viginti credentes in ſpecie ignis adueniens omnium gentium linguis daret eis loqui magnalia Dei; ita vt qui conuenerant hoc audientes, ſtupendo mirarentur vniuerſi. H

Quibus imperauit Rex, vt conuenirent Iudæos per ſingulas

Digitized by Google

A *ciuitates, & in vnum præciperent congregari, vt ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos cum coniugibus ac liberis, & vniuerſis domibus interficerent. Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies, id eſt, tertia decima menſis duodecimi Adar. Summaque Epiſtola fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui Regis Aſſueri imperio ſubiacebant, notum fieret, paratos eſſe Iudæos ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis.*

Quid eſt, quod Rex iſte terrenus mandat veredariis ſuis, vt conueniant Iudæos in ſingulis locis, & in vnum præcipiant eos congregari, quatenus ſtent pro animabus fitis, & omnes inimicos, cum coniugibus, & liberis, & vniuerſis domibus interficiant, niſi quia Rex noſter, dominator vtique cœli & terræ, hoc per Prædicatores ſuos mandat veris Iudæis, & Confeſſoribus ſuis in omnibus genribus, vt in vnitatem ſocietatis & pacis conuenientes pro ſalute animarum ſuarum certent: omneſque inimicos ſuos, tam viſibiles, quam etiam inuiſibiles, hoc eſt, falſos Iudæos, qui ſunt Synagoga Satanæ, & Paganos atque hæreticos
B incorrigibiles necnon & immundos Spiritus cum vniuerſis impietatibus & prauis inuentionibus damnent, nec de his quid reſiduum fieri ſinant, quin imo coniuges ac liberos, hoc eſt, voluptatem carnalem & opera peccatorum ſimul cum domibus, cum ambitione videlicet ſæculi penitus extinguant, nec aliquid inde, quod ſibi nociuum eſſe poſſit, remanere permittant. Hinc eſt quod Dominus in lege Iſraelitis gentes, quæ ſibi contrariæ erant, in terra repromiſſionis interficere atque extinguere iubebat. Hinc & Amalechitas poſtmodum vſque ad internecionem delere præcipiebat, quia omnem ſcandali occaſionem eis auferre volebat. Cuius rei memor Propheta in Pſalmis ait:
Pſal. 100. *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate DOMINI omnes operantes iniquitatem.*

Porrò tempus, quo hæc interfectio hoſtium fieri præcepta eſt, beneconuenit myſterio huius ſpiritualis internecionis; nam duodecimus menſis Hebræorum, hoc eſt, Adar, non niſi nouiſſimam ætatem ſæculi,
C in quo hoc ſpirituale bellum per milites Chriſti maxime agitur, exprimit. Similiter & dies tertius decimus ſanctæ Trinitatis fidem cuſtodia mandatorum Dei, vnde omnes aduerſarii ritè expugnantur, deſignat. Quod autem ſubiungitur.

Et edictum Regis pependit in Suſis.

Significat imperium cœleſtis Regis eminere ac dominari in toto orbe terrarum:
Eſther. 13. *in cuius ditione cuncta ſunt poſita, nec eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius,* faſtusque mundanus ſub eius proſternitur poteſtate. Vnde recte dicitur, quod & edictum Regis pependerit in Suſis, nam Suſis Equitatio vel Referens interpretatur. Denique ſuperbia mundi ſuperatur potentia Dei. Hinc eſt quod
Ioan. 16. Saluator in Euangelio diſcipulis ait: *in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, quia ego vici mundum.*

Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis hyacinthinis videlicet & aereis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo, omniſque ciuitas exultauit, atque lætata eſt.
D

Grandis gloria eſt ſanctis Doctoribus, quod eorum doctrina atque exhortatione per virtutem ſuperni Regis fideles vincunt ſæuitiam nequiſſimi hoſtis, & merces illis inde permanet in cœleſti regno æternæ beatitudinis ac perpetuæ claritatis, quod color hyacinthi, & auri ſplendor figurare videntur, martyribuſque CHRISTI pro effuſione ſanguinis ſui regalis dignitas ſimul cum Rege CHRISTO regnaturis ab ipſo iuſtiſſimo retributore in arce ſuperna rependitur. Cuius rei purpuræ ac ſerici nomina typum præferunt, omniſque cœtus ſanctorum pro hoc pariter in ſuperna Ieruſalem gaudens lætabitur, de quo ſequitur.

E *Iudæis autem noua lex oriri viſa eſt gaudium & honor, & tripudium apud omnes populos, vrbes atque prouincias, quocunque Regis iuſſa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque conuiuia & feſtus dies: in tantum vt plures alterius gentis & ſectæ, eorum religioni & cerimoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.*

Plurimi ergo ex gentilium atque hoſtium Eccleſiæ numero, vi, ſapientia, atque conſtantia ſanctorum Martyrum virtuteque CHRISTI per illos clareſcente, relicta idololatria atque ſuperſtitione gentili ad Chriſtianam religionem conuerſi ſunt, quod eos, qui paſsiones ſanctorum atque triumphos Martyrum legunt, minimè latet, indeque per DEI miſericordiam numeroſitas quotidie creſcit fidelium, & ſepta replentur Eccleſiæ. Chriſtiani enim nominis vigor in toto orbe terrarum infidelibus terrorem, & credentibus excitat gaudium. De quo per Pſalmiſtam dicitur: *Timeat Dominum omnis terra. Ab ipſo autem commoueantur vniuerſi, & omnes qui habitant orbem.* *Pſal.* 32. *Ioan.* 62. Et item: *Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, &* F
laudabuntur omnes recti corde. Et Apoſtolus: *In nomine,* (inquit,) *Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium,* *Philip.* 2.
& infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.

CAPVT IX.

IGITVR *duodecimi menſis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertia decima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, verſa vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſariis vindicare. Congregatique ſunt per ſingulas ciuitates, oppida & loca, vt extenderent manus contra inimicos, & perſecutores ſuos, nullusque auſus eſt reſiſtere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.*

Duodecimus menſis, vt ſupra dictum, nouiſsimam ætatem ſæculi ſignificat, quando incarnatio facta eſt Redemptoris, & Euangelii ipſius prædicatio
G toto orbe diſſeminata. Similiter & tertia decima dies lucem fidei ac bonorum operum, quæ prædicatione Euangelica in Eccleſia per fideles quotidie expletur, declarat. Nam duodecimo menſe tertia decima die menſis, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, verſa via ipſi Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſariis vindicare; quia cœtus fidelium, in quo eſt vera confeſsio rectæ fidei, licet hoſtes & perſecutores nominis CHRISTI vbique illis perſecutiones excitent, & eos opprimere contendant: ipſi tamen gratia Dei adiuti, & confortati ſcuto fidei, & armis iuſtitiæ aduerſarios ſuos ſuperant, ac trophæum gloriæ de eis reportant, cum illos repulſis nequitiis ſpiritualibus & errorum ſeminatoribus, qui eos per varia vitia ſeducebant, ad lucem fidei conuertunt, & participes gratiæ Chriſti efficiunt.

Nulluſque eis reſiſtere eſt auſus, quia pauor maieſtatis diuinæ, quæ miraculis coruſcantibus in Eccleſia declaratur, carnalium corda valide concutit, & ad cedendum verbo Dei compellit, de quo & conuenienter
H ſubditur.

Nam & prouinciarum Iudices, Duces, & Procuratores, omniſque dignitas, quæ ſingulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi, quem Principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant: fama quoque nominis eius creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.

Quia ſanctorum Doctorum laudabilis actio, & potentia virtutum honorem grandem & reuerentiam tribuit multitudini fidelium. Vnde in Actibus Apoſtolorum, vbi ipſi primi Prædicatores Euangelii doctrinæ verbi Dei, & curationi operam dare leguntur, ſcriptum eſt:

Digitized by Google

A *Act. 2.* *Erant enim perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus. Fiebat omni animæ timor, multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos fiebant in Ieruſalem, & metus erat magnus in vniuerſis.* Et item: *Actor. 5.* *per manus,* (inquit,) *Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe, & erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis, ſed magnificabat eos populus.*

Itaque percuſſerunt Iudæi inimicos ſuos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis, quod ſibi parauerant facere, in tantum, vt etiam in Suſis quingentos viros interficerent extra decem filios Aman Agagitæ hoſtis Iudæorum.

Quid? quod Iudæi hoſtes ſuos perſequentes quingentos viros in Suſis interfeciſſe leguntur, exceptis decem filiis Aman, quos in patibulis affigebant: niſi quod non ſolum in gentibus omnes operarii iniquitatis, qui perſeuerant in malitia ſua, nec de peccatis pœnitentiam agere volunt, neque remiſſionem delictorum ſuorum per Spiritus ſancti gratiam accipere curant, deteſtabiles & digni damnatione populo Dei eſſe videntur; ſed B etiam ipſi carnales Iudæi, tranſgreſſores ſcilicet decalogi legis Moſaicæ, reatum crucis Chriſti, quem ex perfidia ſua in paſſione ipſius ſibi contraxerunt, iuſte inferni cruciatum ſuſtinere coguntur, nec vllus de numero electorum communicare eorum nequitiæ, aut actus nefandos imitari dignatur. Vnde merito ſubditur, quod Iudæi cum hoſtes ſuos occidiſſent, prędas ex ſubſtantiis eorum tangere & agere noluerint.

Statimq; numerus eorum, qui occiſi erant in Suſis, ad Regem relatus eſt, qui dixit Reginæ: In vrbe Suſis interfecerũt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman quantum putas eos exercere cædem in vniuerſis prouinciis? quid vltra poſtulas? & quid vis, vt fieri iubeam? Cui illa reſpondit: Si Regi placet, detur poteſtas Iudæis, vt, ſicut hodie fecerunt in Suſis ſic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis ſuſpendantur. Præcepitq; Rex, vt ita fieret, &c.

Intentio hæc Reginæ Eſther, qua hoſtes ſuos valide inſequi & extirpare contendit, ſtudium atque ſolertiam veræ Reginæ, hoc eſt, ſanctæ Eccleſiæ exprimit, quæ hoſtes ſuos ſine ceſſatione perſequitur, & funditus proC ſternere atque ſibi ſubiicere certat. Cuius voce per Pſalmiſtam dicitur: *Pſal 17.* *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar, donec deficiant. Affligam illos, nec poterunt ſtare.*

Quæ primum quingentos viros in Suſis, deinde trecentos occidit; quia non ſolum illos, qui de peccatis ſuis pœnitentiam agere nolunt, ſed etiam ipſos, qui fidem ſanctæ Trinitatis bonis operibus adornare negligunt, dignos perpetua morte oſtendit. Vnde euenit, vt ſicut Iudæi in duobus diebus ſeptuaginta quinque millia hoſtium interfecerunt: ita inſtantia & conatu fidelium hoſtes vniuerſi, qui quinq; ſenſibus corporis dediti carnaliter ſapiendo, legem Dei per ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam, ſpirituali dogmate plenam atq; perfectam, ſpiritualiter intelligere reſpuunt, claritate duorum teſtamentorum veraciter vincuntur, atque proſternuntur. Nec tamen vllus de ſubſtantiis illorum quicquam contingere vult, quia nequaquam nequitiæ perditorum credentium electio ſe admiſcere conſentit; quin potius modis omnibus eorum falſis dogmatibus atque iniquis D operibus alienam atq; extraneam ſe reddit.

Dies autem tertius decimus Adar, vnus apud omnes interfectionis fuit, & quarto decimo die cædere deſierunt, quem conſtituerunt eſſe ſolennem, vt in eo deinceps tempore vacarent epulis, gaudio, atque conuiuiis. At hi, qui in vrbe Suſis cædem exercuerunt, tertio decimo, & quarto decimo eiuſdem menſis die in cæde verſati ſunt; quinto decimo autem die percutere deſierunt, & idcirco eundem diem conſtituerunt ſolennem epularum, atq; lætitiæ. Hi verò Iudæi, qui in oppidis non muratis, ac villis morabantur, quartum decimum diem menſis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittant ſibi mutuo partes epularum & ciborum.

Quid eſt, quod Scriptura narrat, quoſdam Iudæorum in hoſtibus ſuis tertia decima die menſis Adar, interfectionem exercuiſſe, & quarta decima die cædere deſiuiſE ſe, atq; hanc ſolennem habere: quoſdam verò per duos dies, hoc eſt, tertiam decimam, atque quartam decimam prædicti menſis occiſionem hoſtium agentes, quinta decima tandem die à cæde abſtinendo, ſolenniter quieuiſſe: niſi quod aliqui ſanctorum, poſt impletos labores, quos in ſeruitio Dei recte credendo, & bene viuendo expleuerunt, modo ante tempus vniuerſalis iudicii in manibus ſuis Sabbatiſmum æternæ quietis habent: Alii vero vſque ad vltimum reſurrectionis diem in carne perdurantes, ſic ſuperatis vniuerſis hoſtibus, ſubito per diuinam potentiam immutati, æternam quietem, atque beatam immortalitatem, tam in animabus, quam etiam in corporibus ſuis percipiunt; iuxta illud Apoſtoli, quod ad Corinthios ſcribens ait: *1. Cor. 16.* *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Et ad Theſſalonicenſes: *1. Theſſ. 4.* *Hoc enim,* (inquit,) *vobis dicimus in verbo Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt, quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de F cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui reliqui ſumus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aere, & ſic ſemper cum Domino erimus.*

Nam quartus decimus numerus, qui ſeptenarium bis continet, animarum ab omni labore & ſollicitudine ſignificat quietem. Quintus decimus autem, vbi ſeptenarius & octonarius ſimul continentur, vtrumque præfigurat & animarum & corporum futuram requiem, & immortalitatem; ſicque multitudo electorum poſt completos præſentis vitæ labores, & poſt perceptam de vniuerſis hoſtibus victoriam, æterna exultatione, & mutua dilectione in cœleſti regno gaudebunt. Nec vllus huius gaudii erit finis, quia nec vltro aliqua ſuccedit triſtitia laboris; quod ſolertia ſanctorum Prædicatorum Auditoribus ſuis ita credendum atq; ſentiendum veraci doctrina commendat. Vnde & ſubditur.

Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus Regis prouinciis morabantur, tam in vicino poſitis, quam procul, & vt quartam decimam, & G *quintam decimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolemni honore celebrarent, quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atq; triſtitia in hilaritatem gaudiumque conuerſa ſunt, eſſentque iſti dies epularum atque lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur. Suſceperuntq; Iudæi in ſolemnem ritum, cunctaque quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandauerat.*

Semper enim quique fideles pio labore ac bonis operibus, atque eleemoſynarum largitionibus pro hoc decertant, vt ſecundum id, quod Euangelica, & Apoſtolica Doctrina docet, fide, ſpe, & caritate ingreſſum vitæ æternæ adipiſci mereantur, & tam ſe, quam etiam ſibi obſequentes in ærumna præſentis ſæculi conſolando confortent. Ita vt ſpe gaudentes in tribulationibus ſint patientes, ſine intermiſſione orent, in omnibus gratias agant, & agonem ſuum piis precibus fideli Domino commendent, quatenus per eius opem æterna remunerentur beatitudine.

Aman enim filius Amadathi ſtirpis Agag, hoſtis & aduerſarius Iudæorum cogitauit contra eos malum vt occideret illos, atque H *deleret, & miſit Phur, quod noſtra lingua vertitur in ſortem. Et poſtea ingreſſa eſt Eſther ad Regem, obſecrans, vt conatus eius literis Regis irriti fierent, & malum, quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. Denique & ipſum & filios eius affixerunt cruci. Atque ex iſto tempore dies iſti appellati ſunt Phurim, id eſt, ſortium, eo quod Phur, id eſt, ſors in vrnam miſſa fuerit.*

Sæpe enim nequam hominibus aliter ſuum perueniet votum, quam ſibi euenire ſperarent, & laqueum, quem ad decipiendum aliis diſponunt, ipſi in eo obligentur, ſicut Scriptura oſtendit dicens: *Prou. 11.* *In inſidiis ſuis capientur iniqui. Et qui fodit foueam, incidit in eam.* Vnde & Aman, qui hoſtes præfigurat Eccleſiæ, necem, quam parauerat Mardochæo, ipſe ſuſtinere cogebatur. Sors enim in vr-

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, COMMENTARII IN CANTICA, QVÆ AD MATVTINAS LAVDES PER SEPTIMANAM DICVNTVR.

DOMINO REVERENDISSIMO ET IN CVLTV VERÆ religionis ſtrenuoſiſſimo HLVDOVICO Regi HRABANVS deuotus ſeruulus in Chriſto æternam optat Salutem.

NVPER quando ad vos in cellula Monaſterii noſtri, quæ vocatur Rareſtorph vocatus veni & ſermo fuit inter nos de Scripruris ſactis, perſuadere mihi dignati eſtis, vt Cantica, quæ in matutinis laudibus ſancta pſallit Eccleſia, vobis allegorico ſenſu exponerem; aliquod runc reſpondi, id me iam factum habere in opuſculis noſtris, quæ in tractatu diuinorum librorum, quantum potui, confeci, nec modo neceſſe eſſe id denuo repetere, ſed cum ad monaſterium reuerſus eſſem & quæſiſſem, vtrum in omnia illa Cantica expoſitionem iam factam haberem, comperi, quod in illa, quæ de Prophetis ſunt, Eſaia videlicet & Abacuc, necdum manum miſerim. Vnde cogitaui, quod hæc ſimul cum cæteris in vnum Volumen cooptarem, & vobis ad legendum maxime in iſtis diebus quadrageſimæ tranſmirerem: feci ſiquidem hæc & vtramque editionem ſimul poſui; illam videlicet, iuxta quam Romana pſallit Eccleſia, & hanc quam ex Hebraica veritate tranſlatam cæteræ occidenris ex maxima parte tenent Eccleſiæ. Vtriuſque editionis, vbi inter ſe diſcrepare videbantur, ſenſum exponens & iuxta id, quod in ſanctorum Patrum dictis iam expoſitum inueni, vel per me diuina gratia opitulante inueſtigare potui, opus conſummaui, petens Lectorem, vt ſi quid ſibi in eo diſpliceat, non cito reprehendat, ſed prius conſideret, vtrum Maiorum ſenſui concordet & veritati contrarium non ſit, ſicque deuotionem mentis meæ magis, quam eloquentiam verborum perpendens æquo iudicio de illo iudicet, ſciens ſcriptum:
Matth. 7. *in qua menſura menſi fueritis remetietur vobis.* Si quem autem mouet, quod ipſa Cantica non eo modo, quo ab Auctoribus ſuis condita ſunt, ordinem teneant, ſed ea quæ poſtea edita ſunt priore loco ponantur, quia Canticum Exodi & Canticum Deuteronomii ante cætera Cantica per legiſlatorē edita ſunr. agnoſcat hoc nō fruſtra, ſed decenri ordine & ſecundum rationem factum eſſe, vt myſteriis & inſtitutionibus per omnia conuenirent diuinis. Nam in Dominica die, quæ per omnia honorabilis & digna laudibus exſtat, laudes trium puerorum in Eccleſia canuntur. In quibus omnes creaturæ ad laudandum & benedicendum Creatorem ſuum prouocantur. In ſecunda vero feria Canticum Eſaiæ, in quo aduentus Saluatoris & baptiſmi Sacramentum prædicatur, cantari decretum eſt, quia hæc ſunt initia ſalutis noſtræ. In tertia quoque feria Canricum ſiue oratio Ezechiæ pſallitur, in quo de infirmitate ſua conualeſcens gratiarum actiones pro ſalute ſua Deo referebat, admonens nos, vt ipſi poſt perceptam grariam Dei & ablutionem ſacri baptiſmatis à mortis vinculis abſoluti per omne tempus vitæ noſtræ Deo gratias agere ſtudeamus. In quarta autem feria Canticum Annæ Propheriſſæ canitur, in quo Iudaicæ perfidiæ expulſio denotatur, & electio Eccleſiæ de gentibus demonſtratur. Nam in quinta feria merito Canticum Iſraelitarum canitur, quod poſt paſchæ celebrationem educti ex Ægypto, & per mare rubrum ſicco veſtigio tranſlati cecinerunt. Nam & in ipſa feria Saluator noſter paſcha typicum cum diſcipulis ſuis celebrans, paſcha myſticum continuatim in Sacramento corporis & ſanguinis ſui & in immolatione illius agni, qui tollit peccata mundi, conſecrauit. Ideo conſequenter in ſexta feria Canticum Abacuc Prophetæ, in quo Sacramenta Dominicæ paſſionis continenrur & Reſurrectionis atque Aſcenſionis eius in cœlos myſteria declarantur, congruè in Eccleſia pſallitur, vt omnibus innoteſcat, quomodo in ſexta feria, in qua primus homo conditus denuo eſt, humanum genus ad vitam æternam per Chriſtum

reſtauratum ſit: Sabbato quoque bene & congruè Canticum Deuteronomii canendum conſtitutum eſt, in quo beneficia Dei erga priorem populum demonſtrantur, & quam ingrate idem populus ea ſuſceperit, hiſque abuſus ſit, certiſſimè exprimitur, quia ea die antiquitus conſtitutum eſt Deuteronomium legis in Synagoga recitari, ne obliuio præceptorum Dei in populo fieret, ſed magis incitarentur ad obſeruationem præceptorum illius. Vnde in Actibus Apoſtolorum Iacobo dicente ita ſcri-
Actor. 15. ptum legimus: *Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur:* nos ergo ſimiliter eodem carmine ſpiritualiter inſtruimur, vt non ſimus ingrati beneficiorum Dei, ſed magis per omne tempus vitæ noſtræ laudibus eius inſiſtamus, donec veniat illud Sabbatum, in quo perpetualiter cum Chriſto requiem poſſideamus æternam. Cantica vero de Euangelio ſumpta aptè & conuenienter quotidie in Eccleſia decantari à Magiſtris Eccleſiæ decretum eſt, hoc eſt, vt Canticum Zachariæ Prophetæ, vbi exortus lucis in tenebris memoratur in matutinis laudibus decantetur, & Canticum Mariæ Dei genitricis, in quo per brachium Domini diſperſio ſuperborum, & potentium depoſitio humiliumque exaltatio prædicatur, rectè in veſpertino officio nouiſſime canitur. Quia in veſpere mundi, hoc eſt, in fine ſæculi per aduentum Saluatoris, ſuperbi in ignem proiicientur inferni, & humiles in gloriam exaltabuntur æternam. Hæc ergo iuxta id, quod ſenſimus & à Magiſtris traditum accepimus, ſtylo protulimus, non præiudicantes his, qui melius ſapiunt ac melius ſermonibus proferre norunt. Tu autem, ſapientiſſime Rex, in omnibus bene eruditus, ea quæ tibi à deuoto famulo collata ſunt, benigna mente ſuſcipe, illiſque vtere ſecundum quod perſpexeris tibi tuiſque prodeſſe. Ego autem quicquid ſeruitii poſſum tibi libenter impendam, inſuper & ipſe impendar, Deum orando atque obſecrando pro ſalute tua, & pro ſtabilitate regni tui, vt hic diu ſoſpes viuas, & poſt terminum præſentis vitæ in cœleſti regno vita fruaris æterna. Diuinitas Domini noſtri Ieſu Chriſti hic & vbique, nunc & ſemper ſanum & incolumem te conſeruare dignetur.

***

HRABA-

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, COMMENTARII IN CANTICA, QVÆ AD MATVTINAS LAVDES PER SEPTIMANAM DICVNTVR.

INCIPIT CANTICVM ESAIÆ PROPHETÆ.

ESAIAS Propheta poſtquam de Incarnatione Domini & de conuocatione Eccleſiæ atque deſtructione idololatriæ myſticis diſputaret eloquijs, ita vt de flore virgæ, de radice Ieſſe aſcendente, ſuper quem ſeptemplicis ſpiritus gratia requieſceret primum narraret, poſtea de concordia & cohabitatione beſtiarum cum pecudibus, hoc eſt, diuitum cum pauperibus & ferocium atque ſuperborum cum manſuetis & humilibus concordiam in Eccleſia prædicaret, & ſignum crucis vndique gentes conuocare ad vnitatem fidei teſtaretur, ad extremum deſolationem fluminis Ægypti, hoc eſt, errorem gentium, qui in tenebris infidelitatis habitabant, diſſoluendum eſſe manifeſtauit, ſicque Eccleſiæ plebem, ſiue animam fidelem ad laudandum Deum prouocat, quatenus eius gratiæ hoc deputet, quod ab inimicis liberata, & à filijs iræ ſeparata filia reconciliationis & miſericordiæ ſit effecta: Vnde dicit.

Iſai. 12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi. Conuerſus eſt furor tuus & conſolatus es me.*

Confeſſio ergo, ſicut ſæpe diximus æquiuocum nomen eſt, & pro locorum diuerſitate ſuſcipitur. Confitentur enim & qui peccata deplorant, id eſt, qui pro ipſis dignam pœnitentiam agunt, & qui Domino gratias referunt confitentur: ſed illud in lachrymis, iſtud in gaudio eſt: illud in afflictione, iſtud in ſancta mentis alacritate noſcitur conſtitutum. Vnde hic profuſa lætitia exultat populus fidelis quandam imaginem futuri ſeculi deſignans, vbi voces iſtæ continuæ ſunt & laudes Domini deuota mente concelebrant. Grandis enim lætitia eſt peccatricis quondam animæ, cum ſe recordatur à vinculis peccatorum & laqueis errorum per gratiam ſacri baptiſmatis erutam & per renouationem Spiritus ſancti in electorum ſortem translatam ſpem habens vitæ futuræ & gaudij ſempiterni: Sed vnde hæc gratia ſibi prouenerit oſtendit dicens.

Ecce Deus Saluator meus fiducialiter agam, & non timebo.

Omnis enim noſtræ redemptionis & ſalutis cauſa in Incarnatione Ieſu Chriſti Domini noſtri conſiſtit, quia non eſt aliud nomen ſuper terram datum hominibus, teſtante Petro Apoſtolo, in quo oporteat ſaluos fieri, de quo & Paulus ait. Epheſ. 2. *Gratia enim ſumus ſaluati.* Et item. Rom. 7. *Quis me*, inquit, *liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* De quo rurſum ait. Colloſſ. 1. *Gratias agimus Deo, qui dignos nos fecit in parte ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terra.* In ipſo quoque fiducialiter agit omnis, qui recte credit in Domino, & ſperat in eo, ſciens, quia ipſe potens eſt liberare & defendere eos, qui in eius protectione veraciter confidunt, & ob hoc non timet aduerſarium, quia nocere illi non poteſt, niſi permiſſus. Vnde Pſalmiſta ait. *Dominus mihi adiutor eſt, & ego videbo inimicos meos*, Pſal. 117. ſubauditur infirmos fieri, & impotentes, ſpiritales enim nequitias vult intelligi, quas in illo iudicio dicit eſſe videndas, vbi iam diabolus cum cæteris miniſtris ſuis deſtructus atque damnatus humanis conſpectibus apparebit.

Quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Non poteſt impulſus cadere, cui auxilium Domini videtur fortitudo præſtare, ſed ne putaretur ſola pericula declinare, quem Domini dona ſeruabant, adiecit, *factus eſt mihi in ſalutem*, quia per ipſum æternam vitam ſuſcipiunt, per quem & ſæculi huius ruinas euadere promerentur. Ipſe enim eſt & fortitudo & laudatio æterna beatorum. audiat ſceleratiſſima hæreſis factum Dominum his, qui ſaluantur, & quorum prius Dominus non erat, vt creationem in Scripturis atque facturam non ſemper conditionem eorum, quæ non erant, ſed interdum gratiam in eos, qui meruerint ſibi Deum fieri intelligamus. Poſthæc Propheta ſub figura exhortatur eos, qui credunt in Deum, vt eius doctrinam intentè diſcere ſtudeant, qui eius fortiti ſunt fidem, & dicit.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Quem ſupra Emmanuel & ſpolia detrahere, feſtina prædari & reliquis appellaret nominibus, ne videretur alter eſſe præter eum, quem Gabriel Virgini nuntiauit dicens. *Vocabis nomen eius Ieſus. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum*, Matth. 1. nunc vocat, Saluatorem, & de eius fontibus aquas prædicat hauriendas. nequaquam de aquis fluminis Ægypti, quæ percuſſæ ſunt, neque de aquis fluminis raſni, ſed de fontibus Ieſu. Hoc enim Hebræorum lingua Saluator exprimitur. Vnde & ipſe clamabat in Euangelio. *Qui ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem*, inquit Euangeliſta, *dicebat de Spiritu ſancto, quem credentes in eum accepturi erant.* Et in alio ipſe loquitur Euangelio: Ioan. 4. *Qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Fontes Saluatoris doctrinam intelligamus euangelicam, de qua in ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo legimus. *In Eccleſiis benedicite Deo, Deum de fontibus Iſrael*, quam videlicet Apoſtoli gentibus infuderunt, fons enim religionis inde per cæteras nationes emanauit. Vnde & ſequitur.

A

Dicetis in illa die, confitemini Domino & inuocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius, memento te quoniam excelſum eſt nomen eius. Cantate Domino quoniam magnifice fecit. Adnunciate hoc in vniuerſa terra.

Adinuentiones enim Domini præcepta ſunt diuina, quæ ex conſilio ſummæ ſapientiæ ſolummodo ſunt prolata, & ſalutifera eis omnino fiunt, qui ea factis adimplere ſtudent. Hæc præcipiuntur ab Apoſtolis & reliquis doctoribus de Iſrael his, qui de gentibus crediderunt, vt ſoli confiteantur Domino & idolis derelictis inuocent nomen eius, & cuncta eius opera prædicent infidelibus, vt ſciant, quoniam ipſe ſolus excelſus eſt, & *in nomine eius omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, cui cantandum eſt, quod magnifice fecerit, & in omni orbe illius miſericordia prædicetur. Huic etiam loco concordat initium centeſimi quarti Pſalmi, vbi ita ſcriptum eſt. *Confitemini Domino & inuocate nomen eius, adnuntiate inter gentes opera eius.* In hoc ergo tribus conſtat partibus ordo dictorum. Primo dicit. *Confitemini Domino.* id eſt, laudate eum & bonis factis gratiam vobis diuinitatis adquirite, quia id ipſum eſt laudare Dominum, & ore illi honorem deferre, & operibus eius iuſsiones efficere. Illa enim confeſsio hic intelligenda eſt, quæ Domini præconia celebrare non deſinit, quando & ſubſequentia tale votum actionemque declarant. Deinde Dominum commonet inuocari, vt poſt miniſterium ſanctiſsimæ laudis grates ei dignas ſoluamus. Ipſe enim ritè inuocat Deum, qui magis actu, quam voce clamat ad Deum. Vnde Saluator in Euangelio ad ſuperbos & inobedientes ſibi ait: *Quid enim vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Et alibi. *Non omnis*, inquit, *qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Tertio dicit: *Adnuntiate inter gentes opera eius*, quod bene poteſt glorioſis Euangeliſtis & ſanctiſsimis Apoſtolis, & nunc Sacerdotibus conuenire, qui per gentes vniuerſas magnalia eius annuntiare noſcuntur.

Phil. 2.

B

Luc. 6. Matth. 7.

Exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus eſt in medio tui ſanctus Iſrael.

C

Primum dicendum iuxta literam. O habitatio Syon, exulta & lauda Deum tuum, quod qui tuus ante videbatur Deus & modicis Iudææ terræ claudebatur anguſtijs, nunc replenet omnem terram ſcientia ſua, & de morte conſurgens regnet in gentibus, & ipſum nationes deprecetur atque adorent, ita duntaxat, vt adijciat ſecundo manum tuam ad poſsidendum, quod reliquum eſt populi ſui, & congregantes profugos Iſrael & diſperſos Iuda colligendos à quatuor plagis terræ, quia ſeminarium Euangelij per Apoſtolos, qui ex Iudæis erant, proceſsit à fontibus Iſrael. melius autem eſt, vt Sion, id eſt, ſpeculam in ſublimibus conlocatam interpretemur Eccleſiam, de qua & quinquageſimus Pſalmus canit: *Benigne fac in bona voluntate tua Sion vt ædificentur muri Hieruſalem*, Vt acceptabile fiat in ea Domino ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, & vitulus, quem filio pœnitenti pater clementiſſimus immolauit.

Explicit Canticum Eſaiæ Prophetæ.

D

INCIPIT CANTICVM EZECHIÆ REGIS IVDÆ.

CAnticum ergo, quod ſub Ezechiæ nomine prænotatur, quod aliqui interpretum Scripturam, alij orationem nominant, videtur mihi melius gratiarum actionis vocabulo prænotari. Sic enim ſcriptum eſt in Propheta; *Scriptura Ezechiæ regis Iuda.* Cum ægrotaſſet & conualuiſſet de infirmitate ſua; Septuaginta vero ita poſuerunt. Oratio Ezechiæ regis Iudæ, quando languit & ſurrexit de infirmitate ſua; manifeſtum eſt enim, quod poſt redditam ſanitatem de infirmitate conſurgens iſta conſcripſerit, ex quo non oratio eſt, ſed gratiarum actio pro beneficio, quod acceperat. Poteſt enim hoc Canticum bene conuenire his, qui poſt longam ægritudinem animarum reſipiſcunt à Diaboli laqueis, & de peccatorum grauitudine ſanantur, & ſtudent ſe virtutibus ſacris recuperare. & laudes Dei non ſolum voce, ſed etiam corde & actu pronunciare.

Iſai. 38.

E

Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.

Iſai. 38.

Narrat quid tempore prementis anguſtiæ imminentiſque languoris tacitus cogitarit. *Dixi*, inquit, *in corde meo, in dimidio dierum meorum*, ſiue, vt alij interpretati ſunt, in infirmitate & ſilentio dierum meorum, ſiue in ſanguine dierum meorum, quando meus cruor meuſque ſpectabatur interitus. Itaq; in deſperatione dixi, *Vadam ad portas inferi.* Vel communi lege naturæ, vel illas portas, de quibus, quod liberatus ſit Pſalmiſta decantat; *qui exaltas me de portis mortis, vt adnuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Syon*; Has portas inferni reor, quæ aduerſum Petrum non præualent, quia dormiuit in plenitudine dierum ſuorum. Sancti implent dies ſuos, qualis fuit Abraham, qui mortuus eſt plenus dierum in ſenectute bona: Peccatores verò & impij in medio dierum ſuorum moriuntur, de quibus & Pſalmus loquitur: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*, non enim implent opera virtutum, nec ſtudent pœnitentia emendare delicta, Vnde in medio vitæ curſus & in errorum tenebris ducentur ad tartarum.

Pſal. 9.

F

Pſal. 54.

Quæſiui reſiduum annorum meorum. Non me putans vltra eſſe victurum. *Dixi non videbo Dominum Deum in terra viuentium.*

Pro Domino & Deo hic in Hebraico ponitur, Ia, quod in extrema ſyllaba alleluia ſonat, pro quo Septuaginta tranſtulerunt, nequaquam vltra videbo ſalutare Dei in terra viuentium; de qua & in alio loco ſcriptum eſt. *Placebo Domino in regione viuentium*: Et rurſum: *Placebo domino in lumine viuentium.* Regio ergo ſanctorum ipſa eſt, quæ appellatur lux viuentium. *Non eſt enim Deus mortuorum, ſed viuorum*, hoc autem eſt omne quod metuit, ne ſalutare Dei, ductus ad inferos, nequaquam mereatur aſpicere. Sequitur.

Pſal. 114.
Pſal 55.
Matth. 22.

G

Non aſpiciam hominem vltra & habitatorem, quieuit generatio mea, ablata eſt & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum, præciſa eſt veluti à texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me.

Timet ergo, ne cum ſanctis & hominibus Dei non habitet in quiete, ne non videat Deum in terra viuentium, ne generatio illius inſtar tabernaculi diſſoluatur, ne in telæ ſimilitudinem in ipſo lucis exordio præcidatur, & nequaquã de ſemine eius Chriſtus oriatur. Quod autem corpus noſtrum appelletur tabernaculum, & Apoſtolus inſtruit dicens: *Nos qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus adgrauati.* Vita ergo humana non parcarum filis ſecundum gentilium fabulas orditur, ſed diſpoſitione Dei ordinatur. Vnde Iob ad Dominum ait: *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Sed quæritur, quomodo numerus certus ſit apud Dominum vitæ humanæ, ſi Ezechias ſe dixit in dimidio dierum moriturum. Sed ſciendum in hoc, quod Propheta ſibi prædixit mortem proximam illi eſſe venturam, oſtenderit, quid ipſe meruerit: attamen prædeſtinatio Dei, id, quod voluit, fecit, quia orationi eius annuens, & pœnitentiam conſiderans, addidit numerum dierum, quem ante ſæcula præſciuit & prædeſtinauit futurum. Ne ergo eleuaretur cor Ezechiæ poſt incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriam, infirmitate corporis viſitatur, & audit ſe eſſe moriturum, & conuerſus ad Dominum flectat ſententiam eius, quod quidem & in Iona Propheta legimus, & in comminationibus contra Dauid, quæ dicuntur futuræ, nec factæ ſunt, non Deo mutante ſententiam, ſed prouocante humanum genus ad notitiam ſui. Dominus enim pœnitens eſt ſuper malitijs: nec

2 Cor. 5.

Iob. 14.

H

Pro-

Digitized by Google

A Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur, nec dominica ſtatuta conuulſa ſunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ creſcerent, hoc quoque ante ſæcula præfixum fuit, atque ſpatium vitæ, quod inopinate foris eſt: additum ſine augmento præſcientiæ fuit intus ſtatutum.

De mane vſque ad veſperum finies me, à veſpere vſque ad mane, quaſi leo, ſic contriuit omnia oſſa mea.

Quod ſic iuxta aliam editionem legitur. *De mane vſque ad veſperum finies me.* Sperabam vſque ad mane, quod & Iob in anguſtia ſua atque in tormentis corporis ſuſtinuiſſe ſe dicit, quando in die exſpectabat noctem, & lucem præſtolabatur in tenebris, mutatione temporum putans mutari poſſe ſupplicia. Hoc verum eſſe nouit, qui magnis febribus æſtuat, cuius ignis internus in ſimilitudine leonis omnia oſſa conſumit, nec ſe putat præ doloris magnitudine eſſe vltra victurum.

De mane vſque ad veſperam finis me, ſicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor, vt columba.

Hæ duæ aues gemitum pro cantu edere ſolent. Vnde B harum ſimilitudinem Ezechias in doloris ſui querelis & gemitibus, cum oratione profuſa ad Deum adſumit, quatenus lugubris & fletu mixta deprecatio protinus ad pij iudicis aures adſcendat, & ſic ipſius opem ſibi citius conlatam ſentiat. Vnde & ſequitur.

Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum. Domine vim patior, reſponde pro me, quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim.

Defecerunt, inquit, oculi mei aſpiciendo excelſum cœli ad Dominum, qui eruit me & abſtulit dolorem animæ meæ, & ipſe fecit, nunc quoque mors imminet & languores atque incumbens dolor, quaſi leo, ita corporis mei oſſa frangebat, ſed ego in ſimilitudinem hirundinis & columbæ fletibus & gemitibus dies noctesque iungebam, & à Deo ſolo, qui poterat ſubuenire eleuatis in altum oculis, auxilium præſtolabar, dicebamque ad eum: plus patior, quam mea poſcunt merita, ſed etſi Rom. 9. quid erraui, conuertat ad melius, tu ſponde pro me. *non eſt enim volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei*; rurſumque in ſe reuertitur. Quid dicam, inquit, quidue cauſa- C bor contra factorem meum, aut quid reſpondeb t mihi, quia fecit ipſe, quod voluit. Suſtinenda ergo ſunt quæcunque decreuerit.

Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Domine, ſi ſic viuitur & in talibus vita ſpiritus mei. Corripies me & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima, tu autem eruiſti animam meam, vt non periret.

Nulla res longa mortalium eſt omniſque fœlicitas ſæculi, dum tenetur amittitur. Cum enim tribulationis tempus aduenerit, omne quod præteritum eſt, nihil adiuuat ſuſtinentem, Vnde ſtulta Epicuri ſententia eſt qui aſſerit per recordationẽ præteritorũ bonorũ mala præſentia mitigari. Ergo Ezechias reputare ſe dicit omnes annos regni ſui, & præteritæ, vt putabat, beatitudinis in præſenti amaritudine: & quia iam ſecurus eſt, nec patitur quæ refert de humano ſtatu, philoſophatur & dicit: *Domine ſic viuitur, & tali ſumus conditione generati*, corripuiſti me, ſed viuificaſti me pacemque tribuiſti fugato Aſyro; ſed pax mea omni mihi amaritudine fuit amarior, quia tranquillitate populi reddita & vrbe ſecu- D ra, ego ſolus limina mortis intraui, ſed tu eruiſti animam meam, vt non periret, vel præſenti vitæ, vel futuræ.

Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea, quia non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te.

Proiecisti, inquit, poſt tergum omnia peccata mea, ne illa triſtis aſpicerem, ſed tuam miſericordiam contemplarer: infernus enim & mors non confitebuntur neque Pſal. 30. laudabunt te iuxta illud, quod ſcriptum eſt. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Confeſsioque quæ in hoc loco non pro pœnitentia, ſed pro gloria & laude accipitur, Matth. 11. ſicut & in Euangelio legimus: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ.*

Non expectabunt, qui deſcendunt in lacum veritatem tuam; viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie.

Non expectabunt, inquit, qui deſcendunt in lacum veritatem tuam; melius enim hoc ad intellectum pertinet, quam illud, quod in Lxx. legimus, non expectabunt, qui deſcendunt in lacum miſericordiam tuam; maxime, cum Saluator ad infernum deſcenderit, vt vinctos de inferis liberaret. Pro lacu manifeſtius ijdem inferos tranſtulerunt. *Viuens, viuens ipſe confitebitur, ſicut & ego hodie.* Et hic confeſſio pro laudatione ponitur: neque enim ſua ſcelera confitetur, ſed gratias agit Deo, & non eſt pulchra laudatio in ore peccatoris. Cumq; infernus & mors non confiteantur, nec laudent Deum. E contrario vita atque viuentes Dominum glorificeant, quodque ſequitur. E

Pater filijs notam faciet veritatem tuam, Domine ſaluum me fac & Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

Pater filijs notam faciet veritatem tuam. Hoc ſignificat, quod & in Deuteronomio dicitur: *Interroga patrem tuum & adnunciabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi*, vt per ſucceſsiones & ſingulas generationes Dei in poſteros clementia prædicetur, pro quo Lxx. poſuerunt. Ab hodie enim filios faciam, qui adnuntiabunt iuſtitiam tuam, cauſalis, que coniunctio ſequentia cum ſuperioribus copulat. quod videlicet idcirco viuentes & ipſe viuens benedicant Deo, quia ab hac die facturus ſit filios, qui adnuntient veritatem eius: quod certè ſuæ non erat poteſtatis, neque enim per Prophetam illi liberi repromiſſi ſunt, ſed præſens vita conceſſa, præſertim cum impiiſſimum filium genuerit Manaſſen, qui repleuerit Hieruſalem ſanguine à porta vſque ad portam, & non benedixit, ſed maledixit Deo, perſequens ſanctos eius. Poſſumus ergo iuxta Lxx. hoc dicere, quod non dixerit filios faciam, ſed *PIDIA* quos vel paruulos, vel pueros ſiue infantulos & poſteros intelligimus, vt ex eo, quod ipſe miſericordiam conſecutus eſt, omnis ventura poſteritas hoc cognoſcens laudet eius incredibilem clementiam. Saluum ergo me fac Domine & omnes qui in te credimus tuoque ſumus auxilio liberati cunctis diebus vitæ noſtræ te cantemus in templo.

Deut. 32. F

Explicit Canticum Ezechiæ Regis Iudæ. G

INCIPIT CANTICVM ANNÆ MATRIS BEATI SAMVELIS Prophetæ.

IGitur Canticum quod in lib. Regum prophetico ſpiritu Anna mater beati Samuelis Prophetæ proferebat, & ſub titulo orationis prænotatum eſt, multa ſacramenta de Chriſto & Eccleſia eius continet, quia ipſius munere hæc prophetizando præſagabatur, cuius ope totius Eccleſiæ ſubſiſtit fortitudo, & amplificatur multitudo, & confirmatur ſtabilitas, ſed quæritur, cur Scriptura dicat Annam orando hoc carmen proferre, cum magis in eo prædicatio futurorum, quam poſtulatio alicuius rei inueniatur. Sic enim ſcriptum eſt & orauit Anna & ait. H

1. Reg. 2. *Exultauit cor meum in Domino & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Non enim inuenitur orare in hoc cantico, niſi per duo verba tantum, vt dicit, *Lætata ſum in ſalutari meo.* & aliud eſt, *quia non eſt Deus præter te.* Apoſtolus au- 1. Theſſ. 5. tem dicit. *Orate ſine intermiſsione.* Illi enim qui in diuino verſatur officio, omnia geſta eius, dictaque pro oratione reputantur; quia iuſtus cum ſine intermiſsione, quæ iuſta ſunt, agit, per hoc ſine intermiſsione iuſtus orabit. Et in Pſalmis dicit: *Eleuatio manuum mearum ſa-* Pſal. 140. *crificium veſpertinum.* Eleuat manus ille, qui eleuat actus ſuos. Aliter, Moyſe eleuante manus vincebat Iſrael, dimittente vero vincebat Amalech; quia donec famulus Dei eleuat actus ſuos ad Dominum vincit plebs Dei, cum autem dimiſerit actus ſuos, vincit Amalech,

lech,

Digitized by Google

A lech, inimicus Dei. *Exultauit*, inquit Anna, *cor meum* & Phil. 4 neceſſariè addidit, *in Domino*, vt Paulus dixit: *Gaudete in Domino ſemper*. quia poteſt quis gaudere in carnalibus. Cum me homines laudant, non in Domino gaudeo, ſed gaudeo in vanitate. hinc compungar propter verbum Dei. Cum dicit. *Exultauit cor meum in Domino.* Dicat ergo Anna, quæ interpretatur gratia, eccleſia videlicet Chriſti, ciuitas regis magni, gratia plena, prole fœcunda, dicat, quod tanto ante de ſe prophetatum per os huius piæ matris agnoſcit. *Exultauit cor meum in Domino & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Vere exultauit cor, quia in Domino, & vere exaltatum cornu, quia non ex ſe, ſed in Psal. 74. Domino Deo ſuo exaltatum eſt. Et in alio loco dicit. *Exaltabuntur cornua iuſti.* quia de crucis Chriſti apicibus, iuſtis conferuntur hæc cornua, in his ventilabimus atque deſtruemus aduerſarias poteſtates animæ noſtræ inſidiantes.

Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos.

Quia & in anguſtijs preſſurarum ſermo Dei non eſt alligatus, nec in præconibus alligatis.

B *Quia lætata ſum in ſalutari tuo.*

Salutaris iſte Dominus eſt Chriſtus Ieſus, quem Simon, ſicut in Euangelio legitur, ſenex amplectens par- Luc. 2. uum, agnoſcens magnum, *nunc dimittis*, inquit, *Domine ſeruum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Si lætatus fuero in ſalutari Domini, tunc dilatatum eſt os meum. per meditationem vtique verbi Dei ad eleuationem cordis veniemus. Vnde Apoſtolus dicit. *Os noſtrum* 2. Cor. 6. *ad vos patet, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt.* Ex latitudine enim cordis ori ſapientia miniſtratur.

Non eſt ſanctus vt eſt Dominus.

Diſtinctione vtitur, non dixit, niſi Dominus, ſed nullus eſt, ſicut Dominus ſanctus & ſanctificans, iuſtus & iuſtificans.

Neque enim eſt alius extra te, & non eſt fort is ſicut Deus noſter.

Non eſt, inquit, ſanctus præter te Domine, quia nemo ſit, niſi abs te, etſi ſunt, qui dicuntur dij multi, & Domini multi, nullus tamen eorum naturaliter eſt id, quod Deus eſt, quia ipſe ſolus eſt, qui dixit ad Moyſen C ſeruum ſuum: *Ego ſum qui ſum*: nam vmbra ad compara- Exod. 3. tionem corporis non eſt, & fumus ad comparationem ignis non eſt.

Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes.

Eccleſ. 3. Et Salomon dicit: *Altiora te ne quæſieru* Et alibi. *Domi-* Eccleſ. 5. *nus in cælo & tu ſuper terram, ideo ſint pauci ſermones tui.*

Recedant vetera de ore veſtro.

Epheſ. 4. Hoc eſt, magniloquium non exeat de ore veſtro. *Omnis ſermo malus*, dicit Apoſtolus, *ex ore veſtro non procedat.*

Quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.

Ipſe vos ſcit & vbi nemo ſcit: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Vnde qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Hæc dicuntur aduerſarijs ciuitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præſumentibus, in ſe, non in Domino gloriantibus, ex quibus ſunt etiam carnales Iſraelitæ terrenæ Hieruſalem, ciues terrigenæ, qui, vt dicit Apoſtolus, Rom. 10. *ignorantes Dei iuſtitiam*, id eſt, quam dat homini Deus, qui D ſolus eſt iuſtus atque iuſtificans. *& ſuam volentes conſtituere*, id eſt, velut à ſe ſibi paratam, non ab illo impartitam, *iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Vtique, quia ſuperbi de ſuo putantes, non de Dei poſſe placere. Sed quia eſt Deus ſcientiarum, atque ideo & arbiter conſcientiarum, ipſe videt cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Vnde vanæ ſunt, niſi quia propriè hominum ſunt, à quo ipſi homines ſunt.

Arcus fortium ſuperatus eſt & infirmi accincti ſunt robore.

Infirmatus eſt arcus, id eſt, intentio eorum, qui tam potentes ſibi videntur eſſe, vt ſine Dei dono atque adiutorio humana ſufficientia diuina poſsint implere mandata, & infirmi accincti ſunt robore, qui tantum in Dei pietate confidunt, & ab illo ſolatia quærunt, dicentes Psal. 30. cum Propheta, *Miſerere mihi Domine, quoniam infirmus ſum.* Infirmus erat populus gentilis, quando alienus à E teſtamento Dei fuerat. Nunc ergo præcinctus eſt robore, cum indutus eſt ſcuto fidei & galea ſalutis & gladio ſpiritus hoſtis antiqui tela ignea proterit.

Saturati prius pro pane ſe locauerunt & famelici ſaturati ſunt.

Qui ſunt intelligendi ſaturati panibus, niſi ijdem ipſi, quaſi potentes, id eſt, Iſraelitæ, quibus credita ſunt eloquia Dominus ſed in eo populo ancillæ filij minorati ſunt, cum ſe ſubtraxerunt, ne crederent in Saluatorem, & in ipſis panibus, id eſt, diuinis eloquijs, quæ illi ſoli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, terrena tantum ſapiunt. Gentes autem, quibus lex illa non erat data, poſteaquam per nouum teſtamentum ad eloquia illa venerunt, multum eſuriendo terram tranſierunt; quia in eis non terrena, ſed cœleſtia ſapuerunt, & hoc velut quæreretur cauſa cur factum ſit.

Donec ſterilis peperit plurimos & quæ multos habebat filios infirmata eſt.

In Hebræo & in Septuaginta translatione non plurimi, ſed ſeptem leguntur. Iudæi hunc locum ita intelli- F gunt, quod nato Samuele mortuus ſit filius primogenitus Fenennæ & ſingulis Annæ filijs naſcentibus ſinguli Fenennæ mortui ſint filij; ſed quærendum eſt, quomodo hoc ſtare poſſit, cum Fenenna ſeptem, Anna autem non plus, quam quinque filios habuerit. Hanc quæſtionem Hebræi ſoluentes duos filios Samuelis cum filijs Annæ annumerant: Quia ſterilis, inquit, peperit ſeptem & multa in filijs infirmata eſt. Hic totum, quod prophetabatur eluxit agnoſcentibus numerum ſeptenarium, quo eſt vniuerſa Eccleſiæ ſignificata protectio, propter quod & Iohannes Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere: & in Prouerbijs Salomonis hoc antea præfigurans. *Sa-* Prou. 9. *pientia ædificauit ſibi domum & ſuffulſit columnas ſeptem.* Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei ciuitas, antequam iſte fœtus, quem cernimus orietur; Cernimus et iam quæ multa in filijs, nunc infirmatam Hieruſalem terrenam: quoniam quicunque filij liberæ in ea erant, virtus eius erant. Nunc vero ibi, quoniam litera eſt, & ſpiritus non eſt. amiſſa virtute infirmata eſt.

G *Dominus mortificat & viuificat.*

Mortificat illam. quæ multa erat in filijs & viuificat hanc ſterilem, quæ peperit ſeptem, quamuis commodius poſsit intelligi eoſdem viuificare, quos mortificauerit, id enim vel repetiuit addendo.

Deducit ad inferos & reducit.

Quibus en m dicit Ap oſtolus. *Si mortui eſtis cum Chri-* Rom. 6. *ſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt: in dextera Dei ſedens;* Salubriter mortificantur vtique à Domino: quibus adiungit, *quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*, vt ipſi ſint illi, qui eſurientes tranſierunt terram. Mortui enim eſtis, inquit, quomodo ſalubriter mortificat Deus; deinde ſequitur, Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Ecce quomodo eoſdem ipſos viuificat Deus: ſed nunquid eoſdem deduxit ad inferos & reduxit? Hoc vtrumque ſine controuerſia fidelium in illo potius videmus impletum, capite ſcilicet noſtro, cum quo vitam noſtram in Deo Apoſtolus dixit abſconditam. Nam qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, iſte modo vtique mortificat, & quia reſuſci- H tauit à mortuis, eundem rurſus viuificauit. Et quia in Prophetia vox eius agnoſcitur: *Non derelinques animam* Psal. 15. *meam in inferno*: Eundem deduxit ad inferos & reduxit, hac eius Paupertate ditati ſumus.

Dominus enim pauperes facit & ditat.

Nam quid hoc ſit vt ſciamus, quod ſequitur, audiamus.

Humiliat & ſublimat.

Vtique ſuperbos humiliat & humiles exaltat; quod enim alibi legitur: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat* Iac. 4. *gratiam*; Hoc totus habet ſermo, cuius nomen interpretatur gratia eius. Iam verò, quod adiungitur.

Suſcitat à terra pauperem.

De nullo melius, quam de illo intelligo, qui propter

Digitized by Google

A nos pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt eius paupertate, ſicut paulo ante dictum eſt, ditaremur; ipſum enim de terra ſuſcitauit tam cito, vt caro eius non videret corruptionem, nec illud ab illo alienabo, quod dictum eſt.

Et de ſtercore erigit inopem.

Inops quippe idem qui pauper; ſtercus verò, vnde erectus eſt rectiſsime intelliguntur perſecutores Iudæi: In quorum numero, cum ſe dixiſſet Apoſtolus Eccleſiam perſecutum: *Quæ mihi*, inquit, *fuerunt lucra, hæc propter Chriſtum damna eſſe duxi, nec ſolum detrimenta, verum etiam ſtercora exiſtimaui eſſe, vt Chriſtum lucrifacerem.* (Phil. 3.) De terra ergo ſuſcitatus eſt ille ſupra omnes diuites pauper erectus eſt, & de illo ſtercore ſuper omnes opulentos ille inops.

Vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Quibus ait. *Sedebitis ſuper duodecim ſedes*: (Matth. 19.) & ſedem gloriæ hæreditatem dans eis. Domini enim ſunt cardines terræ. & poſuit ſuper eos orbem. (Pſal. 71.) *Quia ipſe dominatur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ. Domini*, inquit, *ſunt cardines terræ*: hoc eſt, quatuor plagæ mundi, B in quibus dilatabit orbem Eccleſiæ ſuæ, quæ à ſolis ortu vſque ad occaſum laudat nomen eius.

Pedes Sanctorum ſuorum ſeruabit.

Hoc eſt, electorum ſuorum opera in via iuſtitiæ dirigit.

Et impij in tenebris conticeſcent.

Qui mittentur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Vbi conticeſcent, id eſt, ab arrogantia ſuperbiæ ſuæ ceſſabunt.

Quia non in fortitudine roborabitur vir. Hoc eſt, non in fortitudine propria, ſed in virtute diuina potens eſt vir, id eſt. populus credentium.

Dominum formidabunt aduerſarij eius.

Quia Dominus infirmum faciet aduerſarium eius. Poteſt ex ambiguo Græco intelligi & aduerſarium ſuum. Cum enim Dominus poſſidere nos cœperit, profecto aduerſarius, qui noſter fuerat ipſius fit, & vincetur à nobis, non viribus noſtris, quia non in virtute propria potens eſt vir. Dominus ergo infirmum faciet aduerſarium C ſuum. Dominus ſanctus, vt vincatur à Sanctis, quos Dominus ſanctus ſanctorum efficit ſanctos, ac per hoc non glorietur potens in ſua potentia, & non glorietur prudens in ſua prudentia, nec diues in diuitijs ſuis; ſed in hoc glorietur, qui gloriatur intelligere & ſcire Dominum & facere iudicium & iuſtitiam in medio terræ, non parua ex parte intelligit, & ſcit Dominum, qui intelligit, & ſcit etiam, hoc ſibi à Domino dari, vt intelligat & ſciat Dominum. Sed quia retributio iuſta in die iudicij futura eſt à Domino ſuper filios Adæ; inde ſequitur.

Super ipſos in cœlis tonabit.

Ipſe iudicabit extremum terræ, quia iuſtus eſt, prorſus ordinem tenuit confeſsionis fidelium hæc propheteſſa, aſcendit enim in cœlum Dominus Chriſtus, & inde venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos. *Nam quis aſcendit*, ſicut dicit Apoſtolus, (Ephes. 2.) *niſi & qui deſcendit in inferiores partes terræ. qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* Per nubes ergo ſuos tonuit, quas ſancto Spiritu cum aſcendiſſet impleuit. De D quibus carnali Hieruſalem, hoc eſt, ingratæ vineæ comminatus eſt apud Eſaiam Prophetam, ne pluant ſuper eam imbrem. Sic autem dictum eſt.

Dominus iudicabit fines terræ.

Ac ſi diceretur Dominus iudicabit extrema hominis: quoniam non iudicabuntur, quæ in melius, vel in deterius medio tempore committuntur, ſed in quibus extremis inuentus fuerat qui iudicabitur. Et dabit imperium regi ſuo. Hoc eſt populo Chriſtiano, dat eis virtutem, qua carnem, ſicut reges regant, & in illo, qui propter eos fudit ſanguinem ſuum mundum vincant. Sequitur.

Et ſublimabit cornu Chriſti ſui.

Quomodo Chriſtus exaltabit cornu Chriſti ſui. Omnes quippe vnctos eius chriſmate, rectè Chriſtos poſſumus dicere, quod tamen totum cum ſuo capite corpus vnus eſt Chriſtus. Hæc Anna prophetauit Samuel mater E ſancti viri, multumq; laudati, in quo quidem tunc figurata eſt mutatio veteris Sacerdotij & nunc impleta, quãdo infirmata eſt, quæ multa erat in filijs, vt nouum haberet in Chriſto ſacerdotium, ſterilis quæ peperit ſeptem.

Explicit Canticum Annæ matris beati Samuelis Prophetæ.

INCIPIT CANTICVM EXODI.

Cantemus Domino glorioſe enim magnificatus eſt. (Exod. 15.)

Multa quidem Cantica fieri legimus in Scripturis diuinis, horum tamen omnium primum iſtud eſt Canticum, quod Ægyptijs & Pharaone ſubmerſo F populus Dei poſt victoriam cecinit: moris quippe ſanctorum eſt, vbi aduerſarius vincitur, tanquã qui ſciant, non ſua virtute, ſed Dei gratia victoriam paratam, Hymnum Deo gratulationis offerre: accipiunt tamen hymnum cantantes etiam tympana in manibus, ſicut de Maria ſorore Moyſi & Aaron refertur, & tu ergo ſi mare rubrum tranſieris, ſi Ægyptios ſubmergi videris, & extingui Pharaonem, atq; in abyſsi profundum præcipitari, potes hymnum cantare Deo, potes vocem gratulationis emittere & dicere: *Cantemus Domino glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Melius autem & dignius hæc dicis, ſi habueris tympanum in manu tua, i. ſi carnem tuam crucifixeris cum vitijs & concupiſcentijs, & ſi mortificaueris membra tua, quæ ſunt ſupra terram, & tamen videamus, quid dicit: *Cantemus Domino glorioſè enim honorificatus eſt*, quaſi non ſufficeret glorificatus eſt, ita addidit glorioſe glorificatus eſt, & quidem quantum poſſumus conijcere, videtur enim mihi, quod aliud ſit glorificari, aliud glorioſe glorificari. nam Dominus meus Ieſus Chriſtus, cum carnem ex Virgine G pro ſalute noſtra ſuſcepit, glorificatus eſt quidem, quia venit quærere, quod perierat, non tamen glorioſe glorificatus eſt. dicitur enim de ipſo, (Eſai. 53.) *quia vidimus eum, & non habebat ſpeciem neque decorem, & vultus eius ignobilis ſuper filios hominum glorificatus eſt*, & cum ad crucem venit & pertulit mortem; ſed, vt ita dicam, humiliter, non glorioſe glorificatus eſt. Verum quia (Luc. 24.) *hæc oportebat pati Chriſtum & ſic introire in gloriam ſuam.* Cum venerit in gloria patris & ſanctorum Angelorum, cum venerit in maieſtate ſua iudicare terram, quando & verum Pharaonem, id eſt, Diabolum interficiet ſpiritu oris ſui. Cum ergo refulgebit in maieſtate patris ſui & poſt aduentum humanitatis ſecundum nobis in gloria oſtendit aduentum, tunc non ſolum glorificatur. Cum omnes ita honorificant Filium, ſicut honorificant Patrem.

Equum & aſcenſorem deiecit in mare.

Homines qui nos inſequuntur equi ſunt, & vt ita dicam, omnes, qui in carne nati ſunt, figuraliter equi ſunt: ſed qui habent aſcenſores ſuos, ſunt equi, quos Dominus aſcendit, & circumeunt omnem terram, de quibus H dicitur; *Et equitatus tuus ſalus*: Sunt autem equi, qui aſcenſores habent Diabolum & angelos eius. Iudas equus erat, ſed donec aſcenſorem habuit Dominum, de equitatu ſalutis fuit. Cum cæteris etenim Apoſtolis miſſus ægrotis ſalutem & ſanitatem languentibus præſtitit; ſed vbi ſe Diabolo ſubſtrauit, poſt buccellam enim introiuit in eum Sathanas, aſcenſor ipſius effectus eſt Sathanas & illius habenis ductus aduerſus Dominum & Saluatorem noſtrum cœpit equitare. Omnes ergo, qui perſequuntur Sanctos, equi ſunt hinnientes, ſed habent aſcenſores, quibus aguntur angelos malos, & ideo feroces ſunt. Dominus ergo equum & aſcenſorem proiecit in mare & factus eſt mihi in ſalutem.

Fortitudo mea & laudatio mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

A quid aliud etiam ſupra dixit: per ſpiritum iræ tuæ diuiſa eſt aqua. Iſte itaque ſpiritus Dei in Ægyptios, nam ſpiritus iræ eius, quibus nocuit aquarum diuiſio, vt intrantes poſſent aquis redeuntibus obrui: filijs vero Iſrael, quibus profuit, quod aqua diuiſa eſt, non fuit ille ſpiritus iræ Dei? Vnde ſignificatur propter diuerſas operationes, & effectus ſpiritum Dei diſsimiliter appellari, cum ſit vnus atque idem, ille duntaxat, qui etiam ſanctus Spiritus in vnitate Trinitatis accipitur. Proinde non arbitror alium, quam eundem ſignificari, vbi dicit Rom. 8. Apoſtolus. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater:* quia eodem ſpiritu Dei, id eſt, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conſcripta eſt; timor incuſſus eſt eis, qui gratiam nondum intelligebant, vt de ſua infirmitate atque peccatis per legem conuincerentur, & lex illis fieret pædagogus, quo perducerentur ad gratiam, quæ eſt in fide Ieſu Chriſti. De hoc autem ſpiritu adoptionis & gratiæ, id eſt, de hoc opere ſpiritus Dei, quo B impertitur gratia & regeneratio in vitam æternam, dicitur, 2. Cor. 3. *ſpiritus autem viuificat*, cum ſupra diceretur, *litera occidit*, id eſt, conſcripta tantummodo iubens ſine adiutorio gratiæ. Demerſi ſunt, inquit, tanquam plumbum in aquam validiſsimam; peccatores graues ſunt denique & iniquitas ſuper talentum plumbi ſedere monZach. 5. ſtratur, ſicut Zacharias Propheta dicit: *Vidi*, inquit, *mulierem ſedentem ſuper talentum plumbi, & dixi, quæ eſt hæc? & reſpondit, iniquitas.* Inde eſt ergo, quod iniqui demerſi ſunt in profundum, ſicut plumbum in aqua validiſſima: Sancti autem non demerguntur, ſed ambulant ſuper aquas. quia leues ſunt, & peccati pondere non grauantur. Denique Dominus & Saluator ſuper aquas ambulauit. Ipſe enim eſt, qui verè peccatum neſcit. Ambulauit & diſcipulus eius Petrus, licet paululum trepidauerit, non enim tantus erat & talis, qui nihil omnino de ſpecie plumbi in ſe haberet admixtum. Habuit, licet Matth. 14. parum, propter quod dicit ad eum Dominus: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Idcirco igitur, qui ſaluus fit, per ignem ſaluus fit, vt ſi quid forte de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & reſoluat, vt efficiantur C omnes aurum bonum: quia aurum terræ illius bonum eſſe dicitur, quam habitaturi ſunt Sancti: Et ſicut fornax probat aurum, ita homines iuſtos temptatio. Veniendum eſt ergo omnibus ad ignem, veniendum eſt ad conflatorium. Sedet enim Dominus & conflat, & purgat filios Iuda. Sed illuc cum venitur, ſi qui multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne reſoluitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum, & ſi qui plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt ſi parum aliquid auri purgati tamen reſideat, quod ſi aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod ſcriptum eſt. *Demergitur in profundo tanquam plumbum in aqua validiſſima.*

Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Alia Editio. *Quis ſimilis tibi in Dijs Domine, quis ſimilis tibi glorioſus in Sanctis, mirabilis in maieſtatibus faciens prodigia.* Quod dicit: *Quis ſimilis tibi in dijs*, ſiue in fortibus, non ſimulachris gentium comparat Deum, nec Dæmo- D nibus, qui ſibi falsò Deorum ſiue fortium nomen vſurpant; ſed deos illos dicit, qui per generationem & participationem Dei appellantur Dij, de quibus & alibi Ioan. 10. Scriptura dicit. *Ego dixi, Dij eſtis.* Et iterum: *Deus ſtetit in congregatione Deorum.* Sed hi, quamuis capaces ſint Dei, & hoc nomine donari per gratiam videantur; nullus tamen Deo ſimilis inuenitur, vel in potentia, vel in natura, & licet Iohannes Apoſtolus dicat: *Filioli nondum ſcimus quid futuri ſumus*: ſi autem reuelatus nobis fuerit, de Domino ſcilicet dicens, ſimilis ei erimus: Similitudo tamen hæc, non ad naturam, ſed ad gratiam reuocatur, verbi cauſa, vt ſi dicamus, picturam ſimilem eſſe eius, cuius imago in pictura videtur expreſſa, quantum ad gratiam pertinet viſus ſimilis dicitur, quantum ad ſubſtantiam, longe diſsimilis. Illa enim ſpecies carnis eſt & E corporis viui, iſta colorum fucus eſt, & cera tabulis ſenſu carentibus ſuperpoſita, nullus ergo in dijs ſimilis Domino, nullus enim inuiſibilis, nullus incorporeus, immutabilis, nullus ſine initio & ſine fine, nullus creator omnium, niſi Pater cum Filio & Spiritu ſancto, qui facit mirabilia ſolus.

Extendiſti manum tuam & deuorauit eos terra.

Terra pro aqua nimirum eſt poſita, tota quippe pars iſta extrema, vel infirma mundi terræ nomine cenſetur, ſecundum id, quod ſæpe dicitur, Deus, qui fecit cœlum & terram. Et in illius Pſalmi diſtributione commemoratis cœleſtibus. *Laudate*, inquit, *Dominum de terra*, Pſal. 148. & ea exſequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertineant. Impios quidem & hodie deuorat terra, aut non tibi videtur à terra deuorari ille, qui ſemper de terra cogitat, qui ſemper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram deſiderat, & omnem ſpem ſuam ponit in terra, qui ad cœlum non reſpicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promiſſa deſiderat; ſed ſemper de præſen- F tibus cogitat & terrena ſuſpirat. Talem cum videris, dicito, quia deuorauit eum terra; ſed etſi quem videris luxuriæ carnis & voluptatibus corporis deditum, in quo animus nihil valet, ſed totum libido carnis obtinuit, dicito & de hoc, quia deuorauit eum terra. Adhuc me mouet, quod ait: *Extendiſti dexteram tuam & deuorauit eos terra*, quaſi vt deuorentur à terra, hæc cauſa fuerit, quod extendit Dominus dexteram ſuam, ſi conſideres, quomodo Dominus exaltatus in cruce tota die extendit manus ſuas ad populum non credentem & contradicentem, & qualiter infidelem populum, qui clamauit, *crucifige, crucifige eum*, mors admiſsi ſceleris Luc. 23. oppreſsit, euidenter inuenies, quomodo extendit dexteram ſuam & deuorauit illos terra, nec tamen penitus deſperandum eſt: Poſsibile namque eſt, vt ſi forte reſipiſcat, qui deuoratus eſt, rurſum poſsit euomi, ſicut Ionas.

Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.

G Pro quo iuxta aliam Editionem legitur. *Gubernaſti iuſtitia tua populum tuum hunc, quem redemiſti. Exhortatus es in virtute tua, & in refectione ſancta tua.* Dominus populum, quem liberauit per lauacrum regenerationis deducit in iuſtitia. Conſolatur etiam ſiue reficit eum per conſolationem Spiritus ſancti in virtute ſua, & in requie ſua; Futurorum namque ſpecies laborantibus requiem parit, ſicut & in agone poſitis dolorem vulnerum mitigat ſpes coronæ.

Aſcenderunt populi & irati ſunt, dolores obtinuerunt habitatores Philiſtim tunc conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaan.

Alia autem Editio ſic habet: *Audierunt gentes & irata ſunt, dolores comprehenderunt inhabitantes Philiſtim. tunc feſtinauerunt Duces Edom & Principes Moabitarum, adprehendit eos timor, tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan.* Quantum ad hiſtoriam pertinet, nullum ex his gentibus in- H terfuiſſe mirabilibus, quæ facta ſunt conſtat. Quomodo ergo videbuntur tremore deterritæ, vel feſtinaſſe, vt dicit, vel iratæ eſſe, feſtinaſſe & Moabitæ & Edom & reliquæ, quas enumerat, nationes; Sed ſi redeamus ad intelligentiam ſpiritalem, inuenies, quia Philiſtim, id eſt, cadentes populo, & Edom, qui interpretatur terrenus, trepidant & horum omnium Principes curſitant & patiuntur conſtricti doloribus, cum videntur regna ſua, quæ in inferno ſunt, penetrata ab eo, qui deſcendit in inferiora terræ, vt eriperet eos, qui poſsidebantur à morte, hic eos comprehendit timor & tremor, quia ſenſerunt magnitudinem brachij eius. Hinc etiam tabuerunt omnes habitantes Chanaan, qui mutabiles interpretantur & mobiles, cum vident moueri regna ſua alligari fortem & vaſa eius diripi.

A *Irruat ſuper eos fortitudo & pauor in magnitudine brachij tui.*

Quid timent Dæmones, quid tremunt? ſine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua exuti ſunt principatus eorum & poteſtates. Timor ergo & tremor cadet ſuper eos, cum ſignum in nobis crucis viderint fideliter fixum, & magnitudinem brachij illius, quod Dominus expandit in cruce, ſicut dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi.* (Rom. 10.) Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet ſuper eos, niſi videant in te crucem Chriſti, niſi & tu poteris dicere: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* (Gal. 6.)

Fiant immobiles, quaſi lapis, donec tranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.

Fieri tanquam lapidem, non eſt natura eſſe lapidem; non enim fieret, niſi, quod non erat. Hoc propter illos dicimus, qui malæ naturæ Pharaonem, vel Ægyptios dicunt fuiſſe, & nõ ex arbitrij libertate in hæc eſſe deductos; ſed & propter eos, qui Creatorem Deum accuſant, tanquam ſæuum, quod homines vertat in lapides. (B) Hi ergo priuſquam blaſphement, conſiderent ſumma libratione, quæ ſcripta ſunt. Non enim dixit, fiant tanquam lapis, & tacuit, ſed tempus ſtatuit & menſuram condemnationis decernit: ait enim, *donec tranſeat populus tuus.* Quo ſcilicet poſt tranſitum populi non ſint tanquam lapides, in quo mihi videtur Prophetiæ aliquid latere. Video enim, quia prior populus, qui fuit ante nos, factus eſt tanquam lapis, durus & incredulus: Verum non eatenus vt in lapidis natura permaneat, ſed donec tranſeat populus hic, populus, quem adquiſiuit. Cæcitas enim ex parte contingit in Iſrael illo ſecundum carnem, donec plenitudo gentium ſubintroierit, tunc etiam omnis Iſrael, qui per incredulitatis duritiam factus fuerat, ſicut lapis ſaluabitur, & vis videre tu, quomodo ſaluabitur? *Potens eſt*, inquit, *Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.* Manent ergo lapides nunc, donec tranſeat populus tuus hic, quem adquiſiſti; (C) ſed ipſe Dominus creator eſt omnium. Videndum eſt, quomodo hic aquiſiſſe dicatur, quæ ſua eſſe non dubium eſt.

Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ.

Non vult nos Deus in Ægypto plantare, nec in deiectis & humilibus locis, ſed in monte hæreditatis ſuæ vult plantare, quos plantat. Propheta dicit: *Vineam ex Ægypto tranſtuliſti, & expuliſti gentes, & plantaſti eam, peritum iter feciſti ante eam. plantaſti radices eius & repleuit terram. Operuit montes vmbra eius & arbuſta eius cedros Dei.* (Pſal. 79.) Aduertis iam, quomodo plantat Deus, & vbi plantat: non plantat in vallibus, ſed in montibus, in excelſis & ſublimibus locis. Quos enim educit ex Ægypto, quos de ſæculo adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare, ſed conuerſationem eorum vult eſſe ſublimem, vult nos in montibus habitare; ſed & in ipſis nihilominus montibus non vult nos per terram repere, nec vltra vult vineam ſuam humi deiectos habere fructus; ſed vult palmites eius ſurſum duci, in alto conlocari, traduces fieri, & traduces non in quibuſcunque (D) humilibus arboribus, ſed in excelſis & altiſsimis cedris Dei. Cedros Dei ergo Prophetas & Apoſtolos puto, quibus nos, ſi adiungamur vitis, quam de Ægypto tranſtulit Deus, & per ramos eorum noſtri palmites diffundantur, atque in ipſis inniſi traduces quædam efficiamur charitatis ad inuicem vinculis nexi, fructum ſine dubio plurimum afferimus. Nam *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* (Matth. 3.)

Firmiſsimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.

Vide clementis Domini bonitatem, non vult te inducere ad laborem, non vult, vt ipſe tibi facias habitaculum, iam te ad præparatam deducit habitationem. Audi Dominum in Euangelio dicentem; *Alij laborauerunt & vos laborem eorum introiſtis.* (Ioan. 4.)

E *Sanctuarium Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

Sanctuarium ſiue ſanctimonium dicitur tabernaculum Dei velut templum ab eo, quod ſanctificat accedentes, hoc non dicit manu hominis factum, ſed manu Dei. Qui ergo propter te Deus & plantat, & ædificat, agricola efficitur, ſtructor efficitur, ne tibi aliquid deſit. Audi & Paulum dicere: *Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis.* (1 Cor. 3.) Quod ergo iſtud eſt ſanctimonium, quod non manu hominum factum eſt, ſed manibus Dei paratum. Audi Sapientiam dicentem, quia *ædificauit ſibi domum:* (Prou. 9.) ego autem hoc de Incarnatione Domini rectius intelligendum puto. non enim manu hominum factum eſt, id eſt, non opere humano templum carnis ædificatur in virgine, ſed ſicut ſupra ſcriptum eſt in Daniele: *lapis ſine manibus exciſus creſcit & factus eſt mons magnus.* (Dan. 2.) Iſtud eſt ſanctimonium carnis adſumptæ & ſine manibus, id eſt, abſque opere hominum de monte humanæ naturæ & ſubſtantia carnis exciſum.

Dominus regnabit in æternum & vltra.

F Alia autem editio ſic habet. *Qui regnas in æternum & in ſæculum & adhuc.*

Quotiens in ſæculum dicitur longitudo quidem temporis, ſed eſſe finis aliquis indicatur, etſi in aliud ſæculum dicatur, aliquis ſine dubio longior quidem, tamen potitur finis, & quotiens ſæcula ſæculorum nominantur, fortaſſe, licet ignotus nobis, tamen à Deo ſtatutus aliquis terminus indicatur. quod vero addidit in hoc loco *& vltra*, ſiue, & adhuc, nullum ſenſum termini alicuius aut finis reliquit. Quodcunque enim illud cogitaueris, in quo finem putes poſſe conſiſtere, ſemper tibi dicit ſermo Propheticus, *& adhuc*, velut ſi loquatur ad te & dicat: putas in ſæculum ſæculi Dominum regnaturum, & adhuc putas in ſæcula ſæculorum, & adhuc & quodcunque illud dixeris de regni eius ſpatijs ſemper tibi dicit Propheta, *& adhuc.*

Ingreſſus eſt enim Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius.

G Et tu ſi filius Iſrael es, potes ambulare per ſiccum in medio mari, ſi fueris in medio nationis prauæ & peruerſæ, ſicut lumen ſolis verbum vitæ contines ad gloriam. Poteſt fieri, vt in medio peccatorum incedentem te non infundat humor peccati: poteſt fieri, vt tranſeuntem te per hunc mundum nulla libidinis vnda reſpergat, nullus cupiditatis æſtus verberet. Qui enim Ægyptius eſt & ſequitur Pharaonem, ille vitiorum fluctibus mergitur: qui vero ſequitur Chriſtum & ſicut ille ambulauit, ita & ipſe ambulat, aquæ ei murus fiunt dextera leuaque: ipſe autem media via incedit per ſiccum, non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram, vſquequo exeat ad libertatem & hymnum victoriæ Domino concinat dicens: *Cantabo Domino, glorioſe enim honorificatus eſt.* (Exod. 15.)

Explicit Canticum Lib. Exodi.

H

INCIPIT CANTICVM ABACVC PROPHETÆ.

Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorationibus LXX.

Oratio Abacuc Prophetæ cum Cantico.

LEgimus in ſexto decimo Pſalmo oratio Dauid, & in LXXXVIIII. oratio Moyſi hominis Dei, & in CI. oratio pauperis, cum anxius fuerit, coram Domino effuderit precem ſuam. & ſicubi alibi nomen orationis

nis

Digitized by Google

A nis infertur. Attamen nullo loco cum Cantico legitur, &
neſcio an decens ſit orare cum Cantico, niſi forte iuxta
Septuaginta orare dicimus Prophetam pro Aduentu
Chriſti, & hoc ipſum eum delectatione & Pſalmis &
Cantico prophetare, vt in eo, quod oratio eſt, depreee-
tur patrem, & in eo, quod Canticum patris, qui miſerit fi-
lium, & filij qui venerit, laus dicatur; Sed melius iuxta
Hebraicam veritatem legitur oratio Abacuc Prophetæ
pro ignorationibus. Contemplatus enim Propheta ſta-
tum ſæculi præſentis viderat pacem peccatorum, & af-
flictiones proborum, viderat impios abundare diuitijs,
& innocentes quotidianis ſubiectos eſſe flagellis, vide-
rat in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniqui-
tatem; viderat lacrymas innocentum, & conſolatorem
neminem, nec poſſe reſiſtere calumniatorum violentiæ
cunctorum auxilio deſtitutos, ſciensque, quod hæc &
innumera nequaquam abſque diuina permiſſione po-
tuiſſent accidere, turbabatur animo, & intimo ex cor-
Abac. 1. de grauiter ſuſpirans exclamauit ad Dominum, *Vſque-
quo Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim
B patiens, & non ſaluabis?* & iterum; *Mundi ſunt oculi tui, ne
Ibidem. videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non potes. quare non
reſpicis ſuper iniqua agentes & taces deuorante impio iuſtiorem
ſe, & facies homines quaſi piſces maris, quaſi reptile non habens
principem.* Verum inter hæc reduxit exemplo ad me-
moriam diſpenſationem Dominicæ Incarnationis ac
Paſſionis, quæ in ſpiritu Prophetiæ cognouerat, intel-
lexitque acrius multo, quam oporteret, queſtum fuiſſe
de afflictionibus in hac vita Sanctorum, quibus æterna
eſſet promiſſa requies in futuro; cum nec ipſe Dei filius
in carne apparens ſine pœna crucis eſſet exiturus de mũ-
do, qui de Spiritu ſancto ac Virgine matre naſciturus &
abſq; omni peccato erat victurus in mundo, & pro igno-
rationibus ſuis faciens orationem Domino ſic incipit.

Abac. 3. *Domine audiui auditionem tuam & timui: Domine opus tu-
um in medio annorum viuifica illud.* Lxx. *Domine audiui au-
ditum tuum & timui. Domine conſideraui opera tua & obſtu-
pui, in medio duorum animalium cognoſceris.*

Hebræi iuxta hiſtoriam ita hunc locum explanant.
Domine audiui auditionem tuam & timui, audiui, in-
C quit, pœnas, quas Nabuchodonoſor & Diabolo præpara-
ſti, in quibus dixiſti ei, væ qui multiplicat non ſua, & ſe-
cundo, væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ,
& tertio, væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, &
præparat vrbem in iniquitate, & quarto, væ qui potum
dat amico ſuo mittens fel ſuum & inebrians, & quinto,
væ qui dicit expergiſcere, ſurge, lapidi tacenti, & ſicut
timore perterritus, quod draco magnus tantis vulneri-
bus confodiendus eſt: ſic deprecor Domine, vt quod
promiſiſti expleas, & finito tempore reddas Chriſtum
Abac. 2. tuum. Tu enim dixiſti, *quia adhuc viſus procul & appare-
bit in fine, & non mentietur.* Viuifica ergo, quod pollici-
tus es, hoc eſt, tuum imple promiſſum, non moriatur
irritus ſermo tuus, ſed opere compleatur, quod quidem
iuxta nos & de reſurrectione Saluatoris intelligi poteſt,
vt ille, qui pro nobis mortuus eſt, conſurgat à mortuis,
& viuificetur. Iuxta Lxx autem multo aliter eſt ſenſus.
Domine, inquit, *audiui auditum tuum & timui, conſideraui
opera tua & expaui.* Auditus autem Domini Saluatoris
eſt, quem audiuit à patre, vt veniret, in carnem naſcere-
tur, in mundo conuerſaretur inter infirmos omnipo-
D tens, inter peccatores, iuſtus, inter homines Deus face-
ret opera cœleſtia, doceret præcepta cœleſtia, tentare-
tur, flagellaretur, mors noſtra morte illius deſtrueretur,
reſurgens à mortuis aſcenderet in cœlos, ac, miſſo de-
ſuper ſpiritu, mundum gratia veritatis illuſtraret. Cu-
ius auditus ipſe ſæpius in Euangelio meminit, dicens.
Ioan. 8. *Sed qui miſit me verax eſt, & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor
Ioan. 15. in mundo.* Et iterum: *Vos autem dixi amicos, quia omnia
quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*, de quo & Io-
Ioan. 3. annes Baptiſta. *Qui de cœlo venit*, inquit, *ſupra omnes eſt,
& quod vidit & audiuit, hoc teſtatur.* Hunc ergo auditum
Domini audiuit in ſpiritu Propheta, & timuit, quia
queſtus fuerit de preſſuris iuſtorum in mundo, cum &
ipſius Domini, qui proſperum iter facit nobis ſalutis &

vitæ exitus eſſent mortis de mundo. Timuit, quia de E
tribulationibus Sanctorum querimoniam fecerit, qui
non ſolum de tribulationibus eruendi à Domino, ſed
perpetuo ſunt coronandi cum Domino; *Conſideraui ope-
ra tua & expaui*, illa nimirum opera, quibus mundum re-
demit, *factus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem* Phil. 2.
crucis, vt, ſicut iterum dicit Apoſtolus, *per mortem deſtrue-* Heb. 2.
ret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum,
quæ videlicet opera, quanto quis intentius conſiderat,
tanto de operibus ſuæ fragilitatis amplius contremiſcit.
Quod vero iuxta Lxx. legitur: *In medio duorum anima-
lium innoteſceris*, hoc quidam de duobus Cherubin in
Exodo per Moyſen factis interpretantur, quæ iuxta ar-
cam ſtabant, & in medio habebant oraculum. Alij de
duobus Seraphin iuxta Eſaiam velantia caput & pedes
Dei, quod in præſenti tantum ſæculo volant: & alter ad
alterum myſterium inclamat Trinitatis: Quidam autem
de prima Eccleſia hoc dictum putant; quæ de Circumci-
ſione fuit, & de præputio congregata, quod duobus po- Deut. 32.
pulis ſe hinc inde cingentibus intellectus ſit Saluator, &
creditus. Sunt qui duo animalia duo intelligunt Teſta- F
menta, nouum & vetus, quæ verè animantia ſint, atque
vitalia, quæ ſpirent, & in quorum medio Dominus co-
gnoſcatur. Item poteſt in medio duorum animalium in
medio Moyſi & Heliæ intelligi. Ibi enim innoteſcebat
diſcipulis tribus in monte ſancto, quia moriturus eſſet
dicentibus eis quæ paſſurus eſſet in Hieruſalem; ibi in-
noteſcebat, quia reſurrecturus eſſet, & immortalis fu-
turus, clarificato vultu eius inſtar ſolis & veſtimentis e-
ius nitentibus in ſimilitudinem niuis. Ibi innoteſcebat,
quia filius Dei erat, dicente ad eum, de cœlis voce pa-
terna, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, i-* Matth. 3.
pſum audite. Poteſt etiam in medio duorum latronum
non inconuenienter accipi, inter quos crucifixus mori-
endo innoteſcebat, quia homo erat. Obſcurato autem
ſole, terra commota, & cæteris, quæ Euangelium nar-
rat circa crucem factis miraculis innoteſcebat, quia De-
us erat, interpellando ipſe patrem pro interfectoribus
ſuis, quam pius eſſet innoteſcebat, quo etiam exemplo
Propheta, qui hæc prouidebat in ſpiritu, admonebatur
non ſolum patienter preſſuras ferre malorum, ſed & eis G
perſequentibus gratiam ſuæ benignitatis impendere.
Lxx. *Cum appropinquauerint anni cognoſceris, cum aduenerit
tempus oſtenderis.* Cum venerit, inquit, tempus & opere
promiſſa compleueris, monſtrabis vera eſſe, quæ polli-
citus es; ſiue cum appropinquauerit conſummatio, &
in extrema hora ad deſtruenda peccata venerit filius tu-
us, manifeſtius cognoſceris. Aliter iuxta hiſtoriam anni
& tempus poſſunt illam plenitudinem temporis deſi-
gnare, de qua dicit Apoſtolus. *Poſtquam venit plenitudo tẽ-* Gal. 4.
*poris, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege,
vt eos, qui ſub lege erant, redimeret:* quæ videlicet tempora,
quoſq; annos longe adhuc vidit eſſe, atq; à longe ſaluta-
uit Propheta: quia dum appropiarent anni, dumque
adueniret tempus, oſtenderetur & cognoſceretur Do-
minus. Nam & ſuperius audiuit, dicente ſibi Domino,
*quia adhuc viſus procul & apparebit in finem, & non mentietur,
ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet & non tar-
dabit.* Huius quidem auditum audiens, cuius opera Paſ-
ſionis conſiderans, timuit & expauit, quia commotus
fuerit de felicitate tranſitoria malorum, & temporali af- H
flictione bonorum. At tamen, vbi dignam pro ſuis igno-
rationibus pœnitentiam feciſſet, mox ſe veniam erratis
conſequi poſſe confiſus eſt. Vnde cõſequenter adiungit.

*In eo dum conturbata fuerit anima mea in ira miſericordiæ
memor eris.* Dum conturbata fuerit, inquit, anima mea,
digno ſatisfactionis & pœnitentiæ mœrore concuſſa, ob
metum iræ & animaduerſionis tuæ, quam me incautus
incurriſſe pertimeſco, credo quod otius miſericordiam
optatæ à te veniæ conſequar, vbi conſideranda eſt mira
pietatis diuinæ velocitas, turbarum ſe tantũ animo pro-
pter iram Domini dixit, & mox illum ad miſericordiam
ab ira conuerſum ſubiunxit. Sed talis minimarum poteſt
indulgentia eſſe culparum; Cæterũ noſtri reatus quan-
to grauiores ſunt, tanto maiore ac diuturna pœnitentia

Digitized by Google

A lacrymiſque & eleemoſynis opus habent. Quod autem dicitur iuxta Hebraicum: Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis, non debemus putare obliuiſci Deum, & poſt iram ſuæ miſericordiæ recordari, ſed quod nos eum in pœna poſiti putemus obliuiſci, iuxta illud: *Vſquequo Domine obliuiſceris mei in finem?* Nam etſi quando tentationibus quaſi fluctibus operimur, & rabida Dæmonum aduerſum nos procella deſæuit, velut ad dormientem loquimur, exurge, quid dormitas Domine. Simulq; Dei cerne clementiam, non dixit, cum intuleris ſupplicia miſericordiæ recordaberis, ſed cum iratus fueris: qui autem iraſcitur, interdum non percutit, ſed tantummodo cõminatur, quod & Apoſtolus ſentiens, ait. *Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniquitatem hominum.* Vbi autem reuelatur non infertur, non percutit, ſed reuelatur vt terreat, & territis non inferatur. Rom. 1.

Deus de auſtro veniet & Sanctus de monte Faran.

Lxx. *Deus à Theman veniet & Sanctus de monte vmbroſo & condenſo.* Theman ergo interpretatur Auſter & ſignificat Bethleem ciuitatem Dauid, in qua natus eſt Dominus. Hæc ad Auſtrum ſita ab Hieroſolymis: ab hac quippe ipſe Dñs quadrageſimo die Natiuitatis ſuæ adductus B eſt Hieroſolymam à parentibus, vt daretur hoſtia ſecundum legem pro eo: Faran vero vicinus locus eſt monti Synæ, in quo monte Dominus Moyſi legem dedit. Dominus ergo ab Auſtro veniet, hoc eſt, naſcetur in Bethleem, & inde conſurget, & quia ipſe, qui natus eſt in Bethleem, legem quondam dedit in monte Syna, ipſe eſt ſanctus, qui venit de monte Faran, quod autem infertur iuxta Hebræos dia Pſalma, id eſt, ſemper, hunc habet ſenſum; Ipſe qui natus eſt in Bethleem, & qui in Syna, id eſt in monte Faran legem dedit, ſemper in vniuerſis præteritis & præſentibus & futuris, auctor eſt & largitor. Interpretatur autem Pharan os videntis, & ſignificat, quod de ſermone eruditi viri venit notitia filij Dei, quod autem in quibuſdam exemplaribus legitur. *Deus à Libano veniet, & ſanctus de monte vmbroſo & condenſo.* Hunc habet ſenſum; Libanus eſt mons Phœnicis altiſſimus excelſis & imputribilibus atque aromaticis inſignis arboribus, de quibus etiam templum Domini in Hieroſo- C lymis factum Scriptura teſtatur; Vnde ſolet in Scripturis nonnunquam ipſum quoque templum Libani vocabulo deſignari. Hinc eſt enim illud Zachariæ de venturo aduerſus eum exercitu Chaldæorum. *Aperi Libane portas* Zach. 11. *tuas & comedat ignis cedros tuas.* Deus ergo à Libano venit; quia Dominus in carne apparens in ipſo templo prima Euangelij ſemina aſperſit, atque exinde orbem totum germine ſuę fidei & veritatis impleuit. Vnde dicit Eſaias: Eſai. 2. *quia de Syon exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Aſperſit autem ibi ſemina prima fidei, non ſolum per Apoſtolos, qui poſt paſsionem ac reſurrectionem eius Spiritu ſancto repleti, ibidem prædicando prima Eccleſiæ fundamenta poſuerunt, quorum deinde ſonus in omnẽ terram exijt, & in fines orbis terræ verba eorum, verumetiam per ipſum primo in eodem templo fidei, quæ in ſe eſſet habenda teſtimonium dedit, cum duodennis in medio Doctorũ reſidens, interrogabat eos, quaſi homo paruulæ ætatis; ſed reſpondebat docentibus, quaſi Deus æternæ maieſtatis; Vbi quæſitus & inuentus à parentibus, etiam ipſe per ſe, quod Deus ac Dei filius eſſet inſinuans D ait. *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ pa-* Luc. 2. *tris mei ſunt, oportet me eſſe?* Sanctus, inquit, de monte vmbroſo & cõdenſo. Sanctus idem mediator Dei & hominum, qui ſupra manifeſte dicitur Deus, de quo Virgini Luc. 1. matri euangelizans Gabriel ait. *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Mons autem, de quo venturus idem ſanctus canitur Regnum Iudæorum, ex quo ille carnis originem duxit, valet intelligi, de quo & Daniel vidit exciſum lapidem ſine manibus, i. Chriſtum abſque opere virili procreatum, qui regna mundi conterens ſui gloria nominis orbem impleret vniuerſum, qui videlicet mons recte vmbroſus vocatur & condenſus, habet enim multa ligna fructifera, i. multos viros ſanctos, & virtutũ pomis onuſtos, qui & noſtræ mentis eſuriem guſtu ſuauiſsimo ſuæ doctrinæ erudiant, & noſtram fragilitatem,

ne æſtu tribulationũ à virore interno dilectionis areſcat, E præſidio ſuæ interceſsionis obumbrent.

Operuit cælos gloria eius & laudis eius plena eſt terra.

Lxx. *Operuit cælos virtus eius, & laude eius plena eſt terra.* Deſcripta diſpenſatione Dominicæ Incarnationis, mox arcanum aſcenſionis, qua eadem humanitas erat clarificanda ſubiunxit, iuxta illud Pſalmiſtæ, *A ſummo cælo egreſ-* Pſal. 18. *ſio eius & occurſus eius vſq; ad ſummum eius.* Operuit, inquit, cœlos gloria eius, ſiue virtus eius, ſeu maieſtas eius: quia qui per Incarnationem minoratus eſt paulo minus ab angelis, ipſe per reſurrectionem gloria & honore coronatus per aſcenſionem eſt ſuper opera manuum patris conſtitutus, & omnia ſubiecta ſunt ſub pedibus eius, ac prædicantibus Apoſtolis, laude eius omnis eſt terra repleta; ſed & ante paſsionem ac reſurrectionem, cum Verbum caro factum habitaret in nobis, operuit cœlos maieſtas eius, quia humanitas aſſumpta etiam mortalis adhuc cœleſtibus antecellebat poteſtatibus, & laude eius plena erat terra, eiſdem cœli virtutibus veraciter ſcientibus: qa ipſe erat creator terræ, ſicut & totius creaturæ per diuinitatem, qui tunc per humanitatem morabatur & videba- F tur in terra. Vnde & eo nato concinebant, *Gloria in ex-* Luc. 2. *celſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

Splendor virtutũ & doctrinæ Domini Saluatoris credentes inluminabit, vnde & ſol iuſtitiæ in Scripturis vocatur; ſed quia idem ſplendor mundo perfecte non poterat fulgere, niſi ipſe guſtata ad tempus morte regnum mortis dirueret, atq; exſurgens à mortuis ſpem fidemq; mundo reſurgendi donaret. Splendor quoq; eius quaſi ſol iuſtitiæ clara luce radiauit & cornua in manu eius, vexilla & trophæa crucis, & in ipſis cornib. abſcondita eſt fortitudo eius. Cum n. eſſet in forma Dei non rapinã arbitratus eſt æqualem ſe eſſe Deo; ſed *exinaniuit ſe formam* Phil. 2. *ſerui accipiens factus obediens vſq; ad mortem, mortem autẽ crucis:* In cruce ergo pauliſper abſcõdita eſt fortitudo eius, quãdo dicebat ad patrem: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem:* Matth. 26. &, *Pater ſi poſsibile eſt transeat à me calix iſte*, & in ipſa cruce, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Iuxta aliam autem Editionem hoc in loco legitur. *Cornua ſunt in ma-* G *nibus eius, ibi confirmata eſt virtus gloriæ eius.* Cornua quippe dicit tranſuerſum crucis lignum, quod adfixus manibus tenebat, vt hoc mortis genere omnem ſuperans mortem ſic confirmaret virtutem gloriæ ſuæ in cordibus electorum, ne vllis terroribus, ſiue blandimentis ab eius poſſent amore retardari, promiſſa etiam illis gloria futuræ incorruptionis, per quã nouiſsima inimica deſtrueretur mors. Deniq; in monte ſancto pręſentibus Petro, Iacobo & Iohanne ſplendor eius, ſicut lumen fulgebat, & illi delectabantur quidem huius intuitu ſplendoris; ſed tñ quantũ adhuc fragiles & infirmi fuerint, tempore probatum eſt Paſsionis illius: At poſtq̃ in manib. cornu crucis accepit, ibi confirmata eſt virtus gloriæ eius, adeo vt nec terroribus, nec ipſa morte poſſet à fidelium corde propulſari. Poſſunt in cornib. more Prophetarũ regna huius mundi inſinuari: poteſt ſublimitas humanæ mentis ſiue bona ſeu reproba cornuũ vocabulo deſignari; & cornua ſunt in manibus Chriſti, *quia ipſe eſt Rex Regum, & Dominus do-* 1. Tim. 6. *minantium.* Cornua ſunt in manibus eius, vt hunc humi- H lians & hunc exaltans omnia cornua peccatorum, quib. inaniter extolluntur, confringat. Et exaltentur cornua iuſti, deſideria videlicet Deo deuota, quib. impiorum vitiorumq; certamina cuncta ſuperare contendunt. Quod autem iuxta Lxx. legimus. *Et poſuit dilectionẽ fortẽ virtutis ſuæ.* Etiam hoc de Chriſto intelligẽdum, quod Deus Pater idcirco aperuit cœlos virtute ſua, & terrã repleuerit laude & ſplendorẽ ſuũ fecerit eſſe, vt lumen, & regnũ poſuerit in manu filij ſui, vt faceret dilectum ſuum ab omnib. diligi, & diligi non leuiter, ſed vehementer & fortiter, vt qui eum fortiter dilexiſſent, & hærerẽt in dilectione eius nemo tolleret eos de manu illius: è contrario Diabolus facit amare nos mundum, & pro dilectione virtutis diligere vitia, & non leuiter, ſed fortiter, ita vt de nobis poſsit dici, & poſuit Diabolus dilectionem fortem vi-

tiorum

A tiorum ſuorum; Sed & hoc quod iuxta quædam exemplaria ita legitur. *Poſuit caritatem firmam fortitudinis ſua,* ſignificans, quod intima quidem caritate ſancti & ante paſsionem diligebant fortitudinem Chriſti, ſed hæc ipſa caritas firma non erat, vſque dum paſsione & reſurrectione ſua completa, gratiam eius S. Spiritus plenius daret, tunc verò in tantum firma facta eſt, vt nec ipſa cornu eorum, regum videlicet inſolentium potentia poſſet infringere.

Ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius.

Hic verſus iuxta Hebraicam veritatem ita legitur, quē B. Hieronymus ita expoſuit, dicens: Tradunt Hebræi, quomodo in Euangelio princeps Dæmonum dicitur eſſe Belzebub, ita Reſeph Dæmonis eſſe nomen, qui principatum teneat inter alios, & propter nimiam velocitatem atq; in diuerſa diſcurſum auis & volatile nuncupetur, ipſumq; eſſe, qui in paradiſo ſub figura ſerpentis mulieri ſit locutus, & ex maledictione, qua à Deo condemnatus eſt, accepiſſe nomen: ſiquidem Reſeph reptans ventre B interpretatur. Hoc eſt ergo, quod dicitur, ſtatim, vt venerit Dominus, & Iordane fuerit baptizatus, & ad colūbæ deſcenſum vox patris intonuerit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, (Matth. 3.) exeunti de aquis occurret Diabolus, & ante pedes illius ſtabit mors, vt coluber antiquus, quadraginta diebus tentabit eum in ſolitudine. Si autem iuxta Lxx. legimus. *Ante faciem eius ibit Verbum & egredietur in campos.* Hoc ſignificat, q; ſermo Dei ante viſitationē eius, quæ nunc allegoricè facies dicitur, præcedat & ire parat corda credentium, vt praua in rectum & inæqualia ſternat in planum, & auditoris anima quaſi confectus ager ſementem poſsit recipere ſpiritalem, antequam veniret in carnem Dominus, præceſſerunt verba Prophetarum, quæ ei venturo teſtimonium ferrent: Et hæc eadem verba exierunt in campos, quando prædicantibus Apoſtolis totum ſunt diuulgata per orbem, nō ſolum autem in Propheticis literis verbum prædicationis Dominum præceſsit, ſed & in Apoſtolis, cum aduentum Chriſti in carne completum mundo euangelizabāt. C Verbum faciem eius præijt, quia nimirum primo doctrina veritatis ad aures eorum, qui inſtituendi ſunt, peruenit, ac deinde fides & intellectus verbi corda illuſtrat, ac Deo inhabitatore dignas efficit.

Stetit & menſus eſt terram, aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi, incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.

Stans Saluator & cuncta perſpiciens, & oculis ſuis vniuerſitatem mundi metiens, gentium multitudinē diſſipauit, quibus diſsipatis & diſſolutis contriti ſunt montes huius ſæculi, & incuruati ſunt colles huius mundi. Sunt enim & alij montes & colles, quos ſalit & tranſilit ſponſus in Cantico Canticorum, de quib. & in ſecundo (Pſal. 120.) graduum Pſalmo dicitur: *Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi.* Montes autem ſæculi ipſi ſunt, qui & montes tenebroſi, de quibus Hieremias præcepit, ne im- (Hab. 3.) pingantur pedes noſtri ſuper eos; *Incuruati ſunt*, inquit, *colles mundi*, ante aduentū quippe Saluatoris erecta ceruice gradiebantur, & ſuperbiam eorum humiliare nemo poterat; Contriti autem ſunt & incuruati ab itineribus æternitatis eius, i. Dei, quia æternitas illius ad nos venire D dignata eſt, ſiue quod ſemper à principio mundi vſq; ad incarnationē ſuam venerit ad Sanctos & factus ſit in ſingulorum manu ſermo Dei, atq; in vniuerſis vincentibus ipſe ſuperarit & æternū eius iter incuruauerit, colles mōteſq; contriuerit: Poſſunt autem montes & Dæmones intelligi, qui verſantur in Hæreticis, & eleuant ſe contra ſcientiam Dei, colles quoq; aliæ Dæmonū fortitudines, quę faciunt homines corporum pulchritudinem, dignitates, diuitias, nobilitatem generis, cæteraq; mundi bona admirari; Licet videre poſt aduentum ſermonis Dei & Dei Patris præſentiam, quomodo humanæ animæ cōmoueantur, & omne quod terrenum eſt diſſoluatur, & cogitationes priſtinæ redigātur ad nihilū, tunc deſtruuntur Dæmones, tunc ſæculi altitudines ad nihilum deducentur, & omnis hæreticorum ſcientia, quæ primum tu-E mebat ad Dei ſermonis aduentum humiliatur, cōteritur atq; conſumitur. Iuxta aliam autem editionem ita legitur. *Pedes eius ſteterunt & mota eſt terra, aſpexit & defluxerūt gentes, confracti ſunt montes vehementer, defluxerunt colles æternales.* Cum n. prædicante Doctore, veſtigia veritatis in mente figuntur auditoris, mox ipſa mens in ſui conſideratione turbata commouetur; poſſunt autem pedes Domini non inconuenienter ipſi Doctores, per quos verbū miniſtratur, accipi; quoniam ille, qui per ſe ipſum vbiq; præſens eſt, per hos quaſi per pedes ſuos in mundum fertur vniuerſum. Stant autem in pedes & mouetur terra, quia quo doctores ſancti fortius in prædicanda & cuſtodienda veritate perſiſtunt, eo citius ſe terrenorum corda ad agēdam pro erratibus ſuis pœnitentiam incutiunt; & quoniam eadem actio pœnitentiæ nequaquam homini prædicanti, ſed inluſtranti eſt gratiæ tribuenda, quod eſt apertè dicere: Miſertus eſt Dominus & pœnituerunt gentes, quo videlicet intuitu aſpexit & Petrum cum negaſſet, & ille compunctus memoria ſui peccati mox defluxit in lacrymas. Montes ſuperbos dicit & de huius ſæ- F culi vel regno vel ſapientia, vel diuitijs ſe extollentes, qui Domino aſpiciente non ſolum confracti, ſed vehementer confracti ſunt, quando illo miſerante nonnulli ex talibus, non tantum inanem ſuperbamq; altitudinem deſerebant, verumetiam eandē viuendo ſimul ac prædicando impugnabant. Deniq; Saulus & Matthæus montes erant, hic de ſapientia literæ carnalis, ille de mammona iniquitatis elatus, ſed dum vterque ad humilitatis magiſterium conuerſus Chriſti eſt factus diſcipulus; Montes vtiq; ſunt vehementer confracti; Collium nomine ſicut & montium ſuperbi exprimuntur homines. Sed fortaſſe minore faſtu elationis inflati, nec tamen à reatu tumoris alieni, ideoq; ſalubriter inclinādi, vt à Domino mereantur erigi, qui recte colles æternales vocantur, quia dum temporaliter humiliati à ſuperbiæ tumore defluunt in æternum glorificari eriguntur ab eo, qui ait. *Et omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* (Luc. 14.) Sequitur in eadem Editione. *Itinera æternitatis eius præ laboribus vidi.* Itinera ſunt temporalitatis Domini, quibus venit in mundum, vt ad tempus appareret hominibus. Itinera autem æternitatis eius, quibus re- G licto corporaliter mundo redijt ad patrem, cum quo æternaliter manſit etiam, cum temporaliter conuerſaretur in mundo: quæ nimirum itinera deſiderauit ipſe cum adpropians Paſsioni dicebat patri. *Ego te clarificaui ſuper* (Ioan. 17.) *terrā opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* Hæc de itineribus adſumtæ temporalitatis, ſtatimq; de itineribus æternitatis adiūxit. *Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet apud te.* Hęc autem itinera æternitatis Propheta præ laboribus vidit, Incarnationis videlicet & Paſsionis, de quibus ſupra dictum eſt. *Deus à Libano ſiue ab auſtro veniet & cornua ſunt in manibus eius*, aliaque huiuſmodi, quæ in hoc eodem Cantico plurima inueniuntur.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

Lxx. *Pro laboribus viri tabernacula Aethiopum pauebunt & tabernacula terra Madian.* Æthiopes tetri & amantes tenebras & ab omni luce alieni, qui draconis carne veſcuntur, de quo ſcriptum eſt, *Dediſti eum eſcam populis Aethiopibus*, (Pſal. 73.) Dæmones intelliguntur, quorum fit tabernaculum, H quicunque in hoc ſæculo propter honores & diuitias laborauerit, quod ſignificanter ſub vno verbo iniquitatis oſtenditur. Omnis enim diues aut iniquus aut hæres iniqui eſt. Vide homines maria tranſire, ante potentum excubare fores, pati omnia, quæ ſeruorum conditio vix patitur, vt diuitias congregent, vt aliquam accipiant dignitatem, & poſtquam hoc fuerint conſecuti, tradere ſe luxuriæ & voluptatibus & omni iniquitati, vt quod auaritia congregauit, luxuria conſumat. Iſti ergo pro laboribus ſuis efficiuntur hoſpitium dæmonum, & qui templum Dei eſſe debebant, fiunt tabernacula Æthiopum: ſed & hoc, quod ſequitur, turbabuntur pelles terræ Madian, eoſdem intellige tabernacula Æthiopum & tabernacula terræ Madian. Madian autem in lingua noſtra ſonat ex iudicio, id eſt, in condemnationem, & o-

A minibus ſcindetur terra. Cum carnalium verbis corda doctrinæ ſalutaris irrigata duritiam ſuæ infidelitatis ſeſe humiliando conterunt ſinumque internæ cogitationis, qui male clauſus fuerat ad accipienda ſalutiferæ increpationis ſiue exhortationis dicta patefaciunt.

Viderunt te Deus & doluerunt montes, gurges aquarum tranſiit, dedit abyſſus vocem ſuam. altitudo manus ſuas leuauit, Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſta tua, in fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes, egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo, percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum vſq; ad collum ſemper.

Solam noſtram editionem poſuimus, vt iuxta eam, id eſt, iuxta Hebraicam texentes conſequentiam loci, poſtea lxx. commaticè per capitula diſſeramus; Viderunt te Deus & doluerunt montes, excelſa ſcilicet regna & ſublimes huius ſeculi poteſtates, & quadrigæ quatuor in Zacharia, quæ egrediuntur de montibus æreis. Hæc te viderunt & intremuerunt, & gurges aquarum tranſiit, hoc eſt, omnis eorum impetus & perſecutio, qua vexabant populū tuum, poſtquam te viderunt, tranſiit. tunc
B abyſſus, hoc eſt, inferi laudauerunt te, tunc etiam ſuperi, id eſt angeli in plauſum ſuis manibus concreparunt & victorem veluti geſtu quodam & tripudio eleuatarum manuum demonſtrarunt. Sol tuus & Luna & omnis ſplendor, quo prius inluxeras populo tuo & malorum poſtea pondere vniuerſa fuerant tenebrarum horrore cooperta receperunt lumen ſuum & priſtinum habuere fulgorem. Sagittæ tuæ & fulgurans haſta tua, id eſt, plagæ tuæ, & eruditio lumen tuo populo præbuerunt. Deniq; in luce ſagittarum tuarum & in ſplendore haſtæ tuæ, quæ eos ad hoc corripuit, vt emendaret, ambulauit populus tuus in fremitu tuo. Quando ergo populi tui vindicabis iniuriā, terrena regna calcabis, & omnes gentes admirari facies, quia egreſſus es in ſalutem populi tui & veniſti ad eos cū Chriſto tuo; Ieſus enim Saluator interpretatur. Veniente autem Ieſu Chriſto filio tuo, percuſſiſti Antichriſtum de domo impii, hoc eſt, in hoc ſeculo, q. in maligno poſitū eſt, ſiue ipſum Diabolum percuſſiſti, qui impietatis caput eſt, & denudaſti fundamentum eius vſque ad collum, id
C eſt, abſcondita eius aperta feciſti non ad breue tempus, ſed in perpetuum, hoc enim ſignificat Sela, id eſt, ſemper. Quod vero iuxta aliam editionem legitur.

Videbunt te & dolebunt populi.

Talis eſt ſenſus, ſciſſa quippe peccantium corda ad agnitionem confeſſionemque veritatis crebra allocutione docentium quaſi abluuione frequentium gurgitum vident Dominum interim per fidem & dolent ſe tam diu ab illo receſſiſſe per culpam, ſed finito dolore pœnitentię, vident eum plenius in futuro per ſpeciem, ac de eius beata in perpetuum viſione lætantur. Sequitur.

Aſpergens aquas in itineribus ſuis, dedit abyſſus vocem ſuam ab altitudine phantaſia ſua.

Iidem doctores abyſſi nomine qui & fluminum ſupra figurantur. Sed flumina ſunt propter vim fortioris inuectionis, qua duritiam terrenæ mentis ad agendam pro erratibus ſuis pœnitentiam reſcindunt. Abyſſus vero rectè vocantur ab altitudine ſcientię, qua ipſi intus implentur,
Prou. 18. Salomone atteſtante qui ait: *Aqua profunda verba ex ore viri.* Aſpergens ergo aquas in itineribus, dat abyſſus vo-
D cem ſuam, cum Prædicatores ſancti profunda veritatis ſcientia intus in corde repleti miniſterium verbi foris audientibus exhibent, paulatim & per partes pro capacitate infirmorum proferentes, quæ ipſi intus multa ſimul & ampla capiunt, in itineribus autem, in operibus dicit vel ipſorum videlicet doctorum, vel auditorum ſuorum. Aſpergunt enim aquas in itineribus ſuis, cum vbicunq; incedunt exempla rectè viuendi cum voce prædicationis ſemper intuentibus oſtendunt. Aſpergunt aquas & in itineribus intuentium, cum eis docendo pariter & viuendo, quibus actionum viis ingredi debeant prǽmonſtrant. Bene autem, cum dixiſſet, q. daret abyſſus vocem ſuam, addidit ab altitudine phantaſiæ ſuæ, quia, q. nobis mirabile ſancti prædicatores foras pronuntiant, ex eo nimirū fonte ſapientiæ procedit, quo intus ipſi mirabilius con-
E templatis cæleſtibus gaudiis inluſtrantur. An non abyſſus magna dedit vocem ſuam ab altitudine phantaſiæ ſuę,
2. Cor. 6. cum diceret Paulus Apoſtolus: *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthi, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis. anguſtiamini autem in viſceribus veſtris, tanquam filiis dico dilatamini & vos.* Vnde autem vel quo ordine prouenerit, vt ſalutaribus aquis mundus aſpergeretur, vtq; abyſſus ſapientiæ cœleſtis terris intonuerit, ſequenter oſtenditur cum dicitur.

Eleuatus eſt Sol & Luna ſtetit in ordine ſuo.

Eleuatus eſt enim Dominus, Sol videlicet iuſtitiæ, poſt paſſionem ac reſurrectionem ſuam in cœlum, & miſſo à Patre Spiritu inluſtrauit Eccleſiam, ac totum dilatauit in orbem, vt ipſa in ordine ſuo, i. poſt impletum Dominicæ incarnationis arcanum à longo perfidiæ languore exſurgens ſtaret in fide, viriliter ageret, & confortaretur in caritate ipſius. Et quia ſoli Chriſtum, Eccleſiam lunæ comparauerat, aptè ad eundem ſolem conuerſus continuo ſubiecit.

In lumine iacula tua ibunt in ſplendore fulgoris armorū tuorū.

F Iacula autem Chriſti verba ſunt illius, quibus corda hominum compunguntur, vt ſalutari vulnere inflicto, poſſit anima fidelis dicere, vulnerata caritate ego ſum, quæ videlicet iacula in lumine eunt, quia miniſterio doctorum veritatis verba mundo palam innotuerunt, iuxta q.
Luc. 12. ipſa veritas eiſdem præcipit dicens: *Quæ dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure audiſtis prædicate ſuper tecta;* Et quoniam eloquia lucis ſecuta eſt etiam claritas miraculorum addidit, in ſplendore fulgoris armorum tuorū: iaculis quippe bellantes aduerſarios feriunt, armis muniendo ſeſe à vulnere defendunt. Vnde in iaculis merito dicta prædicantium, quibus prauitatem infidelium ſuperant, in armis miracula, quibus veritatem ſuæ prædicationis confirmant, inſinuantur. Eunt ergo in lumine iacula Chriſti, eunt in ſplendore fulgoris armorum illius; quia q̄ fecit magnalia, quæ aperuit arcana, quæ propoſuit mandata, quæ promiſit præmia, cuncto iam mundo per euangelicas literas ſole clarius innotuere. Sed & ſancti doctores, quia filii lucis ſunt quæq; illo donante agunt ſiue loquuntur, luce nimirum ac ſplendore clara refulgent.

G *In comminatione tua minorabis terram & in furore tuo.*

Detrahes gentes comminando diſtrictionem iudicii, quo impii damnentur, humiliabis ſalubriter eos, qui terrena cæleſtib. anteponere ſolebāt, vt minoratis paulatim terrenis cupiditatibus, q̄ ſurſum ſunt ſapere & quærere incipiant, & inferendo furorē condemnabis eos in perpetuū, q. ęterna ſua exaltatione ad tēpus humiliari cōtēpſerūt.

Exiſti in ſalutem populi tui vt ſaluos facias Chriſtos tuos.

Exiuit mediator Dei & hominum à patre & venit in mundū, non vt iudicaret mundū, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum. Chriſtos autem omnes electos dicit, qui ab vnctione gratię ſpiritalis rectiſsime hoc vocabulo nuncupantur. Vnde eſt illud pſalmiſtę de his, qui ſanctis nocere volentes diuina ſunt prohibitione coerciti. Et corripuit
Pſal. 104. pro eis reges: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Saluos autem fecit Chriſtos ſuos, non quos Chriſtos inuenit, ſed quos egrediendo à patre & in carne apparendo per adoptionis Spiritum Chriſtos, i.e. vnctos ſuos fecit. De qua vnctione
1. Ioan. 2. monens ſuos auditores Iohannes Apoſtolus dicit: *Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.*

H *Miſiſti in capita inimicorum mortem, excitaſti vincula vſque ad ceruices.*

Dominus enim occidit peccatum, mittens in capita inimicorum mortem, vt viuificet iuſtitiæ. Dicam aliquid audacius; Chriſtus ad hoc venit in mundum, vt in capita inimicorum mitteret mortem, & ſicut ipſe peccato mortuus eſt ſemel, ſic & illi morerentur iniquitati, & qui facti fuerant participes mortis, huius vitæ quoq; fierent participes. Suſcitauit Dominus vincula caritatis, vt priori onere depoſito, & grauiſsimo iugo, quo premebantur, abiecto, leue Chriſti ſuſciperemus iugū, vt in curru illis poſiti aurigam optimum portaremus, q. & aliter intelligi poteſt: qui enim electis ſuis, quos Chriſtos appellauerat per Prophetā gaudium ſalutis obtulit; ipſe illis, qui eius vngi gratia neglexerunt, mortem miſit æternam, quod in

A ipſa gente Iudæorum, quæ Dominum in carne apparentem ad mortem vſque perſecuta eſt, etiam corporaliter eſſe conſtat impletum, quæ poſtquam eum crucifixit nõ multis interuenientibus annis, ingruente Romano exercitu, exceptis ſolum eis, qui in fidem ſe Euangelicæ gratiæ ſecreuerant, enormi eſt clade damnata, & ipſa inſuper regno ac patria priuata. Et hoc eſt, quod ait: *excitaſti vincula vſq; ad ceruicem*, ceruicem videlicet regni, quo contra Dominum fuerant erecti, de quo dicit eiſdem in ſe etiam furentibus beatiſſimus Protomartyr Stephanus, *Act. 7.* *dura ceruice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis.* Sed ad hanc vſque ceruicem vincula Dominus excitauit, cum ad euerſionem ſuperbæ gentis hoſtilem miſit exercitum. Vnde ſcriptum eſt: *Pſal. 128.* *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.*

Maledixiſti ſceptris eius, capita bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me, exultatio eorum ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum: Audiui & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſsibus B *meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

Et nunc tantum Hebraicum poſui, vt ſeparatim de editione lxx. diſſeramus. Multum enim ab omnium tranſlatione diſcordat lxx. Maledixiſti ſceptris, id eſt, regnis eius, haud dubium quin impii, de quo ſupra dixerat, percuſſiſti caput de domo impii, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Intelligimus autem impium vel Nabuchodonoſor, vel omnem aduerſarium populi Dei, & non ſolum ſceptris eius, ſed etiam capita bellatorũ, quos percuſſerat, qui venerunt, inquit, vt turbo, vt diſpergerent me, id eſt, verterent Iſrael, & in diuerſum captiuum ducerent, ita vt exultarent deuorantes pauperem, & ſubiectum ſibi Iſrael, quaſi hoc in abſcondito facerent, & nos ignorantes deuorarent. Veniſti itaque ad prælium pro populo tuo, & quadrigas tuas immittens in aquas, hoc eſt, in gentes multas, feciſti eis viam in luto aquarum multarum, id eſt, vt conculces eos & quaſi lutum equorum tuorum, & curruum vngula & rota conteras. Quod autem ſequitur: *Audiui & conturbatus eſt venter meus ad* C *vocem*, vt ſubaudiatur contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateant, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Hic ſenſus eſt, nunc libenter omnes patimur anguſtias & ad comminationem tuam totis viſceribus contremiſcimus, nunc tremunt labia mea, & pauor mentis trepidæ in ore ſignatur, & non ſolum iſtud, ſed etiam aliud vltro appeto, vltro deſidero; ingrediatur putredo in oſsibus meis & ſupter me ſcateat, hoc eſt, libenter patior, quod paſſus eſt Iob, non ſolum carnes meas, ſed medullas quoque oſsium cupio tabeſieri, & ſtratum meum putredine corporis & innumeris ſcatere vermibus, vt poſtquam hic pro peccatis meis hæc ſuſtinuero, requieſcam in die amara, in die tribulationis, in die neceſsitatis & anguſtiæ: & aſcendam ad populum accinctum noſtrum, fortem videlicet bellatorem atque pugnacem, & pulchre aſcendam, ad accinctum enim populum ſemper aſcenditur, eleganterque noſtrum, qui enim tribulatus eſt & preſſuras libenter ſuſtinuit & præſentibus malis futura præmia compenſauit, noſtrum au- D dacter loquitur, vt iuxta Abraham, & iſaac, & Iacob, & ipſe dormiat in ſenectute bona plenus dierum & adponatur ad patres ſuos. alia editio.

Præcidiſti in alienatione capita potentium, mouebuntur in ea gentes.

Pro alienatione in Græco ſcriptum eſt in extaſi. quod quidã in ſtupore, alii in exceſſu mentis interpretati ſunt: ſiue autem ſtupor, ſiue alienatio, ſeu exceſſus mentis dicatur, vnum idemque ſignificat, cum quis repentino miraculo turbatus ac ſtupefactus à ſenſu ſuæ mentis redditur alienus, quod accidiſſe Iudæis crebra Euangelii prodit hiſtoria dicens. Quod ſtuperent & mirarentur in do- *Ioan. 6.* ctrina ac virtutibus Ieſu dicentes: *Vnde huic hæc omnia, cuius nouimus patrem & matrem?* Et in Actibus Apoſtolorum curato per Petrum & Iohannem claudo ad oſtium E templi: *Impleti ſunt*, inquit, *ſtupore & extaſi*, in qua videli- *Act. 3.* cet extaſi, id eſt, admiratione ſiue alienatione mẽtis multi de populo prouocati ſunt ad credendum Domino, ſed capita potentium, id eſt, principes ſacerdotum & ſeniores præciſi ſunt non credendo à ſorte fidelium; motæ ſunt quoque in ea gentes, dum auditis, ſiue viſis Domini & Apoſtolorum eius virtutibus, adeò ſtupefactæ & admiratæ ſunt, vt anathematizatis abiectiſque eis, quos coluere diis nouam Chriſti fidem deuota mente ſuſciperent.

Adaperient ora ſua ſicut pauper edens in occulto.

Sicut enim pauper aliquamdiu ieiunus permanens, ſi forte alicubì cibos inuenerit, his ſe confeſtim in occulto reficere ſatagit, neque eos in publicum vult proferre, ne forte ab alio diripiantur, & ipſe fame pereat: ſic nimirum, ſic populi gentium, oblato ſibi per Apoſtolos pane verbi, à quo diutius ieiuni durauerant, mox aperuerunt ora ſui cordis, & hunc omni auiditate guſtare cæperunt. Quo autem ordine paupertas gentium ad percipiendas verbi F epulas peruenerit inſinuatur, cum protinus ſubinfertur.

Miſiſti in mare equos tuos turbantes aquas multas.

Mare quippe mundum, equos Dei Prædicatores ſanctos, aquas multas, populos nationum dicit; immiſsiſque equis Dei in mare turbatæ ſunt aquæ multæ, quia diſperſis in mundum præconibus verbi turbata ſunt gentium corda, alia ad credendum ac ſuſcipiendum Sacramentum fidei, alia vero ad contradicendum, ſiue etiam perſequẽdos præcones eiuſdem fidei. Bene autem de his equis, ſanctis videlicet prædicatoribus & ſupra dicitur: quoniam aſcendens aſcendes ſuper equos tuos, & nunc de eiſdem ſubinfertur, miſiſti in mare equos tuos, vt ex vtraque ſententia colligatur, quod ita Dominus in mundum Prædicatores miſerit, vt eiſdem prædicantibus ipſe nunquam abſit, ſed ſicut equis auriga, ita regendis ſemper eorum mentibus præſit.

Cuſtodiuit & expauit venter meus à voce orationis labiorum eorum.

Ventrem ſuum more Prophetis conſueto animum ſuum dicit; quia ſicut ventre recipiuntur cibi, quibus G virtus ac vita corporis reficiatur; ita cogitationes piæ ſancto recipiuntur in animo, quibus interioris hominis vita, ne deficere debeat, ſuſtentetur & contineatur. cuſtodiui, inquit, meipſum tremente animo ſolertius, ne forte corde peccarem, neue aliis prædicans, ipſe reprobus efficerer. Et notandum, quod expauiſſe ſe dicit à voce orationis labiorum ſuorum, cum nil prorſus oraſſe in toto hoc carmine videatur; ſed tantummodo timens ac pauens ventura Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta deſcribere. Nec tamen fallitur, qui carmen ſuum orationem nuncupat, qui & eidem talem titulum propoſuit. Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorationibus, quia quicquid vir ſanctus loquitur, totum profecto hoc oratio ad Deum eſt: omne quod agitis, cuius ſincera intentio eſt Domino placendi, hoc pro ipſo apud Dominum interpellat & ipſum Domino commendat.

Et introiuit tremor in oſſa mea.

Sicut carnis nomine aliquotiens Scriptura carnales noſtras actiones, ita oſsium vocabulo fortia ſolet ac ſpiritualia facta deſignare. Expauit ergo, inquit, cor meum ab his quæ ventura in mundum præuideo, & quicquid H mihi virtutis ſpiritualis eſſe putaui, totum hoc quaſi fragile contremuit, dum maiores Chriſti, beatorum Apoſtolorum & virtutes & paſsiones aſpicio, quod ipſum verbo ſequente manifeſtius explicatur, cum dicitur.

Et ſubtus me turbata eſt virtus mea.

Bene autem virtutem ſuam non in ſe, ſed ſubter ſe dicit eſſe turbatam, quia raptus ad contemplationem cœleſtium arcanorum Propheta quodammodo ſuper ſe eſſe vidit eleuatum, & quo altior efficitur lumine contemplationis, eo ſe imperfectiorem conſpicit: ſubleuatus enim ad intuenda ſuperna, iure de his, quæ in infimis geſſerat, conturbatur. Turbata eſt autem virtus Prophetæ, contremuerunt oſſa, expauit venter, non ſolum quia minus perfectum ſe actione cognouit; Verum etiam quia

A omnes, qui pie vellent viuere in Chriſto perſecutiones
paſſuros didicit. Sed & ipſum Chriſtum, qui ſine peccato
intraret in mundum, non ſine pœna peccati exiturum vi-
dit eſſe de mundo.

*Requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum
tranſmigrationis meæ.*

Requieſcit enim in die non ſolum retributionis, ſed &
tribulationis, quia per afflictiones temporales æterna ſe
Rom. 8. gaudia aucturum eſſe nō dubitat iuxta illud Apoſtoli. *Spe
Rom. 10. enim ſalui facti ſumus.* Et iterum: *Spe gaudentes, in tribula-
tione patientes.* Hæc eſt autem in hac vita requies electo-
rum, vt, relicto infimorum appetitu, tota mentis inten-
tione & quotidianis bonorum operum greſſibus aſcen-
dere ac tranſmigrare nitantur ad conſortium eorum, qui
ſe in Chriſto præceſſerant; ſed & ante nouiſſimum illud
ac generale iudicium ſancti requieſcunt in die tribulatio-
nis aſcendentes ad populum tranſmigrationis ſuæ, quan
do poſt bona opera tranſlati de mundo priorum iuſto-
rum gaudiis ſociantur in cœlis, cum perſecutores eorum
pariter de hac vita ſublati tormenta gehennæ perpetuo
B tribulandi ſubeant. Poteſt autem dies tribulationis et-
iam in hac vita intelligi, cum graueſcente temporalium
bonorum penuria, hi qui talia dilexerant nimium quaſi
miſeriis circumdati dolent: ſed electus quiſque, quam-
uis eadem incommoda corporaliter ſuſtinens, fixa ſpe
mentis in Domino, requiem habet ſciens quia quo gra-
uius in infimis deprimitur, eo celſius poſt preſſuras ad æ-
terna ſuperiorum ciuium conſortia aſcendit, cui ſenſui
conuenit apte, quod ſequitur.

*Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis, mentietur
opus oliuæ & arua non adferent cibum, abſcidetur de ouili pecus
& non erit armentum in præſepibus.*

LXX. *Quoniam ficus non adfert fructum & non erit gene-
ratio in vineis, mentietur opus oliuæ & campi non facient eſcas,
defecerunt ab eſca oues, & non erunt in præſepio boues.*

Iuxta Hebraicum, in quo ſupra diximus, ingrediatur
putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſ-
cam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accin-
ctum meum, ita quę præceſſerunt, copulabuntur ſequen-
tibus, ideo tribulationem ad præſens volui ſuſtinere, &
C poſtea ad populum fortem aſcendere, quia veniet dies
tribulationis & neceſſitatis: & cæteris in anguſtia conſti-
tutis, ego in tua maieſtate lætabor: ficus non florebit,
& non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & ar-
ua non adferent cibum, & cætera, quæ quia non mul-
tum diſtant à lxx. cum interpretatione eorum pariter diſ-
ſeramus. Cum venerit dies tribulationis & ego aſcendero
ad populum, qui mecum aliquando peregrinatus eſt, vel
certe, cum venerit dies euerſionis Iudaicæ & populi prio-
ris, & derelicta fuerit filia Syon, ſicut tabernaculum in vi-
nea, & ſicut caſula in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ
expugnatur, eo quidem pereunte electus ſum populo, de
Rom. 9. quo dictum eſt: *Et niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, qua-
ſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles fuiſſemus.* Co-
pulabo me diſcipulis Chriſti, quos quia in monte docet,
turbis & debilibus deorſum relictis, ego ad montana
conſcendam. Hi autem verſus, ſi quis quærat, quid figu-
raliter ſignificent, ita poteſt exponi: Ficus, vinea & oli-
ua erat ſynagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ
operationis, flagrantiam feruidæ dilectionis, pinguedi-
D nem animi miſericordis Deo deuota proferebat. Oues
& boues typici erāt in eadem plebe, oues videlicet in eis,
qui vocem ſummi paſtoris humiliter audiebant. Boues
vero in illis, qui iugum legis nauiter portantes ad facien-
dos bonorum operum fructus, corda audientium ſedulo
docendo & caſtigando quaſi terram Domini arando pa-
rabant, hiſque ſpiritaliter viuentibus, ſpiritales faciebant
eſcas campi Scripturarum diuinarum latiſſimi, quorum
pabulo delectabatur ille, qui vt iumentum factus erat a-
Pſal. 22. pud Deum & ſemper illi adhærebat dicens: *Dominus regit
me & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Sed hæc
ficus Domino ad eam tertio veniente, hoc eſt, in legiſla-
tione per Moyſen, in ſedula increpatione & exhortatio-
ne per Prophetas, in oblatione gratiæ per ſeipſum virtu-
tis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictio-
nem eius æterna ariditate damnata eſt, defecit generatio E
in vineis quondam Domini, id eſt, fructus caritatis in tur-
bis Iudæorum, propter quod ſitienti illi acetum pro vi-
no obtulerunt, id eſt, virtutum ſuauitatem in ſe quærenti
vitiorum acredinem proferebant, mentiebatur opus o-
liuæ, cum eadem plebs oleo adolationis impinguaret ca-
pita miſerorum, doctaq; Prophetæ veracia falſo ore reſo-
naret dicens: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſpe-* Pſal. 51.
raui in miſericordia Dei. Propter quod tempore vltimæ re-
tributionis extinctas allatura lampadas, & cum ſuis te-
nebris ab ingreſſu eſt patriæ cœleſtis excludenda. Campi
non faciunt eſcas, cum plebs eadem apertis diuinorum
apicum paginis paſcua veritatis inuenire recte intelligen-
do non valet; deficiunt ab eſca oues, quia quibus internæ
refectio dulcedinis abeſt, vnde innocentia vitæ ſimplicis
proueniat, non eſt. Sic autem dictum eſt, defecerunt ab
eſca oues, id eſt, quia eſca deerat, ſicut & in Pſalmo Pro-
pheta: *Et caro mea*, inquit, *immutata eſt propter oleum*, id eſt, Pſal. 108.
quia oleum, quo reficeretur ſiue vngeretur non erat. Deniq;
quidam codices ſic habent, defecerunt, eo quod non co-
mederunt oues; non ſunt in præſepio boues, quoniam F
quidem abundant apud Iudæos præſepia cœleſtium lite-
rarum, ſed quia pabulum cœleſtis intellectus in his non
ſapiunt, qui ſuaue iugum Euangelii baiulent abſunt, quæ
omnia perfide parti gentis ſuę ſuperuentura conſiderans
Propheta ſtatim, quid ipſe cum fidelibus eiuſdem gentis,
imo cum totius, quę per orbem colligenda in Chriſto, vel
collecta erat, Eccleſię ſocietate facturus eſſet oſtendit di-
cens:

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Alia editio: *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo
Ieſu meo.*

Ego autem, inquiens, non in mea iuſtitia, ſed in fide
diuinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo:
qui non in me meam, ſed in illo ſalutem eſſe perpendo, &
quaſi quæreremus ab eo, quare gloriaretur in Domino &
in Deo Ieſu, quem ſuum proprium magnæ dilectionis
gratia nuncupabat, gauderet, continuo velut iuſtiſsimā
eiuſdem gaudii cauſam inſinuans, ita ſuum carmen ter-
minauit.

Deus Dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quaſi ceruo- G
rum & ſuper excelſa mea deducet me victori in Pſalmis canentē.

Deus, inquit, Dominus fortitudo mea nullam etiam
aliam, niſi in Chriſto, habebo virtutem & cunctas legis iu-
ſtitias quiſquilias computabo, & ponet pedes meos quaſi
ceruorum, vt calcem ſuper aſpidem & baſiliſcum, &
quaſi puer paruulus mittam in foramen & extraham ſer-
pentem Iudam de colubro. Similis enim fratruelis meus
capreæ aut Hinulo ceruorum, & quia ipſe eſt ceruus, mi-
hi quoque donauit, vt ceruus eſſem ſublimis cornibus
findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum
ſerpentes fugiant, de quo dicitur in Pſalmo: *Qui perfecit* Pſal. 28.
pedes meos quaſi cerui & ſuper excelſa ponet me. Et rurſus:
Vox Domini perficientis ceruos. Ponet ergo pedes meos in-
ter cæteros ceruos ſuos & ad cœleſtia perducet me, vt
inter Angelos canam gloriam Domini & ſuper terram
pacem hominibus bonæ voluntatis adnuntiem. Canam
autem victoriam eius & triumphum & trophæum cru-
cis. Secundum aliam autem editionem hæc Prophetica
ſententia ita legitur.

Domine Deus virtus mea conſtitue pedes meos in conſumma- H
tionem & ſuper excelſa ſtatuet me, vt vincam in claritate ipſius.

Ac ſi aperte dicat: ſubtus me quidem turbata eſt vir-
tus mea, id eſt, dum humanæ fragilitatis conditionem
quæ infra eſt, intueor, ac dum ad diuinæ opitulationis
gratiam oculos mentis adtollo, in illo me virtutem face-
re poſſe confido: ipſe greſſus operum meorum ad con-
ſummationem firmi finis perducere valet: ipſe me ſu-
per excelſa ſtatuere, vt videlicet omnem mundanæ po-
tentiæ ſublimitatem contemplatione perenniū bonorū
ꝓ nihili contemnam, oēs quæ mihi vel de aduerſis, vel de
blandimētis ſeculi occurrunt temptationes vincā in cla-
ritate ipſius, i. dū in omnibus, q̄ ago, non meā gloriā, ſed i-
pſius q̄ro, à quo me accepiſſe memini quicquid boni ago;
merito. n. adiuuantur à Domino, vt victis tēptationib. ꝓ-

bati

A ipſa gente Iudæorum, quæ Dominum in carne apparentem ad mortem vſque perſecuta eſt, etiam corporaliter eſſe conſtat impletum, quæ poſtquam eum crucifixit nõ multis interuenientibus annis, ingruente Romano exercitu, exceptis ſolum eis, qui in fidem ſe Euangelicæ gratiæ fecerant, enormi eſt clade damnata, & ipſa inſuper regno ac patria priuata. Et hoc eſt, quod ait: *excitaſti vincula vſq; ad ceruicem*, ceruicem videlicet regni, quo contra Dominum fuerant erecti, de quo dicit eiſdem in ſe etiam furentibus beatiſſimus Protomartyr Stephanus,
Act. 7. *dura ceruice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis.* Sed ad hanc vſque ceruicem vincula Dominus excitauit, cum ad euerſionem ſuperbæ gentis
Pſal. 128. hoſtilem miſit exercitum. Vnde ſcriptum eſt: *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.*

Maledixiſti ſceptris eius, capita bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me, exultatio eorum ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum. Audiui & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus
B *meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

Et nunc tantum Hebraicum poſui, vt ſeparatim de editione lxx. diſſeramus. Multum enim ab omnium translatione diſcordat lxx. Maledixiſti ſceptris, id eſt, regnis eius, haud dubium quin impij, de quo ſupra dixerat, percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Intelligimus autem impium vel Nabuchodonoſor, vel omnem aduerſarium populi Dei, & non ſolum ſceptris eius, ſed etiam capita bellatorũ, quos percuſſerat, qui venerunt, inquit, vt turbo, vt diſpergerent me, id eſt, verterent Iſrael, & in diuerſum captiuum ducerent, ita vt exultarent deuorantes pauperem, & ſubiectum ſibi Iſrael, quaſi hoc in abſcondito facerent, & nos ignorantes deuorarent. Veniſti itaque ad prælium pro populo tuo, & quadrigas tuas immittens in aquas, hoc eſt, in gentes multas, feciſti eis viam in luto aquarum multarum, id eſt, vt conculces eos & quaſi lutum equorum tuorum, & curruum vngula & rota conteras. Quod
C autem ſequitur: *Audiui & conturbatus eſt venter meus ad vocem*, vt ſubaudiatur contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateant, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Hic ſenſus eſt, nunc libenter omnes patimur anguſtias & ad comminationem tuam totis viſceribus contremiſcimus, nunc tremunt labia mea, & pauor mentis trepidæ in ore ſignatur, & non ſolum iſtud, ſed etiam aliud vltro appeto, vltro deſidero; ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, hoc eſt, libenter patior, quod paſſus eſt Iob, non ſolum carnes meas, ſed medullas quoque oſſium cupio tabefieri, & ſtratum meum putredine corporis & innumeris ſcatere vermibus, vt poſtquam hic pro peccatis meis hæc ſuſtinuero, requieſcam in die amara, in die tribulationis, in die neceſſitatis & anguſtiæ: & aſcendam ad populum accinctum noſtrum, fortem videlicet bellatorem atque pugnacem, & pulchre aſcendam, ad accinctum enim populum ſemper aſcenditur, eleganterque noſtrum, qui enim tribulatus eſt & preſſuras libenter ſuſtinuit & præſentibus malis futura præmia compenſauit, noſtrum au-
D dacter loquitur, vt iuxta Abraham, & Iſaac, & Iacob, & ipſe dormiat in ſenectute bona plenus dierum & adponatur ad patres ſuos. alia editio.

Præcidiſti in alienatione capita potentium, mouebuntur in ea gentes.

Pro alienatione in Græco ſcriptum eſt in extaſi, quod quidã in ſtupore, alij in exceſſu mentis interpretati ſunt: ſiue autem ſtupor, ſiue alienatio, ſeu exceſſus mentis dicatur, vnum idemque ſignificat, cum quis repentino miraculo turbatus ac ſtupefactus à ſenſu ſuæ mentis redditur alienus, quod accidiſſe Iudæis crebra Euangelii prodit hiſtoria dicens. Quod ſtuperent & mirarentur in do-
Ioan. 6. ctrina ac virtutibus Ieſu dicentes: *Vnde huic hæc omnia, cuius nouimus patrem & matrem?* Et in Actibus Apoſtolorum curato per Petrum & Iohannem claudo ad oſtium

templi: *Impleti ſunt*, inquit, *ſtupore & extaſi*, in qua videlicet extaſi, id eſt, admiratione ſiue alienatione mẽtis multi de populo prouocati ſunt ad credendum Domino, ſed capita potentium, id eſt, principes ſacerdotum & ſeniores præciſi ſunt non credendo à ſorte fidelium; motæ ſunt quoque in ea gentes, dum audiris ſiue viſis Domini & Apoſtolorum eius virtutibus, adeò ſtupefactæ & admiratæ ſunt, vt anathematizatis abiectiſque eis, quos coluere diis nouam Chriſti fidem deuota mente ſuſciperent. E Act. 3.

Adaperient ora ſua ſicut pauper edens in occulto.

Sicut enim pauper aliquamdiu ieiunus permanens, ſi forte alicubi cibos inuenerit, his ſe confeſtim in occulto reficere fatagit, neque eos in publicum vult proferre, ne forte ab alio diripiantur, & ipſe fame pereat: ſic nimirum, ſic populi gentium, oblato ſibi per Apoſtolos pane verbi, à quo diutius ieiuni durauerant, mox aperuerunt ora ſui cordis, & hunc omni auiditate guſtare cæperunt. Quo autem ordine paupertas gentium ad percipiendas verbi epulas peruenerit inſinuatur, cum protinus ſubinfertur. F

Miſiſti in mare equos tuos turbantes aquas multas.

Mare quippe mundum, equos Dei Prædicatores ſanctos, aquas multas, populos nationum dicit; immiſiſque equis Dei in mare turbatæ ſunt aquæ multæ, quia diſperſis in mundum præconibus verbi turbata ſunt gentium corda, alia ad credendum ac ſuſcipiendum Sacramentum fidei, alia vero ad contradicendum, ſiue etiam perſequẽdos præcones eiuſdem fidei. Bene autem de his equis, ſanctis videlicet prædicatoribus & ſupra dicitur: quoniam aſcendens aſcendes ſuper equos tuos, & nunc de eiſdem ſubinfertur, miſiſti in mare equos tuos, vt ex vtraque ſententia colligatur, quod ita Dominus in mundum Prædicatores miſerit, vt eiſdem prædicantibus ipſe nunquam abſit, ſed ſicut equis auriga, ita regendis ſemper eorum mentibus præſit.

Cuſtodiui & expauit venter meus à voce orationis labiorum eorum.

Ventrem ſuum more Prophetis conſueto animum ſuum dicit; quia ſicut ventre recipiuntur cibi, quibus virtus ac vita corporis reficiatur; ita cogitationes piæ G ſancto recipiuntur in animo, quibus interioris hominis vita, ne deficere debeat, ſuſtentetur & contineatur. cuſtodiui, inquit, meipſum tremente animo ſolertius, ne forte corde peccarem, neue aliis prædicans, ipſe reprobus efficerer. Et notandum, quod expauiſſe ſe dicit à voce orationis labiorum ſuorum, cum nil prorſus oraſſe in toto hoc carmine videatur; ſed tantummodo timens ac pauens ventura Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta deſcribere. Nec tamen fallitur, qui carmen ſuum orationem nuncupat, qui & eidem talem titulum propoſuit. Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorationibus, quia quicquid vir ſanctus loquitur, totum profecto hoc oratio ad Deum eſt: omne quod agitis, cuius ſincera intentio eſt Domino placendi, hoc pro ipſo apud Dominum interpellat & ipſum Domino commendat.

Et introiuit tremor in oſſa mea.

Sicut carnis nomine aliquoties Scriptura carnales noſtras actiones, ita oſſium vocabulo fortia ſolet ac ſpiritualia facta deſignare. Expauit ergo, inquit, cor meum ab his quæ ventura in mundum præuideo, & quicquid mihi virtutis ſpiritualis eſſe putaui, totum hoc quaſi fragile contremuit, dum maiores Chriſti, beatorum Apoſtolorum & virtutes & paſſiones aſpicio, quod ipſum verbo ſequente manifeſtius explicatur, cum dicitur. H

Et ſubtus me turbata eſt virtus mea.

Bene autem virtutem ſuam non in ſe, ſed ſubter ſe dicit eſſe turbatam, quia raptus ad contemplationem cœleſtium arcanorum Propheta quodammodo ſuper ſe eſſe vidit eleuatum, & quo altior efficitur lumine contemplationis, eo ſe imperfectiorem conſpicit: ſubleuatus enim ad intuenda ſuperna, iure de his, quæ in infimis geſſerat, conturbatur. Turbata eſt autem virtus Prophetæ, contremuerunt oſſa, expauit venter, non ſolum quia minus perfectum ſe actione cognouit; Verum etiam quia

omnes,

Digitized by Google

A omnes, qui pie vellent viuere in Chriſto perſecutiones paſſuros didicit. Sed & ipſum Chriſtum, qui ſine peccato intraret in mundum, non ſine pœna peccati exiturum vidit eſſe de mundo.

Requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum tranſmigrationis meæ.

Requieſcit enim in die non ſolum retributionis, ſed & tribulationis, quia per afflictiones temporales æterna ſe
Rom. 8. gaudia aucturum eſſe nō dubitat iuxta illud Apoſtoli. *Spe*
Rom. 10. *enim ſalui facti ſumus.* Et iterum: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Hæc eſt autem in hac vita requies electorum, vt, relicto infimorum appetitu, tota mentis intentione & quotidianis bonorum operum greſſibus aſcendere ac tranſmigrare nitantur ad conſortium eorum, qui ſe in Chriſto præceſſerant; ſed & ante nouiſſimum illud ac generale iudicium ſancti requieſcunt in die tribulationis aſcendentes ad populum tranſmigrationis ſuæ, quando poſt bona opera tranſlati de mundo priorum iuſtorum gaudiis ſociantur in cœlis, cum perſecutores eorum pariter de hac vita ſublati tormenta gehennæ perpetuo
B tribulandi ſubeant. Poteſt autem dies tribulationis etiam in hac vita intelligi, cum graueſcente temporalium bonorum penuria, hi qui talia dilexerant nimium quaſi miſeriis circumdati dolent: ſed electus quiſque, quamuis eadem incommoda corporaliter ſuſtinens, fixa ſpe mentis in Domino, requiem habet ſciens quia quo grauius in infimis deprimitur, eo celſius poſt preſſuras ad æterna ſuperiorum ciuium conſortia aſcendit, cui ſenſui conuenit apte, quod ſequitur.

Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, abſcidetur de ouili pecus & non erit armentum in præſepibus.

LXX. *Quoniam ficus non adfert fructum & non erit generatio in vineis, mentietur opus oliuæ & campi non facient eſcas, defecerunt ab eſca oues, & non erunt in præſepio boues.*

Iuxta Hebraicum, in quo ſupra diximus, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum meum, ita quę pręceſſerunt, copulabuntur ſequentibus, ideo tribulationem ad præſens volui ſuſtinere, &
C poſtea ad populum fortem aſcendere, quia veniet dies tribulationis & neceſſitatis: & cæteris in anguſtia conſtitutis, ego in tua maieſtate lætabor: ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, & cætera, quæ quia non multum diſtant à lxx. cum interpretatione eorum pariter diſſeramus. Cum venerit dies tribulationis & ego aſcendero ad populum, qui mecum aliquando peregrinatus eſt, vel certe, cum venerit dies euerſionis Iudaicæ & populi prioris, & derelicta fuerit filia Syon, ſicut tabernaculum in vinea, & ſicut caſula in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ expugnatur, eo quidem pereunte electus ſum populo, de
Rom. 9. quo dictum eſt: *Et niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles fuiſſemus.* Copulabo me diſcipulis Chriſti, quos quia in monte docet, turbis & debilibus deorſum relictis, ego ad montana conſcendam. Hi autem verſus, ſi quis quærat, quid figuraliter ſignificent, ita poteſt exponi: Ficus, vinea & oliua erat ſynagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis, flagrantiam feruidæ dilectionis, pinguedinem animi miſericordis Deo deuota proferebat. Oues
D & boues typici erāt in eadem plebe, oues videlicet in eis, qui vocem ſummi paſtoris humiliter audiebant. Boues vero in illis, qui iugum legis nauiter portantes ad faciendos bonorum operum fructus, corda audientium ſedulo docendo & caſtigando quaſi terram Domini arando parabant, hiſque ſpiritaliter viuentibus, ſpiritales faciebant eſcas campi Scripturarum diuinarum latiſſimi, quorum pabulo delectabatur ille, qui vt iumentum factus erat a-
Pſal. 22. pud Deum & ſemper illi adhærebat dicens: *Dominus regit me & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Sed hæc ficus Domino ad eam tertio veniente, hoc eſt, in legiſlatione per Moyſen, in ſedula increpatione & exhortatione per Prophetas, in oblatione gratiæ per ſeipſum virtutis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictio-

nem eius æterna ariditate damnata eſt, defecit generatio in vineis quondam Domini, id eſt, fructus caritatis in turbis Iudæorum, propter quod ſitienti illi acetum pro vino obtulerunt, id eſt, virtutum ſuauitatem in ſe quærenti vitiorum acredinem proferebant, mentiebatur opus oliuæ, cum eadem plebs oleo adolationis impinguaret capita miſerorum, ductaq; Prophetæ veracia falſo ore reſonaret dicens: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei.* Pſal. 51. Propter quod tempore vltimæ retributionis extinctas allatura lampadas, & cum ſuis tenebris ab ingreſſu eſt patriæ cœleſtis excludenda. Campi non faciunt eſcas, cum plebs eadem apertis diuinorum apicum paginis paſcua veritatis inuenire recte intelligendo non valet; deficiunt ab eſca oues, quia quibus internæ refectio dulcedinis abeſt, vnde innocentia vitæ ſimplicis proueniat, non eſt. Sic autem dictum eſt, defecerunt ab eſca oues, id eſt, quia eſca deerat, ſicut & in Pſalmo Pro-
pheta: *Et caro mea*, inquit, *immutata eſt propter oleum*, id eſt, Pſal. 108.
quia oleum, quo reficeret ſiue vngerer non erat. Deniq; quidam codices ſic habent, defecerunt, eo quod non comederunt oues: non ſunt in præſepio boues, quoniam F quidem abundant apud Iudæos præſepia cœleſtium literarum, ſed quia pabulum cœleſtis intellectus in his non ſapiunt, qui ſuaue iugum Euangelii baiulent abſunt, quæ omnia per fide parti gentis ſuę ſuperuentura conſiderans Propheta ſtatim, quid ipſe cum fidelibus eiuſdem gentis, imo cum totius, quę per orbem colligenda in Chriſto, vel collecta erat, Eccleſię ſocietate facturus eſſet oſtendit dicens:

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Alia editio: *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo.*

Ego autem, inquiens, non in mea iuſtitia, ſed in fide diuinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo: qui non in me meam, ſed in illo ſalutem eſſe perpendo, & quaſi quæreremus ab eo, quare gloriaretur in Domino & in Deo Ieſu, quem ſuum proprium magnæ dilectionis gratia nuncupabat, gauderet, continuo velut iuſtiſsimā eiuſdem gaudii cauſam inſinuans, ita ſuum carmen terminauit.

Deus Dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quaſi ceruorum & ſuper excelſa mea deducet me victori in Pſalmis canentē. G

Deus, inquit, Dominus fortitudo mea nullam etiam aliam, niſi in Chriſto, habebo virtutem & cunctas legis iuſtitias quiſquilias computabo, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, vt calcem ſuper aſpidem & baſiliſcum, & quaſi puer paruulus mittam in foramen & extraham ſerpentem Iudam de colubro. Similis enim fratruelis meus capreæ aut Hinulo ceruorum, & quia ipſe eſt ceruus, mihi quoque donauit, vt ceruus eſſem ſublimis cornibus findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum
ſerpentes fugiant, de quo dicitur in Pſalmo: *Qui perfecit* Pſal. 28.
pedes meos quaſi cerui & ſuper excelſa ponet me. Et rurſus: *Vox Domini perficientis ceruos.* Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos ſuos & ad cœleſtia perducet me, vt inter Angelos canam gloriam Domini & ſuper terram pacem hominibus bonæ voluntatis adnuntiem. Canam autem victoriam eius & triumphum & trophæum crucis. Secundum aliam autem editionem hæc Prophetica ſententia ita legitur.

Domine Deus virtus mea conſtitue pedes meos in conſummationem & ſuper excelſa ſtatuet me, vt vincam in claritate ipſius. H

Ac ſi aperte dicat: ſubtus me quidem turbata eſt virtus mea, id eſt, dum humanæ fragilitatis conditionem quæ infra eſt, intueor, ac dum ad diuinæ opitulationis gratiam oculos mentis adtollo, in illo me virtutem facere poſſe confido: ipſe greſſus operum meorum ad conſummationem firmi finis perducere valet: ipſe me ſuper excelſa ſtatuere, vt videlicet omnem mundanæ potentiæ ſublimitatem contemplatione perenniū bonorū ꝓ nihili contemnam, oēs quæ mihi vel de aduerſis, vel de blandimētis ſeculi occurrunt temptationes vincā in claritate ipſius, i. dn̄i in omnibus, q̄ ago, non meā gloriā, ſed ipſius q̄ro, à quo me accepiſſe memini quicquid boni ago, merito. n. adiuuantur à Domino, vt victis tēptationib. ꝓ-

bati

A ipſa gente Iudæorum, quæ Dominum in carne apparentem ad mortem vſque perſecuta eſt, etiam corporaliter eſſe conſtat impletum, quæ poſtquam eum crucifixit nõ multis interuenientibus annis, ingruente Romano exercitu, exceptis ſolum eis, qui in fidem ſe Euangelicæ gratiæ ſeceſſerant, enormi eſt clade damnata, & ipſa inſuper regno ac patria priuata. Et hoc eſt, quod ait: *excitaſti vincula vſq; ad ceruicem*, ceruicem videlicet regni, quo contra Dominum fuerant erecti, de quo dicit eiſdem in ſe etiam furentibus beatiſſimus Protomartyr Stephanus, Act. 7. *dura ceruice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis.* Sed ad hanc vſque ceruicem vincula Dominus excitauit, cum ad euerſionem ſuperbæ gentis Pſal. 128. hoſtilem miſit exercitum. Vnde ſcriptum eſt: *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.*

Maledixiſti ſceptris eius, capita bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me, exultatio eorum ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum. Audiui & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus B *meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

Et nunc tantum Hebraicum poſui, vt ſeparatim de editione lxx. diſſeramus. Multum enim ab omnium tranſlatione diſcordat lxx. Maledixiſti ſceptris, id eſt, regnis eius, haud dubium quin impii, de quo ſupra dixerat, percuſſiſti caput de domo impii, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Intelligimus autem impium vel Nabuchodonoſor, vel omnem aduerſarium populi Dei, & non ſolum ſceptris eius, ſed etiam capita bellatorũ, quos percuſſerat, qui venerunt, inquit, vt turbo, vt diſpergerent me, id eſt, verterent Iſrael, & in diuerſum captiuum ducerent, ita vt exultarent deuorantes pauperem, & ſubiectum ſibi Iſrael, quaſi hoc in abſcondito facerent, & nos ignorantes deuorarent. Veniſti itaque ad prælium pro populo tuo, & quadrigas tuas immittens in aquas, hoc eſt, in gentes multas, feciſti eis viam in luto aquarum multarum, id eſt, vt conculces eos & quaſi lutum equorum tuorum, & currum vngula & rota conteras. Quod autem ſequitur: *Audiui & conturbatus eſt venter meus ad* C *vocem*, vt ſubaudiatur contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateant, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Hic ſenſus eſt, nunc libenter omnes patimur anguſtias & ad comminationem tuam totis viſceribus contremiſcimus, nunc tremunt labia mea, & pauor mentis trepidæ in ore ſignatur, & non ſolum iſtud, ſed etiam aliud vltro appeto, vltro deſidero; ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſupter me ſcateat, hoc eſt, libenter patior, quod paſſus eſt Iob, non ſolum carnes meas, ſed medullas quoque oſſium cupio tabeſieri, & ſtratum meum putredine corporis & innumeris ſcatere vermibus, vt poſtquam hic pro peccatis meis hæc ſuſtinuero, requieſcam in die amara, in die tribulationis, in die neceſsitatis & anguſtiæ: & aſcendam ad populum accinctum noſtrum, fortem videlicet bellatorem atque pugnacem, & pulchre aſcendam, ad accinctum enim populum ſemper aſcenditur, eleganterque noſtrum, qui enim tribulatus eſt & preſſuras libenter ſuſtinuit & præſentibus malis futura præmia compenſauit, noſtrum au- D dacter loquitur, vt iuxta Abraham, & Iſaac, & Iacob, & ipſe dormiat in ſenectute bona plenus dierum & adponatur ad patres ſuos. alia editio.

Præcidiſti in alienatione capita potentium, mouebuntur in ea gentes.

Pro alienatione in Græco ſcriptum eſt in extaſi. quod quidã in ſtupore, alii in exceſſu mentis interpretati ſunt: ſiue autem ſtupor, ſiue alienatio, ſeu exceſſus mentis dicatur, vnum idemque ſignificat, cum quis repentino miraculo turbatus ac ſtupefactus à ſenſu ſuæ mentis redditur alienus, quod accidiſſe Iudæis crebra Euangelii prodit hiſtoria dicens. Quod ſtuperent & mirarentur in do- Ioan. 6. ctrina ac virtutibus Ieſu dicentes: *Vnde huic hæc omnia, cuius nouimus patrem & matrem?* Et in Actibus Apoſtolorum curato per Petrum & Iohannem claudo ad oſtium templi: *Impleti ſunt*, inquit, *ſtupore & extaſi*, in qua videli- E Act. 3. cet extaſi, id eſt, admiratione ſiue alienatione mẽtis multi de populo prouocati ſunt ad credendum Domino, ſed capita potentium, id eſt, principes ſacerdotum & ſeniores præciſi ſunt non credendo à ſorte fidelium; motæ ſunt quoque in ea gentes, dum auditis, ſiue viſis Domini & Apoſtolorum eius virtutibus, adeò ſtupefactæ & admiratæ ſunt, vt anathematizatis abiectiſque eis, quos coluere diis nouam Chriſti fidem deuota mente ſuſciperent.

Adaperient ora ſua ſicut pauper edens in occulto.

Sicut enim pauper aliquamdiu ieiunus permanens, ſi forte alicubi cibos inuenerit, his ſe confeſtim in occulto reficere ſatagit, neque eos in publicum vult proferre, ne forte ab alio diripiantur, & ipſe fame pereat: ſic nimirum, ſic populi gentium, oblato ſibi per Apoſtolos pane verbi, à quo diutius ieiuni durauerant, mox aperuerunt ora ſui cordis, & hunc omni auiditate guſtare cœperunt. Quo autem ordine paupertas gentium ad percipiendas verbi F epulas peruenerit inſinuatur, cum protinus ſubinfertur.

Miſiſti in mare equos tuos turbantes aquas multas.

Mare quippe mundum, equos Dei Prædicatores ſanctos, aquas multas, populos nationum dicit; immiſsiſque equis Dei in mare turbatæ ſunt aquæ multæ, quia diſperſis in mundum præconibus verbi turbata ſunt gentium corda, alia ad credendum ac ſuſcipiendum Sacramentum fidei, alia vero ad contradicendum, ſiue etiam perſequẽdos præcones eiuſdem fidei. Bene autem de his equis, ſanctis videlicet prædicatoribus & ſupra dicitur: quoniam aſcendens aſcendes ſuper equos tuos, & nunc de eiſdem ſubinfertur, miſiſti in mare equos tuos, vt ex vtraque ſententia colligatur, quod ita Dominus in mundum Prædicatores miſerit, vt eiſdem prædicantibus ipſe nunquam abſit, ſed ſicut equis auriga, ita regendis ſemper eorum mentibus præſit.

Cuſtodiuit & expauit venter meus à voce orationis labiorum eorum.

Ventrem ſuum more Prophetis conſueto animum ſuum dicit; quia ſicut ventre recipiuntur cibi, quibus G virtus ac vita corporis reficiatur; ita cogitationes piæ ſancto recipiuntur in animo, quibus interioris hominis vita, ne deficere debeat, ſuſtenetur & contineatur. cuſtodiui, inquit, meipſum tremente animo ſolertius, ne forte corde peccarem, neue aliis prædicans, ipſe reprobus efficeret. Et notandum, quod expauiſſe ſe dicit à voce orationis labiorum ſuorum, cum nil prorſus oraſſe in toto hoc carmine videatur; ſed tantummodo timens ac pauens ventura Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta deſcribere. Nec tamen fallitur, qui carmen ſuum orationem nuncupat, qui & eidem talem titulum propoſuit. Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorationibus, quia quicquid vir ſanctus loquitur, totum profecto hoc oratio ad Deum eſt: omne quod agitis, cuius ſincera intentio eſt Domino placendi, hoc pro ipſo apud Dominum interpellat & ipſum Domino commendat.

Et introiuit tremor in oſſa mea.

Sicut carnis nomine aliquotiens Scriptura carnales noſtras actiones, ita oſsium vocabulo fortia ſolet ac ſpiritualia facta deſignare. Expauit ergo, inquit, cor meum ab his quæ ventura in mundum præuideo, & quicquid H mihi virtutis ſpiritualis eſſe putaui, totum hoc quaſi fragile contremuit, dum maiores Chriſti, beatorum Apoſtolorum & virtutes & paſsiones aſpicio, quod ipſum verbo ſequente manifeſtius explicatur, cum dicitur.

Et ſubtus me turbata eſt virtus mea.

Bene autem virtutem ſuam non in ſe, ſed ſubter ſe dicit eſſe turbatam, quia raptus ad contemplationem cœleſtium arcanorum Propheta quodammodo ſuper ſe eſſe vidit eleuatum, & quo altior efficitur lumine contemplationis, eo ſe imperfectiorem conſpicit: ſubleuatus enim ad intuenda ſuperna, iure de his, quæ in infimis geſſerat, conturbatur. Turbata eſt autem virtus Prophetæ, contremuerunt oſſa, expauit venter, non ſolum quia minus perfectum ſe actione cognouit; Verum etiam quia

A omnes, qui pie vellent viuere in Chriſto perſecutiones paſſuros didicit. Sed & ipſum Chriſtum, qui ſine peccato intraret in mundum, non ſine pœna peccati exiturum vidit eſſe de mundo.

Requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum tranſmigrationis meæ.

Requieſcit enim in die non ſolum retributionis, ſed & tribulationis, quia per afflictiones temporales æterna ſe
Rom. 8. gaudia aucturum eſſe nō dubitat iuxta illud Apoſtoli. *Spe*
Rom. 10. *enim ſalui facti ſumus.* Et iterum: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Hæc eſt autem in hac vita requies electorum, vt, relicto infimorum appetitu, tota mentis intentione & quotidianis bonorum operum greſſibus aſcendere ac tranſmigrare nitantur ad conſortium eorum, qui ſe in Chriſto præceſſerant; ſed & ante nouiſſimum illud ac generale iudicium ſancti requieſcunt in die tribulationis aſcendentes ad populum tranſmigrationis ſuæ, quando poſt bona opera tranſlati de mundo priorum iuſtorum gaudiis ſociantur in cœlis, cum perſecutores eorum pariter de hac vita ſublati tormenta gehennæ perpetuo
B tribulandi ſubeant. Poteſt autem dies tribulationis etiam in hac vita intelligi, cum graueſcente temporalium bonorum penuria, hi qui talia dilexerant nimium quaſi miſeriis circumdati dolent: ſed electus quiſque, quamuis eadem incommoda corporaliter ſuſtinens, fixa ſpe mentis in Domino, requiem habet ſciens quia quo grauius in infimis deprimitur, eo celſius poſt preſſuras ad æterna ſuperiorum ciuium conſortia aſcendit, cui ſenſui conuenit apte, quod ſequitur.

Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, abſcidetur de ouili pecus & non erit armentum in præſepibus.

LXX. *Quoniam ficus non adfert fructum & non erit generatio in vineis, mentietur opus oliuæ & campi non faciunt eſcas, defecerunt ab eſca oues, & non erunt in præſepio boues.*

Iuxta Hebraicum, in quo ſupra diximus, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum meum, ita quę prçceſſerunt, copulabuntur ſequentibus, ideo tribulationem ad præſens volui ſuſtinere, &
C poſtea ad populum fortem aſcendere, quia veniet dies tribulationis & neceſſitatis: & cæteris in anguſtia conſtitutis, ego in tua maieſtate lætabor: ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, & cætera, quæ quia non multum diſtant à lxx. cum interpretatione eorum pariter diſſeramus. Cum venerit dies tribulationis & ego aſcendero ad populum, qui mecum aliquando peregrinatus eſt, vel certe, cum venerit dies euerſionis Iudaicæ & populi prioris, & derelicta fuerit filia Syon, ſicut tabernaculum in vinea, & ſicut caſula in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ expugnatur, eo quidem pereunte electus ſum populo, de
Rom. 9. quo dictum eſt: *Et niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles fuiſſemus.* Copulabo me diſcipulis Chriſti, quos quia in monte docet, turbis & debilibus deorſum relictis, ego ad montana conſcendam. Hi autem verſus, ſi quis quærat, quid figuraliter ſignificent, ita poteſt exponi: Ficus, vinea & oliua erat ſynagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis, flagrantiam feruidæ dilectionis, pinguedi-
D nem animi miſericordis Deo deuota proferebat. Oues & boues typici erāt in eadem plebe, oues videlicet in eis, qui vocem ſummi paſtoris humiliter audiebant. Boues vero in illis, qui iugum legis nauiter portantes ad faciendos bonorum operum fructus, corda audientium ſedulo docendo & caſtigando quaſi terram Domini arando parabant, hiſque ſpiritaliter viuentibus, ſpiritales faciebant eſcas campi Scripturarum diuinarum latiſſimi, quorum pabulo delectabatur ille, qui vt iumentum factus erat a-
Pſal. 22. pud Deum & ſemper illi adhærebat dicens: *Dominus regit me & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Sed hæc ficus Domino ad eam tertio veniente, hoc eſt, in legiſlatione per Moyſen, in ſedula increpatione & exhortatione per Prophetas, in oblatione gratiæ per ſeipſum virtutis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictio-

E nem eius æterna ariditate damnata eſt. defecit generatio in vineis quondam Domini, id eſt, fructus caritatis in turbis Iudæorum, propter quod ſitienti illi acetum pro vino obtulerunt, id eſt, virtutum ſuauitatem in ſe quærenti vitiorum acredinem proferebant, mentiebatur opus oliuæ, cum eadem plebs oleo adolationis impinguaret capita miſerorum, ductaq; Propheta veracia falſo ore reſonaret dicens: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſpe-* Pſal. 51.
rans in miſericordia Dei. Propter quod tempore vltimæ retributionis extinctas allatura lampadas, & cum ſuis tenebris ab ingreſſu eſt patriæ cœleſtis excludenda. Campi non faciunt eſcas, cum plebs eadem apertis diuinorum apicum paginis paſcua veritatis inuenire recte intelligendo non valet; deficiunt ab eſca oues, quia quibus internæ refectio dulcedinis abeſt, vnde innocentia vitæ ſimplicis proueniat, non eſt. Sic autem dictum eſt, defecerunt ab eſca oues, id eſt, quia eſca deerat, ſicut & in Pſalmo Pro-
pheta: *Et caro mea, inquit, immutata eſt propter oleum,* id eſt, Pſal. 108.
quia oleum, quo reficerer ſiue vngerer non erat. Deniq; quidam codices ſic habent, defecerunt, eo quod non comederunt oues: non ſunt in præſepio boues, quoniam F
quidem abundant apud Iudæos præſepia cœleſtium literarum, ſed quia pabulum cœleſtis intellectus in his non ſapiunt, qui ſuaue iugum Euangelii baiulent abſunt, quæ omnia perfide parti gentis ſuę ſuperuentura conſiderans Propheta ſtatim, quid ipſe cum fidelibus eiuſdem generis, imo cum totius, quę per orbem colligenda in Chriſto, vel collecta erat, Eccleſię ſocietate facturus eſſet oſtendit dicens:

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Alia editio: *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo.*

Ego autem, inquiens, non in mea iuſtitia, ſed in fide diuinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo: qui non in me meam, ſed in illo ſalutem eſſe perpendo, & quaſi quæreremus ab eo, quare gloriaretur in Domino & in Deo Ieſu, quem ſuum proprium magnæ dilectionis gratia nuncupabat, gauderet, continuo velut iuſtiſſimā eiuſdem gaudii cauſam inſinuans, ita ſuum carmen terminauit.

Deus Dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quaſi ceruorum & ſuper excelſa mea deducet me victori in Pſalmis canentē. G

Deus, inquit, Dominus fortitudo mea nullam etiam aliam, niſi in Chriſto, habebo virtutem & cunctas legis iuſtitias quiſquilias computabo, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, vt calcem ſuper aſpidem & baſiliſcum, & quaſi puer paruulus mittam in foramen & extraham ſerpentem Iudam de colubro. Similis enim fratruelis meus capreæ aut Hinulo ceruorum, & quia ipſe eſt ceruus, mihi quoque donauit, vt ceruus eſſem ſublimis cornibus findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum ſerpentes fugiant, de quo dicitur in Pſalmo: *Qui perfecit* Pſal. 18.
pedes meos quaſi cerui & ſuper excelſa ponet me. Et rurſus: *Vox Domini perficientis ceruos.* Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos ſuos & ad cœleſtia perducet me, vt inter Angelos canam gloriam Domini & ſuper terram pacem hominibus bonæ voluntatis adnuntiem. Canam autem victoriam eius & triumphum & trophæum crucis. Secundum aliam autem editionem hæc Prophetica ſententia ita legitur.

Domine Deus virtus mea conſtitue pedes meos in conſummationem & ſuper excelſa ſtatuet me, vt vincam in claritate ipſius. H

Ac ſi aperte dicat: ſubtus me quidem turbata eſt virtus mea, id eſt, dum humanæ fragilitatis conditionem quæ infra eſt, intueor, ac dum ad diuinæ opitulationis gratiam oculos mentis adtollo, in illo me virtutem facere poſſe confido: ipſe greſſus operum meorum ad conſummationem firmi finis perducere valet: ipſe me ſuper excelſa ſtatuere, vt videlicet omnem mundanæ potentiæ ſublimitatem contemplatione perenniū bonorū ꝑ nihili contemnam, oēs quæ mihi vel de aduerſis, vel de blandimētis ſeculi occurrunt temptationes vincā in claritate ipſius, i. dū in omnibus, q̄ ago, non meā gloriā, ſed ipſius q̄ro, à quo me accepiſſe memini quicquid boni ago; merito. n. adiuuantur à Domino, vt victis tēptationib. ꝑ-

bati

A Ipſa gente Iudæorum, quæ Dominum in carne apparentem ad mortem vſque perſecuta eſt, etiam corporaliter eſſe conſtat impletum, quæ poſtquam eum crucifixit nō multis interuenientibus annis, ingruente Romano exercitu, exceptis ſolum eis, qui in fidem ſe Euangelicæ gratiæ ſecreuerant, enormi eſt clade damnata, & ipſa inſuper regno ac patria priuata. Et hoc eſt, quod ait: *excitaſti vincula vſq; ad ceruicem*, ceruicem videlicet regni, quo contra Dominum fuerant erecti, de quo dicit eiſdem in ſe etiam furentibus beatiſſimus Protomartyr Stephanus,
Act 7. *dura ceruice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis.* Sed ad hanc vſque ceruicem vincula Dominus excitauit, cum ad euerſionem ſuperbæ gentis
Pſal. 128. hoſtilem miſit exercitum. Vnde ſcriptum eſt: *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.*

Maledixiſti ſceptris eius, capita bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me, exultatio eorum ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum: Audiui & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus B *meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

Et nunc tantum Hebraicum poſui, vt ſeparatim de editione lxx. diſſeramus. Multum enim ab omnium tranſlatione diſcordat lxx. Maledixiſti ſceptris, id eſt, regnis eius, haud dubium quin impii, de quo ſupra dixerat, percuſſiſti caput de domo impii, denudaſti fundamentum vſque ad collum. Intelligimus autem impium vel Nabuchodonoſor, vel omnem aduerſarium populi Dei, & non ſolum ſceptris eius, ſed etiam capita bellatorū, quos percuſſerat, qui venerunt, inquit, vt turbo, vt diſpergerent me, id eſt, verterent Iſrael, & in diuerſum captiuum ducerent, ita vt exultarent deuorantes pauperem, & ſubiectum ſibi Iſrael, quaſi hoc in abſcondito facerent, & nos ignorantes deuorarent. Veniſti itaque ad prælium pro populo tuo, & quadrigas tuas immittens in aquas, hoc eſt, in gentes multas, feciſti eis viam in luto aquarum multarum, id eſt, vt conculces eos & quaſi lutum equorum tuorum, & curruum vngula & rota conteras. Quod autem ſequitur: *Audiui & conturbatus eſt venter meus ad*
C *vocem*, vt ſubaudiatur contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateant, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Hic ſenſus eſt, nunc libenter omnes patimur anguſtias & ad comminationem tuam totis viſceribus contremiſcimus, nunc tremunt labia mea, & pauor mentis trepidæ in ore ſignatur, & non ſolum iſtud, ſed etiam aliud vltro appeto, vltro deſidero; ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſupter me ſcateat, hoc eſt, libenter patior, quod paſſus eſt Iob, non ſolum carnes meas, ſed medullas quoque oſſium cupio tabeſieri, & ſtratum meum putredine corporis & innumeris ſcatere vermibus, vt poſtquam hic pro peccatis meis hæc ſuſtinuero, requieſcam in die amara, in die tribulationis, in die neceſsitatis & anguſtiæ: & aſcendam ad populum accinctum noſtrum, fortem videlicet bellatorem atque pugnacem, & pulchre aſcendam, ad accinctum enim populum ſemper aſcenditur, eleganterque noſtrum, qui enim tribulatus eſt & preſſuras libenter ſuſtinuit & præſentibus malis futura præmia compenſauit, noſtrum au-
D dacter loquitur, vt iuxta Abraham, & Iſaac, & Iacob, & ipſe dormiat in ſenectute bona plenus dierum & adponatur ad patres ſuos. alia editio.

Præcidiſti in alienatione capita potentium, mouebuntur in ea gentes.

Pro alienatione in Græco ſcriptum eſt in extaſi. quod quidā in ſtupore, alii in exceſſu mentis interpretati ſunt: ſiue autem ſtupor, ſiue alienatio, ſeu exceſſus mentis dicatur, vnum idemque ſignificat, cum quis repentino miraculo turbatus ac ſtupefactus à ſenſu ſuæ mentis redditur alienus, quod accidiſſe Iudæis crebra Euangelii prodit hiſtoria dicens. Quod ſtuperent & mirarentur in do-
Ioan 6. ctrina ac virtutibus Ieſu dicentes: *Vnde huic hæc omnia, cuius nouimus patrem & matrem?* Et in Actibus Apoſtolorum curato per Petrum & Iohannem claudo ad oſtium

E templi: *Impleti ſunt*, inquit, *ſtupore & extaſi*, in qua videli-
cet extaſi, id eſt, admiratione ſiue alienatione mētis multi de populo prouocati ſunt ad credendum Domino, ſed capita potentium, id eſt, principes ſacerdotum & ſeniores præciſi ſunt non credendo à ſorte fidelium; motæ ſunt quoque in ea gentes, dum auditis, ſiue viſis Domini & Apoſtolorum eius virtutibus, adeò ſtupefactæ & admiratæ ſunt, vt anathematizaris abiectiſque eis, quos coluere diis nouam Chriſti fidem deuota mente ſuſciperent. Act 3.

Adaperient ora ſua ſicut pauper edens in occulto.

Sicut enim pauper aliquamdiu ieiunus permanens, ſi forte alicubi cibos inuenerit, his ſe confeſtim in occulto reficere ſatagit, neque eos in publicum vult proferre, ne forte ab alio diripiantur, & ipſe fame pereat: ſic nimirum, ſic populi gentium, oblato ſibi per Apoſtolos pane verbi, à quo diutius ieiuni durauerant, mox aperuerunt ora ſui cordis, & hunc omni auiditate guſtare cœperunt. Quo autem ordine paupertas gentium ad percipiendas verbi
epulas peruenerit inſinuatur, cum protinus ſubinfertur. F

Miſiſti in mare equos tuos turbantes aquas multas.

Mare quippe mundum, equos Dei Prædicatores ſanctos, aquas multas, populos nationum dicit; immiſſiſque equis Dei in mare turbatæ ſunt aquæ multæ, quia diſperſis in mundum præconibus verbi turbata ſunt gentium corda, alia ad credendum ac ſuſcipiendum Sacramentum fidei, alia vero ad contradicendum, ſiue etiam perſequēdos præcones eiuſdem fidei. Bene autem de his equis, ſanctis videlicet prædicatoribus & ſupra dicitur: quoniam aſcendens aſcendes ſuper equos tuos, & nunc de eiſdem ſubinfertur, miſiſti in mare equos tuos, vt ex vtraque ſententia colligatur, quod ita Dominus in mundum Prædicatores miſerit, vt eiſdem prædicantibus ipſe nunquam abſit, ſed ſicut equis auriga, ita regendis ſemper eorum mentibus præſit.

Cuſtodiuit & expauit venter meus à voce orationis labiorum eorum.

Ventrem ſuum more Prophetis conſueto animum ſuum dicit; quia ſicut ventre recipiuntur cibi, quibus
virtus ac vita corporis reficiatur; ita cogitationes piæ G
ſancto recipiuntur in animo, quibus interioris hominis vita, ne deficere debeat, ſuſtentetur & contineatur. cuſtodiui, inquit, meipſum tremente animo ſolertius, ne forte corde peccarem, neue aliis prædicans, ipſe reprobus efficerer. Et notandum, quod expauiſſe ſe dicit à voce orationis labiorum ſuorum, cum nil prorſus oraſſe in toto hoc carmine videatur; ſed tantummodo timens ac pauens ventura Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta deſcribere. Nec tamen fallitur, qui carmen ſuum orationem nuncupat, qui & eidem talem titulum propoſuit. Oratio Abacuc Prophetæ pro ignorationibus, quia quicquid vir ſanctus loquitur, totum profecto hoc oratio ad Deum eſt: omne quod agitis, cuius ſincera intentio eſt Domino placendi, hoc pro ipſo apud Dominum interpellat & ipſum Domino commendat.

Et introiuit tremor in oſſa mea.

Sicut carnis nomine aliquotiens Scriptura carnales noſtras actiones, ita oſſium vocabulo fortia ſolet ac ſpiritualia facta deſignare. Expauit ergo, inquit, cor meum ab his quæ ventura in mundum præuideo, & quicquid
mihi virtutis ſpiritualis eſſe putaui, totum hoc quaſi fra- H
gile contremuit, dum maiores Chriſti, beatorum Apoſtolorum & virtutes & paſsiones aſpicio, quod ipſum verbo ſequente manifeſtius explicatur, cum dicitur.

Et ſubtus me turbata eſt virtus mea.

Bene autem virtutem ſuam non in ſe, ſed ſubter ſe dicit eſſe turbatam, quia raptus ad contemplationem cœleſtium arcanorum Propheta quodammodo ſuper ſe eſſe vidit eleuatum, & quo altior efficitur lumine contemplationis, eo ſe imperfectiorem conſpicit: ſubleuatus enim ad intuenda ſuperna, iure de his, quæ in infimis geſſerat, conturbatur. Turbata eſt autem virtus Prophetæ, contremuerunt oſſa, expauit venter, non ſolum quia minus perfectum ſe actione cognouit; Verum etiam quia

Digitized by Google

A omnes, qui pie vellent viuere in Chriſto perſecutiones paſſuros didicit. Sed & ipſum Chriſtum, qui ſine peccato intraret in mundum, non ſine pœna peccati exiturum vidit eſſe de mundo.

Requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum tranſmigrationis meæ.

Requieſcit enim in die non ſolum retributionis, ſed & tribulationis, quia per afflictiones temporales æterna ſe gaudia aucturum eſſe nõ dubitat iuxta illud Apoſtoli. *Spe enim ſalui facti ſumus.* Et iterum: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* (Rom. 8. Rom. 10.) Hæc eſt autem in hac vita requies electorum, vt, relicto infimorum appetitu, tota mentis intentione & quotidianis bonorum operum greſſibus aſcendere ac tranſmigrare nitantur ad conſortium eorum, qui ſe in Chriſto præceſſerant; ſed & ante nouiſſimum illud ac generale iudicium ſancti requieſcunt in die tribulationis aſcendentes ad populum tranſmigrationis ſuæ, quando poſt bona opera tranſlati de mundo priorum iuſtorum gaudiis ſociantur in cœlis, cum perſecutores eorum pariter de hac vita ſublati tormenta gehennæ perpetuo

B tribulandi ſubeant. Poteſt autem dies tribulationis etiam in hac vita intelligi, cum graueſcente temporalium bonorum penuria, hi qui talia dilexerant nimium quaſi miſeriis circumdari dolent: ſed electus quiſque, quamuis eadem incommoda corporaliter ſuſtinens, fixa ſpe mentis in Domino, requiem habet ſciens quia quo grauius in infimis deprimitur, eo celſius poſt preſſuras ad æterna ſuperiorum ciuium conſortia aſcendit, cui ſenſui conuenit apte, quod ſequitur.

Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, abſcidetur de ouili pecus & non erit armentum in præſepibus.

LXX. *Quoniam ficus non adfert fructum & non erit generatio in vineis, mentietur opus oliuæ & campi non facient eſcas, defecerunt ab eſca oues, & non erunt in præſepio boues.*

Iuxta Hebraicum, in quo ſupra diximus, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum meum, ita quę præceſſerunt, copulabuntur ſequentibus, ideo tribulationem ad præſens volui ſuſtinere, &

C poſtea ad populum fortem aſcendere, quia veniet dies tribulationis & neceſſitatis: & cæteris in anguſtia conſtitutis, ego in tua maieſtate lætabor: ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, & cætera, quæ quia non multum diſtant à lxx. cum interpretatione eorum pariter diſſeramus. Cum venerit dies tribulationis & ego aſcendero ad populum, qui mecum aliquando peregrinatus eſt, vel certe, cum venerit dies euerſionis Iudaicæ & populi prioris, & derelicta fuerit filia Syon, ſicut tabernaculum in vinea, & ſicut caſula in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ expugnatur, eo quidem pereunte electus ſum populo, de quo dictum eſt: *Et niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles fuiſſemus.* (Rom. 9.) Copulabo me diſcipulis Chriſti, quos quia in monte docet, turbis & debilibus deorſum relictis, ego ad montana conſcendam. Hi autem verſus, ſi quis quærat, quid figuraliter ſignificent, ita poteſt exponi: Ficus, vinea & oliua erat ſynagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis, flagrantiam feruidæ dilectionis, pinguedi-

D nem animi miſericordis Deo deuota proferebat. Oues & boues typici erãt in eadem plebe, oues videlicet in eis, qui vocem ſummi paſtoris humiliter audiebant. Boues vero in illis, qui iugum legis nauiter portantes ad faciendos bonorum operum fructus, corda audientium ſedulo docendo & caſtigando quaſi terram Domini arando parabant, hiſque ſpiritaliter viuentibus, ſpiritales faciebant eſcas campi Scripturarum diuinarum latiſſimi, quorum pabulo delectabatur ille, qui vt iumentum factus erat apud Deum & ſemper illi adhærebat dicens: *Dominus regit me & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit.* (Pſal. 22.) Sed hæc ficus Domino ad eam tertio veniente, hoc eſt, in legislatione per Moyſen, in ſedula increpatione & exhortatione per Prophetas, in oblatione gratiæ per ſeipſum virtutis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictio-

E nem eius æterna ariditate damnata eſt, defecit generatio in vineis quondam Domini, id eſt, fructus caritatis in turbis Iudæorum, propter quod ſitienti illi acetum pro vino obtulerunt, id eſt, virtutum ſuauitatem in ſe quærenti vitiorum acredinem proferebant, mentiebatur opus oliuæ, cum eadem plebs oleo adolationis impinguaret capita miſerorum, ductaq; Prophetæ veracia falſo ore reſonaret dicens: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei.* (Pſal. 51.) Propter quod tempore vltimæ retributionis extinctas allatura lampadas, & cum ſuis tenebris ab ingreſſu eſt patriæ cœleſtis excludenda. Campi non faciunt eſcas, cum plebs eadem apertis diuinorum apicum paginis paſcua veritatis inuenire recte intelligendo non valet; deficiunt ab eſca oues, quia quibus internæ refectio dulcedinis abeſt, vnde innocentia vitæ ſimplicis proueniat, non eſt. Sic autem dictum eſt, defecerunt ab eſca oues, id eſt, quia eſca deerat, ſicut & in Pſalmo Propheta: *Et caro mea*, inquit, *immutata eſt propter oleum*, id eſt, (Pſal. 108.) quia oleum, quo reficeretur ſiue vngeretur non erat. Deniq; quidam codices ſic habent, defecerunt, eo quod non comederunt oues: non ſunt in præſepio boues, quoniam

F quidem abundant apud Iudæos præſepia cœleſtium literarum, ſed quia pabulum cœleſtis intellectus in his non ſapiunt, qui ſuaue iugum Euangelii baiulent abſunt, quæ omnia perfidæ parti gentis ſuę ſuperuentura conſiderans Propheta ſtatim, quid ipſe cum fidelibus eiuſdem gentis, imo cum totius, quę per orbem colligenda in Chriſto, vel collecta erat, Eccleſię ſocietate facturus eſſet oſtendit dicens:

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Alia editio: *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo.*

Ego autem, inquiens, non in mea iuſtitia, ſed in fide diuinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo: qui non in me meam, ſed in illo ſalutem eſſe perpendo, & quaſi quæreremus ab eo, quare gloriaretur in Domino & in Deo Ieſu, quem ſuum proprium magnæ dilectionis gratia nuncupabat, gauderet, continuo velut iuſtiſſimã eiuſdem gaudii cauſam inſinuans, ita ſuum carmen terminauit.

Deus Dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quaſi ceruorum & ſuper excelſa mea deducet me victori in Pſalmis canentẽ.

G Deus, inquit, Dominus fortitudo mea nullam etiam aliam, niſi in Chriſto, habebo virtutem & cunctas legis iuſtitias quiſquilias computabo, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, vt calcem ſuper aſpidem & baſiliſcum, & quaſi puer paruulus mittam in foramen & extraham ſerpentem Iudam de colubro. Similis enim fratruelis meus capreæ aut Hinulo ceruorum, & quia ipſe eſt ceruus, mihi quoque donauit, vt ceruus eſſem ſublimis cornibus findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum ſerpentes fugiant, de quo dicitur in Pſalmo: *Qui perfecit pedes meos quaſi cerui & ſuper excelſa ponet me.* (Pſal. 28.) Et rurſus: *Vox Domini perficientis ceruos.* Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos ſuos & ad cœleſtia perducet me, vt inter Angelos canam gloriam Domini & ſuper terram pacem hominibus bonæ voluntatis adnuntiem. Canam autem victoriam eius & triumphum & trophæum crucis. Secundum aliam autem editionem hæc Prophetica ſententia ita legitur.

H *Domine Deus virtus mea conſtitue pedes meos in conſummationem & ſuper excelſa ſtatuet me, vt vincam in claritate ipſius.*

Ac ſi aperte dicat: ſubtus me quidem turbata eſt virtus mea, ideſt, dum humanæ fragilitatis conditionem quæ infra eſt, intueor, ac dum ad diuinæ opitulationis gratiam oculos mentis adtollo, in illo me virtutem facere poſſe confido: ipſe greſſus operum meorum ad conſummationem firmi finis perducere valet: Ipſe me ſuper excelſa ſtatuere, vt videlicet omnem mundanæ potentiæ ſublimitatem contemplatione perenniũ bonorũ ꝑ nihili contemnam, oẽs quæ mihi vel de aduerſis, vel de blandimẽtis ſeculi occurrunt temptationes vincã in claritate ipſius, i. dũ in omnibus, q̃ ago, non meã gloriã, ſed ipſius q̃ro, à quo me accepiſſe memini quicquid boni ago; merito.n. adiuuantur à Domino, vt victis tẽptationib. ꝓ-

Digitized by Google

A minibus ſcindetur terra. Cum carnalium verbis corda doctrinæ ſalutaris inrigata duritiam ſuæ infidelitatis ſeſe humiliando conterunt ſinumque internæ cogitationis, qui male clauſus fuerat ad accipienda ſalutiferæ increpationis ſiue exhortationis dicta patefaciunt.

Viderunt te Deus & doluerunt montes, gurges aquarum tranſiit, dedit abyſſus vocem ſuam. altitudo manus ſuas leuauit, Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſta tua, in fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes, egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo, percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum vſq; ad collum ſemper.

Solam noſtram editionem poſuimus, vt iuxta eam, id eſt, iuxta Hebraicam texentes conſequentiam loci, poſtea lxx. commaticè per capitula diſſecamus; Viderunt te Deus & doluerunt montes, excelſa ſcilicet regna & ſublimes huius ſeculi poteſtates, & quadrigæ quatuor in Zacharia, quæ egrediuntur de montibus æreis. Hæc te viderunt & intremuerunt, & gurges aquarum tranſiit, hoc eſt, omnis eorum impetus & perſecutio, qua vexabant populũ tuum, poſtquam te viderunt, tranſiit. tunc B abyſſus, hoc eſt, inferi laudauerunt te, tunc etiam ſuperi, id eſt angeli in plauſum ſuis manibus concreparunt & victorem veluti geſtu quodam & tripudio eleuatarum manuum demonſtrarunt. Sol tuus & Luna & omnis ſplendor, quo prius inluxeras populo tuo & malorum poſtea pondere vniuerſa fuerant tenebrarum horrore cooperta receperunt lumen ſuum & priſtinum habuere fulgorem. Sagittæ tuæ & fulgurans haſta tua, id eſt, plagæ tuæ, & eruditio lumen tuo populo præbuerunt. Deniq; in luce ſagittarum tuarum & in ſplendore haſtæ tuæ, quæ eos ad hoc corripuit, vt emendaret, ambulauit populus tuus in fremitu tuo. Quando ergo populi tui vindicabis iniuriã, terrena regna calcabis, & omnes gentes admirari facies, quia egreſſus es in ſalutem populi tui & veniſti ad eos cũ Chriſto tuo; Ieſus enim Saluator interpretatur. Veniente autem Ieſu Chriſto filio tuo, percuſſiſti Antichriſtum de domo impii, hoc eſt, in hoc ſeculo, q; in maligno poſitũ eſt, ſiue ipſum Diabolum percuſſiſti, qui impietatis caput eſt, & denudaſti fundamentum eius vſque ad collum, id C eſt, abſcondita eius aperta feciſti non ad breue tempus, ſed in perpetuum, hoc enim ſignificat Sela, id eſt, ſemper. Quod vero iuxta aliam editionem legitur.

Videbunt te & dolebunt populi.

Talis eſt ſenſus, ſciſſa quippe peccantium corda ad agnitionem confeſſionemque veritatis crebra allocutione docentium quaſi abluuione frequentium gurgitum vident Dominum interim per fidem & dolent te tam diu ab illo receſſiſſe per culpam; ſed finito dolore pœnitentię, vident eum plenius in futuro per ſpeciem, ac de eius beata in perpetuum viſione lætantur. Sequitur.

Aſpergens aquas in itineribus ſuis, dedit abyſſus vocem ſuam ab altitudine phantaſiæ ſuæ.

Iidem doctores abyſſi nomine qui & fluminum ſupra figurantur. Sed flumina ſunt propter vim fortioris inuectionis, qua duritiam terrenæ mentis ad agendam pro erratibus ſuis pœnitentiam reſcindunt. Abyſſus vero rectè vocantur ab altitudine ſcientię, qua ipſi intus implentur, Prou. 18. Salomone adteſtante qui ait: *Aqua profunda verba ex ore viri.* Aſpergens ergo aquas in itineribus, dat abyſſus vo- D cem ſuam, cum Prædicatores ſancti profunda veritatis ſcientia intus in corde repleti miniſterium verbi foris audientibus exhibent, paulatim & per partes pro capacitate infirmorum proferentes, quæ ipſi intus multa ſimul & ampla capiunt, in itineribus autem, in operibus dicit vel ipſorum videlicet doctorum, vel auditorum ſuorum. Aſpergunt enim aquas in itineribus ſuis, cum vbicunq; incedunt exempla rectè viuendi cum voce prædicationis ſemper intuentibus oſtendunt. Aſpergunt aquas & in itineribus intuentium, cum eis docendo pariter & viuendo, quibus actionum viis ingredi debeant pręmonſtrant. Bene autem, cum dixiſſet, q; daret abyſſus vocem ſuam, addidit ab altitudine phantaſiæ ſuæ, quia, q; nobis mirabile ſancti prædicatores foras pronuntiant, ex eo nimirũ fonte ſapientiæ procedit, quo intus ipſi mirabilius con-

templatis cæleſtibus gaudiis inluſtrantur. An non abyſ- E ſus magna dedit vocem ſuam ab altitudine phantaſiæ ſuę, cum diceret Paulus Apoſtolus: *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthi, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis. anguſtiamini autem in viſceribus veſtris, tanquam filiis dico dilatamini & vos.* 2.Cor.6. Vnde autem vel quo ordine prouenerit, vt ſalutaribus aquis mundus aſpergeretur, vtq; abyſſus ſapientiæ cœleſtis terris intonuerit, ſequenter oſtenditur cum dicitur.

Eleuatus eſt Sol & Luna ſtetit in ordine ſuo.

Eleuatus eſt enim Dominus, Sol videlicet iuſtitiæ, poſt paſſionem ac reſurrectionem ſuam in cœlum, & miſſo à Patre Spiritu inluſtrauit Eccleſiam, ac totum dilatauit in orbem, vt ipſa in ordine ſuo, i. poſt impletum Dominicæ incarnationis arcanum à longo perfidiæ languore exſurgens ſtaret in fide, viriliter ageret, & confortaretur in caritate ipſius. Et quia ſoli Chriſtum, Eccleſiam lunæ comparauerat, aptè ad eundem ſolem conuerſus continuo ſubiecit.

In lumine iacula tua ibunt in ſplendore fulgoris armorũ tuorũ.

F Iacula autem Chriſti verba ſunt illius, quibus corda hominum compunguntur, vt ſalutari vulnere inflicto, poſſit anima fidelis dicere, vulnerata caritate ego ſum, quæ videlicet iacula in lumine eunt, quia miniſterio doctorum veritatis verba mundo palam innotuerunt, iuxta q; ipſa veritas eiſdem præcipit dicens: *Quæ dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure audiſtis prædicate ſuper tecta;* Luc. 12. Et quoniam eloquia lucis ſecuta eſt etiam claritas miraculorum addidit, in ſplendore fulgoris armorum tuorũ: iaculis quippe bellantes aduerſarios feriunt, armis muniendo ſeſe à vulnere defendunt. Vnde in iaculis merito dicta prædicantium, quibus prauitatem infidelium ſuperant, in armis miracula, quibus veritatem ſuæ prædicationis confirmant, inſinuantur. Eunt ergo in lumine iacula Chriſti, eunt in ſplendore fulgoris armorum illius; quia q̃ fecit magnalia, quæ aperuit arcana quæ propoſuit mandata, quæ promiſit præmia, cuncto iam mundo per euangelicas literas ſole clarius innotuere. Sed & ſancti doctores, quia filii lucis ſunt quæq; illo donante agunt ſiue loquuntur, luce nimirum ac ſplendore clara refulgent.

In comminatione tua minorabis terram & in furore tuo. G

Detrahes gentes comminando diſtrictionem iudicii, quo impii damnentur, humiliabis ſalubriter eos, qui terrena cæleſtib. anteponere ſolebãt, vt minoratis paulatim terrenis cupiditatibus, q̃ ſurſum ſunt ſapere & q̃rere incipiant, & inferendo forore condemnabis eos in perpetuũ, q; pęterna ſua exaltatione ad tẽpus humiliari cõtẽpſerũt.

Exiſti in ſalutem populi tui vt ſaluos facias Chriſtos tuos.

Exiuit mediator Dei & hominum à patre & venit in mundũ, non vt iudicaret mundũ, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum. Chriſtos autem omnes electos dicit, qui ab vnctione gratię ſpiritalis rectiſsime hoc vocabulo nuncupantur. Vnde eſt illud pſalmiſtę de his, qui ſanctis nocere volentes diuina ſunt prohibitione coerciti. Et corripuit pro eis reges: *Nolite tangere Chriſtos meos.* Pſal. 104. Saluos autem fecit Chriſtos ſuos, non quos Chriſtos inuenit, ſed quos egrediendo à patre & in carne apparendo per adoptionis Spiritum Chriſtos, i.e. vnctos ſuos fecit. De qua vnctione monens ſuos auditores Iohannes Apoſtolus dicit: *Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* 1. Ioan. 2.

H *Miſiſti in capita inimicorum mortem, excitaſti vincula vſque ad ceruices.*

Dominus enim occidit peccatum, mittens in capita inimicorum mortem, vt viuificet iuſtitiæ. Dicam aliquid audacius; Chriſtus ad hoc venit in mundum, vt in capita inimicorum mitteret mortem, & ſicut ipſe peccato mortuus eſt ſemel, ſic & illi morerentur iniquitati, & qui facti fuerant participes mortis, huius vitæ quoq; fierent participes. Suſcitauit Dominus vincula caritatis, vt priori onere depoſito, & grauiſsimo iugo, quo premebantur, abiecto, leue Chriſti ſuſciperemus iugũ, vt in curru illis poſiti aurigam optimum portaremus, q; & aliter intelligi poteſt: qui enim electis ſuis, quos Chriſtos appellauerat per Prophetã gaudium ſalutis obtulit; ipſe illis, qui eius vngi gratia neglexerunt, mortem miſit æternam, quod in

A omnes, qui pie vellent viuere in Chriſto perſecutiones paſſuros didicit. Sed & ipſum Chriſtum, qui ſine peccato intraret in mundum, non ſine pœna peccati exiturum vidit eſſe de mundo.

Requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendam ad populum tranſmigrationis meæ.

Requieſcit enim in die non ſolum retributionis, ſed & tribulationis, quia per afflictiones temporales æterna ſe gaudia aucturum eſſe nõ dubitat iuxta illud Apoſtoli. Rom. 8. *Spe enim ſalui facti ſumus.* Rom. 10. Et iterum: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Hæc eſt autem in hac vita requies electorum, vt, relicto infimorum appetitu, tota mentis intentione & quotidianis bonorum operum greſſibus aſcendere ac tranſmigrare nitantur ad conſortium eorum, qui ſe in Chriſto præceſſerant; ſed & ante nouiſſimum illud ac generale iudicium ſancti requieſcunt in die tribulationis aſcendentes ad populum tranſmigrationis ſuæ, quando poſt bona opera tranſlati de mundo priorum iuſtorum gaudiis ſociantur in cœlis, cum perſecutores eorum pariter de hac vita ſublati tormenta gehennæ perpetuo tribulandi ſubeant. B Poteſt autem dies tribulationis etiam in hac vita intelligi, cum graueſcente temporalium bonorum penuria, hi qui talia dilexerant nimium quaſi miſeriis circumdati dolent: ſed electus quiſque, quamuis eadem incommoda corporaliter ſuſtinens, fixa ſpe mentis in Domino, requiem habet ſciens quia quo grauius in infimis deprimitur, eo celſius poſt preſſuras ad æterna ſuperiorum ciuium conſortia aſcendit, cui ſenſui conuenit apte, quod ſequitur.

Ficus enim non florebit & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, abſcidetur de ouili pecus & non erit armentum in præſepibus.

LXX. *Quoniam ficus non adfert fructum & non erit generatio in vineis, mentietur opus oliuæ & campi non faciunt eſcas, defecerunt ab eſca oues, & non erunt in præſepio boues.*

Iuxta Hebraicum, in quo ſupra diximus, ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum meum, ita quę pręceſſerunt, copulabuntur ſequentibus, ideo tribulationem ad præſens volui ſuſtinere, & C poſtea ad populum fortem aſcendere, quia veniet dies tribulationis & neceſſitatis: & cæteris in anguſtia conſtitutis, ego in tua maieſtate lætabor: ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, & cætera, quæ quia non multum diſtant à lxx. cum interpretatione eorum pariter diſſeramus. Cum venerit dies tribulationis & ego aſcendero ad populum, qui mecum aliquando peregrinatus eſt, vel certe, cum venerit dies euerſionis Iudaicæ & populi prioris, & derelicta fuerit filia Syon, ſicut tabernaculum in vinea, & ſicut caſula in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ expugnatur, eo quidem pereunte electus ſum populo, de quo dictum eſt: Rom. 9. *Et niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles fuiſſemus.* Copulabo me diſcipulis Chriſti, quos quia in monte docet, turbis & debilibus deorſum relictis, ego ad montana conſcendam. Hi autem verſus, ſi quis quærat, quid figuraliter ſignificent, ita poteſt exponi: Ficus, vinea & oliua erat ſynagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis, flagrantiam feruidæ dilectionis, pinguedinem animi miſericordis Deo deuota proferebat. D Oues & boues typici erãt in eadem plebe, oues videlicet in eis, qui vocem ſummi paſtoris humiliter audiebant. Boues vero in illis, qui iugum legis nauiter portantes ad faciendos bonorum operum fructus, corda audientium ſedulo docendo & caſtigando quaſi terram Domini arando parabant, hiſque ſpiritaliter viuentibus, ſpiritales faciebant eſcas campi Scripturarum diuinarum latiſſimi, quorum pabulo delectabatur ille, qui vt iumentum factus erat apud Deum & ſemper illi adhærebat dicens: Pſal. 22. *Dominus regit me & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Sed hæc ficus Domino ad eam tertio veniente, hoc eſt, in legislatione per Moyſen, in ſedula increpatione & exhortatione per Prophetas, in oblatione gratiæ per ſeipſum virtutis fructum ferre neglexit, propter quod ad maledictionem eius æterna ariditate damnata eſt, defecit generatio E in vineis quondam Domini, id eſt, fructus caritatis in turbis Iudæorum, propter quod ſitienti illi acetum pro vino obtulerunt, id eſt, virtutum ſuauitatem in ſe quærenti vitiorum acredinem proferebant, mentiebatur opus oliuæ, cum eadem plebs oleo adolationis impinguaret capita miſerorum, ductaq; Prophetæ veracia falſo ore reſonaret dicens: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperans in miſericordia Dei.* Pſal. 51. Propter quod tempore vltimæ retributionis extinctas allatura lampadas, & cum ſuis tenebris ab ingreſſu eſt patriæ cœleſtis excludenda. Campi non faciunt eſcas, cum plebs eadem apertis diuinorum apicum paginis paſcua veritatis inuenire recte intelligendo non valet; deficiunt ab eſca oues, quia quibus internæ refectio dulcedinis abeſt, vnde innocentia vitæ ſimplicis proueniat, non eſt. Sic autem dictum eſt, defecerunt ab eſca oues, id eſt, quia eſca deerat, ſicut & in Pſalmo Propheta: Pſal. 108. *Et caro mea,* inquit, *immutata eſt propter oleum,* id eſt, quia oleum, quo reficerer ſiue vngerer non erat. Deniq; quidam codices ſic habent, defecerunt, eo quod non comederunt oues: F non ſunt in præſepio boues, quoniam quidem abundant apud Iudæos præſepia cœleſtium literarum, ſed quia pabulum cœleſtis intellectus in his non ſapiunt, qui ſuaue iugum Euangelii baiulent abſunt, quæ omnia perfide parti gentis ſuę ſuperuentura conſiderans Propheta ſtatim, quid ipſe cum fidelibus eiuſdem gentis, imo cum totius, quę per orbem colligenda in Chriſto, vel collecta erat, Eccleſię ſocietate facturus eſſet oſtendit dicens:

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Alia editio: *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo.*

Ego autem, inquiens, non in mea iuſtitia, ſed in fide diuinæ protectionis gloriabor, gaudebo in Deo Ieſu meo: qui non in me meam, ſed in illo ſalutem eſſe perpendo, & quaſi quæreremus ab eo, quare gloriaretur in Domino & in Deo Ieſu, quem ſuum proprium magnæ dilectionis gratia nuncupabat, gauderet, continuo velut iuſtiſsimã eiuſdem gaudii cauſam inſinuans, ita ſuum carmen terminauit.

Deus Dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quaſi ceruorum & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentẽ. G

Deus, inquit, Dominus fortitudo mea nullam etiam aliam, niſi in Chriſto, habebo virtutem & cunctas legis iuſtitias quiſquilias computabo, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, vt calcem ſuper aſpidem & baſiliſcum, & quaſi puer paruulus mittam in foramen & extraham ſerpentem Iudam de colubro. Similis enim fratruelis meus capreæ aut Hinulo ceruorum, & quia ipſe eſt ceruus, mihi quoque donauit, vt ceruus eſſem ſublimis cornibus findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum ſerpentes fugiant, de quo dicitur in Pſalmo: Pſal. 28. *Qui perfecit pedes meos quaſi cerui & ſuper excelſa ponet me.* Et rurſus: *Vox Domini perficientis ceruos.* Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos ſuos & ad cœleſtia perducet me, vt inter Angelos canam gloriam Domini & ſuper terram pacem hominibus bonæ voluntatis adnuntiem. Canam autem victoriam eius & triumphum & trophæum crucis. Secundum aliam autem editionem hæc Prophetica ſententia ita legitur.

Domine Deus virtus mea conſtitue pedes meos in conſummationem & ſuper excelſa ſtatuet me, vt vincam in claritate ipſius. H

Ac ſi aperte dicat: ſubtus me quidem turbata eſt virtus mea, id eſt, dum humanæ fragilitatis conditionem quæ infra eſt, intueor, ac dum ad diuinæ opitulationis gratiam oculos mentis adtollo, in illo me virtutem facere poſſe confido: ipſe greſſus operum meorum ad conſummationem firmi finis perducere valet: ipſe me ſuper excelſa ſtatuere, vt videlicet omnem mundanæ potentiæ ſublimitatem contemplatione perenniũ bonorũ ꝑ nihili contemnam, oẽs quæ mihi vel de aduerſis, vel de blandimẽtis ſeculi occurrunt temptationes vincã in claritate ipſius, i. dũ in omnibus, q̃ ago, non meã gloriã, ſed ipſius q̃ro, à quo me accepiſſe memini quicquid boni ago; merito.n. adiuuantur à Domino, vt victis tẽptationib. ꝓ-

bati

A batı ad palmam ſupernæ vocationis perueniant, qui totam victoriæ ſuæ cauſam ad eius laudem referunt. Quidam codices habent, *vt vincam in Cantico ipſius*, quod ad vnum eundemque ſenſum reſpicit. Vincit enim in Cantico Domini, quiſquis in cunctis, quas patitur, tribulationibus, illi gratias ex corde agere nouit, ſciens quoniam

Rom. 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: Poteſt tamen in hac ſententia Prophetæ iuxta hiſtoriam talis eſſe ſenſus, ac ſi ipſe diceret: Ego vincam in carmine, & manus meæ component cytharam & pſalterium & omne organi genus, ſcribamque panegyricum triumphanti, & qui principio locutus ſum, *Vſquequo clamabo & non exaudies, vociferabor ad te, vim patiens & non ſaluabis*, & de iuſtitia iudicioque cauſatus ſum, poſtea laudabo æquitatem & cantores cæteros meo carmine ſuperabo. Pulchre autem carminis huius Prophetici principio reſpondet, qui enim auditis & conſideratis Domini in carne apparentis operibus fideliter timet ac paueſcit, fit, vt contemptis eis quæ in hac vita inſtar pelagi fluctuantis vario ſtatu feruntur, in ipſo ſolum glorietur & gaudeat.

B

Explicit Canticum Abacuc Prophetæ.

INCIPIT CANTICUM LIBRI DEVTERONOMII.

LEgitur in Deuteronomio, quod Moyſes, poſtquam conſcripſit verba legis in volumine atque compleuit locutus ſit, audiente vniuerſo cætu Iſrael verba carminis huius & ad finem vſque compleuerit. Vnde conijci datur carmen iſtud, quod in teſtimonium filiis Iſrael Moy-

C ſes decantauit, non ſimplicem tantummodo hiſtoriam ſonare, ſed ſpirituali intelligentia pleniſſimum eſſe. Partim enim ſecundum hiſtoriam Iſraelitarum pro beneficiis opulentiſſime ſibi à Domino conlatis exprobrat perfidiam: partim per allegoriam de myſteriis cœleſtibus ſanctam Dei inſtruit Eccleſiam: partim autem ad honeſtatem morum vnumquemq; fidelium prouocat per tropologiam, vnde ſobrium lectorem decet, vt in hiſtoria ſeruet Scripturæ veritatem. In allegoria vero conſideret myſteriorum cœleſtium rationem, & in tropologia bonarum diſciplinarum ædiſcat vtilitatem, quatènus tripartita hac diſtinctione edoctus ad illam cœleſtē theoriam, hoc eſt, ad inſpectionem ſecretarum rerum & ad contemplationis diuinæ prouehatur ſublimitatem, nec non & illud diligenter inſpiciendum eſt, quod dicitur loqui Moyſes verba carminis & ad finem vſque compleſſe, ſi forte hoc admoneat, vt qui ore Deum laudare ſtudeat, operibus non contradicat: non eſt enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Ideo ipſe Dominus in Euan-

Matth. 19. gelio ait: *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis & do-*

D *cuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Principium autem huius carminis tale eſt.

Deut 32. *Audite cæli quæ loquar, audiat terra verba oris mei.*

Iuxta primordium Eſaiæ Prophetæ ita ſcriptum eſt:

Eſa. 1. *Audi cælum, & auribus percipe terra, quia Dominus locutus eſt.* Supra ergo in eodem libro, quis Propheta, cuius filius, qui contra Iudam & Hieruſalem, ſiue per Iudam & Hieruſalem, & quo tempore viderit titulo demonſtratum eſt, nunc cœlum & terram ad audiendum prouocat, in cœlo ſupernas ſignificans angelicaſque virtutes, in terra mortalium genus, metonymicôs ab his quæ continent ea, quæ continentur oſtendens. Nam quia per Moyſen teſtes vocauerat Dominus cœlum & terram, dans populo Iſrael legem ſuam, & dixerat: *Attende cælum & lo-*

E *quar, audiat terra verba oris mei*, poſt præuaricationem populi eoſdem rurſus in teſtimonium vocat, vt cuncta elementa cognoſcant iuſte Deum in vltione mandatorum ſuorum ad iracundiam concitatum.

Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium, quaſi imber ſuper herbam & quaſi ſtilla ſuper gramina, quia nomen Domini inuocabo.

Alia editio: *Exſpectetur ſicut pluuia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros verba mea, ſicut imber ſuper germen, & ſicut nix ſuper fœnum, quia nomen Domini inuocaui.* Eloquium legis Dei comparat pluuiæ ac rori, quia germina ſpiritualium fructuum à fidelium cordibus expetit, ipſa enim ſunt vinea Domini, vnde ille fructum ſibi amabilem, hoc eſt, bonorum operum quærit. Huic ſimilem comparationem in Eſaia Propheta inuenimus: *Quomodo*, inquit, *de-* Eſa. 55.

ſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertetur, ſed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ferenti & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum ſed faciet quæcunq; volui & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Verum quia

F Moyſes doctrinam ſuam in pluuiam concreſcere dixit, vt patenter, quæ hæc pluuia eſſet, demonſtraret, ſubiunxit dicens, *quia nomen Domini inuocabo*. Nomen ergo Domini eſt inuocare, Euangelium Chriſti prædicare, quod qui audit & facit, boni operis fructum in cœlis ſine dubio poſſidebit.

Date magnificentiam Deo noſtro, Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia.

Alia editio: *Date magnitudinem Deo noſtro. Deus, vera opera eius & omnes viæ eius iudicia.*

Magnificare Dominum eſt maieſtatem Saluatoris corde credulo, ore pio ſimul cum bonis actibus prædicare. Vnde Maria mater Domini in Cantico Euangelii ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus* Luc. 1.

in Deo ſalutari meo. Dei, inquit *perfecta ſunt opera*. Quæ ergo illa ſunt? audi Moyſen in Geneſeos dicentem: *Igitur*

perfecti ſunt cæli & terra & omnis ornatus eorum, compleuitque Gen. 2.

Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere ſuo, quod patrarat. Opus ergo Dei eſt redemptio humani generis, quam quando perfecit, Sabbatum ſpirituale in ſepulchro requieſcens nobis oſtendit. G

Omnes, inquit, *viæ eius iudicia*, quia omnia mandata eius vera. Vnde Pſalmiſta ait: *Lex Domini irreprehenſibilis conuer-* Pſal. 18.

tens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis. Et item: *Iudicia*, inquit, *Dei vera iuſtificata in ſemet-* Ibid.

ipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Et alibi: *In labiis*, ait, *meis pronun-* Pſal. 118.

tiaui omnia iudicia oris tui.

Deus fidelis & abſque vlla iniquitate iuſtus & rectus.

Alia editio: *Deus fidelis & non eſt in eo iniquitas, iuſtus & ſanctus Dominus.*

Fidelis eſt, quia quod promiſit, proculdubio impleuit. abſque vlla iniquitate, quia æquitas ſumma iniquitatis conſortium nullo modo recipit. Iuſtus, quia peccantibus & non pœnitentibus pro malis ſuis retribuet pœnam. Rectus, quia digne operantibus & bene merentibus vitam reddet perpetuam. Sanctus quia in omnibus iudiciis & actibus ſuis eſt probatiſſimus: Sanctus enim & pium ſignificat & patientem & bonorum omnium largitorem, quoniam quicquid ab illo efficitur, virtutum laude completur. H

Peccauerunt ei non filij eius in ſordibus.

Alia editio: *Peccauerunt non ei filij commaculati.*

Quomodo non filii Dei, niſi quia non ex fide: *Quot-* Ioan. 1.

quot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Vnde Dominus Iudæis fidem eius recipere nolentibus & doctrinam illius ſpernentibus, ait: *Vos ex patre Diabolo eſtis & deſideria patris veſtri vultis facere; ille homicida fuit ab initio & latro.* Et Stephanus ad eoſdem Iudæos ait: *Patres veſtri quem Prophetarum non ſunt perſecuti? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum & non cuſtodiſtis.* Qui ergo incorrigibiliter peccat, filium Dei ſe non eſſe probat. Illa autem editio, quam ſeptuaginta interpretes ediderunt,

A ita habet. *Peccauerunt non ei filij vituperabiles.* Quod quidam ex Græco interpretati ſunt, filii commaculati; quidam, filii otioſi. Vnde non magna quæſtio, immo nulla eſt. Sed illud merito ad quætendum mouet, ſi generaliter dictum eſt, peccauerunt non ei filii, quoniam qui peccat, non Deo peccat, id eſt, non Deo nocet, ſed ſibi. Quomodo intelligendum ſit, quod in Pſalmo legitur: *Tibi ſoli peccaui.* (Pſal. 50.) Et in Hieremia: *Tibi peccanimus patientia Iſrael Domine.* (Ierem. 14.) Et iterum in Pſalmo: *Sana animam meam, quoniam peccaui tibi.* (Pſal. 40.) Et vtrum hoc ſit peccare Deo, quod peccare in Deum, vnde & Heli ſacerdos ait: *Si in Deum peccauerit, quis orabit pro eo.* (1. Reg. 2.) peccare in Deum eſt in his peccare, quæ ad Dei cultum pertinent, nam hoc Deus legitur dixiſſe ad Abimelech de Sara: *Propterea peperci tibi, ne peccares in me.* (Gen. 20.) Peccare autem Domino, vel potius peccaſſe Domino, niſi forte alicubi ſcriptum occurrat, quod huic ſenſui reſiſtat, hi mihi videntur non immerito dici, qui condignam pœnitentiam peccati ſui non agunt, vt glorificetur Deus ignoſcens, cauſam quippe reddens Dauid cur dixerit: *Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci:* (Pſal. 50.) Subicit & dicit: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris,* B quia cunctis rectè ſentientibus, liquido apparet, quod Dominus eſt iuſtus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: *Nec vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* (Pſal. 40.) Similiter & quod à Dauid dictum eſt: *Sana animam meam, quoniam peccaui tibi.* Hoc idem agitur, vt Deus ignoſcendo glorificetur, quia magna eſt eius miſericordia ſuper confitentes ſibi, & redeuntes ad ſe. In hoc autem Cantico præuidebat Propheta futuros quoſdam, qui ſic fuerunt peccaturi, Deum offendendo magnis iniquitatibus ſuis, vt nec pœnitentiam agere vellent, & ad Deum redire, vt ſanarentur; de quibus etiam dicitur: *Quoniam caro ſunt & Spiritus ambulans & non reuertens,* ideo dixit non filios eſſe Dei, quia incorrigibiles exſtiterunt.

Generatio praua atq; peruerſa, haccine reddis Domino?

Alia editio: *Quia generatio praua & peruerſa hæc Domino retribuiſti.*

Simili elogio eorum perfidiam Saluator in Euangelio denotauit, qui temptantibus & ſignum à ſe quærentibus reſpondit dicens: *Generatio praua & peruerſa ſignum quærit & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ.* (Matth. 12.) C Sic & Iohannes Baptiſta turbis Iudæorum ad ſe venientibus ait: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere ab ira ventura? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ & ne velitis dicere Patrem habemus Abraham. Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* (Luc. 3.) Generatio quippe Iudæorum praua & peruerſa ſemper fuit, quæ ingrata beneficiis Dei exſtitit, nec ei pro hoc condignas laudes, imo è contrario ſemper tranſgreſſiones varias idolorum ſordes atq; irritationes rependebat.

Popule ſtulte & inſipiens, nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te?

Alia editio: *Sic plebs fatua & non ſapiens, nonne hic ipſe eſt tuus Pater, poſſedit te fecit te & creauit te.*

Pater vniuerſorum & conditor ſecundum naturæ potentiam Deus eſt vnus, quia ab ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, creauit ergo Deus hominem, quando materiam, vnde formari poſſet, condidit: fecit, quando illum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam formauit, poſſedit, D quando expulſis erroribus per fidem & gratiam, ſuam ſibi vindicauit. Populus ergo ſtultus & inſipiens fuit Iudæorum gens, quæ nec creatorem ſuum & factorem, quem lex ſibi data manifeſtiſſime oſtendit, digno cultu venerabatur; nec eius beneficii memor, quo illum in Ægypto per miracula atq; prodigia de manu inimicorum eruens ſpecialiter poſſedit, dans illi de cœlo manna, & de petra aquam, nec non ducatum ei in mari rubro, atque in deſerto per Angelicum miniſterium præbuit, hoc eſt, in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem; Sed hæc generatio praua & peruerſa pro tantis bonis non condignas grates Domino ſuo rependit: quin potius idola ſibi fabricauit, atq; illis diuinum honorem & ſacrificia ſtultiſſime impendit dicens: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* (Exod. 32.)

E *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga Patrem tuum, & adnuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.*

Alia editio: *In mente habete dies ſæculi, intelligite annos, nationes nationum, interroga Patrem tuum, & adnuntiabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi.*

In memoriam eis reducit facta antiqua, iubens eos interrogare patres & ab eis diſcere qualiter in præteritis ſæculis & generationibus diuina ope ſunt liberati, atque ſœpius ab inimicis protecti, quatenus vel hoc modo ad pœnitentiam peccatorum prouocentur, & ab omni errore ſe exuendo ad veritatem appropinquare otius meditentur: patres enim hic non quilibet hebetes & ſtulti, ſed doctores legis & prædicatores Euangelii myſtice intelligendi ſunt, quorum doctrinis & exemplis poteſt homo ad intelligentiam diuinam proficere, vnde Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait: *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* (1. Cor. 4.) Et ad Hebræos: *Patres,* inquit, *quidem carnis noſtræ habuimus eruditores & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri Spirituum & viuemus & illi quidem in tempore paucorum dierum ſecundū voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id, quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius.* (Hebr. 12.) F

Quando diuidebat altiſſimus gentes quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.

Alia editio: *Cum diuiderit excelſus gentes, quemadmodum diſperſit filios Adæ, ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei, & facta eſt pars Domini populus eius Iacob funiculus hæreditatis eius Iſrael.*

Hiſtoriæ enim ordo rationem dat de humani generis diſtributione, quia cum multitudo hominum tanta ſit, vt eorum numeroſitas humana computatione comprehendi non poſſit, ſolos filios Iſrael de tanta multitudine in ſuam hæreditatem Dominus elegit, vbi nomen ſuum & potentiam ſuam notam faceret & voluntatis ſuæ ſecreta per legis iudicia & prophetarum ſcripta manifeſtaret, ſicut ſuperius in præſenti libro Moyſes teſtatus eſt dicens: G *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram; non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores, ſed quia dilexit vos Dominus & cuſtodiuit iuramentum, quod iurauit patribus veſtris, eduxitq; vos in manu forti & redemit de domo ſeruitutis, de manu Pharaonis Regis Ægypti, vt ſcias quia Dominus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidelis cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & his qui cuſtodiunt præcepta eius in mille generationes, & reddens odientibus ſe ſtatim, ita vt diſperdat eos & vltra non differat protinus eis reſtituens quod merentur. Cuſtodi ergo præcepta & cæremonias atq; iudicia, quæ ego mando tibi hodie, vt facias.* (Deut. 7.) Et hæc ſecundum Hebraicam veritatem ita intelligi poſſunt. Secundum aliam autem editionem, vbi legitur, ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei & in Danielis viſione, vbi Angelus de principe Perſarum ſibi reſiſtenti Prophetæ narrauit, videtur aliud nobis inſinuare: Angelorum enim miniſteria ſuper gentes ſingulas, & ſuper homines ſingulos ordinata creduntur, quatenus ſub eorum tegmine atque defenſione humana natura iuxta diſpenſationem omnipotentis Dei cuſtodiatur atque ab inimicis tueatur. H Vnde Dominus in Euangelio de paruulis non ſcandalizandis docens, mox ſubiunxit dicens: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt.* (Matth. 18.)

Quia enim ſuperna illa ciuitas ex Angelis & hominibus conſtat, ad quam tantos credimus ex hominum genere conſcendere, quantos illic contigit electos Angelos remanſiſſe ſicut ſcriptum eſt, *ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei:* debemus & nos aliquid ex illis diſtinctionibus ſupernorum ciuium ad vſum noſtræ conuerſationis trahere, noſque ipſos ad incrementa virtutum bonis ſtudiis inflammare. Quia enim tanta illic aſcenſura

credi-

Digitized by Google

A creditur multitudo hominum, quanta multitudo remanſit Angelorum; ſupereſt, vt ipſi quoque homines, qui ad cœleſtem patriam redeunt ex eis agminibus aliquid illuc reuertentes imitentur: diſtinctæ namq; conuerſationes hominum, ſingulorum agminum ordinibus congruunt, & in eorum ſortem per conuerſationis ſimilitudinem deputantur. Pars autem Domini populus eſt Iacob ſpiritualis, & funiculus hæreditatis eius Iſrael verus, Eccleſia videlicet Catholica, de qua per Pſalmiſtam
Pſal. 15. dicitur: *Funes ceciderunt mihi, in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.*

Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis. Circumduxit eum & docuit & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.

Alia editio: *Sufficientem eum ſibi fecit in heremo in ſiti caloris, vbi non erat aqua. Circumduxit eum & erudiuit eum & cuſtodiuit eum, ſicut pupillam oculi.*

Inueniſſe Dominus Iſraelem dicitur in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: quia in monte Syna legem dans, pactum cum eo iniuit, manna de cœlo illis diſtribuit, &
B aquam de petra produxit, coturnicum carnes dedit, omnem ſufficientiam eis præbens in alimentis iuxta id, quod ſibi videbatur eis competere. Et in eadem heremo quadraginta annis eos circumducendo præcepta ſua docuit, ſed illud merito quæritur, quomodo dicit eos protexiſſe, ſicut pupillam oculi ſui, cum plurimi eorum proſtrati ſint in ſolitudine, niſi forte dicamus, tam diu eos protectos ac cuſtoditos eſſe, quamdiu mandata Dei ſeruauerunt; cum autem ea tranſgreſſi ſunt ſtatim plagis percuſſi atque ab inimicis deuaſtati ſunt. Myſtice autem Dominus Iſrael in deſerto inuenit, cum Eccleſiam de mundi errore tulit, vbi horror idololatriæ & nulla mentio Dei fuit. Circumducit ergo Dominus Eccleſiam, cum in vniuerſis mundi partibus eam dilatando in viam mandatorum ſuorum dirigit, & per Spiritum ſanctum voluntatem ſuam ei indicans, vbique eam plena cuſtodia, quod per pupillam oculi deſignatur, contra hæreticos atque perſecutores cuſtodit. Sequitur alia comparatio.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans expandit alas ſuas & adſumpſit eos atq; portauit in humeris ſuis.

C Alia editio: *Sicut aquila tegit nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos conſedit, expandit alas ſuas, & accepit eos & ſuſcepit eos ſuper ſcapulas ſuas.*

Narrant Phyſici, quod aquila, quæ ab acumine oculorum eſt vocata, tam acuti intuitus ſit, vt cum ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos natare in aqua videat, ac tormenti inſtar deſcendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat: nam & contra radium ſolis fertur obtutum non flectere. vnde & pullos ſuos vngue ſuſpenſos radiis ſolis obiicit, & quos viderit immobilem tenere aciem, vt dignos genere conſeruat, ſi quos vero inflectere obtutum videt, quaſi degeneres abiicit; dicuntur & aquilæ pullos ſuos cum vident in nidis plumeſcere, alis percutere, & ad volandum eos de nido prouocare; nidificant autem in petris & arboribus, in quarum nido lapis echites ædificatur, quem aliqui vocauerunt gaietem, qui ad multa remedia vtilis, nihil igne deperdens: nar-
D rant autem iidem naturæ inquiſitores, quod aquilæ non tam obeant ſenio vel ægritudine, quam fame, in tantum ſuperiore creſcente roſtro, vt aduncitas aperiri non queat; ſed cum inde viderit ſibi periculum imminere, obtundit roſtrum in petra duriſſima, donec iterum in priſtinum vſum reuertatur. Et inde myſtico ſermone in Pſalmo ſcriptum eſt, dicente Propheta ad animam fide-
Pſal. 102. lem: *Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua.* Per aquilæ ſimilitudinem ſecundum literam oſtenditur, quod Dominus populum ſuum prouocando ad terram Chanaan bellis poſſidendam iuuit, & adiuuando ab inimicis protexit. Secundum myſticum vero ſenſum aquila hæc Dominum Saluatorem ſignificat, qui aquilæ ſimilitudinem in eo tenet, quod prædam ab hoſte maligno morte ſua eripuit, & poſt reſurrectionem ſuam carnem, quam pro humani generis redemptione ſuſcepit, ad alta cœlorum pro-

E uexit, nos dictis atque exemplis exhortans, quatenus illuc ſequamur fide, tendamuſque deuotione, vbi ipſe aſcendit corpore, vnde & in Euangelio ait: *Vbi fuerit cor-* Luc. 17.
pus, illic congregabuntur aquilæ. Alia etiam exempla, quæ de aquila diximus, poſſunt ſimiliter ad ipſum & ad filios eius figuraliter transferri. Nam ſicut aquila acuti intuitus eſt, ita vt ſuper maria immobili penna ſublata, nec humanis apparens aſpectibus piſciculos de tanta ſublimitate natantes videns in pelago prædando raptat & ad littus pertrahit, ſic Redemptor noſter ſuper omnes cœlos exaltatus, & ab humanis aſpectibus corporaliter ſublatus, in pelago tamen iſtius mundi maieſtatis ſuæ intuitu videt, quos per prædam ſaluiferam eruat, atque ad littus æternæ beatitudinis amoris ſui fune adtrahat. Vnde & ipſe in Euangelio ait: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia* Ioan. 12.
traham ad me ipſum. Pullos ſuos, hoc eſt, filios per gratiam baptiſmatis ſibi renatos radiis ſolis æterni per contemplationem obiicit, & quos viderit conſtantem in intuendo habere aciem mentis, ſeu dignos ſuo genere perpetualiter ſeruat: ſi quos vero ad ima, & ad carnalia deſideria obtutum mentis reflectere conſpicit, hos, quaſi
F degeneres abiicit: in petris autem & arboribus hæc aquila nidificat, quia quos firmos fide & fructificantes virtutibus aſpicit, in eis ſpiritualis germinis fœcunditatem parit. ibique gemma illa atque margarita pretioſiſſima naſcitur, quam ſacer Euangelii textus narrat negotiatorem ſpiritualem omnibus pecuniis ſuis venditis ſibimet comparare. Quod autem aquila roſtrum ſuperfluum in petra tundit, atque ita priorem modum reducit, ſignificat quod ſancti viri quicquid in conuerſatione ſua ſuperfluum, ac ſibi noxium conſpiciunt adlidendum ad petram Chriſtum confringunt, atque ſemet per gratiam & per ſtudium bonum renouantes ad priſtinum officium habiles reddunt.

Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.

Alia editio: *Dominus ſolus docebat eos & non erat cum eis Deus alienus.*

Manifeſtum eſt, quod vnus & ſolus Deus Iſrael de Ægypto liberauit, & non idola falſa, quæ coluerunt Ægy-
G ptii, ſic & in ereptione noſtra de ſpirituali Ægypto non alius, quam idem Deus qui olim Iſraelitas eripuit, pater videlicet, & filius, & Spiritus ſanctus vnus & trinus magnus & omnipotens Deus, qui per incarnationem Ieſu Chriſti Domini noſtri ſalutis noſtræ efficit myſterium, vnde cognoſcant hæretici, quam miſerabiliter a vera fide deuiantes errent, cum ſe per ſchiſmata ab Eccleſia Catholica ſequeſtrant, qui quot erroribus, tot idolis obnoxii ſunt.

Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comedat fructus agrorum.

Alia editio: *Adduxit eos in fortitudinem terræ, cibauit eos naſcentiis agrorum.*

Excelſam terram paleſtinam vocat, quia ad comparationem terræ Ægypti, quæ plana & irrigua eſt, mõtuoſa & aſpera videtur; quæ fortitudinem habet, quia non ſterilis, ſed vberrima eſt ad proferendos fructus terræ in ſaturitatem habitatorum illius. Aliter, excelſa terra ſancta eſt Eccleſia, quæ virtutibus & ſcientia ſublimis eſt
H valde, & bonorum operum germine fertiliſsima. Ibi fideles quique conſtituti comedunt fructus agrorum ſpiritalium, quia ibi germinat bonum ſemen verbi Dei, aliud triceſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum fructum, vt vnuſquiſque pro capacitate ſua cibum ſufficientem ſibi inueniat.

Vt ſugeret mel de petra & oleum de ſaxo duriſſimo.

Alia editio: *Suxerunt mel de petra, & oleum de firma petra.*

Sed nuſquam tale aliquid iuxta hiſtoriam legitur, ſi tota teſtamenti veteris ſeries recenſeatur, nuſquam de petra mel, nuſquam oleum de firma petra, vel ſaxo duriſsimo populus ille ſuxit: ſed quia iuxta Pauli vocem:
Petra erat Chriſtus. Mel de petra ſuxerunt, qui eiuſdem 1. Cor. 10.
Redemptoris noſtri facta & miracula viderunt. Oleum vero de firma petra ſuxerunt, qui effuſione Spiritus ſan-

A ĉti poſt reſurrectionem eius vngi meruerunt. Quaſi ergo in firma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum ſuorum dulcedinem diſcipulis oſtendit. Sed firma petra oleum fudit, quia poſt Reſurrectionem ſuam factus iam impaſſibilis per afflationem Spiritus donum ſanctæ vnctionis emanauit. De hoc quoque oleo per Prophetam dicitur: *Computreſcet iugum à facie olei,* ſub iugo quippe tenebamur Dęmoniacæ dominationis, ſed vncti ſumus oleo Spiritus ſancti & quia nos gratia libertatis vnxit, dominationis dæmoniacæ iugum putruit. Eſa. 10.

Butyrum de armento & lac de ouibus cum adipe agnorum & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici & ſanguine vuæ.

Alia editio: *Butyrum boum & lac ouium cum adipe agnorum & arietum filiorum. taurorum & hircorum cum adipe renium, tritici & ſanguine vuæ.*

Hæc licet iuxta hiſtoriam fertilitatem terræ Canaan inſinuent, tamen altiori ſenſu gratiæ Chriſti demonſtrant abundantiam, quam ſancta Eccleſia munere largitoris
B ſui accepit. Butyrum de armento tulerunt, qui plenitudinem fidei de Exemplis patriarcharum didicerunt, & lac de ouibus cœperunt, qui ſimplicitatem mentis, ſiue facilitatem doctrinæ de innocenti vita patrum ad ædificationem ſui ſumpſerunt. & hæc cum adipe agnorum & arietum, hoc eſt, cum pinguedine caritatis Apoſtolorum & eorum, quos ipſi ad fidem imbuerant, ad refectionem mentis ſuæ perceperunt; arietum enim nomine Apoſtoli & Apoſtolicæ dignitatis viri deſignantur, quia ipſi duces ſunt gregis Dei. Vnde dicitur in Pſalmo: *Adferte Domino filij Dei, adferte Domino filios arietum.* Quod autem ſubiungitur, *filiorum Baſan,* ad eundem pertinet ſenſum, quia Baſan pinguedo interpretatur, filii enim pinguedinis ſunt, qui diſciplinis noui teſtamenti inſtituti ſunt, vbi ſcientiæ multitudo & virtutum magnitudo conſiſtit. Poteſt & illud, quod in alia editione legitur, *filiorum taurorum*, ad perſonam ſimiliter referri Prophetarum & Apoſtolorum, nec non & aliorum ſanctorum doctorum, quia illi duces ſunt greg s Dei, & armentis ſpiritualibus præſunt, ex quorum videlicet doctrinis ipſa accipiunt ſemen verbi, vnde fœtus bonorum poſſint
C proferre operum: nec ſufficiebant hæc dona, niſi adderentur & hirci. Hirci enim figuram pœnitentium habent, quia pro peccato in lege offerebantur: non enim ſatis eſt dona virtutum habere fidelibus, niſi pœnitentiam agant pro ſuis exceſsibus, vnde ille, qui Rex ſimul & Propheta fuit, & cui de incarnatione Chriſti promiſſum eſt, quod ex eius ſemine naſceretur, pro ſuis delictis Dominum deprecatur dicens. *Amplius laua me ab iniuſticia mea & à delicto meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego agnoſco & delictum meum coram me eſt ſemper.* Et vt hæc omnia beneficia, quæ prædicta ſunt, eminentiore dono accumularentur, addidit, medullam tritici & ſanguinem vuæ. Quid enim per medullam tritici, niſi corpus Chriſti, quid per ſanguinem vuæ, niſi calix noui teſtamenti in Chriſti ſanguine figuratur? Plurimis enim donis ex pietate Dei Eccleſiaſtico populo conceſsis hoc inter omnia excellit, quod corporis & ſanguinis ſui Sacramenta in panis & vini confectione ad ſalutem æternam illi miniſtrauit: Sequitur.

Pſal. 28. Pſal. 50.

D *Biberat meraciſsimum, incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit.*

Alia editio: *Bibit vinum & manducauit Iacob, & ſatiatus eſt, & recalcitrauit dilectus.*

Nempe vniuerſa dona Dei, ſine fece alicuius nequitiæ, ſeu improperii credentibus & digne de eis ſentientibus conferuntur. Sed quia ſicut carnales quondam Iſraelitæ donis Dei abuſi ſunt, & ex beneficiis largiſsimis peiores facti, ad idololatriam prolapſi ſunt; ita proh dolor non pauci de Eccleſiaſtico populo ingrati beneficiis Dei ad vitia relabuntur, & hoc quod ſibi ad ſalutem collatum eſt in perditionem ſuam conuertunt: Vnde ſubiungitur.

Incraſſatus, impinguatus & dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo, Prouocauerunt eum
E *in diis alienis, & abominationibus ſuis ad iracundiam concitauerunt, immolauerunt Dæmoniis & non Deo, diis, quos ignorabant, noui recenteſq; venerunt ad eos, quos non coluerunt patres eorum.*

Alia editio: *Pinguis factus eſt & incraſſauit, dilatatus eſt, dereliquit Deum, qui fecit eum & receſsit à Deo ſalutari ſuo, exacerbauerunt me in alienis, in abominationibus ſuis concitauerunt me, ſacrificauerunt Dæmoniis & non Deo, Diis, quos non nouerunt, noui recentes venerunt ad eos, quos neſciebant patres eorum.*

Hoc veteres Iſraelitæ hiſtorialiter fecerunt, ſicut in eorum libris ſufficienter expreſſum eſt; ſed & moderni Iſraelitæ, quando dona Dei in ſcientia & virtutibus ſibi ad diuinum obſequium conceſſa ad hęreſin, ſiue hypocriſin conuertunt idolis & non Deo ſeruire probantur. Dæmoniis vtiq; cultum exhibendo & non Deo. quod patres noſtri, hoc eſt, Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli atq; Euangeliſtę nequaquam fecerunt, inde euenit iſtis idololatris, quod clementiſsimum Dominum malis ſuis irri-
F tantes, quem propitium, habere poſſent, ſi bene egiſſent, propter mala opera ſeuerum atque diſtrictum perpeſſuri ſint.

Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Alia editio: *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Deum alentem te.*

Genuit Dominus quodammodo Iſraelitas per legem & circumciſionem, genuit & Eccleſiaſticum populum per baptiſmi gratiam, per ſanctificationem Spiritus ſancti, & alimentum cœleſtis cibi, hoc eſt, Euangelicæ doctrinæ illi ſufficienter præbuit; ſed qui hæc obliuiſci non timet, iuſte ſibi iratum Deum per vindictam ſentiet: Vnde ſubiungitur.

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt, quia prouocauerunt eum filij ſui & filiæ, & ait. Abſcondam faciem meam ab eis & conſiderabo nouiſsima eorum.

Alia editio: *Vidit Dominus, & zelatus eſt, & exacerbatus eſt propter iram filiorum ſuorum & filiarum, & dixit, auertam faciem meam ab eis & oſtendam, quid erit eis in nouiſsimo.*

G Nihil grauius eſt in pœnis, quam præſentia & viſione Dei priuari, inde Pſalmiſta Dominum deprecatur dicens: *Ne proijcias me à facie tua.* Et item: *Ne auertas,* inquit, *faciem tuam à me.* Hinc & Iob ad Dominum loquitur dicens: *A facie tua ne abſcondar.* Quia ergo filii & filiæ, hoc eſt, vtriuſq; ſexus homines irritantes eum pro malis ſuis, quæ faciunt, eius miſericordiam non merentur; ſed ab illo ingrati ſpernuntur in nouiſsimis eorum. Hoc probabitur, quando in pœnas Gehennæ proiicientur æternas, hoc eſt enim conſiderare nouiſsima eorum, manifeſtare tormenta illorum, quæ ipſe eis non conturbato animo, ſed tranquillo iuſte impendit.

Pſal. 50. Iob 13.

Generatio enim peruerſa eſt & infideles filij ipſi prouocauerunt me in eo, qui non erat Dominus & irritauerunt in vanitatibus ſuis, & ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus & in gente ſtulta irritabo illos.

Alia editio: *Quia generatio praua & peruerſa eſt filij in quibus non eſt fides in ipſis. ipſi in zelo compulerunt me & non in Deo, in ira concitauerunt me in idolis ſuis, & ego in zelo expellam eos & non in gentem, in gente inſipiente irritabo eos.*

H Quia ergo Iſraelitæ abiecto cultu Domini ſui idola coluerunt, & deſerentes verum ac viuum Deum, deſeruierunt vanitati ſimulachrorum gentibus, qui populi Dei nomine necdum eo tempore vocari meruerunt, in direptionem traditi ſunt. Similiter & Eccleſiaſtici, qui deſerta veritate ad errores declinauerunt, ſi pro malis ſuis non pœnituerint malignis ſpiritibus, qui ſuperbiendo perdiderunt Angelicam dignitatem ad trudendum inferni carceribus tradentur. Bene ergo Dæmones gens ſtulta dici poſſunt, quia oderunt iuſticiam & amant iniquitatem.

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit vſq; ad inferni nouiſsima.

A

Alia editio: *Quia ignis exarſit ab ira mea, & ardebit vſque ad inferos deorſum.*

De his, quos damnant flagella, & non liberant ſcripũ eſt. (*Ier. 5.*) *Percuſsiſti eos, nec doluerunt, attriuiſti eos & renuerunt accipere diſciplinam.* His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percuſſione perdurant. Vnde quoque per Moyſen (*Deut 32.*) Dominus dicit: *Ignis exarſit ab ira mea & ardebit vſq; ad inferos deorſum.* Quantum ad præſentem etenim percuſſionem ſpectat, rectè dicitur: *Ignis exarſit ab ira mea.* Quantum vero ad æternam damnationem, apte hoc ſubditur, & ardebit vſq; ad inferos deorſum, licet à quibuſdam dici ſoleat, illud quod ſcriptum eſt: *Non vindicat Deus bis in idipſum.* Qui tamen hoc, quod per Prophetam de iniquis dicitur, non attendunt, & duplici confuſione contere eos, & id, quod alias ſcriptum eſt. Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans, ſecundo eos, qui non crediderunt perdidit, quibus tamen ſi conſenſum præbeamus, quamlibet culpam bis ferire non poſſe, hoc ex peccato percuſſis atque in peccato ſuo morientibus debet æſtimari, quia eorũ percuſſio hic cœpit, illic finitur, vt in incorrectis (B) vnum flagellum ſit, quod temporaliter incipit, ſed in æternis ſuppliciis conſummatur, quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, iam præſentium flagellorum percuſſio, ſequentium ſit initium tormentorum. Sequitur.

Comedit terram & naſcentia eius, & montium fundamenta comburet, congregabo ſuper eos mala & ſagittas meas complebo in eis. Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo, dentes beſtiarum immittam in eos cum furore trahentium ſuper terram atq; ſerpentium, foris vaſtabit eos gladius & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem; lactantem cum homine ſene.

Alia editio: *Comedit terra naſcentias agrorum, & concremabit fundamenta montium congeram in ipſos mala, & ſagittas meas conſummabo in eis, tabeſcentes fame & eſca erunt auium, & extenſio dorſi inſanabilis, dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, à foris ſine filiis priuabit eos gladius & in promptuariis eorum timor, iuuenes cum virgine lactans cum ſtabilito ſene.*

Comedit, inquit, terram & naſcentia eius; terram tunc comedit & naſcentia eius, cum carnẽ peccatricem (C) propter opera libidinis flamma æternæ vltionis comburet. Naſcentia enim carnis proprie opera ſunt concupiſcentiæ carnalis: (*Galat. 5.*) *Quæ ſunt fornicationes, immunditia, impudicitia, luxuria, odolorum ſeruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, ira, rixæ, diſſentiones ſecta, inuidia, homicidia, ebrietates, commeſſationes & his ſimilia, quæ qui agunt*, vt Paulus teſtatur, *regnum Dei non conſequentur.* Et montium fundamenta comburet, cum ſuperborum iniqua conſilia, quibus ſe impune poſſe peccare credebant, æternis cruciatibus conſumet, congregabit ſuper eos mala, quando non ſolum mala opera, ſed & cogitationes peruerſas atque praua pro quibus puniantur in memoriam adducet verba, ſagittas ſuas in eis complebit, quando iram indignationis ſuæ per varia tormenta oſtendet. Conſumentur fame, hoc eſt, non cibi nec potus, ſed perpetua bonorum operum ſterilitate. Et deuorabunt eos aues morſu amariſſimo, maligni videlicet Spiritus peccata præterita improperantes ore lacerant ſæuiſsimo. Quod autem additur, poſt deuorationem auium extenſio dorſi inſanabilis. (D) Significat plagas acerrimas, quas patiuntur peccatores in tortura Dæmonum, qui eos ſine vlla miſeratione affligunt, & pœnas validas in inferno ſoluere cogunt, beſtias atq; ſerpentes iidem maligni Spiritus ſunt, qui beſtiæ dicuntur propter ferocitatem, ſerpentes propter calliditatem, trahunt beſtiæ atque ſerpentes reprobos dentibus ſuper terram cum furore, quando hoc, quod prius blandiendo carnalibus perſuaſerunt, vt ſeducerent poſtmodum furibundo animo à peccatoribus expetunt, vt crucient, foris vaſtabit impios gladius, & intus pauor; quando in extrema vltione vndique corpus ignis æterni torquet exuſtio, & intus mentem anguſtiæ opprimit magnitudo, vnde ſcriptum eſt: (*Marc. 9.*) *Vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur.* *Iuuenem*, inquit, *ſimul ac virginem lactantem cum homine ſene.* Enumeratis vniuerſis ætatibus oſtendit nulli ætati in extrema vltione eſſe parcendum, quos idem idololatriæ fœdauerat cultus. (E) Allegorice autem in iuuene laſciuum & libidinoſum: in virgine à bonis operibus ſterilem, in lactante hebetem, in ſene pigrum & inutilem oſtendit, hos ergo omnes iuſta vindicta Dei in extrema vltione conſumet, quos nunc commonitio & correptio à peccatis non cohibet.

Et dixi, vbinam ſunt, ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Alia editio: *Et dixit diſperdam eos, priuabo autem ex hominibus memoriam eorum.*

Interrogatio Dei non eſt ignorantia, ſed correptio. Huius ſententiæ expletionem facile dignoſcere poteſt, qui Iudæos videt à terra repromiſsionis eiectos, & per totum orbem diſperſos. Generaliter autem omnibus peccatoribus & impœnitentibus hoc futurum imminet, quod de ſanctorum terra tollantur, & memoria eorum in cœtu electorum non numeretur. Vnde per Pſalmiſtam (F) capiti omnium iniquorum ſimul cum toto corpore pœna prædicitur futura, cum ſupputatis ſingulis ſpeciebus vitiorum ſubinſertur: (*Pſal 51.*) *Propterea deſtruet te Deus in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo ſuo & radicem tuam de terra viuentium.*

Sed propter iram inimicorum diſtuli, ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent, manus noſtra excelſa & non Deus fecit hæc omnia.

Alia editio: *Niſi propter iram inimicorum, ne longo tempore ſint ſuper terram, ne conſentiant aduerſarij, & dicant: manus noſtra excelſa, & non Deus fecit hæc omnia.*

Ideo enim Dominus ſæpe peccantem populum diu tollerando ſuſtinuit, ne genteseis confines nomen & potentiam eius blaſphemarent. Vnde & Moyſes ad Dominum pro peccato Iſrael indignantem & eas diſperdere volentem ait: (*Exod. 32.*) *Ne quæſo Domine dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret è terra, requieſcat ira tua & eſto placabilis ſuper nequitiam populi tui, recordare Abraham, Iſaac & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum dicens: multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, & vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum, da*(G)*bo ſemini veſtro & poſſidebitis eam ſemper, placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat ad vniuerſum populum ſuum.*

Similiter & nos quando peccauerimus propter magnam patientiam ſuam & longanimitatem ſuſtinet nolens perire quemquam, ſed omnes ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire, iuxta illud Pauli Apoſtoli, quod ad Romanos ſcribens ait; (*Rom. 2.*) *Exiſtimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei, an diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducet, ſecundum duritiam autem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei*, &c. Ac ne forte maligni Spiritus glorientur in perditione noſtra de fortitudine ſua, quaſi victoriam viribus ſuis percepiſſent, cum in hoc ſemper certent, vt ſententiam altiſsimi peruertant, qui homines decreuit locum perditorum ſpirituum in cœlis poſsidere.

(H) *Gens abſque conſilio eſt & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.*

Alia editio: *Quia gens perdita conſilio & non eſt in eis, diſciplinam non ſapuerunt intelligere, percipient in futuro tempore.*

Gens Iudæorum, nec non & omnium impiorum ſine conſilio ſalutis ſunt, quia in futurum ſibi prouidere neſciunt, quatenus imminentem pro peccatis ſuis euadant vindictam & infernalium pœnarum æternum effugiant tormentum, & quoniam diſciplinabiliter viuere negligunt, tribulationem & anguſtiam in futuro ſuſtinebunt, iuxta illud, quod de eis ſcriptum eſt. (*Prou. 1.*) *Cum irruerit ſuper eos repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper eos tribulatio & anguſtia, tunc inuocabũt me & non exaudiam, mane conſurgent & non inuenient me, eo*

Digitized by Google

A *quod exoſam habuerint diſciplinam & timorem Domini non ſuſceperint.*

Quomodo perſequitur vnus mille, & duo fugant decem millia. Nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?

Alia editio: *Quomodo perſequitur vnus mille, & duo transmouebunt dena millia, niſi quia Dominus ſubdidit eos & Deus tradidit illos.*

Quicunque magnitudinem Domini veracitèr agnoſcit, interitum ſuorum non ex infirmitate potentiæ ipſius, ſed ex permiſſione iuſti iudicii eius euenire manifeſte probabit: quia nullo modo fieri poſſet, quod vnus perſequeretur mille, & duo fugarent decem millia, niſi Dominus eos tradidiſſet, & exoſos proiiciendo in manus inimicorum concluderet.

Non eſt enim Deus noſter vt Deus eorum. Et inimici noſtri ſunt iudices.

Alia editio: *Qui non eſt Deus noſter, ſicut Dij illorum, inimici autem noſtri inſenſati.*

B Dominus enim Deus noſter verax & iuſtus eſt, idola autem gentium falſa & inutilia: quod etiam non ſolum noſtri, verum etiam noſtrorum adprobant aduerſarii. Vnde ſœpius legitur, quod hoſtibus Iudæi traditi pro infidelitate atque iniuſtitia ſua merito ab eis arguerentur, ſicut Hieremias in lamentatione ſua dicit: *Viderunt eam hoſtes & deriſerunt ſabbata eius.* (Thren. 1.) Hinc enim nobis ſummoperè cauendum eſt, ne hoſtes noſtri, qui per errorem idololatriæ merito dicuntur inſenſati, malis noſtris prouocati in blaſphemiam contra Dominum erumpant, cum viderint nos ſuperatos, & ad nihilum propter peccata noſtra redactos: hoc virtuti ſuæ adſcribant, quod non ſua potentia, ſed Domini iudicio peractum eſt.

De vinea enim Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorra, vua eorum. vua fellis & botrus amariſſima.

Alia editio: *Ex vinea enim Sodomorum vitu eorum, & propago eorum ex Gomorra, vua eorum, vua fellis, botrus amaritudinis ipſis.*

C Sæpe in Scripturis ſacris ſynagoga vel Hieruſalem Sodomæ & Gomorræ comparantur, quia ſicut illæ male abuſi ſunt donis Dei; ſic & iſtæ beneficiis Dei ſemper extiterunt ingrati. Vnde Eſaias de illis ait: (Eſa. 1.) *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus quaſi Gomorra ſimiles eſſemus, audite verbum Domini principes Sodomorum, percipe auribus legem Dei noſtri populus Gomorræ*, &c. Vinea enim Domini, ſicut in eodem Propheta ſcriptum eſt, domus Iſrael fuit, quæ tunc in fellis amaritudinem conuerſa eſt, quando Chriſti mortem meditabatur. Vnde & ipſi in cruce pendenti acetum felle mixtum arundine porrexerunt, vt in hoc demonſtraretur ſcientiam legis, quam ipſi rectam acceperunt felle malitiæ ſuæ habere corruptam, cum datorem legis ad ſe venientem recipere noluerunt, inſuper irritauerunt & cruci affixerunt. Aliter hac ſententia & hæreticorum nequitia percutitur, qui licet gratię ſpiritualis à ſanctis prædicatoribus purum dogma primitus acceperunt, ipſi tamen erroribus ſuis illud maculare non pertimeſcebant & ideò tota doctrina eorum in fellis, & in abſinthii amaritudinem conuerſa eſt.

Fel draconum vinum eorum, vt venenum aſpidum inſanabile.

D Alia editio: *Furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis.*

Aptè Iudæorum perfidia & hæreticorum verſutia draconum felli & aſpidum veneno comparantur, quia ſicut ſerpentes amaritudinem & venenum in ſe occultant, quatenus incautos improuiſe lædant, ſic & Iudæi atque hæretici malitiam ſuam dolo & fraudibus velant, quatenus imprudentes facilius exſtinguant. Bene ergo dicitur *Venenum aſpidum inſanabile*, quia hæreticorum error quemcumque inuaſerit, niſi ſe inde liberauerit, ſine dubio in æternum perimit. Quod autem iuxta aliam editionem legitur: *Furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis*, oſtendit non ſanæ eſſe mentis, ſed magis inſanientis, vitam æternam ſpernere & mortem perpetuam eligere, veritatem Euangelii relinquere, & errorum fallaciam potius ſequi velle.

E *Nonne hac condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?*

Alia editio: *Nonne hac omnia congregata ſunt apud me & ſignata in theſauris meis.*

Moris eſt humani generis, vt præterita cito obliuiſcatur, & quæ aliquando grandia videbantur, ſpacio temporis labente ſimul ipſa in recordatione deficiant; ſed non ita eſt apud Deum, vbi præteritum & futurum non eſt, ſed præſens, ſemper adeſt; quæ enim nobis prætereunt, ibi reſeruantur, nec obliuioni tradentur, inde neceſſe eſt, vt peccata quæ dudum commiſimus, inſtanti pœnitentia delere coram oculis Dei ſtudeamus, ne forte in futuro, quando tempus erit vindictę reputet nobis debita noſtra & dicat: hæc feciſti & tacui, exiſtimaſti iniquitatem, quod eſſem tibi ſimilis: arguam te & ſtatuam illa contra faciem tuam.

Mea eſt vltio & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.

F Alia editio: *In die vltionis reddam illis in tempore, quo lapſus fuerit pes eorum.*

Certa ſunt apud Dominum & tempus & modus vindictæ, quo peccatores, ſi ſe à peccatis non correxerint, torquendi ſunt. Sed quia multæ miſerationes eius ſunt, *præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei.* (Pſal. 94.) Humiliemus in ieiunio animas noſtras, vigilemus & oremus, quoniam quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus & relinquat poſt ſe benedictionem.

Iuxta eſt dies perditionis & adeſſe feſtinant tempora.

Alia editio: *Quia prope eſt dies perditionis eorum, & hac ſunt parata vobis.*

Iuxta eſt vnicuique dies vltionis, quia certus eſt, nec diuturnũ eſſe poteſt, quod aliquando finitur. Quicquid enim temporale eſt, vt eſt hominis ætas, curſus præſentis vitæ, ſi ad æternitatem comparatur, paruũ fit in eius cõparatione, ideo dicitur & adeſſe feſtinant tempora, quia cito finiuntur temporalia, & parata iniquis adueniunt tormenta, iuxta id, quod ſcriptum eſt: *Parata ſunt deriſoribus iudicia.* (Prou. 19.) Secundum hiſtoriam autem Iſraelitarum vindicta appropiauit. quia ex quo rebellare cœperunt, nunquam perfectè deſtiterunt, donec regnum, locum & vitæ

G proſperitatem pariter perdiderunt, nam poſtquam Prophetas occiderunt & Saluatorem crucifixerunt ſeditionibus antiquis noua ſuper adiicientes. Romanos rebellando in ſe prouocarunt, qui, vrbe deſtructa, templo ſuccenſo, populo fame & gladio necato, reliquias eorum per totum orbem diſperſerunt, vbi incertis ſedibus vagando ſpe futurorum manent incerti.

Iudicabit Dominus populum ſuum & in ſeruis ſuis miſerebitur.

Alia editio; *Quia iudicabit Dominus populum ſuum & in ſeruis ſuis conſolabitur.*

Iudicabit ergo Dominus populum ſuum, quando electos ſuos à reprobis ſecernit, nam aliquando iudicare pro diſcernere; aliquando vero pro damnare accipitur, vnde in Pſalmo Propheta ad Dominum dixit: *Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo eripe me.* (Pſal. 42.) Hic iudicare pro diſcretione ponitur; alibi autem idem Propheta ad Dominum clamans ait: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.* (Pſal. 34.) Sed hic

H iudicium pro damnatione poſitum eſt, iudicabit enim Dominus ſanctos ſuos, quando eos in die iudicii ſegregans à peccatoribus collocabit in dextera ſua: Hoſtes autem eorum & perſecutores à ſiniſtris ſtatuet, vt damnationem certam cum Diabolo & Angelis eius in inferno recipiant, & ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam, tuncque perfecte erit, quod in prædicto verſu ſubſequitur: *Et in ſeruis ſuis miſerebitur.* Quia in cœleſti beatitudine fidelibus ſuis miſericordiam præſtabit æternam. Quod autem iuxta aliam editionem, *Dominus* legitur, in ſeruis ſuis conſolari, metonymicè dictum eſt, vbi per id, quod efficiuntur, id quod efficit demonſtratur. nam *Dominus* iuxta naturam ſemper lætus & trãquillus eſt, nec vnquam in triſtitiæ mœrorem com-

A Sap 12. mutatur, de quo ſcriptum eſt: *Tu Domine, qui cum tranquillitate iudicas & diſponis omnia.* Bene ergo dicitur Dominus in ſeruis ſuis conſolari, qui electos ſuos poſt finem triſtitiæ præſentis æterna pace & gaudio conſolatur. Poteſt & iſte verſus ad Iudæorum conuerſionem vltimam referri, quando miſerante Deo populo ſuo poſt plenitudinem gentium ad fidem ſubintrantem omnis Iſrael per gratiam diuinam ad eandem fidem conuerſus ſaluus fiet.

Videbit quod infirmata ſit manus, & clauſi quoq; defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt, & dicet, vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, ex quorum victimis comedebant adipes & bibebant vinum libaminum, ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.

Alia editio: *Vidit enim eos fatigatos & defectos in abductione & diſſolutos, & dixit, vbi ſunt nunc Dij illorum, in quibus confidebatis in ipſis, quorum adipem ſacrificiorum edebatis, & bibebatis vinum libationis eorum, exurgant nunc & iuuent vos & fiant vobis protectores.*

B Videbit, inquit, quod infirmata ſit manus cum videre fecerit, quod opera malorum, quę fecerunt in idololatria vel cæteris tranſgreſſionibus, infirma fuerint, quando ad nihilum redacta, nihil eis, qui ea fecerant, profuerint. & clauſi quoque defecerunt, hoc eſt, ſiue Iudæi ad captiuitatem ab inimicis ducti ibidem conſumpti ſunt, vel omnes impii in poteſtatem Dæmonum traditi vltra non præualebunt, reſiduique conſumpti ſunt, quia ab hac vita exeuntes, non habebunt vlterius poteſtatem atque facultatē aliquid faciendi. Idcirco in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: Eccl. 9. *Quodcunq; poteſt manus tua facere, inſtanter operare quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quod autem ſubiungitur: *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam,* & reliqua, ſignificat, quod idololatræ nullum adiutorium in die neceſſitatis habeant ab idolis, quibus antea cultum exhibuerant, ſed nec mundi amatores, qui per auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus, pecunias in mundo congregauerant, qui delitiis atq; luxuriæ deſeruierant, quorum Deus venter erat & gloria in confuſionem ipſorum, qui terrena ſapiebant, nihil ſecum conferunt de vniuerſo labore ſuo, quando pro peccatis ſuis ad tartarum à malignis ſpiritibus pertrahuntur. C

Videte, quia ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me.

Alia editio: *Videte, videte, quoniam ego ſum Deus, & non eſt præter me.*

Hæc admonitio generaliter ad omnes homines pertinet, vt, relicta falſitate idolorum, atq; deceptione hæreticorum, ſpretiſque omnium iniquitatum ſordibus, ad vnum & ſolum Deum Patrem, & filium, & Spiritum ſanctum per fidem Catholicam colendum conuertantur, eumque ex toto corde, tota anima totaq; virtute diligant & mandata eius atq; iudicia diligenter conſeruent, quatenus regni cœleſtis hæredes effici mereantur.

Ego occidam & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt, qui poſſit de manu mea eruere.

Alia editio: *Ego occidam, faciam percutiam & ego ſanabo, & non eſt, qui eripiat de manibus meis.*

Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad ſalutem curat, aliquando enim carnem percutit, & mentis duritia in ſuo pauore tabeſcit, vulnerando ergo ad ſalutem reuocat, cum electos ſuos affligit exterius, & interius viuificat. D Recte ergo per Moyſen loquitur dicens: *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo.* Occidit enim, vt viuificet; percutit, vt ſanet. quia idcirco foras verbera admouet, vt intus vulnera infligat, quia mentis noſtræ duritiam ſuo deſiderio percutit, ſed percutiendo ſanat, quia terroris ſui iaculo transfixos ad ſenſum nos rectitudinis reuocat, corda enim noſtra male ſana ſunt, cum nullo Dei amore ſauciantur, cum peregrinationis ſuæ ærumnam non ſentiunt, cum erga infirmitatem proximi, nec quolibet minimo affectu langueſcunt, ſed vulnerantur, quia amoris ſui ſpiculis mentes Deus inſenſibiles percutit, moxque has ſenſibiles per ardorem caritatis reddit.

Leuabo ad cœlum manum meam & dicam, viuo ego in æternum.

E Alia editio: *Quia tollam in cœlum manum meam, & iurabo per dexteram meam, & dicam, viuo ego in æternum.*

In cœlum manum leuare, ſiue attollere eſt potentiam æternitatis ſuæ ſuper omnia excellentem oſtendere: iurare per dexteram, eſt, per filium, qui dextera Dei nominatur, promiſſa ipſius in conſpectu hominum confirmare, & æternitatem ſuam credentibus ſibi per Euangelium reuelare, quia poteſtas eius poteſtas eſt ęterna, & regnum eius, quod non corrumpetur.

Si exacuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis & qui oderunt me retribuam.

Alia editio: *Quia exacuam velut fulgur gladium & agit iudicium manus mea & retribuam iudicium inimicis & his qui oderunt me reddam.*

Exacuere, vt fulgur gladium Dei, eſt, repentinam vindictam in hoſtibus exercere: & arripere iudicium manui diuinæ eſt, per iuſtam retributionem ſingulis ſecundum propria merita reddere, ſicut ſcriptum eſt: Rom. 2. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* F Et Apoſtolus: 2. Cor. 5. *Omnes,* inquit, *ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.*

Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus manducabit carnes.

Sagitta enim hominem, dum non attendit, percutit, & dum illam non præuidet, ſubito interimit, ſagittæ Domini ſunt celeres vindictæ, quæ licet modo occultæ ſint coram oculis iniquorum, ſubito tamen manifeſtabuntur in damnatione perditorum, & Dei gladius carnes comedit, quia in extremo iudicio eius ſententia eos, qui carnaliter ſapiunt, occidit.

De cruore occiſorum & de captiuitate nudati inimicorum capitis.

Alia editio: *A ſanguine vulneratorum à captiuitate, à capite principum inimicorum.*

Ad hoc, quod dicit, de cruore inimicorum ſubauditur illud, quod præmiſſum eſt: *inebriabo ſagittas meas.* Inebriat Dominus ſagittas ſuas in cruore occiſorum, quod vltionem exercet in turba inimicorum, tuncque nudabuntur capita hoſtium, quando vana eſſe probabuntur conſilia iniquarum mentium, quibus ſe impune poſſe peccare G confidebant, poſſunt & capita iniquorum magiſtri accipi errantium, in quos vltio nouiſſima redundat, quia qui fuerunt cauſa peccatorum, ſentient damna in retributione pœnarum. Vnde in Apocalypſi ſcriptum eſt: Apoc. 14. *Et exiit ſanguis de lacu vſque ad frenos equorum,* Hoc eſt, proceſsit vltio tormentorum, vſque ad rectores populorum, vſque enim ad Diabolum & eius Angelos nouiſsimo certamine exiit vltio ſanguinis ſanctorum, effuſi ſicut ſcriptum eſt: Ezech. 35. *In ſanguine peccaſti, & ſanguis te perſequetur.* Notandum vero, quod hoc loco in editione LXX. interpretum quædam ſententiæ interponuntur, quæ in Hebraica veritate non inueniuntur hoc modo.

Lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei. Lætamini gentes ſimul cum populo eius & confirment eum omnes filij Dei.

Hæ tamen ex canonica auctoritate rite prolatæ eſſe probantur, quando ex his Paulus Apoſtolus teſtimonia ſumere reperitur: H Nam in Epiſtola, quæ ad Hebræos ab ipſo ſcripta eſt, nec non & in illa, quæ ad Romanos ſimiliter ab eo directa eſt, inde teſtimonia adſumpſiſſe inuenitur. Deniq; ad Hebræos ſcribens ſic infert: Hebr. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Ad Romanos vero de gentium conuocatione & ſacietate Iudaicæ plebis diſputans ſic ait: Rom. 15. *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem DEI ad confirmandas promiſſiones Patrum.* Gentes autem ſuper miſericordia honorare DEVM, ſicut ſcriptum eſt: 2. Reg. 22. *Propter hoc confitebor tibi in gentibus DOMINE & nomini tuo cantabo.* Et iterum dicit: Rom. 15. *Lætamini gentes cum plebe eius.* Vnde verum conſtat, quod Apoſtoli & illam editionem quæ ex Hebraica veritate eſt: nec non & illam quæ

ex lxx. interpretibus æqualiter probauerunt, cum ex vtraque teſtimonia ſumpſerunt. Illud vero, quod ad ſupernam creaturam quaſi exhortando loquitur dicens, *Lætamini cæli, ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei*, oſtendit, quod poſt aduentum Saluatoris in carne & Iudicium eius vniuerſale, quo iuſti coronantur & peccatores damnantur, cœleſtes & terreſtres creaturæ ſimul in laudem ſui coadunantur conditoris, & Regem CHRISTVM ſuper omnia regnantem atque dominantem adorant & venerantur in æternum. Quod autem ſequitur: *Lætamini gentes ſimul cum populo eius & confirment eum omnes filij Dei*; idem eſt quia Eccleſia Chriſti ex Iudæis & gentibus congregata poſtquam in reſurrectione carnis immortalitatem & incorruptionem veraciter percipit, hoc confirmat facto, quod ante teſtificabatur verbo, ſequitur.

Laudate gentes populum eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur & vindictam retribuet in hoſtes eorum.

Alia editio: *Quia ſanguis filiorum eius defenditur, & defendit, & retribuam iudicium inimicis & his, qui oderunt eum reddet.*

Laudabunt omnes gentes populum Dei, quando viderunt glorioſam apparere in conſpectu Conditoris ſui Eccleſiam Dei, & perſecutores eius pro effuſo à ſe ſanguine martyrum & omnibus malis, quæ in hac vita geſſerunt per malignorum ſpirituum miniſterium retrudi in Gehennam ignis æterni. Tunc enim & boni bonum, quod vident laudabunt, quia præmium placet, quod habebunt, & impii in pœnis conſtituti, licet ſero pro malo, quod geſſerunt, pænitebunt, cum viderint gloriam ſanctorum clareſcere, quam non ſperauerunt: *Gementes enim in anguſtiis conſtituti dicent intra ſe pœnitentiam agentes. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Quomodo ergo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt?* Sap. 5.

Et propitius erit Dominus terræ populi ſui.

Alia editio: *Et emundabit terram populi ſui.*

Emundabit ergo Dominus terram populi ſui, ſiue propitius erit terræ populi ſui, quando Eccleſiam ſuam, quam hactenus regebat in aduerſis per miniſtros ſuos ab omnibus ſcandalis erutam atque purgatam perpetua pace fruentem viuere facit in proſperis regni cœleſtis, vbi ſine fine gaudebit, & laudes Domino ſimul cum Sanctis in æternum cantabit.

Explicit Canticum Deuteronomij.

INCIPIT HYMNVS TRIVM PVERORVM.

HYmnus trium Puerorum, quem Danielis Prophetæ liber continet, in Hebræo non habetur, ſicut interpres noſter beatus videlicet Hieronymus teſtatur; ſed ex Lxx. vel aliorum interpretum editione additus eſt, vbi & ante narratur, quod Angelus Domini deſcenderit cum Azaria & ſociis eius in fornacem, & excuſſerit flammam ignis de fornace, & fecerit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigerit eos omnino ignis, neque contriſtauerit, nec quicquam moleſtiæ intulerit. Poteſt & hic Angelus Domini, qui deſcendit cum tribus pueris in caminum ignis ardentis, & eos protexit ab ardore flammarum, typicè ſignificare Dominum Saluatorem, quem Propheta magni conſilii Angelum nominauit, eo quod ſuæ & paternæ adnuntiator eſt voluntatis. Hic quoque deſcendit in hunc mundum, vbi Rex confuſionis, id eſt, Diabolus fornacem, hoc eſt, corda iniquorum igne cupiditatis atque luxuriæ inflammat, vt flatu Spiritus ſancti per gratiam ſuam electos ſuos ab hoc igne ſeruet illæſos, quatenus eius laudibus intenti pro ereptione ſua gratias referant liberatori ſuo. De quo ſubditur.

Tunc hi tres, quaſi ex vno ore laudabant & glorificabant & benedicebant Dominum in fornace dicentes. Dan. 3.

Iſti ergo tres viri, qui quaſi ex vno ore laudabant & glorificabant & benedicebant Dominum, ſignificant electos Dei, qui in ſanctæ Trinitatis fide ſolidati vnum Deum Patrem, & Flium, & Spiritum ſanctum adorant, colunt & prædicant, laudant quidem eum recta credulitate: glorificant vera confeſſione, & benedicunt bona operatione. Vnde etiam concorditer dicunt.

Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.

Deus ergo noſtrorum Dominus eſt Chriſtus cum Patre & Spiritu ſancto vnus & omnipotens Deus, quem coluerunt Patriarchæ, laudauerunt Prophetæ, prædicauerunt Apoſtoli, omnis Chriſti Eccleſia confitetur. Hic ſemper erat, eſt, & erit laudabilis ac glorioſus & ſuper omnes creaturas exaltatus regnat in ſæcula ſæculorum.

Benedicite omnia opera Domini Dominum.

Generali laudatione præmiſſa, quod omnis creatura debeat laudare Dominum, in conſequentibus per partes ſingulas hortatur Angelos & cœlos, aquas atq; virtutes, Solem & Lunam, imbrem & rorem, Spiritum, ignem & æſtatem, frigus & æſtum & cætera, quæ longum eſt texere, ita vt fontes quoque & maria ac flumina, cœtos & volucres beſtiaſque & pecora ad laudem Domini prouocet, & filios hominum, & poſt omne horum genus Iſraelem, & de ipſo Iſrael ſacerdotes & ſeruos Domini, Spiritus animaſque iuſtorum, ſanctos & humiles corde, & ad extremum Ananiam, Azariam & Miſaelem, qui ad laudes Domini præſenti beneficio prouocantur. Omnis autem creatura, non voce, ſed opere laudat Dominum, quia ex creaturis conſequenter creator intelligitur & in ſingulis operibus atq; effectibus Dei magnificentia demonſtratur. Sed quia Dauid in Pſalterio pari modo omnia opera Domini, hoc eſt, omnes creaturas ad benedicendum & ad laudandum Deum prouocat, reſtat, vt ſicut hiſtoricus ordo iſte benedictionis atq; laudationis Domini laudabilis exſtat, ita & myſterii eius ſenſus ſpiritalis ſingulis ſpeciebus conuenienter aptetur. Dicit enim Dauid iuxta finem centeſimi & ſecundi Pſalmi, quem ad benedicendum Deum compoſuit, ita, *Benedicite Dominum omnia opera eius in omni loco dominationis eius.* Admonet ergo ipſa opera Domini auctorem ſuum debere laudare, vt terrena cæleſtiaque concluderet. nam cum totum opus eius ſit, omnia debent ſuum benedicere creatorem, & in omni loco dominationis eius, quia ſicut nulla creatura à laudibus Domini iubetur excipi, ita nec locus quiſquam relinquitur, qui tali munere ſegregetur. Nam cum dicitur; in omni loco dominationis eius, nihil excipitur, quia vbique dominatur, ſignificans forte Eccleſiam Catholicam, quæ per totum mundum erat, Domino præſtante, creditura; ipſa enim vbiq; Dominum benedicit, vbique cōlaudat & hymnidica exultatione concelebrat. Quod autem in benedictione trium puerorum ſingulis verſibus ſubiungitur.

Laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Hoc oſtendit, quod ita laudis eius præconium debet pronuntiari, vt ipſe ſuper omnia exaltatus in ſæcula regnans prædicetur.

Benedicite cœli Dominum, benedicite angeli Domini Dominũ.

Cœli enim ſecundum hiſtoriam benedicunt Dominũ, quia in ſua poſitione laudabilem & benedictum oſtendunt creatorem. Quamuis ergo in Geneſi vnum cœlum fabricatum eſſe legerimus, tamen eos plurali numero & Paulus Apoſtolus appellauit, qui refert in tertium ſe cœlum raptum, ibique talia cognouiſſe, quæ homini non licebat effari, & hic plurali numero nuncupantur, quod tali forſitan ratione concordat: dicimus vnum eſſe pala-

A tium, quod multis membris multiſq; ſpatiis ambiatur,i-
ta forſitan & cœli partes dicimus cœlos, dum comple-
xio atq; ſinus eius vnus eſſe monſtretur, cœli vero ſub-
ſtantia quamuis pura,lucida atq; egregia eſſe putanda ſit,
dignaque talibus ac tantis habitatoribus ſuis,tamen ani-
mal eam eſſe non comperi, & temerarium eſt ex opinio-
ne hominum dicere,quod cœleſtium literarum non tra-
dit auctoritas: nam & cœlorum nomine in Scripturis A-
poſtolos & Prophetas inuenimus denotatos,qui de ad-
uentu Domini diſſerendo orbem terrarum ſanctis admo
nitionibus impleuerunt,in quibus Deus tanquam in cœ-
lis habitat,qui cuncta late complectitur,non ex parte,ſed
tota eos plenitudine ſuæ maieſtatis. Pars enim in Deo
non eſt, ſed vbiq; totus & plenus eſt.

Benedicite aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, Dominum.

Gen. 1. Aquas vero ſuper cœlos eſſe Geneſis refert: ait enim.
Diuiſitq; aquas, quæ erant ſuper firmamentum, quod vtrumq;
nimiæ laudis deſignat arcanum, vt & cœlorum tenuitas
firma conſiſtat & aquæ ſupra ipſum poſitæ cum ſint gra-
uiores,niſi quando fuerint iuſſæ,non defluant. Aquæ ve-
B ro quæ ſuper cœlos ſunt, vt arbitror iſtas, quæ defluunt
eſſe non dubium eſt,teſtante libro Geneſis,quod catara-
ctæ cœli apertæ ſint,& facta ſit pluuia ſuper terram qua-
draginta diebus & quadraginta noctibus, &c. quod non
adeo quærere neceſſarium eſt, quando aut per ſe,aut per
ſubſtantias rationales laudare Dominum omnia commo
neantur.

Benedicite omnes virtutes Domini Dominum.

Pſal. 102. De virtutibus Dei dicitur in Pſalmo: *Benedicite Domi-
num omnes virtutes eius & miniſtri eius, qui facitis voluntatem
eius.*

Quoniam illa ſublimis ſpiritualiſq; ſubſtantia beato-
rum Angelorum,cum Dominum contuetur,vbi verita-
tem eius voluntatis agnoſcit, nec opus eſt loqui, quibus
ſe diuinitas propitiata patefacit; non enim Deus,verbe-
rato aere loquitur, ſed inſpiramine ſuo voluntates eo-
rum ad ſuum velle conuertit.

*Benedicite Sol & Luna Dominum benedicite ſtellæ cœli Do-
minum.*

Pſal. 148. De quo & Pſalmiſta dicit: *Laudate eum Sol & Luna,lau-
C date eum omnes ſtellæ & lumen.* Sol,luna,ſtellæ, vt quidam di
cunt, etſi aliquo Spiritu proprio regantur, tamen quia
carnalibus oculis pateſcunt inferiores eſſe virtutibus, q̃
non videntur, non abſurda æſtimatione colligitur,quam-
uis cœli ſpeciem decoro lumine ornare videantur. nam
illa,ad quæ peruenit noſter aſpectus,licet ſint lucida atq;
ſubtilia,tamen corpora eſſe manifeſtum eſt,& neceſſe eſt,
vt illis cedant, quæ inuiſibili virtute ſubſiſtunt. quapro-
pter ſolem, lunam & ſtellas, ſiue per propriam ratio-
nem, ſiue per alias ſenſibiles & iudicabiles ſubſtan-
tias Propheta laudare Dominum, quia creatoris be-
neficio exiſtere meruerunt. Conſiderata enim tot lumi-
na ingentes admirationes poterunt commouere, quan-
do mortales oculos videre faciunt & ipſa in tam ſplendi
da claritate conſiſtunt. His rebus lumen generaliter ad-
iunctum eſt,vt cætera lumen in ſe habentia,quę dinume-
rata non ſunt,tali complexione ad laudes Dominicas in-
citaret.

Benedicite imber & ros Dominum.

In imbre enim & rore dona cœleſtia & præcepta ac
D mandata Domini exprimuntur,quæ terram, hoc eſt, ho-
mines irrigant & excitant ad proferendum germen bo-
norum operum. Dignum eſt enim,vt quod dono cœleſti
ſalubriter hominibus offertur,ad benedictionem & lau-
dem Domini proficiat.

Benedicite omnes Spiritus Dominum.

Pſal. 150. Hoc eſt, quod in Pſalterio nouiſſime ſcriptum, *Omnis
Spiritus laudet Dominum,* non vtique caro & ſanguis,non
ambitus,non illecebræ ſeculares,ſed illud quod eſt in na-
tura ſublimius,hoc laudet Dominum,quod cœleſtia vti-
que ſapit, quando æterna præmia concupiſcit, quapro-
pter vniuerſo operi breuem perfectamq; ſententiam de-
dit,vt Dominum Saluatorem ſpiritaliter debeant cuncta
laudare.

Benedicite ignis & æſtas Dominum.

E Ignis aliquando caritatem ſignificat,aliquando tribu-
lationem, ſic & æſtas aliquando ardorem dilectionis &
viriditatem boni operis, aliquando æſtum perſecutionis
exprimit. Sed hæc benedicunt Dominum, quando ho-
mines faciunt benedicere Creatorem ſuum, quia ſancti
viri & in proſperis & in aduerſis ſemper laudant Domi-
num. Vnde Apoſtolus exhortatur: *vt in omnibus glorifice-
tur Deus per Ieſum Chriſtum.* Similiter quatuor verſus ſe-
quentes intelligi poſſunt, vbi dicitur.

*Benedicite noctes & dies Dominum, benedicite lux & tenebræ
Dominum, benedicite frigus & æſtas Dominum, benedicite rores
& pruina Dominum.*

Per contrarias enim ſibimet res laudem Domini fieri
hortatur & ad benedicendum prouocat. Nam dies & lux
& æſtas & rores proſperitatem; & è contra nox & tene-
bræ frigus & pruina tribulationem ſignificant. Non ſo-
lum enim elementa mundi & tempora ad laudandum
Deum habilia ſunt, ſed etiam ipſi homines, qui ſub ele-
mentis mundi conſtituti temporaliter viuunt ad bene-
dicendum Deum,debitores ſiunt,quia creator omnium,
ſic temperat electis ſuis præſentia, vt ipſi perpetualiter F
præconia non taceant diuina,vnde Paulus ait: *Libenter igi-* 2. Cor. 12.
tur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus 2. Cor. 4.
Chriſti. Et item: *Id,* inquit, *quod in præſenti eſt momentaneum
& leue tribulationis veſtræ ſupra modum in ſublimitatem æter-
num gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis,
quæ videntur,* &c.

*Benedicite gelu & frigus Dominum, benedicite glacies & ni-
ues Dominum.*

In gelu & frigore, glacie & niue præſentis temporis
aduerſitas, vel duritia mentis humanæ ſignificatur, ſed
ſæpe hæc Dominus in laudem ſuam conuertit, dum ho-
mines infidelitatis algore torpentes per fidei calorem &
bonorum operum ſtudium ad ſeruitium Chriſti conuer-
tuntur, vnde ſcriptum eſt in Salomone; *Sicut in ſereno gla-* Eccl. 3.
cies,ita ſoluentur peccata tua. Et in Pſalmo. *Ignis,* inquit, *gran-* Pſal. 148.
do,nix,glacies,Spiritus procellarum qui faciunt verbum eius, qui-
bus rebus per allegoriam homines ſignificat, qui in hoc
ſæculo ex turbulentis & peſſimis ad deuotionis tranquil-
liſſima ſtudia peruenerunt. Quomodo iſti faciunt ver-
bum eius, niſi quia ex tempeſtuoſis & improbis ad con- G
feſſionis ipſius gratiam venire meruerunt?

Benedicite fulgura & nubes Dominum.

Quid ergo per nubes, niſi Euangelii prædicatores, &
quid per fulgura, niſi coruſcationes miraculorum nobis
demonſtrantur? de quibus per Pſalmiſtam dicitur, *fulgu-* Pſal. 17.
ra multiplicabis & conturbabis eos. Per has ergo nubes lumi-
ne ſuo deſuper Dominus fulgurat,quia per prędicatores
ſanctos inſenſibilitatis noſtræ tenebras etiam miraculis
inluſtrat. Cumque nubes iſtæ verbis pluunt, cumq; mi-
raculis vim coruſcæ lucis aperiunt,extremos etiam mun-
di terminos in diuinum amorem conuertunt.

*Benedicat terra Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſæ-
cula.*

Hic ergo terra ſanctam Eccleſiam ſignificat, de qua in
Pſalmo ſcriptum eſt: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, or-* Pſal. 23.
bis terrarum & vniuerſi, qui habitant in ea, & quamuis ter-
ram in bono ac ſi in malo poni ſæpe nouerimus, hic ta-
men Eccleſiam debemus aduertere, quæ Domino ſpe-
cialiter pura mente famulatur. Nam licet omnia abyſ-
ſo ſint condita; tamen illud ipſius eſſe proprie dici- H
mus, quod eum veneratur auctorem, & ideo Eccle-
ſia non immerito fructifera bonorum terra ſuſcipitur,
quia nutrit & continet populum Chriſtianum. Hæc er-
go terra ſemper laudat Deum & ſuperexaltat eum in ſæ-
cula,quia non ſolum in præſenti ſæculo, ſed etiam in fu-
turo eum ſemper laudat, & ſuper omnia dominantem
prædicat.

*Benedicite montes & colles Dominum, benedicite vniuerſa
germinantia in terra Dominum, laudate & ſuperexaltate eum
in ſæcula.*

Hinc etiam Pſalmiſta, vbi omnes creaturas ad lau-
dandum Dominum prouocat, inter cætera ait: *Mon-* Pſal. 148.
tes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri. Hic montes

ſigni-

Digitized by Google

A ſignificat homines præ tumida poteſtate ſublimes, col-
les mediocres æqualitate tractantes, ligna fructifera, qui
ex duritia peccatorum conuerſi, fructus bonorum ope-
rum intulere dulciſſimos. Cedri quoque abſolutè ſu-
perbos ſignificant, & elatos, ſed quia mandat, quod vni-
uerſa terræ germinantia Dominum laudent, oſtendit,
quod ex omnibus generibus hominum Chriſti gratia ſi-
bi electos parat, qui in illa vltima reſurrectione, Angelo-
rum poſsint cœtibus adgregari, & in laudibus condito-
ris ſui in æternum aſſociari.

Benedicite fontes Dominum.

Fons quoque in Scripturis aut Dominum Chriſtum
myſticè ſignificat, aut gratiam Spiritus ſancti, aut baptiſ-
mi lauacrum, aut originem virtutum. Nam Chriſtum ſi-
gnificat in eo, quod Geneſi legitur, fontem eſſe in medio
paradiſi. Vnde quatuor flumina procedebant, hoc eſt,
quatuor Euangelia de fonte ſalutaris procedentia ad in-
rigationem generis humani. Item fons Spiritus ſancti
gratiam deſignat in eo, quod Dominus dicit in Euange-
Ioan. 4. lio: *Qui biberit aquam, quam ego do, fiet in eo fons aquæ viuæ ſa-*
B *lientis in vitam æternam.* Baptiſmi vero ſacramentum o-
Zach. 13. ſtendit illud Zachariæ, quo ait: *In die illa erit fons patens do-*
mui Dauid & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccato-
ris & menſtruatæ, nam hic fons de domo Dei egrediens
fertur ad Eccleſiam, & ad ſcientiam Scripturarum, vt
omnes renaſcamur in Chriſto & non aqua baptiſmatis
noſtra nobis peccata donentur. Sed hic fontes poſſu-
mus teſtimonia ſacrarum Scripturarum per ora prædi-
catorum prolata intelligere. Vnde in Pſalmo ſcriptum
Pſal. 17. eſt. *Apparuerunt fontes aquarum*, id eſt, veritas prædican-
tium, qui fontes æternæ vitæ ſanctitatis ore fuderunt, i-
pſo enim Domino veniente patuit, quod obſcuritas di-
uini tegebat eloquij.

Benedicite maria & flumina Dominum.

Quando dicit maria, generaliter omnes aquarum col-
lectiones, ſiue ſalſæ ſint, ſiue dulces ſimul comprehen-
Gen. 1. dit iuxta illud, quod ſcriptum eſt. *Congregationes aquarum*
appellauit maria à quibus flumina procedunt, vt eſt illud,
Eccleſ. 1. *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad lo-*
C *cum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, vbi
metaphoricè aquæ nomine limus terræ & in fluminibus
homines intelliguntur, qui in terram, vnde ſumpti ſunt
reuertuntur; ſed terra eorũ multitudine non impletur.
Benedicere ergo iubentur homines Dominum, hoc eſt,
auctorem ſuum cognoſcere, illumque fide & bonis ope-
ribus colere, quia ab ipſo creati ſunt, & ad eius iudicium
2. Cor. 5. omnes reuertuntur, *quatenus vnuſquiſque propria corporis re-*
cipiat, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.

Benedicite cæti & omnia quæ mouentur in aquis Dominum,
laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

In cætis ergo, qui pro magnitudine corporis ſui mon-
tibus comparantur, & cæteris animantibus, quæ in ma-
ri verſantur præeminent, potentes iſtius mundi expri-
mi poſſunt. Hi cum cæteris hominibus, qui in hoc ſæcu-
lo verſantur ad laudandum Creatorem ſuum prouocan-
tur, cuius munere omnes ſubſiſtunt, & omnes nutriun-
tur, quia dignum eſt, vt magni & parui omnipotentem
Conditorem ſuum laudent & in ſæculum benedi-
cant.

Benedicite volucres cœli Dominum.

D In volucribus ergo Philoſophi accipi poſſunt, qui co-
gitationum ſuarum velocitate naturas rerum & curſus
ſiderum diſcutere conſueuerunt; ſiue etiam altiori ſenſu
Angeli volucrum nomine deſignati intelligi poſſunt,
qui ad cuſtodiam hominum in mundum à Deo mittun-
tur, vt eorum curam gerant, & contra ſpiritales ne-
quitias illos defendant, quia æquum eſt, vt omnes præ-
lati ſimul & ſubditi omnium dominatorem benedicant,
qui fecit cœlum & terram, maria & omnia, quæ in eis ſunt.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Dominum, laudate & ſu-
perexaltate eum in ſæcula.

In beſtijs crudeles & indomiti homines ſignificantur
& in pecoribus omne vulgus & infinitæ plebes. Nam
tales Propheta hortatur, vt conuerſi à crudelitate & ſu-
perbia ad humilitatem & innocentiam reuertantur, ita
vt corde, ore & opere benedicant factorem ſuum, à quo E
perfecti ſunt cœli & terra & omnis ornatus eorum.

Benedicite filij hominum Dominum, benedicat Iſrael Domi-
num.

In filijs quidem hominum rationabiliter viuentes,
& in Iſrael diuinæ contemplationi vacantes deſignan-
tur. Hos ergo ad benedicendum Deum inuitat,
quia valde dignum & iuſtum eſt, vt qui ſuper cæteras
creaturas terræ, hoc ab opificis ſui largitate perceperunt,
vt eum veraciter agnoſcentes recta fide ac bonis operi-
bus colere & mundo corde atque pura intentione con-
templari atque diligere poſſint, nunquam à laudibus e-
ius ceſſent, ſed in æternum benedicentes prædicent.

Benedicite Sacerdotes Domini Dominum, benedicite ſerui
Domini Dominum.

In Sacerdotibus magiſtros Eccleſiæ exprimit, in ſeruis
vero ſubiectorum plebem. Omnes ergo adhortatur, vt
prælati ſimul & ſubditi Dominum Chriſtum, cuius mu-
nere ſunt ſanctificati atque mundati ſemper benedicant
ſimul cum Patre & Spiritu ſancto regnantem in ſæcula
ſæculorum. F

Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Dominum.

In ſpiritus ergo & animæ vocabulo totam conditio-
nem interioris hominis comprehendit, qui ſpiritu ſapit
& anima viuit. Mandat ergo Propheta, vt iuſtorum ſpi-
ritus & animæ benedicant Dominum, quia illi ſolummodo
veraciter benedicunt Dominum, qui iuſtitiæ & veritatis
regulam ſeruant, horumque benedictiones diuinitas
gratanter accipit, qui recta fide, vera confeſſione ac bo-
na operatione iuſte viuendo illum conlaudant.

Benedicite ſancti & humiles corde Dominum.

Humilitatem cordis habere & præſens verſiculus do-
cet, & illud, quod in Euangelio legitur. *Diſcite à me, quia*
mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ve- Matth. 11.
ſtris. Cordis autem illa eſt humilitas, quæ in alio loco
paupertas ſpiritus appellatur, vt non erigamur ſuper-
bia, nec ficta humilitate gloriam terrenam quæramus,
ſed toto corde inclinemur.

Benedicite Anania, Azaria & Miſael Dominum, hym-
num dicite, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Quia eruit
nos de inferno, & ſaluos fecit de manu mortis & liberauit de me-
dio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos. G

Nouiſsime vero tres pueri ſemetipſos ad benedicen-
dum Dominum exhortantur, & merito per ordinẽ crea-
turæ ſuæ ob liberationem eorum commutauit, ita vt nec
corpora eorum ignis lædere, nec veſtimenta flamma cõ-
burere poſſet, cui hymnus eſt debitus, & laudatio con-
ueniens, quia ipſe ſemper laudabilis & ſuper omnia ex-
altatus manet in ſæcula ſæculorum. Poſt has quoq; bene-
dictiones additum eſt à ſanctis Patribus id, quod modo
canitur in Eccleſia, hoc eſt ſanctæ Trinitatis laus & con-
feſsio iuxta hunc modum.

Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu laudemus
& ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Quia vnus & ſolus Deus eſt, Pater & Filius & Spiri-
tus ſanctus trinus in perſonis & vnus in ſubſtantia, qui
creauit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis
ſunt, cuius laudem prædicare & nomen eius ſuper om-
nia fas eſt confiteri omnibus, qui in illum credunt, & ab
eo vitam æternam accipere volunt, eiuſque bonitate frui
deſiderant in regno cœleſti, hoc autem quod ſequitur in H
hoc Cantico ante prælatum eſt in libro prophetico, vbi
priuſquam prouocarentur opera Domini ad benedicen-
dum Dominum, ita ſcriptum legitur. *Benedictus eſt in fir-*
mamento cœli & laudabilis & glorioſus in ſæcula. Firmamentũ
enim cęli aut angelicas poteſtates ſignificat, in quib. Do-
minus perpetualiter regnat, vel ſcientiam ſanctarũ Scri-
pturarum, vbi totius boni & veritatis ſolidamentum eſt,
& maieſtas ac bonitas creatoris aſsidue laudatur & præ-
dicatur. hinc quoque ſcriptum eſt. Cœlum plicabitur,
ſicut liber inuolutus. & alibi; firmamentum eſt Domi-
nus timentibus eum, & teſtamentum ipſius, vt manife-
ſtetur illis: Quicunque enim hic veraciter Deum dili-
gunt & mandata eius cuſtodire appetunt, laudibuſ-
que Dei non ſolum ore, ſed etiam corde aſsidue

Digitized by Google

A vacare ſtudent, ex Scripturis ſacris conſolationem congruam accipientes de die in diem proficient, ac ſic ſine vlla dubitatione per gratiam Dei poſt finem huius vitæ hoc, quod diu hic quæſierant in regno cœleſti ſine fine percipient.

Explicit Ymnus trium puerorum.

INCIPIT CANTICVM ZACHARIÆ PATRIS BEATI IOHANNIS Baptiſtæ.

IGitur Zacharias pater beati Iohannis Baptiſtæ, licet propter dubietatem mentis diu fuiſſet expers eloquio; munere tamen non eſt priuatus diuino: ſed edito puero, cuius nomen tacendo conſcripſerat, gratia S. Spiritus illuſtratus, quid futurum eſſet in Dei populo prophetando pronunciauit dicens. B

Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Quanta ſuperni muneris eſt largitas, ſi prompta ad accipiendum noſtræ fidei ſit pietas, perpendere poſſumus. Ecce loquela, quæ ſola eſt ablata diffidenti, cum ſpiritu prophetiæ eſt reſtituta credenti. Viſitauit autem Dominus plebem ſuam, quaſi longa infirmitate tabeſcentem & quaſi venditam ſub peccato, vnici filij ſui ſanguine redemit, quod quia beatus Zacharias proxime faciendum cognouerat, prophetico more quaſi iam factum narrat. Et notandum, quod viſitaſſe & redemiſſe plebem ſuam dicitur, non quia videlicet ad hanc veniens ſuam inuenit, ſed quia viſitando ſuam fecit.

Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui. Cornu ſalutis firmam celſitudinem ſalutis dicit. Oſſa ſiquidem omnia carne inuoluta ſunt, Cornu excedit carnem,
C & ideo cornu ſalutis regnum Saluatoris Chriſti vocatur, quo mundo ſpiritalis, & quæ carnis gaudia ſuperet altitudo nuntiatur: in cuius figuram Dauid vel Solomon, cornu olei ſunt in regni gloriam conſecrati.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.

A ſæculo, inquit, quia ex tota veteris inſtrumenti Scriptura Prophetia de Chriſto proceſſit, nec ſoli Hieremias, Daniel, & Eſaias cæterique tales, qui & Prophetæ ſpecialiter appellati, & de eius aduentu manifeſtè ſunt locuti; verum ipſe pater Adam, Abel & Enoch, & cæteri Patrum factis quiq; ſuis eius diſpenſationi teſtimonium reddunt. Vnde Dominus ipſe Iudæorum duritiam re-
Ioan. 5. darguens ait; *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan mihi: de me enim ille ſcripſit.*

Salutem ex inimicis noſtris & de manu omnium, qui oderunt nos. Iungendum eſt à ſuperiori verſiculo, erexit nobis, id eſt, erexit nobis ſalutem ex inimicis noſtris, cum enim primo breuiter præmiſiſſet *& erexit cornu ſalutis nobis*, cōtinuò quaſi apertius quid dixerit explanans. *Salutem,* in-
D quit, *ex inimicis noſtris & de manu omnium qui oderunt nos.* Omnes autem qui oderunt nos, vel homines peruerſos, vel immundos ſpiritus ſignificat, de quorum manu & interim ſpe ſalui facti ſumus, & in futuro reipſa ſaluandi. Quod autem in quibuſdam Eccleſijs canitur, *& liberauit nos ab inimicis noſtris, & de manu omnium qui nos oderunt.* Idem eſt, quia tunc plene ſalutem ex inimicis noſtris accipiemus, quando de eorum inſidijs & ſeductionibus perfecte liberati fuerimus, vt miſericordiam, quam per gratiam Dei & Patrum merita, hic ex parte accipimus, in futura vita pleniter poſſideamus. Vnde & ſequitur.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorati teſtamenti ſui ſancti, iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis, vt ſine timore de manibus inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.

Dixerat Dominum iuxta eloquia Prophetarum in domo Dauid naſciturum, dicit eundem ad explendum E
teſtamentum, quod Abrahæ diſpoſuit, nos eſſe liberatu- Pſal. 131.
rum, quia videlicet his præcipuè Patriarchis de ſuo ſemine vel congregatio gentium, vel Chriſti eſt Incarnatio promiſſa, quod Matthæus quoque breuiter intimare voluit, qui Euangelij ſui principium hoc modo cœpit. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.* Vbi notandum, quod apud vtrumq; Euangeliſtam Dauid præfertur Abrahæ, quia etſi temporis ordine poſterior; promiſsionis tamen eſt munere maior. Abrahæ namq; qui adhuc in præputio poſitus propria dereliquit, Deum cognouit, fidei teſtimonium meruit, fides tantum gentium & ſacroſanctus Eccleſiæ cœtus eſt promiſſus, dicente ad eum Domino, atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ; Dauid autem oraculo ſublimiore, quod ex ipſo Chriſtus ſecundum carnem naſci-
turus eſſet audiuit, *Cumque impleueris,* inquit, *dies tuos, vt* 1. Par. 17.
vadas ad patres tuos ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filijs tuis & ſtabiliam regnum eius, ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſolium eius vſque in æternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. F

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Aperte & breuiter, quomodo ſit Domino ſeruiendum deſignat, videlicet & in ſanctitate ac iuſtitia, & coram ipſo, & omnibus diebus. Nam qui vel ante mortem ab eius ſeruitio diſcedit, vel immunditia qualibet, ſiue iniuſtitia, fidei ſuæ ſinceritatem commaculat, vel coram hominibus tantum, & non etiam coram Domino ſanctus perdurare contendit, & iuſtus, necdum perfectè de manu ſpiritualium inimicorum liberatus Domino ſeruit, ſed exemplo veterum Samaritanorum dijs gentium pariter & Domino ſeruire conatur.

Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Pulchre cum de Domino loqueretur ad Prophetam repente ſua verba conuertit, vt hoc quoque beneficium eſſe Domini deſignaretur. Verum quæritur, quomodo octo dierum alloquatur infantem? ſed qua ratione vocem patris non audierit natus, qui ſalutationem Mariæ adhuc vtero clauſus audiuit? niſi forte putandus eſt Za- G
charias propter eos potius, qui aderant, inſtruēdos futura ſui filij munera, quæ dudum per Angelum didicerat, mox, vt loqui potuit, prædicare voluiſſe. Audiant ſanè Arriani & erubeſcant, audiant manſueti & lætentur, quod Chriſtum Dominum, quem Iohannes prophetando præibat, altiſſimum vocat, iuxta quod Pſalmiſta Deum hominemque perfectum in vna perſona conlaudans
ait. *Mater Sion dicet homo & homo factus in ea, & ipſe funda-* Pſal. 86.
uit eam altiſſimus, eum factum qui fundauit eundem hominem, quem altiſsimum nuncupat.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum. Quaſi Ieſum idem, Saluatoris nomen exponere, ac diligentius commendare deſiderans ſalutis mentionem frequentat, cum cornu ſalutis erigendum, ſalutem ex inimicis futuram, ſcientiam ſalutis plebi dandam commemorat; ſed ne temporalem carnalemque promitti ſalutem putares, *in remiſſionem,* inquit, *peccatorum eorum.* Verum Iudæi non ideo Ieſum Chriſtum ſuſcipere, ſed antichriſtum malunt expectare; quia non intus, ſed foris ſaluari, non à peccati dominio, ſed ab hu- H
manæ ſeruitutis cupiunt iugo liberari.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Et Propheta de Domino loquens, *Ecce vir,* inquit, *o-* Zach. 6.
riens nomen eius, qui ideo recte oriens vocatur, quia nobis ortum veræ lucis aperiens filios noctis & tenebrarum lucis effecit filios, iuxta quod beatus Zacharias conſequenter exponit dicens.

Illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Sedentibus quippe in tenebris & vmbra mortis Domino illuminare eſt his, qui in peccatis & ignorantiæ cæcitate vixerint agnitionis amoriſque ſui radios infun-
dere, qualibus dicit Apoſtolus. *Fuiſtis aliquando tenebræ,* Epheſ. 5.

nunc

Digitized by Google

A *nunc autem Dux in Domino.* Pedes autem noſtri in viam pacis diriguntur, cum actionum noſtrarum iter per omnia Redemptoris illuminatoriſque noſtri gratiæ concordat; Congruo ſane ordine primo illuminanda corda & poſt opera dirigenda teſtatur, quia nemo, quam non ante didicerit pacem valet operari. Vnde recte Pſalmiſta. Pſal. 33. *Inquire,* inquit, *pacem & ſequere eam,* quod eſt dicere, illuminare, qui in tenebris ſedebas, & viam pacis, à qua diutius exultabas ingredere.

Explicit Canticum Zachariæ Prophetæ.

INCIPIT CANTICVM MARIÆ MATRIS DOMINI.

B BEatiſſima Virgo Maria poſtquam ſe cœleſti partu grauidam cognouit, nequaquam ſe de donis cœleſtibus, quaſi à ſe hæc eſſent, extulit; ſed vt magis magiſque donis eſſet apta diuinis in cuſtodiam humilitatis mentis ſuæ greſſum fixit memor Scripturæ præcipientis, Eccleſ. 3. *quanto magnus es humilia te in omnibus*, moxque vt Angelus, qui diuinum ei partum nuntiabat ad cœleſtia rediit, ſurgit, ad montana conſcendit, geſtanſque in vtero Deum ſeruorum Dei habitacula petiit, ac requirit alloquia, in cuius aduentu Eliſabeth ſalutationem matris Domini audiens, mox de ea prophetauit & matrem Domini ad ſe veniſſe teſtata eſt, quam benedictam inter mulieres eſſe & benedictum fructum ventris eius pronunciauit, inſuper & ad vocem eius narrauit infantem in vtero ſuo exultaſſe ſpiritu ſancto repletum. C Hæc quoque audiens Maria, non ſe iactanter inani gloria extulit, ſed magis per humilitatem tota intentione animi gratias Deo retulit dicens.

Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

Tanto, inquit, me Dominus, tamque inaudito munere ſublimauit, quod non vllo linguæ officio explicari, ſed ipſo vix intimo pectoris affectu valeat comprehendi, & ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine eius cui non eſt finis quicquid viuo, ſentio, diſcerno, gratulanter impendo, quia & eiuſdem Ieſu, id eſt, ſalutaris ſpiritus meus æterna diuinitate lætatur, cuius me caro temporali conceptione lætatur, cui ſimile eſt illud Pſalmiſtæ. Pſal. 34. *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutare eius,* & ipſe enim patrem filiumque pari venerabatur amore.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

D Cuius humilitas reſpicitur recte beata ab omnibus cognominanda gratulatur, ſicut è contrario cuius ſuperbia deſpecta condemnatur Æuæ, id eſt, væ ſiue calamitatis nomine multata tabeſcit. Decebat enim, vt ſicut per ſuperbiam primæ noſtræ parentis mors in mundum intrauit, ita per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt & ſanctum nomen eius.

Ad initium carminis reſpicit, vbi dictum eſt: *Magnificat anima mea Dominum*: ſola quippe anima illa, cui Dominus magna facere dignatur dignis eum præconijs magnificare, & ad conſortes eiuſdem voti ac propoſiti poteſt cohortando dicere. Magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen eius in inuicem. nam quicunque noſtrum quem cognouit, quantum in ſe eſt magnificare, & nomen eius ſanctificare contempſerit, E minimus vocabitur in regno cœlorum. Sanctum nomen eius vocatur, qui ſingularis culmine potentiæ tranſcendit omnem creaturam atque ab vniuerſis quæ fecit longe ſegregatur, quod Græca locutione melius intelligitur, in qua ipſum verbum, quod dicitur *hagion*, quaſi extra terram eſſe ſignificat, cuius etiam nos imitatione pro modulo noſtro ſegregari præcipimur ab omnibus, qui non ſunt ſancti nec Deo dedicati, dicente Domino: 1. Pet. 1. *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum.* Quicunque enim ſe conſecrauerit, merito extra terram & extra mundum videbitur. Poteſt enim & ipſe dicere, ſuper terram ambulantes conuerſationem in cœlis habemus.

Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

A ſpecialibus ſe donis ad generalia Dei iudicia conuertens totius humani generis ſtatum deſcribit, & quid ſuperbi, quid humiles mereantur, quid filij Adæ per liberum arbitrium, quid filij Dei ſint per gratiam alternis verſibus explicat. F Non ergo, inquit, ſoli mihi fecit magna, qui potens eſt: ſed & in omni gente & progenie, qui timet eum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi.

Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

In brachio ſuo, in ipſo Dei filio ſignificat, non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat; ſed quia omnia per ipſum facta ſunt, ideo brachium Domini dictus eſt. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, ſic Dei brachium dictum eſt eius Verbum, quia per Verbum operatus eſt mundum, cur enim homo brachium, vt aliquid operetur extendit, quia non continuo fit, quod dixerit, ſi autem tanta poteſtate præualeret, vt ſine vllo motu corporis ſui, quod diceret, fieret, brachium eius Verbum eius eſſet. Dum ergo audiuimus brachium Dei Patris eſſe Deum Filium, non nobis obſtrepat conſuetudo carnalis, ſed quantum illo donante poſſumus, Dei virtutem & ſapientiam cogitemus, per quam facta ſunt omnia. G

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.

In brachio ergo ſuo Dominus per omnes ſæculi generationes potentes, hoc eſt, ſuperbos de ſede iactantiæ ſuæ deponit, & exaltat humiles, qui non ſua potentia, ſed in Dei bonitate confidunt, *quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.* Matth. 23. Similiter & eſurientes, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam æternis bonis implet, & diuites auaros & parcos inanes bonis operibus perire ſinit.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum memorari miſericordiæ ſuæ.

Pulchre Iſrael puerum Domini appellat, qui ab eo ſit ad ſaluandum ſuſceptus, obedientem videlicet & humilem, iuxta Oſeæ dictum. *Quia puer Iſrael & dilexi eum:* Oſe. 11. nam qui contemnit humiliari, non poteſt vtique ſaluari, nec dicere cum Propheta. *Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ,* Pſal. 53. *quicunque autem humiliauerit ſe, ſicut paruulus, hic eſt maior in regno cælorum.* Matth. 18.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſæcula. H

Semen Abrahæ non carnale, ſed ſpiritale ſignificat, id eſt, non eius tantum carne progenitos; ſed ſiue in circumciſione ſeu in præputio fidei illius veſtigia ſecutos: nam & ipſe in præputio poſitus credidit, reputatumque eſt ei ad iuſtitiam, atque eiuſdem fidei ſignaculum circumciſionem accepit, vt ſic vtriuſque populi pater fieret per fidem, iuxta quod Apoſtolus ad Romanos pleniſsime diſſeruit: Aduentus ergo Saluatoris, Abrahæ & ſemini eius in ſæcula promiſſus eſt filijs promiſsionis, quibus dicitur. Ioan. 8. *Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis ſecundum promiſsionem hæredes.* Bene item vel Domini, vel Iohannis exortum matres prophetando præueniunt,

Digitized by Google

A vt ſicut peccatũ à mulieribus cœpit, ita etiam bona à mulieribus incipiant, & quæ per vnius deceptionem perit duabus certatim præconantibus mundo vita reddatur.

Explicit Canticum Mariæ matris Domini.

INCIPIT BENEDICTIO SIMEONIS PROPHETÆ.

B NArrat Euangeliſta Lucas, quod cum parentes Ieſu Domini noſtri ipſum puerum inducerent in Hieruſalem ad templum Domini, vt facerent ſecundum legis pro eo, & offerrent hoſtias ſecundum quod ſcriptum eſt in lege Domini, deinde, quod acceperit eum iuſtus Simeon in vlnas ſuas, & benedixerit illum, prophetizans de ipſo. Magna quidem Domini potentia, ſed non minor claret humilitas, vt qui cœlo terrâque non capitur grandæui hominis geſtetur totus in vlnis; ſed & tropicè accipit Simeon Chriſtum, veteranus infantem, vt doceat nos exuere veterem hominem, qui corrumpitur cum actibus eius & renouato ſpiritu mentis noſtræ induere eum, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate & veritate, hoc eſt, deponẽtes mendacium, loqui veritatem & cætera, quæ ad noui hominis ſtatum pertinent ore, corde & opere perficere. Accipit ſenior iuſtus ſecundum legem & timoratus puerum Ieſum in vlnas ſuas, vt ſignificet iuſtitiam operum, C quæ ex lege erant, quis enim neſciat opera per manus & brachia ſolere figurari; Humili quidem ſalutaris fidei euangelicæ gratia mutanda accipit ſenior infantem Chriſtum, vt inſinuet hoc ſæculum quaſi ſenio iam & longæua ætate defeſſum ad innocentiam, &, vt ita dixerim, infantiam Chriſtianæ conuerſationis rediturum, & ſicut aquilæ iuuentutem illius eſſe renouandam.

Et benedixit Deum & dixit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. E Luc. 2.

Vides non ſolum noui, ſed & veteris teſtamenti, iuſtos ſpe futuræ vitæ deſiderium habuiſſe diſſolui à corpore imo pacis viam deputaſſe, ſarcinam deponere terreſtrem, vtpote qui ſe in ſinu Abrahæ requiem non dubitarent habituros eſſe perpetuam. Denique & Idithun, hoc eſt, tranſiliator cupiditatum ſæcularium poſtquam multa diu tacitus mundi mala contemplatus interna ſecum cordis meditatione concaluit, tandem locutus in lingua ſua, & quæ intus egerit promens. *Notum,* Pſal. 38. inquit, *fac Domine finem meum & numerum dierum meorum, qui eſt, vt ſciam, quid deſit mihi: Ecce veteres poſuiſti dies meos*: Quibus abſque dubio verbis aperit, quam maximum ſe præſentium calamitatum nacturum ſperet in fine ſolatium, quem tantiſper aduenire deſiderat.

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Beati oculi, qui vident, quæ Simeon vidit: Beati qui non viderunt & crediderunt. Illud ipſum, inquit, quod F omnibus poſtmodum gentibus, populis, & linguis, mente ac fide conſpiciendum paraſti, ſpe act dilectione quærendum præuidiſti, ipſe deſideratum nunc & carnis & cordis oculis tuum ſalutare contemplor.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Lumen quidem vtrique populo ſalutare Dei, id eſt, Chriſtus à Deo Patre paratus, qui tamen gloria magis Iſrael, cui diu ſperatur, & ex quo prænunciatus aduenit. Gentium vero dicitur eſſe reuelatio, quarum mentis oculos profunda iam cæcitate demerſos, neque vlla ſpe aduentus Dominici erectos ipſe viſitare pariter reuelare atque illuſtrare dignatus eſt. Et bene reuelatio gentium Iſraelis gloriæ præfertur, qui *cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet*, quomodo & Pſalmiſta cum diceret, *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum* Pſal. 97. *ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam*, ſubiunxit, atque ait, *Memor fuit miſericordiæ ſuæ Iacob & veritatis ſuæ domui Iſrael.* G

Explicit Benedictio Simeonis Prophetæ.

A E

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, COMMENTARII IN PROVERBIA SALOMONIS.

PARABOLÆ Salomonis filij Dauid Regis Iſrahel. Parabolæ Græcè, Latinè dicuntur ſimilitudines. Quod huic libro vocabulum Salomon ob id impoſuit, vt ſciremus altius & non iuxta literam intelligere quæ dicit: In quo Dominum ſignificat, per Parabolas turbis fuiſſe locuturum, ſicut etiam nomine proprio & pacifico regni ſui ſtatu Regnum Chriſti & Eccleſiæ perenne denunciat, de quo ſcriptum eſt; *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius.* (Iſai. 9.) Sicut templi conſtructione, ac dedicatione, ædificationem ſignificare Eccleſiæ, quæ tempore reſurrectionis in æternum dedicabitur inſinuat. Nam & ipſe filius eſſe Dauid rex ſpiritalis Iſrahel etiam turbarum teſtimonio, quæ ei in Hieroſolymam venienti, cum palmarum ramis & laudibus occurreret, declaratur. Notandum autem quod vulgata æditio pro parabolis, quæ Hebraicè *Mas Loth* vocantur, *Parboemias*, id eſt, Prouerbia dicunt, ſed nec ipſum nomen abhorret à vero. Quæ enim Parabolæ recte nuncupantur, quia tam occulta ſunt, poſſunt non incongrue etiam Prouerbia vocari, quia talia ſunt, quæ merito ſæpius in ore colloquentium verſari, ac memoria debeant retineri. Nam & Prouerbia plerumque tam obſcure dicuntur, vt merito eadem poſsint etiam parabolarum nomine notari, Domino atteſtante, qui ait: *Hæc in Prouerbijs locutus ſum vobis, venit hora cum iam non in Prouerbijs loquar vobis*; ſed palam de Patre annunciabo vobis. Quid autem vtilitatis parabolæ Salomonis conferant, Prou. 1. ſuccremento tituli monſtratur cum ſubditur.

B

Ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam.

Sapientiam autem & diſciplinam ſcire eſt, quomodo recte credere, qualiterque viuere oporteat, quemque veraciter didiciſſe. Quo intentionem cordis dirigere, quid operando gerere conueniat noſſe. Quod autem adiungit.

Ad intelligenda verba Sapientiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ.

Monet eos quos imbuit, vt non ſolum ſapientiam quam ſemetipſi perceperunt, amplecti, & diſciplinæ virtutum quam cognouerunt ſciant inſeruire; Sed etiam verbis prudentium, quibus ad perfectiora proficiant libenter auſcultare, & hoc ſolerter intelligere curent.

C

Iuſtitiam & iudicium & æquitatem.

Iuſtitia eſt in eis, quæ ſecundum regulam veritatis bene operamur; Iudicium in illis, quæ recta diſcretione cum proximis agimus, æquitas in eo, cum ſincera intentione Deo ſoli in his quæ recte gerimus & iudicamus, placere contendimus.

D

Vt detur paruulis aſtutia: Adoleſcenti ſcientia & intellectus.

Paruulos dicit eos qui nuper ſapientiæ aurem accommodare cœperant, Adoleſcentem qui aliquantum iam in eius auditione profecit. Et ideo fortaſſe paruulos plurali numero, Adoleſcentem appellat ſingulari. Quia doctrina ſapientiæ quos diuerſis animi motibus, diuerſis viuendi moribus deditos ſuſcipit, in vnam virtutis perfectionem erudiendo prouehit, de quibus iure dicitur; *Multitudinis credentium erat cor & anima vna*, (Act. 4.) *Vt detur*, inquit, *paruulis aſtutia.* Hæc etenim rudibus eſt & inſipientibus neceſſaria, per quam Sophiſmatum dignoſcere, & cauere verſutiam poſsint, ne falſorum fraudibus argumentorum abducantur à ſimplicitate veræ ſapientiæ, quæ ducit ad vitam.

F

Adoleſcenti ſcientia & intellectus.

Quia qui prudenter declinat falſa, conſequenter ſcita veritatis percipiet. Hactenus prætitulatio. Hinc iam ipſe textus parabolarum incipit.

Audiens ſapiens ſapientior erit.

Quia ſapientiæ amator extitit Salomon, quia optione ſibi data, ſapientiam petijt & accepit, pulchre initium parabolarum ſuarum à ſapientia ſumit. Quod autem ait ſapientem cum audierit verbum ſapientiorem effici, oſtendit neminem in hac vita ita ſapientem fieri poſſe, cuius ſapientia nequeat augeri, ſemperque moris eſſe ſapientium, vt dictis maiorum & aliquando etiam minorum auſcultent, & quicquid in illis vtilitatis audierint, ad ſe replicent, ſuoque in corde recondant. Denique audiuit ſapiens minor maiorem, regina Saba Salomonem, & ſapientior redijt, audiuit Moſes Socerum, multo inferiorem ſublimior, & ſapientior redditus eſt. Audierunt Diſcipuli Chriſtum & ſpiritum Sapientiæ percipere meruerunt. Audiuit Nicodemus, audiuit Gamaliel, audiuit diſcipulus eius, tunc Saulus, nunc Apoſtolus Paulus, ſapientes vtique verbum Euangelij, & ſapientiores ſunt facti. Qui etiam Paulus cum ad tertium cœlum raptus audiſſet ea, quæ non licet hominibus verba loqui, nihilominus ad terram reuerſus aiebat. (1. Cor. 13.) *Quia ex parte cognouimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.*

G

Et intelligens gubernacula poſsidebit.

Nemo ſe de ſua iactet ſcientia. Quia qui ſapientium verba creber audire & intelligere negligit, vitam ſuam rite gubernare non nouit, quanto magis alieno regimini perfici nequit, qui ſeipſum ad patrum diſciplinam ſubijcere contempſit. Quod ergo ait: *Audiens ſapientior erit.* Ad cognitionem rerum quæ per ſapientiam noſcuntur reſpicit, quod vero addidit. *Et intelligens gubernacula poſsidebit*, ad rectitudinem vitæ quæ per eandem ſapientiam diſcitur & docetur, pertinet. Et pulchre principiũ Parabolarum principio congruit tituli, quod ita ſe habet:

H

Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Iſrahel, ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam.

Animaduertite Parabolam & interpretationem, verba ſapientium & ænigmata eorum. Hoc diſcipulis ſe humiliter audientibus, ipſa quæ eos in carne apparens erudiebat ſapientia donauit, vt & ſuas Parabolas, quæ turbæ nequibant, intelligerent, Et Prophetarum ac legis ænigmata, id eſt, obſcura dicta ſpiritualiter animaduertere, ac ſuis auditoribus dilucidare valerent. Sed & ſequentibus Eccleſiæ magiſtris eadem intelligentiæ ſpiritalis arcana, piè quærentibus, ac pulſantibus reſeruauit.

Timor Domini principium Sapientiæ.

Duo ſunt timores Domini, primus ſeruilis, qui principium

cipium

Digitized by Google

A cipium ſcientiæ & ſapientiæ vocatur, ſecundus amicalis, qui perfectionem ſapientiæ comitatur: Timor ſeruilis principium eſt ſapientiæ, quia quiſquis poſt errorem delictorum ſapere incipit primo timore diuino corripitur, ne ad tormenta ducatur, ſed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit. Succedit autem timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi, quem non excludit, ſed auget charitas, ipſe eſt quo timet filius bonus, ne & in modico oculos amantiſsimi patris offendat. Nam inchoatiuo timore ſeruilis adhuc animus metuit, ne ab irato Domino pœnis ſubigatur, vterque autem timor in futura vita ceſſabit, charitas vero nunquam excidit, ſed in plenitudine ſapientiæ perpetua manebit, quod eſt cognoſcere verum & vnum Deum, & quem miſit Ieſum Christum.

Sapientiam atque diſciplinam ſtulti deſpiciunt:

Dixerat de ſapiente, quod audito ſermone, ſapientior fieret, & intelligens rite ſuos gubernare diſceret actus: Dicit è contrario de ſtultis, quia ſapientiam recti dogmatis & diſciplinam puræ conuerſationis non modo non aſſequantur, ſed & noſſe contemnant. B Denique prædicante in carne ipſa ſapientia ſapientes quique gaudentes accurrebant; At Phariſæi & Principes Sacerdotum ſalutaria eius dicta ſimul & facta ſpernebant. Et notandum quod ſapientem ſingulari numero, ſtultos deſcribit plurali, quia & plures ſunt ſapientibus ſtulti, & ſapientium cœtus omnis vniformem tenet callem pietatis. Porro errantium diſsimile dogma, diſsimilis eſt ordo viuendi.

Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.

Hactenus prouerbialiter de vtraque parte diſputat, hinc iam ſedulus incipit admonere quemque fidelem, vt diſciplinam legis diuinæ blanditijs poſtponat reproborum. Quia nimirum huius cuſtodiam corona, illorum facinora mors ſequatur æterna, vnde & recte filium vocat, quem paterna ſollicitudine curat inſtituere, poteſt & ex Dei Patris perſona dictum accipi. In nomine autem matris Eccleſia, quæ tunc Synagoga vocabatur intelligi. C Et notandum, quod ita nos diſciplinam patris amare præcipit, vt legem quoque matris nulla ratione dimittamus. Quia non ſufficit, vt quis ſe Deum diligere, & eius præceptis obtemperare dicat, ſi vnitatem Eccleſiæ fraterna charitas non ſequatur. Nec vetat aliquid, matrem ipſam Dei gratiam qua ſaluamur accipere, Nam & apud Hebræos ſpiritus qui gratiam præſtat genere fœminino nuncupatur.

Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

Mos apud veteres fuit, vt legitime certantes, coronam in capite, torquem in collo acciperent. Et nobis ergo ſi diſciplinam conditoris noſtri, ſi gratiæ matris ſcita cuſtodimus, maior indies ſpiritualium virtutum claritas augetur. Additur quippe gratia capiti, cum charitas principale mentis ornamentũ ardentius inflãmatur. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis ſermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur. Ac ne contemni ab auditoribus debeat indeficienti virtutum connexione docetur. Sed & his qui Moſaycæ legis decreta Domino veniente ſeruabant, addita eſt gratia noui teſtamenti, cum ſpe regni cœleſtis, D cuius ſplendor eximius ad exemplum coronæ & torquis nullo vnquam fine claudetur. Nobis quoque cum pro bonis actibus, quos diuina gratia prærogauit, lux æterna tribuitur, gratia profecto capiti & collo torques additur, iuxta illud Euangelij. *Quia de plenitudine eius nos omnes accipimus gratiam pro gratia*, gratiam ſcilicet beatæ retributionis, pro gratia rectæ operationis. Ioan. 1.

Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas.

Duobus modis lactant peccatores, quos decipiunt. Qui aut ad facienda ſcelera blandimentis alliciunt, aut facta iam fauoribus, quaſi laudabiliter acta ſuſtollunt. In vtroque autem ſapientia ſuos auditores ne talibus adquieſcant hortatur.

Si dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini.

Poteſt hic locus generaliter de latronibus, qui innocentibus inſidias & mortes & damna inferunt; poteſt E de illis ſpecialiter intelligi, qui ipſum vitæ auctorem neci tradiderunt.

Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra. Hoc fecère cum dicebant. *Licet dare tributum Cæſari an non?* & Marc 12. innumera huiuſmodi. Vere etenim erat inſons, *qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius.* 1.Petr. 2. Vere fruſtra illi tendebant inſidias, à quo in nullo læſi, imo cuius plurima erant beneficia experti.

Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum.

Ita Dominum impij deſiderabant extinguere, vt omnis memoria virtutum & doctrinæ illius tolleretur, ſed & hoc ipſum quod nunquam talis inter eos vixerit obliuioni daretur.

Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs.

De hominibus dicebant, quos Chriſto adhærere cernebant; Putabant enim, quia ſi eum occiderent, omnes qui crediderant, ab eius poſſent amore & conſectatu ſecernere, F talibus animarum ſpolijs ſuarum conuenticula replere domorum, cui ſimile eſt illud Dominicæ Parabolæ, quia veniente ad ſe Regis filio dixerunt. *Hic eſt* Matth. 21. *hæres venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.*

Sortem mitte nobiſcum, marſupium vnum ſit omnium noſtrum.

Marſupium eſt ſacculus nummorum, patet autem de latronibus, quia vt plures ſcelerum ſocios conquirant, communionem eis prædæ, quam rapuerunt, ſpondent. Sed & perſecutores noſtri Redemptoris, quoſcumque potuere ſibi adiungebant; At quos illum ſequi videbant, hos de Synagoga propulſantes ſua communione priuabant.

Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum.

Prohibet credentes Chriſto de Iudæis, communicare perſequentibus Chriſtum Iudæis. Denique omnes qui credebant erant pariter & Petrus hiſdem loquitur. *Saluamini à generatione iſta praua.*

Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem.

G Non ſolum ad malum quod temporaliter operentur, ſed etiam ad malum quod perpetuo paſſuri ſunt, impij properant, quoties ad patrandum homicidium, & aliud quid ſceleris agendum feſtinant: Nam quantum videntes ad facinus implendum ducuntur, tantum non videntes ad tollerandam pro facinore pœnam propinquant. Hæc de inſidiatoribus noſtri Saluatoris valent ſpecialiter intelligi, ſequens autem verſiculus de fidelibus eius æque prauorum malitiam ſuſtinentibus generaliter inſeritur.

Fruſtra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.

Fruſtra enim laqueus perſecutionis aut mortis tenditur electis, qui pennas habent ſpei & charitatis, cæterarumque virtutum quibus & cœleſtia dum viuunt deſiderent, & ad hoc poſt mortem mereantur pertingere. Habent & oculos mentis, per quos & mala, quæ ab impijs ſuſtinent, ocius tranſitura, & bona quæ ſuſtinendo meruerunt, æternum manſura videant. Quibus ſimul oculis & reproborum ſuperbiam cito conſummandam, H & tormenta ſequentia ſemper manſura proſpiciunt. Poteſt & ita accipi, quod rete dicat pernicioſam malorum doctrinam, quam ab eo loco contexunt, vbi ait: *Si te tractauerint peccatores, ne adquieſcas,* fruſtraque tale iaciatur rete ante eos, qui mundis oculis cordis ſuperna contemplentur, qui dicere norint cum Propheta: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Pſal. 123. Facile enim laqueos qui in terra tenduntur, cauet, qui conuerſationem habet in cœlis. Vtrumque ergo rete fruſtra bonis parant reprobi, quia etſi ſuadent iniqua, ſuperantur iuſtorum ſapientia, etſi inferunt aduerſa, contemnuntur patientia. Inſuper & ipſi tentatores ſuis ſe perdunt inſidijs, vnde recte ſubditur.

Ipſique contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.

A

Contra ſanguinem, vt temporali morte plectantur; contra animas autem dicit, vt æterna quoque animarum perditione damnentur. Quod cum ad omnes qui ſanguini inſidiantur, & fraude ſibi viuendum æſtimant pertineat, ſpecialiter tamen Iudæis congruit, qui inſonti Domino tendiculas abſconderunt, eiuſque Apoſtolos virtutum pennis fultos dolis circumuenire ſatagebant, contra ſuum namq; ſanguinem ſuaſque animas agebant, qui timentes, ne terreſtre regnum perderent, cœli terræque Regem occiderunt, cœli ciues perſequebantur in terra, ideoque & quod in terris habebant, & quod in cælis acquirere poterant, regnum perdiderunt. Generaliter autem dicendum, quia quicumque oculos fidei habet apertos, accepitq; à Domino pennas vt columbæ, quibus æternam volet ad requiem, fruſtra tali irretiant laqueos mali, ſeque ipſos potius hoc præſumendo perimunt.

B

Sic ſemitæ omnis auari animas poßidentium rapiunt. Semitas auari dicit ſubtiles eius cogitationes, quibus ſedulus inquirit, qualiter pecunias augeat, taleſq; ſemitæ rapiunt ad interitum animas poſſidentium, id eſt eorum, qui poſſeſſionibus pecuniarum vltra rationem incumbunt. Non ſolum ergo, inquit, hi qui ob philargiriam rapinis innocentium & cædibus inuigilant, ſemet hoc agentes perdunt; verum eodem ordine, tametſi minore reatu omnes auari meditationes quæ aurum Deo præferunt, hunc ad interitum trahunt. Aliter, ſic ſemitæ omnis auari animas poſſidentium rapiunt, tali fine vt præfatus ſum, auarus quiſq; perimit, & nudat eos, qui poſſeſſionibus abundant, vt ipſe potius hoc agendo pereat. Pauperes namq; quos nil poſſidere cernit, cur occidat, quo ſpolia non inuenit. Huc vſque perſecutiones quas Iudæi CHRISTO intulere deſcribuntur: hinc referuntur ea, quæ ipſe poſt paſſionem eiſdem ſuis perſecutoribus per Apoſtolos loquitur.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat. Sapientia quippe Dei, Chriſtus eſt, qui in mundo conuerſatus paucis ſuæ myſteria diuinitatis patefecit, ipſiſq; præcepit ne ante paſſionem & reſurrectionẽ ſuã, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus prædicarent, ne gloriam eius quam in monte conſpexerant, cuiquã dicerent magiſq; tunc ſuæ potentiam maieſtatis, operibus quam

C

Matt. 12.

verbis oſtendebat, impleta Prophetia quæ dixit: *Neque audiet aliquis in plateis vocem eius*, at poſt reſurrectionem ſapientia foris prædicabat, quia miſſo deſuper Spiritu per Apoſtolos aperte ſe ipſam mundo declarabat. In plateis dabat vocem ſuam quia in latitudine plebium, manifeſte quam antea paucos docuerat replicabat, impleto

Matt. 10.

verbo quod eiſdem ſuis præconibus ait: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* In capite turbarum clamitabat, quia etiam principibus qui ſibi ei præualuiſſe vt crucifigeretur videbantur, reatum homicidij quod perpetrarant, palam reducebat ad memoriam, eoſque ad patientiæ remedium vocabat.

In foribus, inquit. *portarum vrbis profert verba ſua.* Vrbs Domini Eccleſia eſt, ex vtroque populo Iudæorum videlicet Gentium adunata, cuius portarum fores ſunt doctores, qui verbum prædicando credentes in eam introducunt. Et in foribus portarum eius verba ſua ſapientia

D

proferebat, cum in Apoſtolis ſuis loquebatur, è quibus

2. Cor. 13.

vnus aiebat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur* CHRISTVS? Poſſunt fores portarum vrbis etiam ſynagogæ maiores intelligi, in quibus ſapientia diſputabat, cum etiam legiſperitos Phariſæos & ſacerdotes, per Apoſtolos loquens ſuam reuocabat ad gratiam, ita vt ſicut Lucas ait: *Multa etiam turba ſacerdotum obediret fidei.* Quid autem eadem ſapientia clamitaret adiungit.

Vſquequo paruuli diligitis infantiam. Vſquequo paruuli ſenſu veteris inſtrumenti ceremonias nouo clareſcente diligitis? Vſquequo Moyſen CHRISTO, Euangelio legem præfertis? Quouſque decreta quæ rudibus adhuc populis per ſeruum data ſunt, præponitis eis, quæ filius ipſe veniens perfecto ſenſu contulit. Quamdiu inquit hæc agitis? Iam vidiſtis CHRISTVM in carne,

E

iam miracula facientem, & docentem, non tantum ſpreuiſtis, ſed & occidiſtis, ſaltem modo reſuſcitatum à mortuis & præſidentem cœlo diligite, & dimittet vobis ſcelus quod commiſiſtis.

Et ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam. Præponendum eſt à ſuperiori vſquequo, id eſt, vſquequo cupient, vſquequo odibunt, cupiebant autem noxia & odibant ſcientiam, qui literæ legalis ſuperficiem ſequebantur, & ſacramenta Euangelij, quæ ipſa litera ſignabantur, accipere detrectabant.

Conuertimini ad correctionem meam. Corripuit per Apoſtolorum ora Iudæos, quia credere noluiſſent, & vel tunc eos poſtquam reſurrexerit & aſcendit, monuit conuerti.

En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam verba mea. Si adhuc, inquit, conuerti negligitis proferam vobis vindictam quam meruiſtis, & verba quæ de veſtra perditione prædixi oſtendam eſſe veracia. Spiritum quippe ſuum potentiam vltionis nominat, de quo Moyſes ait: *Miſiſti ſpiritum tuum & cooperuit eos mare*, & in libro Beati Iob

F

dictum eſt, iniquos flante Deo periſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.

Quia vocaui & renuiſtis. Dicens: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matt. 11.

Extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret. Primo bene faciendo & ſanãdo omnes oppreſſos à Diabolo, poſtmodum in cruce patiendo.

Deſpexiſtis omne conſilium meum. Dicentis: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.* Matth. 3.

Et increpationes meas neglexiſtis. Dicentis, *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* Et generaliter, *qui non credit iam iudicatus eſt.* Luc. 11. Ioan. 3.

Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo. Tale eſt in Pſalmo de eiſdem, *qui habitat in cælis irridebit eos*, & dominus ſubſannabit eos, non quia buccis Dominus irrideat, aut naſo ſubſannet, ſed ea vis deſignata eſt tali verbo, quam dedit Apoſtolis vt præuiderent, nil prorſus impios contra eum ſupra quam ipſe permitteret inſidijs eſſe acturos, quin potius illorum cœpta omnia euacuanda, eius vero gloriam poſt paſſionem per orbem terrarum eſſe dilatandam prænoſcent, ideoque ſuperbiam eorum, etiam cum maxime valere conſpicerent, pro nihilo contemnerent. Pſal. 2.

G

Cum vobis quod timebatis aduenerit. Conferentes ad inuicem, *ſi dimittimus eum ſic omnes credent in eum, & venient Romani & tollent noſtrum locum & Gentem.* Ioan. 11.

Cum irruerit repentina calamitas & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Obſidionem Hieroſolymorum ſubditam & expugnationem totius prouinciæ, quæ à Romanis facta eſt dicit, quam & ipſe Dominus in Euangelio videns ciuitatem, flenſque ſuper eam prædixit.

Quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia tunc inuocabunt me & non exaudiam. Non leguntur Iudæi in vlla obſidione Dominum inuocaſſe, ſed tantum armis eſſe confiſi, quamuis deſolationem patriæ, ruinamque templi amariſſima mente conſpexerint; Si qui tamen tunc eum inuocabant, quia hi qui culpam, pro qua ſunt puniti intelligere, vt vere pœniterent nolebant, fruſtra ad eum quem contempſere clamabant. Vnde recte dicuntur

H

tribulationem cum anguſtia fuiſſe perpeſſi. Tribulatio namque erat in eis quibus foris deprimebantur. Anguſtia in eo, quod intus à Deo nil conſolationis inueniebant. At contra ſancti cum exterius opprimebantur aduerſis, ſpe certa ſalutis in corde dilatantur, ſcientes ſe ab illo exaudiri clamantes, cuius ſe verba iubentis audire meminerunt. Hinc etenim Propheta ait: *Cum inuocarem te, exaudiſti me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulationibus dilataſti me.* Poteſt autem tota hæc correptio ſapientiæ de vniuerſis generaliter reprobis accipi, quia in die iudicij clament ad iudicem diſtrictum, aperiri ſibi ianuam regni poſtulantes, nec mereantur exaudiri, nam & hoc quod ſequitur. Pſal. 4.

Mane conſurgent & non inuenient me. Ipſum tempus extremi examinis, quo alij in vitam æternam, alij in

A mirum iter rectæ actionis in luce peragitur, atque ad lucis ſupernæ gaudia dicit. At, ſicut ait Dominus. Ioan. 3. *Omnis qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur eius opera*, & talis finem exterioribus ſortietur in tenebris.

Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Ideo mala facientes exultant, quia per vias tenebroſas ambulant, & neſciunt quo eant. Si enim, quia ad pœnam tendunt, aſpicerent greſſum vtique cohiberent noxiamque lætitiam. ſalubri fletu caſtigarent.

Vt eruaris à muliere aliena & ab extranea quæ mollit ſermones ſuos. Pendet hic verſus à ſuperioribus vbi dictum fuerat, *prudentia ſeruabit te.* Et eſt ſenſus: Prudentia ſeruabit te vt eruaris à muliere aliena, quia ergo prius Salomon auditorem ſuum quem ſapientiam docere ſatagit, admonuit, ne latronibus iungeretur, ne ſi videret furem, ſimul curreret cum eo, ſed recte ac ſimpliciter incederet; Nunc admonet ne cum adulteris portionem ſuam ponat, de quibus & hoc quod ſupra dicitur, *vt eruaris de via mala ab homine qui peruerſa loquitur,* B poteſt ſpecialiter intelligi. Quæ enim peruerſior locutio, quam ad ſtupra ſuaderi, quod capitulum incipit à loco vbi ait, *fili mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te.* Poteſt autem per mulierem extraneam, hæreticorum prauitas intelligi à CHRISTI & Eccleſiæ membris aliena, quæ molliciæ diſertitudinis & linguæ blandimentis corda decipere innocentium ſolet. Vnde Pſal. 54. Pſalmiſta, *Mollierunt ſermones ſuos ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.*

Et reliquit Ducem pubertatis ſuæ & pacti ſui oblita eſt. Patet de adultera, quia virum primum reliquit & pacti Dei obliuiſcitur, eius nimirum quod cum viro ſuo Domino teſte, tempore nuptiarum pepigit, quia fidem ſibi caſtitatis alterutrum ſeruarent. Patet & de mente hæretica, quia reliquit doctorem, à quo fidem Eccleſiæ didicerat, & oblita eſt pacti Dei ſui, hoc eſt, fidei ipſius dominicæ, quæ in Symbolo continetur, quam ſe die baptiſmatis ſeruaturam eſſe promiſerat.

Inclinata eſt enim ad mortem Domus eius & ad impios ſemita ipſius. C Omnis conuerſatio adulteræ ad interitum ducit, & quamuis blanda videtur ac manſueta, non minorem ſentiet in fine vindictam, quam qui latrocinando apertæ impietati famulantur. Poteſt domus adulteræ ipſa, eius caro in qua turpitudini ac luxuriæ ſubſternitur, accipi, quæ nouiſſimi tempore iudicij non ad vitam, ſed perpetuam reſurget ad mortem. Sed & hæreticorum domus quia ſuper arenam conſtruitur, etiam cum ſtare videtur, vergit in caſum, ſuiſque crementis quaſi quibuſdam ſemitis ad impiorum conſortia, id eſt ad ſpirituum tendit tormenta malignorum.

Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ. Ad eam ad mortem dicit, non ad mulierem, poteſt enim qui adulteræ mixtus eſt Domino iuuante reuerti, ac vitam, pœnitendo mereri: poteſt qui hæreſi pollutus eſt reſipiſcendo redire ad ſalutem. At qui ſemel æterna morte raptus eſt, nunquam rediet ad viam quæ vitam petat beatorum. Quod contra Origenianos proprie dictum eſt, qui hæreticis meretricibus cunctiſque flagitiorum turbis, & inſuper ipſi Diabolo atque D Angelis eius poſt innumera licet, expleti vniuerſalis iudicij tempora, remiſſionem ſcelerum, vitamque ac regnum promittunt in cœlis. Male intelligentes illud Eſa. 24. Eſaiæ: *Et claudentur impij in carcere, & poſt dies multos viſitabuntur*, quaſi poſt multa tempora terminati iudicij ſaluandos dixerit impios, cum ille econtra nullam eis ſalutem tribuat, ſed eos qui hoc tempore morti per enormitatem flagitiorum, claudi merentur in carcere pœnarum, tempore reſurrectionis ad modicum viſitandos ſignificet, tantum vt receptis corporibus in iudicio grauius damnentur, & continuo poſt iudicium atrocioribus perpetuo recludantur in pœnis, Quamuis etiam ita recte poteſt accipi, omnes qui ingrediuntur ad eam, id eſt, ad meretricem, ſiue ad domum eius, non reuertentur, quia quantum attinet ad naturam, iniqua ſua voluntate deprauatam recurſum per ſemetipſam non habet, ſed per Dei gratiam qua adiuuatur & inſtauratur vt ſemitas vitæ apprehendat. E Deſignatum eſt enim hoc dicto pondus iniquitatis, vt cum reuertitur quis non ſibi tribuat, ſed gratiæ Dei, non ex operibus, ne forte glorietur.

Vt ambules in via bona & calles iuſtorum cuſtodias. Viam bonam vnitatem dicit rectæ fidei, de qua Dominus ait: *Ego ſum via*, & alibi, *nemo poteſt venire ad patrem niſi per me.* Ioan. 6. Calles autem iuſtorum multifaria ſanctorum exempla nominat. ibid. Pendet hic verſus ex eo quod ſupra dictum eſt, *prudentia ſeruabit te*, ſicut & illud, *vt eruaris à muliere aliena.*

Qui enim recti ſunt habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea. Et hic rectis iunguntur ſimplices ſicut & ſupra, cum diceret. *Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter*; quia nimirum ſimplicitas ſine rectitudine diſſoluta eſt & ſtulta. Rectitudo autem ſine ſimplicitate auſtera nimium exiſtit & dura. Verum vtraque virtus coniuncta perfectum reddit hominem, ſed hoc F inter vtrumque verſum diſtat, quod in illo Dominus quia iuſtos in præſenti certantes adiuuet, in iſto quia victores in futuro coronet vt dicatur. Terræ quippe nomine Eccleſia deſignatur, quæ ſpiritalem Deo fructum germinare conſueuit, in qua iuſti habitant & permanent, quia à conſortio eius nec morte ſeparantur. Sed terminata hac vita, ad illam eius partem quæ cum Chriſto in cœlis regnat perueniunt.

Impij vero de terra perdentur, at qui iniquè agunt auferentur ex ea. Poſſunt hæc non de cunctis generaliter reprobis dicta accipi, ſed de illis ſpecialiter, qui ad terram Domini, id eſt, Eccleſiam pertinere videbantur, & tamen exigentibus meritis auferuntur ab ea, quidam quidem aperto ipſius Eccleſiæ iudicio, vt Simon, Arrius & Porphyrius: Quidam vero in ſecreto inuiſibilis iudicis, vt innumeri etiam eorum, qui hominibus boni videntur, impios enim apertos Apoſtatas dicit, at iniquè agentes omnes, qui perceptis fidei ſacramentis ab eius caſtitate, aliquo modo degenerant. Vtrique autem in G futura retributione de viuentium terra perdentur, *quia non habitabit iuxta Dominum malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos eius.* Pſal. 5. Et recte, quia de malorum bonorumque vijs multa prædixit, de vtriuſque fine * incluſione ſubiunxit, quomodo & in præcedente parabola, quæ latronum conſortia vetabat, fecerat dicens de fine malorum, *& proſperitas ſtultorum perdet illos*, dicens de bonorum, *qui autem me audierit abſque terrore quieſcet.* Poſſunt verſus de quibus nouiſſime diſputauimus, de antiquo Dei populo ita intelligi, quia cum recte viueret, in terra ſua fœliciter maneret, at cum peccaret exterminaretur ab hoſtibus.

* for. in concluſione. Prou. 1. ibid.

Fili mi ne obliuiſcaris legis meæ & præcepta mea cuſtodiat cor tuum. Hinc docet miſericordiæ operibus inſiſtendum, neque noſtris fidendum viribus, ſed à Deo auxilium eſſe flagitandum, & congruo ſatis ordine poſtquam coercuit à crudelitate, poſtquam à luxuria caſtigauit, ornat actibus bonis quem inſtruit.

Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Ne impoſita præceptorum cuſtodia turbaret audientem præmiſit præmia certa, & ſic enumerauit H præcepta longitudine enim dierum lucem ſempiternam, annis vitæ tranſcenſam mortalitatis huius, augmento pacis ipſum nactæ beatitudinis ſtatum deſignat. De qua dicit Iſaias. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis*, Eſa. 9. ſed & priori Dei populo etiam in præſenti datum eſt, vt cum legi Dei obedirent, longo tempore in pacis quiete viueret.

Miſericordia & veritas non te deſerant. Nam quia ab ore tuo veritas quæ dicenda, num quia ab opere miſericordia quæ proximo ſit impendenda recedat, ſic enim fit, vt & te Dei ſemper miſericordia proſequatur & veritas, miſericordia videlicet quæ deleat peccata tua, veritas vero quæ compleat promiſſa ſua.

Circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui.

A In gutture organum vocis, in tabulis cordis latitudinem inſinuat cogitationis. Si ergo virtus miſericordiæ & veritatis radici infixa mentis promat & voce loquentis, vt & occulto ne pectori arcana placeant intentionis, & proximos iuuent officia locutionis. Bene autem virtutes circumdari docet gutturi, cum vox loquentis potius intus in gutture fieri ſoleat, quia videlicet prædicationis vox de æternis promanat, ſed extra circundat. Nam quo alios ad bene viuendum ſuſcitat, eo ad bene agendum & opera prædicantis ligat. Nec extra ſermonem actio tranſeat, ne voce vita contradicat.

Et inuenies gratiam & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. Coram Deo inuenit gratiam & diſciplinam bonam, qui vſu virtutum ingi promeretur à Domino, vt per dies ſeipſo perfectior efficiatur & melior: Sed & coram hominibus gratiam inuenit, & diſciplinam bonam, cuius opera ſunt talia, in quibus iure laudetur pater, quibuſque exemplum viuendi proximis exhibeatur.

B *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitare prudentiæ tuæ, in omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos.* Ne te metuas ob imbecillitatem propriam diuina non poſſe ſeruare mandata, nec te rurſum autumes hæc tuis implere viribus poſſe, tua & naturali ſcientia noſſe, ſi non per illius legem inſtruaris; Sed potius & in diſcendo, & in agendo eius quære creber auxilium, & ipſe quæ iuſſit, propitius vt implere valeas donabit.

Ne ſis ſapiens apud temetipſum. Videtur forte alicui hoc idem eſſe mandatum quod præmiſſum eſt, *& ne innitaris prudentiæ tuæ.* Sed multum diſtat, innititur enim ſuæ prudentiæ, qui ea quæ ſibi agenda vel dicenda videntur patrum decretis præponit, ſapiens vero eſt apud ſemetipſum etiam is, qui in illis quæ ex patrum magiſterio potuit recte cognoſcere, ſeſe præ cæteris quaſi doctior extollit. Quæ ſit autem veſtra hominis ſapientia ſubſequenter oſtendit.

C *Time Dominum & recede à malo.* Quale eſt in Iob: [Iob. 28.] *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* Perfecti etenim quique ita ſe debent ab omnibus continere malis, vt diuinæ præſentiam maieſtatis cum metu ſemper recogitent. Et notandum quod ſupra fiduciam habere in Domino, nunc autem Deum timere admonet, ibi enim fragilium animos, ne diſperent, promiſſo Dei auxilio roborat; Hic fortiores, ne de ſe præſumant, diuini timoris memoria coercet.

Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum. In oſſibus ſolida virtutum opera, in vmbilico, qui interiori corporis parte medius eſt, infirma adhuc & imperfecta bonorum actio deſignatur. Si ergo Deum timueris, & non tuis viribus, ſed ſuperna protectione confiſus à malis abſtinere ſtudueris, ſanitas erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum, quia & infirmitas operis per hæc ad ſtatum perfectionis conualeſcet, & fortia quæque tua acta ſunt vnde amplius roborentur accipiunt.

Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum omnium tuarum. Multi multa pauperibus, ſed de aliena D ſubſtantia ac frugibus, quas vi & fraude rapuerunt tribuunt; Multi largiuntur de ſuo ſed largiendo Dominum non honorant, quia fauoris humani, & non amore ſuperni inſpectoris faciunt. Qui ergo proficuum ſibi eleemoſynæ fructum fore deſiderat, & de ſuis proprijs, & in conditoris honorem tribuat, vt ſcilicet homines, qui eius Plaſma, qui ad eius imaginem ſunt facti recreentur. Non ſolum autem de ſubſtantia pecuniæ, quam pauperi porrigimus, ſed & de cunctæ bonæ operationis, quam agimus, de vniuerſæ cœleſtis gratiæ, quam percipimus ſubſtantia & frugibus Dominum honorare iubemur. Hoc eſt eius in omnibus, & non noſtram quærere laudem. Sed & ille Dominum de ſua ſubſtantia ſuarumque frugum primitijs honorat, qui omne quicquid boni operatur, non hoc ſuis viribus ac

E meritis ſed ſupernæ gratiæ tribuit. Memor illius verbi, *quia ſine me nihil poteſtis facere.*

Et implebuntur horrea tua, ſaturitate, & vino torcularia redundabunt. Ait in Euangelio Dominus, *Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo.* [Matth. 6.] Si ergo theſauros in cœlo poſſunt habere iuſti, quia veras ibi diuitias inueniunt, poſſunt vtique & horrea & torcularia, quia non eſurient neque ſitient amplius. *Et implebuntur horrea tua ſaturitate, quia ſatiabor*, inquit, *dum manifeſtabitur gloria tua.* [Pſal. 16.] *Redundabunt torcularia vino*, quia interna ſuauitas æternorum corda cunctorum fidelium in laude ſui conditoris accendit: Hinc etenim dicit, *vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno*, [Luc. 22.] ſed & in præſenti nonnunquam doctori, qui panem verbi, qui poculum gratiæ ſpiritalis indigenti miniſtrat, maiora miniſtrandi dona Dominus pro mercede condonat. Qui terrena ſubſidia largitur inopibus ditior dando cœleſti remuneratione redditur.

Diſciplinam Domini fili mi ne abijcias, & nec deficias cum F *ab eo corriperis.* Sunt qui in proſperis Domino ſeruiunt, at in aduerſis excedunt, vnde ſapientia quem in proſperis bene viuere docuit, etiam in correptione ne deficiat hortatur, ne accedente infirmitate, & paupertate, & perſecutione humana, pietatem quam ſeruare in tranquillitate videbatur, amittat.

Quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi. Tanto ergo minus de flagello, quo caſtigamur murmurare debemus, quanto certius in eo paternæ dilectionis pignus tenemus, vnde & ipſe dicit, *Ego, quos amo, arguo & caſtigo.* [Apoc. 3.] Notandum autem quod pro hoc verbo ſeptuaginta interpretes dixere, *flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quod mirandum cur Apoſtolus ad Hebræos hebraice ſcribens magis ſequi voluerit.

Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Quia poſitos ſub diſciplina & correptione ſolabatur, addit quod cœperat, inſinuans quia beatitudo eſt vera hominis non aduerſis carere in præſenti, ſed æternæ ſapientiæ perceptione lætari. Quod eſt in hac vita Domini G voluntatem cognoſcere, & in futuro eius viſione perfrui. Et bene cum diceret, *beatus homo qui inuenit ſapientiam,* mox addidit. *Et qui affluit prudentia.* Sunt enim qui inueniunt ſapientiam, doctrinam veritatis aure percipiendo; Sed affluere prudentia negligunt, nolendo cordis ſui ſinum ad percipiendam eius amplitudinem laxare.

Melior eſt acquiſitio eius, negotiatione argenti & auri. Non metuat de correptione inopiæ, quiſquis opes acquiſiuit ſapientiæ, quia theſauris terreſtribus incomparabiliter munus cœleſte præcellit.

Primi & puriſſimi fructus eius. Si iuxta Eccleſiaſticum, radix ſapientiæ eſt timere Deum, fructus ſapientiæ, qui ſunt; niſi videre Deum? Et hi ſunt primi ac puriſſimi, ſiue quia Deus, qui videtur, ab initio eſt, & nihil inquinatum in eius viſione incurrit, ſiue quia primo ad hanc contemplandam homo creatus eſt. Vnde & adoleſcentior filius vbi ad Patrem pœnitens redijt, primam ſtolam recepiſſe memoratur; Siue quia primum & rude H aurum ſolet eſſe puriſſimum; Et prima ſtola noſtra beatitudo, vere eſt beatitudo credenda, quæ nobis in reſurrectione perfectius à Domino promittitur eſſe reddenda.

Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Non modo terrenis verum etiam cœleſtibus diuitijs, immo & ipſis Angelorum conſpectibus, huius ſapientiæ claritas antefertur, vnde & Propheta, *Quid enim mihi reſtat in cælo, & à te quid volui ſuper terram,* &c. vſque ad finem Pſalmi. [Pſal. 72.]

Longitudo dierum in dextera eius, in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Viſione ſuæ diuinitatis electos in perpetua luce condonat, & eoſdem in præſenti vita incarnationis ſuæ ſacramentis, & chariſmatibus illuſtrat ac roborat. Dat eis, qui ob ſe comparandam ſua omnia vendunt, centuplum in hoc tempore, & in ſeculo

venturo

Digitized by Google

A venturo vitam æternam. Sequitur in hoc loco iuxta antiquam tranſlationem, quod noſtri codices non habent.

Ab ore eius proficiſcitur iuſtitia, legem autem & miſericordiam in lingua portat. Quod ideo annotandum credidi, quia verſiculi illi in opuſculis Patrum ſæpe poſiti inueniuntur.

Via eius viæ pulchræ & omnes ſemitæ illius pacificæ. Actiones eius & doctrinæ quæ in Euangelijs continentur, pulchræ ſunt, quia diuinæ ac puri hominis modum longe tranſgreſſæ, & omnia iuſſa eius ad pacem ducunt æternam. Omnia quæ in ea re geſſit ad reconciliandos Deo mortales ad pacificandum cum Angelis genus humanum, ad demonſtranda ſuis ſeruandæ ad inuicem pacis & dilectionis exempla pertinent.

Lignum vitæ eſt his qui apprehenderunt eam, & qui tenuerit eam beatus. Sicut in medio Paradiſi lignum vitæ poſitum Moyſes eſſe teſtatur, ita per ſapientiam Dei videlicet CHRISTVM viuificatur Eccleſia, cuius & nunc B ſacramentis carnis ac ſanguinis, pignus vitæ accipit, & in futuro præſenti beatificatur aſpectu.

Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentia. Deus Pater per filium omnia condidit. Typice autem fundauit terram ſapientia, cum per ipſum ſanctam Eccleſiam in fidei ſoliditate locauit. Stabiliuit cœlos prudentia, cum per eundem ſublimia prædicatorum corda illuſtrauit.

Sapientia illius eruperunt Abyſſi. Quando in diebus Noe rapti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ & cum quotidiano procurſu fontes & flumina de Abyſſo per terræ venas emanant. Aliter ſapientia erumpunt abyſſi, cum largiente CHRISTI gratia, profunda ſacramentorum cœleſtium fidelibus innoteſcunt.

Et nubes rore eius creſcunt. Patet iuxta literam, ſed allegorice nubes ſunt Eccleſiæ magiſtri, ſublimes per contemplationem & vitam, rigantes corda auditorum, quaſi ſubiectam ſibi terram per doctrinam, quæ rore concreſcunt, quia ſubtiliſſima diſcretione virtutes ſuas quibus proficiant quibus alta petant, quibuſque minoribus C in exemplum monſtrarentur examinant.

Fili mi ne effluant hæc ab oculis tuis. Ne diſciplina temporali fatigatus ſapientiæ, quæ tanta eſt, gratiam perdas præcaue.

Cuſtodi legem atque conſilium. Lex ſapientia eſt, qua dicit. *Si vis ad vitam ingredi. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices*, &c. Conſilium ſapientiæ eſt cum protinus addit, *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes* &c. (Exod. 20. Matt. 19.)

Et erit vita animæ tuæ. Anima tua habet vitam, cum Deo ſi eius decreta cuſtodieris, quamlibet caro diſciplina correptionis aut etiam mortis premat.

Et gratia faucibus tuis. Habet ergo ſenſus animi fauces ſuas, quia *dulcia* inquit *faucibus meis eloquia tua*, quibus verba, quæ audit diiudicet quibus res & geſta ſingulorum quæ cernit decernendo examinet, & hæc amplectendo recipiat, illa reprobando contemnat. Quibus nimirum faucibus, cum legem atque conſilium domini cuſtodimus, gratia multiplicatur. Quia quanto ſolertius quiſque diuinis obtemperat iuſſis, tanto dulcius eius D amorem concipit. Quam noſtris faucibus ineſſe gratiam deſiderabat Pſalmiſta cum ait, *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* (Pſal. 118. Pſal. 33.)

Tunc ambulabis fiducialiter in via tua. Fiducialiter in via noſtra incedimus, cum Dei gratia confiſi profectum in bona noſtra conuerſatione ſuſcipimus. Si ergo eius imperijs humiliter ſubdimur, & guſtum superni amoris ſuauius faucibus mentis attingemus, & operationis bonæ augmentum ſemper obtinebimus, ſed & in tentationibus ne deficiamus ipſo iuuante defendemur, hoc eſt enim quod ſequitur.

Et pes tuus non impinget. Quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8.)

Si dormieris non timebis, quieſces, & ſuauis erit ſomnus tuus. E Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum.

Dominus enim in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris. Patet iuxta literam quia ſecurus & dormit & vigilat, & quieſcit & ambulat, qui ſe innocenter ante Deum & iuſte viuere meminit. Sed & iuſtus cum in morte dormierit, non ſolum potentias malignorum ſpirituum non metuit, ſed & in pace quieſcit ac ſecurus diem reſurrectionis expectat; quia Deum vbique protectorem habet & cuſtodem, quale eſt in Pſalmo, *nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* (Pſal. 22.)

Noli prohibere benefacere eum qui poteſt: ſi vales, & ipſe bene fac. Iam clarere miramur, quos aliquando paruulos & indoctos fuiſſe meminimus. (NB. Hic aliquid deeſſe videtur.)

Et docebat me atque dicebat, ſuſcipiat verba mea cor tuum. Huiuſmodi monita Salomoni à Dauid patre data, qui verba dierum relegit inuenit, quare autem ſe Salomon vnigenitum coram matre nominat, quem fratrem vterinum præceſsiſſe ſcriptura teſtatur, niſi qui ille mox natus ſine nomine quaſi nunquam eſſet, vita diſceſſit. F

Et in omni poſſeßione tua acquire prudentiam. In omnibus quæ poſsides bonis ſapienter te agere memento, vel in omni poſſeſsione tua acquire prudentiam, omnia quæ poſsides, terrena contemne, dummodo ſapientiam percipias, quod petit Salomon ipſe dum data ſibi optione, amorem ſapientiæ cunctis præpoſuit rebus, & in euangelio, qui pretioſam margaritam quæſiuit, hanc inuentam omnibus, quæ habuit, venditis emit.

Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, corona inclita proteget te. Patet de Salomone, quia dum pro ſapientia cuncta deſpiceret, percepta ſapientia maiori gloriæ ſublimitate* refulſit. Sed & noſtro capiti, id eſt, principali mentis ſapientiam amplectimur amplior gratia Spiritus augetur, & corona inſuper vitæ in futuro donabitur. Expoſitis ſane his, quæ à Patre verba perceperat redit ad docendam auditorem ſuum ſapientiam, quam cœpit. (*for. deeſt ſi.) G

Audi fili mi, & ſuſcipe verba mea vt multiplicentur tibi anni vitæ. Id eſt vt vitæ æternæ, dona percipias.

Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui. Semitæ, id eſt, actiones æquitatis dum inchoantur arctæ videntur & anguſtæ, dum vero profectum capiunt, iam ex conſuetudine ſpatioſæ videntur & latæ, Pſalmiſta teſtante, qui cum inſipiens Domino dixiſſet: *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*, poſtmodum iam proficiens canebat, *viam mandatorum tuorum cucurri dum dilatares cor meum.* Et ſi ergo ſemitas æquitatis cum ingredi cœperis arctæ tibi videntur, cum tamen eas ingreſſus fueris non arctabuntur greſſus mentis tuæ; ſed iuxta quod Dominus ait, iugum eius ſuaue & onus leue reperies. Etenim reprobi in hac vita latum intrant iter, at in die nouiſſimo ligatis manibus & pedibus mittentur in tenebras. Pedes vero electorum diriguntur in viam pacis. (Pſal. 16. Pſal. 118.)

Et currens non habebis offendiculum. Quo alacrius ad implenda DEI mandata cucurreris, eò minus aduerſa, quæ te impediant timebis. Nam quicunque in parua actione deſudant, offendiculum in medio curſu reperiunt, quia extemplo dum non præuident, rapiuntur ad pœnam. H

Comedunt panem impietatis & vinum iniquitatis bibunt. Ita actione ſcelerum iniqui quaſi epulis delectantur appoſitis, & certe vinum damnatorum bibunt & eſurientibus ſpicas tollere gaudent, vt eſſe moris impiorum ſcriptura ſacra teſtatur.

Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedens & creſcens vſque ad perfectam diem. Iuſtorum opera in luce ſcientiæ peraguntur, & æternam ducunt ad vitam, quæ eſt perfecta dies.

A *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant*, dicit de his & Ioannes Apoſtolus. *Qui diligit fratrem ſuum in lumine manet & ſcandalum in eo non eſt. Qui autem odit fratrem* 1.Ioan.2.
ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat & neſcit, quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Cui contra ſuperius dicitur ſapienti, *quia currens non habebis offendiculum*, id eſt, ſcandalum. Prou.4.

Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Sunt qui recte viuere videntur hominibus, ſed quia recta intentione non faciunt, à Deo qui cor reſpicit prauum reprobatur & vita, quæ credebatur bona. Omni ergo diligentia cordis munditiam ſerua, quia ad eius examen modus æſtimabitur vitæ.

Remoue à te os prauum & detrahentia labia ſint procul à te. Duobus modis ſentiendum vt & os tuum ne prauum loquatur aliquid, tua labia & alios ne detractionibus aſſueſcant cuſtodias, & alios quoque quos huic vitio ſubditos noſti, ne te corrumpant, fugias.

B *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Iter iuſtitiæ, quo ingredi debeas diligenter diſce, & in cunctis quæ agere diſponis, ſolicitus ad quem ſint finem ventura præuide; hoc eſt enim palpebras recta videntium oculorum, tuos præcedere greſſus, bonum opus quod acturus es ſedula cogitatione præuenire, & quia ſecundum Deum ſit meditando prævidere.

Dirige ſemitam pedibus tuis. Ne videlicet erres in actibus aut fide.

Et omnes viæ tuæ ſtabilientur. Ne leuitate mentis à bono mouearis propoſito. Hinc & Apoſtolus: *Stabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper.* 1.Cor.15.

Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram. Dextera via bona & iuſta accipitur reproba. Non ergo dextera via ambulare, ſed ad dexteram declinare prohibemur, declinat enim ad ſiniſtram qui iniuſtus eſt, declinat ad dexteram qui ſibi vult arrogare, quod iuſtus eſt, declinat ad dexteram qui de ſuis viribus præſumit, declinat ad ſiniſtram qui propria fragilitate deſperat ſe poſſe ſaluari,
C declinat ad dexteram qui ſtultitiæ famulatur, declinat ad ſiniſtram qui vult plus ſapere quam oportet ſapere. Quod & de cæteris virtutibus ac vitijs eodem modo intelligitur.

Auerte pedem tuum à malo. Hoc eſt, ne vel huc vel illuc à vero deuies, quia virtutes diſcretionem quærunt, & nimietas omnis in vitio eſt.

Vias enim, quæ à dexteris ſunt nouit Dominus. Id eſt, eligit, placent illi, ideo diſplicentibus & reprobis dicturus eſt, *Non noui vos*, quod eſt dicere, non vos elegi, non
Matth.7. mihi placetis.

Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet. Si auerteris à malo pedem tuum, ſi bona quæ docui Domino iuuante facere ſtudueris, aderit ipſe propitius conatibus tuis, vt & nunc recte ingredi, & tunc ad pacem valeas peruenire ſempiternam.

CAPVT V.

D *Fili mi attende ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam.* Hactenus generaliter caſtigauerat auditorem. Hinc ſub ſpecie meretricis ab hæreticorum nequitia prohibet.

Vt cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſeruent. Cogitationes quibus recte credas, labia quibus ipſam fidem per ſimplicia verba & conſueta atque Eccleſiaſtica profitearis. Sed & iuxta literam, qui adhæret meretrici, etiam labia vel oſculando vel turpia fando commaculat.

Fauus enim ſtillans labia meretricis. Cum in ore hæretico dulcedo ſapientiæ non ad ſufficientiam ſolummodo, verum ad ſuperfluitatem reſonat, & ob id falſitas quia apte proferri cernitur, veritas à ſtultis æſtimatur.

Et nitidius oleo guttur eius. Oleo Spiritus ſancti fides Catholica conſecratur, quo nitidius ſuum guttur oſtentant, qui ſua ſenſa patrum fidei anteponunt. Patet te meretrice, quia & ſermonis ſuauitatem, & E
formoſitatem corporis ad capiandos miſeros quærit.

Nouiſſima autem illius, amara, quaſi abſinthium, & acuta, quaſi gladius biceps. Potio abſynthij intus amareſcit in viſceribus, gladio foris membra feriuntur. Vt igitur oſtendat iniquos in nouiſſima vltione & interius implere, & extrinſecus pœnis circumdari pro peccatis & amaritudine illos abſynthij torquendos & gladio aſſeuerat eſſe truncandos. Quare autem idem gladius biceps ſit dictus, Dominus aperit, cum ait: *Sed eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matt.10.

Vagi ſunt greſſus & inueſtigabiles. Vagi ſunt ſenſus hæreticæ deceptionis, quia alij CHRISTVM Deum, alij hominem eſſe negant, alij carnem accepiſſe, alij animam contradicunt, alij eum de virgine natum, alij Spiritum Sanctum, alij patrem Deum eſſe, alij pœnitentibus veniam dandam eſſe confiteri prohibent. Et in tam innumera hæc peſtis ſe fundit itinera, vt penitus quot ſint inueſtigari nequeant: At Catholica veritas vaga & inueſtigabilis F
non eſt, quia vna eademque cunctis eſt agnita totum per orbem fidelibus.

Longe fac ab ea viam tuam & ne appropinques foribus domus eius. Et Apoſtolus ait, *fugite fornicationem* quia nimirum 1.Cor.6.
optimum huius vitæ remedium eſt, longe fieri ab eis quorum præſentia vel inclinat vel cooperatur ad vitium. Sed ab hæreticorum auditu prorſus ſegregari infirmis auditoribus prodeſt.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne honorem, quo ad imaginem Dei creatus es immundorum ſpirituum voluntatibus ſubdas, neque accepta viuendi ſpatia ad libitum aduerſarij immitis expendas. Cuicunque enim ſceleri quiſque ſubijcitur, in hoc profecto dominatui malignorum ſpirituum mancipatur.

Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena. Ne Dæmoniorum facta adiuues, ſi vel ingenium animi vel corporis tui vires ad patranda facinora contradas, domumque alienam, id eſt, numerum perditorum, re adiecto multiplices, & pulchrè dixit, *labores tui ſint in domo aliena*, quia ſunt qui iuxta Prophetam, vt inique agant, laborant, & hæretici quantum laborem G
contra Eccleſiam ſubeant vtinam lateret.

Et gemas in nouiſſimis quando conſumpſeris carnes & corpus tuum. Præponendum à ſuperiori, ne forte, & eſt, ſenſus. Ideo de caſtum cuſtodi, ne forte in pœnis gemere cogaris, quando non ſolum carnales illecebræ tranſeunt, ſed & ipſo corpore derelicto anima, quæ per corpus geſſit cuncta reddere compellitur, verum & in hac vita ſæpius contingit, vt qui in adoleſcentia luxurioſe viuendo habita diſperſerant, tempore ſenectutis inopia deficiant, & refrigeſcente calore carnis, ac flore iuuentæ marceſcente, rebus ſuis quas laſciuiæ vendiderant, alios vti conſpiciant, gementeſque ſera pœnitentia dicant, quæ ſequuntur.

Cur deteſtatus ſum diſciplinam & increpationibus non acquieuit cor meum. Diſciplinam dicit Eccleſiaſticæ fidei, increpationes autem quibus hæretici cur ab Eccleſia receſſerunt obiurgantur. Patet de fornicarijs.

Pene fui in omni malo in medio Eccleſiæ & Synagogæ. Eccleſia & Synagoga græca nomina ſunt, & vnam eandemque H
rem, latinè ſignificant, id eſt, conuentum plurimorum ad inuicem. Si autem ſubtilius diſtinguantur, Eccleſia conuocatio, & Synagoga congregatio interpretatur. Et vetus quidem Dei populus vtroque nomine vocabatur; nunc autem gratia diſtinctionis, ille Synagoga, noſter Eccleſia dicitur, merito ſcilicet fidei & ſcientiæ maioris, quia & irrationabilis creatura poteſt congregari. Denique dixit Deus: *Congregetur aqua in congregationem vnam.* Gene.1.
Rationabilis autem ſolum & ſenſibilis poteſt conuocari. Verum aliquando hæc nomina, etiam malorum conuentus ſignificant. Vnde eſt illud, *exarſit ignis in Synagoga eorum, & odiui Eccleſiam malignantium.* Quod ergo ſero Pſal.105.
pœnitens ait contemptor ſapientiæ, pene fui in omni malo in medio Eccleſiæ & Synagogæ, videtur miſero magnitudinē ſuæ damnationis perpendenti, quia nil pene fuerit

A ſceleris, quo non ipſe ſit irretitus, quia tanta meruit tormenta ſubire: Et hoc ad cumulum acceſſerit miſeriæ, quod non extremus ipſe peccantium, ſed medius magis & quaſi autor extiterit, & certe in medijs ſanctorum conuenticulis corpore poſitus, alienam ab eis vitam ducere non timuerit: Et de hæreticis ſpecialiter ſentiendum, quia nec veterum patrum, nec nouorum dictis & exemplis potuerunt ab errore reuocari.

Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Deſiderio vtere propriæ mulieris & eius miniſterijs fouere deuotis.

Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Filium tuum ac filiam alijs nuptum trade & hoc manifeſte facito pluribus conſcijs.

Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui. Solus in tua poteſtate retine, quibus matrimonijs liberos tuos ſocies, nec ſint fornicariæ & meretrices tuæ ſobolis participes.

Sit vena tua benedicta, & lactare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Tanta te temperantia cum muliere quam adoleſcens accepiſti, & cum ſenuerit ſerua, vt merito fidelis caſtimoniæ benedictionem conſequeris in prole.

B *Cerua chariſſima & gratiſſimus Hinnulus.* Illa ſit tibi ſemper chariſſima coniunx, quæ ſicut cerua ſerpentes ita perſequatur ſcorta, & ſuis effuget ab ædibus. Sit natus ex ea filius & ipſe caſtitatis amator gratiſſimus.

Vbera eius inebrient te omni tempore. In amore illius delectare iugiter.

Non vxorio operi ſemper inſiſtere docet, ſed mouet ne & prima viuente aliam ducas, & meretrici vnquam ſocieris. *Aliter ſuperius*, quod ait, *Bibe aquam de ciſterna tua & fluenta putei tui.* Docet ab hæreticis cauendum & cuſtodiæ ſcripturarum ac lectioni attendendum. Scientiam inquit quam prædicas alijs ipſe ſerua, & tui irrigationem ſermonis infundere.

Deriuentur fontes tui foras & in plateis aquas tuas diuide. Cum ipſe ſeruaris, tunc & alijs prædica, & in magna auditorum amplitudine diuina eloquia iuxta vniuſcuiuſq; qualitatem diſpenſa.

C *Habeto eas ſolus.* Aquas & in plateis diuidimus & tamen ſoli poſſidemus, quando & exterius late prædicationem fundimus, & tamen per eam laudes, humanas conſequi minimè ambimus.

Nec ſint alieni participes tui. Immundi Spiritus participes fiunt doctori, ſi eius mentem & faſtu elationis dum prædicat, & hæreſi & alio quolibet vitio corrumpunt; Solus autem aquas poſſidet cum membris Eccleſiæ fideliter connexus ab extraneorum ſeſe conſortio liberum ſeruat.

Sit vena tua benedicta & lactare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Sit doctrina tua & quicunque naſcuntur ex ea in benedictione Eccleſiæ, & lactare cum ea, cui ab adoleſcentia, id eſt, à primo credendi tempore coniunctus es.

Cerua cariſſima & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tẽpore, in amore eius delectare iugiter. Cerua chariſſima ſiue gratiſſima vt quidam codices habent ſancta Eccleſia quæ ſerpentinam ſolet odio habere & conterere doctrinam. Gratiſſimus hinnulus eſt populus eius virtutum varietate delectabilis, & ad eandem caſtæ fidei ſemper æ-

D mulatione ſuccenſus. Cuius vberibus inebriamur, cum vtriuſque teſtamenti paginis contra hæreticorum fraudes inſtruimur, cuius pace & amore iugiter delectari, magna eſt exercendarum occaſio virtutum.

Quare ſeduceris fili mi ab aliena? & foueris ſinu alterius. Et de meretrice & de hæreſi ſentiendum.

Reſpicit Dominus vias hominis & omnes greſſus illius conſiderat. Non ſe putent adulteri tenebris noctis aut parietum obtegi: Non hæretici ſua volumina poſſe celari, quia tenebræ non obſcurabuntur à Domino, & nox ſicut dies illuminabitur.

Iniquitates ſuæ capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Diſtat inter peccatorem & impium, quod peccator appellatur omnis qui vel in paruis vel in magnis ſceleribus decidit; Impius autem qui vel nunquam fidem recepit, vel enormitate ſcelerum ab ea quam

E accepit Anathema factus eſt, vt hæretici vel Catholici publicis flagitijs inuoluti, qui funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur, cum inceſſabili augmento ſuæ prauitatis intereunt, qui enim funem facit torquendo ſemper & inuoluendo fides fidibus auget. Talis eſt & tortitudo operum malorum. Tales libri hæreticorum, in quibus praua prauis nectentes, non aliud ſcribendo quam quo ſe arctius obligent, agunt.

Ipſe morietur quia non habuit diſciplinam & multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur. Quia multa de adulterio vel hæreticis diſputauerat, more ſuo in clauſula narrandi qualis ſit talium finis oſtendit, id eſt, quia ad mortem tendant æternam, qui diſciplinam deteſtati ſunt vitæ. Multitudinem hoc ſtultitiæ dicit, cum hæretici ſe ſapientiores ſanctis Patribus autumant, vel cum opera tenebrarum facientes iniqui, aut Dominum hæc non videre, aut ſe facile eius iram putant poſſe tolerare.

CAPVT VI.

FIli mi, *ſi ſpoponderis pro amico tuo defixiſti apud extraneum manum tuam.* In promptu eſt literæ ſenſus quia

F ſuadet ei qui ſpopondit pro amico, vt ipſum amicum ſollicitus admoneat, quatenus reddita pecunia quam debet creditori & ſe & ipſum liberet. Allegoricè autem in hac periochia doctorem in ſequente vacantem, quemlibet vt ſe gerere debeat inſtruit. Dicitur enim præceptori, *Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam.* Quod eſt apertè dicere, ſi animam fratris in periculo tuæ conuerſationis acceperis, iam ligaſti mentem apud curam ſollicitudinis quæ ante deerat.

Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. Quia dum commiſſis tibi cogeris bona prædicando dicere teipſum prius neceſſe eſt quæ dixeris cuſtodire.

Fac ergo quod dico fili mi, & teipſum libera, quia incidiſti in manu proximi tui diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. Non tantum ipſe bene viuendo vigilare memento, ſed & illum cui præes à peccati torpore prædicando disiunge.

Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Somnum dat oculis qui ſubditorum curam omnino ne-

G gligit: Dormitat autem qui quidem reprehenſibilia eorum geſta cognoſcit, ſed hæc propter mentis tędium digna inuectione non corrigit.

Eruere quaſi damula de manu & quaſi auis de inſidijs aucupis. Quantum auis de laqueo vel damula de manu captantis quærit euadere, tantum nitere, vt auditore tuo ſalubriter inſtituto ipſe à ſponſione vitæ eius liber reddaris: Et certe quia damula mundum natura eſt animal, velox curſu viſuque acerrimum, vnde & Græce ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id eſt, à videndo dorcas nuncupatur. Auis autem volando alta petere conſueuit: cum in docendis occuparis ſubditis mundus à peccatis omnibus, ſtrenuus in operibus bonis, perſpicax in deprehendendis malorum inſidijs, & virtutum pennis fultus eſſe ſatage quatenus expleto prædicandi negotio ad ſuperna tranſuolare, & cæleſtis vitæ paſcua merearis intrare.

Vade ad formicam ô piger & conſidera vias eius & diſce ſapientiam. Hinc vacantem hortatur quemque vt ſi ad alios erudiendos non ſufficit, ſaltem ſuimet curam agere non negligat, & ſi ſapientiam doceri nequit ab homine, vel operandi ſapientiam diſcat à formica.

H *Quæ cum non habeat ducem nec præceptorem nec principem parat æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Si tantillum animal principe carens & rationis expers, natura duce ſibi præuidet in poſterum, multo magis tu ad imaginem Dei conditus ad videndam eius gloriam vocatus, doctorum magiſterio adiutus ipſum conditorem habens ducem, debes in præſenti bonorum operum fructus congregare, quibus æternum viuas in futuro. Hæc enim vita in eo meſſi comparatur & æſtati, quod hæc inter ardores tentationum, tempus eſt colligendi futurorum præmia meritorum. At dies iudicij hyemis ſimilatur rigoribus, quod tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi, ſed tantum cogitur quiſque de horreo priſcæ actionis, quod recondidit proferre. Vnde & Dominus præcipit dicens: *Orate autem vt non fiat fuga veſtra* Matt. 24.

Digitized by Google

A *hyeme vel Sabbato.* Hyeme enim facultas, Sabbato licentia, iuxta legem deeſt fructus vitæ colligendi ac penuriam fugiendi perpetuam.

Vſque quo piger dormis? quando conſurgis à ſomno tuo, paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus vt dormias. Vſquequo inquit dormis in vitijs? quando potes reſurgere ad bene operandum qui noxio torpore depreſſus ſemper dicis paululum adhuc iaceam, & ſic poſtea pœnitendo reſurgam. Fit namque vt te ſemper differente opus bonum repente iudex qui mala tua facta puniat, adſit: Hoc eſt enim quod ſequitur.

Et veniet tibi quaſi viator egeſtas & pauperies quaſi vir armatus. Egeſtas namque & pauperies pœna eſt vltima, in qua damnati nil diuitiarum merentur. Quaſi viator veniet, quia improuiſa & ſubitanea: Quaſi vir armatus, quia deuinci perpetuo non poteſt. Patet iuxta literam quia pigritia nutrix eſt egeſtatis & penuriæ. *Si vero impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua.* Fructus terreni quos metimus non fonti comparantur, ſed ciſternæ, quia ad tempus paſcunt colligentem & in tempore deficiunt: At qui
B impiger fuerit, pro cæleſtibus laborare diuitijs, huius meſſis vt fons aduenit, quia mercedem laborum indeficientem percipiet.

Pſal. 16. *Et egeſtas longe fugiet à te.* Quia *ſatiabor* inquit *dum manifeſtabitur gloria tua.*

Homo Apoſtata vir inutilis graditur ore peruerſo annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat.

Dixerat de Hæreſibus & alijs vitiorum generibus inſtituerat præceptorem, excitauerat pigrum, at nunc redarguit & ſciſmaticum. Vbi notandum quia quem ſeminantem iurgia dicere voluerit prius apoſtatam nominauit, quia niſi more ſuperbientis angeli à conſpectu conditoris prius, intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum vſque ad ſeminanda iurgia non veniret. Quia recte dicitur quod *annuit oculis, terit pede, digito loquitur*, interior namque eſt cuſtodia quæ ordinata ſeruat exterius membra, qui ergo ſtatum mentis perdidit, foras in inconſtantiam motionis fluit, atque exteriori mobilitate indi-
C cat, quod nulla radice interius ſubſiſtat.

XVII. *Sex ſunt quæ odit Dominus ſeptimum deteſtatur anima eius.* Eundem quem ſupra plenius, quia ſit Domino odibilis diſcordiam ſeminando inſinuat, quod autẽ Domini animam dicit, humano more facit, vt eum plena intentione & non leuiter tales odiſſe ſignificet. tale eſt in Iſaia: *Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea.*

Iſaia 1. *Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Enumerat ſex capitalia crimina quæ tamen comparatione diſcordias ſeminantis, quaſi minora deponit, quia nimirum maius eſt facinus illud, quo vnitas & fraternitas quæ per Spiritus ſancti gratiam eſt connexa diſſipatur, poteſt enim quilibet oculos iactanter extollere, lingua mentiri, homicidio pollui, mala proximo machinari, alijs ſceleribus membra ſubdere, falſum contra quempiam teſtimonium proferre, quod non idem eſſe putandum eſt, quod ſupra linguam mendacem nominat: Poteſt enim mendacium, ſed non contra proximum dici, nam & beatus Augu-
D ſtinus octo eſſe genera mendacij, in libro quem de mendacio compoſuit docet, poteſt inquam perditus quiſque huiuſmodi mala vel ſibimetipſi, vel alijs inferre pace ſeruata Eccleſiæ, at Donatus & Arrius eorumque ſequaces grauius eſt quod fecerunt, qui concordiam fraternæ vnitatis diſcordias ſeminando ſciderunt.

Conſerua fili mi præcepta Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Nunc ſub adulteræ mulieris ſpecie prohibet ab auditione hæreſeos.

Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo & in cogitatione præcepta Dei fixa retine & loquelam tuam. Horum vndique dulcedine, ne forte in lingua labatis communito.

Cum ambulaueris gradiantur tecum, cum dormieris cuſtodiant te & euigilans loquere cum eis. Tanta ſit tibi meditatio diuinæ legis, vt cum vigilans aliquid operaberis hanc ſedula mente recolas; cum dormiueris, in huius memoria quieſcas, cum euigilaueris hanc primo ad mentem reuoces, ſic etenim fiet, vt nec vigilans offendas, nec à timore nocturno lædaris. Aliter, cum ambulaueris in profectu iuſtitiæ: gradiantur tecum mandata Dei, vt te inſtruant. Cum dormieris in morte cuſtodiant animam tuam, ne rapiat hoſtis: Cum euigilaueris in reſurrectione, loquere cum eis, expetendo præmia quæ tibi ſi ea ſeruares promiſerant. E

Ne capiaris nutibus illius. Patet de adultera ſed & hæretici, ſi bene viuere & apte ſe agere videntur, vide ne ſeducaris eorum doctrinis. XVIII.

Pretium enim ſcorti vix vnius eſt panis. Recordare quod breuis voluptas fornicationis & perpetua eſt pœna fornicatoris: Sicut enim vnus panis diurnam ſolum effugat eſuriem, & nihilominus poſtmodum eſurit, qui comeſto pane ſaturus abſceſſerat: Sic qui intrat ad ſcortum, ad horam quidem euaporat libidinem, ſed poſt paululum ardentior redit.

Numquid abſcondere poteſt homo ignem in ſinu ſuo vt veſtimenta illius non ardeſcant. Soli ei conceditur hæreticorum libros legere qui adeo ſolidatus eſt in fide catholica, vt vel verborum dulcedine vel aſtutia nequeat ab ea ſegregari. F

Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit, &c. Furtum non ex ſua æſtimatione ſed ex comparatione maioris, id eſt adulterij non grandis eſſe culpæ perhibetur. Sicut Hieruſalem grauius peccanti dicitur, *Iuſtificata eſt Sodoma ex te*, non quia Sodoma nulla vel pauca, ſed quia Hieruſalem plura peccauit.

Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Et de Domino intelligendum, quia qui nunc parcit reprobis non parcit in die mortis, nec acquieſcit precibus, ſero clamantium ad ſe, nec dona quorum ibi tempus, & facultas non eſt ſuſcipit, velatur enim ſi qui ſponſam ſuam, id eſt, Eccleſiam ſiue animam quamque fidelem corrumpere præſumit.

Fili mi cuſtodi ſermones meos, &c. Et hæc periocha eadem quæ ſuperior ſub meretricis perſona plenius explicat. G XX.

Et legem meam, quaſi pupillam oculi tui. Tam ſollicite ſerua, quæ doceo, quaſi nil recte ſine his aſpicere valeas.

Liga eam in digitis tuis. Scribe illam in tabulis cordis tui. In digitis, in actibus dicit. In tabulis cordis in latitudine cogitationis, denique & alia tranſlatio ſic dicit: *Deſcribe eam in latitudine cordis tui.*

Dic ſapientiæ ſoror mea es & prudentiam voca amicam tuam, vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba ſua dulcia facit. Sapientiam Eccleſiaſticæ doctrinæ, ſororia tibi dilectione coniunge, vt hæc te à pollutione ſeruet hæretica, quæ à caſtitate Eccleſiæ probatur extranea.

De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi, & video paruulos. Patet iuxta literam, quia ſapientium aſpectus magiſtrorum & infirmorum actus ſedulo ſpeculatur & fortium; At æterna Dei ſapientia de cælo proſpicit, & videt omnes filios hominum. Apte autem Salomon de feneſtra domus ſuæ ſe per cancellos proſpexiſſe dicit, vt paruulorum geſta dimidicaret; Qui enim de feneſtra per H cancellos proſpicit, ipſe quidem ea quæ foris aguntur, plene conſiderare ſufficit, nec tamen ipſum qui foris & infra degunt aſpiciunt: Namque hoc eſt quod Apoſtolus ait: *Spiritalis enim omnia iudicat, ipſe autem à nemine iudicatur.* 1. Cor. 2.

Conſidero vecordem iuuenem, qui tranſit in platea iuxta angulum. Iuuenem vocat adulterum non propter veritatem, ſed propter inſtabilitatem. Qui tranſit in platea, quia deſeruit anguſtam viam, quæ ducit ad vitam; iuxta angulum, quia deflectit à rectitudine.

Et prope viam domus illius graditur. Quia à via veritatis declinauit, merito viæ meretricis domus vel hæretici appropiat, quæ recte iuxta quod expoſuimus & in platea, & iuxta angulum poſita eſt.

A *In obſcuro aduefperaſcente die, in noctis tenebris & caligine.* Quia iam talis per cæcitatem cordis ad tenebras feſtinat & peccati & damnationis.

Et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas. Patent hæc cuncta iuxta literam de meretricis operibus. Verum doctrina hæretica quemcunque incautum reperit, & vecordem, hunc decipere tentat, ipſa etenim ornatu meretricio apparet, quia immunda præfulget eloquentia. Præparata eſt ad capiendas animas, quia quoſcunque ſibi aſſociare poteſt ſpiritali morte perimit.

Garrula & vaga, quietis impatiens. Quietem Eccleſiæ turbare deſiderans.

Nec valens in domo conſiſtere pedibus. Nulla enim eſt hæreſis quæ primis ſit contenta diſcipulis. Hi ſunt enim domus eius, ſed ſemper nouos quos decipiat quærit.

Nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Foris cum paganos rapit; In plateis cum voluptuoſos, iuxta angulos cum alios hæreticos.

B *Apprehenſumque deoſculatur iuuenem.* Verborum fallentium blandimentis tentat inſtabilem.

Et procaci vultu blanditur dicens; victimas pro ſalute debui, hodie reddidi vota mea. Iuxta literam patet intellectus,
* ſe permagnificum quia meretrix conuiuium* ſemper magnificum præparaſſe fatetur. At hæretici in cunctis quæ agunt, victimam ſe ſuæ ſalutis Deo immolare vel autummant vel autumari
Ioan.16. geſtiunt: Nam & Dominus ad diſcipulos, *ſed venit*, inquit, *hora, vt omnis qui interfecerit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.*

Intexui funibus lectum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto. Solent lecti, qui ex funibus vel iuxta aliam tranſlationem inſtitis intexuntur meliores fieri, quam qui ex ligno vel corio vel qualibet alia materia inſtruuntur. In lecto ergo funibus intexto meretrix molliciem quieſcendi deſignat. In tapetibus vero pictis ex Ægypto, etiam oculorum tentat illecebras, quibus nefando aſpectu irretitis facilius ad ſeducenda mentis arcana penetret, quia vero nomine funium aliquando ſolent diuina præcepta figurari, quæ à noſtris nos voluptatibus coercendo religant, promittunt ſe hæretici contextu verborum cæleſti-
C um ſalubre ſuis auditoribus quaſi ſtratum parare, in quo à vitiorum tumultibus libero corde quieſcant, ſed veraciter illis funibus peccatorum conſtruunt locum perditionis, vbi perpetuo pedes manuſque alligati damnentur.
Apoc.2. De quo Dominus in Apocalypſi. *Et dedi* inquit, *illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua: Ecce mitto eam in lectum & qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam.* In tapetibus vero pictis ex Ægypto, ornatus eloquentiæ & dialecticæ artis verſutia, quæ ab ethnicis originem ſumpſit, intelligitur, per quam mens hæretica ſenſum doctrinæ peſtilentis, quaſi meretrix thorum facinoris ſe texiſſe gloriatur.

Aſperſi cubile meum Myrrha & Aloe & Cinnamomo. Promittunt ſe tales odorem cæleſtium habere virtutum, quibus ſua ſuorumque corda velut cubilia venuſta conſe-
2.Cor.2. rent, ac dicere poſſe cum Apoſtolis, *quia Christi bonus odor ſumus Deo.*

Veni inebriemur vberibus donec illuſceſcat dies. Doctrinæ ſanctæ poculis ſe inuicem ſatiandos iactant hæretici, &
D virtutum gratia coniungendos, donec eorum geſta lux ſequatur æterna.

Non eſt enim vir in domo ſua, abijt longiſſima via. Non eſt inquiunt Chriſtus corporaliter in Eccleſia, ſurgens enim à mortuis aſcendit in cœlum nobiſque miniſterium gubernandæ Eccleſiæ, ſuæ videlicet, domus reliquit.

Sacculum pecuniæ ſecum tulit. Gloriam reſurrectionis & immortalitatis decus ſecum detulit, quo illius patriæ ciues lætificaret ac ditaret.

In die plenæ lunæ reuerſurus eſt domum ſuum. In tempore quo electorum ſuorum Eccleſia numerum compleuerit reuertetur ad iudicium.

Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, id eſt, quaſi ſtultus neſciens ipſe ductus ad interitum.

Et fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Vt ipſe Salomon ſapientiſſimus virorum, vt Samſon fortiſſimus, vt Dauid

E manſuetiſſimus, à muliebri decipula. Vt Origenes ab hæretica, quem poſt Apoſtolos Eccleſiæ magiſtrum fuiſſe, quamdiu recte ſapuit, qui negauerit errat.

Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis. Sed de Matt.16.
Eccleſia Dominus ait: *Quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Interiora autem mortis acerrima gehennæ tormenta, quaſi arctiora & obſcuriora dicit, quibus hæreticos & fornicarios conſtat eſſe mergendos, ſicut de ſanctis pro Domino in hac vita patientibus dicitur: *quia* Actor.16.
miſit eos cuſtos in interiorem carcerem, atrociorem videlicet, fœdiorem & obſcuriorem.

Nunquid non ſapientia clamitat & prudentia dat vocem ſuam. Ioan.18.

Nunquid non Dominus palam locutus eſt mundo, & in occulto locutus eſt nihil? quid ergo neglecto eius Euangelio ad hæreſin potius vel laſciuiæ ſuaſionem, quæ in angulo ſuſurrant, audiendam miſeri confluunt.

In ſummis excelſiſque verticibus ſuper viam in medijs ſemitis ſtans iuxta portas ciuitatis. In monte diſcipulos ſimul & turbas docuit, ſed & per vias ſæpe his qui conueniebant prædicabat, & eos qui cura indigebant ſanabat. In ipſa etiam porta ciuitatis Naim mortuum reſuſcitans exemplo F
miraculi verba quæ docuerat commendabat, & quid ſequimini eos qui in abditis contra eum ſuas exerunt linguas.

In ipſis foribus loquitur dicens. O viri ad vos clamito & vox mea ad filios hominum. Ad viros clamat, id eſt, ad ſtrenuos verbi auditores in vtroque ſexu. Nam qui fœminæ, id eſt, fluxa mente ſunt, ſapientiæ verba percipere nequeunt.

Intelligite paruuli aſtutiam & inſipientes animaduertite. Manifeſtum de Domino, quia & cum eſſet ipſe in mundo omni ætati ſexui & conditioni locutus eſt verbum immo etiam clamabat ſtans in templo, *Si quis ſitit, veniat ad* Ioan.7.
me & bibat: & nunc per doctores Eccleſiæ, ipſi enim ſunt fores ciuitatis eius; viris ſimul ac fœminis ſapientibus, & inſipientibus grandæuis prædicat, & paruulis, at contra doctrina fallax clam & priuatim quos ſeducere valeat quærit.

Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum. Magnis nempe quia regnum cælorum & promiſit & dedit, fidemque ſanctæ trinitatis docuit, atque alia innumera quæ G
Prophetæ ei loquenda relinquebant.

Et apperientur labia mea, vt recta prædicent. Labia eius ſunt duo teſtamenta concordi ad inuicem veritatis atteſtatione coniuncta, quæ ipſa in carne apparente per ſancti Spiritus donum, ſunt ad prædicandam ſalutem, vniuerſum aperta per orbem.

Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite.

Non poteſtis Deo ſeruire & Mammona. Matth.6.

Ergo ſapientia habito in conſilio & eruditis interſum cogitationibus.

Vbi duo & tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum ego Matt.18.
in medio eorum.

Arrogantiam & ſuperbiam & viam prauam, & os bilingue deteſtor. Arrogantiam & ſuperbiam in eis qui ſe cæteris meliores æſtimant, viam prauam in eis qui aperte mala faciunt, os bilingue in illis, qui in illis, qui in bonis quæ loquuntur ſtabile quippiam non habent, ſed iuxta auditorum libitum ſua verba commutant.

Meum eſt conſilium & æquitas, mea prudentia, mea eſt fortitudo. Non ſe extollat humana præſumptio plenitudi- H
nem virtutum ſola Dei ſapientia poſſidet, & ab hac humana infirmitas quicquid virtutis habet, accepit.

Per me reges regnant & conditores legum iuſta decernunt. per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Reges dicit Apoſtolos ſiue alios ſanctos, qui & ſeipſos primum, & deinde Eccleſiam ſibi ſubditam bene regere ſciunt. Legum conditores, auditores vtriuſque teſtamenti, & ſequentes Eccleſiæ ſcriptores, principes & potentes cæteros fidelium præceptores ac rectores appellat, qui vtique omnes non niſi per ſapientiam vt eſſent aliquid habent:
Ait enim, *quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ioan.15.

Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me inue-
nient me: Tale eſt & in Euangelio, *qui autem diligit me, dili-* Ioan.14.
getur à Patre meo & ego diligam eum & manifeſtabo ei me ipſum.

Mane

A Mane quippe vigilant ad ſapientiã, qui ſemper innouato mentis ſtudio ad Chriſti viſionem pertingere ſatagunt.

Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Opes ſoperbas opes excelſas dicit, vt cæleſtia dona ſignificet, Græce etenim ſuperbus Yperiſanos, id eſt, ſuper apparens dicitur, & ideo rectè ſapientia opes Yperiſanas ſecum eſſe dicit, quia quicquid donorum cælitus fidelibus datur, cunctis mundi opibus excellentius eſſe probatur, quod etiam addendo iuſtitiam maniſeſtius inculcat. Nam 2. Pet. 3. terrenas opes & gloriam ſæpius habent iniuſti, *nos autem in reſurrectione* ſicut Petrus ait, *nouos cælos & nouam terram & promiſſa ipſius expectamus*, in quibus iuſtitia habitat. *Dominus poſſedit me initium viarum ſuarum.* Viæ Domini ſunt opera eius quorum conſideratione ad fidem vel agRom. 1. nitionem peruenit hominum, *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Viæ eius ſunt ipſæ illuminationes, per quas ſe & angelicis ſpiritibus & mentibus oſtendit humanis, in quarum initio viarum ſapientiam poſſedit, quia in primordio creaturæ B naſcentis filiũ, qui cum eo cuncta diſponeret habuit. Sed ne putaret aliquis harum in initio viarum vel aliquando ante tempora filium eſſe cœpiſſe vigilanter adiunxit.

Antequam quicquam faceret à Principio ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Et cætera, vſque dum ait. *Quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram* Ioan. 1. *cuncta componens.* Cui ſimile eſt in Euangelio. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, omnia per ipſum facta ſunt.* Pereant ergo qui negant Dei virtutem, & Dei ſapientiam, videlicet Chriſtum ab initio, immo & ante omne quod dici vel cogitari poteſt, initium ab ipſo patre fuiſſe progenitum; Alia translatio, hunc locum ita incipit: *Dominus creauit me principium viarum ſuarum in opera ſua.* Quod de incarnatione dominica dictum patres intelligunt, dicentes quia certi gratia myſterij dixerit; Dominus creauit me, & non Pater creauit me, Caro inquiunt Dominum agnoſcit, Gloria patrem ſignat, Creatura Dominum confitetur, Charitas patrem nouit, Principium vel in prinC cipio viarum ſuarum, & ipſe ait, *Ego ſum via*, quia ſurgens à mortuis iter fecit Eccleſiæ ſuæ ad regnum Dei ad vitam æternam. In opera ſua, quia ad redimenda opera patris à corruptelæ ſeruitio liberaret, Caro enim Chriſti propter opera, Diuinitas ante opera.

Et delectabar per ſingulos Dies Ludens coram eo omni tempore, Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Ludentem dicit gaudentem, Erat ergo ludens coram patre per ſingulos dies, quia vt Propheta ait, *A* Mich. 5. *principio ex diebus æternitatis gaudebat vnum eſſe cum patre.* Erat omni tempore ludens in orbe terrarum, quia & cum tempora orbis ac creaturæ eſſe cœpiſſent, ipſe quod erat cum patre filius manebat, Hæc ideo ne quis eum cum creaturis & temporibus cœpiſſe perhiberet. Et *deliciæ meæ ſunt, eſſe cum filijs hominum*, quia deſiderat in eorum amore quieſcere. Nos bonorum gratiã meritorum ad te videndum perducere.

Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Fores ſuas & poſtes oſtij ſui ſcripturas ſanctas, & eorum doctores nuncupat, ſine D quibus ad vitam quam pollicetur non valemus ingredi:

XXIII. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Quia de æternitate diuinitatis Chriſti ſufficienter dixerat, Addit & de aſſumpta humanitate dicere. Sapientia igitur ædificauit ſibi domum, quia hominem filius Dei, quem in vnitate ſuæ perſonæ ſuſciperet ipſe creauit.

Excidit columnas ſeptem. Eccleſias per orbem ſeptiformi gratia Spiritus erexit. Quæ domum eius, id eſt, myſterium incarnationis eius, ne perfidorum improbitate memoria tolleretur, credendo, colendo & prædicando, quaſi ſuſtentando continerent, vel certè ſapientię domus Eccleſia Chriſti eſt, columnæ autem doctores ſanctæ Eccleſiæ ſeptiformi Spiritu pleni, quales fuere Iacob, Cephas & Ioannes, quas nimirum columnas ſapientia excidit, quia ab amore præſentis ſeculi diſiunctas ad portandam eiuſdem Eccleſiæ fabricã mentes prędicant ũ erexit.

Immolauit victimas ſuas. Suis paſſionibus Eccleſiam conſeruauit, vel vitam prædicantium mactari in perſecutione permiſit, quibus videlicet victimis contrariæ ſunt victimæ meretricis, ad quas ſtultos inuitat, vt ſuper lectum E eſt, dicens: *Victimas pro ſalute debui, hodie reddidi vota mea.*

Miſcuit vinum & propoſuit menſam ſuam. Diuinitatis ſuæ arcana capere non valentibus, adſumptæ humanitatis ſacramenta patefecit, & ſcripturæ ſacræ papula nobis aperiendo præparauit.

Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Prædicatores infirmos ac deſpicabiles elegit, qui fideles populos ad ſuperna patriæ cæleſtis ædificia colligerent.

Si quis eſt paruulus veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt. Paruulos dicit humiles, inſipientes vero eos, qui de mundanæ ſapientiæ faſtu nil habent; tales autem vocat vt eos ſua doctrina ſapientes reddat & altos.

Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. In pane diuina eloquia, in vino mixto coniuncta in vnam Chriſti perſonam deitatis & humanitatis eius natura exprimitur, vt ſupra dictum eſt, vel certe in pane corF poris ipſius, in vino mixto ſanguinis ſacroſancti myſterium, quo in altari, menſa videlicet eius ſatiamur, oſtenditur.

Relinquite infantiam & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Poſt oblatas epulas addit & vitæ monita, vt quos perceptis ſuæ incarnationis myſterijs refecit, doctrinæ pariter inſtituat verbis.

Qui erudit deriſorem ipſe ſibi facit iniuriam, & qui arguit impium, generat maculam ſibi. Quaſi interrogares. Cur ſapientia paruulos præ cæteris & inſipientes ad ſuas inuitaret epulas: Ideo inquit, feci, quia fruſtra laborat, qui verbum ſapientiæ inculcare nititur ei, qui audire contemnit, ſapientiorem ſe doctore & maiorem exiſtere credens.

Noli arguere deriſorem ne oderit te. Non eſt timendum ne tibi deriſor cum arguitur contumelias inferat, ſed hoc potius prouidendum, ne tractus ad odium peior fiat. Ideoque tibi aliquoties ab eius correptione non tuæ timiditatis, ſed dilectionis eius gratia ceſſandum. G

Argue ſapientem & diliget te. Sapientem in profectu poſitum, id eſt, amatorem ſapientiæ dicit, quem ſupra prę humilitate paruulum nuncupauit, nam perfectus ſapiens non habet opus argui.

Mulier ſtulta & clamoſa plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens ſedit in foribus domus ſuæ, ſuper ſellam. Mulier autem hęc hæreſis eſt, contraria nimirum ſapientiæ, quæ ſua ſuperius ſacramenta cecinit. Sedit autem & ipſa in foribus domus ſuæ, id eſt, in doctoribus falſitatis, q inpenetrabilia perfidiæ miſeros fallendo introducunt. Super ſellam autem, quia cathedram ſibi prædicationis vſurpat. Hæc eſt cathedra peſtilentię, in qua beatus vir ſedere detrectat. *In excelſo vrbis loco.* Dicit & de ſapientia, quia in ſummis excelſiſque verticibus dat vocem ſuam, ſed illa in ſublimitate virtutum, hæc in ſupercilio elationis attollitur.

Vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo. Vocat hæreſis ad perfidiam ſæpe Catholicos, quos iter rectum agere, vt viam ſeculi huius tranſire citius velle, atq; ad æternam patriam feſtinare conſpicit.

Quis eſt paruulus, declinet ad me, & vecordi locuta eſt. Et ſaH pientia paruulos atque inſipientes ad ſuum conuiuium pene ijſdem verbis inuitare videtur. Sed diſtat, quod illa ſimpliciter ad ſe venite, hæc autem quos vocat ad ſe declinare ſuadet, quia illa nimirum ad rectum actionis iter quos errantes cernit acceꝛſit; hæc rectè gradientes ab itinere ſuo deuiare, & ad ſe diuertere docet.

Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. Sapientia palam menſam propoſuit, & miſcuit vinum ſuum, at ſtulta mulier nil meracum habens ad aquas furtiuas, & abſconditum panem quoſcunque valet aggregat, quia Catholica Eccleſia palam mundo diuinorũ eloquiorum conuiuia pandit, diuinitatis & humanitatis Chriſti myſteria celebranda præcipit, vel certe in vino mixto hiſtoricã ſimul, & allegoricã auditoribus ſuis ſcientiã propinat, vt pro ſuo quęq; captu vitæ poculis reficiat. At hæreticorũ doctrina publicę fidei & profeſſioni ſua ſecretim

A decreta præponit, & cum nil ſpiritale habeat ſuauiorem ſe catholicis paſtoribus ſcientiam iactat docere, vt ſcilicet libentius audiantur & agantur, quæ palam in Eccleſia dici credique prohibentur: Et dulcius hauriatur inſipientia quæ putatur ſcientia, cuius prohibita furatur audientia. Poteſt in aquis furtiuis baptiſma hæreticorum, in pane abſcondito eorundem ſacrificium deſignari. At iuxta literam mulier adultera in aquis furtiuis, & pane abſcondito prohibita & illicita concubia dulciora eſſe aſſeuerat.

Et ignorauit quia gigantes ibi ſint. Et in profundu inferni via eius. Neſcit adultera, neſcit hæreticus, quia immundi Spiritus ſuas domus habitant: Et qui in profundis inferni pœnas luunt æternas, ipſi in actibus luxurioſorum, ipſi hæreticorum dogmatibus, quaſi conuiuijs delectantur opimis. At cum ritè in Eccleſia Chriſti ſacramenta celebrantur, Chriſti verbum auditur, & conſeruatur, qui eſt ſapientia Dei, conſtat quod Angelicæ virtutes ibi ſint, &
Ioan. 6. in excelſis cælorum conuiuæ fidelium. *Panem enim cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.*

FINIS LIBRI PRIMI.

B

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

CAPVT X.

PArabolæ Salomonis. Nouum ponit titulum, quia nouum genus locutionis incipit, vt non ſicut prius de ſingulis bonorum malorumue partibus diutius diſputet, ſed alternis verſibus actus vtrorumque deſcribat.

Filius ſapiens lætificat Patrem filius autem ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ. Qui accepta fidei myſteria bene ſeruat, lætificat Deum Patrem, qui vero hæc actione mala, vel hæreſi commaculat, matrem contriſtat Eccleſiam.

Non proderunt theſauri impietatis, iuſtitia vero liberabit à morte. Et à tranſitoria morte ſæpius vt Danielem, & tres pueros, & à perpetua ſemper iuſtitia liberat. At vero theſauri per impietatem congregati, & ſi aliquando à morte corporali videntur eripere, plus tamen mali pro impie-
C tate, quâ acquiſiti ſunt, quam commodi in eo quod pro vita ſunt dati, conferunt.

Non affliget Dominus fame animam iuſti, & inſidias impiorum ſubuertet. Et ſi quando iuſtum impij fame affligunt vel etiam necant, non læditur anima eius, quam Dominus in futura vita ſiue gloria viſionis conſolatur, qui & eaſdem impiorum inſidias in ipſos iuſte iudicando retorquet.

Egeſtatem operatur manus remiſſa: Manus autem fortium diuitias parat. Qui negligenter viuit in hoc ſeculo, egebit bonis in futuro: At qui fortiter Domino militat, diuitijs æternæ beatitudinis remuneratur.

Qui congregat in meſſe filius ſapiens eſt: Qui autem ſtertit æſtate filius confuſionis. Qui congregat Chriſto animas fidelium, filius ſapiens eſt; & quidem hæc meſſis multa eſt, operarij autem pauci. Qui vero hoc tempore acceptabili etiam à ſua ſalute curanda torpeſcit, confundetur in die retributionis.

Benedictio ſuper caput iuſti, os autem impiorum operit iniqui-
Matt. 25. *tas.* Iuſtis dicetur in iudicio, *venite benedicti percipite re-*
D *gnum.* Os autem impiorum quod comeſſationi ebrietati, & colloquijs malis ſeruiebat iniquitate, quam geſſit condemnabitur. Denique os illius operuit, iniquitas, qui in tormentis poſitus linguam ſibi in qua ob plura ſcelera plus punitus eſt, refrigerari quæſiuit.

Memoria iuſti cum laudibus & nomen impiorum putreſcat. Et in hac vita bonos ſiue viuentes ſiue defunctos laudibus efferunt: Impiorum autem & actus deteſtãtur & nomen; Et in vita futura iuſti in Dei laudibus viuunt, reproborum autem honor, nomenque laudeſque putribus ge-
Iſaia 66. hennæ ſupplicijs mutantur: *Vbi vermis eorum non moritur & ignis eorum non extinguetur.*

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: Qui autem deprauat vias ſuas, manifeſtus erit. Qui ſimpliciter ſe viuere nouit fallaciç cuncta ſpernit aduerſa, quia ſe per hoc ad gau-

E dia venturum eſſe confidit. Dicens cum Propheta: *Domi-*
nus defenſor vitæ meæ à quo trepidabo, &c. At qui prauis incedit vijs nolens licet pateſcit, ac digna factis recipit: Nihil enim occultum quod non reuelabitur. Pſal. 26.

Qui annuit oculo dabit dolorem. Qui nutibus oculorum irridet aliquem non euadit ſine dolore tormenti aut pœ-
nitudinis. De qualibus dicit Pſalmiſta: *Qui oderunt me* Pſal. 34.
gratis & annuebant oculis. Vel certe qui annuit oculo, dabit dolorem, quia *filius ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ.*

Stultus labijs verberabitur. Et ſuis videlicet quibus damnari meruit, quia mors & vita in manibus linguæ, vel eorum à quibus, quia corrigi non potuit ſententiam dam-
nationis accepit. Quomodo Pſalmiſta cum ait: *Domine* Pſal. 119.
libera animam meam à labijs iniquis & à lingua doloſa, vtrumque à Domino quærit, vt & ipſe labia iniqua, ac linguam doloſam non habeat, & aliorum iniquitate ac dolis minime poſſit decipi.

Vena vitæ os iuſti. Et Dominus de doctoribus; *qui credit,* Ioan. 7.
inquit, *in me ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent aqua viua. Et os impiorum, operit iniquitatem.* Impij ſunt qui
vel ſua vel proximorum errata ne ad ſanitatem perueni- F
ant defendendo contegunt, quod execrans Propheta, Dominum orat, vt non declinet cor ſuum in verbum malum, ad excuſandas excuſationes in peccatis.

In labijs ſapientis inuenietur ſapientia, & virga in dorſo eius qui indiget corde. Virga; in dorſo eſt, vindicta in poſterioribus, id eſt, in ſequenti vita, quam bene plaga illa ſimioſa qua Philiſtæi in natibus feriebantur, exprimit. Qui ergo non vult virgam portare in dorſo portet in labijs ſapientiam, loquatur laudes Chriſti, & præcepta prædicet. Verum quia ſemper Dominum laudare, non autem ſemper docere, nõ omnia quæ nouit omnes docere ſapienti conuenit, recte ſubditur.

Sapientes abſcondunt ſcientiam. Scientes videlicet, quia
tempus tacendi & tempus loquendi: Vnde Propheta, Pſal. 38.
dum conſiſteret, inquit, *peccator aduerſum me, obmutui & humi-*
liatus ſum, & ſilui à bonis: Et Apoſtolus. *Nihil iudicaui me ſcire* 1. Cor. 2.
inter vos, niſi Chriſtum Ieſum & hunc crucifixum. Os autem *ſtulti confuſioni proximum eſt.* Quia vel inordinate bona, vel
aperte loquitur mala. G

Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius, pauor pauperum egeſtas eorum. Diuites confidunt in diuitijs, quaſi in vrbe munita; Pauperes ideo pauent, ne deficiant, quia ſe norunt egenos. Spiritaliter qui in Deum diues eſt per bona opera, confidit in illo, quaſi in vrbe inexpugnabili, quia à nullo poſſit hoſte ſuperari; At qui virtutum inopia coanguſtantur, ideo cœleſtibus egent diuitijs, quia noxio pauore timent duros pro Domino tollerare labores.

Abſcondunt odium labia mendacia, qui profert contumeliam inſipiens eſt. Si ergo verax & ſapiens eſſe deſideras, odium neq; in abſcondito cordis contege, nec proris cõtumeliã profer, ſed tuũ & cor dilectione & os veritate repleatur.

Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſapientia autem eſt viro prudentia. Prudentia à prouidendo nomen accipit, ſtultus eſt igitur qui gaudet in ſcelere. Sapientis autem eſt & eius, q viri nomine dignus ſit præuidere, q riſus dolore miſcebitur, & gaudia peccandi pœna ſequetur vltionis.

Quod timet impius veniet ſuper eum. Deſiderium ſuum iuſtis dabitur. De illo impio dicit, qui ſciens peccat, timet ergo impius videre diſtrictum iudicem; Deſiderant iuſte diſ-
ſolui & eſſe cum Chriſto. Ille ne terrenis gaudijs priue- H
tur, & ſempiterna vltione plectatur: Iſti ne incolatus eorũ prolongetur, ſed præmia pro quibus certauere percipiant. Vtriſque autem quod corde tenent adueniet.

Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius. Iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum. De perſecutionibus Eccleſiæ dicit, qui domum fidei ſubuertere quærunt, ſed illa in vero fundamento, hoc eſt, in Chriſto collocata: Ipſi extemplo diſpereunt.

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum. Sicut hæreticorum perfidia bonis doctoribus moleſtiam generat & lachrymas: ſic male viuens Catholicus eis qui ſe fidem ſuam ex operibus oſtendere iuſſerunt per inertiam grauis eſt. Oculi quippe & dentes prædicationes ſunt ſanctæ Eccleſiæ, qui & recta itinera præ

uidere

Digitized by Google

A uidere & alimenta ſpiritalia ſuggerere ſolent: Porro acetum quod à vino degenerat, & fumus qui ab igne aſcendens euaneſcit, eos qui ab Eccleſiaſtica ſuauitate & caritate per ſuperbiam & ſocordiam recedentes hanc etiam verbis impugnant figurate denunciant: De quibus dicit Ioannes: *Ex nobis exierunt ſed non erant ex nobis,&c.*

Timor Domini apponet dies & anni impiorum breuiabuntur. Qui Deo fideliter ſeruiunt, æterna luce donabuntur: At qui impietati mancipantur cum hac vita perdunt bona quæ amabant.

Expectatio iuſtorum, lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Patet quia iuſti lætantur in exſpectatione vitæ ſequentis, quamuis contriſtentur afflictione preſſuræ præſentis;
Eccleſ. 51. Vnde eſt illud: *Tu es mihi refugium à preſſura quæ circumdedit me exultatio mea.* At vero impij qui ſe putant, in futuro requieturos, aut certe nullos poſt mortem futuros, falluntur. Neque huic repugnat ſententiæ, quod ſupra dictum eſt, *quod timet impius, veniet ſuper eum*, ſunt enim qui ſcientes futurum bonorum malorumque iudicium nihilominus negligentia vel deſperatione vel etiam de induſtria peccant: Talibus ergo interitus quem timent
B adueniet; ſunt, qui mala quæ faciunt aut nunquam punienda æſtimant, aut bene geſta, ideoque bona mercede remuneranda iudicant, de quibus recte dicitur: Quia *ſpes impiorum peribit*, nam & de his qui ſcientes delinquunt ſubſequenter adiungit.

Fortitudo ſimplicis via Domini, & pauor his qui operantur malum. Si, inquit, abdita ſcripturarum comprehendere non vales, non tamen de ſalute deſperes, ſed gradere viam Domini, age bona quæ noſti, & inter fortes connumeraberis: Sed merito paueant illi, qui recta quæ norunt facere contemnunt, quia certa reſtant quæ patiantur mala.

Statera doloſa abominatio apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius. Statera doloſa non tantum in menſuratione pecuniæ, ſed & in iudiciaria diſcretione tenet. Qui enim aliter cauſam pauperis, aliter potentis aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtatera vtique librat iniqua; ſed & is qui ſua bene geſta meliora quam proximorum ſuaque
C extera iudicat leuiora ſtatera ponderat doloſa, nec non & ille qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipſe autem vno digito ſuo non vult ea tangere: ille etiam qui bona in publico & mala agit in occulto, pro iniquitate libræ doloſæ abominatur à Domino; At qui ſinceriter agit in omnibus, qui cauſam & cauſam æqua lance diſcernit, is nimirum iuſti iudicis voluntati & actioni congruit.

Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia. Quia ſuperbi vel contumelioſe ſe gerunt, per contemptum ſiue ignorantiam diſciplinæ, vel proximis contumelias ingerunt, vel
Matt. 23. certe, *quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur.*

Matt. 11. *Vbi autem humilitas, ibi ſapientia. Abſcondiſti* inquit, *hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*, id eſt, humilibus.

Mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes. Heu miſere hanc ſententiam pertranſit Origines, qui poſt vniuerſale extremumque iudicium vitam credidit omnibus impijs & peccatoribus dandam. Notandum autem, quia etſi impijs poſt mortem ſpes veniæ non eſt, ſunt tamen qui de leuioribus peccatis, quibus obligati defuncti ſunt,
D poſt mortem poſſunt abſolui, vel pœnis videlicet caſtigati vel ſuorum precibus, eleemoſynis, miſſarum celebrationibus abſoluti, ſed hæc quibuſcunque fiunt, & ante iudicium, & de leuioribus fiunt erratibus. Qui vero ſe longo poſt iudicium tempore, liberandos putant, falluntur & fortaſſe ad eos pertinet quod ſequitur.

Et expectatio ſollicitorum peribit. Item alia eſt ſollicitudo, quam boni ſemper ad implenda Dei præcepta ſunt accincti: Alia qua reprobi cum ſcientes peccant, ſolliciti metuunt quando æternam rapiantur ad pœnam, ideoq; recte expectatio eorum, qui Deo ſollicita mente ſeruiunt coronabitur: eorum vero qui Deum contemnentes & ante iudicium eius propria conſcientia ſe accuſante condemnantur, *Expectatio ſollicitorum peribit.* Hunc verſum longe aliter habet antiqua tranſlatio, quæ ait: *De-*

E *functi hominis iuſti non peribit ſpes, gloria autem impiorũ peribit.*

Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo. Martyr quiſque de anguſtia paſſionis liberatus eſt, poſt mortem, & tradetur in pœnam pro eius cauſa perſecutor, qui illum anguſtauit. Iacob martyrio coronatus eſt, Petrus de carcere liberatus, & Herodes qui eos perſecutus eſt, à vermibus viſibiliter conſumptus, & inuiſibiliter, raptus eſt, *vbi vermis eius non morietur & ignis eius non extinguetur.* Iſaia 66.

Simulator ore decipit amicum ſuum, iuſti autem liberabuntur ſcientia. Hæreticus ſimulans doctrinam catholicam decipit auditorem ſuum, qui autem iuſte veritatem ſequuntur Euangelij, liberabuntur ſcientia catholica ne decipula rapiantur hæretica.

Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt, vir autem prudens tacebit. Non eſt deſpiciendus vel deridendus à nobis, qui nos ſimpliciter amare probatur, etiamſi inepte quid per imperitiam facit. Qui enim hoc facit, indignus eſt ſapientiæ, at vero prudens quiſque de talium commiſſis publice tacet, ſed hæc occultè caſtigat, quod idem ſequentibus verſiculis arctius inculcatur dum dicitur. F

Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana, qui autem fidelis eſt amici celat commiſſum. Et in Euangelio Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, &c. Vnde & hic recte ſubinfertur. Matt. 18.

Vbi non eſt gubernator populus corruet, ſalus autem vbi multa conſilia. Ne enim te putares amici commiſſa ſi corrigere non potes vltra celare debere recte dicit, populum ſine gubernatore corruere, ſaluari autem vbi multa ſunt conſilia, vt oſtendat, quod ſolus emendare non vales, pluribus eſſe reuelandum, vt vnanimi omnium corrigatur induſtria.

Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo. In promptu eſt literæ ſenſus, ſed eſt à ſorte ſanctorum extraneus qui peccata ſua pœnitendo corrigere diſſimulat: Et quicumque talibus vel communionis gratiam concedit, vel vitam promittit æternam, quia pro extraneo fidẽ fecit, ſeipſum profecto ante diſtricti iudicis oculos vltione dignum reddidit. G

Qui autem cauet laqueos ſecurus erit. Securus erit in futuro qui nunc bene formidoloſus & ſua ſedulus errata per pœnitentiam curat, & ab impœnitentium ſe ſocietate ſeruat immunem.

Manus in manu non erit innocens malus. Qui manum iungit in manu nil vtique operatur ſed manus in manu non erit innocens malus, quia etſi ab iniqua actione manus ad horam ſubtrahit, cordis tamen innocentiam malus habere non valet: vnde & præmittitur.

Abominabile Domino cor prauum. Semen autem iuſtorum ſaluabitur. Hoc eſt, quod ſupra dicitur, *Seminanti autem iuſtitiam merces fidelis*, vel certe ſemen iuſtorum ſaluabitur, quia qui præcedentium iuſtorum exempla ſectantur, horum quoque veſtigia ad videnda ſalutis æternæ gaudia ſequuntur, de quibus Iſaias, *Omnes qui viderint eos, cognoſcent eos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Iſaia 61.

Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra & fatua. Circulum aureum ſi in naribus ſuis fixeris nihilominus ille terram vertere naſo & volutabro luti properat immergi, ita mulier fatua ſi pulchritudinem vultus vel habitus acceperit, ſuam tamen faciem ad infima declinare, ſuam ſpecioſitatem ad euertendos vbique caſtitatis floſculos, circumferre, ſe cœno voluptatis inquinare diligit. Aliter, H Qui ornamentum diuinorum eloquiorum, meditando conſequitur, ſed hæc male viuendo inſequitur, circulum aureum habet in naribus, ſed more ſuis terram ſubigere non deſiſtit, quia quod odore notitiæ percepit, immunda actione ſordidauit. Ideoque talis anima mulier pulchra & fatua eſſe cenſetur, quia carnalibus dedita illecebris pulchra eſt per ſcientiam, ſed per actionem fatua. Aliter, quia doctrinam hæreticam nitore vidit eloquij teſplendere, nec tamen ſapientiæ apto intellectu congruere, *Circulus* inquit, *aureus in naribus ſuis*, Id eſt, pulchra & circumflexa locutio in ſenſibus mentis ſtultæ, cui ex loquio aurum pendet, ſed tamen ex terrenæ intentionis

ponde-

Digitized by Google

A pondere mote ſuis ad ſuperiora non reſpicit, quod ſecutus expoſuit dicens, *Mulier pulchra & fatua per intellectum.*

Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt, præſtolatio impiorum furor. Semper iuſti iuſtitiam vbique regnare deſiderant, at impij etiam cum quieſcere ab impietatis executione vident, propoſito tamen diræ mentis ad inferendam cuilibet vim furoris intendunt, vt hoc eſt, quod ſupra dicitur. *Manus in manu non erit innocens malus,* item, *præſtolatio impiorum furor,* quia plerumque ita per ſilentium clauſa intra mentem vehementius æſtuat.

Alij diuidunt propria & ditiores fiunt. Quia centuplum accipiunt in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam.

Alij rapiunt non ſua & ſemper in egeſtate ſunt. Semper inquit in egeſtate non ſolum in tormentis, vbi nec ſtillam aquæ, vnde ad modicum refrigerentur, accipiunt, ſed & in præſenti vbi quamuis innumera rapiat ſemper auarus eget.

B *Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.* Qui exterius prædicando benedicit, interius augmenti pinguedinem recipit. Et dum ſacro oleo mētem auditorum inebriare non deſinit, potu multiplici muneris inebriatus exereſcit.

Qui abſcondit frumenta maledicitur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium. Qui ſanctæ prædicationis apud ſe verba retinet, talis maledicitur in populis, quia in ſolius culpa ſilentij pro multorum quos corrigere potuit pœna damnatur, ipſe eſt ſeruus piger & malus, qui pro retentione talenti, quod accepit, in exteriores tenebras miſſus eſt. Vendunt autem frumentum qui verbum vitæ audientibus conferunt, à quibus pretium fidei &

Luc. 19. confeſſionis accipiant, dicente Domino: *Negotiamini dum venio,* quorum capiti benedictio ſuperuenit, dum ſingulis de tali negotio redeuntium Dominus dicit. *Euge*

Ibid. *ge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Bene conſurgit diluculo, qui quærit bona, qui autem inueſtigator malorum eſt opprimetur ab eis. Bona quærere quæ facere debeas, quibus ad cœleſtia bona peruenias, hoc eſt,

C bene diluculo conſurgere, id eſt creſcente luce ſcientiæ ad bonum opus accingi, vel certe bene, id eſt, ad vitam conſurgit, in tempore reſurrectionis, qui nunc bona quærit in tempore operationis, qui autem mala quæ dicat ſiue agat, modo ſolers inquirit, tunc eorum pondere ad altiora regni perueniat retardatur.

Qui confidet in diuitiis ſuis corruet, iuſti autem quaſi virens folium germinabunt. Qui præſentibus bonis inhians, futura non cogitat, vtriſque in nouiſſimo carebit: qui autem ſpe futurorum præmiorum bona faciunt in præſenti, iuſte quæ ſperant accipiunt. Virens quippe in arbore folium fructus quos nondum oſtendere habet, ſignat ad futuros, *& iuſti quaſi virens folium germinant* quia ſpe ſalui facti, in fidei ac virtutum gratia proficere non ceſſant, donec ad fructum deſideratæ retributionis attingant.

Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventos, & qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. Qui mentem ſuam tumultibus cogitatuum noxiorum conturbari non metuit, hanc vtique malignorum ſpirituum flatibus quibus obruatur aperit, & qui ſtultus ſapientem perſequitur per hoc ei etiam do-

D minando ſeruit, quia patientiam eius premendo probatiorem reddit, vt ſe videlicet damnato, ille Brauium pro quo certabat accipiat.

Fructus iuſti lignum vitæ. Merces iuſti viſio eſt CHRISTI, ipſe namque eſt ſapientia, de qua dictum eſt, lignum vitæ eſt amplectentibus eam, & in Apocalipſi, *qui*

Apoc. 2. *vicerit,* inquit, *dabo ei edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Et hunc fructum modo iuſti expectant, quamdiu, ſicut prædictum eſt, quaſi virens folium germinant.

Et qui ſuſcipit animas ſapiens eſt. Qui animarum curam pro Domino ſuſcipit. Vt eas ſcilicet vel errantes doceat, vel mœſtas ſoletur, vel egentes temporalibus bonis ſuſtentet, vel renitentes ad remedia ſalutis protrahat, vel paſtore deſtitutas gubernet, quo vna ſecum plures ad Dominum perducat, qui, inquam, ita animas ſuſcipit, ſapi-

E eſt, quia nimirum ſuæ animæ per hæc vnde ſublimius cum Domino regnet procurat.

Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator. Si ſancti martyres tanta paſſi ſunt, iuſti, quanta putas eos manere tormenta, qui illos affligebant iniuſti, ſi Iob & Tobias cæterique Dei electi, tanta in hac vita receperunt aduerſa, quid contriſtaris, ſi te qui tam longe infra illorum veſtigia iaces, tentans ad modicum afflictio tangit. Et quidem te etſi impium dicere aut credere non debes, peccatorem tamen te eſſe, id eſt, aliqua habere peccata, parua ſiue magna, aperta ſiue occulta, inficiari non debes, immo confiteri debes, ne te ipſe ſeducas & veritas in te eſſe non poſſit. Si ergo iuſti in terra receperunt Abel martyrij, & Iob exemplar patientiæ, quanto magis impij Antiochus atque Herodes & peccatores in Euangelio, Paralitici, qui non niſi dimiſſis primo peccatis curari à Domino potuerunt. Notandum quod hanc ſententiam Petrus in Epiſtola, iuxta antiquam translationem poſuit dicens. *Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius &* 1. Pet. 4.

F *peccator vbi parebunt.*

CAPVT XII.

QVi bonus eſt hauriet à Domino gratiam, qui autem confidit cogitationibus ſuis impie agit. Horum verſiculorum connexio talis eſt, qui bonus eſt non confidit cogitationibus ſuis, ſed Domini gratiam quærit, ac per illam accipit, vt pie viuere poſſit, qui autem cogitationibus ſuis confidit bonus eſſe nequit. Nam qui gratiam superni adiutoris petere non curat, merito impia actione perdurat.

Mulier diligens, corona eſt viro ſuo, & putredo in oſſibus eius, quæ confuſione res dignas gerit. Patet literæ ſenſus, quia mulier bona & caſta honorem viro ſuo præbet. In omnibus, eiuſque virtutibus ipſa domum bene regens, quaſi gratiam addit coronæ: At vero adultera, & ſi foris ſpecioſa paret, intus fœtore luxuriæ ſua membra coinquinat, verum ſpiritaliter Eccleſia coronam CHRISTI non aliam quam ſeipſam offert. Omnes enim qui in circuitu

G eius ſunt offerent munera, & filius Syrach de magno ſacerdote ipſe ſtans iuxta aram & circa illum corona fratrum, aut oſſa, id eſt, virtutes quas hæreticorum factio cernitur habere putredo praui dogmatis corrumpit.

Cogitationes iuſtorum, iudicia & conſilia impiorum fraudulenta. Iuſti ſua facta ſi Domino placeant ſedula meditatione dijudicant, ne forte ipſis minus ſolicitis ſupernus arbiter contra eos inuiſibiliter aduerſa diſponat, iuxta illud Apoſtoli: *Si noſmetipſos dijudicaremus non vtique iudicaremur.* At reprobi diuini timoris obliti de fraude quam faciant, ſua conſilia cogunt. 1. Cor. 11.

Verte impios & non erunt, domus autem iuſtorum permanebit. Verſi de hac vita impij non erunt, quod fuerant, quia poſt mortem non qualia credebant inueniunt, ſed ſpe ſua fruſtrati pro præmijs tormenta recipiunt. Domus autem iuſtorum, id eſt, Eccleſia quæ partim peregrinatur interius, partim regnat in cœlo nunquam deficit; Sed quæcunque membra eius hinc illo perueniunt, ibidem gaudia quæ ſperabant inueniunt. Aliter, *verte impios & non erunt.* Quia multa impietas in dijs Gentium, multa in ſectis hæreticorum, multa in præſtigijs magorum,

H multa in perſecutionibus extitit paganorum. Sed his, Domino donante ſubuerſis, ablata eſt pariter etiam memoria impietatis eorum, & iam ipſi apices ſtulti, ipſa dogmata igne rapta, vt in Epheſo actum tempore Apoſtolorum legimus. *Domus autem iuſtorum permanebit,* quia ſancta Eccleſia nunquam vel abſcondi vel potuit auferri, nil ex eius corrumpere ſcripturis, in nullo eius fidem violare, tanta temporum longitudo præualuit, poteſt & ita intelligi, *verte impios & non erunt,* conuerte eos ab impietate & non erunt iam impij ſed iuſti, pro quo alia tranſlatio dicit, *quocunque ſe conuertit ſceleſtus exterminabitur.* Cui contra de ſanctis dicitur, *quoniam diligentibus Deum omnia* Rom. 8. *cooperantur in bonum.*

Doctrina ſua noſcetur vir. Viros vocare ſcriptura ſolet eos, qui virtutibus ſunt præditi diuinis. Vnde Apoſtolus:

A *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite.* Doctrina ergo ſua quiſque vir eſſe noſcetur. Quia ſi & recta docet & hæc operibus implet, ſanctus eſſe colligitur.

1. Cor. 16.

Qui autem vanus & excors eſt patebit contemptui. Quia ſcilicet ipſe virilis animi fortitudinem habere contempſit.

Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi quam glorioſus & indigens pane. Melior eſt idiota & ſimplex frater, qui bona quæ nouit operans vitam meretur in cœlis, quam qui clarus eruditione, ſcripturarum vel etiam Doctoris functus officio indiget pane dilectionis, de cuius dilectionis ea parte, quæ ad proximum pertinet ſubſequenter adiungit.

Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum. Id eſt, miſeret & compatitur hebetudini ac fragilitati proximorum ſibi commiſſorum.

Viſcera autem impiorum crudelia. Qui non ſolum non compariuntur ſubditis, ſed etiam iuxta hoc quod Dominus ait: *Percutiunt pueros & Ancillas dicentes, moram facit dominus meus venire.*

Mat. 24.

B *Qui operatur terram ſuam ſaturabitur panibus, qui autem ſectatur otium ſtultiſſimus eſt.* Qui exercet animam ſuam ſpiritalibus ſtudijs, & nunc virtutum & tunc dapibus ſaturabitur præmiorum: qui autem pro ſalute animæ ſuæ laborare detrectat, tunc inter ſtultos reputabitur, tametſi nunc vel diuina vel mundana ſapientia glorioſus videtur.

Deſiderium impij munimentum eſt peſſimorum. Deſiderat impius præcedentes malos imitari, & de illorum vita atque actibus loqui, vel certe deſiderium impij munimentum eſt peſſimorum, quia omne deſiderium eius eo tendit, quamuis ipſo neſciente, vt cum prioribus iniuſtis æternæ mortis carcere claudatur. Verum quia tales exitum quem minime præuident incurrunt ait, è contra de bonis.

Radix autem iuſtorum proficiet. Quia nimirum fides & charitas electorum qua radicati ſunt in CHRISTO nequaquam eos fallit, ſed ad perfectiora ſemper accreſcens plus quam ſperare nouit in futuro percipiet.

De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis. Fructus oris eſt ſermo bonus, nam qui mala loquitur non fructum ore generat, ſed damnum. Omnis igitur qui bona loquitur, bonis donabitur æternis, ſi tamen his quæ loquitur

C actu non repugnat, hoc eſt etenim * vigilanter adiungit cum dicit. *Et iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei,* neque enim aliter fructuoſus fit ſuus ſermo doctori, niſi ſi ipſe prior faciat bona quæ docet.

* forte deeſt quod.

Fatuus ſtatim indicat iram ſuam, qui autem diſſimulat iniuriam, callidus eſt, qui ſe in præſenti deſiderat vlciſci fatuus eſt, qui autem pro Domino iniuriam contemnit ſapiens. Hunc verſiculum alia translatio ſic habet. *Stultus eadem hora pronunciat iram ſuam, occultat autem ignominiam ſuam aſtutus.* Non autem ignominioſam iracundiæ paſſionem, itaque ſapientibus occultandam eſſe decernit, vt eius velocitatem culpans non prohibeat tarditatem, quàm vtique ſi per neceſſitatem humanæ infirmitatis irruerit, ideo cenſuit occultandam, vt dum ad præſens ſapienter obtegitur, ſapientius amoueatur & in perpetuum deleatur. Hæc enim eſt naturæ ira vt dilata langueſcat & pereat, prolatá vero magis magiſq; conflagret.

Eſt qui promittat & quaſi gladio pungitur conſcientiæ. Promittunt ſe nonnulli obedire veritati, ſed vbi tentatio

D terrens ſiue blandiens impedimentum præſtiterit, deſerunt quidem cœpta, ſed tamen conſcientia promiſſi quaſi gladio pungitur.

Lingua autem ſapientium ſanitas eſt. Quia & bona quæ promittunt ipſi, proficiendo ad vitam perueniunt, & alijs quæ ſequantur prædicando demonſtrant.

Labium veritatis firmum erit in perpetuum, qui autem teſtis eſt repentinus concinnat linguam mendacij. Fides Eccleſiaſtica ſemper manebit, qui autem repente noua dogmata infert mendacij eſt miniſter hæretici.

Homo verſutus celat ſcientiam. Verſutus hoc loco in bono intelligitur, id eſt, ſapiens & prudens, qui nonnunquam de induſtria ſuam celat ſcientiam, duplici nimirum ratione, vel non valens infirmis auditoribus loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalib. vel nolens dare ſanctum canibus, neque ante porcos margaritas proijcere.

E *Et cor inſipientium prouocat ſtultitiam.* Quando vel impij plus appetentes ſapere, quam oportet ſapere eo vſque meditando proſiliunt, vt pro ſapientia ſtultitiam teneant, vel certe alios quæ necdum capere queunt docere nitentes ad maiorem eos ſtultitiam prouocant, & quaſi ſaucijs oculis lumen ingerentes ſolis, modicũ lucis quod cernere videbantur auferunt.

Manus fortium dominabitur, quæ autem remiſſa eſt tributis ſeruiet. Perfecti quique non ſolum vitiorum bella ſuperant, ſed & electis fratribus maiori virtutum gratia principantur; Qui autem diſſoluti animo peccatis implicari non metuunt, peſſimo exactori Diabolo tributa vitiorum quotidie ſoluunt. Et ſi non dominium eius viuentes pœnitendo, euaſerunt poſt mortem traditi eidem in carcerem ab eo pœnarum mittuntur æternarum, iuxta quod Dominus in Euangelica parabola teſtatur. Neq; enim de talium correctione diſperandum eſt, cum protinus adiungatur.

F *Mœror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur.* Quia nimirum neceſſe eſt vt prius peccatorem, mœror pœnitentiæ ſalubriter humiliet, & ita poſtmodum per iudicium ſacerdotis ſermo datæ reconciliationis lætificet.

Qui negligit damnum propter amicum iuſtus eſt. Si hoc de generali pecuniæ largitione & puro homine amico recte dicitur, quanto magis iuſtitiæ corona dignatus eſt, qui propter eum, qui dixit, *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus*, vel vendens quæ poſſidet pauperibus tribuit, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcipit, vel certe ipſam in paſſione carnem mortificandam ſiue occidendam tradit. Matt. 10.

Iter autem impiorum decipiet eos. Cum vel ſua retinere vel aliena rapere gaudent. Vnde recte ſubiungitur.

Non inueniet fraudulentus lucrum, & ſubſtantia hominis erit auri pretium. Fraude namque acquiſita pecunia plus in anima damni quam lucri in arca, & qui propriam pro Domino ſubſtantiam nouit diſpenſare remunerante ipſo pro terrenis cœleſtia dona recipiet. Aliter. *Non inueniet*

G *fraudulentus lucrum & ſubſtantia hominis erit auri pretium,* qui fraudulenta mente ſimulat ſe eſſe bonum, nequiter viuens in occulto non inuenit bona vitæ ſequentis: Qui autem ſubſtantiam virtutum ſpiritalium veraciter acquirit, mercabitur ex ea claritatem regni perennis, quod verbis ſequentibus apertius dicit.

In ſemita iuſtitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem. Semita enim iuſtitiæ ſubſtantiam acquirit virtutum, quibus æterna vitæ claritas auro pretioſior emitur, iter autem prauum quo fraudulẽtus incedit perdito lucro temporali, quod appetijt ad mortem quam prouidere noluit tendit ſempiternam.

CAPVT XIII.

F*ilius ſapiens doctrina patris, qui autem illuſor eſt non audit cum arguitur.* Tantum inter ſapientem diſtat & ſtultum vt hic aliquando profectu eruditionis ad eum, qui ſe docuerat docendum proueniat, ille nec cum arguitur nouerit audire.

H *Vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.* Recte pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Deo, & non vult laborare pro Deo, delectant præmia cum pollicentur, deterrent certamina cum iubentur. De quo Iacob ait, *vir duplici animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis*, & filius Syrach, *væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* Qui autem iuſſa operatur Dominica, ideo faciunt quia anima illorum perfecta ſupernorum, dulcedine reficitur iuxta eum qui Dominum oblectat dicens, *ſicut adipe pinguedinis repleatur anima mea*, vel certe anima operantium impinguabitur, quia qui pijs pro Domino laboribus inſudant cœleſti, & immarceſſibili poſt labores mercede donabuntur.

Iacob. 1.
Eccl. 2.
Pſal. 62.

Eſt quaſi diues cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cum in multis diuitijs ſit. Diues ſibi videbatur ille qui induebatur purpura & byſſo, epulabatur quotidie ſplẽdide, ſed quia

Digitized by Google

A Deum non habuit, comperit in fine nil fuiſſe quod ha-
Pſal. 75. buit, vnde dictum eſt de talibus, *dormierunt ſomnum ſuum,*
& nihil inuenerunt viri omnes diuitiarum in manibus ſuis. Pau-
per è contra videbatur Lazarus, qui iacebat ad ianuam e-
ius vlceribus plenus, ſed in multis erat diuitijs, qui virtu-
tem habuit humilitatis, qui conditorem omnium diui-
tiarum videlicet Deum corde geſtabat, quid autem veræ
diuitiæ valeant, quid vera paupertas agat ſubdendo ma-
nifeſtat.

C *Redemptio animæ viri diuitiæ ſunt, qui autem pauper eſt incre-
pationem non ſuſtinet.* Qui ergo animam ſuam vult redimi
à futura ira, congreget diuitias operum bonorum, qui e-
nim eget huiuſmodi diuitijs, increpationem diſtricti iu-
dicis ſuſtinere non valet. De qua Pſalmiſta poſtulat di-
Pſal. 30. cens, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corri-
pias me.* Alioqnin pauperes ſpiritu non ibi increpantur à
Domino, ſed benedictionem æternæ hæreditatis perci-
piunt.

Lux iuſtorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur.
B Lux iuſtorum quæ perpetuo lætificat, ſpes eſt futurorum.
Lucerna impiorum quæ repente extinguitur fœlicitas
ſeculi labentis.

*Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt, qui autem agunt cuncta
conſilio, reguntur ſapientia.* Iurgantur inter ſe ſemper hæ-
retici, iurgantur & cæteri reprobi, qui videlicet non no-
runt vnitatem fidei & veritatis, fideles autem qui conſi-
lio diuinorum eloquiorum frui non ceſſant, reguntur
moderatione ſapientiæ, quæ eos iurgari non ſinit.

*Subſtantia feſtinata minuetur, qui autem paulatim colligit
1. Tim. 6.* *manu, multiplicabitur.* *Qui volunt diuites fieri incidunt in ten-
tationem,* neque ipſas diuitias quas vel acquirunt, vel cu-
piunt perpetuo poſſident, qui autem pro accipienda ſub-
ſtantia præmiorum cœleſtium iuſtis inſiſtit laboribus,
multiplicia ſupernæ beatitudinis munera percipiet, de
quo apte ſubditur.

*Spes autem quæ differtur affligit animam, lignum vitæ deſide-
rium veniens.* Quia nimirum quamdiu differetur ſpes æter-
norum affligit animam fidelium vel pro dilatione vide-
licet bonorum quæ amat, vel pro illatione malorum quę
C tolleret. At vbi venerit quod deſiderat, facile obliuiſci-
tur quod ſuſtinuerat, quia in æternum viuere incipit cum
ſuo redemptore, quem tota intentione quærebat, ipſe
eſt enim lignum vitæ amplectentibus ſe.

Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat. Qui bonæ
rei detrahit ſe in futurum obligat, quia quod non debu-
it faciendo pœnam ſibi, qua conſtringatur præparat, ſed
& is qui malæ rei detrahit, ipſe ſe in futurum obligat, non
vt pro tali detractione pœnas luat, ſed vt poſt detractio-
nem ſeſe cautius agat, quia nimirum quæ in alijs iuſte re-
prehendit, ipſe impune non admittit clamante Apoſto-
Rom. 2. lo, *qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchan-
dum, mœcharis, qui abominaris idola ſacrilegium facis.*

Qui autem timet præceptum in pace verſabitur. Melius eſt
ergo de ſua quemque fragilitate metuere, ne forte diui-
na præuaricetur imperia, quam aliorum errata ſtulto o-
Galat. 6. re lacerare dicente rurſus Apoſtolo, *etſi præoccupatus fuerit
homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis inſtruite huiuſmodi
in Spiritu manſuetudinis, conſiderans teipſum ne & tu ten-
teris.*

D *Aſtutus omnia agit cum conſilio, qui autem fatuus eſt, aperiet
ſtultitiam.* Vbi omnia cum conſilio docet agenda, diui-
num potius quod ſacris eloquijs inditum eſt, quam hu-
manum intelligere conſilium. Fatuus eſt enim qui extra
hoc conſilium viuit, quamuis naturaliter aſtutus eſſe vi-
deatur & prudens, de quo recte ſubditur.

Nuncius impij cadit in malum. Arrium autem ait & Sa-
bellium cæteroſque Angelos, id eſt, nuncios Sathanæ,
qui quoniam conſilium neglexere diuinarum ſcriptura-
rum deciderunt in malum gehennalium tormento-
rum.

Legatus autem fidelis ſanitas. Id eſt, Catholicus quiſque
prædicator ſanitatem ſibi, ſuiſque auditoribus acquirit
æternam.

*Deſiderium ſi compleatur, delectat animum, deteſtantur ſtulti
eos, qui fugiunt mala.* Omne deſiderium ſiue bonum ſiue
malum ſit, vbi ad effectum peruenerit delectat animam, E
ſed ſtulti qui carnalibus deſiderijs gaudent, deteſtantur
eos qui pro amore cœleſtium, infima oblectamenta con-
temnunt.

*Qui cum ſapientibus graditur ſapiens erit, amicus ſtultorum
efficitur ſimilis.* Cum ſapientibus ire eſt ſapientium actus
imitari, quamlibet ergo ſimplex quiſque ſit & ruſticus,
qui arcana ſapientiæ comprehendere nequeat, ſi tamen
ſapientum exempla viuendo ſectatur, iure inter ſapien-
tes annumerabitur, qui vero ſtultos non propter natu-
ram quia homines ſunt, ſed propter ſtultitiam, quia mi-
mi ſunt, vel hyſtriones, vel aliqui tales non vt inſtruen-
do corrigat amat, ſed vt fauendo deteriores efficiat, talis
nimirum etſi per ingenium vel doctrinam ſapiens eſſe
videtur, ſtultorum nota dignus ſimul & damnatione te-
nebitur.

*Bonus relinquit heredes filios & nepotes, & cuſtoditur iuſto
ſubſtantia peccatoris.* Sæpe videmus bonos ſine filijs obi-
re, immo maiora à Domino præmia polliceri, his, qui fi-
liorum procreationi virginitatis caſtimoniam præpoſue- F
runt, ſed & ſubſtantiam iuſtorum à peccatoribus tolli.
Nam & Apoſtolus glorificat eos, qui rapinam bonorum
ſuorum cum gaudio ſuſceperunt, vnde ſpiritaliter in-
telligendum, quia bonus & iuſtus Dominus eſt, qui per
paſſionem ſuam aſcendens in cœlum reliquit hæredes
ſuæ doctrinæ Apoſtolos & ſucceſſores eorum, ad cuius
fidem conuerſa eſt multitudo Gentium, quæ erat ſub-
ſtantia Diaboli, intrauit namque in domum eiuſdem ma-
le fortis aduerſarij, & eum maiori virtute conterens,
diripuit arma eius in quibus confidebat, & ſpolia diſtri-
buit, vt ipſe in Euangelio teſtatur, vel certe cuſtodita eſt
iuſto ſapientia peccatoris, quando ablatum eſt à Iudæis
regnum DEI, & datum eſt Genti facienti fructus
eius.

*Multi cibi in noualibus patrum & alijs congregantur abſque
iudicio.* Abſque iudicio recto facit, qui diuitijs congre-
gandis ſedulus inſiſtit, & has aggregatas non ipſe pro re-
demptione animæ ſuæ pauperibus diſpenſat, ſed alijs
poſt ſe diſpenſanda reſeruat, iuxta quod in ſuperiore ver-
ſu iuxta literam dicitur. *Et cuſtoditur iuſto ſubſtantia pecca-* G
toris. Maxime cum ſibi victus abundet, ex iure paternæ
hæreditatis, neque vlla pecunias colligendi neceſſitas
incumbat, hoc eſt quod ait.

Multi cibi in noualibus Patrum. Iuxta ſenſum vero ſpiri-
talem multi ſunt cibi alimoniæ cœleſtis in dictis & ex-
emplis venerabilium Patrum, & abſque ratione facit,
qui his legendis, meditandis, exponendis inſtans non
ſuæ ſaluti, per hoc ſed aliorum potius ſeruit, dum ipſe ab
his quæ legit vel actibus reprobis, vel etiam impietate
ſenſus hæretici diſcrepat. Talis namque in noualibus,
id eſt, operibus, ſiue ſermonibus Patrum optima inſtitu-
tione excultis, non ſibi ſed alijs ſubſidium acquirit, illis
videlicet, qui tractatus eius legentes arcana, per eos ſpi-
ritalis ſenſus quibus interius conſpiciuntur inueniunt.
Vtrique autem ſenſui conuenit apte quod ſequitur.

*Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum
inſtanter erudit.* Nam & Pater bonus filium, & diſcipu-
lum magiſter Catholicus ne ad iniquitatem deflectat ſo-
licitus erudit. Præcedentem autem verſiculum, antiqui
interpretes tranſtulerunt. *Viri iuſti diuitijs annis multis fru-* H
entur, iniqui autem peribunt breuiter.

*Iuſtus comedit, & replet animam ſuam, venter autem impio-
rum inſaturabilis.* Iuſtus percipit cibos ſapientiæ, qui in
noualibus Patrum, hoc eſt, in operibus ac verbis præce-
dentium iuſtorum probantur exorti, & hos ad profe-
ctum animæ ſuæ beneuiuendo traijcit: *Venter autem im-
piorum,* id eſt, capacitas ſenſus hæreticorum inſaturabilis,
quia ſicut Apoſtolus ait, *ſemper diſcentes nunquam ad veri-* 2. Tim. 3.
tatis ſcientiam perueniunt. Quare autem ſaturari ſcientia
non merentur, niſi quia nequaquam refecti cibis, pa-
ternæ inſtitutionis, alijs hos congregant abſ-
que iudicio.

A

CAPVT XIV.

S*Apiens mulier ædificat domum ſuam, inſipiens extructam quoque deſtruet manibus.* Et vnaquæque anima fidelis & Eccleſia per orbem catholica manſionem ſibi in patria cœleſti bonis actibus ædificat: At vero reprobi ea quæ bene ſunt à bonis ordinata male viuendo, & aliquando aperte repugnando diſſipant, quare autem ſtulti ſapientium actus lacerent, ſequentibus verbis oſtenditur cum dicitur.

Ambulans recto itinere & timens Deum deſpicitur, ab eo qui infami graditur via. Abominatio eſt enim peccatori religio, ſtultumque videtur incredulis, cum fideles propter Dei timorem, non tantum abijciunt timorem, ſed & tormenta rident, eorum qui occidunt corpus, de quibus adhuc apte ſubiungitur.

In ore ſtulti virga ſuperbiæ, labia ſapientum cuſtodiunt eos. quia ſtulti per vaniloquium humiles quos deſpiciunt affligunt, ſed ijdem humiles ſpiritu per doctrinam ſe ſapientiæ ue decipiantur muniunt.

B

Vbi non ſunt boues præſepe vacuum eſt, vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis. Hærent hæc ſuperioribus, Boues namque doctores Catholicos, præſepe cœtum auditorum, ſegetes dicit fructus operum bonorum In caſſum ergo timet ſuperbus, & indocta eloquentia verberat aures ac corda ſubiectorum, quia vbi non ſunt docti prædicatores, fruſtra ad audiendum confluit turba plebium: vbi autem plurimæ operationes apparent virtutum, ibi apertiſſime claret, quia non hæreticus in vanum garriuit, ſed pro verbi fruge laborauit: Ille, qui & ipſum verbum caſto ore nominare, & viam veritatis recto diſcretionis pede noſſet incedere. Nec mirandum cur in præſepi Auditores ſignificari diximus cum bos alatur de præſepi, doctor autem verbo audientes ſoleat nutrire. Sed intuendum quia & de labore bouis præſepe impletur, & ipſe bos ſuo fructu de præſepi reficitur; quia nimirum prædicator fidelis & audientes verbo reficit, & eadem refectione apud Dominum ipſe proficit.

C

Quod in opere figuratur. Helias qui apud Sareptanam viduam quam paſcit, ipſe dum paſcitur.

Quærit deriſor ſapientiam & non inuenit doctrina prudentium facilis. Caiphas qui Domino dixit: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es* CHRISTVS, quia male quærebat inuenire quod rogabat non meruit, at diſcipuli qui ſeſe humiliter auditui veritatis ſubdiderant, accepta Spiritus gratia, non ſolummodo CHRISTVM Dei filium cognoſcere, ſed & abdita ſcripturarum intelligere meruerunt. Sed & tunc doctrina prudentium facilis erat, quãdo Cornelius cum domo ſua & cæteri tales verbum humiliter audientes, mox credebant, & accepto Spiritu ſancto linguis loquebantur omnibus. Nunc quoq; doctrinam fidei Catholicæ prudens quiſq; dum catechizatur, facile percipit, quam hæretici, quia peruerſe quærunt, nunquam prorſus inueniunt.

Matt. 26.

Vade contra virum ſtultum & neſcit labia prudentiæ ſapientia. Ideo deriſor ſapientiam quam quærit non inuenit, quia & ſi aperte contra illius ſtultitiam diſputando incedas, neſcit intelligere quæ dicis, vt Arrius qui verbum conſubſtantialitatis in patre & filio, nuſquam ſcripturarum inueniri poſſe contendebant, cum ei manifeſte ſcriptum obijceretur. *Ego & pater vnum ſumus,* &, *Deus erat verbum* &c. talia. Ideo doctrina prudentium facilis eſt, quia labia prudentiæ ſapientia, id eſt, quia labia quæcunque prudentiæ moderamine reguntur, de ſapientia ſolum loqui & audire dulce habent, eiuſq; meditationi operam dare ſatagunt.

D

Ioan. 10. Ioan. 1.

Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Amaritudinem habent animæ & electi, quamdiu à gaudijs differuntur æternis & reprobi cum deſiderijs affliguntur peruerſis, ſed electi, quia in luce ambulant amaritudinem ſuam, quanto ſit gaudio mutanda præuident. Porro reprobi propria ſponte cœcati, quid in præſenti patiantur non vident, quid in futuro ſint paſſuri non præuident, ideoq; à futuris bonorum gaudiis remanebunt extranei, qui amaritudinis eorum præſentis non nouerunt eſſe participes, vnde & apte ſubditur.

E

Domus impiorum delebitur, tabernacula iuſtorum germinabunt. Domo quippe in manſione tabernaculis, vti ſolet in itinere. Domus igitur impiorum delebitur, quia habitationem vitæ præſentis in qua ſemper manere, deſiderabant perdent in morte reprobi, & hoc quod non præuidebant, exilium perpetuæ damnationis ſubibunt, *tabernacula autem iuſtorum germinabunt*, quia præſens eorũ conuerſatio in qua incolæ ſunt apud Dominum & peregrini, creſcentibus ſine ceſſatione meritis ad fructum vſque ſuauiſſimum patriæ cœleſtis pertingitur.

Innocens credit omni verbo, aſtutus conſiderat greſſus ſuos. Hanc innocentiam vetuit, & hanc haberi docuit aſtutiam Ioannes cum ait. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex Domino ſunt.* 1. Ioan. 4.

Sapiens timet & declinat malum; Stultus tranſilit & confidit. Sicut ſtulti eſt de ſua alacritate confidere, & torrentem rapidum vel voraginem latiorem, ſaltu velle tranſire, ſapientis autem ad planum vel pontem diuertere, ita qui peccata quantum valet declinat, timens ne inuoluatur malis, ſapiens eſt. Stultus autem ille qui contemptim peccat, blandiens ſibi quia aut poſteriori tempore pœnitentiam agat commiſſorum, aut ſi repente moriatur fortiter pœnas inferi ſufferat.

F

Impatiens operabitur ſtultitiam & vir verſutus odioſus eſt. Reprehenſibilis quidem eſt homo impatiens, ſed multo peior & odioſior Deo eſt verſutus, tametſi apud homines melior æſtimetur: ille enim palam omnibus ſuam oſtendit ſtultitiam, iſte autem cum ſit corde peruerſus ſæpe ſimplicitatem ſimulat & iuſtitiam, atque apud humanum iudicium ſanctum ſe dici delectat, cum ſit diuino examine inter reprobos æſtimatus.

Iacebunt mali ante bonos & impij ante portas iuſtorum. In nouiſſimo iudicio coronatis iuſtis damnabuntur reprobi, qui eos in præſenti premebant, quod enim ait ante, id eſt, ante bonos & ante portas iuſtorum, non ad vicinitatem loci, ſed ad viſionem pertinet bonorum quia malorum tormenta ſemper aſpiciunt, vt maiores ereptori ſuo gratias ſine fine referant. Vnde de illis Eſaias: *Et egredientur & videbunt*, inquit, *cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vſq; ad ſatietatem viſionis omni carni.* Quod autem ait, *Egredientur*, non pedum proceſſum, ſed oculorum ſignificat intuitum, quem intus in regno poſiti ad videnda prauorum ſupplicia foras cum volunt emittunt.

G

Iſa. 66.

Corona ſapientium diuitiæ eorum, fatuitas ſtultorum imprudentia. Sapientes non terreni aliquid emolumenti pro diuitijs habent, ſed coronam ſolummodo, quam pro virtutibus in futuro percipiant: at ſtultorum fatuitas maxima hæc eſt, quia improuidi æternorum de præſentibus tantum commodis gaudent, imprudentia enim quaſi improuidentia dicitur.

Liberat animas teſtis fidelis & profert mendacia verſipellis. Liberat animas CHRISTVS, qui eſt teſtis fidelis, vt in Apocalypſi legimus, & ſicut Apoſtolus ait: *Teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem.* Et profert mẽdacia Diabolus qui recte appellatur verſipellis, quia mala quæ facienda ſuggerit, bona eſſe pronunciat, & gaudia promittit æterna ijs, quos ad inferni tormenta præparat. Item liberat animas catholicus Doctor, qui teſtimonia ſcripturarum fideliter, id eſt, rectè prædicat, & profert mendacia hæreticus, vel ſicut alia editio manifeſte tranſtulit, incendit autem mendacio doloſus, ſubauditur, animas eorum, quos ſuo errore decipit.

1. Tim. 6.

H

In timore Domini fiducia fortitudinis & filijs eius erit ſpes. Timor Domini fiduciam fortitudinis præſtat, quia nimirum mens noſtra tanto valentius, terrores rerum temporalium deſpicit, quanto ſe autori earum veracius per formidinem ſubdidit, filij autem timoris Domini dicuntur, qui diuino timore reguntur, ſicut filij virtutis & filij reſurrectionis, qui virtutibus ſtudent, vel qui ad gaudia reſurrectionis pertinent. Quibus erit ſpes iuxta illud

Pſal-

A Pſalmiſtæ, *qui timent Dominum, ſperent in Domino*, de qua ſpe conſequenter adiungit.

Pſal. 113.

Timor Domini fons vitæ vt declinet à ruina mortis. Hæc eſt ergo ſpes eorum qui timent Dominum, vt declinantes à ruina mortis peruenire mereantur ad eum, qui dicit, *Ego ſum via, & veritas & vita.* Dictum eſt autem ſupra. *Lex ſapientis fons vitæ vt declinet à ruina mortis*, & nunc dicitur, *Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.* Ex quo patet quia nulla prior eſt lex ſapientis, qua mortem vitare, & vitam acquirere debeat æternam, quam habere timorem Domini, vnde & alibi dictum eſt. *Initium ſapientiæ timor Domini.*

Ioan. 14. — Eccl. 1.

In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Vbi multitudo ſeruientium Deo ibi ſpecialiter CHRISTI gloria, & vbi ſoli catechumeni, vel competentes, vel recens nati infantes ſub regno adhuc tenentur Diaboli & ipſi tempore congruo feſtinantes in CHRISTO renaſci, ibi manifeſta ignominia Principis mundi, vel certe in conuenticulis hæreticorum, quæ ſemper ſunt pauciora Eccleſiis catholicorum ignominia patet eorum, qui hæc ab Eccleſiaſtica vnitate ſegregant.

B

Vita carnium ſanitas cordis, putredo oſſium inuidia. Per carnem infirma quædam ac tenera, per oſſa fortia acta ſignantur. Bene ergo dicit: *Vita carnium ſanitas cordis*, quia ſi mentis innocentia cuſtoditur, etiamſi qua foris infirma ſunt, quandoque roborantur. Et recte ſubditur: *Putredo oſſium inuidia*, quia per liuoris vitium, ante Dei oculos pereunt, etiam quæ humanis oculis fortia videntur, oſſa quippe per inuidiam putreſcere, eſt quædam etiam robuſta deperire.

Acceptus eſt regi miniſter intelligens. Ille videlicet cui dicitur, *quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Matt. 25.

Iracundiam eius inutilis ſuſtinebit. Ille vtique de quo idem ait, *& inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores.*

Ibid.

CAPVT XV.

C

R*Eſponſio mollis frangit iram ſermo durus ſuſcitat furorem.* Qui verba increpantis humiliter recipit, iam propinquat veniæ reatus quem geſſit: at qui ſuperbus arguenti reſultat, maiorem contra ſe iram diſtricti iudicis prouocat.

Lingua ſapientium ornat ſcientiam. Os fatuorum ebullit ſtultitiam. Lingua Catholicorum Patrum ornat ſcientiam diuinorum eloquiorum, latius exponendo, quæ ſcriptura canonica ante obſcure poſuit, hæreticorum ebullit ſtultitiam, dicta ſacræ ſcripturæ peruersè intelligendo ſuoſque ſenſus eius autoritati præponendo, poteſt & de paganorum Philoſophis intelligi quod ait, *os fatuorum ebullit ſtultitiam*, quales fuere Porphyrius & Iulianus, qui contra Eccleſiæ Doctores ſtultitiæ ſuæ fluenta fundebant.

Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata eſt conteret ſpiritum. Lingua Catholici Doctoris ad fructum vitæ ducit ſempiternum, qui autem modum Eccleſiaſticæ normæ ignorat, & ſuum ſpiritum, & eorum qui ſe audiunt male loquendo conteret.

D

Domus iuſti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. Domus CHRISTI, id eſt, Eccleſia plurimam habet fortitudinem, ita vt pluuia, ventis, fluminibus tentationum frequentium nequaquam poſſit dirui, & in operibus Diaboli conturbatio feruet aſſidua, qua eandem CHRISTI domum vel per falſos ſenſus, vel per apertos aduerſarios deijcere tentat.

Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam, cor ſtultorum diſſimile erit. Labia catholicorum diſſiminabunt prædicando ſcientiam rectæ fidei, cor hæreticorum diſſimile erit, quia perfidiam pro ſcientia concipit vt doceat. Poteſt & ita intelligi, quia cor ſtultorum & ſibimetipſi diſſimile erit, dum mutabilitate ſe diuerſarum cogitationum varium exhibet, & nunquam idem quod fuerat manet. Cui contra de ANNA cum Domino intenta mente ſupplicaret dicitur. *Vultuſq; eius non ſunt amplius in diuerſa mutati.*

1. Reg. 1.

E

Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iuſtorum placabilia. Orationes, opera & ſacrificia hæreticorum abominatur Dominus, & vota eorum accepta habet, qui fidem Catholicam iuſtis operibus affirmant.

Doctrina mala deſerentium viam: qui increpationes odit morietur. Mala eſt doctrina & eorum qui viam deſerunt veritatis, de quib⁹ Dominus ait, *qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, ſed tales adhuc ſi correpti pœnituerint patet reditus ad veniam, ſin autem nec correctionibus Eccleſiaſticis annuerint, iam certus eis reſtat interitus, omnes dies pauperis mali, ſecura mens quaſi iuge ſacrificium. Omne tempus populi Dei quamdiu in præſenti pauper eſt afflictionibus abundat, & ærumnis, quia necdum ad diuitias ſupernæ bonitatis & perpetuæ manſionis peruenit, vnde monet Apoſtolus dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*, at vero reprobi, qui metu carentes diuino, ſecuri mundo vtuntur, quaſi iugib. ſtulti reficiuntur epulis. Vnde recte ſubiungitur.

Matth. 5. — Ephes. 5.

F

Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. Quale eſt in Pſalmo, *melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.* Melius eſt ergo vt ſeruato timore Dei egeas opibus, vel etiam victu quotidiano, quàm vt deſiderio plura acquirendi Dei timorem deſeras.

Pſal. 38.

Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio. Omnis qui bonorum operum exempla proximis quæ imitētur oſtendit, quaſi ad epulas quibus reficiantur conuiuas vocat. Melius eſt autem vocare ad olera cum charitate, quam ad vitulum ſaginatum cum odio. Quia nimirum multo eſt vtilius ſimplicis vitæ innocentiam, cum charitate ſeruare, quàm maioribus virtutum miraculis foras effulgere, & interiora mentis ab odiorum ſorde non expurgare. Vnde quibus in fine dicentibus, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetauimus, & in tuo nomine Dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus.* Dicet ipſe Dominus, *quia nunquam noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

Matth. 7.

G

Iter pigrorum quaſi ſepis ſpinarum. Pigros dicit eos, quos piget operari iuſtitiam, qui cum viam Dei appetunt, eos velut ſpinæ obſiſtentium ſepium, ſic formidinum ſuarum oppoſitæ ſuſpiciones pungunt, quod quia electos præpedire non ſolet, adiunxit.

Via iuſtorum abſq; offendiculo. Iuſti quippe in conuerſatione ſua quidlibet eis aduerſitatis obuiauerit, non impingunt, quia temporalis aduerſitatis obſtacula æternæ ſpei, & internæ contemplationis ſaltu tranſcendunt.

Lætatur homo in ſententia oris ſui, & ſermo opportunus eſt optimus. Humanum quidem eſt de ſua ſententia quaſi prudenter prolata, quemque lætari, ſed verus ſapiens, non ſolum res quas loquatur verum etiam oportunitatem loci, vel temporis vel perſonæ cui loquatur diligenter inquirit.

Semita vitæ ſuper eruditum, vt declinet de inferno nouiſſimo. Eruditum dicit nō ſolum ſcientia, ſed & operatione perfectum, huic etenim iure ſemita vitæ deſuper aperta eſt, huic cœli ianua patet: infernus autem nouiſſimus de quo liberatur vltima eſt pœna damnationis, nam primus eſt infernus, cæcitas animæ peccantis & veræ lucis ſcientia carentis, de quo dicitur in Pſalmis: *& deſcendant in infernum viuentes*, id eſt, ſcientes labantur in peccatum.

H — Pſal. 113.

Domum ſuperborum demolitur Dominus, & firmos facit terminos viduæ. Conuenticula hæreticorum cæteroſque Eccleſiæ perſecutores demolitur Dominus, & firmos facit in orbem vniuerſum terminos eiuſdem Eccleſiæ, ſponſæ videlicet ſuæ, pro cuius vita mori dignatus eſt.

Abominatio Domini cogitationes malæ, & purus ſermo pulcherrimus firmabitur ab eo. Abominatur Dominus cogitationes hæreticorum, immo omnes pietati contrarias, & purus ſermo rectæ fidei firmabitur ab eo, quando in iudicio non ſolum factis, ſed & verbis omnibus digna præmia reddet. Abominatus eſt cogitationes malas eorum, qui dicebant: *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit*, & purum ſermonem eius qui dixit, *tu es Chriſtus filius Dei viui*, pulcherrimum eſſe firmauit cum reſpondit: *Beatus es Si-*

Luc. 7. — Matt. 16. — Ibid.

A *men Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.*

Lux oculorum lætificat animam, fama bona impinguat oſſa. iure mentem delectat humanam, cum ſe lucem cœleſtium arcanorum Domino reuelante percepiſſe cognoſcit, quod alia editio, manifeſtius dicit, *videns bona oculus oblectat cor*, bona vtique Domini in terra viuentium, quæ quicunque mentis oculo contemplatur, merito in corde oblectatur, tametſi extrinſecus triſtis incedere inimico affligente videtur. Fama quippe illa fœliciſſima, qua noſtros non ſolum actus, & ſermones, ſed & cogitatus Angelis deſcendentibus, in cœlo patere cognouimus, pinguedinem dilectionis & fidei noſtris virtutibus, ne deficiendo areſcant exhibet. Quanto enim certius tenemus occulta noſtri cordis ſimul & aperta operis diuinis patere conſpectibus, tanto magis fortitudinem noſtræ bonæ actionis oleo charitatis eius, ne laſſeſcat impinguare ſatagimus.

B *Auris quæ audit increpationes vitæ in medio ſapientium commoratur.* Diſcipulus qui increpationibus docentium obedienter annuit, plerumque proficiendo ad cathedram vſque doctoris aſcendit. Denique Paulus, qui increpationi ſui conditoris ſeſe humiliter ſubſtrauit, ad ſedem poſtmodum Apoſtolicæ dignitatis ſublimiter peruenit.

CAPVT XVI.

Hominis eſt animam præparare & Dei gubernare linguam. Certum eſt, quia neque animum præparare neque gubernare linguam, neque aliquid facere boni abſq; gratia valemus; Ioan. 15. quia *ſine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*, quomodo ergo hominis eſt animum præparare & Dei gubernare linguam? Niſi quia hoc propriè in tempore perſe-Matt. 10. cutionis ſignificat, de quo Dominus ait. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*

Omnes viæ hominum patent oculis eius, ſpirituum ponderator eſt Dominus. Ita vias, id eſt actiones omnium, & bonorum videlicet & malorum Dominus videt, vt etiam Spiritus C ſingulorum, quid in occulto cogitent, certa lance diſcernat, vnde recte ſubiungitur.

Reuela Domino opera tua & dirigentur cogitationes tuæ, domino quippe opera noſtra reuelamus, quãdo eum quem nil latere nouimus, in cunctis quæ agimus in memoriam reducimus, atque illius in omnibus flagitamus auxilium, & eum hoc deuoti agimus fit, vt non opera eadem tantummodo, ſed etiam internæ noſtræ cogitationes illo dirigente procedant.

Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum. Nulla fuit Domino in cauſa creaturam viſibilem vel inuiſibilem faciendi, niſi voluntas ſua, vt ſuam videlicet bonitatem rationabili creaturæ, quam perpetuo beatam facere oſtenderet, eum quoque qui bonum conditoris propria ſponte deſeruit, id eſt, Diabolum, cum ſuis ſequacibus iuſta ſeueritate damnauit.

Abominatio Domini omnis arrogans, etiam ſi manu ad manum fuerit non erit innocens. Quicunque ſibi tribuit bonum quod facit, etiam ſi nihil mali videtur manibus operari, D iam cordis innocentiam perdidit, in quo ſe largitori bonorum prætulit, & ideo talem conditor ſuus abominatur vt reum, quem beneficijs ſuis eſſe contemplatur ingratum.

Cum placuerint Domino viæ hominis inimicos quoq; eius conuertet ad pacem. Tanta eſt ſanctitas diuinæ religionis, vt etiam plerumq; etiam qui foris ſunt venerationi habeant, & quos perfecte Deo ſeruire perſpexerint, cum his pacem habere quamuis religione diſcrepantes incipiant. Denique quia placuerunt Domino viæ Danielis & trium puerorum, inimicos quoque eorum qui eos in ignem vel ad beſtias miſerunt conuertit ad pacem. Quia placuerunt Domino viæ ſanctorum prædicatorum, multos eorum perſecutores non ad pacem tantummodo, ſed ad eandem etiam fidem & religionis vnitatem conuertit.

Melius eſt parum cum iuſtitia, quam multi fructus cum iniquitate. Et Dominus. *Beati*, inquit, *pauperes quoniã veſtrũ eſt regnum Dei.* E Et iterum: *Væ vobis diuitibus quia habetis conſolationem veſtram.* Luc. 6. Poteſt & ſic accipi, quia melius ſit in ſimplici conuerſatione Deo deuote ſeruire, quàm quia multis abundantem virtutibus, verbi gratia, eleemoſynis, orationibus, ieiunijs, doctrina, caſtitate, proximorum facta deſpicere & de ſua quaſi ſingulari ſublimitate gloriari.

Diuinatio in labijs regis in iudicio non errabit os eius. Illum ſignificat Regem de quo dictum eſt, *Deus iudicium tuum regi da.* Pſal. 71. Quis eſt enim regum temporalium qui nunquam erret in iudicio, in cuius labijs eſt diuinatio, quia nõ ſuorum ſolummodo ſermones & facta dirigit, ſed & gentilium vates, qui vulgo diuini appellantur, quid ſciſcitantibus reſpondeant, illo intus iudicante diſponitur, teſtante Michæa Propheta qui ad deceptionem Achab Regis impijſſimi teſtatur miſſum à ſuperni iudicis ſolio Spiritum, qui Prophetarum eius ora impleret, atq; ad ſuadendum ea quibus Rex nefandus periret armaret. Neq; enim in hoc iudico errauit os regis æterni, ſed quod Rex impi- F us audire peccatis præcedentibus meruit, ipſe hoc Prophetas erraticos ei loqui permiſit. Sed & Ezechiel peccanti ac perituro, Ammanitarum populo dicit: *Cum tibi viderentur vana & diuinarentur mendacia*, Ezec. 21. non eſt Dæmonum diuinatio, ſed Dei iudicium qui perfectæ malitiæ dedit finem, hunc verſiculum alia tranſlatio ſic habet apertius de Domino, *nihil falſum dicetur Regi & nihil falſum exiet de ore eius*, quia nimirum ipſe nec vllo mentiente falli nec poteſt aliquando mentiri.

Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt & opera eius omnes lapides ſeculi. Lapides ſeculi iuſtos & fide fortes appellat, quales eſſe deſiderabat Apoſtolus Petrus eos, quibus admonens ait: *Et vos tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritales.* 1. Pet. 2. Nullus igitur ab initio ſeculi ſua virtute electus & cœleſti ædificio aptus eſt, ſed eius potius opere, qui omnia in pondere & menſura & numero conſtituens vnicuiq; ſicut voluit menſuram fidei & gratiarum diſtribuit.

Voluntas Regum labia iuſta. Reges autem ſanctos, qui vitijs principaliter imperare & virtutibus animæ quaſi G obſequentium comitum cuneis ſtipari conſueuerunt. De qualibus Dominus ait: *Multi*, inquit, *Prophetæ & Reges cupierunt videre, quæ vos vidiſtis & non viderunt.* Luc. 10. Alioquin Reges terreni multum ſæpe labia iuſta deteſtantur, vt Herodes Iohannis, propter quod eum & capite puniuit.

Qui recta loquitur dirigetur. Vt videlicet rectis operum greſſibus, ad vitam pertingat æternam. At contra vir linguoſus non dirigetur ſuper terram, nec repugnat huic ſententiæ, quod de Antiocho dicitur. Et dolus in manu eius dirigetur. Non enim hominem illum dirigendum ſcriptura dicit, quem peruerſum ac peſſimum futurum eſſe præuidit: Sed dolus inquit, in manu eius dirigetur, quia ſcilicet fraudes & ſcelera quæ diſpoſuit ad effectum quem propoſuit, nullo retardante perduxit, quibus tamen peractis, ipſe in æternum vt meruerat perijt.

Indignatio Regis nuntij mortis. Nuntij mortis ſunt Angeli Sathanæ, id eſt, hæretici & vani Philoſophi, immo omnes, qui ea verba nuntiant proximis, vnde à morte rapiantur æterna; qui quo amplius auctori mortis ſer- H uiunt, eo grauius vitæ largitorem offendunt: nec tamen talibus iter pœnitentiæ præcluditur, Nam ſubditur.

Et vir ſapiens placabit eum. Poteſt enim reſipiſcendo Dominum placare, quem contigit eum ſtulte loquendo offendiſſe.

In hilaritate vultus regis vita, quicumq; hilarem CHRISTI vultum videre merentur, his in æternum cum illo viuere dabitur. Alioquin in die iudicij ſicut ſcriptum eſt, *videbit omnis caro ſalutare Dei.* Luc. 3. Sed hunc reprobi, tunc iratum, iuſti vident placidum.

Et clementia eius, quaſi imber ſerotinus. Serotinus imber in Iudæa iam maturis meſſibus, vſq; hodie venire conſueuit. Vbi Dominus & matutinam pluuiam promittit dicens per Prophetam, *dabo vobis pluuiam matutinam*

A Ioel 2. *& ſerotinam terræ*: Pluuia ergo matutina eſt, ſiue tempora-nea, vt alibi nominatur, quando prima credendi in Chriſtum ſemina ſuſcepimus, pluuia vero ſerotina, quando maturis virtutum frugibus ablati de hac vita in Dominico horreo recondimur; Et recte clementia Regis imbri ſerotino comparatur, quia quod fructum vitæ bene agentes percipimus non hoc noſtri libertas arbitrij ſed superni facit irrigatio doni.

Eruditus in verbo reperiet bona & qui ſperat in Domino beatus eſt. Non ſolum is, qui ad prædicandum Dei verbum eruditus eſt bona apud illum reperiet, ſed & ille, qui in Domino ſpem ponere didicit, etiamſi ad prædicandum alijs idoneus non eſt eiuſdem beatitudinis particeps exiſtit.

Qui ſapiens corde eſt, appellabitur prudens, & qui dulcis eloquio maiora percipiet. Qui ſapientiam Catholicæ fidei quam didicit, illibatam ſuo in corde cuſtodit merito prudentis nomen accipit; At qui eandem ſapientiam etiam docte prædicare & contra hæreticos defendere nouit, maiora laboris amplioris præmia percipiet.

B *Fons vitæ eruditio poſſidentis, doctrina ſtultorum fatuitas.* Cum diceret *poſſidentis*, non addidit quid poſſidentis. Quid autem putamus eum voluiſſe intelligi, niſi forte ipſam eruditionem, vt ſit plena ſententia fons vitæ eruditio poſſidentis ipſam eruditionem ſuam: quod eſt aperte dicere, quia ille prædicator vere ſuis auditoribus, vitæ vias aperit, qui exercet ipſe quæ prædicat, qui amorem verbi, quem alios erudit fixo in corde poſſidet. Nec tantummodo memoria retentum, quaſi collectum gremio ſemen iactat in terram. Idcirco namque doctrina ſtultorum fatuitas eſt: quia etſi quæ bona dicere vſu eruditionis didicerunt, eadem tamen quæ dicunt bona ipſi fatuo corde contemnunt.

Fauus mellis verba compoſita, dulcedo animæ eſt ſanitas oſſium. Multi per eloquentiam poſſunt amantibus & fauentibus ſuauiter pronunciare bona, quę ipſi non amant. Ea enim ſolum verba ad ſanitatem oſſium tuorum, hoc eſt, ad virtutum tuarum ſpiritalia cæmenta proficiunt, quæ ex interna animæ tuæ dulcedine procedunt.

Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. C Conſtat iuxta literam, quia expulſus de paradiſo homo quotidianum laborem ne deficiat exercet. Compulit enim os ſuum quando cum ſerpente locutus eſt, vetitum tetigit, vt exilium longum cũ labore ſufferat, & in ſudore vultus ſui pane veſcebatur, ſed & doctorem os ſuũ vt laboret compellit, quia neceſſe habet agere bona, quæ dicit.

Vir impius fodit malum & in labijs eius ignis ardeſcit. Et Ierem. 9. Propheta ait: *Vt iniquè agerent laborauerunt*: Poteſt & de hæretico ſpecialiter intelligi, qui pulcherrimos ac florentiſſimos diuinorum eloquiorum campos noxio linguæ ſuæ vomere rumpit, vt de interius eorum finibus ſenſus impios, qui ibi non inſunt, eruat, in cuius labijs ignis ardeſcit, quo ſe ſuoſque auditores in perpetuum perdat: Vnde & Iacob, *Lingua* inquit, *conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.*

Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam. Poteſt & de hæretico & de omni fautore malorum accipi, quando laudatur peccator in deſiderijs animę ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur.

D *Qui attonitis oculis cogitat praua mordens labia ſua perficit malum.* Grauius eſt perficere malum, quam facere, non ſolum autem ille perficit malum, qui per membra ſui corporis peruerſum quid operatur & noxium, verum etiam ille qui, fixa intentione malum patrare diſponit: Solent enim ſuperbi indignantes labia mordere, ſolent attonitos habere oculos, & præſentia non videre, qui aliquamdiu taciti ſedula mente pertractant: Vnde datur conijci, quia attonitis oculis praua cogitare dicat eum qui ſic mala quæ faciat inquirit. Vt quæ ſe in futurum retributio malorum opera ſequantur, non videat: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Minor eſt victoria vrbes expugnare, quia extra ſunt qui vincuntur. Maius autem eſt quod per patientiã vincitur quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſũ ſibimetipſi ſubijcit, quando eũ patientia in humilitate tolerantię ſternit.

E *Sortes mittuntur in ſinu, ſed à Domino temperantur.* Sicut ſortes palam in ſinum mittuntur, at clauſæ in ſinu continentur, diuini autem eſt iudicij, cuius ſors elata palmam teneat; Sic hominum facta in præſenti quidem vita patent alterutrum, ſed quæ cuius ſunt meriti pateſcit in futuro, prolato videlicet tunc ac manifeſto iudicio ſingulorum quaſi de ſinu examinis diuini.

CAPVT XVII.

M*Elior eſt bucella ſicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio.* Melius eſt parua bona cum charitate facere ſine ſcientia prædicandi, hoc eſt enim & ſiccam eſſe buccellam, quam magnis effulgere virtutibus cum admixione diſcordiæ.

Corona ſenum filij filiorum, & gloria filiorum patres ſui. Senes dicit Patriarchas & Prophetas, qui filijs filiorum, hoc eſt à ſucceſſoribus Apoſtolorum digna laude celebrantur. Et gloria eſt prædicatorum noui teſtamenti, quod filij veterum patrum eſſe meruerunt.

F *Gemma gratiſſima expectatio poſtulantis, quocunq; ſe vertit, prudenter intelligit.* Qui præmia futura fideliter expectat, quaſi gemmæ ſplendidiſſimæ poſſeſſione lætatur: Nam & in Euangelio, negociator ſapiens pro acquiſitione pretioſę margaritæ, id eſt, deſiderij cęleſtis omnia quę habuit vendidit, taliſq; expectator ſiue aduerſa ſeu proſpera cõtigerint, à ſua intentione non flectitur; prudenter intelligens quoniam *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonũ.* Rom. 8.

Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Angelus crudelis immundus eſt Spiritus qui à Domino contra peccantes mittitur, vt eos vel in præſenti affligat, vt Ægyptios, quibus immiſit iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem immiſſiones per Angelos malos: vel etiam per mortem ad interitum rapiat æternum. At contra immittitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua. Facilius erat doctoribus ſanctis, furori G gentilitatis occurrere raptis ad ſe populis aliquibus, atq; à beſtiali eius ſæuitia ad fidei pietatem prædicando conuerſis, quam hæretico cuilibet, confidenti in ſui perfidia dogmatis, quia nimirum illud contra exteros, hoc contra ſua viſcera certamen agebant. Poteſt vrſæ nomine, ipſa hoſtis antiqui malitia intelligi, cui fœtus rapimus, cũ eos qui erant filij Diaboli catechizando & baptizando filiorum Dei ſocietati adiungimus: Et hoc plerumq; multo leuiore labore perficitur, quam ſi vel hæreticum ad fidem rectam reuocare, vel catholicum praue agentem ad bonæ operationis ſtatum reducere conatis.

Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum. Aquam dimittere eſt linguam in fluxa eloquij relaxare. Quo contra in bonam partem dicitur: *A qua profunda, verba ex ore viri,* qui ergo dimittit aquam, caput eſt iurgiorum, quia qui linguam Prou. 18. non refrenat, concordiam diſſipat, vnde è diuerſo ſcriptũ eſt: *Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.* Prou. 26.

Quid prodeſt habere diuitias ſtultum cum ſapientiam emere non poſſit. Quid prodeſt populo Iudæorum infideli, habere diuitias ſcripturarum, cum in his Chriſtum intelligere H non poſſit. Quid hæretico eiſdem abundare diuitijs cum vnitatem fidei in eis diſcere nequeat. Quid malo catholico expedit diuitias habere veræ fidei, cum ſapientiam prææ actionis habere neglexerit.

Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur. Qui Dominũ vere amat, omni tempore eius cuſtodit amorem, neque in anguſtia paſſionis deſerit, quem in pacis tranquillitate confeſſus eſt.

Homo ſtultus plaudet manibus, cum ſpoponderit pro amico ſuo. Stultus eſt, qui cum animam fratris ſuſcipit regendam, de ſuis gloriatur actibus, & non potius ei humili compaſſione, quicquid poteſt auxilij ſalutaris impendit.

Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Qui interna Spiritus ſancti conſolatione lætatur etiã bonæ actionis flore decoratur, & fructus præmiorum præſtolatur cæleſtium; Qui vero triſtitia ſeculi quæ mortẽ operatur angitur, pinguedinem diuinæ charitatis,

A in robore virtutum, quas exercere videtur, habere nullatenus valet, ſed quaſi exſiccatis oſſibus marceſſit, quia in bonis actibus, quæ facit, gratiam dilectionis amiſit.

In facie prudentis lucet ſapientia. Oculi ſtultorum in finibus terræ. In facie quidem Domini ſaluatoris lucebat ſapientia diuinitatis, quàm in carne apparens virtutum & doctrinæ teſtimonio demonſtrabat, verum oculi Iudæorum non credentium terrenis potius deſiderijs perficiendis, quam ſalutaribus eius monitis intendebant. Sed & generaliter ſæpe prudentes grauitatem ſui ſenſus, in ipſo etiam frontiſpicio præmonſtrant, nec tamen ſtulti ad hanc admirandam ſectandamque oculos mentis attollunt; ſed è contra qualiter ad finem voluptatum carnalium pertingant, tota intentione perquirunt.

Non eſt bonum damnum inferre iuſto nec percutere principem, qui recta iudicat. Et de ipſo principe ac iudice ſeculorum qui pro noſtra ſalute pati voluit accipi poteſt, & de omnibus generaliter Eccleſiæ rectoribus, qui vel facultatibus nudati ab impijs vel ipſa etiam ſunt morte conſumpti.

B

CAPVT XVIII.

IMpius cum in profundum venerit peccatorum contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. Qui longis peccatorum tenebris inuolutus ſemel, de luce deſperat, iam ex deſperatione paſſim ſibi peccandi fræna relaxat. Sed talis opprobrium futuræ damnationis nulla ratione euadit, quem ab vſu ſuæ iniquitatis nulla diuini timoris memoria cohibuit.

Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ. Verba ſapientium aquæ comparantur, quia lauant mentes audientium, & irrigant. Ne vel peccatorum ſorde deformes remaneant, vel doctrinæ cæleſtis inopia tabeſcant, & quaſi nociua ariditate deficiant: Et quia eadē doctorum verba fidelium quædam myſtica latent, & occulta, quæ ſollertiore comprehendantur induſtria, quædam vero aperta & cunctis audientibus facilia ad intelligendum profluunt, recte hæc & aquam profundā & torrentem dicit eſſe redundantem. Poteſt autem & ita diſtingui, vt quia veteris teſtamenti ſcriptura typice prolata eſt, dicatur de ea aqua profunda verba ex ore viri, quia C Dominus & Apoſtoli palam vtriuſque teſtamenti ſacramenta mundo reſerabant. Adiungatur de illis & torrens redundans fons ſapientiæ.

Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Quia qui cœpta bona diſtricte non exſequitur, diſſolutione negligentiæ manum deſtruentis imitatur.

Subſtantia diuitis vrbs roboris eſt, & quaſi murus validus circumdans eam. Non terrena ſubſtantia ſemper defendere poteſt, immo pleriq; propter diuitias ſunt capti vel occiſi: Eccleſ. 5. Vnde & Eccleſiaſtes ait: *Diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui, pereunt enim in afflictione peſſima.* Melius ergo intelligitur ſubſtantiam laudare virtutū, quibus quicunque abundat, quaſi muro impugnabili cunctas hoſtium arcet inſidias.

Qui prius reſpondet, quam audiat ſtultum ſe eſſe demonſtrat & confuſione dignum. Qui prius doctor eſſe deſiderat quam diſcat, ſtultitiæ noxiam non declinat. Qui iudicare proximorum facta, priuſquam plene cauſam vtriuſque partis dignoſcat, inordinate feſtinat, & ille ſe confuſione dignum demonſtrat.

Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam. Et ipſe vir ait: D *Spiritus quidē promptus eſt caro autem infirma.* Poteſt de quolibet ſancto viro accipi, qui carnis imbecillitatem, ne in tentationibus cedat, mentis fortitudine ſuſtentat.

Spiritum vero ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere. Qui ad iraſcendum facilis eſt nec ſeipſum poteſt ſuſtinere, ita vt iratus ſæpe dicat, ea, quæ poſtmodum placidus, quia dixerit pœniteat, & plerumque an dixerit, ignoret, cuius tamen veſania nonnunquam per ſapientium modeſtiam, facillime ſuffertur, atque ex tempore ſopitur.

Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpacium ei facit. Donum charitatis ſiue aliorum virtutum, quas à Domino fideles accipiunt, dilatat viam actionis eorum, quia quo magis gratia Spiritus intus replentur, eò latius foris bonorum operum greſſus multiplicant, atque inter E magnos Eccleſiæ Rectores in futuro culmen ſortiuntur honoris. Aliter, donum ſpiritale ſaluatoris, quod mundo attulit, dilatauit viam eius, quoad plurimas orbis nationes per fidei & dilectionis ſuæ præſentiam veniret: Nec ſolum populos ſed ipſos etiā rerū Dominos concupiſcentijs renunciare ac ſibi libenter obtemperare faceret.

Iuſtus prior eſt accuſator ſui. Venit amicus eius, & inueſtigabit eum. Omnis qui vere iuſtus eſt, vbi peccantium errata conſpicit, primo ad ſeipſum oculum conſiderationis inflectit, dumque ſuam fragilitatem ſollicitus accuſauerit, ſic demum ad corripiendos alios linguam benignus exerit, ſed ille qui ſuis fidelibus dicere dignatus eſt: *Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. Venit in cor eius per præſentiam diuinæ contemplationis: Et quam hoc ſit mundum à ſorde iniquitatis agnoſcit, eiuſq; humilitatem digna mercede remunerat.

Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma & iudicia, quaſi vectes vrbium. Cum populus vterque Iudæorum ſcilicet & Gentium, fraterna ſibi in Chriſto charitate conſentię, vnam iam Catholicę Eccleſiæ ciuitatem conſtruit; F & ſicut vectes vrbium portas muniunt, ita dogmata vtriuſque teſtamenti Eccleſias per orbem quæ vnam Catholicam faciant ab infidelium incurſione defendunt.

Cum obſecrationibus loquetur pauper, & diues effabitur rigide. Humiles ſpiritu humiliter Dominum adorant: Vt Euangelicus ille publicanus; ſuperbi ſua merita iactant vt Phariſæus.

Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quam frater. Credens ex gentibus populus magis amatus eſt à Domino, quam Iudaicus ſine fide perdurans, in quo ſecundum carnem natus eſt. Poteſt & de Apoſtolis ex Iudæis natis intelligi, quia magis amarint credentes ex gentibus, quam ſuæ Gentis incredulos.

CAPVT XIX.

MElior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua, quam diues torquens labia inſipiens. Melior eſt ſimplex auditor verbi Dei, ſi ea quæ intelligere in ſcripturis potuit, operando perficit, quam eruditus quiſque ſi in illis quæ acutè intellexit ad hæreſin prædicandam labia retorquet. G

Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum; Et qui feſtinus eſt pedibus offendit. Animæ quidem humanæ ſcientia vitæ cæleſtis eſt neceſſaria, quia nimirum ſine hac beata in perpetuum eſſe non poteſt. Attamen qui effrenatis ſenſibus mentis plus appetit ſapere quam decet, plerumq; offenſionem hereticæ ſtultitiæ temerarijs tractatibus incurrit, quod in primis humani generis parentibus myſticè ſignatum eſt, qui dum appetitu ſcientiæ maioris vetitum contingere properabant, à ſtatu beatitudinis in qua conditi ſunt, deuiantes in pœnā miſerię & mortalitatis inciderūt.

Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius, & contra Deum feruet animo ſuo. Stultorum moris eſt & cum peccando viam veritatis deſerunt, non ſe erraſſe fateantur, ſed ad culpam conditoris ſui reatus originē referant, quaſi ipſe occaſionem peccandi tribuerit, qui vel fragilem fecerit hominem, vel ad tentationem eius hoſtem verſutum admiſerit. Vnde & primus noſtri generis parens poſt præuaricationis exceſſum increpatus à Domino ad defenſionē mox excuſandi refugit dicens: *Mulier quam dediſti ſociam mihi dedit mihi de ligno, & comedi;* Geneſ. 3. Et ipſa mulier inquit: *ſerpens decepit me.* H Ambo namque in creatorem quod peccauerant retorquebant: Ille quod mulierem, per quam periret à Domino ſociam accepiſſet, illa quod Dominus ſerpentem, qui ſe deciperet in paradiſo conſtituiſſet. Quo contra ſapiens Dominum precatur vt non declinet cor ſuum in verbum malum ad excuſandas excuſationes in peccatis. Sed & ille ſuos ſupplantans greſſus contra Deum feruet animo, qui diuina imperia per ſuam inertiam contemnens inſuper ipſum Dominū, quaſi importabilia hominibus onera impoſuerit, mente reprehendit inſana.

Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & hi quos habuit, ſeparantur. Diuitiæ regni cæleſtis, quæ per ſanctos doctores fidelibus tribuendæ prædicātur, multos amicos & ijſdē pdicatoribus & earū largitori Domino adſciſcunt; A Philoſophus autē & cæteris Gentiū magiſtris, qa certe

beati-

A E

beatitudinis in futurum norunt promittere, & hi quos habuerunt, ſeparantur, videlicet conuerſi ad fidem ſpemque Dominicæ promiſſionis certiſſimam.

Qui tantum verba ſectatur nihil habebit, qui autem poſſeſſor eſt mentis diligit animam ſuam. Rom. 2. Et Apoſtolus ait: *Non auditores legis iuſtificabuntur apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*

Teſtis falſus non erit impunitus & qui loquitur mendacia peribit. Redarguerat eum qui verba tantum ſcientiæ abſque operationis efficacia ſectatur; Redarguit nunc illum, qui ipſa verba diuinæ auctoritatis malè interpretando corrumpit. Quod autem multa ſæpius iterantur firmitatis indicium eſt, vt Ioſeph ſomnium Regis interpretans ait, eo quod ſit ſermo Dei & veraciter impleatur.

Non decent ſtultum deliciæ, nec ſeruum dominari principibus. Non decent hæreticum deliciæ ſcripturarum, quia his bene vti non nouit: Neque illum qui ſeruus adhuc peccati eſſe probatur, præferri iuſtis in regimine Eccleſiæ.

Doctrina viri per patientiam noſcitur. Doctrina Eccleſiaſtica per patientiam Doctorum, quam ſit perfecta mon- B ſtratur. Quia dum magis afflictionibus ac morti corpus ſubdere quam à docendi officio ceſſare voluerunt, oſtendebant vtique quantum eſſet ſalutaris quam tanta inſtantia defenſare curarunt; Aliter, *Doctrina viri per patientiam noſcitur*, quia tanto quiſque minus oſtenditur doctus, quanto conuincitur minus patiens, neque enim poteſt veraciter bona docendo impendere, ſi viuendo neſcit æquanimiter aliena mala tolerare. Recte autem ſubditur.

Et gloria eius eſt iniqua prætergredi. Quia nimirum perfectio Doctoris eſt ſic aliorum improbitatem patienter ſufferre, vt ſuam quoque fragilitatem nouerit ab iniqua actione ſolerter obſeruare. Neque enim aut munditia propriæ conuerſationis ſine tolerantia ſufficit externæ perturbationis, aut ſi is, qui fortiter aduerſa foris ſuſtinet, intus adhuc eneruiter, iniquis motibus fauet.

Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira; Et ſicut ros ſuper herbam, ita hilaritas eius. De Domino Rege dicit, qui in iudicio & hilaris ac blandus iuſtis, & terribilis apparebit iniuſtis.

C *Dolor patris filius ſtultus.* Deus qui in ſua natura impaſſibilis ſemper eſt & placidus, dolere tamen noſtro more dicitur: Cum homines quos ad ſe credendum laudandumque creauit, hoſti potius maligno, quàm ſibi ſeruire Gen. 6. conſiderat: Vnde & Moyſes de illo, *pœnituit* inquit, *eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ.*

Et tecta iugiter perſtillantia litigioſa mulier. Sicut tecta perſtillantia pluuiam quidem de cælo ſuſcipiunt, non tamen hanc ad vtilitatem aliquam diſpertiunt, ſed ad moleſtiam potius inhabitantium deriuant: ita nimirum hæreticorum Eccleſia cæleſtium dona verborum, non ad ſalutem animarum, ſed ad vſum ſuæ nequitiæ male interpretando & contra Catholicos litigando conuertit. Tecta etenim perſtillantia mundas quidem pluuiæ guttas accipiunt, ſed ſubiecti in domo ſordidas reddunt Et hæreticus limpidiſſima cæleſtis oraculi verba auditu corporis haurit, at vbi hæc corde polluto attigerit, auditoribus ſuis ſorde mixta miniſtrat.

Pigredo immittit ſaporem. Piger appellatur qui recte ſentiendo quaſi vigilat, quamuis nihil operando torpe- D ſcit. Sed pigredo immittit ſaporem, quia pauliſper etiam recte ſentiendi vigilantia amittitur, dum à bene operandi ſtudio ceſſatur. Recte autem ſubditur.

Et anima diſſoluta eſuriet. Nam quia ſe ad ſuperiora ſtringendo non dirigit, neglectam inferius per deſideria expandit: Et dum ſtudiorum ſubtilium vigore non ſtringitur, cupiditatis infirmæ fame ſauciatur, vt quo per diſciplinam ligari diſſimulat, eo ſe eſuriens per voluntatum deſiderio ſpargat.

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Huic ſententiæ veritatem probat ipſe Dominus cum ſe eleemoſynam facientibus daturum eſſe prædicit.

Erudi filium tuum ne deſperes, ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. Subiectum tibi quemlibet ſi errare conſpicis diligenter caſtigare curato. Quaſi curari renuit: Ita erga illum circunſpecte & temperanter age, ne quid omnino in tuis verbis vel actibus vnde amplius peccet inueniat. Cui ſenſui opitulatur illud quod ſequitur.

Qui impatiens eſt ſuſtinebit damnum & cum rapuerit, aliud apponet. Si enim duritia contra dicentis fratris quem erudire cœpiſti, prouocatus ipſe in impatientiæ vitium labaris, damnum profecto tuæ virtutis incurris. Et cum illum durius increpando forte ſpem promerendæ ſalutis agendæque pœnitentiæ quam habuerat rapueris, rationem pro eo quod fratrem ſcandalizaſti, diſtricto iudici reddes. Patet literæ ſenſus quia qui per impatientiam inopiæ furto ſeruit aut rapinis, damnum ſuæ animæ facit, & cum rem proximi tollit & ſi non homini per hoc, certe æterno iudici rationem reddere habet. Vnde alia æditio ita hunc verſiculum tranſtulit: *Male cogitans homo multo damno affligetur, & ſi pernitioſus fuerit & animam ſuam apponet.* Quia nimirum cum pecuniam violentus abſtulerit, pro hac animam inuitus dabit.

F *Homo indigens miſericors eſt.* Indigentem dicit humilem, qui ſe perpetuis bonis egere ſine ceſſatione recolit. Talis namque vt miſericordiam conſequatur à Domino nunquam proximo miſereri recuſat. De quo & ſubſequenter annectit.

Et melior pauper quam vir mendax. Melior namque eſt humilis corde, qui nihil ſuis fidit operibus, quam qui ſe præ excellentia virtutum viri nomine dignum ducens fallitur neſcius, dũ ſuperbiendo perdidit bona quę geſſit.

Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella nec ad os ſuum applicat eam. Nemo ita piger eſt, vt ad os manum vel comedendo reducere laborem putet, ſed pigro labor eſt manum ad os porrigere, quia deſidioſus quiſque prædicator nec hoc vult operari quod dicit. Manum quippe ad os porrigere eſt voci opere concordare.

Teſtis iniquus deridet iudicium. Illud videlicet quo dicitur, *non falſum teſtimonium dices*, & certe futurum, de quo ſupra dicitur, *teſtis falſus non erit impunitus & qui loquitur mendacia peribit.*

G *Et os impiorum deuorat iniquitatem.* Sicut famelicus refici cibis deſiderat, ita impius vt iniquitatis executione ſatietur, ardenter exquirit.

Parata ſunt deriſoribus iudicia & mallei percutientes ſtultorum corporibus. Et ſi reprobi ſicut prædictum eſt, vel iuſſionis, & comminationis diuinæ iudicium derident, parata tamen eos expectant iudicia damnationis, quæ vt mallei ferrum candens, ita eos in fornace gehennæ ſine fine verberent.

CAPVT XX.

PRopter frigus, *piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.* Qui nunc propter deſidiam in Dei ſeruitio laborare neglexit; venturo die regni mendicabit, & non dabitur ei, quia quæcumque ſeminauerit homo, hæc & metet. Bene enim regnum Dei æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nubila tranſeunt, & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcunt.

Iuſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua beatos poſt ſe filios derelinquet. Non hoc ſecundum literam ſemper ſtare poteſt, nam & beatus Samuel, vir iuſtus ac ſimplex diſſimiles ſui filios reliquit, & Achas iniuſtus ac reprobus beatum poſt H ſe filium reliquit Ezechiam. Sed filios iuſti dicit eos, qui exempla iuſti ſequuntur. Vnde nunc omnes electi propter fidem filij dicuntur Abrahæ, teſte Apoſtolo qui ait: Galat. 3. *Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis*, quibus beatitudo non huius ſeculi, ſed futuri promittitur. Vnde recte ſubiungitur.

Rex qui ſedet in ſolio iudicij diſſipat omne malum intuitu ſuo. Et ſi enim in hac vita electi mala patiuntur reproborum, vbi vniuerſalis iudicij dies apparuerit omnia mala diſſipantur & coronatis cum Domino iuſtis, ſoli pœnas ſubibunt iniuſti, quod etiam nunc per partes agitur, cum quis ſanctorum victor exierit de ſeculo, ſed & ille qui eum tribulabat perſecutor digna factis receperit Poteſt hic verſus & de electis accipi, quia habent ali-

quan-

Digitized by Google

A quando latentia in mente mala, quæ ab alijs videri non poſſunt hominibus, quæ tamen Dominus cernit, quando ea occulto reſpectu gratiæ deſtruit. Denique (Luc. 22.) *conuerſus Dominus reſpexit Petrum & recordatus Petrus verbi Domini*, &c.

Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato. Notandum quod non ait: Quis poteſt mundum habere cor & purus eſſe à peccato? Sed quis poteſt dicere, inquit, mundum eſt cor meũ, purus ſum à peccato, quia ſunt, qui largiente diuina gratia poſſunt iuxta humanum modum & cordis & operis munditiam habere: vnde eſt illud Dominicum: (Matt. 5.) *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Et in Pſalmo: (Pſal. 23.) *Quis aſcendit in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde.* Si enim nemo mundum habet cor, neque vllus eſt purus à peccato, conſequens eſt profecto, vt nullus aſcendat in montem Domini, nullus hominum ſtet in loco ſancto eius, quia vero conſtat multos aſcenſuros in montem Domini ſtaturoſque in ſancto loco eius, reſtat vtique vt ſint multi mundo corde, & iuxta humanæ poſſibilitatis modum puri à peccato, B nec tamen ſe ipſe quiſque mundi cordem & immunem eſſe peccati abſque temeritate pronuntiat: Stulta eſt namque propriæ laudis iactantia, temerarium de ſua quemque innocentia vel iuſtitia gloriari: Et quia ſunt qui ſua laudare quaſi fortia, proximorum vero facta veluti vilia ſolent improbare, recte ſubiungitur.

Pondus & pondus menſura & menſura vtrumque abominabile apud Dominum. Diuerſum namque pondus in domo ſua diuerſam habet menſuram, vt aliter videlicet ſibimetipſi aliter metiatur proximo, qui in ſuis ſemper actibus, quæ laudari in aliorum vero quæ vituperari poſſint rimatur: Et ideo talem iuſtè abominatur Dominus, quia nimirum quantum ſibimetipſi abſque meritis placet, tantum ſuperno inſpectori merito diſplicet. Verum quia periculoſum eſt cuique de aliena conſcientia iudicare, cuius intentionem ſcire nequit, dat conſilium, quibus iudicijs iudicium noſtri cordis erga proximum dirigere debeamus, nam ſequitur.

Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius. Quemcunque enim virtutibus ſtudere conſpicis, verbi C gratia, modeſtiæ, continentiæ, auditioni ſapientium, & obſeruantiæ mandatorum Dei, maximeque humilitati ac ſimplicitati huius munda eſſe & recta opera intellige: Quem vero his contrarium iter tenere deprehendis hunc velut immundi ac diſtorti cordis hominem aut corrigere & caſtigare, aut ſi hoc non vales vitare, ac declinare ne ab eo ipſe curato: Nec videri contrarium debet, quod hic ſtudioſi pueri munda eſſe ac vera opera teſtatur: Supra vero ait: *quis poteſt dicere mundum eſt cor meum purus ſum à peccato?* In hoc enim verſu ſtudium recte viuendi ſuadet: In illo præſumptionem propriæ puritatis diſſuadet, in iſto munditiam & rectitudinem, qualis in hac vita eſſe iuſtorum poteſt docet habendam; In illo ſubtilitatem diuini examinis, qua hominum facta & intentiones diiudicat monet ſemper ante oculos habendam. Vnde & illum locum antiqui interpretes ita tranſtulerunt, *Cum ſederit Rex iuſtus in ſolio iudicij, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor: Aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato?* Qui & hunc quem exponimus verſiculum manifeſtius poſuere dicentes, *Iuuenis qui cum iuſto eſt, directa erit via illius.* Qui enim cum ſapientibus graditur ſapiens erit, ſicut è contra amicus D ſtultorum efficietur ſimilis.

Aurem audientem & oculum videntem Dominus fecit vtrumque. Aurem audientem dicit auditorem verbi obedientẽ, oculum videntem Doctorem eruditum. Nemo ergo cum ſe ſcripturarum ſcientia inſtitutum & ad dicendum verbum Dei viderit idoneũ, deſpiciat ſimplicitatem fratris, qui etſi minus doctus ad prædicandum, non tamen minus eſt promptus ad diſcendum vel ad implendum bona quæ didicit; ſed recolat, quia qui ſibi maiorem ſcientiæ gratiam dedit, ipſe fratri quæ habet ſpiritualia dona tribuit. Nec ſibi propter ſe ſolummodo, ſed etiam propter fratris commoda tribuit dona quæ voluit, dans vnicuiſq; gratiam ſecundum menſuram donationis ſuæ.

Noli diligere ſomnum ne te egeſtas opprimat: Aperi oculos tuos & ſaturare panibus. Noli diligere ſomnium peccati & E inertiæ, de quo Apoſtolus ait: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* (Rom. 13.) Ne te ſi nunc bene vigilare non vis, egeſtas in futuro illa grauiſſima, vbi nec ſtillam aquæ vnam ſitiens inuenire queas occupet. Aperi oculos tui cordis ad vigilias ſacras, & ſaturitatem tibi gaudiorum cæleſtium bene viuendo conquire. Malum eſt, malum eſt dicit omnis emptor & cum receſſerit, tunc gloriabitur. Ergo & is qui æterna in cælis præmia comparare deſiderat, malum eſt, quod in præſenti debet ſuſtinere, vt cum receſſerit de mundo tunc glorietur, aperte perſpiciens, (Rom. 8.) *quia non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Aurum & multitudo gemmarum, & vas pretioſum labia ſcientiæ. Hæc eſt gloriatio ſapientis emptoris, qui quamdiu emerit malum eſſe dicit quod ſecum agitur, cum autem receſſerit lætabitur ſe ſapienter emiſſe. Sic etenim etiam cęleſtis regni emptor, vbi hinc receſſerit exultabit, comperiens labia ſcientiæ, id eſt, Doctrinæ ſpiritalis, qua vſus eſt in comparatione cæleſtium, auro, gemmis & vaſis eſſe ad ſimulanda pretioſis.

F *Suauis eſt homini panis mendacij, & poſtea implebitur os eius calculo.* In quocumque membro quis amplius peccauerit, in eo ampliora in vltione patietur tormenta. Vnde recte qui in lingua magis delinquit, in ea plus arſurus eſſe perhibetur, dum os eius calculo, qui eſt lapis ignitus replendum eſſe refertur, quod accidiſſe conſtat diuiti illi, *qui epulabatur quotidie ſplendide*, cum in inferno ardens refrigerari ſibi à Lazaro linguam petebat. Nam qui in verbis ſemper vacuis in epulando defluxerat, in lingua magis ardebat.

Et qui reuelat myſteria & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua ne commiſcearis. Si quis voluerit tuis miſceri amicitijs & hunc videris prioris amici pandentem ſecreta, hunc velut perfidum caue.

Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit. Qui per auaritiæ nequitiam in hac vita multiplicari appetunt, in futuro ab æterno patrimonio exhæredes fiunt; Aliter: *hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*, qui gradum regiminis priuſquam ſubeſſe didicerit, præpoſterus accipit, in G nouiſſimo mercede benedictionis, quæ bonis rectoribus debetur, carebit. Qui ad miniſterium altaris indoctus & temerarius acceſſerit, & ipſe in die nouiſſima gratiam remunerationis, quæ bene miniſtrantibus repromittitur, perdet. Poteſt & ita accipi, quia qui in præſenti ſuas vlciſci vult iniurias, hic corona patientiæ in futuro carebit. Cui ſenſui potiſſimum videtur conuenire, quod ſequitur.

Ne dicas reddam malum, expecta Dominum & liberabit te. Quod etiam verſiculo ſequenti aſtruit quum dicit.

Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus ſtatera doloſa, non eſt bonum. Duplex namque pondus & ſtatera habet ſuo in corde, doloſam, qui dum peccauerit ipſe veniam petit à Domino & nihilominus peccanti in ſe homini, ac pœnitenti quod peccauit dimittere non vult, eum, qui Deus eſt flectere ad miſerandum precibus ſatagit: Cum ipſe homo exiſtens nullis hominũ precibus flecti ad miſericordiã poſſit. Qui iure quaſi iniquus ponderator abominatur à Domino quia ſuas iniurias grauiores, quã Domini menſuratur. Verbi gratia, nolens indulgere ei, qui H ſuam vxorem polluit, & poſtulans ſibi indulgeri cum forte deſponſatam Chriſto virginem maculauerit, vel certe animam ſuam Deo in baptiſmate conſecratam aliqua vitiorum ſorde fœdauerit.

A Domino diriguntur greſſus viri. Quicunque hominum greſſus rectum iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrij, ſed gubernatione illius cui dicit Eſaias: (Eſaia 26.) *Omnia enim opera noſtra, operatus eſt nobis.*

Quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam. In hoc inquit manifeſtum claret, quia quicquid boni habet quiſque à ſe ipſo non habet, ſed per gratiam Dei quod nec per ſui libertatem arbitrij qualis futurus ſit, qualiter & quamdiu victurus intelligere poterit.

Ruina eſt hominis deuorare ſanctos, & poſt vota retractare. Cum peccatum ſit vlli hominum nocere, quanto magis

eſt,

Digitized by Google

A eſt, cum quis ſanctos Dei offenderit ſiue læſerit, & quaſi vile mancipium pro libitu ſuæ voluptatis eos tractare non timuerit. Quomodo quadraginta viri in actibus Apoſtolorum deuouerunt, ſe non manducaturos, neque bibituros donec occiderent Paulum, & Pagani ſæpe vt legimus dijs ſuis Chriſtianorum deuorare ſanguinem. Hunc verſiculum antiqua editio iuxta alium ſenſum poſuit dicens. *Muſcipula eſt viro citato aliquid de ſuis conſeruare.* Poſtea autem quam votum fecit pœnitentiam agit: Et quia vtroſque & eos videlicet qui ſua vota contemnunt, & eos qui vt ſua vota compleant ſanctos perſequuntur, damnatio reſtat æterna, rectè ſubditur.

Diſſipat impios rex ſapiens & curuat ſuper eos fornicem. Moris autem fuiſſe antiquorum vt adepta de hoſte victoria fornices ſibi erigerent: In quibus virtutum ſuarum laudes deſcriberent: In Saulis opere legimus: Dominus ergo Rex noſter non ſolum impiorum deſtruit in fine malitiam, ſed & magnam eum electis ſuis eiuſdem triumphi gloriam perpetuo celebrat. Hunc verſum antiqua tranſ- B latio ſic habet. *Ventilator impiorum Rex ſapiens & immittet illis rotam malorum*, id eſt, pœnam nullo fine conſummandam. Cui videlicet rotæ contra eſt corona vitæ æternæ, quam miſit Deus diligentibus ſe.

Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris. Diuini afflatus illuminatio, cum in mente hominis venerit eam ſibimetipſi illuminans oſtendit, quæ ante Spiritus ſancti aduentum cogitationes prauas & portare poterat & penſare neſciebat.

Exultatio iuuenum fortitudo eorum, & dignitas ſenum canities. Canitiem ſapientiam dicit: Tunc etenim ciuitatis cuiuſque bene ordinatæ tunc res ſanctæ Eccleſiæ recte aguntur, cum & fortiores quique viribus neceſſarijs inſiſtunt operibus, & ſeniores maiore prudentia præditi de ijs, quæ agenda ſunt ſalubriter conſulunt.

Liuor vulneris abſterget mala, & plaga in ſecretioribus ventris. Cum enim exterius percutimur ad peccatorum noſtrorum memoriam taciti afflictique reuocamur, & per hoc quod foris patimur magis intus quod fecimus dolemus, ſicque fit, vt inter vulnera aperta corporis magis C nos abluat plaga ſecreta ventris, quia ſanat nequitias praui operis occultum vulnus doloris. Solet quippe ventris appellatione mens accipi, quia ſicut venter conſumit eſcas, ita mens pertractando excoquit curas, ſicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Dei: Quare cor regis, Dei non potius omnium hominum in manu Dei eſſe perhibet? Cum ſcriptum ſit, *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ*, (Pſal. 94.) niſi forte Regem, ſanctum quemque appellat, qui vitiorum bella in ſe ipſe vincere & virtutum militia nouit ſtipari. Sicut enim Dominus multifidis aquarum diuiſionibus terrarum fines late ſimul & aëris implet, tegit quoque aquis ſuperiora cælorum: Ita cor Regis quocunque voluerit inclinat. Quia ſicut diuiſiones gratiarum iuxta voluntatem ſuam & Angelis & hominibus tribuit, ita etiam corda ſanctorum quibuſcunque voluerit, digna donationibus reddit, neq; vllum habet Pelagianiſta locum, quo abſq; Dei gratia quis ſaluus fieri poſſit.

CAPVT XXI.

PEruerſa via viri aliena eſt, qui autem mundus eſt, rectum opus D eius. Iuſte coram Domino viuere proprium eſt humanæ conditionis, vnde alibi dicit, *Deum time & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo.* (Eccleſ. 12.) At qui peruerſe viuit alienam profecto à humana natura viam incedit. Peruerſa ergo actio aliena eſt & contra naturam. Qui autem mundus eſt in opere, hic rectè quod per naturam originaliter ſumpſit, exequitur.

Melius eſt ſedere in angulo domatis quam cum muliere litigioſa in domo communi. Adeo verum eſt melius eſſe vt ſedeas in angulo domatis, id eſt in ſecreta altitudine vitę continentionis quam cum muliere mala in domo, quæ tibi ſit cum illa communes vt etiamſi optima tibi mulier ducenda offeratur, melius ſit contento connubio propter comitatum agni cælibem ducere vitam.

Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur. Generaliter hæc accipienda ſenten- E tia, & non de egeno tantum vel corporaliter infirmo. Nā & qui in criminibus alienis non affectu miſericordię cum dolore ſed iudicantis inuenitur tenere cenſurā, oſtendit ſe necdum vitiorum fecibus eliquatum, neque auditu diuinæ miſerationis exiſtere dignum.

Munus abſconditum extinguet iras & donum in ſinu indignationem maximam. Qui iram diſtricti iudicis, quam peccando meruit, placare deſiderat, eleemoſynas det pauperibus, & hoc nulla delectatione fauoris humani, ſed tantū amore conditoris qui cordium occulta reſpicit; Sic enim fit munus abſconditum, ſic ad mitigandam conditoris iram proficuū, ſi nullo externæ retributionis intuitu porrigatur, ſic implebitur, quod ipſe præcepit; *Te autem facientte eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* (Matth. 6.)

Gaudium iuſto eſt facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem. Gaudet iuſtus cum bonis deſudat operibus, quia ſperat ſe propter hæc bonis remunerandū eſſe perennibus; At vero reprobi dū mala, * qua anima recreatur intelligi.

(* Hic aliqua deeſſe videntur.)

CAPVT XXII.

EIice deriſorem & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntq; cauſa & contumelia. Eijce hæreticum quem corrigere non potes de Eccleſia & cum illi libertatem prædicandi abſtuleris Catholicæ paci auxilium præſtas.

F *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorū habebit amicum regem.* Qui mundo corde recta prædicat inter illos annumerabitur, de quibus eidem regi & conditori ſeculorum Propheta dicebat, *Mihi autem nimis honorificati ſunt:* Nā ſi qui gratiam labiorū recta prędicando præmonſtrat, cordis autē munditiā cuſtodire diſſimulat, nequaquā talis æterni regis amicitia frui poſſe putandus eſt.

Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam, & ſupplantantur verba iniqui. Superna inſpectio cuſtodit ſemper in Eccleſia ſcientiam veritatis quam docuit, verba autē hæreticorum, imo omnis ſermo pietati & iuſtitiæ contrarius, quia Domino regente non ſeruatur, cum ſuo authore ſubuertitur.

Dicit piger, leo foris in medio platearum occidendus ſum. Dicit ſæpe in animo ſuo is, qui ad agenda bona opera piger eſt, ad confitendā fidem, quam corde tenet, timidus: Non audeo fidem, quam noui, foras profiteri, ne me perſecutor impius, quia fidelē ait, perimat: Timeo ad exercendas vir- G tutum actiones in publicum progredi, ne forte me vel antiqui hoſtis aduerſitas grauior * tenet, vel etiā homo quilicet peruerſus cum ſuorum turba derideat, conuitijs cōfundat, iniurijs afficiat, aut ſicut multos iuſtorum, quia ab eius vita diſcordem tormentis & morte cōſumat, *Leo*, inquit, *foris in medio platearum occidendus ſum*, quod apertè dicere, & verba & opera virtutum, vbi oſtendi foras cæperint, ſtatim perſecutio vel hominum vel ſpirituum committatur immundorum, nec valeo tentationibus reſiſtere, ſed in ipſis boni propoſiti vincar inceptis.

(* fort: tenentur)

Fouea profunda os alienæ, cui iratus eſt Dominus incidet in illā. Qui verba vel oſcula meretricis libēter amplectitur, quaſi ianuā iā gehennalis pulſat abyſſi, citoq; mergetur ſi pedē cautus non retrahit, ſi nō membra cętera à vicinia cohibet foueę pœnalis, inquā nullus omnino niſi filius irę illabitur.

Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ purgabit eam. Multos nouimus pueros ſapientia præditos: Nam & Hieremias puer Prophetiæ myſterium ſuſcepit: Et Daniel ſcribit, *quod dedit Deus pueris abſtinentibus ſcientiam, & diſciplinam in omni verbo & ſapientia*, vnde reſtat intelligere quia pueros hoc loco non ætate ſed ſenſu paruulos ſignificet, quales eſſe vetabat Apoſtolus eos, quibus ait: (1. Cor. 14.) H *Nolite pueri effici ſenſibus ſed malitia paruuli eſtote.* Huiuſmodi enim pueros, id eſt, animos ſtultitiæ vel laſciuiæ vel inertiæ deditos neceſſe eſt iuuenili diſciplina caſtigari, & ad iuſtum vitæ tramitem prudentum rigore perduci.

Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori & egebit. Cōſtat quia rapaces, & quæ pauperibus auferunt, & quæ iuſte videbantur poſſidere, pariter omnia perdunt, cū in examine diſtricti iudicis pœnas ꝓ his, quæ geſſere recipiunt. Sed & is qui pauperem Spiritu fratrem calumniatur, virtutibus eius detrahēdo, vt p huiuſmodi vituperationē animosè diuitias, quas deſiderat augeat, id eſt, gloriā laudis humanæ maiorē, quaſi ſanctior accipiat, merito talis calumniator quicquid bonæ actionis habere

vide-

Digitized by Google

A videbatur, amittit & à fructu virtutum vacuus in fine manebit.

HVC VSQVE PERTINGIT TITVLVS PARAbolarum Salomonis qui ſupra poſitus eſt. Ex quo nonum locutionis genus probatur aſſumpſiſſe, vt ea quæ dicentur non quaſi ad alium quem doceret loquendo, ſed velut ſecum ſolus ratiocinando videatur eſſari quare videlicet Parabolarum primus eſt verſiculus.

F*ilius ſapiens lætificat Patrem, filius vero ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ.* Vltimus iſte ad quem vſque explanando peruenimus. Hinc ad priorem loquendi modum reuertere vt ſpecialiter ad eum quem inſtruet verbum faciat quod ita incipit.

Inclina aurem tuam & audi verba ſapientum, Appone autem cor tuum ad doctrinam meam. Pulchrumque initium ponit nouæ locutionis. Vt autem pariter ad audiendum & cor apponere ad intelligendum quæ ſapienter loquantur, eum quem erudit iubeat. *Quæ pulchra erit tibi cum ſeruaueris eam in ventre tuo & redundabit in labijs tuis:*

B

Lacunam hanc ex ſcripto exemplari ſupplere non potuimus, quod quæ in altero latere ſcripta erant alterius ſcripturam obfuſcarent.

Poteſt de quolibet paupere vel egeno accipi, de quo dictum, *tibi enim derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor*, verum quia ſequitur.

Et configet eos, qui confixerint animam eius. Melius de illo intelligitur, qui cum diues eſſet, pauper factus eſt pro nobis, nec ſolum pauperari vt nos ditaret, ſed etiam, vt nos redimeret, crucifigi dignatus eſt. Prohibet ergo ſapientia ſuos auditores, Domino in carne prædicanti violentiam mortemque inferre, quia nimirum certus reſtet interitus eis, qui in autorē vitæ manus mittere non timuerint.

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Et hæc cum de omni iracundo vel furioſo poſſint generaliter accipi, nil tamen prohibet ſpecialiter accipi de illis, qui contra ſaluatorem & diſcipulos eius veſana mente furebant, à quorum amicitia & comitatu prohibentur, quicunque in eum credentes curam ſuæ ſalutis agebant, ne ex vicinia prauorum etiam ipſi perirent: Quod
C Iudæ Iſcariothis caſu fieri poſſe probatum eſt. Generaliter autem dicendum, quia ſicut perfecti viri peruerſos proximos non debent fugere, quia illos ſępe ad rectitudinem trahunt, & ipſi ad peruerſitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique ſocietatem debent declinare prauorum, ne mala, quæ frequenter aſpiciunt & corrigere non valent, etiam delectentur imitari.

Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis, ſi enim non habet vnde reſtituat, quid cauſæ eſt vt tollat operimentum de cubili tuo. Noli eſſe cum his qui ſecum eſſent liberi ac ſibimet vacantes defigunt in cura ſalutis malorum, ſpondentes ſe rationem pro eorum animabus Domino reddituros: Si enim ille, pro quo ſpopondiſti non habet bona opera, quibus te liberum ac ſecurum reddat, tuæ ſponſionis, quid tibi vtile eſt, vt ipſe in die iudicij pro eius anima iudiceris? amittaſque habitum iuſtitiæ quo indutus eſſe videbaris, ac nudus ab ornamento virtutum exiſtere comproberis, quia quod Domino teſte pollicitus es, implere nequiueras. Hoc autem dictum eſt, non quo curam regendarum animarum, cum tibi regulariter impoſita fuerit, ſuſcipere non debeas, ſed ne paſſim
D nullo iubente doctoris tibi ac præſulis officium temerarius vſurpes.

Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt Patres tui. Ne tranſgrediaris terminos fidei, quos Catholici ab initio ſtatuere doctores.

Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles. Quemcunque velocem videris in opere ſuo, id eſt, in opere bono, quod eius erat facere ſtrenuum atque ſollicitum, ſcito hunc in die nouiſſimi examinis coram Apoſtolis, qui cum Chriſto mundum iudicaturi ſedebunt, eſſe ſtaturum, quia videlicet eorum iuſſa ſeruauerit, neque in parte ignobilium doctorum quorum cauefecit errorem: Hoc eſt, ad ſiniſtram iudicis eſſe ponendum.

CAPVT XXIII.

E Q*Vando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ poſita ſint an faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.* Per allegoriam cuncta dicuntur. Quando ſederis ad legendum cum magiſtro, vt pane verbi reficiaris, diligenter intellige quæ ſcripta ſunt & diſcretionem ſacræ lectionis in tua locutione conſerua, ſi tamen talis es, tantumque eruditus, qui in poteſtate habeas animam tuam, nec quaſi indoctus mente tua circunferaris omni vento doctrinæ: Guttur namque pro loquela poſuit, quia vox in gutture eſt, cultrum pro diſcretione, quia cibos cum reficimur cultro ſecante præparamus: Et ſedens vt comedat cultrum in gutture ſuo ſtatuit, quando is, qui diuina ſedulus meditatur, eloquio diſcreta ex ore verba depromit, nec alia ſæpius in lingua quam cæleſtis oraculi dicta reuoluit: Hoc autem eius eſt facere, qui in poteſtate habet animam ſuam, id eſt immobilem inter errores fallentium ſapientis animi ſtatum ſeruare didicit, vnde & recte ſubiungit.

F *Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij.* Quod eſt apertè dicere, ne deſideres eius auſcultare ſermonibus, qui dulcedine mendaciorum dogmatum auditores ſuos fallere conſueuit.

Noli laborare vt diteris. Diuitias ſcientiæ ſignificat, quas vltra menſuram capacitatis noſtræ quærere prohibemur. *Sed prudentia tua pone modum.* Illum videlicet de quo ſupra dictū eſt: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerūt patres tui*: Hoc eſt, terminos datæ à patribus veritatis & fidei.

Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, quia facient ſibi pennas, quaſi aquilæ, & volabunt in cælum. Ne erigas mentem tuam ad perſcrutanda diuinitatis arcana quæ penetrare non potes, hæc enim cæleſtibus ſolum ciuibus patent.

Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius, quoniam in ſimilitudinem Harioli & coniectoris æſtimat quod ignorat. Ne de ſcripturis cum hæretico loquaris, qui inuidet humanæ ſaluti, malens decipere, quam corrigi, quoniam ſicut Hariolus & coniector ſomniorum æſtimat quod ignorat, ita Hæreticus qui non intelligit: In ſcripturis,
G prout libet interpretari præſumit.

Comede & bibe dicit tibi, & mens eius non eſt tecum. Securus, inquit, diſce & age, quæ doceo, cum ipſe his, quæ docet fidem certam non habeat, ſciens ſe de corde ſuo finxiſſe, quæ doceret.

Cibos quos comederas euomes & perdes pulchros ſermones tuos. Senſus peruerſos quos ab hæreticis didiceras, neceſſe eſt vt vel per pœnitentiā corrigendus deſeras, vel poſt mortem pro his pœnas luere cogaris, perdaſque ſermones confeſſionis, quibus eis prædicantibus humiliter fauendum eſſe putaueras.

In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquij tui. Huic ſimile eſt illud Euangelij. *Nolite dare ſanctum canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos*, &c. *Matt. 7.*
Si ergo ſupra admonuit, ne hæreticorū doctrinis auſcultares: Ita nunc hortatur ne amore vanæ gloriæ ſeductus, immundis hominibus paſſim arcana veritatis ingeras.

Ne attingas terminos paruulorum, & agrum pupillorum ne introeas propinquus enim eorum fortis eſt. Et ipſe iudicabit contra te cauſam illorum. Propinquum paruulorum & pupillorum Dominum appellat, quia cum eſſet in carne pauperum magis, quam diuitum conſors fieri dignatus eſt. A-
H lioquin idem Dominus eſt omnium, diues in omnes, qui Inuocant illum. Poſſunt autem congruenter paruulorum ac pupillorum nomine illi deſignari, de quibus Dominus ait: *Videte ne contemnatis vnum de pupillis iſtis, qui in me credunt, Dico enim vobis quia angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt, quorum agros & terminos, qui attigerit*, hoc eſt, qui conuerſationem eorum bonam inquietando læſerit, *iudicium Domini non euadit.*

Non æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore Domini eſto tota die, quia habebis ſpem in nouiſſimo, & præſtulatio tua non auferetur. Si tota die, id eſt, toto tempore quo in ſeculi huius luce conſiſtis, & peccatorum exempla vitare, & DOMINVM timere ſategeris, habebis ſpem beatæ retributionis in nouiſſimo. Hoc eſt, cum

ad

A ad huius vitæ finem perueneris, ipſo etiam atteſtante, qui ait, *eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Noli eſſe in conuiuijs peccatorum neque in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt. Carnes ad veſcendum conferre eſt in collocutione derogationis viciſſim proximorum* vita dicere, de quorum pœna mox ſubditur.

*fort. vitia.

Quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Symbolum Græcum nomen eſt & interpretatur collatio, eſt autem collatio ſermonum, ſicut in conſilijs ſolet, eſt & pecuniarum, ſiue aliarum rerum, vt & præſens locus docet: Potibus ergo vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ ſe inebriant. Symbolum vero dare eſt, ſicut vnuſquiſque ſolet pro parte ſua cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractationis verba conferre, ſed vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, quia ſicut ſcriptum eſt, *omnis de-* B *tractator eradicabitur, veſtitur autem pannis dormitatio, quia deſpectum & inopem à cunctis bonis operibus mors ſua inueniet, quem hic ad aliena vita exquirenda crimina detractationis ſua languor occupauit.*

Gaudeat pater tuus, & mater tua exultet, qui genuit te. Gaudeat Deus Pater de tua iuſtitia, gaudeat & Eccleſia mater, ſed & Sacerdos qui te per gratiam baptiſmi regenerauit, quique te erudiuit à paruulo, de tuis bonis gratuletur operibus.

Cui va? cuius patri va? Quæritur diſputando quibus hominum ſceleribus maxima à Domino pœna ſeruetur? & reſpondet ipſe ratiocinando, quia his abſque omni dubietate, qui per ebrioſitatem deuoluuntur ad luxuriam. Cui, inquit, *va? cuius patri va?* væ æternum interitum nominat, quo Dominus, *va*, inquit, *homini illi per quem ſcandalum venit*, (Matt. 18.) Patrem autem eius, cui væ immineat, vel hominem dicit à quo exempla praui operis foris quiſque vt peccaret accepit vel certe Diabolum, qui intus in corde virus peſtiferæ ſugeſtionis infudit, de quo Iudæis dictum eſt: *vos ex Patre Diabolo eſtis & deſideria* C *patris veſtri facere vultis*; *cui rixa? cui fouea?* Rixæ, quia concordiam ſeruare pacis neſcit, quem ebrietas ſenſus impotem reddidit: foueæ, quia paſſim in volutabra vitiorum omnium cadere non trepidat, qui inter bona malaque diſcernere quaſi mente captus ignorat, illam ſæpiſſime foueam ebrioſus incidit, de qua præfatum eſt, (Prou. 23.) *fouea enim profunda eſt meretrix & puteus anguſtus aliena. Cui ſine cauſa vulnera? cui ſubfuſio oculorum?* vulnera ſine cauſa, quia multi vino vltra modum impleti, vulnera per tumorem in membris acceperunt, quæ nulla ferri cauſa pertulerunt ſuffuſio oculorum, quia immoderatus vini hauſtus & caliginem pluribus viſus corporalis & cæcitatem genuit ſenſus interioris.

Nonne his qui morantur in vino & ſtudent calicibus epotandis? Non vetat bibere vinum ad neceſſitatem, ſed morari vltra tempus & vtilitatem in vino & euacuandis alterutrum certare calicibus, iuxta illud Iſaiæ; (Iſa. 5.) *va qui potentes eſtis ad bibendum vinum & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.*

Oculi tui videbunt extraneas & cor tuum loquetur peruerſa. D Conſuetum & pene naturale eſt vitium poſt ebrietatis venena diffuſa in corde mulierem ſequi concupiſcentiam, comitante etiam prauitate ac turpitudine verborum. *Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo.* In medio mari dormit, qui in huius mundi tentationibus poſitus prouidere motus irruentium vitiorum quaſi imminentes vndarum cumulos negligit, & quaſi ſopitus gubernator clauum amittit, quando mens ad regendam nauem corporis ſtudium ſolicitudinis perdit.

Et dices, verberauerunt me ſed non dolui, traxerunt me & ego non ſenſi, quando euigilabo & rurſus vina reperiam. Vox percuſſi & dormientis exprimitur, mens quippe à cura ſollicitudinis dormiens verberatur & non dolet, quia ſicut imminentia mala non proſpicit, ſic nec quæ perpetrauerit agnoſcit. Trahitur & nequaquam ſentit, quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad ſui cuſtodiam E ſuſcitatur, quæ quidem euigilare optat, vt rurſum vina reperiat: quia quamuis ſomno torporis à ſui cuſtodia prematur, vigilare tamen ad curas ſeculi nititur vt ſemper voluntatibus ebrietur. Et cum ad illud dormiat, in quo ſolerter vigilare debuerat, ad illud vigilare appetit ad quod laudabiliter dormire potuiſſent.

CAPVT XXIV.

NE *æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis* & cætera. Ne deſideres eos imitari quos vitijs illis de quibus commemorari videris implicari, ſed potius ſapientiæ operam dare curato. *In doctrina replebuntur cellaria vniuerſa ſubſtantia pretioſa & pulcherrima.* Cellaria ſunt corda iuſtorum, quæ non niſi per doctrinam ſapientiæ donarijs virtutum replentur. *Vir ſapiens & fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus.* Non omnis qui fortis & ſapiens eſt, omnis autem ſapiens & fortis eſſe dicendus eſt, quia etſi corpore imbecillis eſt, ſi adſit ſapientia omnia fortis aduerſarij, id eſt, Diaboli certamina vincit.

Excelſa ſtulto ſapientia in porta non aperiet os ſuum. F Non poteſt ſtultus ad ſapientiam attingere, alta eſt enim ab eo qui in infimis iacet vitiorum. Qui etſi in præſenti ſe aliquid ſapere putat, in porta tamen ciuitatis, id eſt, in exitu vitæ huius inueniet nihil fuiſſe quod ſapuit. *Qui cogitat mala facere ſtultus vocabitur.* Ne putares ſtultum æſtimandum fuiſſe eum quem hebetem tardumque ingenio videres, palam oſtendit, quia ille ſtultus ſit vocandus, qui vel in cogitatione peccati ſuggeſtionibus conſentit, tametſi acer ingenio videtur exiſtere, non autem ille, qui etſi hebes ſenſu apparet, Dei tamen imperijs quæ diſcere potuit obtemperare diſpoſuit.

Si deſperaueris laſſus in die anguſtia imminuetur fortitudo tua. Nihil execrabilius deſperatione, quam qui habuerit, & in generalibus huius vitæ laboribus, & quod maxime nocet in fidei certamine conſtantiam fortitudinis perdit.

Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. Poteſt myſtice accipi, erue eos, qui ab hæreticis decipiuntur, rectam fidem prædicando, libera bonorum operum exempla monſtrando eos, qui à G male viuentibus Catholicis trahuntur ad interitum, ſed & ſi quos in certamine perſecutionis lapſos vel lapſuros aſpexeris, ſollicita hos exhortatione ad vitam reſtaurare ſatage; ſi quos fame perituros, ſi quos algore videris, illos dato victu, ac veſtitu recrea.

Comede fili mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo, ſic & doctrina ſapientia anima tua. Patet facillime, quare doctrinam ſapientiæ melli comparet & fauo, quia nimirum ſicut illa cibis, ita hæc doctrinis cæteris dulcedine præſtat, ſed hoc inter vtriuſque ſignificantiam diſtat. Quia mel quod in promptu eſt ad comedendum moralem literæ ſuperficiem inſinuat, fauus autem in quo mel de cera exprimitur, allegoricam locutionem figurate denunciat, vbi ſubducto literæ velamine ſuauitas ſenſus ſpiritalis aliquanto cum labore vel mora percipitur.

Ne inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius. Ne quæras aliquam occaſionem per quam deroges homini iuſto, ille enim ſi ceciderit, cito amouet H pedem ſuum, & caret vitio, quod non iteratur in facto: Impij autem ſic corruunt, vt vlterius non redeunt. Sicut ſubſequenter addidit dicens.

Septies enim cadit iuſtus & reſurgit, impij autem corruent in malum. Quomodo autem iuſtus appellatur qui cadere, id eſt, peccare memoratur, niſi quia de leuibus quotidianiſque loquitur peccatis, ſine quibus nec iuſtorum quiſpiam eſſe in hac vita potuit, quia nimirum per ignorantiam, per obliuionem, per cogitationem, per ſermonem, per ſubreptionem, per neceſſitatem, per fragilitatem carnis ſingulis diebus vel inuiti & volentes frequenter reatum incurrimus, & tamen reſurgit iuſtus, videlicet quia iuſtus eſt, nec iuſtitiæ eius præiudicat lapſus fragilitatis humanæ, vnde bene cum de iuſti caſu loqueretur, non addidit in malum: quia etſi malum eſt quod cadunt, ne tamen in malo quod inciderant hærere poſſint

 citius

Digitized by Google

A citius reſurgendo procurant. Aut contra de reprobis. *Impij autem*, inquit, *corruent in malum*, quia videlicet impij cum ceciderint, & quod eſt grauius corruerint, vt ſcriptura dicit, id eſt, cum capitalia crimina perpetrarint, ita ſuo caſui delectando conſentiunt, vt ab hoc pœnitendo releuari deſpiciant.

Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. Supra iuſto inſidias tendere vetuit, nunc autem vt te perfectum reddat in omnibus, etiam inimicis, cum peccauerint, aut aliquid aduerſitatis incurrerint, inſultare prohibet, ne forte ſi miſerante Domino ad pœnitentiam ſalutemque animæ redierint, ac tecum fidelem amicitiam habere cœperint, tunc erubeſcas, quia illos aliquando deſpexeris, quos gratia diuina ad vitam ſeruauerat, ſed quantum potes iacentibus condole, eoſque vt reſurgere debeant adiuua, & ſi
B votum conatumque tuum ſequitur effectus, gaudebis de ſanato, quem male habentem dolueras ſin alias tuæ tamen beneuolentiæ apud Dominum fructu non carebis, & certe ita dicendum, ne gaudeas de caſu inimici, ne forte Dominus ſuperbiam tuam, quæ illi abſque dubio diſplicet hoc ordine deijciens humiliet vt te cadente in peccatum ille reſipiſcens ſanetur.

Time Dominum, fili mi, & Regem. Iuxta quod ipſe ait.
Marc. 12. *Reddite ergo Caſari quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo*, neque aliquid obſtat in Domino & rege patrem & filium intelligere deſignari, qui vno eodemque ſunt diuinitatis honore colendi: qui enim non honorificat filium non honorificat Patrem qui miſit illum.

Et cum detractoribus, ne commiſcearis. Illis videlicet qui dicentes ſe Deum patrem noſſe, filium Dei in carne apparentem noluerunt recipere.

Quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit. Vtriuſque dicit & deſtrahentis & eius, qui illi fauendo commixtus eſt, derogantium Chriſto principum, & decepti ab eis populi, lacerantium fidem Hæreſiarcharum & auſcultantium illis auditorum. *Hæc quoque ſapientibus*, ſubauditur, ignota ſunt, quando re-
* forte redũdat illud q. proborum quiſque, * qui repentino interitu rapiatur è ſeculo, vel hæc quoque ſapientibus ſunt obſeruanda, quæ docui, ne detractoribus commiſceantur. Quia hoc ſpecialiter vitio totum penè genus periclitatur humanum. Vnde eidem vitio mederi volens B. pater Auguſtinus, hos in ſua menſa verſiculos fecit deſcribi.

Quiſquis amat dictis abſentum carpere vitam.
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

C Hunc verſiculum antiqua editio manifeſtius dicit. *Hæc dico vobis ſapientiam agnoſcentibus*, quod ſequentia ſententiarum non incongrue poteſt, eſſe principium.

Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum. Supra regem timere docuit & nunc perſonam in iudicio cognoſcere vetat, vnde colligitur, quia ita Principibus debitum obſequij temporalis ſubiectos oportet impendere, vt nunquam reuerentiæ vel timoris eorum reſpectu à via veritatis exorbitent.

Labia deoſculabitur qui recta reſpondit. Oſculum pacis & amoris eſt ſignum, qui ergo recta reſpondit, labia deoſculabitur, quia quicunque neglecta acceptione perſonarum ſola iuſtitiæ verba ſequitur, iſte etſi inſipientibus grauis forte videtur & auſterus, multos tamen, cum qui-
D bus pacem habeat, prudentes, multos, qui ſua dicta cum amore amplectentur, inueniet, ſæpe etiam illos quos aduerſantes ſuis rectis aſſertionibus tolerauerat, conuerſos poſtmodum ad meliora amicos recipiet & ſocios.

Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam. Quid eſt præparato opere agrum diligenter exercere? Niſi euulſis iniquitatis, ſentibus actionem noſtram ad frugem retributionis excolere? Et quid eſt poſt agri exercitium ad ædificium domus redire, niſi quod plerumque ex bonis operibus diſcimus quantam vitæ munditiam, & in cogitatione conſtruamus, ille quippe bene mentis domum ædificat, qui primum agrum corporis à ſpinis vitiorum purgat, ne ſi deſi-
E deriorum ſentes in carnis agro proficiant intus tota virtutum fabrica fame boni excreſcente deſtruatur.

Ne ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum, ne lactes quemquam labijs tuis, ne dicas quomodo fecit mihi faciam ei & cætera. Hæc ad exercitium agri noſtri, id eſt, ad cultum bonæ actionis pertinent, innocentem videlicet proximum falſo teſtimonio non lædere, peccanti cuilibet fiduciam amplius peccandi adulando non tribuere, malum pro malo non reddere. Sic enim fit vt cum primo actus exterius bene compoſueris, poſtmodum ad interioris quoque hominis excolendam munditiam pertingas, & quaſi poſt exercitium agri etiam mentis habitaculum pijs cogitationibus ornare, altiuſque conſtruere incipias: Quod quia reprobi facere diſſimulant, recte ſubditur.

¶ *Per agrum hominis pigri tranſiui & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrtica, operuerant ſuperficiem eius ſpinæ.* Per agrum vineamque pigri ac ſtulti tranſire eſt cuiuſlibet vitam negligentis inſpicere, quam vrticæ vel ſpinæ replent, quia in corde negligentium prurientia
F terrena deſideria & punctiones pullulant vitiorum, iuxta quod ſcriptum eſt, *in deſiderijs eſt omnis otioſus.*

Et maceria lapidum deſtructa erat. Maceria lapidum in vinea vel agro ſtulti deſtructa iacet: cum cœpta virtutum munimina, vel improbitate hominum malorum deceptus vel immundorum ſpirituum perſuaſione callida quiſque negligens perdit.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS.

CAPVT XXV.

G *HAE QVOQVE PARABOLAE SALOmonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda.*

HINC nouo ordine loqui incipit, vt non ſicut prius quaſi ad audientem verbum faciat, ſed ſecum ipſe, quid ratio veritatis habeat, diſputando pertractet, in quibus tamen legens quiſque vel audiens, quid appetere, quid cauere debeat, aperiſſime dignoſcat, quas quidem parabolas viri Ezechiæ tranſtuliſſe referuntur, quia fortaſſis ad eius vſque tempora diſperſæ habebantur à pluribus prout ex ore ſapientiſſimi Regis, ſemel dictas exceperant; ſed per induſtriam illius collectæ in vnum & in huius libelli ſunt corpus inſertæ. Notandum ſane quia in his parabolis multo ſunt plura quam in cæteris per Allegoriam dicta ex collatione videlicet rerum, quæ figuris apte videntur.

Gloria Domini celare, verbum & gloria regum inueſtigare ſermonem. Gloria Domini eſt in carne apparentis humanitatis ſuæ magis quam diuinitatis naturam mortalium oculis oſtendere, & ſe potius operum miraculis ac myſticis locutionibus, quam apertis aſſertionibus verbum,
H id eſt, Dei filium fateri. Vnde multo ſæpius in euangelio filium ſe hominis quam filium Dei appellare conſueuit. Et gloria fidelium eius diſcipulorum eſt diligenter eius inueſtigare ſermonem, quo ſe Deum etiam vbi patenter non dicit, myſtice ſignificat. Quale eſt illud: *Ego & Pa-* Ioan. 10.
ter vnum ſumus, & cætera huiuſmodi. Denique celans verbi æternitatem & prætendens carnis infirmitatem ait: *Quem me dicunt homines eſſe filium hominis?* Cui regum Ioan. 6.
eximius inueſtigatio eius ſermone, quem antea ſæpius audierat reſpondit. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Nec par- Ibid.
uam hac inueſtigatione meruit gloriam. Nam protinus audiuit, *beatus es Simon Bariona* &c. Mat. 16.

Cœlum ſurſum & terra deorſum & cor Regum inſcrutabile. Sicut & altitudo cœli & profunditas terræ conijci ab hominibus non poteſt, ita ſcientia Prophetarum & Apoſtolorum, qui arcana diuinitatis ſpiritu reuelante cogno-

A

te cognouerunt, noſtræ fragilitatis capacitatem tranſcendit.

Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. Aufer literæ ſuperficiem de ſacro eloquio & inuenies ſenſum puriſſimum ſub vilitate literæ reconditum, & ſub carnalium figuris cætemoniarum ſpiritalia latuiſſe myſteria.

Aufer impietatem de vultu regio, & firmabitur iuſtitia thronus eius. Aufer impietatem perſequendi Chriſtianos de animo Sauli vel alterius cuiuslibet æmulatorum legis, & cum CHRISTVM prædicare cæperint firmabitur iuſtitia, cathedra doctrinæ * eorum, quam prius * ſuam impellebat impietas, qnamdiu iuſtitiæ Dei repugnantes ſuam præponere ſatagebant: Item *aufer impietatem de vultu regis & firmabitur iuſtitia thronus eius.* Qui enim præſunt populis ſi nolint firmum eſſe ſolium ſuum, ſemper hilaritate & gratia plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti muſſitationem incidant plebis.

* forte eius.
* forte ſua.

B

Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne conſiſteris & cætera. Superius præſulem monuit, nunc ſubditum, nam ſicut illi dixit, vt hilares vultus oſtendat ſubiectis, ita hunc admonet, ne in conſpectu maiorum arrogans appareat, ſed potius in mediocri poſitus loco ſuperius euocari mereatur, cui eſt ſimile illud Dominicnm, *cum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco,* & cætera. Poſſumus autem in Rege & Principe Dominum ſignificatum intelligere, in cuius conſpectu nos ſemper humiliari neceſſe eſt, monente Apoſtolo Petro qui ait: *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei vt vos exaltet in tempore viſitationis.*

Luc. 14.
1. Petr. 5.

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas iurgio cito, ne poſtea emendare non poſſis, cum dehoneſtaueris amicum tuum. Et in Euangelio Dominus. *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, vade & corrige eum inter te, & ipſum ſolum*, & cætera.

Matt. 18.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. Sacra eloquia rectiſſime lectis comparantur argenteis, lectis videlicet, quia requiem pręſtant animabus audientium, Argenteis autem, quia ſplendida fulgent virtutibus Patrum. Vnde ſcriptum eſt, eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum. Quorum ornatui lectorum mala ſuperaddit aurea, quiſquis eadem diuina eloquia etiam ſpiritalibus plena ſenſibus & myſterijs exponendo demonſtrat. Qui nimirum ſenſus aptè mala vocantur, quia de arbore vitæ, id eſt, Dei ſapientia ſunt orti aptè aurea mala, quia notitiam amoremque perpetuæ claritatis mentibus infundunt. Mala ergo aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore ſuo, qnia qui verbum Dei oportune nouit iuxta audientium capacitatem prædicare, modo exempla ac dicta patrum, per quorum cuſtodiam ad requiem perueniturr æternam, iuxta literam replicat, modo ſuauiores in his ſenſuum ſpiritalium fructus, qnibus pia audientium deſideria paſcat, remoto literæ velamine pandit.

C

Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem & aurem obedientem. Recte humilis auditor inauri comparatur aureæ, quia dnm libenter increpanti ac docenti aurem accommodat, iam ſeſe ad percipiendam claritatem ſapientiæ cœleſtis præparat, iam ſupernæ lucis viſioni appropiat, recte magiſter eruditus margarito fulgenti aſſimulatur, quia dum emendationem morum, dum ſupernorum ſcientiam deſiderantibus ac piè quærentibus animis oſtendit, quaſi aureo ornatui, maiorem inſuper gratioremque fulgorem gemmæ ardentis annectit.

D

Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei qui miſit eum animam eius requieſcere facit. Importunum videtur omnimodis tempore meſſis, ningere. Nam & infra legimus, *quomodo nix æſtate & pluuia in meſſe ſic indecens eſt ſtulto gloria.* Sed tamen in feruentiſſimis Paleſtinæ regionibus non parum delectabile eſt metentibns, ſi ſubito frigus quomodo in niue ſolet adueniat, quod incendia ſolis aliquantum refrigeret, ſudorem laborantium tergat, ardentes temperet anhelitus. Cui recte frigori legatus aſſimilatur fidelis, quia mentem eius qui ſe miſit prudenter agendo repauſat. Myſtice autem legatus fidelis Doctor eſt Catholicus, qui autem mittit eum, Dominus porro dies meſſis in æſtu tempus eſt prædicationis inter furores perſequentium, de quo dictum eſt, *Meſſis quidem multa operarij autem pauci.* Frigus niuis in meſſe aliquantula eſt quies prædicantium à perſecutione repugnantium, recte ergo dicitur: *Sicut frigus niuis in die Meſſis, ita Legatus fidelis ei qui miſit eum animam illius requieſcere facit.* Quia ſicut optabile eſt prædicatoribus verbi, cnm ab infidelium rabie forte aliquid refrigerij accipiunt, nec facultas docendi negatur, ita ipſi qui ad prædicandum eos miſit Domino gratum eſſe conſtat, cum ſuſceptam ab eo legationem etiam inter aduerſa obſiſtentium fideliter complent. Denique, vt Lucas refert, *reuerſis à prædicationis officio diſcipulis, exultans ſpiritu ſancto patri gratias obtulit dicens. Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ,* &c.

E
Matt. 9.
Luc. 10.

Nubes & ventus, & pluuia non ſequentes, vir glorioſus & promiſſa non complens. Huic ſimile videtur quod ſuperius ait, *ne lactes quenquam labijs tuis:* ſed & ille verſiculus ſpecialiter hoc continet ne promittendo hominem ſuſcipias & non complendo decipias: Iſte vero verſiculus & hoc continere poteſt, & illud quod dicit Apoſtolus, *habentes ſpeciem pietatis virtutem autem eius negantes.*

F
2. Tim. 3.

Patientia lenietur princeps & lingua mollis confringet duritiam. Quum Dominum peccando offendiſti, potes tamen eius mereri clementiam, ſi patienter aduerſa, quæ tibi pro peccatis irrogantur, pertuleris, humilique ſatisfactione duritiam domueris contumaciæ prioris.

Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi ne forte ſaturatus euomas illud. Dulcedinem inueniſti cœleſtem intellectus quæ ſpiritalium patrum officio quaſi prudentiſſimarum apium tibi labore miniſtrata eſt, vide ergo ne in ea plus ſapere appetas quam oportet ſapere, ne dum ſumma intelligere vltra vires quæris, etiam quæ bene intellexeras amittas: poteſt autem in hoc verſiculo typice dictum intelligi, quod in ſequenti ſubijcitur.

Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui ne quando ſatiatus oderit te. Etſi enim proximi cuiuslibet alloquutionem vel viſitationem melle dulciorem inuenis, melius tamen eſt vt rarius veniendo facias eum ſemper tuum diligere aduentum, quam vt vel vna vice tamdiu cum illo maneas, vel toties ad eum venias, donec te videre faſtidiat & ne redeas, quærat.

G

Dens putridus & pes laſſus qui ſperat ſuper infideli in die anguſtia & amittit pallium in die frigoris. Et Ieremias ait: *Maledictus qui ſpem ſuam ponit in homine & ponit carnem brachium ſuum*, qui recte denti putrido & pedi laſſo comparatur, quia qui illud vnicum hominis bonum, hoc eſt, adhærere Deo, ponere in Domino Deo ſpem ſuam neſcit, iſte nec vitæ percipere cibum, nec ad manſionem poteſt deſideratæ ſalutis pertingere, & talis amittit pallium in die frigoris, quia etſi in ſerenitate vitæ præſentis habitu religionis videtur indutus, vbi tantum diſtrictio iuſti iudicij ingruerit nudus omnimodis ab ornatu iuſtitiæ parebit, nec eorum conſortio dignus, de quibus ſcriptum eſt: *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet & videant turpitudinem eius.*

Apoc. 16.
H

Acetum in Nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo. Nitrum à Nitria prouincia, vbi maxime naſci ſolet nomen accipit, nec multum à ſalis Ammoniaci ſpecie diſtat. Nam ſicut ſalem in littore maris feruor conficit Solis durando in petram aquas marinas, quas maior vis ventorum, vel ipſius maris feruor in littora vlteriora proiecerit; ita in Nitria vbi æſtate pluuiæ prolixiores tellurem infundunt, aderit ardor ſideris tantus, qui ipſas aquas pluuiales per latitudinem arenarum concoquat in petram, ſali quidem vel glaciei aſpectu ſimillimam, ſed nil gelidi rigoris, nil ſalſi ſaporis habentem, quæ tamen iuxta naturam ſalis in caumate durare, at in nubiloſo aere fluere ac liquefieri ſolet: hanc indigenæ ſumentes ſer-

uant, & vbi opus extiterit pro iumento vtuntur. Vnde Iudeæ peccanti dicit Propheta, *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Burith, maculata es in iniquitate tua, dicit Dominus Deus:* Crepitat autem in aqua, quomodo calx viua, & ipſa quidem diſperit, ſed aquam lauationi habilem reddit, cuius natura cui ſit apta figuræ cernens Salomon ait: *Acetum in nitro & qui cantat carmina cordi peßimo:* Acetum quippe ſi mittatur in nitrum feruescit nitrum protinus & ebullit, & peruerſa mens quando per increpationem corripitur aut per prædicationis dulcedinem bona ſuadetur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem ſuccenditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci.

Si eſurierit inimicus, tuus ciba illum, ſi ſitierit da illi aquam bibere. & de corporalibus alimentis, & de ſpiritalibus poteſt intelligi.

Prunas enim congregabis ſuper caput eius & Dominus reddet tibi. Non de incendijs pœnarum dicit, neque enim doceret te ſapientia vt bona inimico perditionis eius cauſa miniſtrares, ſed prunas ſuper caput eius, ardorem charitatis in corde eius ſignificat, fit enim nũquam vt inimicus crebris victus beneficijs odiorum rigore mollito calorem in mente charitatis excipiat, ac de inimico amicus fieri, & eum quem iniuſte oderat, iuſte redamare incipiat.

Ventus aquilo diſſipat pluuias & facies triſtis linguam detrahentem. Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; ſi vero triſti vultu hæc audias, vt dixit quidam vir Dei, diſcit, non libenter dicere, quod didicerit, non libenter audiri.

Melius eſt ſedere in angulo domatis quam cum muliere litigioſa in domo communi. Domatis & excelſus & ſecretus eſt locus, quod enim doma Græce, Latine dicitur tectum, denique in actibus Apoſtolorum vbi Petrus in ſuperiora ad orandum aſcendit, pro ſuperioribus Græco doma ſcriptum eſt, melius eſt ergo in altitudine virtutum manere quempiam liberum à vinculis vxoreis, & à ſeculi huius ſecretum deſiderijs, quam cum carnalis vſu voluptatis quotidianis nefariæ mulieris contumelijs affici.

Aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinqua: dicit Pſalmiſta: *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Aqua ergo frigida quæ ſitientis ardorem reſtringat, & nuncius qui de longe veniens noua quælibet & inopinata gaudia portet aſſimilantur. Quia & dulcedo diuinæ viſionis animam diu deſiderantem conſolatur, atque ab æſtu præſentium tribulationum liberam reddit, & Angeli quotidie de terra longinqua, hoc eſt, de ſuperna patria deſcendentes in mundum, iuſtos vel inter tentationes ſpe cæleſtium roborant vel finitis tentationum certaminibus ad palmam perpetuæ retributionis inducunt.

Fons turbatus pede & vena corrupta iuſtus cadens coram impio. Fons & vena vitæ eſt os & lingua iuſti, qui meditabitur ſapientiam & loquetur iudicium, & ſi hunc à Diabolo ſuperari atque in caſum redigi contigerit, merito fons turbatus aduerſario conculcante & vena dicitur eſſe corrupta. Euenit enim ſæpe, vt qui maiori ſcientia præditi fulgebant, ad vltimum plus volentes ſapere, quam fragilitati humanæ conceſſum eſt, in inſipientiæ foueam deciderent, vnde conſequenter adiungitur.

Sicut qui mel comedit multum non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Dulcedo enim mellis ſi pluſquam neceſſe eſt, ſumitur, vnde delectat os inde vita comedentis necatur, dulcis quippe eſt requiſitio maieſtatis, ſed qui plus hanc ſcrutari appetit, quam humanitatis agnitio permittit, ipſa hunc eius gloria premit: quia velut mel ſumptum immoderate perſcrutantis ſenſum dum non capitur rumpit. Non hoc autem ſolum quiſque ſapiens attendere debet, ne altiora ſe quærat, & ne fortiora ſe ſcrutatus ſit, verumetiam ne ea quæ recte atque vtiliter ſcire potuit, immoderatis ſermonibus ſibimet minus vtilia reddat, vnde adhuc apte ſubnectitur.

Sicut vrbs patens & abſque murorum ambitu. Ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Sicut enim murum ſilentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis, & cum ſe per verba extra ſemetipſum eijcit, apertam ſe aduerſario oſtendit, quam tanto ille ſine labore ſuperat, quanto & ipſa quæ vincitur contra ſemetipſam per multiloquium pugnat.

CAPVT XXVI.

QVomodo nix æſtate & pluuia in meſſe, ſic indecens eſt ſtulto gloria. Et hic verſiculis ne indoctis honor docendi committatur præmonet, nix namque æſtate, & pluuiæ ſunt in meſſe perſecutiones infidelium, in tempore prædicationes Euangelicæ, quæ dum grauiores forte inſiſtunt & calorem in multis impediunt dilectionis, & fruges bene operationis fœdãt. Quibus recte gloria, quæ ſtulto confertur, eſſe ſimilis aſſeueratur, quia ſi indocto cathedra docendi tribuitur æque per hoc Eccleſia vt infidelium perſecutione læditur, quod eſſe veriſſimum Arrianæ tempeſtatis calamitas probauit.

Non ſicut auis ad alia tranſuolans & paſſer quolibet vadens, ſic maledictus fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet. Verba quidem recte auibus comparantur, quia ſanando per aëra tranſuolent ab ore videlicet loquentis ad aures vſque audientis, ſed diſtant in eo, quia poteſt fieri, vt auis quolibet volans eo loci reſideat, vbi nil ei certæ neceſſitatis aut vtilitatis ſuppetat, verba autem quæ loquimur non quolibet diſperſa in ventum diffluunt atque euaneſcunt, ſed in auctorem ſuum cuncta reuertuntur, & vel bene prolata iuuant loquentem, vel male edita grauant, ita vt pro omni etiam otioſo verbo rationem in die iudicij reddere cogamur, quanto autem magis maledicta, non ſolũ ea quæ malitioſa mente in inſontem iaculantur, verum etiam illa, quæ ſtulta negligentium conſuetudine paſſim in quoſlibet proferuntur non alium ſed ipſum * opprimunt, neque enim maledici regnum Dei poſſidebunt. Non autem ſine cauſa dicit, maledictum fruſtra prolatum, quia eſt & maledictum nõ fruſtra prolatum, ſed iuſtitia diuinæ diſtrictionis ira in impios emiſſum, vt eſt illud diui Petri in Simonem magum. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Et ea quæ in apoſtatas hæreticos Eccleſiaſtica animaduerſione proferuntur anathemata. De quibus Dominus eidem Eccleſiæ dicit: *Quæcunque alligaueris ſuper terram erunt ligata & in cælis.*

* forte maledicum.

Act. 8.

Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam ne efficiaris ei ſimilis, reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Non hæc inuicem ſibimet contraria debent videri, non reſpondere ſtulto iuxta ſtultitiam eius, & reſpondere ſtulto iuxta ſtultitiam eius, vtrumq; enim pro temporũ & perſonarum diuerſitate concordat, dum & ſtultus contemnitur, quia non recipit ſapientiam, & ſtulta ſuperbia alia decutitur ſtultitia, iuxta quod & Apoſtolus dicit, *factus ſum inſipiens vos me coegiſtis.*

2. Cor. 12

Claudus pedibus & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium ſtultum. Poteſt forte euenire vt ſapiens quilibet ſtultum in legationem mittat, neſciens quia ſtultus eſt, nec tamen ipſe ſapientiæ ſuæ gloriam perdat, in eo quod de ignoto bonum quod audierat credidit. Claudus eſt pedibus & iniquitatem bibens, quia & operis boni foris inceſſum amiſit, & interiora ſui ſenſus hauſtu ſtultitiæ inebriat.

Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij ita qui tribuit inſipienti honorem. Qui inſipienti, id eſt, hæretico honorem docendi confert, non minus delinquit, quam qui Deos, ac delubra gentium cultu veneratur inani.

Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorum. Spina in manu naſcitur temulenti, cum in operibus eius, qui carnalibus ſeruit illecebris punctiones oriuntur ſcelerum, quibus recte parabola, quam ſtultus proponit aſſimilatur. Quia etſi verba prudentiæ ſtultus dicere nouit in his tamen vitiorum punctiones, quibus vel ſeipſum, vel proximum laceret, vitare non nouit; ſæpe namq; Doctor imprudens in eo quod bona dicit, aut ſuam occulte laudem ab hominibus aut vituperationem quærit aliorum.

Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam. Canis cũ vomit profecto cibum qui

pectus

A

pectus deprimebat iecit, ſed cum ad vomitum reuertitur vnde leuigatus fuerat, rurſus oneratur, & qui amiſſa plãgunt, profecto nequitiam de qua male ſatiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat confitendo proijciunt, quam poſt confeſſionem dum appetunt reſumunt.

Ioan. 9. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habebit inſipiens.* Hoc exponens Dominus ait. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Dicit piger, Leæna in via leo in itineribus ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo.* Multi cum verbum exhortationis audiunt cauſantur de Diabolo, dicentes, velle quidem ſe viam iuſtitiæ incipere, ſed impediri à Satana, ne hanc perficere poſſint, ſicque huiuſmodi excuſationis ſermonibus ſemper in lecto ſui torporis ſicut oſtium in cardine vertuntur, & modo exire ad operandum, modo ad quieſcendum redire proponentes, in ſuis iacere prauitatibus nunquam deſiſtunt.

Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.

B

Septem viros loquentes ſententias illos dicit, qui ſeptiformi ſpiritus gratia pleni ſacrę ſcripturę nobis ſcientiam miniſtrauerunt, quibus ſe ſapientiorem ſtultus arbitratur, quia ſæpe nonnulli adeo mentem ab agendis his, quę Dn̄s præcipit deſipientes auertunt, vt ne hæc quidem omnia vel poſſe ab homine, vel debere impleri cõtendant, & quaſi ſapientiores his, qui diuina eloquia ſcripſerunt, ea hominem facere non poſſe autumant, quæ illi dictante ſpiritu ſancto hominem facere iuſſerunt, immo etiam quæ multos homines iuuante ſpiritus eiuſdem gratia perfeciſſe monſtratunt.

Sicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit & impatiens commiſcetur rixæ alterius. Dicit Apoſtolus. 2. Tim. 2. *Noli verbis cõtendere, ad nibil eſt vtile niſi ad verſionem audientium.* Quicunque ergo ſimplex eſt ſenſu & duobus inter ſe iurgantibus mordaci ſermone capta fuerit auricula eius, cito incipit & ipſe quaſi canis latrare & contentiones generare, ſed hoc ſapiens omnimodo vitat.

Verba Suſurronis quaſi ſimplicia & ipſa perueniunt ad interiora ventris. Suſurronem incentorem litis & bilinguem appellat, qui ſimulat laudem verborum, & quærit audire, vnde iurgia ſeminet.

C

CAPVT XXVII.

NE *glorieris in craſtinum ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Ne ſecurus ſis aliquando de futuro tempore, quia etſi hodie te Dño ſeruire conſpicis, qualis eſſe in futurum poſſis, quomodo vitam finire prorſus præuidere non vales. Beatus enim homo qui ſemper eſt pauidus.

Graue eſt ſaxum & oneroſa arena, ſed ira ſtulti vtroq; grauior. Graue quidem ſatis eſt quemque vel vno aliquo crimine capitali quaſi pondere ſaxi reprimi, vel quaſi grauis arenę innumeris peccatis leuioribus onerari; ſed vtroq; grauior ira eſt ſtulti, quia nimirum hæc quo certius quã ſint mala pateſcunt, eo acrius animum vt caſtigentur compũgunt, ira vero quia non corporale, ſed ſpiritale eſt vitium, quo minus deprehenditur, eo amplius grauat, vnde non abſolute iram, ſed iram ſtulti dicit, ſaxo & arena grauiorem, nam ſapientes quomodo actus ſuos ac ſermones, ita mentis quoque motus ſollerter examinare & caſtigare ſatagunt.

D

Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit? Exod. 11. Non de omni ira dicit. Nam de mitiſſimo ac modeſto viro ſcriptum eſt, *quia exijt à Pharaone iratus nimis*, ſed de ira ſtulti, cuius in priore verſiculo meminerat, quæ vbi excanduerit mox viſcera pietatis amittit & furori tantũ ſuo nouit frena laxare. Alioquin de vtili ac neceſſaria ira dictũ eſt, melior eſt ira riſu quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

Melior eſt manifeſta correptio quam amor abſconditus. Amorẽ abſconditum hoc loco amorẽ dicit illicitum, vt eſt amor, adulterinus qui ob ſui turpitudinem merito ſapientibus ne redarguatur abſcõditur. Cui iure manifeſta correptio præfertur, quia abſque vlla contradictione melius eſt quempiam deſiderio corrigendi clanculo diligere.

Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientũ oſcula. Melius eſt à Dño, qui nos vt filios pater erudire conſueuit vulnera afflictionum perpeti, quam Diaboli blandimentis decipi, qui vt nos cœleſti hæreditate priuet, noſtris fauere ſolet erratibus, quaſi leue ſit malum, quod agimus, & vltra modum peccatorum noſtrorum ſæuiens tribulatio quam Domino diſpenſante toleramus.

E

Anima ſaturata calcabit fauum, anima eſuriẽs etiam amarum pro dulce ſumet. Anima diuitum qui habent conſolationem ſuam & quibus dicitur à Domino, *væ vobis qui ſaturati eſtis quia eſurietis*, Luc. 6. ſpernit auditam cœleſtis regni dulcedinem; anima autem eorum, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, etiam aduerſa ſeculi pro Domino immo ipſam mortem perpeti dulce habet, ſciens ſe per poculum amaritudinis ad gaudia perpetuæ ſalutis eſſe venturam.

Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui relinquit locum ſuũ. Sicut auis quæ nidum ſuum negligit, oua ſiue pullos quos fouerat aliarum auium vel animantium raptui dimittit, ſic nimirum ille, qui cuſtodiam virtutum in quibus proficiebat deſerit, earundem virtutum quas habere videbatur immundis ſpiritibus ipſe proditor exiſtit, vnde alias dicit: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris*, quod eſt aperte dicere, ſi Principis mundi, id eſt, Diaboli tentatio tibi forte inſtiterit, caueto ſollicitus ne à bona operatione cui inſudabas deſiſtas.

F

Melior eſt vicinus iuxta, quam frater procul. Melior tibi eſt vicinus aliquis, qui tibi animum fraterna ſocietate connectit, quam Germanus frater qui iura fidei & pietatis communia tecum habere neglexit, quod Dominus in parabola vulnerati à Latronibus eius qui deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho & Samaritani, qui curam egit illius manifeſtè probauit.

Qui bene dicit proximo ſuo, voce grandi de nocte conſurgens maledicti ſimilis eſt. voce grandi proximo bene dicit, qui cum fauore ſuperfluæ laudis extollit, vel malis videlicet actibus eius contra iuſtitiam fauendo, vel bona plus iuſto laudando, ſed hic maledicenti aſſimilatur, quia plurimum lædit eum, cui laudando ſiue in mala actione confidentiam tribuit, ceu in opere recto ſimplicitatem puri cordis minuit, vt videlicet bonum quod ſupernæ mercedis intuitu inchoarat tranſitoriæ laudis amore conſummet.

G

Ferrum ferro acuitur, & homo exacuet faciem amici ſui. Satis bona eſt conſolatio & conſilium ſapientum, qui vbique ſe inuicem conſulendo inſtruunt.

Ferrum ferro acuitur. Infernus & perditio non replebuntur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles, inferni tormenta non replebuntur terminum accipiendo: Similiter & intentiones quæ humana rapiunt, inſatiabiles ſunt in deſiderio peccandi, qui & ideo ſine fine pœnas luunt, quia voluntatem habuerunt ſine fine peccandi, ſi naturam haberent ſine fine viuendi. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq; greges conſidera.*

Non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur in generatione generationum. Paſtori dicitur Eccleſiæ, diligenter adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit, agnoſce animos actuſque ſingulorum, & ſi quid in eis vitij ſordidantis inueneris, citius caſtigare memento, non enim tu ſemper oues Dominicas paſcendi poteſtatem habebis, ſed æterna eſt corona, quam percipies, ſi commiſſum tibi gradum tuo tempore bene miniſtraueris.

H

Aperta ſunt prata & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus. Aperta ſunt modo paſcua ſacramentorum cæleſtium, quæ diu fuerant typis præcluſa legalibus, apparuit nouus viror Euangelicæ veritatis & gratiæ, collecta ſunt in pabulum gregis Dominici ſcripta patrum veterum. Ablata quidem Iudæis ſuperbientibus, falſæ diuinæ animaduerſionis & humilibus Eccleſiæ populis ad ſpiritale ſubſiduum data. Iuxta quod Dominus illis, *auferetur à vobis*, inquit, *regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matt. 21. *Agni ad veſtimentum tuum, & hædi agri pretium.* Agnos innocentes hædos pœnitentes nuncupat, Agnorum ergo vellere veſtieris, dum bonis obedientium diſcipulorum moribus paſtor ipſe profeceris, eorumque laudabilia facta cernens, & in ornatu virtutum, & in calore dilectionis ipſe glorioſior extiteris. Hę dibus

A agrum comparabis, dum peccatores ad pœnitentiam vocando, ſublimiorem tibi in terra viuentium locum acquiris.

Sufficiat tibi lac caprarũ in cibos tuos & in neceſſaria domus tuæ. & ad victum ancillis tuis. Tanta inſtantia pecus tibi commiſſum paſce, ne tibi lac æſtate nouum, ne frigore deſit, ſed tibi ſemper tuiſque ſufficiat, id eſt tam ſedulo doctrinæ inſta vt etiam quondam pœnitentes ad officium docendi prouehas, quatenus per illos, qui pridem pro fœditate vitiorum ad ſiniſtram iudicis videbantur eſſe ponendi, modo rationabile & ſine dolo lac verbi paruulis ſenſu miniſtretur: fit autem lac caprarum ad victum ancillis, quando, hi, qui nondum amore perfecto, ſed adhuc timore ſeruili Domino deſeruiunt, per exemplum vel verba eorum, qui per pœnitentiam ſalui facti ſunt, viuificis verbi epulis reficiuntur, atque vt ad maiora virtutum proficiant incrementa iuuantur, quidam
B hoc quod dictum eſt, *aperta ſunt prata & apparuerunt herba virentes, & collecta ſunt fœna de montibus, agni ad veſtimentum tuum, & hædi agri pretium*: ita expoſuit, aperta ſunt monumenta, apparuerunt corpora rediuiua, ſequeſtrati ſunt peccatores à ſanctis, fœnum ad comburendum de locis excelſis. Sequeſtrati ſunt agni ad dexteram, hædi ad ſiniſtram, agni ad veſtimentum regis, quia ipſe dixit: *Inhabi-*
2. Cor. 6. *tabo in eis*, hædi pro pretio Sanctorum quos nouerunt ignibus venundantur.

CAPVT XXVIII.

**for. redundat nunquã, vel legẽdum nonnũquam.*

F*Vgit impius nemine perſequente.* Qui non eſt in fide fortis etiamſi nullus perſecutor inſiſtat,* nunquam ſpõte fidem deſerit, quando vel latrocinijs vel periurijs vel fornicationibus vel veneficijs, alijſque huiuſmodi ſceleribus ſe infideli ſimilem reddit.

Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit, in occurſum beſtiarum idcirco Leo non trepidat, quia præualere ſe omnibus non ignorat, vnde iuſti viri ſecuritas Leoni recte comparatur, quia contra ſe cum quoslibet inſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit, & ſcit, quia cunctos aduerſantes ſuperat, quia illum ſolum diligit, quem inuitus nullo modo amittat.

Viri mali non cogitant iudicium, qui autem requirunt Dominum animaduertunt omnia. Omnia animaduertunt electi, hoc eſt, & futurum eſſe diſcrimen vniuerſalis iudicij, & quibus operibus requies quib. pœna retribuatur æterna.

Qui decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebunt bona eius. Qui per doctrinã hæreticam de-
C cipit amatores iuſtitiæ, vt à veritate deuient, ipſe quidem pro malis ſuis pœnam quã meretur incurrit: Bona autẽ ſi qua gerebat vel vtilia ſcribendo, vel continenter viuẽdo, alijs in adiutorium cedunt, ijs nimirum qui hæc legentes ſiue audientes exempla ſibi ſalutis etiam ab eo quem periſſe norunt aſſumunt.

In exultatione iuſtorum multa gloria, quia videlicet non de præſentibus diuitijs, ſed de æternis in futuro bonis exultant: non de rebus mundi, quem vident, ſed de creatore mundi, cuius viſionem ſperant lætantur, dicente Pſal-
Pſal. 31. mographo: *Lætamini in Domino & exultate iuſti*; vel certe in exultatione iuſtorũ multa fit gloria, quia quoties electos in hac vita pro euentibus Eccleſiæ proſperis exultare cõtigerit, multa Dño gloria ex plurimorũ fide ac pijs operibus datur. *Regnantibus impijs ruinæ hominũ*, ſicut multi glo-
D riam Deo dare incipiunt, cũ iuſtos in profectu virtutum gaudere conſpiciunt, ita quoties reprobi regnũ tenent, multos ſuæ perfidiæ complices exhibent. Quod & de paganis & de Hæreticis & de malis Catholicis recte poteſt accipi.

Beatus homo qui ſemper eſt pauidus qui vero mentis eſt duræ corruet in malũ. Sequentis ira iudicij tanto tunc deſtrictior portabitur, quanto nunc & inter culpas minime timetur, vnde alibi ſcriptum eſt, *in die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorũ.* Sic ergo vtraq; coniungenda ſunt, vt vnum ſemper ex altero fulciatur.

Leo rugiens & vrſus eſuriens princeps impius ſuper populũ pauperem. Et de principibus paganis, & de hęreticis poteſt intelligi, qui populi pauperis, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ vel patientiam vel ſapientiã ferina ſæuitia tentant.

E *Hominem qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi vſq; ad lacum fuerit, nemo ſuſtinet.* qui operatur terrã ſuam ſaturabitur panibus, qui ſectatur otium replebitur egeſtate.* Siue terram agri ſiue terrã corpuſculi, qui exercet, ſaturabitur, ille frumento, iſte virtutibus qui vtraque ſpernit replebitur egeſtate. **erat hoc loco vacuũ aliquod in M. S.*

Vir qui feſtinat ditari & alijs inuidet ignorat quod egeſtas ſuperueniat ei. Profecto enim qui augere opes ambit, peccatum negligit, more auium captus, cum eſcã terrenarũ rerum auidus inſpicit quo ſtranguletur peccati laqueo non agnoſcit, cum quilibet præſentis mundi bona deſiderat, & quæ de futuro damna patiatur ignorat.

Cum ſurrexerint impij abſcondentur homines, cum illi perierint, multiplicabuntur iuſti. Eoſdẽ homines, quos iuſtos appellat, quia videlicet iuſtum ſtatutumq; à Deo humanæ conditionis ordinem ſeruent, vnde in libro B. Iob de pęnitente quolibet peruerſo dicitur, *Reſpiciet homines & dicet peccaui.* Iob. 33. Quod eſt aperte dicere reſpiciet eos, qui naturam humanæ creationis recte cuſtodiunt, & ſe peccando iumentis aſſimilatos eſſe cognoſcent. Patet ergo ſenſus, quia feruente impiorum perſecutione abſcondẽtur ſæpe fideles, ſępe vel non auſi vel non permiſſi ad publicũ procedere, dicente Dño, *ſi vos perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fu-* Mat. 10. *gite in aliam, vbi autem perditis auctoribus, perſecutio ceſſauerit, auguſtior poſt preſſuras fidelium gloria clareſcit.* Sed & infideliũ plurimi viſa infidelitatis damnatione fidei gratiam ſuſcipiunt, iuxta id quod ſcriptum eſt, *peſtilente flagellato, ſapien-* F *tior erit paruulus.* Prou. 21.

CAPVT XXIX.

H*Omo qui blandis fictisq; ſermonibus loquitur amico ſuo rete expandit greſſibus eius.* qui fictis ſermonibus proximum laudat, illi quidem parat inſidias quibus periculum incauti operis aut verbi ſecurior factus incidat. Sed videamus vtrum retia fraudulenti cum cuius greſſibus expanduntur, *an potius illum à quo expanduntur inuoluant, ſequitur.

Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus, & iuſtus laudabit atque gaudebit. Non ergo iuſto laqueus peccantium etiamſi corporaliter perimat nocet, ipſos autem reprobos inſidiæ, quas proximis parant, in perpetuum damnant gaudentibus iuſtis, ac rectum conditoris iudicium laudantibus vel de ſua ereptione vel de perditione prauorũ. Denique clauſulam prioris verſiculi, antiqua editio manifeſte poſuit, retia circundat ſuis pedibus, ex ambiguo enim Græco quod eſt *αὐτοῦ* vtrumq; interpretari poteſt.

Nam qui fodit foueam proximo ſuo incidet in eam ipſe, vt alibi dictum eſt.

Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit ſiue iraſcatur ſiue rideat, non inueniet requiem. Doctor ſapiens ſi cum infideli & con- G tumaci contenderit, ſiue tormenta reproborum, ſeu gaudia narret bonorum, fruſtra erga inſenſatum laborat, ſiue lamenta pœnitentiæ ſuadeat, ſeu bonæ operationis quæ ſint pręmia dicat, non auditur à ſtulto: hinc & Apoſtoli Iudæis dicebant: *Lamentauimus vobis, & non planxiſtis, cecinimus vobis & non ſaltaſtis.* Matt. 11.

Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus. Impatientia impellẽte agitur vt totus foras ſpiritus proferatur. Quem idcirco citius perturbatio ejicit, quia nulla interius diſciplina ſapientiæ circuncludit. *Sapiens autem differt & reſeruat in poſterum.* Læſus. n. in præſens vlciſci ſe non deſiderat, quia etiam tollerans parci optat; ſed tamen vindicari omnia extremo iudicio non ignorat. Hunc locum antiqua trãſlatio ſic habet: *totam iram ſuam profert impius, ſapiens autem eam paulatim diſpenſat per partes.* Quia nimirũ ſtultus ad vltionem ſui iræ perturbatione ſuccenditur; ſapiens autem H paulatim eam maturitate conſilij ac moderationis extenuat & expellit.

Pauper & creditor obuiauerunt ſibi vtriuſque illuminator eſt Dominus. Pauper eſt humilis verbi Dei auditor, creditor autẽ qui ei verbi eiuſdem pecuniã prædicando committit, qui obuiant ſibi cum in vnam eandemq; pietatis gratiam conueniunt, & vtriuſq; illuminator eſt Dñs, quia neq; ille ſine diuinæ munere pietatis prædicare, neque iſte potuit credere. Veridica namque manet veritatis ſententia, qua dicit, *quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15.

[A] *Rex qui iudicat pauperes in veritate, thronus eius in æternum* [Pſal. 44.] *fundabitur.* Et Pſalmiſta de Chriſto Rege, ſedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, virga regni tui. *Virga atque correptio tribuet ſapientiam; Puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.* De hac virga Apoſtolus ait ad Corinthios [1. Cor. 4.] *An vultis in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis.* Puernamque frequentiſſime corripiendum & erudiendum admonet, populus Dei eſt, qui ſi non aſſiduis monitis & increpationibus ſacerdotum fuerit caſtigatus confuſionem generat eccleſiæ, detrahentibus his qui foris ſunt religioni fidei Chriſtianæ, vnde rectè ſubiungitur.

Cum Prophetia defecerit diſſipabitur populus, qui cuſtodit legem beatus eſt. Quia nimirum cum ceſſauerit ſacerdotalis eruditio, ſoluetur continuo diſciplina diuinæ legis, qua populus ad beatitudinis præmia pertingere debuerat.

Vidiſti hominem velocem ad loquendum, ſtulti magis ſperanda eſt, quàm illius correptio. Graui quidem vitium ſtultitiæ, ſed non leuius eſt verboſitatis, nam ſæpè contingit, vt habes aliquis & ipſarum quoque neſcius literarum, [B] citius verba ſalutiferæ correptionis accipiat, quam is qui affluentia præditus ſermonis magis ſua quæ nouit vel quæ ſe noſſe autumat iactanter proferre, quam dicta ſapientium audire contendit.

Qui delicate à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea illum ſentiet contumacem. Qui delicate à pueritia nutrit corpus ſuum, quod animo debuerat ſubiugare, is vbi ad annos adoleſcentiæ peruenerit, laſciuum hoc, & indomabile ſentiet, hunc verſum alia translatio pulchre habet, *qui delicatur à pueritia ſeruus erit, nouiſſime autem contriſtabitur in ſe,* Contriſtabitur namque ſero malorum pœnitens in ſe, qui ſe meminit noluiſſe in tenera adhuc ætate à ſuis voluptatibus ad regulam continere prudentium.

Vir iracundus prouocat rixas & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccata procliuior. Ianua omnium vitiorum iracundia eſt, qua clauſa virtutibus intrinſecus dabitur quies.

Qui cum fure partitur odit animam ſuam adiurantem, audit & non indicat. Auditorem ſuum ſapientia non ſolum à peccatis abſtinere, [C] ſed à peccantium ſe contubernio docet cohibere, ne forte à diſtricto iudice mereatur audire. *Si videbas furem, ſimul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Non enim Fur ſolummodo, ſed etiam ille reus tenetur, qui conſcius furti quærente poſſeſſore pecuniam quam perdidit, non vult indicare cum valet, verum ne quis cauſetur metu ſe perſonæ potentioris, neq; à furum conſortio ſeparari, neque prodere poſſe quod nouit, apte ſubditur.

Qui timet hominem cito corruet, qui ſperat in Domino ſuble- [Matt. 10.] *uabitur.* Cui congruit illud Euangelicum, *Nolite timere qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

CAPVT XXX.

V*Erba congregantis filij vomentis.* Huc vſque parabolæ Salomonis quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda. Hinc rurſus verba Salomonis ab ipſo alias dicta, & forſan ipſe ab eo quod græcè Eccleſiaſtes dicitur, nunc interpretato in latinum nomine illo congregans appellatur. Eccleſia enim congregatio vocatur. *Viſio quam locu-* [D] *tus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait. Viſio,* inquit, *quam locutus eſt,* quia quod vidit apud Deum ſecretiora contemplando patefecit hominibus foras loquendo, quiſquis enim Dei ſpiritu confortatur, hæc quæ ſequuntur humili corde profatur.

Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Filij enim ſeculi huius prudentiores filijs lucis in [1. Cor. 3.] generatione ſua ſunt, Et Apoſtolus, *ſi quis,* inquit, *videtur ſapiens eſſe in hoc ſeculo ſtultus fiat vt ſit ſapiens,* & ipſe de ſe [1. Cor. 1.] ſuiſque ſimilibus, in quibus Deus, *nos autem prædicamus Chriſtum crucifixũ, Iudæis quidem ſcandalũ, gentib. autẽ ſtultitiã.*

Non didici ſapientiam & noui ſanctorum ſcientiam. Non didicit Salomon ab homine ſapientiam, ſed Deo gratis offerente percepit, vt ſanctorum ſcientiam noſſet, ſed & A- [2. Cor. 4.] poſtolus qui ait, *Nos ſtulti propter Chriſtum,* Ipſe iterum di- [1. Cor. 2.] cit. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos,* ſapientiam vero non huius ſeculi, neq; Principum huius ſeculi qui deſtruuntur. [E]

Quis aſcendit in cœlum atq; deſcendit. Hæc ſanctorũ ſcientia quæ à ſapientib. ſeculi ſtultitia putatur, quia videlicet Dei filius in aſſumpta carne poſt mortem & reſurrectionẽ ſuam aſcendit in cœlum, ac noſtræ reſurrectionis tẽpore deſcenſurus eſt de cœlo ad iudicandos viuos & mortuos. *Quis continuit ſpiritum manibus ſuis?* Omnis ſpiritus & humanus & angelicus & animalium & procellarum ne deficiat, Dei potentia continetur. *Quis colligauit aquas, quaſi in veſtimento?* De ipſo & Pſalmiſta, *congregans ſicut in vtrem a-* [Pſal. 23.] *quas maris. Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ?* & nũc omnia, quæ per orbem viuunt & creſcunt, homines, animantia, germina, Dominus vt ſua quæq; vita ſubſiſtant excitat, & in die iudicij cunctum à quatuor ventis cœli genus humanum à morte ſuſcitabit. *Quod nomen eius & quod nomen filij eius, ſi noſti?* De Dei Patris & filij nomine dicit, cuius myſterium ſecularis ſapientia naturaliter ſcire nõ poteſt, quamuis vnum eſſe Deum, qui omnia fecerit per ea, quæ mirabiliter facta videt, intelligere poteſt. Si noſti, inquit, [F] ſubauditur, tu qui de tua te iactans ſapientia, noſtræ fidei myſteria, ſtultitiam nuncupare præſumis.

Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe. Hæc & tota Chriſti eccleſia nouit & illi maxime ſentiũt, qui Deo ſecum morante terrenæ ſapientiæ faſtum contemnunt, quia nimirum omnis ſermo diuinæ auctoritatis corda electorum & igne charitatis accendit, & ſcientia veritatis illuſtrat, & vitiorum ſordes, ſi quas in eis inuenerit, conſumit, & ab hoſtium inſidijs ſperantes in ſe cunctiſq; defendit aduerſis. Verum ſollertius intuendum, quia proprietatem græci ſermonis quod eſt *πεπυρωμένον*, Latina translatio vno verbo nõ explicat. Vnde aliquando ignitum aliquando igne examinatum transfertur, vt, *ignitum eloquium tuum vehementer, & argentum igne examinatũ,* quod [Pſal. 118.] vtrumque in græco vno verbo dicitur *πεπυρωμένον* & [Pſal. 11.] hoc quod huic Salomonis ſententia ſimillimum ſonat, *Eloquia Domini igne examinata,* id eſt *πεπυρωμένα, Protector* [Pſal. 17.] *eſt omnium ſperantiũ in ſe. πεπυρωμένον* ergo ſignificat, quod tanquam conflatum igne purgatum ſit. Sicut n. quæcunque metalla igne conflata ſordem in ſe alienam atq; inutilem non continent, totum quicquid in eis reſidet verũ & perfectum & omni vitiorum ſorde purgatum eſt, ita e- [G] loquium Domini æternorum in ſe bonorum fidẽ teſtans, hinc illud eſt Domini, *iota vnum, aut vnus apex nõ præteribit* [Matt. 5.] *à lege donec omnia fiunt,* Vera n. omnia ſunt & extra omnẽ ambiguitatem ſuperfluæ inanitatis ignita. *Non addas quicquam verbis illis & arguaris inueniarisq; mendax.* Ne corrumpas eloquia ſanctarum ſcripturarum, quod quidam hæretici ne his conuincerentur feciſſe noſcuntur.

Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar, vanitatẽ & verba mendacia longe fac à me. Mendacitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria, &c. Hæc adhuc vir cum quo eſt Deus ſermonis eius igne radiatus, ad ipsũ Dominum conuerſa voce profatur. Obſecrans ne vanitatem ſeculi nunquam vel verba mendacia veritati cœleſtium præponat ſcripturarum, nec rurſum vel copia vel inopia tranſeuntiũ rerũ in obliuionem decidat ęternorũ.

Generatio quæ patri ſuo maledicit, & matri ſuæ non benedicit. Cum ſuperius puritatem ſibi vitæ à Domino dari peteret conuertens ſubito intuitum ad contemplandam prauo- [H] rum nequitiam quantis hæc ſit inuoluta miſerijs, quam longè à veritate diſtet, inſinuat. *Eſt,* inquiens, *generatio nefandorum, quæ etſi bona qualibet agit perdit.* Hæc in eo quod honorem parentibus non defert.

Generatio quæ ſibi munda videtur & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. De hac generatione loquitur Pſalmiſta, *Quoniam* [Pſal. …] *Deus diſſipat oſſa hominum ſibi placentium. Generatio cuius excelſi ſunt oculi & palpebræ eius in alta ſurrecta.* Huius conſortiũ generationis vitabat Pſalmiſta cum diceret: *Domine, non eſt exaltatum cor meum neq; elati ſunt oculi mei, Generatio quæ pro dentib. gladios habet & commandit molaribus ſuis.* De hac Pſal- [Pſal. 14…] miſta, *filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ & lingua eorum machæra acuta. Vt comedat inopes de terra & pauperes ex hominib.* Ad hoc linguam armant perſecutores eccleſię vt innocentes Chriſti & humiles trucident. Quod ſi dilige-

A ter conſiderare volueris, inuenies has generationes congregationes eſſe nequiſſimas Iudæorum & hæreticorum, Iudæorum ergo generatio patri ſuo maledixit illi videlicet, qui ait. *Filius meus primogenitus Iſrael*, quando filium eius venientem in carne negauit, & matri ſuæ non benedixit, Synagogæ cuius fidei priſtinæ ſcientiã in Patribus ac Prophetis de Chriſto habuerat detraxit. Nouatianorum generatio munda ſibi videtur, dicens ſe pœnitentia opus non habere, & tamen non poteſt munda eſſe à peccatorum ſordibus, quæ fontem pœnitentiæ peccantibus veniam negando præcludit, item generatio Arrianorum excelſos habet oculos, & palpebras ſuper Deum erectas, inquirens quid fuit antea, & quia fuit tempus quando non fuit filius, vel quæ eſt Spiritus ſancti poteſtas æqualis inæqualis. Item generatio quæ prodentibus gladios habet, illa eſt congregatio, quæ ſuam perfidiam etiam alijs intimare ſatagit, & ſicut corpora ſolent gladijs ſterni, ita animas audientium veneno prauæ allocutionis morti perpetuæ ſubiugare contendit.

B *Sanguiſuga duæ ſunt filiæ dicentes adfer, adfer.* Sanguiſuga eſt diabolus qui ſiti peccandi ac peccata ſuadendi inceſſanter accenditur. Huic duæ ſunt filiæ, quia duæ ſpecialiter humani generis illecebræ, hunc antiqui hoſtis imitantur, nam & luxuriæ quo liberius fræna laxantur, eo noxius delectatur, & ſicut quidam ait Poetarum.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod non dicit ſufficit, infernus & os vulua & terra quæ non ſatiatur aqua, ignis vero non dicit ſufficit. Infernus nunquam redundat, Meretrix ſimiliter vicina eius, corpus non ſatiatur delicijs, & auarus nunquam dicit ſufficit, quidam infernum interpretantur diabolum, qui inſaturabilis ſit de ſeductione humana. Os vuluæ & terram quæ non ſatiatur aqua vt ſupra, ignem qui non dicit ſufficit, incendium gehennæ quod nunquam deſinat, ſed eos qui peccatis finem ponere noluerunt infinito ardore comburat.

C *Oculum qui ſubſannat patrem & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ.* Peruerſi dum diuina iudicia reprehendunt, ſubſannant patrem, & quilibet hæretici dum prædicationem ſanctæ Eccleſiæ deridendo contemnunt partum matris deſpiciunt, quia de ipſa exeunt, qui contra ipſum loquuntur. *Ex nobis*, inquit, *exierunt, ſed non erant ex nobis*, quorum intentionem dum prædicatores Catholici de ſcripturarum diuinarum fluentis procedentes increpando reuincunt, quaſi oculum nefandum corui de torrentibus effodiunt, *& filij aquilæ comedunt*, Corui etenim vocantur Doctores ſancti, quia per humilitatis gratiam peccati in ſe nigredinem confitentur, Filij autem aquilæ, quia per gratiam eius ſunt renati, qui in habitu aſſumptæ humanitatis ad cœleſtia tranſuolauit, vnde & alibi filij ſponſi appellantur.

Tria ſunt difficilia mihi, & quartum quod penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adoleſcentia ſua. Quantum ad hiſtoriam ita eſt vt ſcriptum eſt, ſed quia per parabolas loquitur, via aquilæ in cœlo difficile inuenitur, hoc eſt, ſubtilitas inimici, qua circa cœleſtium virorum corda

D volitat magno cum labore deprehenditur. Similiter & via colubri ſuper terram, id eſt, aſtutiæ hoſtis venenati quibus inſidiari non deſinit eis, quos in petra fidei fundatos eſſe conſpiciunt, Necnon & via nauis, in medio mari, hoc eſt via iniquitatis quæ per amaras ſeculi huius vndas, immundorum ſpirituum flatibus agitatas, tanta ſubtilitate diſcurrit. Vt vel vix vel nullatenus eius poſſit iter deprehendi. Nam quod aquila malignum hoſtem ſignificet teſtatur Propheta, qui ait,

Thren. 4. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli*, id eſt, homines qui nos perſecuti ſunt, tam ſæui fuerunt, vt ipſis dæmonibus crudeliores eſſe viderentur. Quod coluber diabolum ſæpe inſinuet, & in primi hominis tranſgreſſione probatum eſt. & cum vir ſapiens aiebat, *quaſi à facie colu-*

Eccli. 21. *bri fuge peccatum*, Nauis quoque quod leuitatem deſignet eorum, qui circumferuntur omni vento doctrinæ demonſtrat Propheta qui ait: *Et Chaldæos in nauibus ſuis*

Iſa. 43. E *glorianteſ*, hoc eſt, immundos ſpiritus de fragilitate atque inſtabilitate mentis humanæ ſeſe extollentes *& de illius ruina quaſi victores lætantes.* Sicut ergo illa tam callida ſunt vt inueniri nequeant, ſic adoleſcens, qui viam veritatis deſeruit, difficile cogitatu eſt, quo ſe per omnes horas, in quot cogitamenta, vecors vaga mente declinet.

Et talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ comedit & tergit os ſuum, & dicit, non ſum operata malum. Adulteræ quoque mens in ſimilitudinem eorum quæ commemorauit ſuperius inſtabilis ſemper & vaga eſt, quæ vbi admiſſum turpitudinis ſuæ celare potuerit negat ſe aliquid patraſſe facinoris.

Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Minores videntur in terra ſæpe iuſti, quam reprobi, id eſt, humiliores, & huic mundo abiectiores, ſed tamen ſapientiores ſunt ſapientibus mundi, in eo quod æterna & cœleſtia bona ſapiunt, ac pro his appetendis, quæ illi non norunt, aduerſa quæque ſe- F
culi fortiter pati deſiderant. *Formica populus infirmus qui præparat in meſſe cibum ſibi.* Et eccleſiæ populus, vt fortitudinem mentis cuſtodiat, infirmum ſe temporaliter aduerſarijs ſæuientibus oſtendit, Domino per euangelium dicente: *Ego autem dico vobis non reſiſtere ma-* Matth. 5.
lo, ſed ſi quis te percuſſerit in dextera maxilla tua præbe illi & alteram. Qui in hac vita præparat ſibi fructus bonorum operum, quibus vitam mereatur habere perennem. *Lepuſculus plebs inualida quæ collocat in petra cubile ſuum.* Et hic plebem eccleſiæ deſignat, quæ inualida dicitur, vel quia, vt ſupra diximus, ſuas iniurias vlciſci ipſa non quærit, vel quia ſuis viribus nil fidere, ſed in auxilio redemptoris ſui ſalutem ſperare didicit, & hoc eſt, illam cubile in petra collocare, cuius præſidio aduerſos vitet incurſus, Domino dicente cum Pſalmiſta, *Eſto mihi in lapidem fortiſſimum & in domum munitam, vt ſalues me, quia petra mea & munitio mea tu es.* Pro lepuſculo antiqua tranſlatio Chyrogrillium poſuit, Eſt autem animal non maius hericio, habens ſimi- G
litudinem muris & vrſi, cuius in Paleſtinæ regionibus magna eſt abundantia, ſemperque in cauernis petrarum & terræ foueis habitare conſueuerunt. Notandumque quod in Pſalmo vbi nos canimus Petra refugium herinacijs in quibuſdam codicibus, leporibus, in quibuſdam Chyrogrillis inuenitur, ſed & in hac Salomonis ſententia quædam exemplaria pro lepuſculo herinacium habent. Nam & in libro Hebræorum nominum, inuenimus idem verbum hebræum Saphan, in Hieremia & Chyrogrillum, & leporem & hericium à ſancto Hieronymo interpretatum. *Regem locuſta non habet & egreditur vniuerſa per turmas.* Locuſtam quidam gentium plebem interpretantur, quæ quondam ſine Rege, id eſt ſine Chriſto, ſine Propheta, ſine Doctore, exiſtens, non in vnitatem fidei congregata ad ſpiritalem pugnam contra diabolum properat, poteſt autem in locuſta Anachoritarum concors vnitas accipi, quæ cum homine præceptore, nullo in ſuis latibulis regatur, infatigabili tamen inſtantia in ſuis quæque locis Chriſto militare; & male pullulantia carnalium voluptatum germina conſueuit abſumere. *Stellio manibus nititur &* H
moratur in ædibus Regis. Stellio qui manibus nititur, quia nimirum alas, quibus feratur, non habet, & moratur in ædibus regis, illorum ſignificat humilitatem, qui cũ ſint iuxta naturam tardi ingenio, ſolertia tamẽ induſtriæ ſuæ, vel ad diuinarum notitiam ſcripturarum vel ad virtutum gratiam, quibus ingreſſum regni cœleſtis mereantur attingunt. Plerumq; etenim aues quas ad volandum penna ſubleuat in vepribus reſident, & ſtello, qui ad volatũ pennas non habet, nitens manibus, regni ædificium tenet. Quia nimirum ſæpe ingenioſi quiq; dum per negligentiam torpent, in prauis actibus remanent, & ſimplices quos ingenij penna non adiuuat ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis leuat.

Tria ſunt quæ bene gradiũtur, & quartũ quod incidit feliciter,

A *leo fortiſſimus beſtiarũ ad nullius pauet occurſum Gallus Succinctus lumbos. Et aries, nec eſt Rex qui reſiſtat ei.* Ipſe hoc loco Leo ponitur de quo ſcriptum eſt. *Vicit Leo de tribu Iuda*, qui fortiſſimus beſtiarum dicitur, Quia in illo hoc quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus, qui ad nullius pauet occurſum. Dicit enim; *Venit princeps huius mundi & in me non habet quicquam. Gallus Succinctus lumbos*, id eſt prædicatores ſancti inter huius noctis tenebras *Verum mane nuntiantes*, Qui ſuccincti lumbos ſunt, Quia & membris ſuis luxuriæ fluxa reſtringunt, *Et aries, nec eſt Rex qui reſiſtat ei*, Quem alium hoc loco arietem accipimus? niſi primum intra Eccleſiam ordinem ſacerdotum? De quibus ſcriptum eſt, *Adferte Domino filios arietum.* Qui per exempla ſua gradientem populum quaſi ſubſequentem ouium gregem trahunt, quibus ſpiritaliter recteque viuentibus, nullus Rex ſufficit omnino reſiſtere. Quia cuilibet perſecutor obuiet intentionem eorum non valet præpedire: Et quia poſt hæc autem Antichriſtus apparebit. Hoc quartum ſubdit dicens.

Ioan. 14.

Pſal. 28.

B *Et qui Stultus apparuit poſtquam elatus eſt in ſublime: Si enim intellexiſſet ori impoſuiſſet manum?* Ipſe quippe in ſublime eleuabitur: Cum Deum ſe eſſe mentietur. Sed eleuatus in ſublime ſtultus apparebit; quia in ipſa elatione ſua per aduentum veri deficit: *Quod ſi intellexiſſet, ori impoſuiſſet manum*: Id eſt ſi ſupplicium ſuum eum ſuperbire exorſus eſt præuidiſſet, bene aliquando conditus in tantæ iactatione ſuperbiæ non fuiſſet elatus, De quo nequaquam moueat quia ſuperius dictum eſt; *Quartum, quod incedit feliciter.* Tria quippe incedere bene dixit & quartum feliciter: Non enim omne quod feliciter bene, Neque in hac vita omne quod bene feliciter: Nam Leo, gallus, & Aries, bene incedunt, ſed non hic feliciter: quia perſecutionum bella patiuntur; Quartum vero feliciter & non bene incedit, quia in fallacia ſua Antichriſtus graditur, ſed iuxta breue tempus vitæ præſentis, ipſa illi fallacia proſperatur. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butyrum & qui vehementer emungit elicit ſanguinem.* Vbera fortiter premimus, cum verba ſacri eloquii ſubtili intellectu penſamus, qua

C preſſione, dum lac quærimus, butyrum inuenimus, quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus vbertate internæ pinguedinis vngimur quod nec nimiè nec ſemper agendum eſt, ne dum lac quæritur, ab vberibus ſanguis ſequatur quia dum verba ſacri eloquii pluſquam debent diſcutiunt, in carnalem intellectum cadunt, ſanguinem enim elicit, qui vehementer emunget, quia carnale efficitur hoc quod ex nimia ſpiritus diſcuſſione ſentitur. *Et qui prouocat iras, producit diſcordias.* Quid præcedente parabola iuxta literam ſignificaret apperit, quia qui modeſto ſermone proximum allocutus gratum accipit reſponſum quaſi de vberibus in quibus lac quærebat butyrum exprimit. At qui inepto verbo iram diſcordiamque fraterno ex corde prouocat quaſi vltra modum emungens vbera ſanguinem pro lacte reperit.

VERBA LAMVHEL REGIS. VISIO QVA ERVDIVIT EVM MATER SVA.

D Lamuhel interpretatur, in quo Deus, & ipſe eſt de quo ſupra eodem nomine in latinum verſo dicitur viſio, quia locutus eſt cum quo eſt Deus. Mater autem quæ hanc eum viſionem edocuit, non alia melius, quam diuina gratia intelligitur, quæ illum in corde inuiſibiliter erudiuit intellectu ſapientiæ, quam foris hominibus ipſe miniſtraret, quamuis & ipſa carnalis mater Salomonis hæc eum paruulum docuiſſe recte poſſit intelligi, quæ quidem ipſe, quia ſapienter dicta cognouerit, operi parabolarum ſuarum inferre voluerit, & ideo recte, poſtquam dictum eſt, in titulo *verba Lamuhel Regis*, additum eſt continuo, *viſio qua erudiuit eum mater ſua.* Quia cum in regnum vnctus, ſpiritum ſapientiæ percepit, vidit in eodem ſpiritu quam prudenter ſe mater bona docuerit.

CAPVT XXXI.

E *Quid electe mi, quid electe vteri mei.* Subaudis quid tibi dicam fili, qui de vtero meo natus electus es in regnum. *Quid electe votorum meorum.* Id eſt. Qui electus es in hoc, quod tota deuotione deſiderabam. *Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam.* Patet litteræ ſenſus, ſed & virtutum noſtrarum, ſubſtantias corruptionibus vitiorum contaminare prohibemur. *Et diuitias tuas ad delendos reges.* Diuitias ſuas dat ad delendos reges, qui terrenis delicijs hominum corda corrumpit, ne cœleſtia bona requirant, in quibus perpetuo poſſent regnare cum Domino. Delentur enim Reges per diuitias, quando quilibet ſummi Regis corpori adunati per fidem, nihilominus per illecebras ſeculi merentur eradicari de terra viuentium.

Noli regibus ô Lamuhel, noli Regibus dare, vinum. Et hæc & ſequentia patent, iuxta litteram, Allegoricè autem præcipit, ne vino, in quo eſt luxuria inebriet mentes fidelium, qui ſunt membra regis æterni, *Quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas.* Nil de ſecretis cœleſtibus cogitatur, vbi regnat voluptas carnalis. Sed ea tantum carnales quæ ſunt viſibilia ſectantur. *Ne forte bibat & obliuiſcatur iudiciorum & mutet cauſam filiorum pauperis.* Ne terrenis ebriatus illecebris obliuiſcatur pauperum Chriſti, qui & ipſe pauper eſt factus pro nobis. F

Date ſiceram mærentibus & vinum his qui amaro ſunt animo, bibant, egeſtatu ſua & doloris non recordentur amplius. Siceram & vinum hoc loco, ſempiternam diuinæ ſapientiæ conſolationem dicit, quæ illis eſt exhibenda cordibus, quæ in infimis conſolari refugiunt & quicquid occurrit in præſenti amaro animo ſuſcipiunt, ſolis, quæ nondum vident, gaudijs cœleſtibus tota mente inhærentes, iuxta eum qui dixit, *Negauit conſolari anima mea: memor fuit Dei, & delectatus ſum.* Item, *date ſiceram mærentibus & vinum bibere his qui amaro ſunt animo* &c. His qui pro pœnitudine actuum priſtinorum mœrore atque triſtitia deprimuntur, ſpiritalis ſcientiæ iucunditatem velut vinum quod lætificat cor hominis affluenter infundite, eoſque ſalutaris verbi crapula refouete ne forte iugitate mœroris ac letali deſperatione demenſi abundantiore triſtitia abſcondantur, qui eiuſmodi ſunt. Prou. 31. G

Aperi os tuum muto & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt. Pro cauſa pauperum, qui per ſe loqui in iudicio non valent, ipſe loqui memento, & eos defenſare curato, qui patriæ cœleſtis intuitu huius vitæ viam ocius tranſire ſatagunt. Aliter os aperire muto præcipit, populo gentium fidei verbum prædicare, qui diuina eloquia prius perſonare neſciebat, & non tantum Iudæis, ſed & cunctis per orbem nationibus curam ſalutis impendere. *Aperi os tuum decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem.* Sicut in verſu ſuperiore pro cauſa & in ereptione pauperis os aperire præcepit, ita in iſto ipſum pauperem vbi errauerit, iuſte caſtigare ac iudicare admonet. Iuxta quod & Moyſes ait. *Et pauperis in iudicio non miſereberis.* Quod vtrumq; Dominum facere propheta inſinuat dicens. *Sed iudicabit in iuſtitia pauperes & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* Exod. 33. Iſa. 11.

HVC VSQVE VERBA LAMVHEL.

H Hinc ſapientiſſimus regum Salomon laudes ſanctæ eccleſiæ verſibus paucis ſed pleniſſima veritate decantat. Conſtat namq; idem carmen verſibus viginti & duobus. Iuxta ordinem videlicet Hebræorum ac numerum literarum. Ita vt ſinguli verſus à ſingulis literis incipiant. Cuius ordine perfectiſſimo Alphabeti typice innuitur, quam pleniſſime hic vel animæ cuiuſq; fidelis, vel totius ſacræ eccleſiæ quæ ex omnibus electis animab. vna perficitur. Catholicæ virtutes ac præmia deſcribantur.

Mulierem fortem quis inueniet, & de vltimis finibus pretium eius. Mulier fortis eccleſia Catholica vocatur, Mulier videlicet, quæ ſpiritales Deo filios, ex aqua & Spiritu ſancto, gignere conſueuit; fortis, quia cuncta ſeculi aduerſa ſimul & proſpera pro conditoris ſui

fide

A fide contemnit quam ipſe in carne apparens, infirmam quidem inuenit, ſed inuentione ſua, hoc eſt pia viſitatione fortem reddidit, vnde poſt eius redemptionem ad cœlos rediens ſupernis ciuibus gaudens aiebat, *Congratulamini mihi quia inueni ouem quæ perierat*, (Luc. 15.) Videns ergo Salomon genus humanum innumeris implicatum erroribus, quodque ad eius ſaluationem nullus Patriarcha, nullus Propheta, nullus omnino electorum, præter ſolum mediatorum Dei & hominum ſufficeret, ait, *Mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius*; Ac ſi aperte futuram Domini gratiam, admirando proteſtetur, quis tantæ virtutis, quis talis eſt meriti, qui de tot incredulis ac ſceleſtis mundi nationibus, vnam ſibi electorum eccleſiam congregat, quam ſua gratia fortem atque inſuperabilem, aduerſantibus cunctis efficiat.

Non hic certe noſtri ſimilis, non noſtro eſt tempore venturus, ſed in fine ſeculorum eſt de cœlo Deus homo deſcenſurus, qui nos ſua paſſione ac morte redimat, hoc eſt enim, quod ait, (B) *procul & de vltimis finibus pretium eius*, procul videlicet ſtatu temporis quod à diebus Salomonis vſque ad partum virginis intererat, de vltimis autem finibus, quia à ſummo cœlo egreſſio eius, qui non aliud pro noſtra redemptione pretium quam ſeipſum obtulit, Vnde Apoſtolus, *Qui*, inquit, *dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*. (Epheſ. 5.) Quamuis & ita recte poſſit intelligi pretium ſanctæ eccleſiæ procul poſitum fuiſſe, quia incarnatio verbi Dei conuerſatio inter homines paſſio, ac reſurrectio longe à noſtræ eſſet naturæ conditione diſcreta. Quoniam videlicet ille & quando voluit & de qua voluit matre natus eſt, & ſine peccato vixit in mundo, & quando voluit & qua voluit morte diſceſſit à mundo, tempus quoque reſurrectionis & aſcenſionis ſuæ in poteſtate habuit, & cum huiuſmodi in quibus tam à nobis procul, quam cœlum diſtat à terra, quia vero eccleſiam quam redemit Dominus, non ſolum verbum ſalutis ſuſcipere, ſed & conſtanter pro illo certare, & hoc (C) ipſum per mundum prædicare donauit merito ſubiungitur.

Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Virum ſacræ eccleſiæ Dominum ac redemptorem eius, qui etiam pretium eius fieri dignatus eſt dicit, vnde & Apoſtolus credentibus ait, *deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, (2. Cor. 11.) Quod ergo dicitur, *confidit in ea cor viri ſui*, Ab humana nimirum conſuetudine tractum eſt. Sicut enim is qui fortem fidelemque & caſtam habet coniugem, confidit in ea certiſſimè quia nil contra ſuam voluntatem agere, nulla adulterina ſaltim cogitatione poſſit attaminari, cuncta pro ſuo amore etiam aduerſa libenter tolleret, & quoſcunque valet ad ſuam amicitiam conuertere deſideret; ſic nimirum, ſic Dominus & Redemptor noſter in Eccleſia confidit, nouit enim ſpiritum gratiæ quem dedit, Nouit virtutem charitatis quam eius præcordijs infudit. Ideoque non dubitat eam non ſolum à ſuæ fidei integritate nequaquam poſſe corrumpi; ſed etiam perſeueranter inſiſtere vt (D) plures ad eiuſdem fidei congreget vnitatem. Hoc eſt enim quod ſequitur; *Et ſpoliis non indigebit*, Spoliat enim diabolum eccleſia, cum per prædicatores ſuos eos quos ipſe deceperat ad veritatis iter reuocauit, & bene dicitur, *ſpoliis non indigebit*, quia nunquam ceſſabit eccleſia liberatas à diabolica fraude animas Chriſti fidei reſtituere, donec completo mundi curſu ſuorum quoque præfinita compleatur ſumma membrorum. Verum quia quicquid boni ſancta eccleſia vel anima quæque fidelis agit, hoc deſuper accipit, recte ſubditur.

Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Reddit quippe anima Chriſto bonum, cum perceptis ab eo vitæ muneribus recte viuendo reſpondet, cum ea quę ipſa ſcire vel facere ab illo adiuta potuit etiam alijs intimare ſatagit. (E) Bene autem cum dixiſſet *reddet ei bonum*, protinus addidit, *& non malum*. Quia ſunt profecto qui acceptis à Domino bonis mala rependunt, vel fidei myſteria, quæ perceperunt hæretica fece, fœdando vel fidem quam profeſſione ſeruant, prauis operibus blaſphemando, vel mores bonos, quibus cum fide recta deſeruiunt per colloquia mala corrumpendo, ſed nec illi bona quæ acceperunt, Domino reddunt qui non in his quæ bene inchoant vſque ad finem vitæ præſentis perſiſtere curant, vnde merito cum dixiſſet, *reddet ei bonum & non malum*, vt perſeuerantiam boni neceſſariam demonſtraret adiunxit, *omnibus diebus vitæ ſuæ*, cui ſimile eſt illud euangelicum. *Seruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris*. (Luc. 1.) Quibus ſane operibus, quibus iuſtitiæ vel ſanctitatis fructibus potiſſimum ſit inſiſtendū ei, qui bonum quod accepit, Domino gratus rependere ſatagit, ſubſequenter inſinuatur cum dicitur.

Quæſiuit lanam & linum & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Huius principium verſiculi fortis mulier, hoc eſt ſancta eccleſia etiam iuxta literam accipere & obſeruare (F) conſueuit iuxta illud propheticum, *Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*, (Iſa. 58.) Operatur autem non ſuperuacuo & cœco labore, ſed eo vtriq; conſilio vt ab ipſo ſuo viro Domino videlicet Chriſto in iudicio mereatur audire, *Nudus fui & operuiſti me, & quamdiu feciſtis vni de his minimis meis mihi feciſtis*. (Matt. 25.) Operatur autem conſilio manuum ſuarum, hoc eſt earum perſonarum, per quas eleemoſynam pauperibus tribuit, in quorum opere deuoto illo ſaluberrimo vtitur conſilio vt cum diſpergit, dat pauperibus, non ipſa ab hominibus laudetur ad tempus, ſed iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltetur in gloria. Poſſunt autem myſtice in lana qui ouinus eſt habitus omnia pietatis & ſimplicitatis opera quę proximis impendimus accipi: Poteſt in lino quod ex terra virens oritur, ſed longo ac multiplici exercitio amittit humorem natiuum atque ad gratiam noui candoris peruenit, caſtigatio noſtræ carnis intimari, cui dum ingenitas vitiorum ſordes per continentiam excoquimus, dignam profecto eam qua Chriſtum induamus efficimus, iuxta illud Apoſtolicum. *Quotquot ergo in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*, (Gal. 3.) Quærit ergo mulier fortis lanam & linum & operatur conſilio manuum ſuarum, cum eccleſia ſancta ſollicite perquirit, (G) quibus ſe pietatis fructibus exerceat, quomodo à carnalibus emundet illecebris, & hoc vtrumque conſilio prudentiſſimo, hoc eſt, ſupernæ ſolummodo retributionis facit intuitu, cuius retributionis ſequens quoque verſiculus apertius meminit, dum ſubditur.

Facta eſt quaſi nauis inſtitutoris de lōge portans panē ſuum. Inſtitutorem negotiatorem dicit qui pro eo ſic vocatur ab antiquis, quod acquirendis multiplicandiſq; mercibus ſedulus inſiſtat, facta eſt ergo fortis mulier quaſi nauis inſtitoris quia ſicut nauis inſtitoris onuſta mercimonijs, quæ in ſua patria magis abundant, porro per mare petit peregrina, vt illic venditis, quæ attulerat cariora domum reportet; ſic nimirum ſancta Eccleſia, ſic anima quæque perfecta virtutum diuitijs gaudet onuſtari, quibus maiora diuinæ gratiæ dona mercetur. Optimum eſt namque commercium, cum bona, quæ valemus, operantes primo hanc à Domino mercedem recipimus, vt ad maiora ſemper agenda proficiamus, de hinc & vitā percipimus ſempiternā, (H) facta eſt ergo anima ſancta quaſi nauis inſtitoris quæ tranſit deſiderio fluctus ſeculi præſentis, ſola quæ ſe in cœlis accipere ſperat æterna gaudia meditatur, & pro his abundantius adipiſcendis quicquid valet inſtanter agere, quicquid aduerſum occurrerit, fortiter ſuperare cōtendit. De qua recte dicitur, *Quia longe portat panem ſuum*, (Prou. 31.) quia in cunctis quæ temporaliter bona agit, æternam ſolummodo retributionem expectat. Solam viui panis ſaturitatem deſiderat, eius nimirum qui ſuis auditoribus piè potenterque promittit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos*; (Matt. 11.) At contra in proximo panem ſuum recipit & non hunc de longe trans maria portat, qui in eo quod iuſte viuere videtur humani tantum fauoris præmia expetit, neque vllo vitæ per-

manen-

A manentis intuitu, ea quæ in imis labuntur exuperare
Matt.6. & calcare ſatagit; de qualibus ipſe terribiliter intonat,
Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.

*Et de nocte ſurrexit deditque prædam domeſticis ſuis & ci-
baria ancillis ſuis*, ſicut totus labentis ſæculi curſus, peren-
ni diei ac noctis alternatione variatur, & dies quidem
ad operandum, nox ad quieſcendum naturaliter con-
dita eſt, ſic totum præſentis eccleſiæ tempus, gemino
quodam quietis & operis ſtatu decernitur, quaſi e-
nim nocte quieſcit, cum aliqui fidelium eius inter-
miſſa ad tempus ſollicitudine externa ſibimet vacare, ſe-
que ipſos ſpiritaliter incipiunt curare, vel lectionibus
videlicet ſacris vel orationibus, ac lacrymis ſeſe vel alijs
huiuſmodi ſtudijs ſecretius exercendo, ſurgit autem de
nocte, cum in eiſdem ſuis fidelibus ad agendam etiam
proximorum curam ſe ſollicita accingit, quod frater-
næ adminiſtrationis opus duobus modis exercere con-
ſueuit. Quia & eos qui foris errabant ad fidei gra-
tiam conuocat, & illos qui fidei ſacramentis iam ſunt
B imbuti, vt bonis operibus amplius inſiſtant excita-
re non deſinit, vnde bene dicitur, *Deditque prædam
domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*, Dat namque præ-
dam domeſticis ſuis, cum eos quos antiquo hoſti do-
cendo eripere potuit, ſocietati illorum, qui in fide
præceſſere, reconciliat; dat & ancillis cibaria, cum
humiles quosque debito timore, ſua iuſſa ſeruantes, ne
ſub pio labore laceſcant, ſupernæ mercedis commemo-
ratione reficit.

*Conſiderauit agrum & emit eum, de fructu manuum ſua-
rum plantauit vineam.* Agrum dicit poſſeſſionem ſuper-
næ hæreditatis de qua benedicens filium Patriarcha lo-
Gen.27. quitur, *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni; cui benedixit
Dominus. Odor quippe ſanctorum eſt ſicut odor agri pleni
cui benedixit Dominus*, quia tota mentis intentione con-
tinentur, quæ ſit plenitudo benedictionis in patria
regni cœleſtis conſiderauit ergo eccleſia agrum & emit
eum, quia ſtudioſè didicit quæ ſint gaudia vitæ peren-
nis, & pro eorum perceptione quicquid potuit labora-
re contendit, quæ etiam de fructu manuum ſuarum
*for: ſi- plantauit vineam, quia de fructiferis fidelium ſuo-
ue rum, factis *ſibi verbis *ſcripturarum ſanctam condi-
*for: ſcri dit, per quam mentes audientium in fide & dilectio-
pturam. ne ebriaret ſui redemptoris. Nec ab re eſt, ſi vi-
C neæ nomine ipſam eccleſiam, quæ per mulierem for-
tem eſt deſignata, ſentiamus eſſe figuratam, & eos eſſe
propagines vineæ, qui ſunt filij mulieris; Mulier au-
tem vineam plantauit, cum eccleſia primitiua, latius
per orbem miſſis prædicatoribus fidei ſemina diſper-
ſit. Conſiderauit namque agrum cum per orbem v-
niuerſum vitiorum ſpinetis horrentem cultore ſpirita-
li opus habere perſpexit, Emit vero eum, cum miſſis v-
bique doctoribus, talentum verbi auditoris contulit,
vt eos credentes, fœliciſſimo Chriſti mancipatui ſub-
deret, plantauit autem in eodem agro vineam, cum
in nouis credentium populis eccleſiam plena euange-
licæ veritatis inſtitutione firmauit, quam quidem vi-
neam de fructu manuum ſuarum plantauit, quia
non ſolum verbo inſtituebant Apoſtoli, Apoſtolo-
rumque ſucceſſores, populos quos erudiebant, ve-
rum etiam teſtimonium bonæ operationis miraculo-
rum quoque ſigna verbis doctrinæ iungebant, ſed &
vſque in die, immo vſque ad finem ſeculi mulier for-
D tis conſiderat agrum & emit eum, ac de fructu ma-
nuum ſuarum plantat vineam; quia ſancta eccleſia
ſemper ſollicita perquirit quos ad fidem conuertere poſ-
ſit, & quoſcunque dociles inuenerit, hos data verbi pe-
cunia in ſeruitium Chriſti emit, atq; in eis vineam Chri-
ſti plantare vel potius eos vineam Chriſti facere ſatagit,
& quia quiſquis alterum docere deſiderat, primo ipſe &
à malis abſtinere, & bonis ſe debet actibus exercere, re-
cte ſubiungitur.

*Accinxit fortitudine lumbos ſuos & roborauit brachium
ſuum.* Accinxit ergo eccleſia lumbos ſuos fortitudine,
cum ſuper notum deſiderijs intenta carnalibus illece-
bris ſuce umbere deſpexit, roborauit brachium ſuum,
E rum ſe ad agenda virtutum opera præparauit. Et be-
ne primo lumbos fortitudine accingere, ac poſtmo-
dum roborare dicitur, quia nimirum actio boni operis
acceptabilis eſſe Deo minime valet ſi non fluxa luxu-
riæ, quis prius à carne ſimul & mente reſtringat, vnde
Propheta, *Quieſcite*, inquit, *agere peruerſe diſcite bene face-* Iſai.1.
re, Et Dominus ipſe, *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ
ardentes.* Lumbi videlicet præcincti, ne luxuriæ ſub-
damini, lucernæ vero ardentes, vt bonis fulgeatis ope-
ribus.

*Guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius non extin-
guetur in nocte lucerna eius.* Quod ait, *negotiatio eius*, agri
vtique ſignificat illius, de quo ſupra ait, *Conſiderauit a-
grum & emit eum*, Guſtauit igitur eccleſia ſancta, gu-
ſtauit anima quæque perfecta, id eſt, intimo men-
tis deſiderio cognouit, quia bona eſt negotiatio vi-
tæ immarceſcibilis, quam relictis illecebris tempora-
libus, æternam mercemur in cœlis, guſtauit etiam,
id eſt, aperte didicit, quia bonum eſt per inſtan-
F tiam prædicandi quoſcunque valet ad vitam verita-
tis adducere, atque ideo nullis tribulationum tene-
bris, nec ipſa morte poſt eſt, Lucerna nocte extin-
guitur, quamuis in die videtur ardere, qui ſicut Domi-
nus ait, *ad tempus credunt & in tempore tentationis rece-* Luc.8.
dunt, ſed & illorum nocte media extinguitur lucerna,
qui veniente iudice oleum charitatis in vaſis præcordio-
rum ſuorum non habuiſſe probantur, dum perdito falſa-
rum rumore virtutum, vera tenebroſorum luunt tor-
menta factorum. Quod ſi noctem hoc loco, pro qui-
ete volumus accipere, iuxta hoc, quod ſupra dicitur.
Et de nocte ſurrexit, id eſt, ad operandum ſe poſt quie-
tem præparauit, apte dicitur, quod lucerna ſanctæ
Eccleſiæ non extinguatur in nocte, quia & cum à ne-
gotio quieſcit actionis vacat liberius luci ſupernæ con-
templationis, cumque à publicis ceſſat operibus, cu-
rat ſe ardentius vel auditui ſanctæ lectionis, vel laudi-
bus mancipare diuinis, iuxta exemplum videlicet mu-
lieris induſtriæ, quæ non ſolum interdiu neceſſarijs
ſolet inſtare laboribus; ſed & noctu ſæpius accenſo
lumine lucernæ parilem rei familiaris agere curam.

*Manus ſuas miſit ad fortia & digiti eius apprehenderunt
fuſum.* Fortia dicit perfecta in Chriſti charitate ope- G
ra, quibus ſe gaudens eccleſia certa ſupernæ retribu-
tionis exſpectatione ſubdidit, verbi gratia, *Audiſtis* Matth.5.
*quia dictum eſt, Diliges proximum tuum & odio habebis in-
imicum tuum, ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros be-
nefacite his qui oderunt vos* &c. Et de virginitate ſer-
uanda, *qui poteſt capere capiat.* Et de contemnendis Matt.19.
diuitijs. *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade, vende quæ* Matt.19.
habes & da pauperibus & cætera. Nam populus Syna-
gogæ, cui dictum eſt, *ſi volueritis & audieritis bona
terræ comedetis.* Tanto infirmior erat in opere iuſti-
tiæ, quanto minus ſpe perpetuæ remunerationis
erectus, At eccleſia quæ audit à Domino, *Pœniten-* Matth.4
tiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, meri-
to per huius præceptionem dura quoque longanimiter
ſuffert, Vnde rurſum de eius fortitudine dicit. *Regnum* Matth.11
cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, *Et digiti*,
inquit, *eius apprehenderunt fuſum*, ſolent fœminæ
mentes fuſum in dextera, colum tenere in ſiniſtra,
in colo enim lana inuoluta eſt, quæ filo ducenda &
nendo tranſeat in fuſum. Sæpe autem in ſcripturis
dextera vitam perpetuam, Læua præſentia Dei H
dona ſignificat, Opulentiam videlicet rerum, pa-
cem temporum, ſoſpitatem corporum, ſcientiam
quoque ſcripturarum & cœleſtium perceptionem
ſacramentorum. Hæc & huiuſmodi bona cum
Domino largiente percipimus quaſi lanam colo in-
uolutam in læua geſtamus, at cum ea pro amo-
re cœleſtium ſalubriter exercere incipimus, iam
lanam agni immaculati de colo in fuſum, de læua
in dexteram traijcimus. Quia de bonis noſtri re-
demptoris, de exemplis operum eius ſtolam nobis gloriæ
cœleſtis ac veſtem charitatis nuptialem facimus. Digi-
ti namque quibus apprehendere fuſum dicimur, ipſam

intentionem

A intentionem diſcretionis, qua quiſque operatur inſinuant. Ea nimirum ratione, quia nulla corporis noſtri membra, pluribus ſunt diſtincta articulis ac flexibus apta quam digiti. Quicunque ergo veraciter dicere cum Apoſtolo poteſt, *Noſtra enim conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam*
Philip. 3. *ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, huius profecto digiti dextri apprehenderunt Ieſum, quia diſcretione ſedula pro æternis bonis laborare didicit, & bene dicitur, *Apprehenderunt* vt viuacius commendetur quanto ſtudio quanta feſtinatione, in huius vitæ incerto pro certis apud Deum præmijs agere debeamus, quid autem mulier fortis, id eſt, eccleſia ſancta vel anima quæque perfecta per fuſum intellectualem ſit operata ſubſequenter aperitur.

Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Quod & de operibus eleemoſynarum quæ generaliter fiunt in pauperes accipi poteſt; Sed melius de verbo Dei, quod indumentum ſalutis animabus confert intelligitur. De quo beatus Iob, gloriatur dicens:
Iob 29. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento & diademate*
B *iudicio meo.* Aperuit autem eccleſia manum inopi cum myſteria fidei ignorantibus, per operarios veritatis reuelauit, palmas extendit ad pauperem, cum longe lateque prædicatores ad imbuendas æternæ ſalutis indigas nationes diſperſit.

Non timebit domui ſuæ, à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti duplicibus. Frigora niuis corda ſunt reproborum, perfidiæ ſuæ torpore rigentia, de quibus ait Dominus.
Matt. 24. *Et quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*, Qui illa vtique niue peſſime qui ob primæ ſuperbiæ meritum de cœlo corruens, in profunda tenebrarum, nihilominus ſe velut angelum lucis adhuc ſtultis oſtentare præſumit, habitumque meritorum ſuorum candori niueo ſimilem fraudium ſuarum neſcius, præfert, quod quidem Domini & Angelorum eius eſt proprium, in habitu niueo claritatem ſuæ deſignare virtutis. Non timebit autem eccleſia domui ſuæ, à frigoribus memoratæ niuis, quia Domino pollicente credit quod portæ inferi non præualebunt aduerſus eum, *Omnes enim*
C *domeſtici eius veſtiti duplicibus*, & ſapientia videlicet ad repellendas hæreticas falſorum fratrum doctrinas & patientia ad tolerandas apertorum hoſtium pugnas, vel certe veſtiti ſunt duplicibus quia promiſſionem habent vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, nunc in peregrinatione temporali, diuino auxilio ne deficiant adiuti, Tunc in patriæ perpetis habitatione diuinæ gratia viſionis vt fœlices ſemper viuant alleuati: Item domeſtici eius induti veſte ſunt duplici vna operis, altera mentis fidei habentes factorumque velamina, & ſacramentis videlicet ſui redemptoris imbuti, & informati exemplis, ſic enim ſit
Gal. 3. illud Apoſtoli. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*, Poſſunt autem frigora niuis, etiam tormenta æterna intelligi, quæ igni & frigore mixta eſſe legimus.
Matth. 8. Cum dicitur, *Vbi erit fletus & ſtridor dentium*, fletum quippe oculis ignis & fumus, ſtridorem vero dentibus ſolet frigus gignere, vnde & beatus Iob. de pœnis reprobo-
Iob 24. rum loquens æternis, *ad calorem*, inquit, *nimium tranſibunt, ab aquis niuium*, ſed ab his eccleſia domui ſuæ non timebit, quia quicunque pereunt, ad domum illius non pertinebant, nec veſte ipſius ſpiritali erunt induti, tametſi myſterijs eius ad tempus videbantur inſtituti, deni-
D que legimus in euangelijs, eiectum de domo conuiuij illius hominem, qui veſtibus operum immundis hanc intrare præſumpſerat, & in tenebras exteriores vbi eſſet fletus & ſtridor dentium eſſe proiectum. Merito vtique in frigora pœnæ religatum, quia indumentum pietatis habere neglexerat.

Stragulatam veſtem, fecit ſibi byſſus, & purpura indumentum eius. Stragulata veſtis, quæ variante textura ſolet firmiſſima confici, fortia eccleſiæ opera & diuerſa virtutum eius ornamenta ſignificat. De quibus Propheta, *in ſummi Regis viri videlicet illius laude cecinit. Aſtitit Regina à dextris tuis, in*
Pſal. 44. *veſtitu deaurato circumamicta varietate byſſus quoque & purpura indumentum eius.* Byſſus in caſtitate puræ conuerſationis, purpura in effuſione pretioſi ſanguinis. Byſſus namque candidi coloris eſt, purpureus autem color & de
E ſanguine animantis quod purpura vocatur efficitur, & ipſe ſanguinis habet ſpeciem. Vnde pulchre dictum eſt à patribus, quia ſancta eccleſia electorum floribus vernans in pace habet lilia, in bello roſas, item quia byſſus de terra virens oritur, ſed per exercitationes, longas, & multifarias amiſſo humore ac virore natiuo, ad decorem candidæ veſtis perducitur, purpura autem regalis eſt habitus, byſſo induitur eccleſia, cum caſtigant corpora ſua electi & ſeruituti ſubijciunt, purpura autem, cum eandem continentiam, non ob fauorem vulgi, ſed pro acquirenda beatitudine regni perennis exercent; Sed hic virtutum habitus, in præſenti quidem neſcientibus videtur contemptibilis, ſed in futuro, qualis fuerit manifeſte patebit. Vnde pulchre in Apocalypſi ſua Ioannes, Sanctorum ſe vocem audiſſe refert. Dicentium. *Gaudeamus & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt ei vt cooperiat ſe byſſinum ſplendens*, candidum. Byſſinum enim, iuſtificationes ſunt ſanctorum. Apoc. 19.

Nobilis in portis vir eius quando ſederit cum ſenioribus terræ. Vir ſanctæ Eccleſiæ, vir cuiuſque fidelis animæ Dominus eſt, qui videbatur ignobilis, cum ante tribunal præſidis ſtaret iudicandus, cum probra, flagella, ſputa, & ipſam crucis mortem ſuſciperet; ſed nobilis apparebit cum venerit iudicaturus orbem in æquitate, & omnes Angeli cum eo, *tunc ſedebit*, inquit, *in ſede maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit ab inuicem*, Et reliqua. *Nobilis*, inquit, *in porta vir eius*, quia veteres in portis ſedere ad iudicandum ſolebant, vt venientes ad ciuitatem aliunde paratum continuo reſponſum iudicantis acciperent, & nec ruſticos vel paſtores inſolita vrbis ædificia ſtupefacerent, nec ruſſum pacem vrbis inteſtinecam, frequens litigantium controuerſia fœdaret, Nobilis ergo erit Dominus in portis ſuæ ciuitatis, quia qui etiam nunc contemnendus putatur à multis. Vbi ſeculi finis adfuerit vbi ingreſſum patriæ cœleſtis aperuerit electis, iam cunctis patebit ſublimis, ſedebit autem cum ſenatoribus terræ, illis videlicet quibus ipſe promittit dicens, *Amen dico vobis quod vos, qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* F G Mat. 14.

Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. In linteo ſyndonis ſubtilis intexio ſignatur, ſanctæ prædicationis, in qua molliter quieſcit, quia mens in illa fidelium ſpe ſempiterna refouetur, vnde & Petro, animalia in linteo demonſtrantur, quia peccatorum animæ, miſericorditer aggregatæ in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo ſindonem fecit, & vendidit, quia fidem, quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam tectæ conuerſationis accepit, quæ & Chananæo cingulum tradidit, quia per vigorem demonſtratæ iuſtitiæ, fluxa opera gentilitatis aſtruxit, vt hoc quod præcipitur viuendo teneatur, *Sint lumbi veſtri præcincti*, Bene etenim nomine Chanan, qui & gentilium populum procreauit, & interpretatur commutatus, conuerſa ad fidem gentilitas deſignatur, quæ fœliciſſima commutatione à vitijs ad virtutes à diabolo tranſmigrauit ad Chriſtum, vnde & in eiuſdem laudem Pſalmus quadrageſimus quartus ſcribitur, cuius titulus eſt, in finem pro his qui commutabuntur filijs Choræ, canticum pro dilecto, filij autem Choræ, filij Caluariæ interpretantur, qui ſunt filij Dominicæ crucis dicentes, *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quomodo autem commutentur ſequentia Pſalmi eiuſdem docent, vbi dilectus ipſe id eſt Dominus ſcilicet eccleſiæ dicit, *Audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui*, Commutari namque illam deſiderat, quam vt filiam habere valeat domum patris prioris, id eſt, hoſtis antiqui iubet obliuiſci. Luc. 12. H Galat. 6.

Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo. Fortitudo ad tolerandam peruerſorum improbitatem,

A tem, decor ad exercendam virtutum gratiam, decor quia
operatur iuſtitiam, fortitudo, quia perſecutionem pati-
tur propter iuſtitiam, & ideo ridebit in die nouiſſimo, id
eſt, gaudebit in retributione regni cœleſtis, quæ dolebat
in certamine vitæ præſentis. Mos etenim ſcripturæ eſt
Luc. 6. pro gaudio riſum ponere, ſicut & Dominus ait, *Beati qui
nunc fletis, quia ridebitis*, & beatus Iob, *Os autem veracium re-
plebitur riſu*, ſimilem tane huic ſententiam Propheta de
Domino ac ſaluatore huius fortiſſimæ mulieris poſuit,
Pſal. 92. dicens, *Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus for-
titudinem*. Cum enim prædicaret euangelium regni, alijs
placebat, alijs diſplicebat, alij bene loquebantur, alij de-
trahebant, lacerabant, mordebant, conuitiabantur, ad
eos ergo quibus placebat, decorem induit, eos quibus
diſplicebat fortitudinem. Imitare ergo & tu Dominum
tuum, vt poſſis eſſe veſtis ipſius, eſto cum decore ad eos,
quibus placent bona opera tua; eſto fortis aduerſus de-
tractores.

Os ſuum aperuit ſapientiæ & lex clementiæ in lingua eius. Ad
B hoc tantum loquens, os aperuit, vt ſapientiam doceret,
Epheſ. 4. iuxta illud Apoſtoli, *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non
procedat*, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det
gratiam audientib. vel certe os cordis aperuit ad diſcen-
dam ab ipſa ſapiẽtia interius veritatem, quam alios foras
doceret, vtrique autem ſenſui, quia vtrumque facit ec-
cleſia concinit apte quod ſequitur, *& lex clementiæ in lin-
gua eius*, illa videlicet, vt non ſtatim more legis Moſaicæ,
peccantes puniret, cuius exemplum clementiæ ab ipſa
Dei ſapientia Domino & ſaluatore noſtro manifeſtè per-
Ioan. 8. cepit, cum oblata ei peccatrice muliere, *Si quis*, inquit, *ſine
peccato eſt prius in illam lapidem mittat*, & ſic eam crimine
quod patrarat, ſub conditione amplius non peccandi
miſeratus abſoluit.

Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.
Semitas domus ſuæ conſiderat, quia cunctas ſuæ conſci-
entiæ cogitationes ſubtiliter inueſtigat, Panem otioſa
non commedit, quia hoc, quod de ſacro eloquio intelli-
Videtur gendo perceperit, ante æterni iudicis oculos exhibendo,
aliquid patriæ cœleſtis. Semitæ domus illius præcepta iuſtitiæ,
deeſſe. quibus ad æternæ vitę manſionem peruenitur, quas pro-
C fecto ſemitas anima bene conſiderat, cum & diligenter,
quibus actibus ad ſuperna perueniri debeat inſpicit, &
quæ agenda didicit ſedula exercere non deſinit, panem
quoque otioſa non comedit, cum ſacrificium dominici
corporis percipiens ſtudet imitari actu quod in myſterio
celebrat multum ſollicita, ne indigne panem Domini
comedendo & calicem bibendo, iudicium ſibi mandu-
cet & bibat. Sed vt patiendo pro Chriſto ac lachrymas
fundendo, bonis quoque actibus inſiſtendo, paſſionem
& exempla ipſius quantum valet ſequatur, poteſt & ſim-
pliciter accipi, quod panem otioſa non comedat mulier
2. Theſ. 3. fortis, iuxta illud Apoſtoli, *Qui non operatur nec manducet*,
& ipſe de ſe quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his
qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Vnde meri-
to luxuriantes viduas arguens adiungit, *Simul autem & o-
1. Tim. 5. tioſæ diſcunt circumire domos*, non ſolum otioſæ ſed verbo-
ſæ & curioſæ.

*Surrexerunt filij eius & beatiſſimam prædicarunt, & vir eius
laudabit eam.* Quod futurum pro certo nouerat more
Prophetico quaſi iam factum refert, ſurgent enim filij
D eccleſiæ videlicet omnes electi, in nouiſſimo carnis mor-
talitate donati, & tunc matrem ſuam, quæ eos ex aqua &
Spiritu ſancto Deo genuit beatiſſimã prædicant quæ nũc
ab infidelibus quaſi miſera contemnitur, & reuera ſicut
1. Cor. 15. Apoſtolus ait, *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto
miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, quia vero pro vita a-
lia in præſenti militamus, merito cum apparuerit, quid
erimus matrem noſtram quæ ex omnibus iuſtis collecta,
vna Chriſti columba, ſponſa & amica vocatur beatiſſi-
mam prædicabimus.

Matt. 25. *Surget & vir eius, & laudabit eam dicens in iuditio. Venite
benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitu-
tione mundi, eſuriui enim & dediſtis mihi manducare* &c. Qui
quidem ipſe primitię dormientium reſurrexit à mortuis,
ſed in die iudicij manifeſtius omnibus quos ſua laude
dignos iudicauerit, quanta ſit eiuſdem ſuæ reſurrectionis E
gloria demonſtrauit. Poteſt etiam hoc quod dicitur, *Sur-
rexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt*, & etiam in
hoc tempore conuenienter accipi. Cum quilibet fideliũ
tranſcenſis ſeculi ærumnis ad cœleſtia regna perducun-
tur, ſedere namque ad humiliationem aliquos, ſurgere
ad gloriam pertinet, vnde dicitur *Olim in cilicio pœniterent*,
id eſt, humiliati, & Propheta, *à facie manus tuæ ſedebam ſo-
lus, quia comminatione repleſti me*, ſed & Pſalmiſta, *Vanum eſt* Ierem. 15.
vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui mandu- Pſal. 126.
catis panem doloris, quod eſt aperte dicere, quid in præſenti
quæritis gaudere? quod electis in futuro reſeruatur. Non
enim poteſtis in hac vita, id eſt, ante lucem ſupernæ retri-
butionis, gloriam veræ fœlicitatis habere, quin potius
poſtquam hic humiliati fueritis ad tempus, illic vos in
perpetuum veraciter exaltandos ſperate, vos quibus a-
marum eſt omne, quod ſeculi amatoribus iucundum vi-
detur & dulce, ſurgunt ergo filij eccleſiæ, & beatiſſimam
prædicant, cum cœleſtibus bonis ſublimati quanta ſit il-
lius patriæ beatitas, cuius participes eſſe meruerunt aſpi- F
ciunt, & hanc debita laudatione in diuina viſione con-
celebrant, Laudat eam & vir ipſius, cum bona quæ ipſe
donauit remunerat, quibus autem verbis eam laudet
conſequenter oſtenditur, cum dicitur.

*Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuer-
ſas.* Multas filias eccleſias dicit, hæreticorum & malorum
turbas catholicorum, quæ filiæ dicuntur vel Chriſti vel
Eccleſiæ, quod etiam ipſæ ſunt dominicis renatæ ſacra-
mentis, & adoptionem filiorum quam cuſtodire cœpe-
runt, vnde & Iohannes ait. *De nobis exierunt ſed non erant ex
nobis*, quæ congregauerunt diuitias videlicet bonorum
operum, orationes, ieiunia, eleemoſynas afflictionem &
caſtimoniam carnis continentiam linguę, meditationem
ſcripturarum & cætera huiuſmodi, quæ ſunt veræ diuitię
ſpiritus, vbi pura mentis ſimplicitate geruntur, vbi au-
tem ſine fide quæ per dilectionem operatur fiunt, nihil
agentibus proſunt, ſed & illæ filiæ fruſtra congregarunt
diuitias, de quibus Dominus ait, *Multi dicent mihi in illa die* Matt. 7.
*Domine Domine, Nonne in nomine tuo prophetauimus? & in tuo
nomine dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas feci-
mus? & tunc confitebor illis quia nunquam noui vos*, ſed omnes
iſtiuſmodi filias eccleſia Catholica ſupergreditur, quæ G
fide caſta & opere perfecta, redemptoris ſui veſtigia ſe-
ctatur.

*Fallax gratia & vana eſt pulchritudo, Mulier timens Domi-
num ipſa laudabitur.* Fallax eſt gratia laudis, quam ab ho-
mine accipit, vana pulchritudo caſtitatis vel operationis
bonæ, quam hominibus oſtendit anima quæ timore ca-
ret diuino; At illa conſcientia vera eſt laude digna, quæ
timorem Dei in omnibus ſeruat, ipſe eſt enim principiũ
cunctarum, cuſtoſque virtutum, ſcriptura dicente, *Timor* Prou. 1.
Domini principium ſapientiæ, & iterum, *qui timet Deum nihil
negligit.* Hinc eſt enim quod ideo beatus Iob & in pro-
ſperitate virtutibus, incomparabiliter floruit, & in ad-
uerſitatibus inſuperabilis hoſti permanſit, quia veraciter
dicere potuit, ſemper enim quaſi tumentes ſuper me flu-
ctus timui Deum & pondus eius ferre non potui. Fallax
eſt ergo ſimulatorum gratia, vanus decor operis ſtultorũ,
Eccleſia autem, quæ in timore incolatus ſui tempore
conuerſatur, quoniam ardentes virtutum lampadas ve- H
nienti ad iudicium ſuo ſponſo offeret, iure ab eo laudata
ianuam cum eo regni cœleſtis intrabit, qualiter autem
eam laudet, terminali verſu docetur:

*Date ei de fructu manuum ſuarum & laudent eam in portis o-
pera eius.* Hæc ſunt enim verba viri illius, de quo dictum
eſt, *vir eius & laudabit eam*, id eſt, Deum & ſaluatoris noſtri,
qui Angelis in fine præcepturus eſt vt eccleſiam poſt hu-
ius vitæ certamen, poſt triturationem afflictionum terre-
ſtrium ad cœleſtis regni gaudia introducant, ac vitæ im-
mortalis ſibi ſociam aggregent, iuxta illud euangelicum:
Triticum autem congregate in horreum meum, Date, inquit, *ei* Matt. 13.
*de fructu manuum ſuarum, quia fructum ſpiritus ferre curauit,
Charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, mode-
ſtiam, continentiam, fidem, patientiam, pro hoc illi debitam repe-
dite mercedem, & laudent eam in portis*, hoc eſt, in iudicio ſiue

in ingreſſu patriæ cœleſtis, non hominum fauores ſuperuacui ſed opera ipſa quæ fecit examinante, probante, ac remunerante illo cuius hæc donante gratia perfecit, à quo vt laudari mereamur in futuro, concedat ipſe propitius, nos eum dignis in præſenti vita collaudare ſeruitijs. Amen.

Finis Commentariorum in Prouerbia Salomonis Hrabani Mauri.

HRABANI MAVRI ARCHIEP. MOGVNT. COMMENT. IN LIBRVM SAPIENTIÆ.

LIBER SAPIENTIÆ.

PROLOGVS HRABANI AD ARCHIEpiſcopum Othgarium, de libro Sapientiæ.

DOMINO REVERENDISSIMO ET CVLTV SINCERISSIMAE CHARITATIS OBſeruando ſancto viro, & omni honore digniſſimo Othgario Archiepiſcopo, Hrabanus in Chriſto ſalutem.

Quotieſcunq; præſentiã tuã beatiſsime pater cogito, ſuaui ſemper delectatione reficior, reminiſcens mãſuetudinis & humilitatis, modeſtiæ, atq; tẽperantiæ, q̃ præcipuè in tua ſanctitate vigent, ita vt ex hoc veraciter agnoſcaris eius eſſe imitator, qui diſcipulis ſuis præcepit dicens: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Vnde quoque plurimi ſacra dilectione incitati, ad obſequium venerationis tuæ cucurrerunt, & quodcunque officii poſſunt deuota mente offerre cupiunt. Hinc etiam ego licet terrenarum rerum opes non habeam, quia ea ſolummodo poſſideo, quæ ad Sanctorum pauperum Chriſti neceſſitatem ſubleuandam pertinent: tamen hoc quod ex diuina gratia percepi, ſacris diuitiis quas abundanter habes in ſapientia & ſcientia diuinæ legis, voluntaria liberalitate quoddam munuſculum addendum contuli; optans valde vt quotieſcunque ſacro conſpectui tuo illud præſentetur, mei recorderis, & ſi quid vtilitatis in eo reperias, tam tuo quam etiam tuorum vſui aptare digneris. Eſt ſiquidem munus, de quo loquor, præſens volumen quod in explanationem libri ſapientiæ qui à pleriſque Salomonis nomine inſcribitur nuper edidi, quem tamen Beatus Hieronymus aſſerit non à Salomone vt vſus habet, ſed à Philone doctiſſimo Iudæo fuiſſe conſcriptum, quem pſeudographum prænotauit, propterea quod vſurpationem nominis ſibi vendicet alterius. Cuius voluminis expoſitionem presbyter Bellator octo libris ſe aſſumpſiſſe teſtatus eſt. De quo Pater Auguſtinus & Sanctus Ambroſius homiliarum nomine nonnulla dixerunt. Cuius quoque libri dictio eſt ſuauiſſima & reuera nominis ſui dignitate reſplendens, atque ad inſtruendam Eccleſiam Dei vtiliſſima: licet ſupra memoratus diuinæ legis interpres Hieronymus dicat eundem librum apud Hebræos nuſquam haberi, ſed Græcã magis redolore eloquentiam, nec inter canonicas ſcripturas apud antiquos recipi, vt Iudith, Tobiæ, & Machabæorum libros, quos & moderno tempore inter ſcripturas ſacras ſancta enumerat Eccleſia, legitque eos in publico ſicut cæteras ſcripturas canonicas, frequenter quoque Orthodoxi Doctores, eiſdem ſententiis in dogmatibus ſuis vtuntur. Verum cur ego ad exponendum hunc librum, laborem aſſumpſerim, hæc cauſa fuit: quia nullam antea ſuper totum librum expoſitionem inueni, licet prædictus presbyter Bellator octo libros in eo ſe feciſſe vt prædixi commemoret, hæc hactenus ad nos non peruenerunt. Ego autem hoc opus meum tribus libellis perſtrinxi quatenus aliquantam intelligentiam in myſteriis prædicti libri auido lectori darem; cœterum perfectiora perfectioribus reſeruãs. Tu autem religioſiſſime Chriſti antiſtes, vtere munere à deuoto tibi famulo collato, & ſi quid in eo gratum reperias, Dei dono ſolummodo adſcribas: Si quid autem reprehenſibile, meæ imperitiæ atque infirmitati magis hoc depures, quam malitiæ, & quo modo emendandum ſit mihi remandare non tardes, orationibus quoque apud diuinam pietatem meam imbecillitatem ſubleues, vt quoniam iam dedit velle & aliquo modo incipere, ipſe donet omnia ſecundum voluntatem ſuam perfecte. Nec hoc celandum arbitror reuerentiam tuam quod aliud opus habeo in manibus, hoc eſt, explanationem libri Eccleſiaſtici, quem Iheſum filij Syrach nuncupant, & multa continet Chriſti & Eccleſiæ Sacramenta. Hoc quoque cum Domino volente ad finem perduxero, ſi præſens munus primum à tua ſanctitate gratanter acceptum fuerit, mox beneuola mente tibi dirigere conabor.

Sancta Deus trinitas & indiuiſa vnitas dilectionem tuam illæſam & incontaminatam in æternum conſeruare dignetur ſancte pater, memor ſis noſtri.

Digitized by Google

A

Incipiunt capitula libri primi.

I. *Sapientia quæ Chriſtus eſt præcipit habitatoribus terræ diligere iuſtitiam intimans eis quod peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo, & quod in maleuolam animam non introibit ſapientia.*

II. *Sapientia indicat quod Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & quod ipſe replet orbem terrarum, nec eum aliquid latere poßit.*

III. *Sapientia iubet auditoribus ſuis vt cuſtodiant ſe à murmuratione, detractione & mendacio, quoniam iuſtitia immortalis eſt, nec impij apprehendent illam.*

IV. *Vbi impij deſperantes de ſalute ſua perituros ſe aſſerunt, & tantummodo in præſenti ſæculo victuros.*

V. *Conſilium impiorum Iudæorum aduerſus Chriſtum, tractantium de morte ſua, & cauſantium eum quod ipſe improperaret eis peccata legis.*

VI. *De ſanctis Martyribus quod eorum gloria per tribulationem præſentem erit æterna.*

VII. *Quod impij ſecundum quæ geſſerunt recipient condignas pœnas, quia à Domino receſſerunt.*

B

VIII. *Quod filij adulterorum, id eſt, hæreticorum inconſummati erunt & caſtorũ generatio permanet in perpetua claritate.*

IX. *Quod iuſtorum animæ poſt mortem erunt in refrigerio, nec ſit tranſitus eorum lugendus.*

X. *Quod in aduentu Domini ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus perſecutores ſuos, & quod ipſi perſecutores tandem ſeram pœnitentiam gerent in inferno de errore ſuo atque peccatis.*

XI. *De ſanctis Martyribus quod in perpetuum viuant, & quod Dominus vindicet eos de aduerſariis ſuis.*

XII. *Sapientia increpat iudices terræ, qui acceperunt poteſtatem à Domino, quod non cuſtodirent legem iuſtitiæ, prædicens eis pœnas quas paſſuri erant.*

XIII. *Sapientia hortatur rectores Eccleſiæ, vt audiant & concupiſcant ſermones ſuos, quoniam ipſa ſe gratis præbet illis, conferens ſimul integritatẽ corporis & caſtitatem animæ.*

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

DIligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Admonet ſapientia diuina præpoſitos populi Dei, quibus iudicandi data eſt poteſtas, vt iuſtitiam diligant, & æquitatem in

C

iudicio conſeruent. Alias poteſt hæc ſententia ad omnes generaliter pertinere, qui ratione vigent, & intelligibilem mentem habent; vt terram, hoc eſt, carnem ſuam iudicantes iuſtitiam diligant, ſcilicet vt non faciant carnis curam in concupiſcentijs, ſed ſpiritus imperio illam ſubijcientes, virtutibus quibus anima nutritur, maximè operam impendant: Deinde corpori ſuo ſecundum neceſſitatem, & non ſecundum voluptatem conſulant recolentes ſemper illam ſententiam legis: *quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ab ore Dei.* Et illud Euangelicum teſtimonium quo ſaluator diſcipulos docuit dicens: *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes; quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.*

Luc. 4.

Matt. 6.

Quærite ergo primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. In bonitate autem de Domino ſentit, qui ſacram ſcripturam ſecundum pietatem legit atque intelligit, & in ſimplicitate cordis eum quærit, qui humiliter eius voluntati ſe ſubijcit, ad cuſtodiendum videlicet mandata eius. Nam qui piè quærit Dominum, honorat ſacram ſcripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non reſiſtit: quod eſt mitem eſſe, de quo in Euangelio veritas ipſa ait: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Hinc ergo mundi philoſophi, & eorum ſequaces hæretici excipiuntur qui ratione humana ſecreta ſe æſtimant capere poſſe diuina, cum ſcriptum ſit: *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigabit?* Et Apoſtolus manifeſtè dicat; *Incomprehenſibilia eſſe iudicia Dei, & inueſtigabiles vias eius*: qui in præſenti vita potius colendus eſt recta fide, quam incauta diſputatione. Vnde ſubiungitur:

D

Matth. 5.

Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum; periculoſum eſt enim humana præſumptione Deum tẽtare, cum ſcriptum ſit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sed ſalubre eſt fide recta illum honorare, quia iuſtus ex fide viuit, *peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo, probata autem virtus corripit inſipientes.* Manifeſtum eſt quod omnis cogitatio impia & praua voluntas nullo modo iungatur Domino, nec concordet ſummo bono; quia nulla eſt ſocietas lucis ad tenebras, nec conuentio Chriſti ad Belial. Vbi autem intentio & ſtudium ſacrarum virtutum pio inerunt cordi inſipientium ſemper vitia reprobant atq; arguunt errores, vnde neceſſe habent amatores veræ ſapientiæ vt mundent ſua corda, & totam intentionem animi in affectum conuertant conditoris ſui.

E

Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Huic teſtimonio Iacobus Apoſtolus paria ſentiendo in epiſtola ſua ſcripſit, dicens: *Nunquid poteſt fratres mei ficus oliuas facere, aut vitis ficus, ſicut neque ſal ſalſa dulcem poteſt facere aquam. Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos oſtendat bonam conuerſationem in manſuetudinem ſapientiæ? quod ſi zelum amarum habetis & contentiones in animis veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt enim iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à patre luminum: ſed terrena, animalis, diabolica: vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum, quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione, fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem*; nequaquam enim in maleuolam mentẽ vera ſapientia intrat, nec in facinoroſo homine habitare poterit, ideo fruſtra ſibi blandiuntur philoſophi gentilium, & omnes hæretici, necnon & falſi Chriſtiani, qui ſe arbitrantur ſordida mente & ſceleſta conuerſatione percipere poſſe ſapientiam Dei, quam ſoli mundo corde dono Spiritus ſancti accipere merentur.

Iacob. 3.

F

CAPVT II.

SAnctus enim ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu. Vnde Manichæum, Arrium, & Eunomium, cæteroſq; hæreticos dogmata ſua erroribus pleniſſima ſine Spiritus ſancti gratia condidiſſe certiſſimum conſtat, quia ſpiritus Domini bonus ſemper deducit in viam rectam: malignus autem ſpiritus ſeducit, & ſecutores ſuos in laqueum perditionis æternæ ſecum trahit, de quo & ſubditur: *Et corripietur à ſuperueniente iniquitate*; quia cum retributionis tempus aduenerit, omnes impij & peccatores pro iniquitatibus ſuis pœnam recipient perpetuam: *Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledictum à labiis ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Dominus, & cordis eius ſcrutator eſt verus, & linguæ illius auditor.* Hæc ſententia deſtruit errorem illorum, qui ſicut bonas cogitationes à Deo nobis conſtat inſpirari, ita etiã malas ipſo inſtigante putant in noſtra mente generari, cũ nullo modo Deus, qui ſumme bonus eſt, & omnes homines vult ſaluari, atq; ad agnitionem veritatis peruenire, neceſſitatẽ mali verbi aut praui actus alicui imponat, per quę perire poſſit, ſicut Iacobus Apoſtolus oſtẽdit dicens: *Nemo ergo cum tentatur, dicat: quoniam à Deo tentor; Deus n. intentator malorum eſt, ipſe n. neminem tentat*; ac ſi diceret: Nemo cum rapinam, furtum, falſum teſtimoniũ, homicidium, ſtuprum, vel cætera huiuſmodi cõmiſerit, dicat: quoniam Deo cogente neceſſe habuerit hæc patrare, & ideo nullatenus horum effectũ potuerit declinare. *Deus n. malorum intentator eſt*, ſubauditur, tentamentorum. *ipſe n. neminem tentat*, ea videlicet tentatione, quæ decipit miſeros vt peccent. Duplex eſt n. genus tentationis, vnũ ꝙ decipit, aliud ꝙ probat; ſecundum hoc quod decipit, Deus neminẽ tentat: ſecundũ illud quod probat, Deus tentauit Abraham. De quo & Propheta poſtulat: *Proba me Domine & tenta me.* Vnuſquiſq; vero tentatur à concupiſcẽtia ſua abſtractus & illectus: ſcil. abſtractus à recto itinere, & illectus in malum, quo tñ iuſto Dei iudicio permittitur cadere qui ſpiritui veritatis noluit obedire: *Quoniam ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Spiritus ergo ſanctus qui in primordio creaturarũ inuiſibili potẽtia ferebatur ſuper aquas, maieſtate ſua omnẽ implet & continet creaturam,

G

Iacob. 1.

H

Pſal. 25.

A tutam, ſiue dono virtutis ſuæ replet oībē Eccleſiæ, in quo quotidie muneris ſui oſtendit largitatem. Inde eſt q̄ ſubiungitur: *Et hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*, quia

1. Cor. 12. vt Paulus ait: *alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum: hæc n. omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult: Propter hoc qui loquitur iniqua nō poteſt latere, nec præteribit illum corripiens iudicium*; quia ſicut electi per Spiritus ſancti gratiam accipiunt donū ſcientiæ & pietatis, ſic hæretici atq; omnes reprobi propria ſuperbia inflati, atq; à maligno ſpiritu inſtigati erroris ſui nequitiam quam impudenter proferunt, coram ſpiritu Dei abſcondere nequeunt, proinde nec iuſtæ pœnæ vindictā euadere poſſunt; quia ſicut oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum, ita vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Dominus interrogat iuſtum & impiū, qui aūt diligit iniquita-

B tē, odit animam ſuam, de quo & ſubditur: *In cogitationibus n. impij interrogatio erit: ſermonum aūt illius auditio ad Dominū veniet, & ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur.* Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus venit ad Dominum, & deſcendit vt videret, vtrū clamorē, qui venit ad ſe, opere cōpleuerint. Igitur Dominus pluit ſuper peccatores ſulphur & ignem à Domino, & ſubuertit ciuitates has, & omnē circa regionem. Sic & murmuratio filiorum Iſrael aſcendit ad Dominum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis. Dominus n. Deus ignis conſumens eſt, Deus æmulator, & reddet vnicuique ſecundum opera eius, idcirco neceſſario nos commonet ſapientia dicens.

CAPVT III.

CVſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam reſponſum obſcurum in vacuum non ibit. Quam pernicioſæ ſint murmurationes & detractiones multis ſententijs ſacrarum ſcripturarum at-

C que exemplis iudiciorum Domini probari poteſt; maximè cum Dominus ipſe inuenitur ſuper murmuroſos & queruloſos ſæpius miſiſſe vindictam. Et ſcriptura dicit:

Prou. 3. quod *abominatio Domini ſit omnis illuſor*. Dicit & Apoſtolus:

Rom. 1. *Suſurrones & detractores Deo eſſe odibiles.* Hinc & pſalmiſta ait: *Detrahentem aduerſus proximum ſuum occultè, hunc perſequebar.* Vnde & alibi legitur: *Qui detrahit alicui rei in futurū ſe obligat, & ſicut mordet ſerpens in ſilentio, ſic qui occultè detrahit fratri ſuo. Mors & vita in manibus linguæ.* Qui peruerſi cordis eſt, non inuenit bonum, & qui vertit linguam incidit in malum. Et bene dicitur: quod *reſponſum obſcurum in vacuum non ibit, quia iudicio Domini reſeruabitur.* Vnde eſt illa dominica ſententia: *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. De quo & ſubditur.

Os aūt quod mentitur, occidit animā. Occidit ergo os mendax animam ipſius mentientis, quia mucrone peccati illam tranſuerberat; vnde ſummopere cauendum eſt om-

D ne mendacium: quamuis nonnunquam ſit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, ſi quiſquam præſtando beneficium mentiatur. Quod pater Auguſtinus libro de mendacio, manifeſtè exprimit, commemorans octo eſſe genera mendacij; quod qualiter diſſeruit, qui voluerit, ibi inuenire poterit. Qui autem aliquod genus mendacij, quod peccatum non ſit putauerit, decipit ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe eſſe deceptorem arbitratur aliorū. Quapropter quando nobis de ſcripturis ſacris mentiendi ponuntur exempla, aut mendacia non ſunt, ſed putantur eſſe dum non intelliguntur, aut ſi mendacia ſunt imitanda non ſunt: quia iuſta eſſe non poſſunt, ſed quod ſcriptum eſt: Bene feciſſe Deum obſtetricibus Hebræorū, & cum Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaq; in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum abſurdumque non eſſet, ſi a- E

lio prius tempore commiſſa ab eis mala opera, Deus propter poſteriora opera bona vellet ignoſcere; ita mirandū non eſt quod vno tempore in vna cauſa Deus vtrumque conſpiciens idem factum miſericorditer, factumque fallaciter & bonum remunerauit, & propter hoc bonum illud malum ignouit.

Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Superius numerauit ea quæ noxia homini erant, hoc eſt, murmurationem, detractionem, & mēdacium, à quibus ſe cuſtodiri præcepit. Nunc idem alijs verbis replicat vt ſcilicet ea quæ morti obnoxia ſunt ne faciamus, quoniam Deo interitus noſter non placet: qui vult omnes homines ſaluos eſſe, & ad agnitionem veritatis peruenire. Qui per

Prophetam ait: *Quare moriemini domus Iſrael, quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus.* Reuertimini & viuite Deus enim auctor ſalutis non perditionis noſtræ eſt, qui vi- Ezech. 18

dit cuncta quæ fecit, & erant valde bona. Sed iuxta Apoſtolum Rom. 6.

ſtipendium peccati eſt mors: gratia autem Dei vita æterna. F

Creauit enim vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Hæc ſententia ſicut & in priore manifeſtatur quod Dominus eſt auctor bonorum operum non malorum, ideo iuſtus eſt iudex, qui vindicat prauos actus & peccata. Nec neceſſitate peccamus, dum deliquimus, ſed peruerſa voluntate quæ ex liberi arbitrij procedit qualitate. Nos Deum iuſtum & bonum ſic humanæ ſubſtantiæ, & interiorum exteriorumque ſenſuum nouimus creatorem, vt prorſus ab illo ſit quidquid pertinet ad naturam, & prorſus ab illo non ſit, quidquid contra naturam eſt. Peccatum autem contra naturam eſt; de quo mors & omnia quæ ſunt mortis oriuntur. Quibus malis tunc ſe homo induit quando illum fide obedientiaque priuatum in ſuas promiſſiones diabolus à lege Dei traduxit, omnia ſibi poſteritatis eius germina per conditionem deputatæ ſtirpis obſtrinxit. De quo adhuc ſubiungitur.

Iuſtitia enim perpetua eſt & immortalis. Iniuſtitia autem mortis eſt acquiſitio. Impij autem manibus & verbis accerſierunt illam: & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam: quoniam ſunt morte digni, qui ſunt ex parte illius. Iu- G

ſtitia ergo bene perpetua & immortalis eſſe dicitur: quia à perpetua morte ſe obſequentes liberat. *Iniuſtitia autem mortis eſt acquiſitio*, quia inferni cruciatus peccatorum certa eſt remuneratio. Impij autem manibus & verbis accerſierunt iniuſtitiam; quia dictis & factis ſequuntur illam, & errore decepti ſe impunè peccare poſſe confidendo nullo modo ab eius conſortio diuelli conſentiunt: quia iam iuſto iudicio Dei damnati euadere illā nequaquam contendunt. Vnde eſt illud Euangelij: *Qui autem non credit iam iudicatus eſt: quia non credidit in nomine vnigeniti filii* Ioan. 3.

Dei. Et iterum: *Qui credit, inquit, in filium Dei, habet vitam æ-* Ibid.

ternam. Qui autem incredulus eſt filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

CAPVT IV.

DIxerunt n. impii apud ſe cogitantes non rectè: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigeriū in fine H

hominis, & nō eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam ſi non fuerimus; quoniam fumus & flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum: quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra, tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggrauata; & nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Vmbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrum

exors

A exors ſit luxuria noſtra: vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quo-
niam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Hæc vox perdito-
rum eſt, qui more brutorum animalium aſpiciunt in
præſentia: nec cogitant de futuris, neque poſt huius vi-
tæ terminum ſpem habent vllam æternæ quietis, de qua-
Pſal. 48. libus per Pſalmiſtam dicitur: *Homo cum in honore eſſet non*
Iſa. 28. *intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus: & ſimilis factus*
eſt illis. Quorum vocem Iſaias Propheta increpat dicens:
Dixiſtis enim: percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno feci-
mus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit non veniet ſuper
nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti
Iſa. 28. *ſumus.* Idcirco hæc dicit Dominus: *Ponam iudicium in pon-*
dere, & iuſtitiam in menſura: & ſubuertet grando ſpem mendacij,
& protectionem aquæ inundantis, & delebitur fœdus veſtrum cum
morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum in-
undans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem, quandocunque
Amos 6. *pertranſierit tollet vos.* Cui paria Amos Propheta protulit
dicens. *Væ qui opulenti eſtis, & ſeparati in diem malum: & ap-*
propinquatis ſolio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, &
laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitu-
B *los de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij: ſicut Dauid*
putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, &
optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione
Ioſeph. Quapropter nunc migrabunt in capite tranſmigrantium:
& auferetur factio laſciuientium. Et iterum: *pro eo quod diri-*
piebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos qua-
dro lapide ædificabitis, & non inhabitabitis in eis: vineas amantiſ-
ſimas plantabitis, & non bibetis vinũ earum: quia cognoui multa
ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra. Sequuntur adhuc volu-
ptuoſi atque hæretici, & addunt hæc prioribus dictis ſuis.

CAPVT V.

OPprimamus pauperem iuſtum & non parcamus viduæ, nec
veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem for-
titudo noſtra lex iuſtitiæ: quod enim infirmum eſt inutile inueni-
tur. Licet hæc generaliter pertinere poſſint ad eos qui
contemnentes Deum nulli parcunt ſexui aut ætati, ſed
per iniuſtitiam atque auaritiam omnes opprimere volũt;
tamen altiore fine ad perfidos perſecutores Chriſtiano-
rum, & hæreticos redigi poſſunt; qui pauperem Eccleſiæ
populum ſuis nequitijs atque perſecutionibus grauant:
C & viduam illam de qua ſcriptum eſt: *Viduam eius benedicens*
benedicam, pauperes eos ſaturabo panibus: peſſima voluntate
conterere cogitant, prophetaſq; & Apoſtolos quos ve-
teranos hic nominat, in ſuis dictis reprehẽdere nitentes;
nequaquam legis diuinæ ſancita cuſtodire; ſed erroris ſui
deuia pergere moliũtur, nec ipſi capiti noſtro parẽtes, ſed
in eũ huiuſcemodi impietatis verba portẽdere pſumunt.

Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, &
contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis,
& diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiã
Dei habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductio-
nem cogitationum noſtrarum: Grauis eſt nobis etiam ad videndũ,
quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.
Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs no-
ſtris tanquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, &
gloriatur patrem ſe habere Deum. Circumuenite iuſtum per-
fidi Iudæi tum diſponebant, quando Euangelicis dictis
conuenti priſtinas ſordes vitiorum deſerere & præcepto-
rum Dei veritatem ſequi per Chriſtum admonebantur,
ſed in eo vnde cauſam ſalutis ſperare debuerant, graue
D ſcandalum ſumentes, quaſi blaſphemum interficere co-
Ioan. 10. gitabant. Vnde in Euangelio ſcriptum eſt: *Suſtulerunt la-*
pides Iudæi, vt lapidarent eum. Reſpondit eis Ieſus: Multa opera bo-
na oſtendi vobis ex patre meo, propter quod eorum lapidatis me?
Reſponderunt ergo Iudæi: de bono opere nõ lapidamus te, ſed de bla-
ſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum &c. Inui-
dia n. inſtigati nõ quid ipſe ageret, ſed quid ipſi agere no-
luerint penſantes, in lucis radijs obtenebreſcebant, vnde
huiuſcemodi verba illis conueniebant, vt dicerent: *grauis*
eſt etiam nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita il-
lius, & abſtinet ſe à vijs noſtris tanquam ab immunditijs.
Et quia de futura vita non cogitabant, ideo præferri ſuæ
voluptati nouiſſima iuſtorum, hoc eſt, ſpem futuræ vitæ
dolebant; indeq; prauis conſilijs ad eius interfectionem
tendebant, quod ſequentia verba demonſtrant.

Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ fu- E
tura ſint illi, & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius. Si n. eſt verus fi-
lius Dei ſuſcipiet illum & liberabit eum de manu contrariorum.
Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reueren-
tiam illius, & probemus patientiam ipſius, morte turpiſſima con-
demnemus illum, erit n. ei reſpectus ex ſermonib. illius. His con-
cinna deſcripta ſunt in Euangelio, vbi *Pontifices & Phari-* Luc. 23.
ſæi conſilium inierunt, quomodo Ieſum morti traderent, & in cru-
ce poſitum principes ſacerdotum cum ſcribis & ſenioribus illudentes
dicebant: Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere. Si rex
Iſrael eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei. Confidit in Domino,
liberet eum nunc ſi vult: Dixit n. quia filius Dei ſum. Mortẽ tur-
piſſimam crucem nominat: quia ipſa vſque ad paſſionem
Chriſti pœna fuit reorum, quæ nunc eſt trophæũ victo-
riæ & gloria credentium. Quod n. dicit, *erit ei reſpectus ex*
ſermonibus illius, hoc reſpicit ad reſurrectionem eius; quo-
niam hoc diffidentes Iudæi probare voluerunt, vtrũ poſt
mortem carnem ſuam reſuſcitare valeret, quia recordati
ſunt eum dixiſſe: *ſoluite templum hoc, & in tribus dieb. excita-*
bo illud. Et alibi: *Ecce,* inquit, *aſcendimus Hieroſolymam & con-* Ioan. 2.
ſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio ho- Matt. 20.
minis. Tradetur n. gentib. & illudetur, & flagellabitur & cõſpuetur: F
& poſtquã flagellauerint occident eũ, & die tertia reſurget. Vnde
& in paſſione ſua ad Pilatum dicebãt: *Domine recordati ſu-*
mus quia hic ſeductor dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam. Matt. 27.
Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſq; in tertium diem, ne forte veni-
ant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mor-
tuis, & erit nouiſſimus error peior priori.

Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit n. eos malitia illo-
rum, & neſcierunt ſacramenta Dei, neq; mercedẽ ſperauerunt iu-
ſtitiæ nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarũ. Sacramẽ-
tũ ergo conſilij Dei, inuidi & doloſi percipere nõ valebãt,
quoniã in maleuolam animã non introibit ſapientia; nec intel- Sap. 1.
ligere potuerũt, quod mors Chriſti honor eſt & ſalus ani-
marũ ſanctarum, quoniam per ipſam mercedem ſperant
iuſtitiæ, & introitum percipiunt regni cœleſtis.

Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilẽ, & ad ima-
ginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia aũt diaboli mors intro-
iuit in orbem terrarum: imitantur aũt illum qui ſunt ex parte il-
lius. Hac ſententia deſtruitur error Manichæorũ, qui du-
as naturas & ſubſtantias introduxerunt, i. e. bonam & ma- G
lam: quia creator noſter non eſt auctor ruinæ noſtræ, &
quantum ad naturę pertinet veritatẽ, immortales ab ipſo
conditi ſumus. Per aſſenſum aũt ſerpentinæ ſuggeſtionis
mortis ſententiæ ſubijciebamur: attamẽ primam ſtolam
immortalitatis, quam humanum genus ad imaginẽ Dei
ab initio creatum, ſed per inuidiam diaboli ſeductum in
Adam perdidit, per Chriſti mortem iterum recepit: quo-
niam mors noſtra in ipſius morte deſtructa eſt, & in re-
ſurrectione eius vita noſtra reparata, quamuis ad illã ſor-
tem nõ pertineant illi, qui diabolicæ inuidiæ magis imi-
tatores eſſe eligunt, quam humilitatis ac manſuetudinis
Chriſti.

CAPVT VI.

IVſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos
tormentum mortis. In priore capitulo iniquorum ſenten-
tia expreſſa eſt, quam contra caput noſtrum prauo ſenſu
& nefarijs ſermonibus protulerunt. Nunc autem eorun-
dem error condemnatur, quem in interitu membrorum
eius fieri æſtimauerunt, quando eos diuerſis pœnis pro
confeſſione nominis ipſius trucidauerunt. *Sanctorum ergo* H
Martyrum animæ in manu Dei ſunt, hoc eſt, in protectione
illius: nec eos tormentum perpetuæ mortis in aliquo læ-
dere poteſt.

Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exi-
tus eorum, & quod à nobis eſt iter extermnij, illi aũt ſunt in pace.
Verè inſipientes fuerunt, quando palmam Martyrũ affli-
ctionẽ & exterminium eſſe æſtimauerunt, cũ hæc illis vi-
ctoriæ & perpetuæ quietis cauſa fuit, vnde & ſequitur:
Etſi coram hominib. tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortali-
tate plena eſt. In paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniã
Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurũ in for-
nace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in
tempore erit reſpectus illorum. Mors temporalis & afflictio
præſentis vitæ proſperitatem ſanctis Dei remunerationis

A peperit perpetuæ, quia ſpes illorum indefecta & fide: ſolida vſq; ad finem permanſit. Deus n. varijs tentationibus caſtigauit illos, & per tolerantiam patientiæ probauit eos dignos eſſ. æterna corona. Duo aũt exempla quæ poſuit: hoc eſt auri in fornaci probati, & holocauſtorũ in igne crematorum examinationem illorum probatiſſimã, & puritatem perfectiſſimam oſtẽdit: quia ſicut aurũ non igne vritur, ſed probatur, ita martyrium ſancta ſubſtantia non ad defectum perducitur, ſed ad immortalitatẽ & gloriam futuram præparatur, & ſicut holocauſtum quod totum per ignem offertur Deo eſt ſacrificium acceptiſſimum; ita & paſſio martyrum per calorem fidei & feruorẽ charitatis in odorẽ ſuauitatis Domino oblata munus illi extat gratiſſimum & donum pretioſiſſimũ. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius:* Quod autem ſubditur: *In tempore erit reſpectus illorũ.* Significat quod non iuxta æſtimationem reproborũ perpetua eſt mors ſanctorum; ſed magis in die iudicij Chriſto iudicante copioſiſſima eſt remuneratio illorum.

B *Fulgebunt iuſti & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrent.* Aliud exemplũ ponens: ſubitã in extremo iudicio remunerationẽ ſanctorũ, & celerẽ demonſtrat vindictam eſſe reproborũ. Quãdo n. electorũ, de corruptione in incorruptionẽ, de mortalitate in immortalitatẽ, de ignominia ad gloriã erit immutatio, tunc iã aduerſarios ſuos iudicaturi conſurgent: & ſicut ſcintilla ignis ſubitã flammã in arundineto excitat, ita ſententia iuſti iudicij ſanctorũ validam in reprobos, & velocem pœnarum immittit vindictam. Vnde & ſequitur. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Iudicabunt ſancti nationes,* ſed per illos iudicat Deus qui mentibus eorum præſidet. *Dominabuntur populis,* quia nulla eis repugnat aduerſitas contrarietatis. *Regnabit Dominus illorum in perpetuũ,* quia Chriſti regnum ſine vllo termino erit permanſurũ.
Luc. 1. De quo angelus ad Mariam ait: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum &*
Iſai. 9. *regni eius non erit finis.* Vnde & per Iſaiam dicitur: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Regnabũt & ſancti cum rege ſuo, id eſt, membra cum capite ſuo, quod ad
Daniel. 7 Danielem in viſione prophetica Angeli verba proteſtantur, ita dicentis: *Regnum autem & poteſtas & magnitudo re-*
C *gni, quæ eſt ſuper omne cælum, dabitur populo ſanctorum altiſſimi, cuius regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient ei.*

Qui confidunt in illo intelligent veritatem & fideles in dilectione acquieſcent illi, quoniam donum & pax eſt electis illius. Manifeſtũ eſt quod qui perfectè confidit in Domino in præſenti vita iuxta diſtributionem Spiritus ſancti, ſecundum modum ſibi conuenientem hic intellectum percipit veritatis; quia nunc videmus per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: Nunc cognoſcimus ex parte tunc autem cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: Maior autem horum eſt charitas.* Quia cæteris deſcendentib. illa ſolum perma-
Sap. 3. net, vnde dicit: *fideles in dilectione acquieſcent illi,* quoniam electi Dei poſt finem mundi bono quod ante fide & ſpe ambiebant præſentialiter delectantes nullo modo ab eius ſocietate poſſunt diuelli, cum dono æternæ ſatietatis remunerati pace fruentur perpetuo.

CAPVT VII.

D *IMpij autem ſecundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, quia neglexerunt iuſtitiam & à Domino receſſerunt.* Sẽtentia vniuerſalis iudicij completa, quando ſancti cõiuncti regi ſuo cœleſtis patriæ gaudentes intrabũt regnum, tunc impij & peccatores qui de ſalute ſua negligentes fuerunt, ſecundum cordis ſui & actuum iniquitatem cum diabolo in inferni demergentur abyſſum, vbi ſine fine cruciabuntur: quia vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur.

Sapientiam n. & diſciplinam qui abiecit infelix eſt, & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inhabitabilia opera illorum ſunt. Nunc oſtendit quid ſit hoc, quod ſuperius dixerat à Domino receſſiſſe, hoc eſt, ſapientiam & diſciplinam abijcere, quorum vacua eſt ſpes, & labores ſine fructu, quia in vanum ſperant ſe temporalibus perpetualiter vti poſſe, vel peccata faciendo impunitos poſſe euadere, horum & labores ſunt ſine fructu futuræ mercedis, E & opera illorum inhabitabilia: quoniam operarium ipſorum cœleſtis habitationis non poſſunt facere participem. Cui cum iniquorum omnium capite improperãdo ſcelera ſua pſalmiſta prædixit dicens: *Propterea deſtruet* Pſal. 51. *te Deus, in fine euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo & radicem tuam de terra viuentium.* Poſſunt & hæretici in hac ſententia non inconuenienter accipi, qui ſapientiam diuinam & regulam rectæ fidei abijcientes, labores doctrinæ ſuæ atq; errorum ſectas in vacuum & ſine fructu vitæ æternæ expendunt, quorum intentio ſtulta & nequiſſima ſunt opera. Vnde ſubiungitur.

Mulieres eorum inſenſatæ ſunt, & nequiſſimi filij eorum. Mulieres vel libidines carnales, vel interpretationes ſenſus nefandi appellat: ex quibus nequiſſimi filij, hoc eſt, actus nefarij ſeu dogmata peruerſa procedunt, qui non regni cœleſtis præmio, ſed tormento inferni ſunt obnoxij. De quo adhuc ſubditur: *Maledicta creatura illorum,* hoc eſt, factura eorum. Non n. ſapientia diuina creaturis Dei, quos conditor ipſorum benedicendo in initio creauit maledi- F ctionis notam ingerit: ſed operationem reproborum maledictione æterna digna eſſe oſtendit. *Quoniam fœlix eſt ſterilis: & coinquinata, quæ non ſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Laudat ſterilem, hoc eſt, caſtam & continentem animam, quæ non polluta eſt ſordibus hæreticorum, neque immunditijs idololatriæ contaminata: hæc enim habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum, vtique in die iudicij, quando ſancti rapiuntur ad contemplandã gloriam Dei, tũc & ipſa laboris ſui præmiũ in cœleſti beatitudine percipiet.

Et ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Domini acceptatiſſima. Poteſt iuxta tropologiæ regulam in nomine iſtius beata ſterilis, ſeu ſpadonis virginum intelligi, de quo in Eſaia ita ſcriptum eſt: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum quia hæc dicit* Iſa. 56. *Dominus eunuchis: Qui cuſtodierunt ſabbata mea, & elegerunt quæ volui, & tenuerunt fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit.* Hęc ſterilis virginitate fœcunda eſt. Hic eunuchus regno cœlorum vim facit, & violenter diripit illud. Iſte cuſtos eſt ſabbatorum, & nun- G quam faciet opera nuptiarum. Iſte elegit quæ Dominus voluit vt plus offerat quam præceptum eſt, vt non indulgentiam Apoſtoli eius ſed voluntatem conſideret. Iſte tenet fœdus Domini ſempiternum vt non ad tempus vacet orationi, & iterum ad ipſum reuertatur: ſed accepturum ſe nouerit eſſe in domo Domini quæ eſt Eccleſia eius locum optimum: multæ enim manſiones ſunt apud patrem. Et qui eunuchus fuerit & fecerit vniuerſa quæ ſcripta ſunt, habebit in muris eius locum optimum vt ſcilicet turris Domini efficiatur; & in ſacerdotali conſiſtat gradu, vt pro carnis filijs multos habeat filios ſpiritales. Talem fuiſſe eunuchum, quem Ieſus amauit plurimum Euangeliſtam Ioannem eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ; qui recubuit ſuper pectus Ieſu; qui Petro tardius ambulante eleuatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum. Faceſſat ergo omnis cauillatio Iudæorum, & riſui præbere ſe ceſſet operiens ſemiuiris regna cœlorum cum pudicitia, non in debilitate corporis ſibi ſed in animi vo- H luntate, nec deſidia boni præmij habebit meritum, ſed pia certatio. Vnde & ſequitur:

Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ. Glorioſus nimirum bonorum laborum eſt fructus: quia æternum gaudium & requies certa illos ſequitur, nec ea germina doctrinarum ſeu actionum quæ ex radice veræ proceſſerunt ſapientiæ, nunquam habent caſum, ſed perpetuæ ſalutis afferent fructum. At contra dogmata hæreticorum & diſcipuli ac ſequentes nequitiæ illorum exterminabuntur: nec habebunt ſpem ſalutis, ſed acerba morte damnati in obliuionem tradentur perpetuam. De quo & ſubditur.

CAPVT

Digitized by Google

A

CAPVT VIII.

F*ilij autem adulterorum in conſummationem erunt, & ab iniquo thoro ſemẽ exterminabitur, & ſi quidẽ longe vixerint, in nihilũ computabuntur, & ſine honore erit nouiſsima ſenectus illorum. Et ſi celerius defuncti fuerint non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem: Nationes .n. iniquæ diræ ſunt conſummationis.* Adulteri quidẽ hæretici ſunt, qui adulterantes verbum Dei in aliorũ ſenſum illud transferre conãtur horũ filij, hoc eſt, diſcipuli in conſummationẽ erunt, quia ad æternã perditionẽ tendunt. Hi ab iniquo thoro polluto conſcientiæ virulento erumpente nutrimine educati, licet longæui ſint ſuper terrã tñ nihil eis hoc ꝓderit, quando ad combuſtionẽ futuri ſunt ignis æterni: *quorum nouiſſima ſenectus ſine honore erit*, quia memoria illorum in æternum benedictione carebit: nec in die agnitionis, hora videlicet vniuerſalis iudicij, quãdo electi à iudice ſuo agniti ad poſſeſſionem regni cæleſtis erunt inuitati, ipſi nulla
B
ſpe reſtaurationis ſuæ conſolabuntur, ſed in æternũ cruciandi à conſpectu humani regis expellentur.

O quã pulchra eſt caſta generatio cũ claritate: immortalis eſt .n. memoria illius: quoniã & apud Deum nota eſt & apud homines. Cũ præſens eſt, imitantur illam, & deſiderant eam cum ſe ſeduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Sicut ſuperius vituperauit hæreſiarchas, eorumq; ſequaces ſchiſmaticos; ita nunc laudat Catholicos illorumq; diſcipulos, quorũ fides eſt pura, & ſimplex doctrina atque æterna, per hoc memoria digna, quoniam ipſorum generatio apud Dñm ꝓbata eſt, & apud homines venerabiliter accepta. Hæc in præſenti vita per ſacra exempla bonorum operum fructum gignit, & ad regnum cæleſte tranſlata dignam ſui recordationẽ poſteris relinquit, nec vllus erit dolor de peracto certamine, quãdo perſecutionum magnitudinẽ pmiũ vincet.

Multigena .n. impiorũ multitudo non erit vtilis, & ſpuria vitulamina nõ dabũt radices altas, nec ſtabile firmamentũ collocabũt. Alternãdo .n. loquitur de Catholicis & hæreticis vt iſtorum laudabilem oſtendat ſapientiam, & illorum vituperabilem demonſtret verſutiã. Multigena quippe & multiplex hæreticorũ doctrina non erit vtilis, ſed nociua; nec ſuperflua illorũ argumenta, quæ ſignant ſpuria vitulamina, habẽt radicẽ veritatis, ideo ſtabilimẽtũ nõ habẽt for-
C
titudinis, ſed à vẽto perſecutionum ſiue examine diſtricti iudicij attacti, cito à ſua firmitate decidũt, vnde & ſeqtur.

Et ſi in ramis in tẽpore germinauerint, infirmiter poſita, à vẽto cõmouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Cõfringentur .n. rami incõſummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducãdum, & ad nihilum apti: Ramos nominat ſententias ſcripturarũ peruerſarum, & fructus, ſenſus ipſarũ ſentẽtiarũ: per vẽtos quoque, aut perſecutionũ moleſtias aut diſcuſſiones iudicij deſignat: quia ſicut rami fragiles à vẽto ita eorũ ſentẽtiæ imperfectæ ab aduerſitate qualibet, ſeu diſcuſſione pulſatę facilè rũpuntur, fructuſq; eorum ſunt inutiles & acerbi, quia ſenſus dictionũ eorum ſunt praui, atq; venenoſi, & ideo ad nullã vtilitatẽ apti.

Ex iniquis .n. oẽs filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parẽtes interrogatione ſua. Filios iniquorũ aũt diſcipulos appellat aut opera, qa ſicut alumni hæreticorũ in die iudicij augmẽta ſunt dolorũ his, q ſe prauis dogmatibus ſe-
D
duxerũt, ita praua opera in tẽpore nouiſſimi examinis ꝓbamentũ ſunt nequitiæ illorũ, vnde merito damnentur.

CAPVT VIIII.

I*Vſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Cũ antea dixiſſet de malorum interitu, nunc de bonorum requie ſubſequẽter enarrat, quia poſt finẽ præſentis vitæ quæ bonis & malis communis eſt, iuſti tunc incipient melius viuere, quando ab iniquis videntur funditus interire quoniam externa requies tunc illis dabitur, quando iſtis pœna ſuccedit perpetua.

Senectus .n. venerabilis eſt non diuturna, neque numero annorũ computata. Cani ſunt aũt ſenſus hominum, & ætas ſenectutis vita immaculata. Oſtendit quid in ſenectute quærendum ſit, quia nõ ætas corporis, ſed maturitas mentis, & morũ ꝓbitas in ea laudatur: vnde in numerorũ libro Moyſi Dñs iuſſit ſeptuaginta eligere presbyteros, quos ipſe noſſet
E
eſſe presbyteros vt conſtitueret eos magiſtros populi ac iudices. Et Paulus ad Timotheum ſcribens ait: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.*

Placens Deo factus eſt dilectus, & viuens inter peccatores tranſlatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Non ideo tollit Deus hominem quem diligit de hoc mundo, quod non poſſit eum inter peccatores viuentem immunem ſeruare à peccato, qui diſcipulos ſuos quaſi agnos inter lupos mittens patri cõmendauit dicens: *Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues* Ioan. 17.
à malo: ſed vt rationem iudicij ſui obſeruet, vt quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, hos conuocet, iuſtificet, magnificet, ac glorificet; cæteros autem pro iniquitate ſua iuſto iudicio damnet. De quo Petrus Apoſtolus ait: *Nouit Deus pios de tentatione eripere, ini-* 2.Pet.2.
quos vero in die iudicij cruciandos reſeruare.

Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia. Hac ſententia licet generaliter laſciuia denotetur reproborum, manifeſtius tamen in ea redarguitur aſtutia hæreticorũ, q̃ prauis doctrinis & cupiditate nociua ſenſum hominis auertit à tramite veritatis: faſcinat enim, hoc eſt, grauat, qui adulando impedit, vel laudando decipit. Legimus in Apo- F
ſtolo: *Currebatis benè, quis vos faſcinauit*, & in prouerbijs Galat. 3.
donum inuidi cruciat oculos. Qui apud nos inuidus, apud Græcos ſignificantius ponitur faſcinator: in quibus exẽplis docemur, quod vel inuidus aliena felicitate crucietur, vel is in quo bona ſunt aliqua, alio faſcinante vel inuidente noceatur. Inuidia enim hæreticorum quæ nugas meras, non firmamentum veritatis præferre ſolet, obſcurat ſæpe in ſimplicibus bona mortalitatis quale eſt illud: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Vnde ſapien- 1.Cor.15.
tia vetat, cum huiuſmodi habere conſortium dicens in Prou. 23.
Prouerbijs: *Ne comedas cum homine inuido, nec deſideres cibos eius, quoniam ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat quod ignorat. Comede & bibe dicet tibi, & mens eius non eſt tecum. Cibos quos comederas euomas, & perdes pulchros ſermones tuos.*

Conſummatus in breui, expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, ſicut in priore commate hæreticorum denudauit perfidiam, ſic & nunc in ſequenti Martyrum exprimit gloriam, qui licet in breui per tormenta perſecutorum laudabilem expenderunt vitam, tamen ipſa mors pro annoſa ætate eis deputatur, quia æternam illis G
peperit vitam. Creator quippe eorum diligens eos à malorum ſocietate ſequeſtrauit, & à præſentis vitæ calumnia eduxit, quatenus in regno cæleſti abſconderet eos in abdito vultus ſui, à conturbatione hominum, & protegeret in tabernaculo ſuo à contradictione linguarum.

Populi autem videntes & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia, quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos illius. Nequaquam ergo perſecutores Martyrum potuerunt agnoſcere futuram gloriam, quæ illis ſucceſſit, ſed putauerunt eos cum pœnis corporum ſimul deficere, nec æternæ vitæ beatitudinem poſt mortem poſſe ſuſcipere: ſed diuerſe vtriuſque partibus omnia eueniunt, quia ſicut bonos poſt mortem ſequetur vita ac victoria; ſic & malos poſt vitam temporalem, ſequetur mors & damnatio perpetua.

Condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius conſummata longam vitam iniuſti. Liquet profecto quod Martyres Chriſti poſt mortem perſecutorum ſuorum iudices futuri erunt, ſicut in Apocalypſi in damna- H
tione Babylonis vox diuina oſtendit dicens: *Exite de illa* Apoc. 4.
populus meus, vt nec participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius. Reddite illi ſicut ipſa reddidit: & duplicate duplicia ſecundum opera eius: In poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum: quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum illi date tormentorum & luctuum, quia in corde ſuo dicit: ſedeo regina, & vidua non ſum, & luctum, non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus & fames & igne comburetur.

Videbunt enim finem ſapientis, & non intelligent, quid cogita-

A

uerit de illo Deus, & quare munierit illum Deus: videbunt enim & contemnent: illos autem Dominus irridebit, & erunt post hac decedentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum. Æſtimabant .n. perſecutores Eccleſiæ Chriſti, vt diximus Martyrum finẽ eſſe interitũ, ideo contẽpſerunt eorũ fidei ſtabilimentum. Sed Dñs eos irridebit, quando hoc ꝙ illi ſperabant ſibi prodeſſe, oſtendet eis omnino nocuiſſe: qa cũ falſa numina Deorũ ſuorũ cõtra Chriſticolas defẽdere volebãt, ſemetipſos in damnationẽ perpetuã tradebant.

Quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolabuntur: & erunt gementes & memoria illorum peribit. Diſrumpet enim illos Dñs ſuperbia inflatos, ſine voce excuſationis, ita vt ſint tũc per *Rom. 1.* omnia inexcuſabiles, *quia cum cognouiſſent Deũ, non ſicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerũt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum*

B

& ſerpentium & quadrupedum. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum, vt facerent ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate: ſuſurrones detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia; qui cũ cognouiſſent iuſtitiam Dei, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte & cõmouebit eos à fundamentis, quia funditus euertet ſtatum vitæ eorum, & vſq; ad ſupremum deſolabuntur: quia nunquã poſt hæc aliqua conſolatione reuelabuntur, ſed erunt gementes in pœnis, & memoria illorum peribit in æternum.

Venient in cogitatione peccatorũ ſuorũ timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates illorũ. In iudicium ergo venient impij conſcientia peccatorum ſuorum timidi, quia cogitatus eorum accuſant eos pro malis quę ante geſſerunt, nec datur vllus defenſioni locus, vbi nullus eſt in conſcientia bonorum operum fructus.

CAPVT X.

C

T*Vnc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Quomodo ergo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos Dei ſors illorum eſt.* Tunc vtique ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus perſecutores ſuos, qui eos pœnis indebitis hic affecerunt, & labores illorum quaſi ſtultos vituperauerũt; qm̃ claritate ſuperna releuati iudices erũt ſecundũ veritatem, qui ante ſe iniuſte damnauerunt. Vnde illi cum ſe ſubitanea commutatione viderint de gloria ad ignobilitatem perductos & è contrario aduerſarios ſuos de afflictione temporali ad honorem ſupernum tranſlatos, ſera pęnitentia atque infructuoſa tunc conquirunt, quod antea dum licuit ſi vellent fructuoſe agere poſſent.

D

Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Via veritatis Euangelium Chriſti eſt, & lex diuina, de qua errauerunt impij, quoniam illi credere & obedire noluerunt. Quibus & iuſtitiæ lumen non luxit, & Sol intelligentiæ non eſt ortus; quia cum eis Chriſtus non eſt lux vera, *quæ illuminat omnem* *Ioan. 1.* *hominem venientem in hunc mundum*, & Sol iuſtitiæ qui oritur timentibus eum. In cuius etiam pennis vera eſt ſanitas, quoniam in protectione eius vitæ perpetuæ conſtat largitas, ipſe perfidis gentilium Philoſophis, necnon & hæreticis non luxit, quoniam tramitem veritatis ſpernendo vanas traditiones & ſectas nefandas ſequi maluerunt, propterea ſubſequentes dicunt.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Laſſati ſunt Philoſophi in via iniquitatis & perditionis, quia cum ratiocinando mundi machinam diuino honore ſublimare voluerunt, & creaturæ potius ſeruire quam creatori elegerunt: In ipſa exquiſitione ſua defecerunt, & non ſalutem ſed perditionem inuenerunt. Similiter & hæretici ſuperbiendo vias difficiles ambulantes ſectas

E

compoſuere nefandas, nec viam Domini quæ eſt veritas & vita agnouerunt: ideo ſemetipſos in perditionem perpetuam tradiderũt, nec eis ſtudium præſentis vitæ quidquam vtilitatis contulit, quibus poſt mortem non præmium ſed pœna ſucceſſit, vnde dolentes dicunt.

Quid nobis profuit ſuperbia: aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem: commotis alis tranſuolauit & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuemus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Per quinque ſpecies ſimilitudinum, quas proferendo iniquorum infructuoſa pœnitentia labores ſuos defluere conqueritur, fugacis

F

vitę ac terrenarum rerum defectus nobis demonſtratur: Sicut enim vmbra firmitatem ſui ſtatus nullam habet, nec nuncius diſcurrens moras ſuſtinere patitur, & ſicut auis in cœlo, vel nauis in mari, vel ſagitta in aere incerto tramite pergunt: ſic tranſitoriæ vitæ inſtabilis & incertus ſemper eſt curſus, nec aliquid ex eo fixum manebit, niſi quod pro adeptu vitæ æternæ pio labore expenditur, iuxta allegoriam autem vmbra obliuionem mentis aut mortem carnis, quibus humana vita obnoxia eſt poſſumus accipere. In nuncio percurrente propaſſiones animæ ſiue ægritudines corporis, quæ indicant ac præconantur occaſum corruptibilis vitæ. Per auem autem extollentiam iactantiæ mundanæ, ſiue hæreſis. Per nauem vero leuitatem humanæ mentis, quæ per amaras ſæculi huius vndas immundorum ſpirituum flatibus agitatur. Per ſagittam dolos atque inſidias iniquorum. Hæc enim omnia in præſentis vitæ ærumna verſantur, ſed poſt peractum finem infructuoſam pœnitentiam poſſeſſoribus ſuis apud inferos relinquunt, pro quibus ſemper gement & nulla conſolatione ſubleuabuntur, propterea ſubſequitur ſcriptura dicens.

G

Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt: quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Adhuc quatuor ſpecies alias introduxit ad demõſtrandam infirmitatem ſpei iniquorum, qua vel præſentia ſtabilia atque manſura eſſe putauerunt: vel ſe in peccatis viuentes impune euadere poſſe æſtimauerunt. Lanugo enim quæ ex herbarum flore marceſcente oritur, fragilitatem carnis exprimit, quæ à vento ægritudinum vel moleſtia corporis tollitur, nec diuturna manere permittitur, *quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exaruit fœnum & flos eius decidit, verbum autem Domini manet in æternum.* *Iſa. 40.* Spuma autem quæ ex aquis edita aquis ſupernatat, appetitus humani fauoris & iactantia vulgaris intelligi poteſt: quæ à procella tentationum vel diſcuſſione futuri iudicij diſpergitur, quia quam vana fuerint eorum attactu, probatur, ſic & fumus vanitatem caducæ vitæ demonſtrat; quoniam ſicut fumus vento diffunditur, ſic humana vita temporum mutatione diſſoluitur. Vnde & per ſimilitudinem, tranſeunti hoſpiti comparatur: quia omnes hic hoſpites & peregrini

H

ſumus, de quo Eccleſiaſtes ait: *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in ſæculũ ſtat, ideo omnia vanitas.* *Eccleſ. 1.* Quid enim vanius hac vanitate, quã terrã manere quæ hominũ cauſa facta eſt & ipſum hominem terræ Dñm in puluerẽ repente diſſolui: vnde ſequitur: *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuũ reuertitur.* *Ibid.* Nã ipſe Sol, qui in lucẽ mortalib. datus eſt interitum mundi ortu ſuo quotidie indicat, & occaſu: & hoc totum idcirco vt doceat mutationibus temporum & ortu occaſuq; ſyderum humanam ætatem labi & interire dũ neſcit. Quapropter merito impij in inferno poſiti dolẽt, ꝙ ſpem ſuam in illo poſuerunt vbi ſtabilitas

A nulla eſt, & ab eo ſenſum auerterunt, qui ante omnia &
poſt omnia nunc & ſemper idem manet.

CAPVT XI.

I*Vſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum. & cogitatio illorum apud altiſſimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos.* Cum aũt
peccatorum pœnas & ſeram pœnitentiam deſcriberet in
inferno, conſequenter iuſtorum gloriam & præmium a-
pud Dominum enarrauit in cęlo, qui in ſupernum regnũ
recepti vita beata in cõtemplatione Dei fruuntur: & hoc
ideo quoniam totam ſpem ſuam & mentis intentionem
in bonitatem poſuerunt cõditoris ſui, cuius etiam manu
coronati, & dextera fortitudinis ſunt protecti. Manus e-
nim Dei & dextra ac brachium propter effectiuam potẽ-
B tiam vnigenitus filius Dei nominatur: per quem omnia
facta ſunt, in quo habemus redemptionem per ſanguinẽ
eius, remiſſionem peccatorum, quem pater ſuſcitauit à
mortuis, & conſtituit ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſu-
per omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, &
dominationẽ, & omne nomen quod nominatur, non ſo-
lum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit
ſub pedib. eius & ipſum dedit caput ſuper omnia Eccle-
ſiæ, quę eſt corpus & plenitudo eius, qui omnia in omni-
bus implet.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Iuxta hiſtoriam ergo creator
omnium, cuius arma ſunt veritas, iuſtitia & iudicium per
creaturam ſibi ſubiectam corripit ac verberat delinquẽ-
tes. Secundum allegoriam autem idem Dñs armat crea-
turam ad vltionem inimicorum, quando per Euangelij
prædicatores perfidiam Iudæorum, ſtultitiam gentilium
atque dolum hęreticorum, de peccato & de iuſtitia, & de
iudicio redarguit, ac telis verborum pectora eorum pun-
git, quatenus timore ſalubri exterriti omnipotentis Dei
C manui cedant, & diſcãt ei ſubiecti eſſe, cuius admonitio-
ni nulla ratione debent rebellare, quia nec potentiæ vllo
modo valent reſiſtere. Quod autem dicit orbem terrarũ
cum illo pugnare contra inſenſatos, oſtendit totam Ec-
cleſiam Chriſti ſimul cum rege ſuo, membra videlicet cũ
capite contra iniquorum errores atq; malitiam, per arma
veritatis & iuſtitiæ pugnare. Quæ & Dñica auctoritate
ſuper petram ſolidiſſimam fundata eſt, nullo modo ve-
Matt.16. retur ruinam: *quia portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eã*; ſed
fixa & inconcuſſa per omnia manet ſæcula.

Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient. E-
miſſiones fulgurum ſunt tonitrua prædicationum, ſiue
coruſcationes miraculorum, quæ directè ibunt: quia iu-
xta diſpenſationẽ auctoris ſui ad vtilitatem electorũ, ſiue
ad damnationem reproborum fiunt. Tanquã à bene cur-
uato arcu nubiũ exterminabuntur, quando auctoritate
diuinarum ſcripturarum per piam intentionem ſancto-
rum Doctorum ad terrendum aduerſarios proferuntur,
& ad certum locum inſilient; quia cõtra eos quos neceſſe
D eſt recto tramite procedent, nec valet eſſe confuſum,
quod diuina ſapientia conſtat eſſę ordinatum.

Et à petroſa ira plena mittuntur grandines: quia pro meri-
torum ęqualitate durę emittuntur increpationes. *Et candeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.* Aquas
maris perturbationes appellat ſæculi, flumina perſecu-
tionum cõmotiones; quia plerumq; corda prauorũ quæ
documenta prædicationum non emolliunt, flagella di-
uerſarum correptionum per timorem frangunt.

Et contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos: & ad extremum deducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet ſedes potentium. Spiritus virtutis
vindicta eſt vltimi examinis, quæ diuidet impios, & ad
extremum perducet omnem terram iniquitatis eorũ, cũ
ſimul & ſubſtantiam terrenam & opera carnalia per ſen-
tentiam ſuam iuſtus iudex pœnæ gehennæ & æternæ de-
E ſolationi deputauit. Malignitas enim euertet ſedes po-
tentium, quia malitia reproborum cauſa eſt damnationis
eorum.

Melior eſt ſapientia, quam vires, & vir prudens quam fortis.
Sapientia ergo vbi inhabitat benè ſemper gubernat ani-
mum. Vires.n. corporis plerumque inſipientes in pecca-
torũ mittunt præcipitium: vnde & prudens præponitur
forti: quia prudentia dirigit greſſus hominis: vis autẽ car-
nalis licet aliquando, cum per potentiam aliquẽ ſupera-
uerit, fortitudinẽ ſimulet, tamẽ ſine prudentię regimine
infirma eſſe apparebit, quãdo ſtulto labore conſũmatur.
Vnde in Pſalmo ſcriptũ eſt: *Nõ in virib. equi voluntatẽ habebit: neq; in tibijs viri beneplacitũ eſt ei. Beneplacitũ eſt Domino ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſericordia eius.* Pſal.146

CAPVT XII.

A*Vdite ergo reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui cõtinetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationũ: quoniã data eſt à Domino vobis poteſtas, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudiciũ duriſſimũ his qui præſunt, fiet.* Admonet rectores Eccleſiæ vt
F iuſtitiã mandatorũ Dei ſeruent, & veritatẽ diuinorũ teſti-
moniorum diſcere & intelligere feſtinẽt: quoniã ſicut i-
pſi data poteſtate à Dño conſtituti ſunt magiſtri ac iudi-
ces fratrũ ſuorum vt iudicent illos ſecundum rationẽ æ-
quitatis, & doceant eos regulã fidei cũ bonis operib. ſer-
uare, ita & ipſi iudiciũ diuinũ expectant, quod non fallit
nec falli poteſt, qui non ſolũ opera ſed & cogitationes il-
lorũ & voluntates dijudicat, & eos qui non ſecundũ vo-
luntatẽ Dei ac legẽ præceptorum viuebant, nec etiã alios
docebãt vel iudicabãt diſtricto examine iudicaturus eſt.

Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormẽta patientur. Hoc eis qui per ignorantiã vel per fragili-
tatẽ vel etiã neceſſitatẽ aliqua crimina perpetrauerũt, &
tamen per humilitatẽ & pœnitentiã ipſa peccata delere
non ceſſauerunt à pijſſimo iudice gratia impenditur re-
miſſionis. His aũt qui per contumaciã & per contemptũ
mandatoru Dei, multa ac grauia cõmiſerunt facinora, &
G de his pęnitentiã agere neglexerunt, grauiora in inferno
deputat tormẽta: ſicut.n. potẽtiores fuerũt in impietatis
actione, ita validiores tolerant pœnas in igne gehennæ.

Non.n. ſubtrahit perſonam cuiuſquã Dominus, nec verebitur magnitudinẽ cuiuſquã Deus: quoniam puſillũ & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus, fortioribus aũt fortior inſtat cruciatio. Non.n. eſt perſonarum acceptor Deus: vt Petrus A- Act.10.
poſtolus teſtatur: *ſed in omni gente, qui timet Deũ & operatur iuſtitiã acceptus eſt illi. Illos aũt qui ſunt magiſtri mendaces, & inducent ſectas perditionis: & eum qui emit eos, Dominum negantes ſuperducentes ſibi celerẽ perditionem, quibus caligo tenebrarũ reſeruatur.* Quia ſi Deus Angelis peccãtibus nõ pepercit, ſed
rudẽtibus inferni detractos in tartarũ tradidit in iudiciũ
cruciandos reſeruari, & originali mundo non pepercit;
ſed octauũ Noe, iuſtitiæ pręconẽ cuſtodiuit, diluuiũ mũ-
do impiorũ inducens: & ciuitates Sodomorũ & Gomor-
H rhæorũ in cinerẽ redigens euerſione damnauit, exemplũ
eorũ qui impiè acturi ſunt ponens: & iuſtũ Loth opp. eſ-
ſum à nefandorũ iniuſta cõuerſatione eripuit, aſpectu.n.
& auditu iuſtus erat, habitãs apud eos qui de die in diẽ a-
nimã iuſtã iniquis operib. cruciabant: ita & nunc eos qui
poſt carnẽ alterã in concupiſcentia & immũditia ambu-
lant audaces ſibi placẽtes ſectas nõ metuunt facere blaſ-
phemãtes in corruptione ſua peribunt, percipiẽtes mer-
cedẽ iniuſtitiæ ſuæ. Nullius.n. Deus veretur magnitudi-
nẽ, quia ipſe eſt ſuper oẽs & magnitudinis eius nõ eſt fi-
nis. Nullius perſonã recipit, quia vnumquẽq; iuxta vias
ſuas iudicabit. Æqualiter cura eſt illi de omnibus, quia o-
mnium ipſe creator eſt, & operis ſui condignã curam ge-
rit atque opem qua ſubſiſtere valeat impendit. Poſt-
quam ergo ſapientia ad potentes ſermonem habuit, &
eorum duritiam duris ſermonibus increpauit ad ipſos
rectores modo ſermonem exhortationis conuertit, &
mirabiliter laudem ipſius ſapientiæ explicat dicens:

A *Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam & non excedatis. Qui enim cuſtodierint iuſtitiam eius iuſtè iuſtificabuntur, & qui didicerunt iuſtitiam, inuenient quod reſpondeant.* Admonet Eccleſiaſticos rectores, immo omnes generaliter quibus regimen commendatum eſt ſuarum animarum, vt diſcant diuinam ſapientiam, quatenus non excedant in præuaricationem præceptorum Dei. Qui enim cuſtodierint iuſta iuſtè iuſtificabuntur, hoc eſt qui iuſtitiam ſequuntur, à iuſto iudice iuſtitiæ ſuæ præmium accipient; & qui didicerint iuſta, vtique *in* rectè credendo & benè operando illis tribuetur, quid reſpondeant quādo diſcuſſio erit ſingulorum quia bonum præſentis vitæ meritum perennis gloriæ beatum expetit præmium.

CAPVT XIII.

C*Oncupiſcite ergo ſermones meos, & diligite illos & habebitis diſciplinam.* Verum eſt quod qui diligit ſapientiā & aſſiduus eſt illius in meditatione, conſeruet diſciplinā in moribus, nec aliter poteſt amator probati ſapientiæ B niſi cōſeruator ſit diſciplinæ. Vnde ipſa veritas ait: Ioan. 15. *Si diligitis me mandata mea ſeruate.* Et iterū: Ioan. 14. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit.* Hinc & Iacobus ait: Iac. 14. *Eſtote ergo factores verbi & non auditores tantum fallentes voſmetipſos, quia non auditores legis iuſtificabuntur apud Dominum ſed factores legis.*

Clara eſt & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam: & inuenitur ab his qui quærunt illam. Decor ſapientiæ immarceſſibilis eſt & his ſolis patet qui eam in veritate diligunt, & ſtudioſè requirunt. Qui autē eam fictè quærunt nullo modo ad eam pertingent quia ſicut ſuperius dictum eſt: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum & in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Vnde Prou. 8. in Prouerbijs ſapientia dicit: *Ego diligentes me diligo, & qui* Prou. 3. *mane vigilant ad me inuenient me.* Et iterum: *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Qui autem in me peccauerit lædet animam ſuam. Omnes qui oderunt me, diligunt mortem.*

Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis per ſe prior oſtendat. Qui de luculo vigilauerit ad illam non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet. Sapientia hæc Chriſtus eſt filius 1. Cor. 1. Dei, de quo Apoſtolus ait: *Chriſtum dico Dei virtutem & Dei ſapientiam, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter*: C hic ergo ſua gratia omnes præoccupat, quicunque ad eius amorem anhelant, quia ipſe eſt via, veritas, & vita, per ipſum itur, ad ipſum tenditur, ad ipſum peruenitur. Ille autem qui ab origine illuceſcentis in ſe fidei corde deuote vigilauerit, non vacuo labore conſumitur, ſed pro boni operis ſtudio ab ipſo coronatur. Aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet, quia eius adiutorium ſemper Apoc. 3. paratum habebit. Vnde in Apocalypſi ipſe dicit: *Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis autem mihi aperuerit introibo ad eum, & cœnabo cum eo & ipſe mecum.*

Cogitare ergo de illa ſenſus conſummatus eſt, & qui vigilauerit propter illam cito erit ſecurus quoniam dignos ſeipſa circuit quærens, & in vijs ſuis oſtendit ſe illis hilariter & in omni prouidentia occurret illis. Cogitatio puræ mentis deſiderium eſt diuinę contemplationis: quomodo ergo ille ſenſu non erit conſummatus, qui ad amorem ſummi boni ſemper eſt intentus, & beatus ille erit, qui peruigili intentione ſummam D ſapientiam quærit, cuius vera adoptio veræ ſinceritatis eſt perceptio. Sed nemo repente fit ſummus quin potius per virtutum profectum ad ſummitatem debet eſſe aſcēſus. In præſenti ergo vita ſtudium impendendum eſt diſcendæ ſapientiæ, & in moribus, ſecundum eius diſciplinæ normam viuendum. Cum autem illa eum imbuerit & perfectè poſſederit æternæ beatitudinis participem eſſe faciet: vnde & ſequitur.

Initium enim illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ, dilectio eſt: & dilectio, cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem legum conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit eſſe proximum Deo. Concupiſcentia itaque ſapiētiæ deducit ad regnum perpetuum. Huius cōmodi autem profectuum gradus Petrus Apoſtolus in ſua Epiſtola oſten- 2. Pet. 1. dit dicens: *Vos autem fratres curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam: in abſtinentia autem patientiā: in patiētia autem pietatem: in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc autem omnia ſi vobiſcū* E *adſint & ſuperent, nō vacuos nec ſine fructu vos conſtituent, in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione.* Qui enim propter ſapientiæ amorem diſciplinabiliter in hoc mundo viuit cuſtodiens mandata Dei, hic per ſacrarum virtutum profectū, ad incorruptionem immortalitatis & perpetuam vitam perueniet, quæ eſt vtique in cognitione diuinitatis Dn̄i noſtri Ieſu Chriſti. Vnde ipſe in Euangelio ad patrem ait: *Hæc eſt autem vita æterna vt cognoſcant te vnum verum Deum,* Ioan. 17. *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Cum autem cognouerit veraciter Deum, tunc in contemplatione ipſius, beatitudine perfruetur ſempiterna, & cum rege ſuo ſimul ipſe regnans, in luce permanet perpetua.

FINIS LIBRI PRIMI.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

1. *Laudat vir ſapiens diuinam ſapientiam, prædicans virtutē eius.*
2. *Idem vir exponit originem humanæ naturæ.*
3. *De eo quod confitetur ſe ſpiritum ſapientiæ accepiſſe, in quo pluria donorum eius cariſmata enarrat.*
4. *Quod ſapientia, quæ eſt filius Dei, attingit vbiq; quia ſemper cum patre eſt, & permanens in ſe innouat omnia.*
5. *Quod eadem ſapientia, attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, quæ quatuor virtutes principales docet, hoc eſt, ſobrietatem, & ſapientiam, iuſtitiam & virtutem, & participes ſui efficit glorioſos.* F
6. *Quod ſapientia Dei quæ eſt incōmutabile bonum venit ad virginem ſanctam & incorruptam, ſumens inde corpus incoinquinatum, vnde illam beatam dicunt omnes generationes.*
7. *Amator ſapientiæ poſtulat à Deo dari ſibi ſapientiam, vt ſciat quod acceptum ſit coram ſe omni tempore.*
8. *Quod per ſapientiam, hoc eſt, Chriſtum ſanati ſunt omnes qui placuerunt Domino.*
9. *Quod ſapientia Dei ſemper cum patre maneat ante ſæcula, per quā in lege, & ante legē, & in Euangelio omnia ordinata ſunt.*
10. *Quod ipſe eduxerit populum Iſrael de AEgypto, iuxta quorum typum ſanctos Martyres liberauit de mundi perſecutionibus.*
11. *Quod in delinquentem populum, dum peccaret immiſerit beſtias vltrices.* G
12. *Omnipotentiam Dei laudat quod ante eum viſibilia & inuiſibilia tanquam gutta roris, & tanquam momentum ſtateræ ſunt omnia.*
13. *Confitetur ſapientia quia ſpiritus ſanctus ſuauis eſt in omnibus, quibus bona Dei diſtribuit in vniuerſo orbe.*
14. *Sapientia laudat Dei patientiam, quia dat locum peccatoribus pœnitentiæ & non ſtatim vlciſcitur.*
15. *Quod commendat bonitatem ſuam diuina pietas, quæ iuſta eſt in omnibus iudicijs ſuis.*

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

S*I ergo delectamini ſedibus & ſtemmatibus reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Neceſſario admonet reges terræ diligere ſapiētiam, quia ſine ſapientia impoſſibile eſt ritè quēquam regnare poſſe. Vnde eſt iſtud Pla- H tonicum: Tunc bene regitur reſpublica quando regnant Philoſophi, & philoſophantur Imperatores ſine ſapientia .n. regnum tenere velle, magis eſt tyrannicæ truculētiæ q̄ regalis temperantiæ. Quapropter rectores conſiderent Eccleſiæ, quam benè cōueniat, vt ipſi in meditatione aſſidui ſint legis diuinę. Qui enim ſacrarum ſcripturarum in diſcēdo, docendo atq; operando ſequitur normā, ſine dubio cæleſtis regni percipiet lætitiam.

Quid eſt aūt ſapientia, & quemadmodū facta ſit referā, & non abſcondā à vobis ſacramenta Dei, ſed ab initio natiuitatis inueſtigabo & ponā in lucem ſcientiam illius & nō præteribo veritatem, neq; cum inuidia tabeſcente iter habebo, quoniā iſta non erit particeps ſapientiæ. Perſpicuum eſt quod inuidię peſtis conſors nō eſt ſapientiæ, quia per inuidiā diaboli mors introiuit in totum orbē terrarū, & per ſapientiā Dei de mortis laqueo ereptum eſt genus humanum; vnde & ſequitur.

A *Multitudo autem ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum, & rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt.* Multitudo autem ſapiẽtium cœtus eſt ſanctorum prædicatorum, quorum doctrina ſanitas eſt orbis terrarum, quia per ipſam ad fidem Chriſti conuerſa eſt turba innumerabilis diuerſarum nationum. Cuius ſcilicet turbæ rex ſapiens eſt, immo ipſa Dei ſapientia & virtus Ieſus Chriſtus Deus & Dominus noſter, qui electorum ſuorum ſtabilimentum ſit, quoniã Pſalmiſta teſtante:
Pſal. 27. *Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt,* de quo idem Propheta ait:
2.Reg. 22 *Dominus petra mea & robur meum, & Saluator meus, Deus meus fortis ſperabo in eum.*

CAPVT II.

ERgo accipite diſciplinam per ſermones meos & proderit vobis. Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente. Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Oſtenſura ergo ſapientia virtutẽ ſuam per vas ſibi aptum primo ipſum prædicatorem ſuum humiliter conditionis humanæ facit enarrare originem vt vnuſquiſque ſciat, quid ex carnis origine, & quid ex dono habeat diuino. Quod enim dicit decem menſium tẽpore ſe coagulatum ſanguine, & ſemine hominis, & delectamento ſomnij conueniente, demonſtrat vtriuſque ſexus differentiam. Nam vt Phyſici aiunt, ſemen hominis eſt candidum, & ſemen mulieris ſanguinolẽtum. Eorum commixtio certis ſpacijs temporum corpus infantis facit formari, donec animatum ad tempus partus decimo menſe perueniat, quamuis non omnes ad decimum menſem pertingãt; cum alij ſeptimo, alij octauo, alij nono naſcantur, ſed hunc partum qui in decimo menſe gignitur perfectiorem magiſque vitalem eſſe & ſalubrem aſſerunt, quam illum qui in octauo vel nono menſe prouenerit. Nam hoc dicit initium natiuitatis omnibus hominibus commune eſſe: tam nobilibus quam ignobilibus, vnumque introitum omnium ad vitam, & ſimilem
C exitum omnium fore oſtendit: quia omnis homo terrenus ex viri & mulieris ſemine ortus temporalis vitæ ſortitur exordium, & per mortis obitum tranſit de hoc mũdo. Cæterum autem cęleſtis Adam, qui ſine virili ſemine ex matre virgine editus eſt, proprium ſuæ natiuitatis habet modum, qui & mortis ſuæ poteſtatiuæ dominatione ordinauit occubitum. Verumtamen decimo menſe poſt conceptionis eius tempus natiuitatis ipſius à Chriſtianis celebratur ſolennitas: quando ab octauo Kalendarum Aprilium quo conceptus creditur vſque ad octauum Kalendarum Ianuar. vbi natus eſt, traditur, ducenti ſeptuaginta ſex dies annumerantur, qui numerus dierum compleet nouem menſes & ſex dies, & ita illa ſententia Euãgelica qua idem Saluator quadraginta ſex annis templũ corporis ſui ædificatum à Iudæis prędixit diſſoluendum, per ſenarij numeri multiplicationem perfectionem incarnationis eius oſtendit: quia ducenti & ſeptuaginta &
D ſex quadragies ſexies ſenarium habent. Vnde euidenter claret quod ſicut perfectus Deus ita & perfectus eſt homo Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

CAPVT III.

PRopter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Amator ſapientiæ dixit ſe optaſſe & inuocaſſe atque experiuiſſe ſapientiam, & ob hoc per gratiam ſpiritus ſancti ſe illam adipiſci, quia vt Apoſtolus
Iac. 1. Iacobus ait: *Qui hanc poſtulat à Deo, dabitur ipſi affluenter, & non improperat:* quæ merito præponitur regnis & ſedibus & diuitijs vniuerſis, quoniam omnia pretioſa mundi in cõparatione illius viléſcunt. Vnde ipſa in prouerbijs ait:
Prou. 8. *Mecum ſunt diuitiæ ac gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia: melior eſt*
E *fructus meus auro & pretioſo lapide, & gemma mea argento electo.* Hinc & ipſa veritas in Euangelio regnum cælorum aſſimilat negotiatori quærenti bonas margaritas;
Matt. 13. *qui inuẽta vna pretioſa margarita abijt & vendit omnia quæ habuit, & emit eã;* qa per cæleſtẽ ſapiẽtiã veraciter inuenit, hoc eſt, verbũ Dei in excelſis omnia emolumẽta p̃ſẽtis vitę, omnẽ philoſophiã humanã, omnẽq; oratorũ eloquẽtiã deſpicit, & ſoli Theoriæ diuinæ vacare gaudebit. Vnde & ſequitur.

Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autẽ mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Salus animę, q̃ eſt in poſſeſſione diuinæ ſapiẽtiæ, cum operib. iuſtitiæ, omnino præponenda eſt omni ſanitati corporis, omniq; ſpeciei corporaliũ rerũ, quoniã ſicut in poſterioribus declarabitur: ſpecioſior eſt ipſa ſapientia ſole, & ſuper omnẽ diſpoſitionẽ ſtellarũ, luci cõparata inuenitur purior, cum illis ſuccedat nox ac tenebræ, huius autem lumen inextinguibile eſt. Quod autem ſequitur veniſſe ſibi omnia bona pariter cum illa, expertus eſt ipſe Salomon, qui ſolam petens à Deo ſapientiam regni ſublimitatem, diuitias, ac gloriam ſimul cum illa
F ꝓmeruit. Myſticè autem quicumq; veraciter Chriſti perceperit notitiã omnium virtutũ ſe lætatur pariter habere gratiam, & in futuro cum ipſo vitam poſſidebit æternam.

Et lætatus ſum in omnibus: quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam horum omniũ mater eſt. Bene lætatur in omnibus, quẽ in cunctis cõſilijs ſuis & actibus p̃cedens regit ſapientia: ſed hoc mirũ eſt, quomodo ſe dicit ignoraſſe horũ omniũ eam eſſe matrẽ, cũ antea dixit, p̃occupaſſe illã eos qui ſe cõcupiſcunt, & illis ſe priorẽ oſtendere, niſi forte in ꝓgreſſu ipſius meditationis intelligẽs ſe tantũ ꝓfeciſſe, vt priorẽ ſcientiã poſteriori coæquando, cũ hãc excellere viderit illã, in comparatione iſtius quaſi ignorantiã eſſe deputauerit: quale eſt illud in Euangelio quia Ioãnes Baptiſta Dñm futurũ p̃conando & digito p̃ſentẽ demõſtrando, poſtq̃ eum baptizauit dixit, ſe eũ antea neſcijſſe, ſed ſpiritu ſancto ſuper eum veniẽte ſibi demonſtratũ eſſe, ita inquiẽs:
Ioan. 1. *Et ego neſciebã eũ, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; ſuper quem videris deſcendentẽ & manentem ſuper eũ ſicut columbã, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto: & ego vidi & teſtimoniũ perhibui: quia hic eſt filius Dei.* Sic & in luminaribus mũdi cætera ſidera licet per ſe clara ſint, in comparatione tamen ſolis minimè clara eſſe deprehenduntur. Vnde & ipſe ſol eo quod ſolus diurno lu-
G mine inter cætera aſtra luceat, nominatur.

Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia cõmunico, & honeſtatem illius nõ abſcõdo. Superius dixerat ꝙ ſpiritus ſanctus dator diuinæ ſapiẽtiæ effugeret fictũ diſciplinæ, & in maleuolã animã nõ introiret ſapiẽtia, nũc aũt verus poſſeſſor ſapientiæ, hãc dicit ſe ſine fictione didiciſſe, ideoq; veraciter potuit ad eius notitiã peruenire, & ſine inuidia eam cõmunicaſſe, atq; honeſtatem illius non abſcõdiſſe quia inuidia cum vera ſapiẽtia nullomodo poteſt cõuenire, q̃ conſtat largitatis & miſericordiæ amatricẽ eſſe.
2.Cor. 6. *Quæ enim ſocietas eſt luci ad tenebras: aut quæ cõmunicatio Chriſti ad Belial.* Vnde Iacobus Apoſtolus dicit:
Iac. 3. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos: oſtendat ex bona cõuerſatione operã ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem: non eſt enim iſta ſapiẽtia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi erit in-*
H *conſtantia, & omne opus prauum. Quæ autem de ſurſum eſt, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione.* Vnde apte ſubiungitur.

Infinitus. n. theſaurus eſt hominibus: quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona cõmendati. Infinitũ ideo theſaurũ dicit eſſe ſapiẽtiæ, quia quãtoq; ſtudioſius eã diſcit, tãto ꝓfundiorẽ eſſe cognoſcit: & quãto magis in ea meditãdo ꝓfecerit, tãto ipſã altius petere intelliget, ideoq; ipſius meditatores amicitiæ Dei participes facti ſũt, qa p̃ceptorũ & volũtatis Dei veri ſũt agnitores: de quo ipſa veritas ad diſcipulos in Euãgelio ait:
Ioan. 15. *Iã nõ dicam vos ſeruos quia ſeruus neſcit quid faciat, Dominus eius. Vos aũt dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui à patre meo nota feci vob.*

Digitized by Google

A *Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia & præſumere digna horum quæ mihi dantur: quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator: in manu enim illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia ac diſciplina.* Sapientiæ dux Deus eſt, quoniam omnipotens pater incarnationis vnigeniti filij ſui auctor eſt, quem miſit in mundum, vt illuminationem veritatis perciperet genus humanum, *cui dedit omnem poteſtatem in cælo & in terra, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſeq; fecit nos & non ipſi nos.* Pſal. 99. *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Cuius donum eſt quidquid rectè ſentimus, quicquid rectè proferimus, & quidquid in bonis actibus elaboramus.*

Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram: vt ſciã diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initiũ, & conſummationem, & medietatem temporum viciſſitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunq; ſunt abſconſa & improuiſa, didici: omnium enim artifex docuit me ſapientia. B Qualiter aũt Salomõ diuino munere excelleret in ſapientia, oſtendit ſcriptura dicens. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris, & præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omniũ Orientalium atque Ægyptiorum, & erat ſapiẽtior cunctis hominibus: ſapientior Æthan, Ezraelita, & Eman, & Chalchol, & Dorda filijs Mahol: & erat nominatus in vniuerſis gentibus per circuitum. Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque & mille, & diſputauit ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano, vſque ad Iſopum, qui egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis & de volucribus, & reptilibus & piſcibus, & veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius.* Cæterum pacificus noſter, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia, corã cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, non ſolũ ipſe omnia nouit q̃ ſunt & q̃ fuerũt, atq; futura ſunt: verum etiam ꝓprijs diſcipulis hoc eſt membris nimirum ſuis, dat intelligentiam myſteriorum ſuorũ, ita vt nõ ſolũ rerũ viſibiliũ imo & inuiſibiliũ ſcientiam habeant, & q̃d hiſtoria doceat, aut quid allegoria oſtendat, quidue tropologia cõmẽdet, & q̃d anagoge de ſupernis intimet perfectè intelligãt, vnde bene in Euãgelio legitur: Ioan. 1. C *Ipſe eſt lux mũdi, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mundũ*, quẽ q̃ ſequitur nõ ambulat in tenebris, ſed habebit lumẽ vitæ.

Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, mobilis, diſertus, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum actum, qui nullum vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciẽs, & qui capiat oẽs ſpiritus intelligibiles, mundos, ſubtiles. Iſaias Propheta cariſmata diuina enumerans, q̃ ſeptemplici ſpiritu in flore radicis Ieſſe requiaſcere p̃dixerat, oſtẽdit omniũ donorum ſpiritus S. integritatem in humanitate exiſtere Saluatoris, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſciẽtiæ abſcõditi, & plenitudo diuinitatis habitat corporaliter; nec ei pater ad menſuram dat ſpiritum, vnde fiducialiter dicit: Matt. 11. *Omnia quæ habet pater mea ſunt: & nemo nouit filiũ niſi pater: neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Hic ergo cũ ſcriptor hiſtoriæ virtutẽ ipſius ſapiẽtiæ enarrare vellet ait: ꝙ in ipſa ſit ſpiritus intellectus, eo ꝙ agnitio veritatis per ipſam cõfertur. D Sanctus, eo ꝙ ſanctificat omnia. Vnicus quia vnitatem & concordiã in electis facit. Multiplex, quia ſcientia & virtutum varietatẽ tribuit. Subtilis ac mobilis, quoniam viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite, & pertingẽs vſq; ad diuiſionẽ animæ, & ſpiritus cõpagum quoque & medularum, & diſcretor cogitationum. Diſertus, quia aperit os malorũ, & diſertas linguas facit infantium. Incoinquinatus, quia nullius peccati macula ſibi cohæret. Certus, quia neminẽ fallit nec falli poteſt. Suauis, q̃a mitis & miſericors eſt omnibus inuocantibus ſe. Amans bonũ actum, & neminẽ vetat benefacere, quia nec gaudet ſuper iniquitatẽ, congaudet aũt veritati. Humanus & benignus, quia miſericors eſt, ſuauis & pius, ſtabilis, certus, ſecurus, qui in Euangelio ait: Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas & vita.* Et ſtabilis dicitur, quia per naturam omnia continet. E Mobilis autem dicitur, quia vbiq; etiam neſciẽtibus occurrit. Tenens ergo omnia ſtabilis præſentẽ ſe omnibus exhibẽs mobilis appellatur. Sed in his verbis noſtris magna q̃ſtio oritur, cur iſte ſpiritus qui implet omnia ſimul mobilis & ſtabilis dicatur: ſed ſi ad vſum humanæ cõſuetudinis recurrimus, ſenſum citius loquentis inuenimus. Homo quippe qui in ea regione in qua eſt vbique diſcurrit, procul dubio vbiq; obuiam venit, & repente vbi non creditur inuenitur. Omnipotens ergo ſpiritus vt vbique præſens ſignificaretur, ſimul & mobilis omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, quia dat virtutem laſſo, & Pſal. 94. lumen cæco quoniã ipſe ſolus dabit virtutẽ & fortitudinẽ plebis ſuæ. Phil. 2. Ipſe capit oẽs ſpiritus intelligibiles, mũdos & ſubtiles, *quia in eius manu ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. In cuius nomine omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

CAPVT IIII.

Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit aũt vbiq; ſuam munditiam. Quid poteſt mobilius & ſubtilius eſſe ſapientia, q̃ omnia creauit, omnia regit, omnia ordinat, omnia gubernat, in ipſa enim viuimus, mouemur & ſumus. F Attingit autem vbique propter munditiam ſuam; quia lux eſt, & tenebræ non ſunt in ea vllæ.

Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in illam incurrit. Manifeſtum eſt quod vnigenitus Dei filius, ex Dei patris ſubſtantia natus, coæqualis ac coæternus, ac conſubſtantialis eſt patri, & ideo nihil inquinatum in eo inuenitur, quia ſummo bono nihil appropinquat mali, ſed ſimplex bonum ſemper idem manet.

Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. De eodem filio dicit Apoſtolus: Hebr. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura expreſſa ſubſtantiæ eius, regens omnia verbo virtutis ſuæ.* Pater enim ipſam ſapiẽtiam dicit vt verbum eius ſit, non quomodo profertur ex ore verbum ſonans, aut ante pronunciationem cogitatur: ſpacijs enim temporum hoc cõpletur, illud autem æternum eſt, & illuminando dicit nobis & de ſe & de patre, quod dicendum eſt hominibus, ideoq; ait: Matt. 11. *Nemo nouit filium niſi pater, & nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* G Quia per filium reuelat pater, id eſt, per verbum ſuum. Si enim hoc verbum quod proferimus tẽporale & tranſitorium eſt, & ſe ipſum oſtẽdit, & illud de quo loquimur; quanto magis verbum Dei per quod facta ſunt omnia, quod ita oſtendit patrem ſicuti eſt pater, quia & ipſum ita eſt, & hoc eſt quod pater, ſecundum ꝙ ſapientia eſt & eſſentia. Nam ſecundum Verbum nõ hoc eſt, quod pater: quia Verbum non eſt pater, & Verbum relatiue dicitur, ſicut filius, quod vtique non pater, & ideo Chriſtus virtus & ſapientia Dei, quia de patre, virtute & ſapientia, etiam ipſe virtus & ſapientia eſt, ſicut lumen Dei, & de patre lumine, & fons vitæ apud Deum patrem vtique fontem vitæ: *quoniam apud te*, inquit, *fons vitæ.* Pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen: quia ſicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſicut dedit filio habere vitam in ſemetipſo.* Ioan. 1. *Et erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum: & lumen hoc Verbum erat apud Deum, ſed & Deus erat Verbum.* Deus autem lumen eſt, & tenebræ in illo non ſunt vllæ. H Lumen vero non corporale ſed ſpirituale; neque ita ſpiritale vt luminatione factum ſit, quemadmodum dictum eſt Apoſtolis: *Vos eſtis lumen mundi*: ſed lumen quod illuminat omnem hominem, ea ipſa & ſumma ſapientia Deus, vnde nunc agimus. Sapientia ergo filius, de ſapientia patre: ſicut lumen de lumine, & Deus de Deo, vt & ſingulus pater lumen, & ſingulus filius lumen, & ſingulus pater Deus, & ſingulus filius Deus: Ergo & ſingulus pater ſapientia, & ſingulus filius ſapientia, & ſic vtrumque ſimul vnum lumen, & vnus Deus, ſic vtrumque vna ſapientia, ſed filius factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia & ſanctificatio, quia temporaliter nos ad illum conuertimur, idque ex aliquo tempore, vt cum illo maneamus in æternum, & ipſe ex quodam tempore *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.*

Digitized by Google

A *Et cum ſit vna omnia poteſt, & permanens in ſe omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit.* Propterea cum pronunciatur iu ſcripturis aut narratur aliquid de ſapientia, ſiue dicente ipſa, ſiue eum de illa dicitur, filius nobis potiſſimum inſinuatur, cuius imaginis exemplo & nos, non diſcedamus à Deo, quia & nos imago Dei ſumus, non quidem æqualis, facta quippe à Patre per filium, non nata de Patre, ſicut illa, & nos quia illuminamur lumine, illa vero quia lumē illuminans, & ideo illa ſine exemplo nobis exemplum eſt. Neque enim imitatur quenquam præcedentem ad patrem, à quo nunquam eſt ſeparabilis, quia idipſum eſt quod ille de quo eſt, nos autem imitantes imitamur manentem, & ſequimur ſtantem, & in ipſo ambulantes tendimus ad ipſum: quia factus eſt nobis via temporalis per humilitatem, qui manſio nobis æterna per diuinitatem, quoniam quippe ſpiritibus mundis intellectualibus, qui ſuperbia non lapſi ſunt, in forma Dei & Deo æqualis, & Deus præbet exemplum, vt ſe idem exemplum
B redeundi etiam lapſo præberet homini, qui propter immundiciam peccatorum pœnamque mortalitatis Deum videre non poterat; ſemetipſum exinaniuit, non mutando diuinitatem ſuam, ſed noſtram mutabilitatem aſſumendo, & formam ſerui accipiens venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per ipſū factus eſt: vt exemplum ſurſum videntibus Deum, exemplum deorſum mirantibus hominem, exemplum ſanis ad permanendum, exemplum infirmis ad conualeſcendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad reſurgendum. In omnibus ipſe primatum tenens, quia enim homo ad beatitudinem ſequi non debebat niſi Deum, & ſentire non poterat Deum ſequēdo, Deum hominem factum ſequeretur, ſimul & quem ſentire poterat, & quem ſequi debebat. Omnipotens quidem Pater omnipotentem ſapientiam de ſe genuit, quæ permanens omnia in ſe innouat, quia ipſa immutabilis omnia mutabilia ſuo nutu regit ac ordinat, quæ in electorum animas ſe transferens ſua gratia efficit amicos
Ioan. 1. Dei, & Prophetas conſtituit. *Omnia enim per ipſum facta*
C *ſunt. & ſine ipſo factum eſt nihil.* Vnde dicitur: *Omnia in ſapientia feciſti*, quia per filium ſuum, hoc eſt, verbum ac ſapientiam ſuam omnia Deus fecit.

Neminem enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat. Si Deus neminem diligit niſi eum qui cum ſapientia inhabitat, profecto omnes ſtultitiæ ſectatores odit. Vnde & in hac ſententia declaratur, quod omnis qui odit diſciplinam gratiæ Dei particeps eſſe non poſſit, *quia*
Prou. 15. *longe eſt dominus ab impiis, & qui increpationes odit, morietur.*
Prou. 28. *Cor ergo ſapientis quærit doctrinam, & mens iuſti meditabitur obedientiam. Qui autem confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: & qui graditur ſapienter iſte ſaluabitur.*

Eſt enim hæc ſpecioſior ſole & ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem, luci comparata inuenitur purior. Specioſiorem iuxta hiſtoriam dicit eſſe ſapientiam ſole, & omnium ſiderum claritate: quia corporalis lux, quæ vice noctium intercedente variata aliquando apparet, aliquando vero latet; ad ſpiritalem & perpetuam lucem ſapientiæ comparata, vix paruum quaſi cuiuſdam ſcintillæ habere videtur fulgorem: quia omnis res tranſitoria permanſuræ
D aſſimilata, quaſi iam non eſſe videtur cum æternitate abſumitur. Sic & myſticè claritas ſapientiæ Dei, quæ eſt CHRISTVS ad ſplendorem quorumlibet ſanctorum, quos hic nomine ſolis & ſtellarum nuncupat, aſſimilata longè tranſcendit: quia iſti mutabiles ſunt, illa autem ſemper idem manet. Quod Pſalmiſta intuens ad ipſum
Pſal. 110. Dominum ait: *Initio Domine tu terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient.* De quo & adhuc ſubditur.

Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia. Quoniam nullus electorum in hac vita immunis eſt à peccato; ad CHRISTVM ergo nulla appropinquat
Eccl. 31. malitia. De quo ſcriptum eſt: *Beatus iuſtus in Domino qui*
Iſai. 53. *inuentus eſt ſine macula.* Et iterum: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Ad quem princeps mundi veniens in eo non inuenit quicquam. Veruntamen languores noſtros ipſe portauit, & ægrotationes pertulit, E
quia peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt 1. Pet. 2.
peccatis mortui iuſtitiæ viueremus, cuius liuore ſanati ſumus.

CAPVT V.

ATtingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Vnigenitus ergo filius Dei coæternus & coæqualis per omnia Patri & Spiritui ſancto. A fine vſque ad finem, hoc eſt, ab æterno vſque in æternum. Attingit fortiter, quia virtus eſt Dei, & diſponit omnia ſuauiter: quia idem ipſius eſt ſapientia, qui in Apocalypſi
Ioannis ita ait: *Ego ſum Alpha & Omega, initium & finis dicit Dominus Deus.* Apoc. 21.
Initium, quem nullus præcedit. Finis, cui nullus in regno ſuccedit, qui eſt, qui erat, & venturus eſt omnipotens. Qui alibi per Prophetam ait: *Ante* Iſai. 43.
me non eſt formatus Deus & poſt me non erit. Aliter, ſapientia
attingit *à fine vſque ad finem fortiter*, cum ab initio creatio- Sap. 8.
nis mundi, vſque ad aduentum Domini mirifica Dei o- F
pera atque ſincera diuinæ legis teſtimonia, per vetus teſtamentum fortiter aſſerit, & ab incarnatione verbi vſq; ad finem mundi dulcedinem diuinorum, mandatorum per Euangelium ſuauiter exponit. Vnus ergo atq; idem conditor eſt, vtriuſque Teſtamenti mediator videlicet, Dei & hominum qui in lege ſui timorem, & in Euangelio ſui amorem electis ſuis commendauit. Vnde eleganter ſapientia à *fine vſq; ad finem fortiter pertingere* dicitur: quia vbique conſummatæ & perfectæ eſſe virtutis prædicatur, finem enim pro perfectione ſæpius in ſcripturis poſitum inuenimus, vt eſt illud Apoſtoli: *Finis præcepti eſt ca-* 1. Tim. 1.
ritas, ex corde puro & conſcientia pura, & fide non ficta. Et rurſum: *Finis legis eſt* CHRISTVS *ad iuſtitiam omni creden-* Rom. 10.
ti. Hinc & in Euangelio ipſa veritas cum duo præcepta charitatis, cōſummationem legis & Prophetarum oſtendere vellet, legiſperito reſpondit dicens: *In his duob. man-* Matt. 22.
datis vniuerſa lex pendet & Prophetæ, hoc eſt, vniuerſa doctrina, legis & Prophetarum in his impletur, & in his
conſummatur. G

Hanc amaui, hanc exquiſiui à iuuentute mea. Amator ſapientiæ quæſiſſe ſe dicit ipſam ſapientiam à iuuentute ſua, hoc eſt, à cunabilis vitæ humanæ, & ideo eam veraciter inuenit: quia ſtudioſus inquiſitor eius fuit, iuxta illam promiſſionem, quam ipſa alibi dilectoribus ſuis repromi-
ſit dicens: *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores me-* Prou. 8.
as quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit in- Prou. 8.
ueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Et item: *Ego*, in- Ibid.
quit, *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me inuenient me.*

Et quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Quæſiui, inquit, ſponſam mihi aſſumere, hoc eſt, perpetuo eam fœdere mihi copulare, à cuius ſocietate ſcio nequaquam me ſeparari velle, cuiuſque formam elegi maximè deſiderare; forma enim ſapientiæ veritas eſt, quam omnes veraciter religioſi præcipuè appetunt agnoſcere: quia ea ſola eſt, qua omnes electi Dei ſperant in æterna quiete ſe beatificari. Vnde ipſa veritas in Eu-
angelio ad Patrem ait: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te* Ioan. 17.
verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. H
De quo & ſubiungitur.

Generoſitatem glorificat contubernium habens Dei. Generoſitas ergo atque nobilitas eſt vnigeniti filij, æternum & omnipotentem habere patrem, cum quo ipſe coæqualis & coæternus ab initio manet: quia *in principio erat ver-* Ioan. 1.
bum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Sed & omnium Dominus, dilexit illam. Quia Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius; *Doctrix eſt enim* Ibid.
diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. Quod Ioannes in Euangelio manifeſte comprobat, dicens: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per*

A *Moyſen data eſt, gratia & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta eſt. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.*

Et ſi diuitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius quæ omnia operatur. Sapientia ergo Dei & virtus Dominus CHRISTVS per quem omnia facta ſunt, & qui ſimul cum Patre vniuerſa proprio nutu diſponit atque regit, Ioan. 5. iuxta illud Euangelij: *Pater*, inquit, *meus vſq; modo operatur, & ego operor.* Ipſe omnium virtutum diuitias in ſe continet, & amatoribus ſuis ſecundum voluntatem ſuam diſtribuit, quod & in nouo, & in veteri Teſtamento pari modo declaratur. Vnde ſicut in Prouerbijs ipſa ſapientia Prou. 8. loquitur dicens: *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperna & iuſtitia. Melior eſt fructus meus auro & pretioſo lapide, & genimina mea argento electo, in viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Ita & in Euangelico eadem clamat & dicit: Ioan. 8. *Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris,* Matt. 11. *ſed habebit lumen vitæ. Venite ad me omnes qui laboratis & o-* B *nerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus me-* Matt. 19. *um leue eſt.* Et alibi: *Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Poteſt & hæc ſententia ad mediatores diuinæ legis, qui in ea die ac nocte ritè meditantur, & in contemplatione aſſidui ſunt diuina ſpecialiter pertinere, quia quiſquis eam intento corde & bona voluntate exquiſierit, inenarrabili dulcedine ſua veritatis internæ replebitur, & bonorum omnium largitate profruetur. Vnde & adhuc ſubiungitur.

Si autem ſenſus operatur, quis horum quæ ſunt magis quam illa eſt artifex. Si ergo ſapientia ſani ſenſus & profundæ intelligentiæ eſt creatrix, quomodo omnium bonorum operum, ſacratum virtutum, quæ ſalutem ſtabilem ſuis amatoribus exhibent ipſa non eſt effectrix.

Et ſi iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes. Nemo peruenire poterit ad iuſtitiæ palmam, niſi C ſequatur ſapientiæ normam: quia ipſa ſeruet æquitatis regulam, & per viam veritatis ducit ad perpetuam vitam. Huius enim labores magnas habent virtutes, quia nihil iners, nihil diſſidioſum eius ineſt operibus, ſed quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc agit: & amatoribus ſuis facienda committit, vt ipſius boni vſu vitam conquirant ſempiternam, fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.

Sobrietatem enim & ſapientiam docet, & iuſtitiam & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Principales quatuor eſſe virtutes non ſolum Philoſophi ſentiunt, ſed etiam noſtri conſentiunt, quas hic ſobrietatem, ſapientiam, iuſtitiam & virtutem nuncupant. Alibi autem ipſæ verſis nominibus, *prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia* appellantur. Sed quæ quatuor, vel opera ſint ſingularum hoc Domino illuminante debemus breuiter demonſtrare. Quaternarium numerum perfectioni ſacratum pene nullus ignorat. Siquidem totus orbis D Oriente, Occidente, Aquilone & Meridie quatuor terminari partibus ſiue angulis inuenitur: & ipſe Adam humani generis Pater, vel generale nomen quod dicitur homo quatuor literis explicatur. Corpus quoque quatuor elementis extructum quaternarij numeri in ſe continet Sacramentum. Ipſius etiam animæ quatuor eſſe affectiones quibus vel ad bona vtimur, vel ad mala: & antiqui ſubtiliter inuenerunt, & eorum inuenta probantes poſteri ſuſceperunt. Sed & quatuor flumina quæ de paradiſi fonte procedunt, vel quatuor Euangelia diuini curſus toræ, quatuor & animalia alæ eorum quatuor ac facies, dignitatem huius numeri abundè commendant: & ideo virtutes iſtæ quæ tantum continent perfectionis in numero ſolicitè conſiderare debemus, quantum ſanctitatem conferant animo Chriſtiano, & quam nihil perfectionis ſit vſquam quod in iſtis virtutibus non ſit. E Nam ſi temperantia facit temperantem, prudentia prudentem, iuſtitia iuſtum, fortitudo fortem, eo qui temperanter, & iuſtè, prudenter agit ac fortiter, neſcio quid poſſit eſſe perfectius. Itaque difficile quidem nobis eſt nomina virtutum, quæ & illis quatuor quas principales diximus oriuntur oſtendere, ſed cum proprietates & actus earum cœperint aperire, effectibus ſingularum virtutes ex quibus exiſtant forſitan apparebit. Veruntamen hoc inprimis noſſe & tenere debemus, quod iſtæ virtutes quatuor vel omnes quæ de illis exiſtunt dona ſint Dei, & quod nullus eas habeat, habuit aut habebit, niſi cui Deus qui eſt virtutum omnium proprietas & origo contulerit, quoniam quicunque quocunque tempore in quacunque Gente in Deum credentes, & fide vixerunt, illius dono temperantes & prudentes, iuſti vel fortes fieri vtique potuerunt. Qui autem neſcientes Deum vel etiam blaſphemantes ſine fide vixerunt, nihil illarum virtutum à Deo accipere vel habere potuiſſe credendi ſunt. *Omnes enim* Pſal. 13. *declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faceret bonum* F *vſque ad vnum.* Et licet quandam pietatis ſpeciem habere viderentur, virtutem tamen eius penitus ignorauerunt, quia ſubdi creatori ſuo noluerunt. Vnde varia ſcrutantes & per diuerſa quærendo ac diſputando tendentes viam ſapientiæ neſcierunt, neque viam diſciplinæ inuenerunt, propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt Dei ſapientiam interierunt propter ſuam ſapientiam. *Deus enim & Deus noſter, qui eſt fons vitæ & lux ve-* Baruch 3. *ra, verbum & virtus & ſapientia Dei, ad quem alius nullus æſtimabitur, neque ſimilis inuenitur: hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & dedit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc ſuper terram viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, propterea omnis vtilitas diſciplinæ & intelligentiæ, ſapientiæ, prudentiæque doctrina ad illum referenda eſt, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum de-* Iacob. 1. *ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Vnde & ſequitur.

Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat, qui ſcit præterita, & de futuris æſtimat, ſcit verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra, ſcit antequam fiant, & euentus G *temporum & ſeculorum.* Manifeſtum eſt quod æternæ virtuti & ſapientiæ Dei, Domino videlicet noſtro IESV CHRISTO omnia pateant, atque ei cuncta poſſibilia ſint, nec eſt quicquam quod eum lateat, neque aliquid reſiſtere poterit voluntati eius; Sed omnia quæcunque vult facit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, ipſe ſcit præterita & de futuris æſtimat, qui per Prophetam ait: *Ante me non eſt formatus Deus & poſt me non erit.* Iſai. 43. Et in Prouerbijs: *Dominus*, inquit, *poſſedit me initio via-* Prou. 8. *rum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis: antequam terram faceret.* Et item: *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege &* Ibid. *gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem aquis ponebat ne tranſirent fines ſuos, quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo. Ipſe ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum*, qui in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non po-* Luc. 21. *terunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* H Ipſe nouit ſigna & monſtra antequam fiant, & euentus temporum ac ſeculorum, qui electos ſuos de futuris inſtituens prædixit eis ſigna & prodigia, quæque ventura erunt ante diem iudicij, & aduentum ſuum in nouiſſimo ita dicens: *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura* Ibid. *Gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperueniunt vniuerſo orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum poteſtate magna & maieſtate*, & reliqua.

Propoſui ergo hanc adiungere mihi ad conuiuendum, ſciens quoniam communicabit mecum de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei. Plura narrans vir ſapiens de virtutibus ſapientiæ, nouiſſimè ſubiecit eius ſe ſocietati coniungi deſiderare, vnde haberet conſolationem, & tædij ſu[illegible]e-

Digitized by Google

A leuationem; ita & populus Eccleſiæ qui verè rex & veraciter prudens eſſe dici poteſt: quia cœleſtis regis & domini membra ſunt dicente Apoſtolo Petro: 1.Pet.2. *Vos autem eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Communicationem diuinæ ſapientiæ videlicet Domini IESV CHRISTI ſe habere congaudet, & in ipſius amplexu atque conuiuio ſpiritali iugiter manere delectat, quem piiſſimum ac benigniſſimum eſſe nouit, & donorum cœleſtium diſpenſatorem largiſſimum. Vnde idem in Apocalypſi S. Ioannis loquitur dicens: Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Poteſt & hic locus ad Virginem Dei genitricem referri, quæ propoſitum in ſe habens caſtiſſimæ virginitatis meruit diuino verbo virtutis fœcundari, ac generando Dei filium ad ſalutem humani generis celeberrimæ laudis præconio ab omnibus venerari. B Vnde & ipſa in cantico Euangelij dicit: Luc. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Cui etiam voci concordant quæ in hoc loco ſubiunguntur.

Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores, iuuenis & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me. Tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinantem me plura, manus ori ſuo imponent. Virginis enim partus omnibus ſeculis extitit admirandus, qui ad ruinam & ad reſurrectionem multorum, iuxta B. Simeonis vocem aduenit, & in ſignum cui contradicebatur. De quo & per Iſaiam dicitur: Iſa.11. *Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ſuper quem reges continebunt os ſuum, ipſum Gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Aliter cœtus ſanctorum Doctorum doctrina imbutus Saluatoris, & per gratiam ſancti Spiritus illuminatus, claritatem habet ad turbas, cum Euangelium prædicando & virtutibus verbum Dei commendando electorum ex omnibus Gentibus ad fidem Dei conuocat multitudinem. Habet honorem apud ſeniores cum principatus & poteſtates iſtius mundi ſubijcit religioni Chriſtianæ: ſiue etiam C iuxta anagogen habet honorem apud ſeniores, cum Patriarchis ac Prophetis iungitur in regno cœleſti. Iuuenis & acutus inuenitur in iudicio, cum omnia ſecundum legis Dei diſcernit atque dijudicat ſanctionem. Et in conſpectu potentium eſt admirabilis, cum reges terræ & principes ſtupent ad prædicationem Euangelij, & mirantes reuerebuntur, loquentemque reſpicient, ac diſputanti reſiſtere non valent, quod ſæpiſſimè eueniſſe ſub nouo Teſtamento liber Actuum Apoſtolorum & Sanctorum Martyrum paſſiones teſtantur. Vnde in prædicto libro legitur, quod prædicante Petro fieret, Act.1. *omni animæ timor. Multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos fiebant in Ieruſalem, & metus erat magnus in vniuerſis.* Similiter in eodem libro narratur, quod hi qui diſputabant cum Stephano, Act. 6. *non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur.* Item Saulus poſtquam in Damaſco Anania prædicante percepit fidem Dei & baptizatus eſt, magis conualeſcebat & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, D *affirmans quoniam hic eſt* CHRISTVS, Act.9. *fiducialiter agens in nomine Dei.* Idem quoque Apoſtolus dum prædicaret in Inſula Cypro verbum Dei, & ibi inueniret Pſeudoprophetam Iudæum cui nomen erat Barhieu, qui erat cum proconſule Sergio Paulo viro prudente, hunc cum comperiſſet reſiſtere ſibi, & increpans perculiſſet cæcitate, Act. 13. *mox proconſul cum vidiſſet factum credidit admirans ſuper doctrina Domini.*

Propterea habeo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam, his qui poſt me futuri ſunt relinquam. Immortalitatem habent ſancti, quia fidei veritate inſtructi, & in charitate diuina radicati & fundati, iam ſpe immortalitatis futuræ ſunt participes, & in documentis ſanæ doctrinæ, atque bonorum operum exemplis cum virtutum fructibus venturis poſt ſe generationibus memoriam beatam relinquent, & merito quia fidelium diſcipulorum ex omnibus Gentibus, copioſam E turbam ſuæ diſciplinæ ſeruatricem habebunt. Vnde & ſequitur.

Diſponam populos & nationes mihi erunt ſubiectæ. Timebunt me audientes reges horrendi, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Diſponunt Doctores ſancti populos & nationes ſibi ſubiectas diſciplinaliter viuere erudiunt, quando legis & Prophetarum teſtimonia illis exponendo aperiunt, & ſacris Euangelij dictis eos obedire faciunt, neciam peruarias ſectas vacillantes abire ſinunt, ſed fidei veritatem & doctrinæ ſinceritatem in omnibus ſeruare compellunt, quibus etiam & ipſi perſecutores ſæui, ac reges horrendi victi eorum patientiæ cedere coguntur, quia potentiæ CHRISTI, quæ in eis virtutes operatur nullo modo reſiſtere valent, qui in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, quia vici ego mundum.* Ioan. 16. Et item: *fortior*, inquit, *eſt, qui in vobis eſt, quam qui in mundo eſt.* Vnde quoque ipſi in multitudine fidelium videntur pij ac benigni, in bello autem aduerſariorum ſuorum fidi atque fortiſſimi. F Hæc autem foris agentibus, quid eis intus ſapientia præſtet audiamus.

Intrans in domum meam conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Poſt prædicationem diuini verbi, poſt labores bonorum actuum, quibus ſancti viri forinſecus ſolatia præbent ſuis auditoribus, ad domicilia pectoris ſui redeuntes in meditatione ſapientiæ contemplationi vacant diuinæ, & ſic à turbulentis negotiorum ſecularium moleſtijs intus conuenient quietem ſupernæ dulcedinis. *Nonenim*, inquit, *habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius*, quia corporales delitiæ cum auidè ſumuntur corpus grauant, ſpiritales autem deliciæ quanto magis capiuntur, tanto magis mentem ſeleuant. Hoc enim diſtare inter delicias cordis & corporis ſolet, quod corporales deliciæ cum non habentur graue in ſe deſiderium accendunt, cum vero auidè ſumuntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpiritales deliciæ G cum non habentur in faſtidio ſunt, cum vero habentur in deſiderio, tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet; in iſtis appetitus vilis eſt: experientia magis placet: In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat, in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit: augent enim ſuimet ſpiritales deliciæ deſiderium in mente cum ſatiant: quia quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur, quod auidius ametur, & idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur.

Hæc cogitans apud me & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas eſt in cogitatione ſapientia, & in amicitia illius, delectatio bona: & in operibus manuum illius honeſtas ſine defectione, & in certamine loquela illius ſapientia, & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius. Immortalitas eſt in cogitatione ſapientiæ; quia quicquid veraciter de natura ipſius cognoſcitur, totum immortale & ſemper viuens eſſe reperitur. In cuius amicitia, de- H lectatio bona: & quanto quis in amore eius profecerit, tanto ſuauius in eius dilectione exardeſcit. *In operibus manuum illius eſt honeſtas ſine defectione*, quia ipſa eſt origo omnium rerum, & per ipſam creata ſunt omnia quæ in cœlis & quæ in terra, & quæ ſubtus terram ſunt. De quo ſcriptum eſt: *Omnia in ſapientia feciſti.* Pſal. 103. Et in Euangelio inquit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt.* Ioan. 1. *In certamine loquela ipſius ſapientia & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius eſt*, quia ipſa ſapientia aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas. Hæc enim omnia nolo extra CHRISTVM requiras, omnia quippe quæ Dei ſunt, CHRISTVS eſt: ipſe ſapientia eius, ipſe fortitudo, ipſe iuſtitia, ipſe ſan-

Digitized by Google

A ctitas, & redemptio, ipſe vt ad præſens veniam etiam prudentia. Sed cum ſit in ſubiacente pro varietate ſenſuum, diuerſis vocabulis nuncupatur, aliud ſignificat ſapientia, aliud iuſtitia. Quando enim ſapientia dicitur diſciplinas diuinarum humanarumque rerum inſtituet. Quando iuſtitia diſtributor & iudex meritorum ſignificatur. Quando ſanctitas, illa virtus deſcribitur, quæ credentes Deo efficit ſanctos.

Circuibam quærens vt eam mihi aſſumerem. Circuitus iſte diligentiam ſignificat quærendi, ac ſtudium meditandi, per quæ corda electorum ſatagunt peruenire ad notitiam ſapientiæ. Vnde & ſponſa in Cantico Canticorum dicit: (Cant. 3.) *Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quærens quem diligit anima mea. Quæſiui illum & non inueni, inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem dilexit anima vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem dilexit anima mea.*

Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. B Referente ſcriptura regum didicimus, quod Salomon in pueritia poſtulauerit à Domino ſapientiam, & cor docibile vt ritè iudicare poſſet populum Domini, & diſcernere inter bonum & malum, quod & impetrauit: in tantum, vt nullus ante ſe ſimilis ei fuerit de regibus, nec poſt eum ſurrecturus ſit. Vnde & quodammodo hæc ſententia ad ipſum cooptari poteſt, quia ſortitus ſit animam bonam, in eo quod habuerit cor ſapiens & intelligens. Sed videndum eſt vtrum id quod ſubiungitur ad ipſum pertinere poſſit.

Cum eſſem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum. Cum ipſum ſcriptura in multis locis reprehendat, eo quod amauerit mulieres alienigenas, quæ auerterunt cor eius, & offendit Dominum ædificando idola, propter alienigenas vxores, quæ adolebant thura, & immolabant dijs ſuis, idcirco magis mihi videtur conuenire iuxta allegoriam ad ſanctorum populum, qui lauacro ſacri baptiſmatis regeneratus & fide Saluatoris imbutus, pueritiam bonæ indolis, & ſimilis innocentiæ percepit, & ſacris ſtudijs intentus proficere certat, C & peruenire ad culmen virtutum. Vnde & ſequitur.

CAPVT VI.

Et *cum eſſem magis bonus veni ad corpus coinquinatum.* Nam ſuperius ſcriptũ eſt, quod cuſtoditio legum Dei, conſummatio ſit incorruptionis, incorruptio autem proximum facit eſſe Deo. Sed nemo ad huiuſmodi perfectionem peruenire poterit, niſi eum diuina gratia ſublimauerit. De qua etiam ſcientiæ donum & virtutum collatio expetenda & ſperanda eſt, quia iuxta Iacobi ſententiam: (Iacob. 1.) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Quod ſentiens iſte vir ſapiens conſequenter ait.

Et vt ſciui quoniam aliter non poſſum eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordijs meis: Deus patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem, D *vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt, vt diſponat orbem terrarum in æquitate & iuſtitia, & in directione cordis iudicium indicet: da mihi ſedium tuarum aſſiſtentem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.* In Euangelio Dominus prolato exemplo illius qui amicum ſuum, in conclaui poſitum de tribus panibus conſtanter poſtulauit: mox ad diſcipulos ſermonem conuertit dicens: (Matt. 7.) *Petite & dabitur vobis. Quærite & inuenietis. Pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Similiter & Iacobus Apoſtolus auditores ſuos admonet, vt ſapientiam à Deo implorent, ita dicens: (Iacob. 1.) *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei.* Vnde patet quod quiſque ritè poſtulat, & ea quæ ſecundum Dei voluntatem ſunt, non fruſtrabitur eius petitionis effectu. Inuocat ergo iſte

E cautus orator Deum Patrem vt det ſibi ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam, illam videlicet quæ & ſemper cum eo manet, & regnat, & nunquam ſeparari ab eo poteſt, quæ & verbum ipſius eſt, per quod omnia facta ſunt, & homo ipſe rationalis ad imaginem Dei conditus eſt, vt cunctis terrenis præemineret creaturis, & ſubditus Deo ſub ſe poſitum regeret orbem. Quod tamen altiori ſenſu ad ipſum redemptorem noſtrum referri poteſt, qui à Patre miſſus in mundum per virginem homo naſci dignatus eſt, qui & orbem Eccleſiæ proprio nutu regit ac gubernat. Cuius iudicium nunquam fallit, quia Propheta teſtante: (Iſai. 11.) *Iuſtitia erit cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renium eius.* (Pſal. 95.) *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua,* qui non reprobatus ſed magis electus eſt à Deo, de quo per Iſaiam dicitur: (Iſai. 42.) *Ecce puer meus ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.* Qui & ſerui nomine dignatus eſt nuncupari, vnde ei per memoratum Prophetã diuina vox ait: (Iſai. 49.) *Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ.* F Cuius & mater ancillam Dei non refugit ſemetipſam profiteri, quæ in Euangelio ſibi diuinum partum Angelo prænunciante reſpondit. (Luc. 1.) *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Huius ergo membra ſunt ſancti qui per Eccleſiam matrem aqua & verbo renati, & Spiritus ſancti gratia à labe peccatorum mundati, humiliter ſe eius ſubdunt ſeruitio. Orat ergo filius Patrem, caput pro corpore deprecans, vt eius gratia illuminetur, & deducatur in via iuſtitiæ, nouit enim ipſius eſſe donum, quicquid boni habet in ſermone, voluntate ſimul & opere, quapropter ſubſequitur dicens.

Homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Nam & ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi abfuerit ab illo ſapientia tua in nihilum computabitur. De hoc & in libro Iob legitur: (Iob. 12.) *Nonne in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia, apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam, ſi deſtruxerit nemo eſt qui ædificet, ſi incluſerit hominem nullus eſt qui aperiat.* G Liquidò patet quod humana infirmitas niſi ope ſuſtentatur diuina, caſibus innumeris deficiens ad nihilum redigetur. Gratia enim Dei ſaluati ſumus, & omne donum perfectum deſurſum habemus. Quod Paulus ſentiens de ſemetipſo ait: (Rom. 7.) *Infœlix ego quis me liberabit de corpore mortis huius, gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum.* Et item inquit: (1. Cor. 15.) *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem ſed gratia Dei mecum.*

Tu me elegiſti regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum: & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio: & tecum ſapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret: vt ſciam quid acceptum ſit apud te. Narrat regum hiſtoria quod Dauid rex volens templum ædificare, Domino prohibitus ſit per Prophetam, quod filius eius qui ſibi ſuccederet in H regno, ipſe templum ædificaturus eſſet Domino: ſicque factum eſt vt Salomon, qui conditor huius libri eſſe æſtimatur templum Domino mirificum ædificauerit in Hieruſalem, proinde nunc idem rex commemorans beneficia Dei poſtulat, vt ſapientia ipſius per quam fecit orbem terrarum ipſa ſecum permaneat, eiuſque actus ac cor ſecundum voluntatem ſuam dirigat. Sed quia ipſum templum refigurabat Eccleſiam CHRISTI, quã verus pacificus, & rex noſter Dominus IESVS per operarios ſuos, hoc eſt, prædicatores ſanctos quotidie ædificat in laudem & gloriam, & honorem nominis ſui, poſſumus non inconuenienter has preces quas Salomon pro ſe obtulit, ad perſonam Doctorum ſanctæ Eccleſiæ transferre, qui norunt quod omnia quæ ad regimen populi Dei pertinent, non ſuæ eſſe opis ſed muneris diuini. Vnde &

Digitized by Google

A quotidie poſtulant, vt ipſe qui auctor eſt totius boni operis, ipſe largitor ſit ſummæ perfectionis. Quidquid enim de ſapientia Dei in diuinis literis ſcriptum eſt, non ad alium quam ad mediatorem Dei & hominum referre debemus; ipſe enim pax noſtra qui fecit vtraque vnum, qui virtus & ſapientia Dei ab Apoſtolo nominatur: *Ima-*
Col. 1. *go Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terris, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliari omnia, in ipſo pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris ſunt, ſiue quæ in cælis.* Vnde & ſequitur.

Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè, & ero dignus ſedium
B *patris mei.* Omnia enim nuda & aperta ſunt coram oculis ſapientiæ Dei, nec vlla latet eam cogitatio, quapropter eum quem ipſa regit, virtutum calle ſobriè deducit, & ab aduerſariorum læſionibus veraciter protegit, acceptaq; opera eius faciens, dignum reddet remuneratione ſanctorum in regno cœleſti. Sed quia ſolius Dei eſt, noſſe quæ ipſe vult, & proprio nutu agit vniuerſa, ideo iſte laudator operum Dei ſubito expaueſcens admiratur magnitudinem eius & ſubiungit dicens:

Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Dominus. Cuius excellentiam &
Rom. 11. Paulus obſtupeſcens ait: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi & retribuet ei. Quoniam ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum.*

Cogitationes enim mortalium timidæ ſunt, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Ideo mortalium cogitationes timidæ ſunt, quia fragiles, & ideo incertæ prouidentiæ hominis, quia
C anima eius eſt mutabilis, & caro corruptibilis, ſicut ſequens ſententia oſtendit.

Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt quis inueſtigabit? ſenſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis: & ſi correctæ ſint ſemitæ eorum
Prou. 28. *qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines? Beatus homo ſemper pauidus eſt*, nec temerè aliquid cogitare, loqui aut agere præſumit. Econtra ſtultus hæreticorum populus confidit & illaqueatus eſt, captus proprijs ſermoni-
Ibid. bus; ideo ſcriptura dicit: *Qui autem mentis eſt duræ, corruet in malum.* Conuenit enim ſeruo Dei de terrenis ſobriè, & de cœleſtibus cautè tractare; memineritque ſcriptum
Eccli. 3. *altiora te ne quæſieris, cuncta bona Deus fecit in tempore ſuo; &*
Ibid. *mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus,*
Eccl. 8. *quod operatus eſt Deus, ab initio vſque ad finem.* Et alibi: *Appoſui*, inquit, *cor meum, vt ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtenſionem quæ verſatur in terra: & intellexi quod omnium*
D *operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole: & quanto amplius laborauerit ad quærendum tanto minus inueniet. Etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit inuenire*, ideo benè hic dicitur, *quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ in cælis autem ſunt quis inueſtigauit?* Sed ne forte deſperationem nobis faceret de diuinis inquirendis, conſolationem nobis de gratia Spiritus ſancti ſubiungendo infert, dicens.

Senſum autem tuum quis ſciuit, niſi tu dederis ei ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis? Manifeſtum eſt enim quod non niſi per ſancti ſpiritus gratiam diuinarum rerum poſſumus percipere ſcientiam, quia nemo ſcit quæ ſunt in homine, niſi Spiritus hominis qui eſt in homine. Ita & quæ Dei ſunt nemo nouit niſi Spiritus Dei. Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei, ipſe
E corda Sanctorum illuminat, & de inuiſibilibus ac cœleſtibus inſtruit, ita vt intellectum diuinæ maieſtatis pro modulo ſuo percipiant, & eius bonitatem ſemper amare neceſſitantur.

CAPVT VII.

N*Am per ſapientiam ſanati ſunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio.* Nunc incipit exponere, quod per ſapientiam Dei, hoc eſt CHRISTVM omnes ſanati ſunt quicumq; placuerunt Deo.

Hæc illum qui primus factus eſt à patre orbis terrarum, cum ſolus Adam.
eſſet creatus cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Bonitate enim conditoris primus homo creatus eſt, & in Paradiſo collocatus, cunctis animantibus ordinatione auctoris ſui prælatus erat, ita vt ſcriptura narret: quod *formatis cunctis animantibus ter-* Gen. 2.
ræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxerit ea Deus ad Adam, vt videret quid vocaret ea: appellaueritq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. F
Sed cum propter tranſgreſſionem mandati de Paradiſo eiectus eſt, & in ærumnam iſtius ſeculi deuolutus, rurſus per diuinam ſapientiam, per quam primitus conditus eſt, hoc eſt, CHRISTVM reparatus & hoc indicium eſt magnæ pietatis omnipotentis Dei, quod hominem qui per alienam ſuaſionem ſeductus incidit in peccatum, iterum reſtaurare decreuit, ne opus ſuum periret, quod ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ab initio factum habebat. *Sanabiles enim fecit nationes orbis terrarum*, & Sap. 1.
qui malum non fecit, ne opus ſuum peſſimum fieret, hoc eſt, ne opus ſuum in homine funditus interiret.

Ab hac iniuſtus vt receſſit in via ſua, per iram homicidij frater- Cain.
nitas deperijt. Primam ſobolem Adæ, hoc eſt, Cain denotat, qui per malitiam inuidiæ à Deo receſſit, & fratrem ſuum Abel in ſuimet interitum iniuſta nece peremit. Cuius piaculi vindicta cum in diluuio fuiſſet exſoluta, & Cain generatio deleta, rurſum diuina ſapientia, per arcæ fabricam Noe de Seth ſtirpe deſcendentem ad reparationem orbis cum filijs ſuis reſeruauit, quod ſequens ſen- G
tentia ita demonſtrat.

Propter quod cum aqua deleret terram, iterum ſanauit ſapi- Noe.
entia per contemptibile lignum iuſtum gubernans. Altiore autem ſenſu per contemptibile lignum iuſtum gubernans ſapientia reſtaurauit genus humanum, quando per paſſionem crucis CHRISTI totius mundi deleuit peccatum, & ad regni cœleſtis aditum perduxit ſortem electorum. Sed rurſum poſt diluuij ablutionem, quid ſapientia miri operis effecerit conſequenter ſubiungit:

Hæc & in conſenſu nequitiæ cum ſe nationes contuliſſent, ſciuit iuſtum & ſeruauit ſine querela Deo, & in filiis miſericordiam fortem cuſtodiuit. Poſtquam ergo Diabolus per ſuperbiam in conſtructione turris ſeduxit genus humanum, ita vt per hanc tranſgreſſionem linguæ communis perderet vnitatem; rurſum Dei ſapientia Abrahæ ſtirpem adunauit in fidei ſuæ veritate, dans ei legem & cultum in quo vnius Dei ſe probarent veraces eſſe cultores, de cuius etiam ſemine humani generis redemptionem producens benedixit in eo omnes nationes terræ, & ita quod ſuper- H
bia Diaboli confudit humilitas CHRISTI per gratiam ſuam in notitia & loquela omnium linguarum iterum adunauit.

Hæc iuſtum à pereuntibus impiis liberauit, fugientem deſcen- Loth.
dentem ignem in pentapolim, cuius in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ ſtans memoria figmentum ſalis. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapſi ſunt, vt ignorarent bona ſed inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam, vt in his quæ peccauerunt, nec latere potuiſſent. Sapientia autem hos qui ſe obſeruant, à doloribus liberabit. Quam ſententiam quodammodo B. Petrus in Epiſtola ſua expoſuit de iuſtitia Dei, ita ſcribens: *Ciuitates*, inquit, *Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens euerſione dam-*

Digitized by Google

A *nauit, exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens, & iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuſta conuerſatione eripuit. Aſpectu enim & auditu iuſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant. Nouit Deus pios de tentatione eripere, impios vero in diem iudicij cruciandos reſeruare &c.* Nota enim hiſtoria, quomodo Deus ignem miſit in Pentapolim, & ciuitates peccatrices iuſta vltione damnauit, terramque vberrimam in ſolitudinem redegit, vt fructum certum vltra non referat: oſtendens quod animæ damnatæ in gehenna ſine pœnitentiæ fructu in æternum ardebunt. Nam quod Loth inde fugiente atque ad montes tendente, vxor eius, eo quod aſpexerit retro nec in cœpto tranſitu perſeuerauerit verſa in ſtatuam ſalis memoratur, myſticè nos admonet vt qui per gratiam Dei regenerati ad æternam vitam vocati ſumus, retro ad veterem hominem non reſpiciamus, & in media via vt ſtulti remaneamus. Quod vero eadem vxor reſpiciens remanſit, & in ſale conuerſa eſt, exemplum præſtat ad condimentum fidelium, vnde alij ſaliantur, nam nec illud tacuit CHRISTVS dicens: *Mementote vxoris Loth*, ſcilicet vt nos tanquam ſale condiret, B vt non tanquam fatui negligeremus, ſed prudentes caueremus, hoc enim & illa admonuit, cum in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Sapientia autem Dei eos qui ſe obſeruant, à cunctis doloribus liberat, & in quiete pacis æternæ perpetualiter conſeruat.

Iacob. *Hæc autem profugum ira fratris iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum: honeſtauit illum in laboribus & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honeſtum fecit illum. Cuſtodiuit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia.* Hic locus licet ad Iacob Patriarcham ſpecialiter iuxta hiſtoriam pertinere videatur, qui Eſau fratrem ſuum fugiens, ad Laban auunculum ſuum in Meſopotamiam perrexit, vbi in itinere per ſomnium ſcalam erectam vidit, & Angelos Dei per eam deſcendentes & aſcendentes, *ipſumque in Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac terram, in qua dormis, dabo tibi & ſemini tuo.* Veniensque in Meſopotamiam Liam & Rachel filias auunculi ſui in coniugium accepit, pro quibus & oues eius diutiſſimè pauit. Sed quamuis eum ille mercede ſua per fraudem priuare niteretur, illæſus per Dei ſapientiam ſeruatus eſt, atque in Patriam ditatus opibus validis reductus. Generaliter autem iuxta allegoriam ad ſanctos Martyres pertinet, quos diuina ſapientia, CHRISTVS videlicet Dominus noſter ſua miſericordia, à cunctis hoſtium perſecutionibus liberauit, & ab inſidijs eorum incontaminatos protexit, conſortans eos gratia Spiritus ſancti, & ſpe futuræ mercedis, tandemque victis hoſtibus vniuerſis, victores fœliciſſimos ad regnum æternum perduxit, vt ibi perpetualiter laudes ſibi dicerent, cuius ope ſe ſeruatos ac ſaluatos ſcirent.

Gen. 28.

C

Ioſeph. *Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberauit eum: deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam aduerſus eos qui eum deprimebant: & mendaces oſtendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Hiſtoria quidem Ioſeph Patriarchæ calumnias, & poſtmodum fœlicitatem videtur ſonare, qui venditus à fratribus D deductus eſt in Ægyptum, ibiq; propter accuſationem Dominæ miſſus eſt in carcerem, vnde propter coniecturam ſomniorum iuſſu Pharaonis eductus, princeps Ægypti conſtituebatur. Sed ſicut illum ſapientia Dei liberauit ab hoſtium manibus & dominatorem terræ conſtituit, ita & ſpecialiter ſanctos Martyres de pœnis perſecutorum eruens ſublimauit in regno cœleſti, vbi claritate æterna fruentes iudices venturi ſunt cum CHRISTO hoſtium ſuorum, vt eos pro ſceleribus ſuis & mendacijs pœnis deputent æternis.

CAPVT VIII.

E *HÆc populum iuſtum, & ſemen ſine querela, liberauit à nationibus quæ illum deprimebant. Intrauit in animam ſerui Dei, & ſtetit contra reges horrendos in portentis & ſignis. Et reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem: tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſuexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.*

CAPVT IX.

POpulum iuſtum & ſemen ſine querela appellat populum Iſraeliticum, qui de ſemine Patriarcharum deſcendens, vnius Dei cultor extitit, ſed ab Ægyptijs ac cæteris nationibus opprimebatur, per ducatum Moyſis & Aaron inde liberatus, & mirabilibus Dei ſublimatus eſt, hoc eſt, per tranſitum maris rubri, & per F nubis protectionem in die, ſplendoremque ignis in nocte, & cæteris miraculis quæ apud eos in deſerto abundantiſſimè fiebant. Myſticè autem Dominus electos ſuos liberat de perſequentium manibus, & per miraculorum coruſcationem terret aduerſarios, datque ſeruis ſuis ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij illorum. Vnde & coram regibus & poteſtatibus iſtius mundi aſſiſtunt impauidi fiducialiter loquentes verbum Dei, & per paſſionem Martyrum perueniunt ad præmia cœleſtis regni, vbi perpetuo & ſine fine decantant laudes condignas regi & liberatori ſuo.

Quoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas. Manifeſtum eſt quod ſine ſapientia Dei humana mens aliquid dignè excogitare, vel os proferre poteſt, vnde ab ipſo ſolo quærendus eſt ſobrius intellectus, & facultas ſani eloquij, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.

G *Direxit opera illorum in manibus Prophetæ ſancti iter fecerunt per deſerta quæ non habitabantur, in locis ſecretis fixerunt caſas.* Prior populus ex Ægypto egrediens ductu Moyſis per deſerta gradiebatur, & in locis inhabitabilibus tabernacula fixerat, ſicut pentateuchi narrat hiſtoria: ita & nunc ſequens populus, hoc eſt, Chriſtianorum per ductum Prophetiæ in deſerto iſtius mundi graditur, quo perueniat regnante CHRISTO ad Patriam regni cœleſtis. Quod & Petrus Apoſtolus manifeſtat dicens: *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* 2. Pet. 5.

Steterunt contra hoſtes, & de inimicis ſe vendicauerunt, ſitierunt & inuocauerunt te, & data eſt illis de Petra altiſſima aqua, & requies ſitis de lapide duro. Quid autem illa petra ſignificauerit, de qua bibebant Iſraelitæ, Paulus teſtatur dicens: *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat* CHRISTVS. 1. Cor. 10. H Hæc Petra, virga crucis percuſſa, quæ in manibus, hoc eſt, ſcripturis Prophetarum prænunciata fuit, effudit aquam viuam quæ replet omnes electos & ſatietate reficit æterna. Vnde ipſa veritas ait: *Qui ſitit veniat ad me & bibat, & de ventre eius fluent aqua viuæ.* Et alibi: *Qui biberit*, inquit, *aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. 7. Ioan. 4. Hæc ergo Petra ideo dicitur altiſſima, quia in ea continetur gratia Spiritus ſancti largiſſima: ideo lapis durus, quia firmus eſt & ſtabilis ſuper quem omnis ſapiens, ædificat domũ ſuam vt nulla tempeſtate moueatur. De hoc & Moyſes in cantico Deuteronomij ait: *Suxerunt mel de petra, & oleum de firma Petra.* Deut. 32. Nuſquam tale aliquid circa hiſtoriã legitur: ſi tota veteris Teſtamenti ſeries recenſeatur nuſquam de Petra mel, nuſquam populus ille oleum ſuxit. Sed quia iuxta vocem Pauli Petra erat CHRISTVS, mel de petra ſuxerunt, qui eiuſdem redemptoris noſtri facta & miracula viderunt. Oleum vero de firma petra

A ſuxerunt, qui effuſione ſancti Spiritus poſt reſurrectionem eius vngi meruerunt; quaſi ergo in firma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum ſuorum dulcedinem diſcipulis oſtendit. Sed firma petra oleum fudit, quia poſt reſurrectionem ſuam factus iam impaſſibilis per afflationem Spiritus donum ſanctæ vnctionis emanauit. De hoc oleo per Prophetam dicitur:
Iſaia 10. *Computreſcit iugum à facie olei*; ſub iugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, ſed vncti ſumus oleo Spiritus ſancti, & quia nos gratia libertatis vnxit dominationis dæmonicæ iugum putruit.

Per quæ enim pœnas paſſi ſunt inimici illorum, à defectione potus ſui, cum abundarent filij Iſrael, lætati ſunt. Per hæc cum illis deeſſent benè cum illis actum eſt. Nam pro fonte quidem ſempiterni fluminis, humanum ſanguinem dediſti iniuſtis. Qui cum minuerentur in traductione infantium occiſorum, dediſti illis abundantem aquam inſperatè: oſtendens per ſitim quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduerſarios illorum necares. Commemorat beneficia Dei, quæ priori populo per miſericordiam diuinam collata ſunt, quando ſitientibus eis
B de petra aquam produxit, & abundanti potu ipſos refecit. Sic & è contrario narrat pœnas quas inimici illorum paſſi ſunt in interfectione primogenitorum ſuorum & varia clade quæ iuſto iudicio Dei ſuper eos venit. Myſticè autem deſignat quia populus Dei & oues paſcuę eius, quas ſummus paſtor pretio ſanguinis ſui redemit, ſitim ſuam reſtinguit fonte viuentis aquæ, & perſecutores eorum æterna egeſtate deficientes morti tradentur perpetuæ. Huic loco illud ſimile eſt, quod per Iſaiam Prophetam, contra aduerſarios ſuos Dominus loquitur dicens:
Iſaia 65. *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibēt, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabūtur & vos confundemini. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione Spiritus vlulabitis.* Potius autē ille hic accipiendus eſt, q hauriunt de fontibus Iſrael, quē qui biberit habebit in ſe fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, quem & ſaluator in regno patris ſe bibiturum cum Apoſtolis pollicetur, qui lætificat cor hominis, ita vt bi-
C bentes poſſint dicere; *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.*
Matt. 5. E. mater Domini plena Spiritu ſancto prophetabat: *Eſu-*
Luc. 1. *rientes impleuit bonis*, qui prius cibum Domini non habebant, *& diuites dimiſit inanes*, qui dati ſunt pro ſepultura eius, & quem Prophetam promiſerunt reſpuerunt. De quibus & in alio loco Pſalmiſta decantat: *Diuites egue-*
Pſal. 33. *runt, & eſurierunt*, id eſt, populus Iudæorum. *Qui autem Dominum quærunt*, id eſt, turba gentilium, *non egebunt omni bono.* Cumque ſeruientes Chriſto, & credentes ei lætati fuerint & laudauerint Dominum præ exultatione cordis & gaudio tunc illi confundentur videntes in ſuum locum alios ſuſcipi, & clamabunt præ dolore cordis implentes illud, quod ſcriptum eſt: *Ibi erit fletus & ſtridor den-*
Matt. 8. *tium*, quando ſteterint agni Gentium atque iuſtorum ad dexteram, & hædi Iudæorum atque impiorum à ſiniſtris, alijs recipientibus ęterna pręmia, alijs ſupplicia ſempiterna. Contritio autem Spiritus præ dolore cordis intelligenda in conſcientia peccatorum, iuxta illud quod ſcriptum eſt: *Cognoſcent errantes Spiritu intelligentiam, & cor*
Iſaia.29. *contritum & humiliatum Deus non deſpiciat.* Contentur Spi-
Pſal 50. ritus quando eleuatur quod de rege iniquo Iſrael ſcri-
D ptum eſt: *Indurauit Dominus Spiritum eius.* Et de Babylo-
Daniel.4 niorum principe, quando eleuatum eſt cor eius, & induratus eſt Spiritus, vt ſuperbiens diceret: *Hæc eſt Babylon, & ego feci eam.*

CAPVT X.

CVM enim tentati ſunt, equidem cum miſericordia diſciplinam accipientes, ſcierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur. Qui veteris Teſtamenti lectionem diligenter inſpicit, facilè agnoſcit, quomodo Deus Iſraelitas ſæpius peccantes plagis dignis corripuit, & iterum pœnitentes oportuno ſolatio fouit. Alienigenas autem, hoc eſt, Ægyptios atque Chananæos, tanquam indignos miſericordia ſua iudicans dura vindicta exterminauit. Vnde ſequitur.

E *Illos quidem tanquam pater admonens probaſti, illos autem tanquam durus rex interrogans condemnaſti, abſentes enim & præſentes ſimiliter torquebantur.* Quod dicit abſentes & præſentes ſimiliter torquebantur aut hoc iuxta hiſtoriam ſignificat, quod non ſolum illi Ægyptum qui præſentes erant cum Pharaone coram Moyſe & Aaron decem plagis percutiebantur: Verum etiam cæteri omnes, qui per totam terram Ægypti habitabant ſimiliter puniebantur, aut illud quando non tantum hi quos Iſraelitæ recenti clade per ſingulas ciuitates peremerunt pœnas ſuſtinuerunt, ſed & omnes Gentes terræ Chananæorum audientes vtique victoriam populi Dei, & ſignorum potentiam, quæ in eorum eductione Domini nutu fiebant, metu eorum valde terrebantur, quod & verba Raab meretricis ad exploratores Ioſuæ prolata oſtendunt: Noui, inquit, *quod* *Ioſuæ* 2.
tradiderit Dominus vobis terram, etenim irruit in nos terror, veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitū. quando egreſſi eſtis ex Aegypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus qui erant trans Iordanem Seon & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec re- F
manſit in nobis Spiritus ad introitum veſtrum, Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum. Sed licet hæc apud priorem populum temporibus legis agerentur, non tamen verſa vice Iudæi qui incarnationem filij Dei ſpernebant & prædicationem eius recipere nolebant, non ſolum intra patriam, ſed etiam per vniuerſum orbem terrarum vagi & profugi varijs cladibus torquentur, & Gentes quæ recipiebant fidem Dei, & conuerſi ſunt à ſimulacris ſuis ad vnius Dei verum cultum, quando delinquunt paternam correptionem ſuſcipientes, nunquā à miſericordia Dei fiunt extorres; hæc eſt commutatio dexteræ excelſi, vt qui dudum fuerunt caput, nunc ſint cauda, & qui dudum cauda, nunc fiant caput. *Conuerſus eſt* *Iſaia* 29.
Libanus in Chermel, & Chermel in ſaltum reputatus eſt. Iuſtus eſt Dominus in omnibus vijs ſuis & ſanctus in omnibus operibus *Matt*.19.
ſuis; ſic enim erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.

Duplex enim illos acceperat tædium & gemitus cum memoria G
præteritorum. Cum enim audirent per ſua tormenta bene ſecum agi, commemorati ſunt Dominum, & admirantes in finem exitus. Quem enim in expoſitione praua proiectum deriſerunt, iſti ſitientes in finem euentus mirati ſunt. Duplex eſt tædium impiorum, quando præteritorum malorum recordatio non minuitur, & præſentium tribulationum tempeſtas augetur. Vnde nec in futuro ſpem habent remedij, quia licet ſimulent peccatorum pœnitentiam, nullum tamen habent ſtudium ſuæ emendationis: ſic de Iudæis in Pſalmo 79. ſcriptum eſt: *Cum occideret eos, tunc requirebant eum, & con-* *Pſal*. 79.
uertebantur ante lucem, & veniebant ad eum, & memorati ſunt: quia Deus adiutor eorum eſt, & Deus excelſus liberator illorum eſt: Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fides habita eſt in teſtamento eius.

Non ſimiliter iuſtis faciens. Quare non facit illis ſimiliter? *Prou*.18.
quia non peccant æqualiter. *Septies enim cadit iuſtus, & reſurgit impij autem corruent in malum.* Nam *impius cum in profundum malorum venerit, contemnit.* Vnde ſubiungitur.

Pro cogitationibus autem inſenſatis iniquitates illorum. Se- *Rom*. 2.
cundum duritiam ſuam & cor impœnitent theſaurizant ſibi iram *Prou*. 13.
in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, quoniam cor durum male habebit. In nouiſſimo parata ſunt deriſoribus iudicia & peccatores perſequentur malum, iuſtis autem retribuentur bona. H

CAPVT XI.

QVod quidam errantes colebant multos ſerpentes & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorū animalium in vindictam: vt ſcirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas ignotas beſtias, aut vaporem igniū ſpirantes, aut fumi odorē proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes, quorum nō ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere. Sed & hi ſine vno Spiritu poterant occidi, perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſperſi per Spiritum virtutis tuæ. Dignum fuit vt qui pro creatore creaturam venerabantur,

A vnde quærebant opem, inde haberent vltionem. Pugnat enim pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Sed quia in hiſtoria veteris Teſtamenti hæ ſpecies ignoræ, quæ numerantur beſtiarum nuſquam inueniuntur alibi expreſſæ, ita vt talia portenta punirent peccatores, melius ad ſpiritualem ſenſum transferemus, vt intelligamus omnes idolorum cultores, & hæreticos atque ſchyſmaticos, qui errorum ſuorum ſectas pro veritate colunt, à ſpiritualibus beſtijs, hoc eſt, ab immundis Spiritibus dignè puniendos, à quibus Propheta orat vt fideles animæ diuina
Pſal. 79. gratia liberentur: *Ne tradas*, inquit, *Domine, beſtijs animas confitentes tibi*. Quorum & aſpectus terribilis, & atrocitas nimia, & furor eſt immenſus, quia eorum tota intentio eſt humanum genus odijs proſequi, & cruciatibus inferni ſecum torquendos redigi. Sed quia Deus neminem iniuſte damnat, neminem indebitè pœnis ſubigit, ideo ſubiungitur.

Sed omnia in menſura, numero & pondere diſpoſuiſti. Quia omnia ſecundum veritatem, iudicium & iuſtitiam facit, nec eſt aliquid in operibus eius, & in factis inordinatum
B ſeu inconueniens, ſed omnia iudicia ſua ſummæ æquitatis libra moderando temperat, atque diſponit. Poteſt & hæc ſententia ad creaturarum omnium conditionem transferri; quia creator omnipotens omnia opera ſua quę ab initio condidit, certo numero, menſura, & pondere
Pſal. 146 creauit. De quo ſcriptum eſt: *Qui numerat multitudinem*
Iob. 28. *ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Hinc & in Iob ita legitur: *Ipſe enim finem mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt, reſpicit, qui fecit ventis pondus, & aquas appendit menſura, quando ponebat pluuijs legem, & viam procellis ſonantibus.* Hinc & per quendam dicitur: Omnia quæcunque à primæua rerum natura constructa ſunt, numerorum videntur ratione formata, hoc enim fuit principale in animo conditoris exemplar. Hinc enim quatuor elementorum multitudo mutata eſt hinc temporum vices hinc motus aſtrorum, cælique conuerſio. Quæ cum ita ſint, cumque omnium ſtatus numerorum colligatione fingantur, eũ quoque numerum neceſſe eſt in propria ſemper ſe ſo habenteni æqualiter ſubſtantia permanere. Quis ergo hanc
C menſuram, hunc numerum & hoc pondus Dei ſufficit comprehendere, vt conſtitutiones eius vniuerſas in his tribus definitionibus valeat enarrare. In menſura puto quod conſtet qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio. Hæc peræquata in iudicio & miſericordia Dei conſtat, quia in his duobus terminis ſanctis concluſa ſunt, in quibus per hæc mundum conſtituit, gubernat, & iudicaturus eſt, in his Deus iudex iuſtus comprehendi non poteſt, non poteſt reprehendi. Omnia ergo quæ ſuperius diximus, vel dicemus in clauſtro horum triũ nobis nunc abſcondita latent: quæ ſolis clauibus iudicij & miſericordiæ Dei tunc reſerabuntur, vt ſciantur, quando in aduentu Domini illuminabuntur, vt laus vnicuique ſit à Deo vel pœna.

Multum enim valere tibi ſoli ſupererat ſemper & virtuti brachij tui quis reſiſtit? Omnipotenti nihil impoſſibile eſt, vnde ei nemo reſiſtere poteſt, in voluntate etenim Domini vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius: Omnia quæcunque voluit Deus fecit in cælo & in terra, in mari & in abyſſis. Brachium ergo Domini non
Iſaia 51. aliud quam vnigenitus filius Dei, cui per Iſaiam dicitur:
D *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini. Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem, &c.* Loquitur Propheta ex perſona populi ad brachium Domini, & eius deprecatur aduentum, vt qui per multa ſæcula ſanctos ſuos de periculis liberauit, & iam præſentialiter veniens electos ſuos ab hoſtibus defendat.

CAPVT XII.

QVoniam tanquam momentum ſtateræ ſic ante te eſt orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram. Huic ſententiæ ſimile eſt quod in Eſaia le-
Iſaia 40. gitur: *Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ*
Ibid. *reputatæ ſunt*. Et paulò poſt: *Omnes*, inquit, *Gentes quaſi non ſint ſic ſunt coram eo, & quaſi nihili & inane reputatæ ſunt*
E *ei.* Hoc intelligi vult quod mens & ratio & ſenſus Domini per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, ille ſit de quo in Pſalmis canitur: *Verbo Domini cæli* Pſal. 32.
firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Omnes Gentes quę nõn nouerunt creatorem ſuum, ſiue vniuerſum mortalium ad comparationem Dei quaſi ſtilla ſitulæ ſunt & quaſi momentum ſtateræ quod leui pondere in partem alteram declinatur, & quomodo gutta roris antelucani quæ oriente ſole facile ſiccatur, vel quo modo ſi de ſitula ſtilla modica fluat à portante negligitur, ita vniuerſa Gentium multitudo cæleſti ſplendori, & ſupernis miniſterijs, atque Angelorum multitudini comparata pro nihilo ducitur.

Sed & miſereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Potentia ergo Dei mixta ſemper bonitati, licet nullius ſit indiga, tamen opus ſuum in hominibus propter delicta non deſpicit, ſed per pœnitentiam indulgendo à peccatis abluit, ac pietate paterna ad ſe recolligendum fouet ac nutrit. Vnde ſubiungitur.
F
Diligis enim omnia quæ ſunt & nihil odiſti horum quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui animas amas. Bonus opifex bonum opus diligit, ſeruat ac regit & ideo ſi quando hominum infirmitas à via veritatis peccando declinat, ſuſtinet in multa patientia ſua expectans eos per pœnitentiam conuerti in melius. Vnde *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit* Matt. 5.
ſuper iuſtos & iniuſtos. Qui autem patientia Dei abutuntur, nec ad pœnitentiam conuertuntur, iuſto iudicio ipſius damnantur, *quia iuſtus Dominus & iuſtitiam diligit, æqui-* Pſal. 10.
tatem vidit vultus eius.

CAPVT XIII.

O Quam bonus & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus propter quod hos qui exerrant partibus, corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris vt relicta malitia eorum cre- G
dant in te Domine. Suauis eſt enim Spiritus Dei, quoniam ipſe eſt amor Dei, & largitor totius boni, ipſe corripit homines, quia eos quos replet corripere facit peccantes, ſicut ipſa veritas in Euangelio diſcipulis ait: *Ego veritatem* Ioan. 16.
dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos: Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iuſtitia vero quia ad patrem vado & iam non videbitis me. De iudicio autem quia princeps huius mundi iudicatus eſt. Beatus homo qui huius magiſtri audit vocem, & obedit mandatis, quia poſſeſſor futurus erit regni cæleſtis.

Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ quos exhorruiſti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina & ſacrificia iniuſta & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis à medio ſacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum, vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior eſt terra. Sed & his tan- H
quam hominibus pepercisti, & miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello ſubijcere impios iuſtis, aut beſtijs ſæuis, aut verbo duro ſimul exterminare: ſed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia illorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquam veniam dabas peccatis illorum. Commemorat hiſtorialiter, quomodo ſeptem Gentes, quæ terram Chananæorum poſſederant propter infidelitatem & iniuſtitias quas operatę ſunt, de locis ſuis Dominus eiecit, & filios Iſrael cultores videlicet nominis ſui in locum eorum introduxit. Myſticè autem ſeptem Gentes illæ nequiſſimæ ſignificant vniuerſitatem vitio-

A rum quæ poſt præuaricationem primi hominis poſſidere cœperunt genus humanum, ſed per gratiam Chriſti expulſæ ſunt à fidelium cordibus ac ſacrarum virtutum ibidem introducta eſt numeroſitas, quatenus eiectis de terræ animarum per Euangelium Chriſti poſſeſſoribus nefandis, habitatores legitimi, hoc eſt, virtutũ fructus operante Spiritu ſancto germina ibi proferrent vitalia. Si quis autẽ quærendum putat, quomodo dicatur exercitus ſui anteceſſores veſpas Dominus immiſiſſe in Gentes prauiſſimas, vt paulatim eas exterminarent, cum hoc nuſquam in hiſtoria veteris teſtamenti legatur corporaliter contigiſſe, ſciat multa ibi euenire poſſe in vindicta peruerſorum, quę ſcriptor hiſtoriæ per totum nõ curauit exprimere, vel magis tropica locutione veſpas hic poſitas pro terroribus quas Iſraelitæ pugnantes Gentibus circumquaque ingerebant. Fama enim illorum bellorum, quæ Domini virtute peracta ſunt, acutiſſimis timoris aculeis pauentium corda pungebant, ita vt in eis omnem vigorem reſiſtendi funditus interimeret, & hoc tamdiu quo vſque illi cultu-
B ram Dei fideliter exhiberent. Poſtquam autem peccauerunt, & Deo ſeruire neglexerunt, traditi ſunt in manus inimicorum, ita vt qui antea, fuerant illis ſubiecti, poſtmodum ſuperiores eſſent effecti.

Quis enim dicit tibi quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectum tuum veniet vindex iniquorum hominum? aut quis imputabit tibi, ſi perierint nationes quas tu feciſti? nec enim eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, vt oſtendas quoniam non iniuſte iudicas iudicium. Neque rex neque Tyrannus in conſpectu tuo, inquirent de his quos perdidiſti. Manifeſta ratione oſtendit, quod nullo modo creatori imputandum eſt, quod creaturam ſuam ſecundum propriam diſponit voluntatem.
Eſther 13. *In voluntate enim ipſius vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere eius voluntati.* Vnde per
Rom. 9. Paulum dicitur: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* Ex ipſo enim & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ſed iuſtus eſt Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.
C Vnde & ſequitur.

Cum ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis: ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute. Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt: & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Quid eſt quod eum qui non debeat puniri condemnet, cum ipſa condemnatio certa ſit punitio: ſed hic punire pro corripere poſuit, ac ſi diceret; eum qui non recipit correptionem adſumet correptionem iuſte condemnat in ignem æternum, qui exter eſt à Dei virtute, hoc eſt, indiguus diuina pietate. *Virtus enim Dei iuſtitiæ initium eſt*; quia iudicium Dei ſiue in correptione electorum, ſiue in condemnatione reproborum ſumma æquitatis perfectio eſt, & ideo per bonitatem ſuam diu differendo ſuſpendit iudicium vt plures habeat quibus reddat beneficium. Quando enim ſuperbiens creatura erigit ſe contra creatorem ſuum nihil vult ſubijci eius Dominio, iuſta enim punit vindicta, ne videatur contra opificem ſuum præualere factura. Poteſt & hic
D locus ad paſſionem redemptoris noſtri aptè transferri, quem pater pro nobis ad mortem tradidit, ſed penſandum eſt quomodo iuſtus ſit & omnia iuſtè diſponat, ſi eum qui non debet puniri condemnat. Mediator enim noſter puniri pro ſemetipſo non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetrauit, ſed ipſe ſi indebitam mortem non ſuſciperet nuſquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum iuſtus ſit iuſtum puniens omnia iuſte diſponit, quia per hoc cuncta iuſtificat, quod eum qui ſine peccato eſt pro peccatoribus damnat, vt eo electa omnia ad culmen iuſtitiæ ſurgerent, quo is qui eſt ſuper omnia damna iniuſtitiæ noſtræ ſuſtineret.

Virtutem enim oſtendis tu qui non crederis eſſe in virtute conſummatus, & hos qui ſciunt audaciam traducis. Virtutem enim ſuam oſtendit diuinitas in correptione reorum, ne de ſua virtute præſumat contumacia ſuperborum ſed tamen ſine vlla paſſione aut perturbatione ſumet, quia Deus eſt impaſſibilis, & nulla vnquam commutatione à ſe

E diuerſus, ſed idem ipſe ſemper manens innouat, diſponit atque ordinat omnia, quod ita ſequens ſententia probat.

Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos, ſubeſt enim tibi cum volueris poſſe. Omnipotens quippe Deus cum tranquillitate ſuæ naturæ iudicat omnia, ſed patienti vindicta Dei videtur ſe ſuſtinere iram, quæ etiam nulla eſt, ſed affectus humani ſicut & membra tropica locutione Deo adſcribuntur, vt ſecundum modum noſtrum & intelligentiam ſe conforment eloquia diuina. Vnde & leguntur in ſcripturis: Oculi Dei & aures, os, manus & pedes, ira & furor & cæteri affectus qui diuerſi ſunt in hominibus, cum ſimplex natura nullum habeat diuortium, nec vera vnitas vllam recipiat diuiſionem, ſed multiplicia ac diuerſa opera vnus atque idem ſemper operatur Deus, de quo & per Pro-
phetam dicitur: *Omnia vt veſtimentum veteraſcent, & velut* *Pſal. 101.*
amictum mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Nam & in Michæa Propheta ita ſcri-
ptum eſt: *Egredietur Dominus de loco ſuo, & deſcendet & cal-* *Mich. 1.*
F *cabit ſuper excelſa terræ, & conſummentur montes ſubter eum, valleſque ſcindentur.* In Eſaiæ quoque: *Dominus virtutum* *Iſaia 42.*
egredietur & conteret bellum, & ſuſcitabit zelum, & clamabit ſuper hoſtes ſuos cum fortitudine. Egredietur ergo Deus de loco ſuo, quando quietem & manſuetudinem, & clementiam ſuam pro emendatione peccantium rumpere cogitur, qui cum per naturam dulceſcit, vitio noſtro amarus efficitur, non ſibi, ſed ſuſtinentibus quibus amara tormenta ſunt. De natura quoque eius aliter ipſe loquitur
per Prophetam dicens: *Ego ſum Deus & non commutor.* Hinc *Malach. 3.*
& per Iacobum dicitur: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec* *Iacob. 1.*
viciſſitudinis obumbratio. Vnde & Paulus de Chriſto ait: *Coloſſ. 1.*
Qui eſt imago Dei inuiſibilis. Et rurſum: *Regi autem ſæculo-* *1. Tim. 1.*
rum incorruptibili inuiſibili Deo. Et in Euangelio ſcriptum *Ioan. 1.*
eſt: *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit.*

CAPVT XIV.

G *Docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe & humanum, & bonæ ſpei feciſti filios tuos. Quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.* Per mirifica enim opera omnipotentis Dei fideles inſtruuntur, vt caueant iniquorum ſe implicare delictis, magiſque ſtudeant ſemetipſos incontaminatos ſeruare negotio, ſidemque ac ſpem in Dominum habendo, non negligant tempus ſibi indultum pœnitentiam agendi & bene operandi, imo toto niſu per caritatem contendant ſuo ſeruire conditori.

Si enim inimicos ſeruorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, & liberaſti, dans tempus & locum per quæ poſſint mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicas filios tuos, quorum parentibus iuramenta & conuerſationes dediſti bonarum promiſſionum. Narrat liber Exodus quomodo Dominus per Moyſen & Aaron decem plagis verberaret Ægyptios hoc eſt, hoſtes populi Dei, & inter ipſas plagas reſpirare eos aliquando concederet, quatenus caſtigati corrigantur, ſed quia perſeuerabant in malitia diuina trucidabantur vindicta. E contra vero populus Dei quibus promiſ-
H ſio facta eſt & patribus eorum parum corripiebantur, partimque conſolabantur, quouſque diſciplinis eruditi ſuſtinebant. Poſtquam autem Euangelium Chriſti ſpreuerunt, & filium Dei crucifixerunt mirifico modo de amicis in inimicos ſunt conuerſi, & ideo de propria terra eiecti per totum orbem diſperſi ſunt, & tandem ſentiebant dure caſtigati, quod antea nolebant intelligere paterna pietate correpti. Hanc ſententiam ſimiliter poſſumus & de Martyribus Chriſti ac perſecutoribus eorum intelligere, quia cum illi ipſos confeſſores Chriſti tormẽtis cruciabant patientia eorum poterant ſi vellent inſtrui vt deſererent idolorum cultum, & Chriſtianæ ſe religioni ſubijcerent. Sed ſicut illi per pœnas temporales gloriam conſecuti ſunt æternam, ita & illi poſt gaudia parua huius vitæ in ſupplicia demerſi ſunt æterna.

CAPVT.

Digitized by Google

A

CAPVT XV.

CVm ergo nobis diſciplinam das, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes & cum de nobis iudicatur ſperemus miſericordiam tuam. Hoc eſt quod in Pſalmo ſcriptum eſt: *Multa flagella peccatoris, ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit.* Magna enim diſtantia eſt inter iudicium electorum & reproborum, quia illos Dominus corripit, vt à peccatis mundet & à vitijs coerceat, iſtos autem vt ſuperbiæ & perfidiæ ſuę pœnas luant, & contra dominatorem omnium ſe repugnare non poſſe cognoſcant. Fœlix quippe eſt qui in iudicando ſemper pietatem atque bonitatem iudicis ſui ante oculos ponit, & ſicut ſibi à Domino miſereri vult, ſic & ipſe alijs miſereri non detrectet, quia iudicium ei ſine miſericordia, qui non facit miſericordiam. *Beati enim miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Pſal.31.

Matt. 7.

Vnde & illis qui in vita ſua inſenſate & iniuſtè vixerunt, per hac, quæ coluerunt dediſti ſumma tormenta, etenim in erroris via diutius errauerunt, Deos æſtimantes, hac, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, infantum inſenſatorum more viuentes, propter hoc tanquam pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti. Merito illi qui in vita ſua iniuſtè & inſenſatè vixerunt, per hæc quæ coluerunt ſuſtinebant tormenta, & diuino iudicio cum nolebant conditorem ſuum cognoſcere atque condignè honorare traditi ſunt in reprobum ſenſum, vt facerent ea quæ non conueniunt contumelijs afficientes corpora ſua in ſemetipſis, in quo & hic turpitudinem, & in futuro cruciatum haberent æternum. Cuius rei Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua ad Romanos exponit veritatem ita dicens: *Reuelatur enim ira Dei de cælo in omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem in iniuſtitiam detinent, quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentum. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, vt cõtumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quam creatori qui eſt benedictus in ſecula, Amen.* Sic obcęcatum eſt cor illorum vt maieſtatem inuiſibilis Dei, quem ex his factis agnouerant, non hominibus, ſed quod peius eſt inexcuſabile crimen in ſimilitudinem hominum mutarent, vt forma corruptibilis hominis Deus ab his vocetur, hoc eſt, ſimulacrum hominis, vt quos viuos nomine Dei donare non audent, mortuorum imagines in gloriam Dei recipiant. Quanta ægritudo, quanta ſtultitia hos ſapientes appellare ad ſuã damnationem apud quos plus mortui poſſunt quam viui, & mortui potiores ſunt viuis, à viuo enim Deo recedentes mortuis fauent, in quorum numero ſicut ſcriptum eſt, *mortalis mortuum fingit manibus iniquis.* ſic enim Dei maieſtatem & gloriam minuerunt, vt horum quæ minima & parua ſunt, ſimilitudini Dei honorificentiam darent. Primi enim Babylonij Deum vocauerunt, figmentum Belis, quondam hominis mortui, qui principatum in eos dicitur egiſſe. Coluerunt & ſerpentem draconem, quem Daniel homo Dei occidit, cuius ſimilitudinem habent; Ægyptij autem coluerunt quadrupedem, quem dicebant Apem in ſimilitudinem vaccæ. Quod malum imitatus eſt Ieroboam, vaccas inſtruens in Samaria quibus ſacrificarent Iudæi, & volucres, quia coracina ſacra habent pagani. Harum tamen omnium rerum quas memoraui ſimulacra coluerunt Ægyptij, & alia quæ nunc dicere non eſt neceſſe. Hæc ab his facta ſunt qui ſapientes ſe æſtimauerunt in mundo: quia enim inuiſibilem Deum non honorauerunt iſta faciendo, nec de his quæ viſibilia ſunt rectè ſapere potuerunt.

B

Rom.1.

C

Sap.15.

D

Qui autem ludibrijs & increpationibus non correpti ſunt, dignum Dei iudicium experti ſunt. Vtique qui per flagella Dei caſtigati, correcti non ſunt, condignam pœnam damnationis experti ſunt, ad hoc enim Deus corripit vt emendet, nolens quenquam perire, quia omnes homines vult ſaluos eſſe, & ad agnitionem veritatis peruenire. Qui autem ingratus eſt Dei viſitatione, & per impatientiam incidit in murmurationem, de temporali flagello ad tormenta ducitur perpetua, ideo & de ijſdem impijs ſubiungitur.

E

In his enim quæ patiebantur moleſtè ferebant, in quibus patientes indignabantur, per hæc quos putabant Deos in ipſis cum exterminarentur, videntes illum quem olim negabant ſe noſſe Deum verum agnouerunt, propter quod & finis condemnationis illorum veniet. Miſera gentilitas quam diu idolis ſeruiebat, hæc etiam errore deluſa Deos eſſe putabant, quorum perſuaſionibus ſeducebantur, & propter hoc diuerſis pœnis afficiebantur. Vnde & ex ea plurimi Deum verum quem antea in beneficijs ſuis credere noluerunt, hunc in iudicio iuſto poſtmodum omnipotentem agnouerunt. Non enim poterat latere, quem conſtat omnium dominatorem eſſe, quia aut hic per pœnitentiam conuerſis miſericordiam impendit, aut per ſuperbiam rebellantibus in futuro pœnam tribuit ſempiternam.

F

FINIS LIBRI SECVNDI.

CAPITVLA LIBRI TERTII.

1. *De idololatriæ errore.*
2. *Quod ipſi idololatra quærentes in creaturis creatorem ſi vellent ipſo adiuuante poſſent inuenire.*
3. *Deridet in manufactis idololatriæ errorem.*
4. *Confitetur Deo quod eius ſapientia gubernat omnia.*
5. *De diuerſis erroribus idolorum qualiter introducti ſint in genere humano, & quod vita humana ſemper deceptor ſit idolorum cultus.*
6. *Quod idololatria cauſa omnia nefanda ab Ethnicis ſint reperta, & quod propter illam multa paſſi ſunt tormenta.*
7. *Confitetur Deo quod ſuauis & verus, patiens & miſericors eſt, per ſermonem ſuum ſaluans electos & iudicans reprobos.*
8. *Subſannat inuentores idololatriæ, oſtendens quomodo Deo iudicante per aquam & grandinem & ignem excruciabantur.*

G

9. *Prædicat Deum dediſſe populo Iſraeli timenti ſe eſcam delectamenti.*
10. *Narrat quod mortis & vitæ ſolus Dominus habeat poteſtatem, qui nutu ſuo regit vniuerſa, flagello puniens impios, & pane cæleſti reficiens pios.*
11. *Sapientia laudat Deum, quod magna ſint iudicia eius, & inenarrabilia verba ipſius, qui mirabiliter puniebat aduerſarios.*
12. *Quod ſemper præſumptio ſæua turbet conſcientiam impiorum, & quod ipſi per varia ſomnia & imaginationes exterriti torquebantur.*
13. *De ſanctis quod in tenebras Aegypti, hoc eſt, mundi errores lumine diuino illuſtrabantur.*
14. *De exterminatore Aegypti qui auſus non fuit agni ſanguine poſtes hebraicos conſecratos contingere.*
15. *De Moyſe & Aaron narrat quod non virtute corporis, ſed fide & oratione eduxerunt populum de Aegypto.*
16. *Narrat ſapientia qualiter educti ſunt de Aegypto filij Iſrael, per mare rubrum, & qualiter nubes caſtra eorum obumbrabat.*

H

17. *Commemorat qualiter filij Iſrael in deſerto concupierant carnes & data eſt illis ortygometra.*
18. *Laudat Deum magnificaſſe populum ſuum, quem eduxit de terra Aegypti & honoraſſe.*

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

VAni ſunt autem omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Si autem vniuerſa vanitas eſt, omnis homo viuens,

Digitized by Google

A viuens, quanto magis illi vani ſunt, qui creatorem ſuum, non agnoſcunt. *Vani ſunt autem omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, hoc eſt, timor & reuerentia Dei. Vnde per Iob dicitur: *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* (Iob. 28.) Recedit enim à malo, qui recedit ab idolorum cultu, timet Deum qui mandata eius cuſtodit. (Pſal. 106) *Initium enim ſapientiæ, timor Domini intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt. Ex bonis operibus enim potuerunt cognoſcere bonum artificem, qui propriè eſt, quia ſemper immutabilis eſt, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, qui ſemper idem eſt, & cuius anni nunquam deficient, qui æternus & omnipotens ſine initio, & ſine fine ſemper in ſe manens, ſecundum voluntatẽ ſuam regit ac gubernat omnia, proinde vanitas hominum vaniſſima eſt, qui creaturas pro creatore venerantur. Vnde & ſequitur.

Neq; operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut Spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, B *aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt.* Alij enim ignem pro numine colebant, quem appellabant Vulcanum: alij ætherem ſiue aërem, quem nuncupabant Iouem aut Iunonem; alij nimiam aquam, quem Neptunum nominabant; alij gyrum ſtellarum, qui à diuerſis figuris animalium poſitiones & curſus diſtribuebant aſtrorum; alij ſolem pro Deo venerabantur, quem Phœbum ſeu Apollinem vocabant; alij lunam, quam Dianam vocitare ſolebant, tali enim errore decepti, virtutem omnipotentis Dei falſis figmentis ſuis aſcribebant, vt quidam poetarum gentilium tribus verſibus ita terminaret dicens:

Tot numero taliq; Deus ſimulacra figuris
Impoſuit cælo, perque atras ſparſa tenebras,
Clara ruinoſa iuſſit dare lumina nocti.

Quod ſi fieri non poteſt vt ſtellæ dij ſint, ergo nec ſol quidem ac luna dij eſſe poſſunt, quoniam luminibus aſtrorũ, non ratione differunt, ſed magnitudine. Quod ſi dij non ſunt hi: Ergo nec cælum quidem in quo illa omnia continentur. Simili modo ſi terra quam calcamus, quam ſubi- C gimus & colimus ad victum Deus non eſt, nec campi quidem ac montes dij erunt: ſi hi dij non ſunt ergo nec tellus vniuerſa Deus videri poteſt. Item ſi aqua quæ ſeruit animantibus ad vſum bibendi aut lauandi Deus non eſt, nec fontes quidem ex quibus aqua profluit. Si fontes dij non ſunt, nec flumina quidem quæ de fontibus colliguntur. Si flumina quoq; dij non ſunt, ergo mare quod ex fluminibus conſtat Deus haberi non poteſt. Quod ſi neq; cælum, neque terra, neque mare quæ mundi partes ſunt dij eſſe poſſunt, ergo nec mundus quidem totus Deus eſt, quem idem ipſi Stoici & animantẽ & ſapientem eſſe contendunt, & propterea Deum in quo tam inconſtantes fuerunt vt nihil ab his dictum ſit, quod non ab iiſdem fuerit euerſum.

Quorum ſi ſpecie delectati, Deos putauerunt, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit, aut ſi virtutem & opera eorum, mirati ſunt intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit fortior eſt illis, à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter, poterit horum creator vi- D *deri.* Dignum eſſet quia per creaturas ſpecioſas ſpecioſiſſimus & ſplendidiſſimus agnoſceretur creator, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & elegerunt ſeruire creaturæ potius quam creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Non tantum ergo veritate, ſed etiam verbis ſuis reuincuntur; ſicut enim domus in vſum habitandi facta per ſe nihil ſentit, dominoque ſubiecta eſt qui eam fecit aut incolit, ita mundus per ſe nihil ſentiens factori Deo ſubiacet, qui eum in vſum ſui fecit. Duplici ergo ratione peccator ab inſipientibus, primum quod elementa, id eſt, Dei opera Deo præferunt, deinde quod elementorum ipſorũ figuras humana ſpecie comprehenſas colunt, nam ſolis lunæq; ſimulacra humanum in modũ formant, item ignis & terræ & maris quæ Vulcanum Veſtam, Neptunum vocant. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, vt etiam viliora ducantur illa quæ rara ſunt, auro ſcilicet & gemmis E & ebore delectantur, horũ pulchritudo ac nitor perſtringit oculos, nec vllam religionem putant, vbicunque illa non fulſerunt. Itaq; ſub obtentu Deorum auaritia & cupiditas colitur, credunt enim Deos amare quidquid ipſi concupiſcunt, quidquid eſt propter quod furta & homicidia latrocinia, quotidie ſeruiunt, propter quod bella per totum orbẽ populus vrbeſq; ſubuertunt. Conſecrant ergo dijs manubias & rapinas ſuas quos certè neceſſe eſt imbecilles eſſe, ac ſummæ virtutis inexpertes, ſi ſubiecti ſunt cupiditatibus, cur enim cæleſtes eos putemus, ſi deſiderant aliquid ex terra? vel beatos, ſi aliqua re indigent? vel incorruptos, ſi voluptati habent ea in quibus appetendis cupiditas hominum, non immerito damnatur.

CAPVT II.

SEd tamen in his adhuc minor eſt querela, & hi enim fortaſſis errant Deum quærentes & volentes inuenire, etenim cum in operibus illius conuerſentur inquirunt & perſuaſum habent quoniam bona ſunt quæ vident. Iterum autem nec his debet ignoſci. Si enim tantum potuerunt ſcire vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodo huius Dominum facilius non inuenerunt? F Huius loci ſimilitudinem Paulus Apoſtolus ſcribens ad Romanos in Epiſtola ſua, ſicut iam ſuperius oſtendimus expreſſit dicens: *Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitiam detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia etenim, eius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, ita vt ſint excuſabiles.* (Rom. 1.) Notitia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica, vt enim Deus qui natura inuiſibilis eſt etiam viſibilis poſſit ſciri, opus factum ab eo eſt, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certũ incertum poſſit ſciri, vt per hoc quod cæteris impoſſibile eſt, ille eſſe Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit, ita vt ſint inexcuſabiles: quia quem eſſe & operari ad vtilitatem ſuam non ignorarent, ea enim quæ humanis vſibus euoluto anno gignuntur ipſum decreuiſſe, nulli in dubium venit, ſed *cum cognouiſſent eum non ſicut Deum magnificauerunt aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* (Ibid.) Sapientes enim ſe arbitrantur, G quia rationes Phyſicas inueſtigare putant, ſcrutantes curſum ſiderum & qualitates elementorum, Dominum autẽ horum ſpernentes ideo ſtulti ſunt. Cum ergo hæc laudanda ſint, quanto magis creator illorum? ſolent tamen pudorem paſſi neglecti Dei miſera vti excuſatione dicentes: per iſtos poſſe ire ad Deum ſicut per comites peruenitur ad regem. Age nunquid tam demens eſt aliquis aut ſalutis ſuæ immemor, vt honorificentiam regis vendicet comiti, cum de hac re, ſi qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnantur maieſtatis, & iſti ſe non putant reos qui honorem nominis Dei præferunt creaturæ, & relicto Domino conſeruos adorant, quaſi ſit aliquid plus quod ſeruetur Deo: Nam & ideo per regem ad tribunos aut comites itur, quia homo vtique eſt rex, & neſcit quibus debeat rem publicam credere; ad Deum autem, quem vtiq; nihil latet, omnium enim merita nouit ad promerendum ſuffragatore non opus eſt, ſed mente deuota.

CAPVT III.

H *IN felices autem ſunt & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, & ſimilitudines animalium vel lapidem inutilem opus manus antiquæ.* Veniunt igitur ad Deos, non tam religionis gratia, quæ nulla poteſt eſſe in rebus male paratis & corruptibilibus, quam vt aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris aut eboris aſpiciant, vt inſignes lapillis & coloribus veſtes, vel diſtincta gemmis fulgẽtibus pocula inſatiabili cõtemplatione contrectent, & quanto fuerint ornatiora templa & pulchriora ſimulachra, tanto plus maieſtatis habere credantur adeo religio eorum nihil eſt aliud quàm quod cupiditas miretur. Sæpius diximus, argentum & aurum pro ſermone & ſenſu accipi poſſe, quæ cum à Deo hominibus data ſint vt vel loquantur vel ſentiant DEVM, & laudent creatorem ſuum, illi abutuntur hoc

munere

Digitized by Google

A munere in idolorum ſimulatione, iuxta illud quod ſcriptum eſt: [Oſee 2.] *Dedi eis argentum & aurum ipſi vero de argento & auro meo operati ſunt Baal.* Cum ergo quis Domini terrore perterritus, primum in ſpeluncam pectoris ſui idola condiderit & in voraginibus terræ abſconderit proferre non audens quod male finxerat, ſecundus profectus eſt vt cætera prius proijciat, & in ſe eſſe non patiatur, iuxta illud [Iſaiæ 2.] Iſaiæ: *In die,* inquit, *illa, proijciet homo idola argenti ſui & ſimulacra auri ſui quæ fecerunt ſibi vt adorarent talpas & veſpertiliones, & ingredientur in fiſſuras petrarum, & cauernas ſaxorum a facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius cum ſurrexerit percutere terram.* Sed videamus quid adhuc de ſimulacris in ſequentibus dicatur: *Aut ſi quis artifex faber de ſylua lignum rectum ſecuerit, & huius doctè eradat omnem corticem, & arte ſua vſus, diligenter fabricet vas vtile in conuerſationem vitæ, reliquijs autem eius operis ad præparationem eſcæ abutatur: & reliquum horum quod ad nullos vſus facit, lignum curuum, & verticibus plenum ſculpat diligenter per vacuitatem ſuam, & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus, illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem* B *maculam quæ in illo eſt, perliniens: & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne forte cadat, proſpiciens illi, ſciens quoniam non poteſt adiuuare ſe: imago enim eſt, & opus illi adiutorium. Et de ſubſtantia ſua, & de filijs ſuis, & de nuptijs votum faciens, inquirit. Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt: & pro ſanitate quidem infirmum deprecatur & pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat: & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt, & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis.* Hæc ad inſultationem idolorum & idololatrum ſapientia protulit, vt intelligant huiuſmodi operatores, atque adoratores, quam pernicioſum ſit & quam vicinum morti perpetuæ, vnum Deum omnipotentem & omnium creatorem deſerere, & figmenta varia in contumeliam Dei pro numine colere. Vnde & per Prophetam Dominus de ſua veneratione & de idolorum falſitate dudum ad populum ſuum ita locu- [Iſaiæ 44.] cus eſt: *Ego primus & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt alius Deus.* C *Quis ſimilis mei vocet & annunciet & ordinem ponat mihi ex quo conſtitui populum antiquum, & quæ ventura ſunt annunciet eis? nolite timere, neque conturbemini, ex tunc audire te feci, & annunciaui futura: vos eſtis teſtes mei. Nunquid eſt Deus abſque me & formator quem ego non nouerim? Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis: Ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident neque intelligunt vt confundantur. Quis formauit Deum & ſculptile, & conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur, fabri enim ſunt & ex omnibus conuenient, omnes ſtabunt & pauebunt & confundentur ſimul. Faber ferrarius lima operatus eſt in prunis, & in malleis formauit illud & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ; Eſuriet & deficiet, non bibet aquam & laugueſcet. Artifex lignarius extendit normam & formauit illud in runcina. fecit illud in angulari, & circino tornauit illud, & fecit imaginem viri, quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo, ſuccidit cedros, tulit ilicem, & quercum quæ ſteterat inter ligna ſaltus, plantauit pinum quam pluuia nutriuit & facta eſt hominibus in focum. Sumpſit ex eis & calefactus eſt & ſuccendit, & excoxit panes, de reliquo autem operatus eſt Deum, & adorauit & fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud, medium eius combuſſit igni, & de medio carnes comedit, coxit pul-* D *mentum & ſaturatus eſt, & calefactus eſt & dixit: Vah calefactus ſum vidi focum; reliquum autem eius Deum fecit, & ſculptile ſibi, curuatur ante illud, & adorauit illud & obſecrat dicens: Libera me quia Deus meus es tu. Neſcierunt neque intellexerunt obliti enim ſunt ne videant oculi eorum, ne intelligant corde ſuo, nec recogitant mente ſua, neque cognoſcunt neque ſentiunt, vt dicant: medium eius combuſſi igne, & coxi ſuper carbones eius panes, coxi carnes & comedi, & de reliquo idolum faciam, ante truncum ligni procidam, pars eius cinis eſt, cor inſipiens adorauit illud, & non liberauit animam ſuam, neque dicit: fortè mendacium eſt in dextera mea.* Huius Prophetiæ narrationis talis eſt ſenſus: nam quod dicit: *Ego ſum primus & nouiſſimus,* idem eſt [Apoc. 21.] quod alibi legitur ex diuina maieſtate prolatum: *Ego ſum alpha & Omega, initium & finis.* Nec enim dicit eſſe ſolum, ſed præter virtutem ſuam atque ſapientiam nullum eſſe

E æternum Deum, deorumque multorum opinionem & ſimulacra condemnans: *Quis,* inquit, *ſimilis mei eſt?* Vocet ea quæ non ſunt quaſi ſint, & exponat ordinem creaturæ meæ qua cuncta ratione, liberauerim, ex quo feci hominem ſuper terram, nec ſolum volo, ſed quæro etiam ſcientiam futurorum. Vnde tu Iſrael cuius ego rex & redemptor ſum, noli timere ſimulacra, quæ eſſe nihil in monte Sinai didiciſti. An forſitan alius creator eſt quem ego non nouerim, aut præter hunc alius eſt mundus qui ignoti Dei monſtret potentiam? Neque vero ea ſolum quæ fiunt, ſed & illi qui faciunt habebuntur pro nihili, cumq; vindictæ tempus aduenerit, nequaquam poterunt eos manuum ſuarum opera liberare, quæ cæca & inſenſibilia confundunt artifices ſuos. Quis enim poſſit hoc credere quod à ſua lima & terebro malleoque formetur Deus, vel in prunis ſimulacra fundantur, vel norma runcina, & angularibus circinoque in Deos repente conſurgant præſertimque cum fame, & ſiti artificis artis vilitas demonſtretur: ſit enim lignea ſtatua humanam exprimens ſpe- F ciem, & quanto pulchrior fuerit, tanto Deus putatur auguſtior, poniturque in fano, & æterno claudatur carcere, quæ longo tempore creuit in ſaltibus, & pro varietate arborum Cedrus, & ilex & quercus vel pinus fuit, mirumque in modum ſegmenta eius atque raſuræ mittuntur in focum vt calefaciant artificem Dei, & coquant diuerſa pulmenta; pars autem altera formatur in Deum vt opere completo adoret illam factor ſuus, & operis ſui imprecetur auxilium, nec intelligit vel recogitat, imo nec carnis nec mentis aſpicit oculis, quod non poſſit eſſe Deus cuius pars igne conſumpta eſt, nec hominis manu fieri diuina maieſtas, pleniuſque ſuper irriſione idolorum Propheticus ſermo contexitur, quæ facilis intelligentiæ ſunt, nec lacinioſam imo ſuperfluam expoſitionem deſiderant. Super quo & Flaccus ſcribit in Satyra deridens ſimulacra Gentilium.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.

Cum faber incertus ſcamnum faceretne priapum maluit eſſe Deum, Deus inde ego furum atque auium maxima formido.

Quidquid autem de idolis dictum eſt, poteſt referri & ad hæreticorum principes, qui ſimulacra dogmatum ſuorum G atque artifici corde componunt & venerantur ea quæ à ſe ſciunt eſſe ſimulata, nec ſufficit eis error proprius, niſi ſimplices quoſque eorum ab oratione deceperunt, & qui quæſtum putant eſſe pietatem, & deuorant domos viduarum, abutenteſq; vulgi imperitia, ita arte Dialectica, quaſi aſcia tereti & lima & runcina formant Deum ſuum, & cudunt malleo, atque inaurant ſermonis Rhetorici venuſtate, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum.

Iterum alius nauigare cogitat & per feros fluctus incipiens iter facere ligno portante ſe fragilius lignum inuocat illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex ſapientia fabricauit ſua. Tu autem pater gubernas ſapientia. Hæc ſimiliter ſicut & priora in ſugillationem ponit idololatrarum, quia maxima vecordia eſt, vt homo ad imaginem Dei conditus rationalem ab ipſo habens animam, per quam excogitare potuit artem, quomodo in fluctibus iter meandi haberet nauim fabricans ſecundum artis ſuæ peritiam, non honorem illi tribuat, qui hanc ſcientiam ſibi dedit, ſed potius inuocet idolum quod ſimili arte ſed maiori vanitate H ipſe formauit. Nam cum ille ſit maior & melior ſecundum rationem natura eo quem ipſe inſenſibilem ad aliquod ſimulacrum finxit, non debuit oberrare vt maior minorem adoraret, quia minores à maioribus auxilium quærere debent, non maiores à minoribus. Ex diuino autem munere ſicut nauigij præparatio, ita & nauigandi curſus poſtulandus eſt, quia omnipotens creator quemcunq; deſerit, interimit: quem autem ille gubernat integra proſperitate exultat. Omnes autem hæretici qui in dogmatibus ſuis varia condunt ſimulacra errorum, ideo in fluctibus huius ſæculi obuoluuntur, quia nauim Eccleſiæ reliquerunt & Deum gubernatorem habere noluerunt.

Quomodo dediſti in mari viam & inter fluctus ſemitam firmiſſimam oſtendens, quoniam potens es ex hominibus ſanare etiam

A *ſi quis ſine rate adeat mare.* Iuxta hiſtoriam ergo Domini potentia demonſtrata eſt, cum populum Iſraeliticum per mare rubrum ſicco pede tranſire fecit, ſimiliter & exeuntem de deſerto eundem per Iordanis alueum tranſduxit diuiſis ex vtraq; parte aquis, vt terrorem incuteret Gentibus Chananæorum exterminandis. Sed iuxta allegoriam ipſe Dominus fidelibus ſuis inter ſeculi, fluctus atq; perſecutorum tormenta præparat ſemitam fidei atq; conſtantiæ, per quam poſſint ab omni ſcandalo tranſire illæſi, nec eis humani ſolatij ibi erit opus, vbi poteſtas altiſſimi ſuæ virtutes mirabiles oſtendit effectus.

Sed vt non eſſent vacua ſapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt, ſed ab initio cum perirent ſuperbi gigantes, ſpes orbis terrarum ad ratem confugiens remiſit ſeculo ſemen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata. Mirabilis creator creaturæ ſuæ dedit ſcientiam, quatenus in præſenti ſeculo ſuæ poſſit conſulere neceſſitati, & Domini ſui deſeruire voluntati.
B Sic etiam ab initio quando genus humanum & idololatriæ ſeruire cœpit, & omnia mala per ſuperbos gigantes gerebantur in terra, arbiter omnipotens fidelem cultorem ſuum Noe arcam facere iuſſit, per quā ipſe & progenies eius ſaluaretur, ſpecieſq; omnium animantium ad futuram reſtaurationem orbis ſeruarentur. Cuius videlicet myſterium Petrus Apoſtolus in Epiſtola
1.Pet.3. ſua oſtendit dicens: Chriſtus *ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu. In quo & his qui in carcere erant ſpiritu veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiā. In diebus Noe cum fabricaretur arca in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis forma ſaluos facit baptiſma.* Formam baptiſmi aſſimilatam dicunt arcæ, & aquis diluuij, & rectè omnino quia & ipſa fabricatio arcæ de lignis leuigatis conſtructionem ſignificat Eccleſiæ, quæ fit de collectione animarum fidelium per architectos verbi. Et quod pereunte orbe toto pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam ſignificat, quia ad comparationem pereuntium Gentilium, Iudæorum, hæreticorum & falſorū
C fidelium multo breuior eſt numerus electorum. Vnde de anguſta porta & arcta via quæ ducit ad vitam dicitur:
Matt. 7. *Et pauci ſunt qui inueniunt eam.* Et iterum: *Nolite timere pu-*
Luc. 12. *ſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Quod ergo diluuij aqua non ſaluauit extra arcam poſitos ſed occidit ſine dubio præfigurabat, omnem hæreticum licet habentem baptiſmatis ſacramentum non alijs, ſed ipſis aquis ad inferna mergendum, quibus arca ſubleuatur ad cœlum. Ipſe quoq; octonarius numerus animarum quæ ſaluæ factæ ſunt per aquam ſignificat, quod ſancta Eccleſia in ſacramentum dominicæ reſurrectionis baptiſmi lauacrum percipit, vt ſicut ipſe reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita nos expurgati à peccatis per aquam regenerationis in nouitate vitæ ambulemus.

Benedictum eſt enim lignum per quod fit iuſtitia. Per manus autem quod fit idolum maledictum eſt & ipſum, & qui fecit illud, quia ille quidem operatus eſt, illud autem cum fragile eſſet, Deus cognominatus eſt. Diuerſa eſt hæc comparatio duorum lignorum quia vnum benedictionem, alterum vero male-
D dictionem meretur. Benedictum eſt enim lignum crucis, in quo per ſanguinem CHRISTI reparatus eſt orbis, & redemptio perfecta eſt humani generis. E contrario vero maledictum eſt idolum, hoc eſt, ſimulacrum & cultura falſorum Deorum, cuius eſt certus interitus, & operatoris eius manet cruciatus æternus. Nam Diabolus rectè inde punietur, quod honorem diuinum ſibi offerre perſuaſit atq; conſenſit: homines autem qui illum pro Deo colebant inde meritò tormenta patientur, quia falſa pro veritate, & facturam pro factore venerari moliebantur. Sed quia lignum pro homine poſitum ſæpe in ſcripturis ſacris inuenimus, iuxta tropologiæ regulam, benedictus eſt homo qui verba veritatis profert, & opera facit iuſtitiæ. Hæreticus autem qui erroris ſui figmenta veneratur maledictus eſt, & perditioni deputatus æternæ, ipſe videlicet & opus eius, hoc eſt, doctrina eius, quā
E ille falſo pro veritate docere præſumpſit, de quo & ſubiungitur.

Similiter autem Deo odio ſunt impius & impietas eius, etenim quod factum eſt cum illo qui fecit, tormenta patietur. Hinc &
Iere. 10. per Hieremiam dicitur: *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua, confuſus eſt omnis falſor in ſculptile, quia mendax conflator eius, nec eſt ſpiritus in eis, vana enim ſunt opera, & riſu digna, in tempore viſitationis ſuæ peribunt.*

Propter hoc & in idolis nationum non erit reſpectus, quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentatione animis hominum, & in muſcipula pedibus inſipientium. Non ſunt enim idola Gentium & inhabitatores eorum maligni videlicet Spiritus digni venia, quoniam homines qui ad imaginē & honorem Dei creati ſunt, à conditore ſuo abſtrahebāt, & in erroris ſui decipulam immittendo ſubuertebant. Similiter & hæretici ſi perſeuerauerint in nequitia ſua, qua homines à veritate in falſitatem ſeducunt, neque ſe correxerint & pœnitentiam egerint, non euadent iudicium ignis æterni.

F *Initium enim fornicationis eſt idolorum inquiſitio, & adinuentio illorum corruptio vitæ eſt, neq; enim erant ab initio, neq; erunt in perpetuum.* Licet multa ſint fornicationis genera, tamen peſſimum eſt illud quo anima fornicatur recedens à Deo & colens idola. Similiter & illud perinicioſum eſt, quod deſerit diuini dogmatis veritatem, & ſequitur hæreticæ
Eph. 5. opinionis falſitatem. Nam & Paulus Apoſtolus, auaritiam idolorum ſeruitutem appellat, vnde conijcitur omnem malam concupiſcentiam rectè fornicationem vocari, quando anima neglecta ſuperiori à lege qua regitur inferior, naturarum turpi voluntate quaſi mercede proſtituta corrumpitur, ſed hæc omnia ſicut ab initio non fuerunt creata, ita & in æternum non erunt permanentia.
Pſal. 11. *Diſperdet enim Dominus vniuerſa labia doloſa, & perdet omnes qui loquuntur mendacium.* Vnde & per Ieremiam dicitur:
Iere. 10. *Dij qui cælum & terras non fecerunt pereant à terra, & de his quæ ſub cælis ſunt. Dominus autem Deus verus eſt, ipſe Deus viuens & rex ſempiternus.* Vnde autem primum proceſſerint idola, ſequens oſtendit ſententia.

G *Superuacuitas enim hominum hoc adinuenit in orbem terrarum, & ideo breuis illorum finis inuentus eſt. Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interueniente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquā lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quod longe eſſent, è longinquo figura illorum allata, euidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: vt illum qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſolicitudine. Prouexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens placere illi qui ſe aſſumpſit, elaborauit arte ſua, vt ſimilitudinē in melius figuraret. Multitudo autem hominum abducta per ſpeciem operis eum, qui ante tempus tanquam honoratus fuerat, nunc Deum æſtimauerunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regib. deſeruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.* Firmianus autem Lactantius in libro primo quem ſcripſit de falſa religione deorum, huic loco ſimilia profert dicens: Non eſt obſcurum, qua ratione ho-
H mines dij cœperint nominari, propter hominum enim prauitatem qui agreſtem vitam ſine vllo rectore viuebāt. Non eſt dubium quin illis temporibus hominem regem, ipſum totamq; Gentem iactare ſummis laudibus cœperint, vt etiam Deos appellarent, ſiue ob miraculum virtutis hoc verè putabant, rudes adhuc & ſimplices, ſiue vt fieri ſolet in adulationem præſentis potentiæ, ſiue ob beneficia quibus ad humanitatem compoſiti; deinde ipſi reges cum chari fuiſſent his quoq; vitam compoſuerant, magnum ſuum deſiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum ſimulacra fixerunt, vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatium, progreſſiq; longius per amorem, memoriam defunctorum colere cœperunt, vt & gratiam referre bene meritis viderentur, & ſucceſſores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditaté. Quod Cicero de natura Deorum docet dicens: Suſcepit

A autem vitam hominum coſuetudo communis, vt beneficijs excellentes, viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber, & alio loco: Atq; in pleriſq; ciuitatib. intelligi poteſt acuendæ virtutis gratia, aut quod libentius rei publicæ cauſa periculum adirent, optimi cuiuſq; virorum fortium memoriam, honorẽ Deorum immortalium conſecratam. Hac ſcilicet ratione Rom. Cæſares ſuos conſecrauerunt, & Mauri ſuos reges, ſic paulatim religiones eſſe cœperunt, dum illi primi qui eos nouerãt eo ritu ſuos liberos atq; nepotes, deinde oẽs poſteros imbuerunt, & hi tamen ſummi reges ob celebritatem nominis in prouincijs omnib. colebantur. Priuatim vero ſinguli populi Gentis aut vrbis ſuæ cõditores ſeu viri fortitudine inſignes erant, ſeu fœminæ caſtitate mirabiles, ſum̃a veneratione coluerunt, vt Ægyptij Iſidẽ, Pœni Vraniã, Romani Quirinũ, Samos Iunonem, Liberũ Naxos, Mauri Iubam, Latini Faunũ, eodem vtiq; modo Paphos Venerem, Apollinẽ Delos, Macedones Scabrium, Athenienſes Mineruam, Vulcanum Lemnos, ſic ꝑ populos ac B regiones varia ſacra ſuſcepta ſunt, dum homines grati eſſe in ſuos principes cupiunt. Et cur alios honores vita carentib. deferant inuenire non poſſum: ꝑterea pietas eorũ qui ſucceſſerant plurimũ contulit ad errorem, qui vt diuina ſtirpe nati viderentur, diuinos honores à parentibus detulerunt, deferriq; iuſſerunt: ideo dicit, incom̃unicabile nomen lapidibus & lignis impoſitum: quia viui & omnipotentis Dei qui ſolus eſt, incomprehenſibile nomen in ſimulacris perfidè compoſitis materiæ inſenſibili & fragili adſcripſerunt, & ſimul cum falſa religione omnibus vitijs ſe impudenter perdiderunt. Vnde dicit.

Et non ſufficerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacẽ appellant. Aut n. filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neq; vitam neq; nuptias mundas iam cuſtodiunt, ſed alius alium per inuidiã occidit aut adulterans contriſtat: & omnia commiſta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periuriũ, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia inordinatio mœchiæ & impudi- C *citia.* Qui n. mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ & quadrupedum & ſerpentium, & com̃utauerunt veritatẽ Dei in mendaciũ & ſeruierunt, creaturæ potius quã creatori, qui eſt benedictus in ſecula, licet ſe ſapientes nominauerint, ſtulti facti ſunt, traditi n. ſunt in reprobum ſenſum, vt contumelijs afficerent corpora ſua in ſemetipſis, & qui cum Deo ꝑ fidẽ rectam, & bona opera fœdus inire noluerunt, ſub diaboli cultu conſtituti, pacem verã nullo modo inuicẽ habere potuerunt. Igitur filios ſuos ſacrificauerunt, vt in ſacris Saturni ipſi gentiles fecerunt, qui eidem Saturno im̃olabant, pro odio Iouis & teneras atque innocentes animas, quæ maximè eſt ætas parentib. dulcis ſine vllo reſpectu pietatis extinguebãt. Alij n. virtuti quã Bellonam vocabant humanũ ſanguinẽ litando fuderunt, nam ſacerdotes ipſi non alieno ſed ſuo cruore ei ſacrificabant, diſtrictis gladijs ſemetipſos ferientes. De quo optimè Quintilianus ait: Iſtud, inquit, ſi Deus cogit iratꝰ eſt. Alij obſcura ſacra facientes inſaniæ vigilias plenas habe- D bant, vt in ſacris Iſidis Ægyptiæ, & Cereris Eleuſinæ facere ſolebant, nã ſicut ibi Oſiris plãctu matris inquirebatur, ita hic ad inceſtũ patrui matrimoniũ rapta Proſerpina requirebatur. Quã qꝛ facib. ex Æthnæ vertice accẽſis quæſiſſe in Sicilia Ceres dicitur, idcirco ſacra eius ardentium tædarũ iactatione celebrantur. Similiter & in ſacris Liberi patris inſaniæ plenæ vigiliæ habebantur, nec non & in feſta magnæ matris vbi ad exemplũ Deorũ ſuorũ, qui in eius feſtiuitate epulis ſaciati noctem luſibus ducebant, iſti totam noctẽ ludo inutili conſumebant. Neq; vitam neq; nuptias mundas iam ipſi pagani cuſtodiebant, quia per libidinẽ & immunditias vitæ dijs ſuis ſe placere æſtimabant, omnia enim confuſa erant vbi ratio & vera religio locum nullum tenebat, ſed quanto quis ſceleratior erat, tanto magis ſe Deo ſuo placere putabat.

Infandorum n. idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt & initi- E *um & finis.* Nulla maior dementia eſt quã deſerere Deũ viuum, & deſeruire idolis mortuis, & ideo omnis mali cauſa, & initium eſt idolorum cultura, quia poſtquam mens humana auertit ſe à creatore ſuo, omnium ſcelerum ſe implicauit erroribus. *Initium enim omnis peccati ſuperbia*, ſimiliter Eccl. 10. autem & finis eſt, hoc eſt, conſummatio ſeu plenitudo omnis mali eadem idololatria, nihil enim deeſt illi in vlla malitia, qui Diabolum colit pro diuina potentia, idcirco ei, omnia in malum & in peccatum reputantur.

Aut n. dum lætantur inſaniunt, aut certe vaticinantur falſa, aut viuunt iniuſtè, aut peierant cito: dum n. confidunt in idolis quæ ſunt ſine anima male iurantes noceri ſe nõ ſperant. Omnis eorũ vita in erroribus eſt cõſtituta, ſi lætantur, vel in feſtis vel in ludis ſuis inſaniunt, dũ aut homicidia cõficiunt, aut libidine obſcœnè ſe polluũt, dũ vaticinantur fallunt & auditores ſuos ſeducunt, dũ iniuſtè viuunt anima mortui ſunt, ſi peierant cito ad infernũ ducuntur, cũ iurant in idolis polluũt nomen Dei, qui in lege ita ꝑcipit dicens: *Non aſſumas nomen Dei tui* Exod. 20. *in vanũ.* Et itẽ: *Per nomen*, inquit, *externorum Deorum non iuretis* Exod. 23. *ſed in nomine Domini Dei veſtri.* Sed cũ deludere ſe Deum poſ- F ſe æſtimant in æternam mortem ſemetipſos ꝑcipitant. Allegoricè aũt hæretici errorum ſuorũ ſimulacra colentes perditionis ſuæ ipſi ſibi exiſtunt cauſa quorum doctrina eſt falſa, vita iniuſta, lætitia inſana, mors nefanda.

Quoniam cum iniuſtè iurant in idolo & non ſperant in Deo vero, contemnentes iuſtitiam meritorum ſuorum iuſtam recipient vindictam. Quod & conſequenter inſinuat.

Non n. iurantium eſt virtus, ſed peccantium pœna perambulat ſemper iniuſtorum præuaricationem. Iuſto enim Dei iudicio damnati ſerò pœnitentes agnoſcunt, quod antea viuentes credere noluerunt, ſic & Pſalmiſta teſtatur dicens: *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, in operib. manuũ ſuarũ comprehenſus* Pſal. 9. *eſt peccator. Conuertentur peccatores in infernum oẽs Gentes quæ obliuiſcuntur Deum.*

CAPVT IV.

TV autem Deus noſter ſuauis & verus es, patiens & in miſericordia diſponens omnia. Etenim ſi peccauerimus tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam. Et ſi non peccauerimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati. Deus noſter ſuauis eſt, quoniam ineffabilis eſt dilectio. Eſt verus, quia neminẽ fallit, & à ne- G mine fallitur. Patiens & in miſericordia diſponens omnia, propter bonitatem n. ſuam patiẽter ſuſtinens nos expectat conuerti in melius, nolens quenquã perire, ſed oẽs ſaluos eſſe, & ad agnitionẽ veritatis peruenire. Qui per Prophetã ait: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Ezec. 33. Cuius manum ſi peccauerimus euadere non poſſumus, quia eius creatura ſumus. Si aũt peccare deſierimus & bonis operib. inſiſtimus certam remunerationẽ ab illo percipiemꝰ, apud quem omnium bonorum actuũ numerus integer ſeruatur. Ipſe n. nouit oẽs, & nullũ coram eo latet ſecretum. Eius aũt cognitio quid nobis conferat ſequens ſentẽtia manifeſtat.

Noſſe n. te conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiã & virtutem tuã, radix eſt immortalitatis. Quicũq; verè Deũ noſſe cupit, ab omni peccato ſe abſtinere cõtendit, ꝙ Ioannes Apoſtolus cõprobat dicens: *Omnis qui habet ſpem hanc in eo ſanctificat ſe,* 1. Ioan. 3. *ſicut & ille ſanctus eſt.* Et item: *Omnis qui in eo manet non peccat,* Ibid. *omnis aũt qui peccat non vidit eum nec cognouit eum.* Noſſe autẽ Deũ conſum̃ata eſt iuſtitia, hoc eſt, ſum̃a beatitudinis perfectio & ſcire iuſtitiam eius & virtutem radix eſt im̃ortalitatis. Quæ eſt aũt iuſtitia & virtus Dei niſi ille de quo Apo- H ſtolus ait; *Chriſtum Dei dico virtutem & Dei ſapientiam, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia & iuſtitia, ſanctitas & redemptio* 1. Cor. 1. *Noſſe n. Deum & iuſtitiam eius atq; virtutem radix eſt immortalitatis*, hoc eſt perceptio incorruptionis & contemplatio veritatis in æterna vita, ſicut ipſa veritas in Euangelio ad Patrem ait: *Hæc eſt n. vita æterna, vt cognoſcant te vnum verum Deum, &* Ioan. 17. *quem miſiſti Ieſum Chriſtum, quem nunc ex parte cognoſcimus in fide, tunc autem cognoſcemus in veritate, ſicut & cogniti ſumus quoniam videbimus eum ſicuti eſt: nunc vero videmus per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

CAPVT V.

NOn enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec vmbra pictura, labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores cuius aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſine anima. Ex perſona fidelium loquitur, qui Dei gratia muniti nullo modo gentiliũ iniquitati

A ſe immiſcere volunt, nec errores eorum quos habent in idololatria & diuerſis ſceleribus dignantur imitari, quia ſine fructu iuſtitiæ huiuſmodi labor eſt, imo mortem meretur perpetuam, de quo & ſubiungitur.

Malorum amatores digni ſunt morte, qui ſpem in talibus habent, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt. Non ſolum ergo hi qui fabricant idola, ſed & illi qui diligunt ea atque colunt, ſpem ſuam in illis ponentes noxij ſunt, & præuaricatores, quia non tantum facientes mala, ſed & conſentientes facientibus digni ſunt morte. Quales autem ſunt qui ſpem habent in idolis ſuis oſtendit Pſalmi-
Pſal. 113. ſta dicens: *Simulacra Gentium argentum & aurum opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt? aures habent & non audient, nares habent & non adorabunt: manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo, neq; enim eſt ſpiritus in ore ipſorum, ſimiles illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Mortalis enim mortuum fingit manibus iniquis & colit ſtultus ſtultiſsimum.* Allegorico autem ſenſu inuentores
B & extructores peruerſorum dogmatum hæreſiarchæ ſunt, amatores autem & cultores eorum ſequaces & alumni eorum, qui omnes rei ſunt & obnoxij perditionis:
Iſai. 44. *Omnes enim pauebunt & ſtabunt, & ſimul confundentur, diſper-*
Malac. 2. *det enim Dominus virum hunc qui hoc fecerit, magiſtrum & diſ-*
Iſai. 3. *cipulum eius. Væ animæ eorum, quoniam reddita eis ſunt mala.*

Sed & figulus mollem terram premens, laborioſe fingit ad vſus noſtros vnumquodq; vas, & de eodem luto fingit quæ munda ſunt in vſum vaſa, & ſimiliter quæ his contraria: horum autem vaſorum quis ſit vſus, iudex eſt figulus. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto, ille qui Paulò ante de terra factus fuerat, & poſt puſillum reducit ſe vnde acceptus eſt, repetitus animæ debitum quam habebat. Sed cura eſt illi, non quia laboraturus eſt, nec quoniam breuis illi vita eſt, ſed concertatur aurificibus & argentariis: ſed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res ſuperuacuas fingit. Cinis eſt enim cor eius, & terra ſuperuacua ſpes illius & luto vilior vita eius: quoniam ignorauit qui ſe finxit, & qui inſpirauit illi animam quæ operatur, & qui inſufflauit ei ſpiritum vitalem. Sed & æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere vnde-
C *cunq; etiam ex malo acquirere.* Superius narrauerat de his qui de lignis aut lapidibus aut metallis aliquibus idola fabricauerant, nunc & de illis dicit, qui in arte figuli eandem vanitatem ſecuti ſunt, pari errore noxios eos eſſe comprobans, in tantam enim ſtultitiam ipſi gentiles deuoluti ſunt, vt non ſolum de auro ſiue argento, ſiue etiam lapidibus pretioſis idola conderent, ſed & de vili luto ſimulacra pari modo fingerent, Deum appellantes eum, qui de limo terræ teſtaceo opere formatus erat. Vnde iuſtè eis retributum eſt, vt qui homines de terra facti fuerant, cum meliorem ſui partem, hoc eſt, rationabilem animam quæ ad imaginem Dei creata eſt, ad adorandum Deum viuum nolebant ſequi, viliorem ſui portionem, hoc eſt, corpus terrenum imitando luteum adorarent Deum, ſicq; poſtmodum ſine boni operis fructu terræ inſenſibili, de qua ſumpti ſunt ipſi inſenſati & inutiles redderentur. Myſticè autem omnes hæretici atq; ſchyſmatici qui veritatem Dei in iniuſtitiam detinent, & mendacium pro veritate in doctrinarum ſuarum, ſimulacris colunt. Licet aliquando venuſta locutione aut veriſimilibus ea
D virtutibus polleant, tamen fragilia ac ſi lutea ſint omnino eſſe probabunt, quia res ſuperuacuas fingunt, & proinde cinis eſt cor eorum, hoc eſt, fœda cogitatio ipſorum, & omni cœno ſordidior vita illorum, quoniam ignorant eum qui ſe finxit, & mentem intelligibilem dedit, ſed euaneſcunt in cogitationibus ſuis, ſenſum ſanctorum patrum ſpernendo quem illi in diuinis ſcripturis dono ſpiritus S. habebant, nouos errores ac ſi ludos vanos propter humanum fauorem & terrenum lucrum impudenter cõdunt, errantes ſcilicet & in errorem quoſcunq; poſſunt mittentes, vt inexcuſabiles ſint in die iudicij, quando iudex omnium venerit iudicare occulta cordium & reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. Vnde & ſequitur.

Hic enim ſuper omnes ſcit ſe delinquere, qui ex terra materia fragilia vaſa & ſculptilia fingit. Nullam enim excuſationem habent hæretici, quia ſcienter peccant, dum ſanctos & Catholicos Doctores in fide recta & doctrina ſana no- E
lunt ſequi, ſed iuxta inuentiones ſuas peruerſas magis eligunt terrenum & fragilem ſenſum, quam ſpiritalem & cœleſtem in dogmatibus ſuis moliri. *Omnes enim inſipientes ſupra modum animæ ſuperbi ſunt.*

CAPVT VI.

INimici populi tui & imperantes illi, quoniam omnia idola nationum æſtimauerunt Deos, quibus neq; oculorum vſus eſt ad videndum, neq; nares ad percipiendum ſpiritum, neq; aures ad audiendum, neq; digiti manuum ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Superbi quippe hoſtes populi Dei & inimici omnes iuſtitiæ, licet ad tempus in terra dominari videantur, tamen quia inſipientes ſunt eum inſenſata idola, nationum æſtimant eſſe Deos quibus non eſt viſus, nec auditus, nec tactus, nec vllus viuendi ſenſus: infœlices ſunt ſuper modum animæ ſuæ interitum in gehenna expectantes, vbi erit perpetua pœna cruciandi, nã
vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur, pro eo quod Marc. 9.
F *non dederunt honorem Deo viuo & vero, & ſeruierunt ſculptilibus quæ ipſi nequiter finxerunt.*

Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt finxit illos, nemo enim ſibi ſimilem homo Deum poterit fingere. Cum ſit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis: melior eſt enim ipſe his quos colit, quia ipſe quidem vixit cum eſſet mortalis, ille autem nunquam. Melior eſt enim homo idolis ſecundum rationẽ creationis ſuæ, quia ipſe viuit & intelligit, illa autem nunquam. Sed tamen quia magis ſecutus eſt vanitatem erroris quam ſcientiam veritatis, impletur in eo quod
per Pſalmiſtam dicitur: *Homo cum in honore eſſet non intelle-* Pſal. 48.
xit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Sed & animalia miſerrima colunt, inſenſata enim comparata his, aliis ſunt deteriora: ſed nec aſpectu aliquis ex his animalib. bona poteſt conſpicere, effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem eius. Miſera gentilitas non ſolum humanam ſpeciem in inſenſibilib. rebus formatam pro numine colebat, ſed etiam cæterorum animalium ſpecies peruerſè adorabat, nec iuſtam diſcretionem in vlla re habuerat. Secundum conſiderationem enim veritatis viuentia proponuntur
mortuis, & ſenſibilia inſenſibilibus, & rationalia animã- G
tia cæteris animantibus, ſed dignum fuit vt qui creatorẽ ſuum ignorauerunt, in creaturis quoq; ipſius diſtinctionem congruam facere neſcirent: qui enim Dei laudem & benedictionem in ſemetipſo habere negligit, in aſpectu & diſcretione animalium ſemetipſum errare probabit.

Propter hoc per his ſimilia paſſi ſunt digna tormẽta, & per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt. Hæc ſi ad Ægyptios refers, qui cum idololatræ fuiſſent & varijs erroribus dediti, populum quoq; Dei iniuſtè perſecuti ſunt, in illis decem plagis quibus Dominus eos corripuit, pro eo quod noluerunt populum ſuum dimittere beſtiarum eos poteſt intelligere ſæuitiam expertos eſſe: nam & ibi muſcæ diuerſi generis & locuſtæ eos deſcribuntur deuaſtaſſe, ſimiliter & ranæ & rupetæ & cætera animantia terræ, de
quibus in Pſalmo ſcriptum eſt: *Immiſit eis muſcam cani-* Pſal. 77.
nam, & comedit eos: ranam & exterminauit eos, & dedit erugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ. Aliter quoq; hæreticos & ſchyſmaticos atque omnes iniquos ſpiritales beſtiæ, hoc eſt, maligni ſpiritus laniant, diſſipant atq; exter-
minant, quorum quia conſentiebant voluntati iuſto Dei H
iudicio ſubditi ſunt ditioni, vt eos crucient atque diſperdant.

Pro quibus tormentis benè diſpoſuiſti populum tuum, quibus dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui nouum ſaporem, eſcam parans eis ortygometram, vt illi quidem concupiſcentes eſcam, propter ea quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt, & iam à neceſſaria concupiſcentia auerterentur. Hi autem in breui inopes facti nouam guſtauerunt eſcam, oportebat enim illis quidem ſine excuſatione ſuperuenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantum oſtendere quemadmodum inimici illorum exterminabantur. Legitur
in libro Numerorum quod populus Iſraeliticus cũ eſum Num. 11.
carnium in deſerto concupierat, multitudinem cothurnicum Domino tribuente accèperit, quas comedens ſatiatus eſt vſq; ad nauſeam, ſed tamen non procul ab eis fuit ipſius concupiſcentiæ vindicta, nam *furor Domini con-*

A *citatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis vocatumque eſt locus ille ſepulchrum concupiſcentiæ.* Hoc ergo nunc commemorat ſapientia alternando diſputans, de internecione Ægyptiorum & correptione Iſraelitarum, quia cum illi Deo repugnantes & in populum eius tyrannidem exercentes ſine excuſatione ſubito perierunt. Iſti vero ad tempus correcti & diſciplinabiliter caſtigati, non tamen omnino ſolatio diuino ſunt deſtituti. Vnde & ſequitur.

Etenim cum ſuperueniret illis ſæua beſtiarum ira morſibus peruerſorum colubrorum exterminabantur, ſed cum ſuperuenerit illos ſæua, non in perpetuum permanſit ira tua, ſed ad correptionem in breui turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conuerſus eſt, non per hoc quod videbat ſanabatur ſed per te omnium Saluatorem, & in hoc autem oſtendiſti inimicis noſtris, quia tu es qui liberas ab omni malo.
Num. 21. Item legitur in prædicto libro Numerorum quod murmurantes filij Iſrael, in trigeſima quinta manſione præ tædio itineris ac laboris, & præ tenuitate victus iram Domini contra ſe incitarint. B *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum venerunt ad Moyſen & dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te, ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauit Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eam, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent ſanabantur.* Sed diligenter penſandum eſt hoc quod dicitur: *Qui enim conuerſus eſt non per hoc quod videbat ſanabatur, ſed per te omnium Saluatorem.* Non enim æneus ſerpens, qui pro ſigno figuraliter ponebatur ſaluauit illos, ſed ſacramentum myſterij, hoc eſt, mors CHRISTI, qui in eo ſerpente figurabatur ipſe ſaluauit genus humanum: Omnia enim in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Sed quid illud ſignificat quod vulnera in hominibus ex morſu ferorum ſerpentium facta exaltato & reſpecto æreo ſerpente ſanabantur. Niſi quod nunc in typo Saluatoris, qui ferum antiquumque ſerpentem in patibulo crucis, triumphauit Diaboli venena ſuperantur; ita vt qui verè C expreſſeque imaginem filij Dei paſſionemque eius conſpexerit, conſeruetur? Hoc enim ſignificant & verba ipſius Domini dicentis: *Ioan. 3.* *Sicut exaltauit Moyſes in eremo ſerpentem, ſic oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Rectè ergo ſerpens æneus ipſe erat, qui ligno ſuſpenſus eſt, æs quippe cæteris metallis durabilius eſſe ſolet, & aperte æneus ſerpens in ligno ſuſpenſus eſt vt Dominus, & in ſerpente mortuus, & in ære ſignificaretur æternus, videlicet vt indicaretur mortuus per humanitatem, & tamen eſſet quaſi æneus propter diuinitatem.

Illos enim locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta ſanitas animæ illorum, quia digni erant ab huiuſcemodi exterminari. Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes. Notanda eſt diſtinctio, quia ſicut electos aliquando caſtigatio probat ac commonet, vt caueant peccata & operibus inſiſtant iuſtitiæ, fidemq; Dei & mandatorum eius cuſtodiam diligenter obſeruent, ita reprobos quoque correptio adhibita deijcit ac diſperdit: D quoniam nulla in eis inuenitur correctio & emendatio condigna, propterea ergo idololatras parua animantia Deo volente interemerunt, & è contrario Iſraelitas cultores veri Dei, vis venenatorum ſerpentium non potuit exterminare, quoniam nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij cruciandos ſeruare. Vnde & ſequitur.

CAPVT VII.

M*Iſericordia tua enim adueniens ſanabat illos, in memoria enim ſermonum tuorum examinabantur, & ſaluabantur ne in altam incidentes obliuionem, non poſſent vti tuo adiutorio, etenim neque herba neq; malagma ſanauit illos, ſed tuus Domine ſermo qui ſanat omnia: Tu es enim Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis.* Nota quod dicit à ſerpentibus læſos, non per malagma atque medicorum opera ſanatos, ſed per verbum Domini, hoc E eſt, filium per quem vniuerſa condita ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: cuius poteſtas dominatur vbique, & omnia quæcunq; vult facit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, ipſe curat corpora, ipſe à ſpiritalibus beſtijs, hoc eſt, malignis ſpiritibus ſaluat & animas, *nec eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius.* *Eſther. 13.*

Homo autem occidit quidem per malitiam animam ſuam, & cum exierit ſpiritus non reuertetur, nec reuocabit animam quæ recepta eſt, ſed tuam manum effugere impoſſibile eſt. Per malitiam hominis anima occiditur, hoc eſt, per nequitiam propriæ voluntatis, & effectum praui operis. Vnde quidam ait: Neminem lædi poſſe niſi à ſemetipſo, quia aut proprij ſceleris ipſe inuentor eſt, aut alienæ nequitiæ aſſenſor & fautor. Si enim homo cuſtodit mentem ſuam, & non conſentit perſuaſioni iniquæ, liber eſt ab omni crimine.

CAPVT VIII.

N*Egantes autem noſſe te impij per fortitudinem brachij tui, flagellati ſunt nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs perſecutionem paſſi ſunt, & per ignem conſummati. Quod enim mirabile erat in aqua quæ omnia extinguit plus ignis valebat, vindex eſt enim orbis iuſtorum.* F Cum Moyſes Pharaonem Domini verbo compellebat, vt filios Iſrael abire permitteret ex Ægypto, quatenus ſacrificarent Domino in deſerto, induratus profana voce reſpondit: *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* *Exod. 5.* Quapropter diuerſis plagis ſimul cum populo ſuo correptus eſt, inter quas grandine ſimul & igne percutiebatur ſicut legitur in Exodo: quoniam grando & ignis commixta pariter ferebantur, & percuſſerunt cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vſque ad iumentum, *cunctamque herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.* *Exod. 9.* Nec mirum quod duo contraria elementa, hoc eſt, ignis & grando ſimul ferebant, quoniam omnia creatoris ſui conſentiunt voluntati, nec ibi eſt aliqua aduerſitas, vbi diuina imperat maieſtas. Quodam enim tempore manſuetabatur ignis ne comburerentur, quæ ab impijs miſſa erant animalia: ſed vt ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei iudicio patiuntur perſecutionem. G Et quodam tempore in aqua ſuper virtutem ignis, ardebat vndiq; vt iniquam terræ nationem exterminaret. Igitur ſicut in libro Geneſis legitur, quod pluerit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham, ignem & *Gen. 19.* ſulphur de cœlis à Domino vt diſperderet impios, & in *Exod. 9.* Exodo mixtura grandinis & ignis narratur impios per- *Num. 21.* cuſſiſſe, ita in Numerorum libro commemorantur igniti ſerpentes, rebelloſos & murmuratores exterminaſſe, quatenus ipſi proterui agnoſcerent, quod omnis creatura ad vltionem parata eſt peruerſorum, quando conditoris ſui non formidant rebellare præceptis.

CAPVT IX.

P*Ro quibus Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes oſtendebat: & deſeruiens vniuſcuiuſq; voluntati, ad quod quiſq; volebat, conuertebatur. Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant: vt ſcirent quoniam fructus inimicorum, exterminabat ignis ardens in grandine & pluuia coruſcans.* H *Hic autem iterum vt nutrirentur iuſti, etiam ſuæ virtutis oblitus eſt.* *Exod. 9.* Commemorat hic ſapientia populo Iſraelitico in deſerto cibũ manna cœlitus datum ſuauiſſimum ac ſaluberrimum ſcilicet, quatenus redemptori ſuo inde maiores gratias referrent, qui non ſolum ab hoſtibus coanguſtatos eos miſericorditer liberauerit, ſed etiam indigentes dapibus ſupernis largiter pauerit. Si quis autem quærendum putat, quid ſit quod dicit, niuem & glaciem ſuſtinere vim ignis & non tabeſcere, intelligat ibi non innotuiſſe, quod duo contraria elementa, hoc eſt, ignis & aqua gelata impios concorditer feriebant, vel qualitatem aliquã cœleſtis cibi qui in eſca populo Dei datus eſt, ibi expreſſum eſſe qui vim ignis vbi oportebat ſufferebat, & tamen quando oportebat, ad calorem ſolis liqueſiebat. Legitur quoque in Exodo, quod apparuiſſet in ſolitudine al-

bum

A bum minutum & quaſi pilo tonſum in ſimilitudinē prui-
næ ſuper terram, cuius eſum ſentiebant quaſi ſimilæ cum
melle mixtū, nec ob vim ignis defectum patiebatur. Vn-
Num. 11. de in Numerorum libro ſcriptum eſt: *Erat autem manna*
quaſi ſemen coriandri coloris bdellij, circuibatq; populus colligens
illud frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla &
faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati. Sole autem orto
liquefiebat. Myſticè autem ſicut in flagello grandinis &
ignis dura increpatio, quaſi ſcriptura diuina peccatores
cruciat intelligitur, ita & in cœleſti cibo conſolatio ſu-
perna, quæ iuſtos ac Deo deuotos quotidie refouet ſigni-
ficatur. Aliter manna ſignificat panem illum, qui in E-
Ioan. 6. uangelio ait: *Ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendi, & do vi-*
tam mundo: Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non
Ibid. *ſitiet vnquam.* Et item: *Panis*, inquit, *quem ego dabo caro*
Ibid. *mea eſt pro mundi vita.* Et rurſum: *Qui manducat carnem me-*
am & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo. Qui-
cunq; ergo ad huius panis participationem veraciter per-
uenit, procul dubio vitam æternam ſine fine poſſidebit.
B Cruciantur ergo reprobi ſpiritali fame, & paſcuntur ele-
cti ſalubriter cœleſti pane: Illi quotidie diuerſis labori-
bus præparantur ad futuram pœnam, iſti autem ope di-
uina quotidie nutriuntur ad vitam æternam. Quod &
Pſal. 31. Propheta teſtatur dicens: *Multa flagella ſunt peccatorum,*
ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit.

CAPVT X.

CReatura enim tibi creatori deſeruiens, excandeſcit in tor-
mentum aduerſus iniuſtos & lenior fiet, ad benefaciendum
pro his qui vita confidunt. Confunduntur hac ſententia om-
nes impij & peccatores, quod cum cætera creatura crea-
tori ſuo deſeruiat, ipſi ſoli eius voluntati & mandatis re-
pugnare inueniantur. Sed quia nemo poterit reſiſtere
voluntati eius, inde merito creaturarum omnium con-
cordia flagellantur atque corripiuntur, & ſi non pœni-
tuerint neque ſe correxerint perpetuis pœnis cruciandi
tradentur. Solis autem bonis vera præparantur bona, i-
niquis autem indeficientia deſtinata ſunt tormenta.

C

CAPVT XI.

PRopter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici
gratia tua deſeruiebat, ad voluntatem eorum, qui à te deſide-
rati ſunt: vt ſcirent filij tui, quos dilexiſti Domine, quoniam non
natiuitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos, qui in te
crediderint conſeruat. Multiplici ergo ſolatio populus Dei
in deſerto diuina miſeratione fouebatur. Pluit illis de
cœlo manna, data eſt eis de petra aqua largiſſima, paſti
ſunt auium carnibus, veſtimenta eorum non ſunt attrita
neq; calceamenta conſumpta, per diem Sol non vrebat
eos, quia eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illumi-
natione ignis, vt creatori ſuo inde magis deuoti fierent,
quo eos gratis in omni neceſſitate procurando adiuua-
ret. Ideo enim illis temporaliter conſulit, vt illum per-
petualiter diligerent atq; intelligerent, ſecundum huius
loci mentionem, quoniam non natiuitatis fructus paſ-
cunt homines, ſed ſermo Dei, hos qui in illum credunt
Deut. 8. conſeruat. Quod & Moyſes in Deuteronomio compro-
D bat dicens: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna,*
quem ignorabas tu & patres tui, vt oſtenderet tibi, quod non in
ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.
Veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit,
& pes tuus non eſt ſubtritus: En quadrageſimus annus eſt vt re-
cogites in corde tuo, quia ſicut erudit homo filium ſuum, ſic Domi-
nus Deus tuus erudiuit te vt cuſtodias mandata Dei tui, & ambu-
les in vijs eius, & timeas eum, Dominus enim tuus introducet te
in terram bonam. Sed quia ipſi ſemper ingrati fuerunt &
figuræ adhærentes, ipſam veritatem ad ſe venientem re-
cipere nolebant, ideo ad fructus, ſanctæ Eccleſiæ vni-
uerſa tranſlata ſunt, omnia enim in figura contingebant
illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, quod
& Paulus ad Corinthios ſcribens manifeſte probauit di-
1. Cor. 10. cens: *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam Patres noſtri o-*
mnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in
Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam E
ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem
biberunt. Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: Pe-
tra autem erat CHRISTVS. Totius enim legis firma-
mentum & figuræ veritas CHRISTVS eſt, quem qui
crediderit totam legem impleuit, qui autem non credi-
derit, quaſi præuaricator legis in æternum peribit.

Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exi-
guo radio ſolis calefactum tabeſcebat, vt notum omnibus eſſet quo-
niam oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ori-
entem lucis oportet te adorare. Superius iam diximus, quod
manna ignis odorem ſuſtinens ad ſolis calorem tabeſce-
ret, nunc autem quia idem reperit myſterium eius dicere
ſatis eſſe credimus. Ille enim figuralis cibus hiſtorialiter
paſcebat patres noſtros, ſed ad ortum veri ſolis liquefie-
bat, hoc eſt, in natiuitate CHRISTI ad ſpiritalem v-
ſum ſoluebatur, & in cœleſte ſacramentum vertebatur,
quatenus præueniamus ſolem in benedictionibus, hoc
eſt, CHRISTI diuinitatem æternis præconijs prædi-
cemus, dicentes cum Euangeliſta Ioanne: *In principio e-* F
rat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ioan. 1.
Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, &
ſine ipſo factum eſt nihil &c. Ad ortum autem lucis hoc eſt,
ad aduentum Saluatoris dicamus. *Verbum caro factum eſt,*
& habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi v-
nigeniti à patre, plenum gratia & veritatis. Quid autem de
illo populo carnali ſubſequatur videamus.

Ingrati enim fides tanquam hybernalis glacies, tabeſcit & di-
ſperiet tanquam aqua ſuperuacua. Ingrati enim populi, hoc
eſt, Iudæorum ſpes quam illi habent modo in aduentum
regis ſui, nimirum Antichriſti, tanquam hybernalis gla-
cies tabeſcit, hoc eſt, frigida in infidelitate ſine fructu
iuſtitiæ marceſcit, & diſperiet tanquam aqua ſuperua-
cua, cum omnis traditio doctrinæ illorum, nullo vſui a-
pta deputetur, dicit enim nobis Saluator noſter loquens
ad Apoſtolos: *Sinite illos, cæci ſunt duces cæcorum. Omnis* Matt. 15.
plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis eradica-
bitur.

CAPVT XII.

G

MAgna enim ſunt iudicia tua, & inenarrabilia verba tua,
propter hoc indiſciplinatæ animæ errauerunt. Magna
ſunt iudicia omnipotentis Dei, & inenarrabilia verba,
quibus nutu mirifico creaturam regit vniuerſam. Pro-
pterea enim inſenſatæ animæ infidelium errauerunt,
quoniam creatorem ſuum qui verbo ſuo omnia fecit
credere & intelligere noluerunt, nec ei debitum ho-
norem in cultu pietatis exhibuerunt. Nec eſt contrari-
um huic ſententiæ quia dicit, inenarrabilia eſſe verba Dei
illud quod Pſalmiſta ait: *In labijs meis pronunciaui omnia* Pſal. 118.
iudicia oris tui, quia quæ ille ore pronunciare, hoc eſt, ma-
nifeſtare voluit vt ea humana fragilitas intelligere & re-
ferre poteſt, quæ autem ipſe abdita eſſe decreuit, nullus
omnino inueſtigare potuit.

Dum enim perſuaſum habent iniqui, poſſe dominari nationi
ſanctæ: vinculis tenebrarum & longa noctis compediti, incluſi
ſubtectis fugitiui per tuam prouidentiam iacuerunt, & dum pu-
tant ſe latere in obſcuris peccatis tenebroſo obliuionis velamento
diſperſi ſunt, pauentes horrendè & cum admiratione nimia per-
turbati. Commemorat hoc quod in Ægypto hoſtes po-
puli Dei in caligine tenebrarum perpeſſi ſunt, quas ſcri- H
ptura tam denſas refert, vt palpari quirent, in quibus
horrorem nimium perpeſſi merito peccatorum ſuorum,
& tenebroſæ obliuionis condignè puniebantur. My-
ſticè autem omnes perſecutores Eccleſiæ CHRISTI,
Iudæi videlicet, pagani & hæretici, nec non & falſi
Chriſtiani tenebras ſcelerum ſuorum atque erroris pati-
untur enormes, neque vſquam tuti ac ſecuri eſſe poſſunt,
quos rectores tenebrarum harum iuxta voluntatem ſu-
am ducunt, & ad extremum in tenebras exteriores, vbi
erit fletus & ſtridor dentium perpetualiter ſecum puni-
endos demergunt. Quod autem in tenebris ſunt om-
nes malè agentes, oſtendit ipſa veritas in Euangelio di-
cens: *Omnis qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem vt* Ioan. 3.
non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem venit ad

A Ioan. 8. *lucem vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* Etiterm: *Qui ſequitur*, inquit, *me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* 1. Ioan. 2. Hinc & Ioannes ait: *Qui odit fratrem ſuum adhuc in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* De quo & Petrus 1. Pet. 2. ad credentes dicit: *Vos autem eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, & qui non ſeculi miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* Ephes. 5. Hinc & Paulus ad eoſdem ait: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.*

Neque enim quæ continebat illos ſpelunca ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pauorem illis præſtabant. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Semper tenebras comitatur horror, & quanto quis perſpicere B non poteſt, nec diſcernere ea quæ circa ſe ſunt tanto maiorem timorem habet, vndique aduerſa ſuſpicans, & læſionem pauitans. Sic quoque & Ægyptijs contigit, quando maximas tenebras triduo patiebantur, quas nec Sol, neque Luna, ſed nec ſtellæ potuerunt illuminare, vbicunque latitabant terrore nimio pauebant. Quod autem dicit perſonas triſtes illis apparentes pauorem præſtare, potuit fieri vt pro machinatione malignorum ſpirituum aliqua phantaſmata illis apparerent, quæ ad augmentum pœnarum ſuarum horrorem nimium eis incuterent. Similiter & nunc perſecutores fidei Chriſtianæ, & veritatis inimicos circumdant vndique tenebræ peccatorum ſuorum, quia ſolem iuſtitiæ ignorant, nec eos Doctores ſancti fulgore doctrinarum ſuarum aliquomodo illuſtrant. Hos & ſonitus deſcendens, hoc eſt, prædicatio cœleſtis pœnas eis futuras prædicens perturbat, & perſonæ triſtes, hoc eſt, Dæmones qui eos torturi ſunt præcogniti terrificant, nec tamen fructuoſam pœnitentiam in illis generat, imò deteriores facti ad perditionem perpetuam ſine ceſſatio- C ne præparant, quoniam cum deſperant ſemetipſos nec ſe corrigere volunt vt relinquant errorem ſuum & opera faciant iuſtitiæ, theſaurizant ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei qui reddit vnicuique ſecundum opera ſua.

CAPVT XIII.

A*Pparebat autem illis ignis ſubitaneus timore plenus, & timore percuſſi illius quæ non videbatur faciei, æſtimabant deteriora eſſe quæ videbantur.* Apparente enim illo igne qui impios flagellabat timore perterriti, vndique pœnas formidabant, quia quanto quis grauiores pœnarum ſentit dolores, tanto maiores veretur ſibi ſuperuenire horrores.

Et magicæ artis appoſiti erant deriſui, & ſapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. Illi enim qui promittebant timores, et turbationes expellere ſe ab anima languente, hi cum deriſu pleni timore languebant. Nam etſi nihil illos ex monſtris perturbabat: tranſitu animalium & ſerpentium ſibilatione commoti, tremebundi peribant. Qualiter magi in Ægypto reſiſterent Moyſi facientes, falſa prodigia per incanta- D tiones magicas ſeducentes populum liber Exodi meminit, ſed tandem cum ſe viderent ſuperatos virtute ſigno- Exod. 7. rum, quæ per Moyſen & Aaron diuinitus fiebant, coacti fatebantur digitum eſſe Dei, qui hæc magnalia gerebat, ipſique qui paulo ante medicos omnium ægritudinum ſe eſſe plaudebant, in aduentu ſerpentium & cæterorum animalium, qui eos affligebant ſimul cum cæteris pauore percuſſi laborabant, & ſic & nunc temporibus gratiæ omnes qui religionem Chriſtianam derident, qui in ſuis ſeartibus iactitant, hoc eſt, gentilium diuini & aruſpices, nec non & hi qui ab Eccleſiæ vnitate per apoſtaſiam receſſerunt, vt hæretici atque ſchyſmatici, licet victores eſſe ſe ſimulent, potentia tamen CHRISTI veraciter vincuntur, & ſerpentem antiquum eum ſatellitibus ſuis ſæuiſſimum in extremo patientur inimicum.

E *Et aerem quem nulla ratione quis effugere poſſet, negantes ſe videre, frequenter enim præoccupant peſſima redarguente conſcientia, cum ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnata.* In eo enim quod dicit illos iniquos negaſſe ſe videre aerem, cuius præſentiam omne animal viuens & ſpirans aliquando non poteſt deuitare, nimietatem timoris exprimit, quem propter oppreſſionem imminentium pœnarum malo ſuo redarguente conſcientiam patitur. Cum ſit autem timida ſemper nequitia pauoris ſui dat initium ſupplicijs condemnata.

Semper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia. Nihil enim eſt timor niſi præſumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum, & dum ab intro minor eſt expectatio, maiorem putat conſcientiam eius cauſa, de qua tormentum præſtat augmentum. Semper enim turbida, & quæ ſerenitatem tranquillitatis, in ſe non habet conſcientia præſumptuosè ſe eleuat, ſed timore ipſa præſumptio comprimitur. Vnde dicitur timor eius eſſe adiutorium, hoc eſt, medicamentum. Qui etiam prodit infirmitatem mentis ſuperbientis, quæ vana ſpe auxiliorum ſemetipſam cogitan- F do dementabat, quando id ſe poſſe ſperabat, quod nulla ratione perficere poterat, ac proinde dum eius interius minor erat valetudo earum rerum quæ extrinſecus patiebatur, maiorem putabat eſſe potentiam, quod & in perſecutoribus fidelium frequenter euenit, quia cum propter cæcitatem cordis ſui ſe potentes eſſe æſtimant, quando ſanctorum corpora varijs tormentis excruciant, patientia eorum victi cum id ſe efficere non poſſe vident quod volebant, propriæ mentis anguſtia contriti, tandem agnoſcunt ſe id non eſſe quod ante ſe fieri æſtimabant, & eius maiorem fortitudinem eſſe perpendunt, qui militibus ſuis patientiam, pœnas tolerandi & virtutem hoſtes ſuos ſuperandi tribuebat.

Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altiſſimis inferis ſuperuenientem eundem ſomnum dormientes, aliquando monſtrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: ſubitaneus enim illis & inſperatus timor ſuperuenerat. Deinde ſi quiſquam ex illis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere, ſine ferro recluſus. Hoc dicit cum in Ægypto G hoſtes populi Dei horrore tenebrarum circumdati erant, quod nec vigilantes nec dormientes aliquam quietem haberent. Aut enim dormientes horrendis viſionibus exagitabantur, aut vigilantes terrore nimio cruciabatur, nec enim libera eis alicubi ſecedêdi dabatur facultas, ſed ſine compede, aut catena ferrea carcere tenebrarum fuerunt concluſi. Exod. 10. Vnde ſcriptum eſt: *Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de eo loco in quo erat.*

Si enim ruſticus quis erat, aut paſtor, aut agri laborum operarius præoccupatus eſſet, ineffugibilem ſuſtinebat neceſſitatem. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Siue Spiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Ecchò deficientes faciebant illos præ timore. Vndiq; enim miſeri pœna conſtringebantur, quia quidquid de ſono auribus percipiebant, vel ſenſu aliquo ſentiebant, totum ad perniciem ſuam intendere formidabant.

Omnis n. orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non H *impeditis operibus continebatur. Solis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat. Ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris.* Soli enim impij in tenebris erant, cultores autem Dei largiſſimo exuberabant lumine. Ibid. Vnde ita legitur: *Vbicunque autem habitabant filij Iſrael luxerat.* Sed & hoc conſiderandum quod dicit: *Solis illis ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum quæ ſuperuentura erat illis, quoniam ipſi ſibi erant grauiores tenebræ.* In quo omnino demonſtratur, quod grauiores ſunt ſpiritales tenebræ, quas mens patitur corporalibus tenebris quas oculus ſuſtinet, ex iſtis enim tenebris, hoc eſt, infidelitatis & erroris atque ſcelerum perducitur homo ad tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium, quas illæ tenebræ Ægyptiorum per figuram expreſſerant, quoniam ſicut ibi corpora ad omne opus bonum inutilia tenebantur, ita & hic corpora ſimul & animæ ad omne opus bonum

A num inhabilia carcere æterno includuntur, quoniam nec ratio, nec locus, nec tempus eſt operandi apud inferos.

CAPVT XIV.

SAnctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, ſed figuram non videbant. Et quia non & ipſi eadem paſſi erant, magnificabant te: & qui ante læſi erant, quia non lædebantur gratias agebant: & vt eſſet differentia donum petebant. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ & ſolem ſine læſura boni hoſpitij præſtitiſti. Sanctis enim Dei maxima erat lux, quando & foris corporali luce, & intus ſpiritali lumine illuſtrabantur, fides enim Dei & puritas conſcientiæ illos intus illuminabat, quorum vocem inimici audiebant, ſed figuram non videbant, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eorum, & quia plagarum tentatione quæ ſuperuenerunt Ægyptijs iſti non percutiebantur, ſed cæleſti ducatu per columnam ignis in nocte, & per columnam nubis in die ducebantur, conditori ſuo dignas gratias agebant. Igitur quoniam ſancti Patres illi qui ſub veteri teſtamento degebant, B ſanctorum qui ſub nouo teſtamento Chriſto militant typum præferebant, illi in Ægypto hiſtorico ſub Pharaone afflicti laborabant, iſtos perſecutio diaboli in mundo preſſuris fatigat: nam his maxima lux micat, quo lucem veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in cordis ſui habitaculo ſedulo geſtant. Horum quidem vocem prædicationis inimici audiunt, ſed figuram veritatis quæ in eis eſt non agnoſcunt, ideo & illis non credunt. Hos & columna ignis in nocte, & columna nubis in die ducit, quia eos incarnatio Chriſti in aduerſis & proſperis protectionis ſuæ munimine ſemper cuſtodit.

Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui incluſos cuſtodiebant filios tuos, per quos incipiebat corruptum legis lumen ſæculo dari. Cum cogitarent iuſtorum occidere infantes: & vno expoſito filio & liberato, in traductionem illorum abſtuliſti, & pariter illos perdidiſti in aqua valida. Illa enim nox ante cognita eſt à patribus noſtris, vt verè ſcientes quibus iuramentis crediderunt animæquiores eſſent. Meritò Ægypti tenebrarum pœnas ſuſtinebant, qui inuidiæ obſcuritate C excæcati populum Dei cui lux diuinæ legis tradenda erat, in carcere ſuo retinere volebant, & cum infantes illorum nec tradere diſponebant, vno filio, hoc eſt, Moyſe ab aquæ interfectione Dei iudicio erepto, multitudo aduerſariorum per eius miniſterium in aqua valida ſubmerſa eſt, ita & nunc hoſtes ſpiritales qui cætum fidelium perimere moliuntur, electis Dei per aquam baptiſmatis ab hoſtibus liberatis, ſoli illi cum rege ſuo diabolo in ipſis aquis per Chriſti potentiam opprimuntur. Cuius myſterij ratio & dudum eſt antiquorum actibus præfigurata, & nunc per aduentum Chriſti completa.

CAPVT XV.

SVſcepta eſt autem à populo tuo ſanitas quidem iuſtorum, iniuſtorum autem exterminatio, ſicut enim læſiſti aduerſarios: ſic nos prouocans magnificaſti. Abſconsè enim ſacrificabant iuſti pueri bonorum, & iuſtitiæ legem in concordiam diſpoſuerunt: ſimiliter bona & mala percepturos iuſtos patri omnium iam decantantes laudes. Eo tempore quo populus Dei per Moyſen & Aaron, de Ægypto educendus erat, ipſe populus adhuc in Ægypto conſtitutus Domini iuſſu paſchæ victi- D mam immolabat: & propterea dicit eos abſconsè ſacrificaſſe, quia metu hoſtium territi id occultè gerebant, vti & legem paſchæ qualiter deinceps ſeruanda eſſet per Moyſis doctrinam didicerant, tentatione reproborum paſſi ad tempus, ſed ab hoſtium manibus diuina ope cito liberandi. Simili modo & nunc temporibus gratiæ, ſerui Dei quibus data eſt lex diuina in concordiam duorum teſtamentorum, licet à perſecutoribus ſuis foris ad tempus impediri poſſint, ne cultum Chriſtianæ religionis palam celebrent, tamen nullo modo prohiberi poſſunt, quin in abditis cordis ſui ſacrificia diuino conſpectui digna exhibeant, quia ſcriptum eſt: (Pſal. 50.) *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Et (Pſal. 55.) item idem Propheta ait: *In me ſunt Deus vota tua quæ reddam laudationes tibi.* Vota iuſtorum placabilia ſunt Domino & victimæ impiorum abominabiles.

E *Reſonabat autem inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. Simili autem pœna ſeruus cum Domino afflictus eſt, & popularis homo regi ſimilia paſſus: ſimiliter ergo omnes vno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad ſepeliendum viui ſufficiebant: quoniam vno momento, quæ erat præclarior natio illorum exterminata eſt. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primum cum fuit exterminium primogenitorum, ſponderunt populum Dei eſſe.* Commemorat hoc quod liber Exodi narrat de primogenitorum interfectione quando percuſſit Dominus in noctis medio omne primogenitum in terra Ægypti, *à primogenito Pharaonis qui ſedebat in ſolio ſuo, vſque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.* (Exod. 12.) Vbi non ſicut prius exitum Iſraelitarum ſe conſentire diſſimulabant, ſed palam arguebant populum Dei de terra Ægypti exire velociter dicentes: *omnes moriemur.*

Cum enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit, gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans, & F *ſtans repleuit omnia morte, & vſque ad cælum attingebat ſtans in terra.* Noctis medio dicit omnipotentem Deum ſermonem de cælo à regalibus ſedibus durum debellatorem in mediam exterminij terram proſilire, & mortis iudicium potenter in impijs exercere. Quis eſt enim ſermo Domini, niſi filius Dei? de quo Ioannes ait: (Ioan. 1.) *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, per quẽ vniuerſa facta ſunt, qui & alibi brachium Domini nominatur, dicente Iſaia: (Iſaie 53.) *Et brachium Domini cui reuelatum eſt?* Idem & dextera Domini nuncupatur propter effectiuam diuinæ virtutis potentiam: intelligendus eſt ergo ſermo ipſe tunc per Euangelicum miniſterium iudicium facere in primogenitis Ægyptiorum, qui poſtmodum ſanctificabit ſibi primogenitos Iſraelitarum, & nunc per aquam ſui baptiſmatis ſaluat multitudinem credentiũ, vbi & interfecit innumerabilẽ exercitum ſpiritalium hoſtiũ. Inſimilatum enim imperium Domini gladium acutũ portaſſe dicit: quia ſermo Domini viuus & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. G In veritate & ſine vlla fictione iudicat & diſponit omnia: ſtans in terra vſque ad cælos attingit: quia licet incarnatus inter homines conuerſaretur in terra, maieſtate tamen ſua tranſcendit vniuerſa cæleſtia.

Tunc continuo viſus ſomniorum malorum turbauerunt illos, & timores ſuperuenerunt inſperati. Et alius alibi proiectus ſemiuiuus propter quam moriebatur, cauſam demonſtrabat mortis. Viſiones enim, quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant, ne inſcij, quare mala patiebantur, perirent. Rectè dicitur quod viſus ſomniorum malorum & timores inſperati turbauerint hoſtes populi Dei, vt nec vigilantibus neque dormientibus requies vlla daretur qui propter ſcelera ſua futuri erant ad tormenta perpetua. Quod autem ipſæ plagæ præmonebant eos vt agnoſcerent, quare mala paterentur, ne inſcij perirent, hoc bonitatis eſt Dei, qui ideo peccantes caſtigat, vt à peccatis ſe coerceant, & pœnitentiam de malis præteritis agant: ſi autem perſeuerauerint in malo & patientia Dei ad augmentum facinorum ſuorum abutuntur, iuſto Dei iudicio damnati ſine excuſatione in futuro puniantur.

CAPVT XVI.

H *TEtigit autem tunc & iuſtos tentatio mortis, & commotio in eremo facta eſt multitudinis, ſed non diu permanſit ira tua. Properans enim homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum, orationem & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati, oſtendens quoniam tuus eſt famulus. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, ſed verbo illum, qui ſe vexabat ſubiecit, iuramenta parentum, & teſtamentum commemorans.* Recordatur hic hiſtoriæ, quæ in Numerorũ libro narratur, quomodo poſt interfectionẽ Chorę, Dathan & Abiron filij Iſrael murmurauerunt contra Moyſen (Num. 16.) & Aaron, dicentes: *Vos interfeciſtis populum Dei: cumq; oriretur ſeditio & tumultus increſceret, Moyſen & Aaron fugerunt in tabernaculum fœderis. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aa-*

ron dicens: Diſcedite de medio Synagogæ huius, & interimam illos deſemel. Et ceciderunt in faciem ſuam. Cumque iacerent in terra dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum vt roges pro eis, iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit. Quod cum feciſſet Aaron & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam vaſtabat incendium, obtulit thimiama, & ſtans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. Fuerunt autem qui percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominum & ſeptingenti, abſque iis qui perierant in ſeditione Chore. Vnde penſandum eſt quomodo in Sodomis quando ad minimum decem requirebantur, per quos vix ſi fortè ſaluari poſſent, hi qui habitabant Pentapolim Sodomorum, nunc autem & iam duo ſi tamen inueniantur tales, qualis fuit Moyſes & Aaron ſufficere poſſunt, vt gens Iſraelitarum tota ſaluetur. Quid ergo dicemus amplius eſſe in his duobus, quæ tanta virtus, quod meritum, quo ſexcenta millia & eo amplius liberentur ab interitu vaſtatoris? Ego arbitror, quod in Moyſe lex ſignificetur, quę docet homines ſcientiam & amorem Dei. In Aaron ſupplicandi Deum & obſecrandi eum forma conſiſtit. Si ergo accidat aliquando indignari nobis vel vniuerſo populo Deum, & ſententia vltionis procedat à Deo sedeat autem lex Dei in cor noſtrum, commonens nos & docens conuerti ad pœnitentiam, ſatisfacere pro delictis, ſupplicare pro culpis, ceſſabit continuo iracundia, indignatio conquieſcet, propitiabitur Dominus quaſi Moyſe & Aaron intercedentibus pro nobis, & vniuerſo populo ſupplicantibus. Si vero aliquando oriatur indignatio Dei & veniat pro peccatis ſæua correptio, non indurentur autem corda noſtra ne conuertamur ad Deum, neue humiliemur in conſpectu eius, vt in confeſſione ſupplicationum motus eius & iracundiam mitigemus, ſed è contrario dicamus: Non eſt Deo cura de vita mortalium, nec pertinent hæc ad Deum, reliquit nos olim, nec ad notitiam eius iſta perueniunt. Si talia cogitemus in cordibus noſtris, & hæc de ore noſtro procedant, certum eſt non eſſe in nobis Moyſen & Aaron, legis ſcilicet ſcientiam & fructus pœnitentiæ, per quos interitum imminentis exitij poſſimus euadere.

CAPVT XVII.

CVm iam enim aceruatim cecidiſſent, ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputauit impetum, & diuiſit illam quæ ad viuos ducebat viam. In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat. In eo autem quod dicit in veſte poderis, quam Pontifex habebat, eſſe totum orbem terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum ſculpta, & magnificentiam Dei in diademate quam ipſe Pontifex in capite gerebat, licet hæc virtutum omnium exprimant ſeriem, quas Pontifex Dei in doctrina & conuerſatione ſua habere debet, tamen ſenſum quem Hebræi in veſte ſacerdotali habent, hic ponentes myſticam eius ſignificationem alibi differendam reſeruamus. Quatuor ergo colores ad quatuor elementa referunt ex quibus vniuerſa ſubſiſtunt, byſſum terræ deputant quæ ex terra gignitur; purpuram mari quæ ex eius conchis tingitur, hyacinthum aëri, propter coloris ſimilitudinem. Coccum igni & æthери, qui hebraicè ſani appellatur: & ſurſum eſſe commemorant, vt Pontifex creatoris non ſolum pro Iſraël, ſed & pro vniuerſo mundo roget. Siquidem ex terra & aqua & aëre & igne mundus iſte conſiſtat & hæc elementa ſint omnium. Vnde primum lineum veſtimentum eſt terram ſignificans, ſecundum Iacinthinum aëreum colorem demonſtrans, quia de terrenis paulatim ad excelſa ſuſtollimur, & ipſa veſtis Iacinthina à capite vſq; ad talos veniens indicat aërem de cælis vſque ad terram fuſum. Mala autem punica & tintinnabula in inferioribus polita, fulgura tonitruaq; demonſtrant, ſiue terram & aquam, & omnium elementorum inter ſe conſonantiam, & ſic ſibi vniuerſa perplexa, vt in ſingulis omnia reperiantur. Quod autem ſupradicti colores auro intexti ſunt id ſignificari volunt, quod vitalis color & diuini ſenſus prouidentia vniuerſa penetret. Superhumerale & duos lapides vel Smaragdinos vel Onichinos qui deſuper ſint, & vtrumque humerum tegant, duo Hemiſphæria interpretantur quorum aliud ſuper terram, aliud ſub terra ſit, ſiue ſolem & lunam quæ deſuper rutilent. Zona illa qua ſacerdotis pectus arctatur, & linea tunica, id eſt, terra, conſtringitur, interpretantur Oceanum. Rationale in medio poſitum terram ediſſerunt, quæ ad inſtar puncti licet omnia in ſe ſe habeat, tamen à cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides vel zodiacum interpretantur circulum, vel duodecim menſes, & ſingulis verſiculis ſingula aſſignantur tempora, & his ternos deputant menſes. Pulchrè autem hoc ipſum quod in medio eſt appellatur rationale, ratione enim cuncta ſunt plena, & terrena hærent cæleſtibus. Immoratio terrenorum & temporũ caloris & frigoris, & duplex inter vtramque temperies de cæli curſu & ratione deſcendit, vnde & rationale cum Ephor fortius inſtringitur. Porro quod dicitur in ipſo rationali eranalogian, id eſt, manifeſtatio atque doctrina vel veritas, hoc ipſum ſignificat quod nunquam in Dei ratione mendacium ſit, ſed & ipſa veritas multis ſignis & argumentis monſtretur hominibus, & vſq; ad mortales veniat. Vnde factum eſt vt rationem ſolis & lunæ, & anni, & menſium, & temporum, & horarum & tempeſtatũ quoq; ſerenitatis atq; ventorum & rerum omnium noſceremus, accipientes inſitam à Deo ſapientiam, & ipſo habitatore atque doctore domicilij ſui nobis & fabricæ ſcientiam demonſtrante, ſuper omnia cidaris & vitta Iacinthina cælum monſtrat, & auri lamina quæ in fronte Pontificis eſt, ſcriptumque nomen Dei, vniuerſa quæ ſubter ſunt Dei arbitrio gubernari.

His autem ceſſit qui exterminabat, & hæc extimuit. Erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens. Spiritalem ergo non figuralẽ ſpeciem vaſtator miſſus extimuit, quia veri Pontificis magnitudinem agnouit. Aſcende nunc ad verbi huius celſiora veſtigia, & inde quomodo verus Pontifex Ieſus Chriſtus aſſumpto bacillo carnis humanæ & ſuperpoſito igni altaris anima ſine dubio illa magnifica cum qua natus eſt in carne & adiecto etiam incenſo qui eſt Spiritus immaculatus medius inter viuos & mortuos ſtetit, & mortem non ſeciit vltra graſſari, ſed ſicut Apoſtolus dicit: *Deſtruxit eum qui habebat mortis imperium,* id eſt, diabolum, *vt qui credit in eum iam non moriatur ſed viuat in æternum.* Rom. 9. Hoc fuit ergo myſterium quod poſtea futurum iã tunc ille qui populũ vaſtabat expauit, agnoſcebat enim figurã bacilli & ignis & incenſi & qualis offerenda eſſet Deo hoſtia ab eo qui medius mortuorum viuorumque conſtiterat, prouidebat. Et illos quidem tunc imago præfigurata ſaluauit, ad nos autem ſalutis veritas ipſa peruenit, neque enim indumenta Pontificis purpura ac lana byſſoque contexta erubuiſſet Angelus ille vaſtator.

Impijs autem vſque in nouiſſimum ſine miſericordia ira ſuperuenit. Præſciebat enim & futura illorum: quoniam cum ipſi permiſiſſent vt ſe educerent & cum magna ſolicitudine præmiſiſſent illos, conſequebantur illos pœnitentia acti. Adhuc enim inter manus habentes luctum & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcientiæ; & quos rogantes proiecerant hos tanquam fugitiuos perſequebantur; ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas: & horum quæ acciderant commemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio: & populus quidem tuus mirabiliter tranſiret illi autem, nouam mortem inuenirent. Ideo enim inimicis populi Dei vindicta vſq; ad conſummationem ſuperuenit, quia in eorũ moribus & vita nulla emendatio digna fuit. Fictis ergo argumentis ſimulabant pœnitentiam, & ideo ab inſpectore cordium, perfectam non acceperunt indulgentiam. Exod. 14. Vnde legitur in Exodo quod Pharao, quando plaga aliqua cum populo ſuo diuinitus percuſſus, ſtatim promiſerit, populum Dei ſe dimittere ſi præſens diſcrimen euaderet, ſed paululum reſpirans iterum ad crudelitatem priſtinam reuerſus eſt: donec in extremo quando exeuntem populum perſequebatur maris rubri fluctibus, demerſus interijt. Talis enim infidelium & ſuperborum hoſtium nominis Chriſti pertinacia, vt cum incorrigibiliter perſtiterint in malitia, tandem ſentiant imperia, quantum præualeat omnipotentis Dei in iudicando iuſtitia.

A *Omnis enim creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur, deſeruiens tuis præceptis, vt pueri tui cuſtodirētur illæſi. Nam nubes caſtra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio: per quem omnis natio tranſiuit, quæ tegebatur tua manu.* Omnis creatura ab initio ad ſuum genus refiguratur dum præceptis obedit ſui conditoris, & eius in omnibus deſeruit voluntati. Ad hoc enim creatura eſt, vt ſubiecta & obediens fieret ſuo creatori. Qualiter autem nubes caſtra Iſraelitarum operuerit, ita luceret eis in nocte & obumbraret eos contra ſolis ardorem in die, qualiterque rubrum mare diuiſum viam populi Dei præpararet, hoſtes illorum in ſemet reductum demergeret, Exodi ſatis declarat hiſtoria. Nec enim & illud æque clarum eſt, quod nubes quæ ducatum populo Dei præbeat, Chriſti ſignificet incarnationem, quæ credentes in hoc mundo lumine Euangelij illuſtrat, & gratia ſua à perſecutoribus ſuis protegit atque cuſtodit. Mare autem rubrum baptiſmi gerit ſacramentum vbi ſaluantur fideles, & ſuffocantur contrariæ poteſtates: ſed ſicut tunc filij
B Iſrael liberati, Domino laudes decantauere tripudio magno gaudentes.

Videntes mirabilia & monſtra. Tanquam enim equi depauerunt eſcam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine qui liberaſti illos. Memores enim erant adhuc eorum, quæ incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muſcas, & pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum. Ita & nos oportet omni tempore creatori noſtro pro ereptione noſtra gratias agere exultantes dicendo cum Propheta: *Benedic anima mea Domino,*
Pſal. 102 *& omnia interiora mea nomen ſanctum eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Quod & A-
1. Theſ. 5. poſtolus docere nos videtur dicens: *ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.*

Nouiſſime autem viderunt nouam creaturam auium, cum adducti concupiſcentia poſtulauerunt eſcas epulationis.

C CAPVT XVIII.

IN allocutione enim deſiderij, aſcendit illis de mare ortygometra: & vexationes peccatoribus ſuperuenerunt, non ſine illis, quæ facta erant argumentis per vim fluminum. Nota prudens lector, quod aduerſarijs Dei terra producebat muſcas, & fluuius ebulliuit ranas, cultoribus autem Dei terra dedit fructum & mare præbebat carnis alimentum, quia dignum eſt vt fidelibus ſuis per opera ſua nutrimentum diuino procuret prouidentia. Inimicis autem ſuis condignum tormentum per creaturam ſibi, ſubditam omnipotentis præparet iuſtitia.

Iuſte enim patiebantur ſecundum ſuas nequitias. Etenim deteſtabiliorem inhoſpitabilitatem inſtituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos hoſpites in ſeruitutem redigebant. Et non ſolum hæc, ſed & alius quidam reſpectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem vſi erant iuſtitijs, ſæuiſſimis afflixerunt doloribus. Percuſſi ſunt autem cæcitate: ſicut illi in foribus iuſti, cum ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, vnuſquiſque tranſitum oſtij quærebat. Si enim illi qui antiquos ſeruos Dei profana neceſſitate ad ſe venientes durè & immiſericor-
D diter tractauerunt, condignas pœnas recipiebant, ita vt mente tenebroſi & affectu rigidi, obſcuritatem tenebrarum & diuerſorum idolorum, ſenſu corporis ſuſtinerent, E
quanto magis illi qui Chriſti ſeruos & prædicatores Euangelij inhoneſtè reſpuunt atque contemnunt, inæſtimabilibus & inenarrabilibus pœnis in æternum cruciandi ſunt. Vnde ipſa veritas diſcipulis ait: *Quicunque non re-* Matt. 10
ceperit vos neque audierit, ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris: Amen dico vobis tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij quam illi ciuitati. Et benè dicitur quod percuſſi ſunt cæcitate ſicut illi tenebris excæcati erant, qui in foribus iuſti, hoc eſt, Loth oberrauerunt oſtij ſui tranſitum quærentes & non inuenientes, quia quicunque tenebras erroris intus patitur, grauiſſimis damnis vndique conſtringitur, cum viam vitæ ignorauerit. Et oſtium illud quod in Euangelio ait: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſal-* Ioan. 10.
uabitur & ingredietur & egredietur & paſcua inueniet, ipſe oberrans inuenire non poterit.

In ſe enim elementa dum conuertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt. Sicut F
ergo in inſtrumento organi diuerſi inter ſe diſcrepant ſoni, ſed ad concordiam melodiæ temperamento conſentiunt muſici, ita & varia elementa licet ab inuicem diuerſa diſcrepent qualitate, ad creatoris ſui tamen ſeruato iure naturæ flectuntur voluntate, non enim conditor noſter creaturam ſuam ſibi condidit contrariam, ſed per omnia voluntati ſuæ fecit conſentaneam.

Vnde æſtimari, & ex ipſo viſu certò poteſt: Agreſtia enim in aquatica conuertebantur: & quæcunque erant natantia, in terram tranſibant. Ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiſcebatur. Flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium, nec diſſoluebant illam, quæ facile diſſoluebatur ſicut glacies bonam eſcam. Homines enim & iumenta profundum maris rubri ſicco veſtigio tranſierunt, & ranę de fluuijs procedentes, domos Ægyptiorum impleuerunt. Ignis cum grandine mixtus de cælo pluit, & nec ignis aquam, nec aqua ignem auerſabatur, ſed pariter cadentes, terram percutiebant Ægyptiorum. Vbi autem erant filij Iſrael neminem G
læſerunt, vt oſtenderet, quod omnia elementa mundi non ſuæ tantum adnituntur conditioni, ſed creatoris ſui ſubiecta deſeruiunt voluntati. *In omnibus enim his Domine magnificaſti populum tuum & honoraſti & non deſpexiſti in omni tempore & in omni loco aſſiſtens eis.* Hæc clauſula libri non ſolum priorum Patrum, ſed & præſentium atque futurorum ſimul facit mentionem fidelium, quia nunquam pius & miſericors conditor noſter omnipotens, videlicet Deus ſperantes in ſe deſeruit, aut deſerturus erit, ſed benigno auxilio fouet, protegit atque regit. Nec hoc quiſque nobis opponere debet, quod ſanctorum martyrum corpora in perſecutorum ſuorum manus traduntur: quia non ad eorum condemnationem, ſed ad probationem hoc fieri permittitur, vt ſicut aurum in camino ignis non exuritur ſed probatur, ita electorum animæ per ignem tribulationis examinatæ puriores conſpectui creatoris ſui reddantur, quia ſcriptum eſt; *Vaſa figuli probat fornax &* Eccleſ. 27
homines iuſtos tentatio tribulationis. Multa enim tribulationes Pſal. 33.
iuſtorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus. Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vnum ex eis non conteretur. Redimet animas ſeruorum ſuorum, & non derelinquet omnes qui ſperant in eum. H

Finis Libri Tertii.

HRABANI MAVRI ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI COMMENTARII IN ECCLESIASTICVM.

DOMINO IN DOMINO DOMINOrum dilectiſſimo

OTGARIO ARCHIEPISCOPO HRABANVS peccator,in Chriſto ſalutem.

SCiens beneuolam intentionem tuam,& ſtudium inChriſti ſeruitio nobiliſſimum:qui fide & cultu Eccleſiam Dei non ignobiliter ornas : appoſui quidem ego viliſſimus ſeruorum Chriſti ſeruus aliquod ſolatium tuæ ſanctæ Pater, impendere ſolertiæ,in explanatione videlicet diuinarum ſcripturarum, vt voto tuo ſatisfacerem, & Eccleſiæ
B Chriſti debitum ſeruitium exhiberem. Vnde etiam explanatiunculam quam tribus F
libellis in Sapientiæ librum (qui vulgo appellatur Salomonis) edidi, tuæ venerationi pridem direxi. Et nunc opuſculum quod in expoſitione libri Ieſu filij Syrach, qui Eccleſiaſticus nuncupatur,decem libris nuper confeci,ſimili deuotione offero. Vt ſummus ſacerdos Chriſti & architectus diuini ædificij,domum ſapientiæ,quam ipſa ſibi fundauit,atque in ſeptem columnis erexit, ſcriptis Eccleſiaſticis pro modo tibi à Deo conceſſo adornares, & lucrum gregis Dei amplificares. Nec aliud inſtrumentum ad hoc aptius eſſe putaui,quàm quod ipſa Sapientia ſuo nomine & arte dicauit: quod in ſuperficie quoque & in medulla,virtutem tenet ſcientiæ & pietatis:ſicut in prooemio præcedentis libri,& in capite præſentis declaratur. Dicit enim beatus Hieronymus in prologo, quem interpretatione voluminum Salomonis ad Chromatium & Eliodorum Epiſcopos conſcripſit, hunc librum Ieſu filij Syrach ſe apud Hebræos reperiſſe non Eccleſiaſticum, vt apud Latinos, ſed Parabolas prænotatum. Cui iuncti erant Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum: vt ſimilitudinem Salomonis non ſolum librorum numero,ſed & materiarum genere coæquaret. Alterum vero, hoc eſt Sapientiæ librum,nuſquam apud ipſos Hebræos reperiſſe. Sed magis illum Græcam redolere eloquentiam: quam & nonnulli Philonis eſſe affirmant. Præterea notandum quòd ille liber Salomonis, qui dicitur Eccleſiaſtes,& iſte Ieſu filii Syrach,qui Eccleſiaſticus nuncupatur, ad inſtructionem Eccleſiæ Dei, hoc eſt populi Chriſtiani,ſunt vtiliſſimi:quorum priorem concionatorem poſſumus dicere:alterum
C vero congregatorem ſeu collectorem.Sed inter Eccleſiaſtem,& inter Eccleſiaſticum,iſtam patres po- G
ſuere diſtantiam:quòd Eccleſiaſtes ad Chriſtum Dominum maxime debet referri,Eccleſiaſticus vero cuicunque iuſto prædicatori poteſt abſolutè congruere,qui Eccleſiam Domini ſanctiſſimis ſolet monitis congregare:quod vtique præſentem librum feciſſe manifeſtum eſt. Qui propter excellentiam virtutum ſuarum panarethos,id eſt virtutum omnium capax,appellatur. Cuius tanta claritas,tantaq; latinitas eſt,vt ſibi textus ipſe commentarius ſit:atque vtinam quàm cito mente capitur,tam facili actuum qualitate redderetur. Huius ergo libri lectio frequens apud te ſit ſancte Pater, & teſtimoniorum eius aſſidua meditatio: quatenus cogitatio (quæ tecum pro honore gradus & virtutum merito, inceſſabiliter conuerſatur) aſſiduè verbum Dei audiat, & diſciplinarum vtilitatem intelligat, atque ſeruare diſcat. Vt homo Dei ſemper ſit paratus ad omne opus bonum,& religio Chriſtiana, & vita fidelium plene clareſcat,glorificeturque Deus per omnia in omnibus. De cætero quoque moneo lectorem,ſi eius prudentiæ alicubi in hoc opere noſtro ſenſus diſpliceat,vel oratio ſordeſcat,non nos temerario iudicio citò reprehendat,ſed magis infirmitati & ignorantiæ veniam tribuat: ſciatque loca ibi eſſe difficilia,& diuerſis ænigmatibus valde obſcura:vnde debet ignoſcere labori noſtro:aut ſi quid melius potuerit inuenire,nos in eius ſententiam paratos ſciat tranſire. Dummodo nouerit veniam, quam nobis illum optamus tribuere,ſe ab alijs,vbi indiget,aliquando accepturum.Scriptum eſt enim: In quo iudicio iudicaueritis,iudicabitur de vobis.Sancta Deus Trinitas beatitudinem veſtram vbiq;, & in omnibus,conſeruare dignetur ſancte Pater,memorem noſtri.

D INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI. H

DE æterna Dei ſapientia, quod ſemper cum Patre ſit ante ſæcula.
2. *De ſapientia Dei,id eſt filio patris,quòd ante omnem ſit creaturam,& omnia per ipſum facta ſint.*
3. *Quod & verbum Dei Deus ſit in excelſis.*
4. *De ſapientia Dei Prophetarum,quia de virgine ex Spiritu ſancto filius naſceretur.*
5. *De timore Dei, quod ipſe ſit initium ſapientiæ, & electorum probatio.*
6. *Hortatur ſapientia concupiſcentes ſe ſeruare mandata: ſic in Euangelio Dominus docet.*
7. *Sapientia monet accedentes ad ſeruitutem Dei ſtare in iuſtitia & timore:& animam præparare ad tentationem:quoniam ſecundum Apoſtolum dicentem:omnes qui volunt piè viuere in Chriſto.perſecutionem patiuntur.*
8. *Sapientia hortatur timentes Dominum,ſperare in illum, id eſt vt ſpe certi ſint,ne fiat timor inanis.*
9. *Sapientia comminatur his qui poſt ſuſtinentiam derelinquunt vias rectas,& vadunt per vias prauas.*
10. *Honorandos parentes à filijs,vt benedictio parentũ filijs proſit.*
11. *Senecta patris gubernanda à filijs ſuis.*
12. *Docet ſapientia in manſuetudine opera quæ ad cultum Dei pertinent præcipienda.*
13. *Sapientia docet alta non eſſe quærenda,id eſt profunda.*
14. *De eleemoſynis & pauperibus.*
15. *Ab inope non auertendos oculos.*
16. *De pupillis & viduis in iudicio defendendis in miſericordia pro Patre.*

17. *De*

[A]

17. De ſtudio ſapientiæ: quod diligentes eum cunctis virtutibus iuſtitiæ, adiuuante Domino, operam dent, dicente ipſa veritate: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei.
18. Sapientia hortatur in tempore tribulationis pro fide & iuſtitia ſtandum pro ſalute animæ.
19. In diuitijs non confidendum, ſecundum illud: ſtulte, hac nocte anima tua auferetur, & quæ præparaſti cuius erunt?
20. Non eſſe tardandum ad Dominum conuerti, & differre de die in diem, & non extolli in cogitationibus.

INDEX LIB. II.

DE gratia amicorum, quod puris & dulcibus colloquijs inimicitiæ non ſubrepant.
2. Sapientia notat amicum qui tantum propter epulas menſæ ſtat, & in neceſſitate ſubtrahit ſe.
3. Sapientia hortatur filios, id eſt Eccleſiam fidelium, in vno omnes, & in omnibus vnum, excipiendam doctrinam, vt ex fide & operibus doctrina ſit clara.

[B]

4. Promittit ſapientia diligentibus ſe præmia æternitatis.
5. Sapientia loquitur à quibus malis, & quantis nos cuſtodiamus non noſtris viribus ſed eius auxilio.
6. Non debere ſe hominem iuſtificare ante Deum, & non ſe videri velle ſapientem.
7. De mendacio non proferendo contra amicum.
8. De ſeruo bono & fideli.
9. De parentibus honorandis à filijs.
10. De timore Dei & ſacerdotibus honorandis, eiſque primitias offerendas.
11. Pro defunctis vt conſolatio tribuatur plorantibus.
12. Non litigandum cum potente.
13. De mortuo inimico non eſſe gaudendum, ſcientes quod omnes morimur.
14. De vitandis malis dictis, factis, cogitationibus per auxilium Dei.
15. Sapientia docet virum caſtum mulieri poteſtatem in animam ſuam non dare: ne per amicitias elidat eum, nec cum ipſa ante habere conſortium.
16. Non relinquendum amicum antiquum.
17. De conuiuijs iuſtis, id eſt ſocijs bona fama.

[C]

INDEX LIB. III.

SApientia laudat iudices iudicantes populum ſuum.
2. De auaritia malo.
3. De ſuperbia malo, quod ipſa faciat apoſtatare à Deo.
4. Laudatur ſapiens, quia exaltabitur & in medio magnatorum ſedebit.
5. In diebus bonis, non obliuiſci dierum malorum: & in diebus malis non obliuiſci bonorum.
6. Laudat opera eleemoſynæ.
7. De amicis bonis & malis, falſis & veris.
8. De ſocietate diuitum, à quibus cauendum ſit hortatur & monet.
9. Laudat virum qui non lapſus ſit in ore ſuo, hoc eſt qui non emittit verbum quo capiatur.
10. Benefaciendum ſemper, quia mors non tardat.
11. De viro ſancto, vel martyre, vel confeſſore, vel iuſto, laus ſapientiæ.

INDEX LIB. IV.

[D]

QVod Deus ab initio hominem conſtituens in manu ſua conſilium reliquit.
2. De multitudine filiorum malorum non eſſe lætandum: quorum opera peruerſa commemorat.
3. Sapientia docet vt dum peccat quis, in domo, in agro, in corde, in lecto, non dicat, à Deo abſcondar, & quis me videt? quia Deus omnia ſua maieſtate conſpicit atque comprehendit.
4. Exhortatio ſapientiæ qualiter diſciplina teneatur via.
5. Quod Deus de terra creauit hominem, & ſecundum imaginem eius fecit illum, & dedit illi ſcientiam.
6. De conuertendo ad Dominum, & relinquendis peccatis.
7. Non eſſe demorandum in ſocietate impiorum.
8. Vt non impediamur orare Dominum ſemper, Apoſtolo dicente: ſine intermiſſione orate.

9. De continentia animæ, eo quod non ſit eundum poſt deſideria cordis, id eſt non eſſe acquieſcendum cogitationibus vanis, ſed auxilio Dei obſiſtendum eis. [E]
10. Quod ebrioſus non ditabitur, & ſpernendo modica paulatim decidat: & quod mulieres & vinum apoſtatare faciant à Deo.
11. Sapientia monet, ſiue amico ſeu inimico, propere non pandere ſecretum.
12. Sapientia monet prius corripere proximum ante comminationem, ſecundum prædicationem Euangelij.
13. Quod bonum ſit arguere loquendo, quam tacendo dolos tenere per iram.
14. Vſitatam rem loquitur, quia multi ſunt qui præ confuſione promittunt amico, & gratis eum ſuis labijs adquirunt inimicum.
15. Verbum parabolarum.

INDEX LIB. V.

SApientia docet vnum hominem in omnibus, & omne in vno: non adijciendum eſſe peccatum ſuper peccatum: ſed orandum Deum vt auxilium præbeat. [F]
2. Quod ſtuppa collecta, ſynagoga ſit peccantium, & hæreticorum conuenticula, vt zizaniorum faſciculi exurendi.
3. Sapientia oſtendit riſum culpam eſſe, non gaudium: quia gaudium à Deo eſt.
4. Piger iſte qui de lapide luteo & de ſtercore boum lapidatur: populus eſt Iudæorum cum de lapide luteo, id eſt gentilium legem ignorantium populo exprobratur: & de ſtercore boum, id eſt à Iudæis tam credentibus.
5. Quod ille qui loquitur verbum non attendenti ſic eſt, quaſi qui dormientem de graui ſuſcitat ſomno.
6. Sapientia loquitur in iurgio amicorum verba conuitiorum vel ſecretorum, non proferenda.
7. Oratio communis omnibus nobis vt dicamus, Domine Deus pater & dominator vitæ meæ, ne relinquas me, & ne ſinas me cadere, hoc eſt contineas me: ne faciam ruinam de me præſumendo.
8. De doctrina oris audienda.
9. Quod cauendum ſit à iuramento, ſiue bono ſiue malo.
10. Sapientia narrat verba iniuſti diſponentis peccare: vt eſt illud, dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo. [G]
11. Proſpiciens omnia ſapientia loquitur, quia omnes viæ facientis, loquentis, cogitantis, cognita ſunt Deo.
12. Laus ſapientiæ per quam facta ſunt omnia.
13. Sapientia loquitur id eſt, Chriſtus Dei filius, Dei virtus, & Dei ſapientia, per quam cuncta creatura diſponentur.
14. Sapientia loquitur potentiam ſuam & diſpoſitionem operum ſuorum cum patre.

INDEX LIB VI.

SApientia matris affectu loquitur, ſicut ibi Hieruſalem Hieruſalem quotiens volui congregare pullos tuos, ſicut gallina.
2. Sapientia hortatur dicens: qui concupiſcitis me, à generationibus meis implemini: & Spiritus meus ſuper mel dulcis: ille nimirum Spiritus, de quo dicit: quem pater mittit in nomine meo Spiritum veritatis: & qui de meo accipiet, ipſe vos docebit omnia, &c.
3. Sapientia loquitur in tribus placitum eſſe Spiritui eius: in concordia fratrum, & amore proximorum, & in viro cum muliere bene ſibi conuenienti. [H]
4. De nequitia mulieris, in cuius conſortio caſtum vetat commorari, ſi vult caſtus eſſe.
5. De muliere bona: quod mulier bona eſt Eccleſia virgo, quam Chriſtus ſuo ſanguine bonam fecit, mundans eam per lauacrum regenerationis.
6. Propter inopiam multi delinquunt, ſed in quibus non eſt charitas Dei: nam à charitate Dei nulla nos creatura poterit ſeparare.
7. Quod qui denudat (inquit) arcana amici, id eſt ſecreta, perdit fidem.
8. De remiſſione peccati.
9. De malo lingua in ſuſurrone & bilingue commiſſo.
10. De fœnore, & quid in eo faciendum ſit, quidve vitandum.

Digitized by Google

A INDEX LIB. VII.

De dato in proximo, id eſt omnem hominem dicit proximum.
2. *De miſericordia pauperum.*
3. *De frugalitate honeſta, id eſt continentia & parcitate & hoſpitalitate.*
4. *De diſciplina filiorum, quo affectu diligendi ſunt vel corripiendi.*
5. *De bono ſanitatis, quia melior eſt paupertas & ſanitas diuitijs.*
6. *Vigilia propter Dei timorem tabefacit carnes, id eſt domat. Nam vigilia ad mala perpetranda criminoſa eſt.*
7. *De continentia ciborum.*
8. *De ebrietate.*
9. *De rectoribus, Epiſcopis, vel iudicibus.*
10. *Cum conſilio facienda omnia, ſed bona cum adiutorio Dei.*
11. *Timenti Dominum non occurrent mala, ſed pro meritis æternitatis præmia.*
12. *De diſciplina ſeruorum.*

INDEX LIB. VIII.

B *De ſomnijs non credendis, nec acquieſcendum ſpebus illorum: quia ſapientia docet diuinationes & auguria errorum mendacia eſſe: & ſomnia, maleſacientium vanitates eſſe.*
2. *De timentibus Dominum.*
3. *Sapientia præcipit de iniuſtis rebus non eſſe immolandum, id eſt offerendum, vel eleemoſynam faciendam de aliorum detrimentis.*
4. *Diſciplina cuſtodiendæ legis & quod ſacrificium ſit ſalutare attendere mandatis.*
5. *Sapientia monet non eſſe offerenda munera praua, id eſt non tempore incerto, nec ipſas preces orationesq́; inconditas & infructuoſas: quia bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.*
6. *Deprecatio ad Deum, & laus miſericordiæ Dei.*
7. *Oratio ſapientiæ.*
8. *Non eſſe amicum tantũ nomine, ſed opere & fide & charitate.*
9. *Sapientia docet cum quibus tractandum, id eſt cum religioſo & iuſto.*
10. *Iuſtis, & bonæ famæ ſemper ſociari monet.*
C 11. *Sapientia narrat animam viri ſancti, quã ſancti Spiritus ſeptenario numero virtutum impletur prophetare.*
12. *De verſuta & ſophiſtica locutione, id eſt pompa Philoſophica.*
13. *De medico honorando.*
14. *De orando Deo patre in tempore infirmitatis, & tentationis, & concupiſcentiæ.*
15. *De exequijs mortuorum, & temperamento triſtitiæ.*
16. *De ſingulis artificibus.*
17. *Sapientiæ laus, id eſt filij Dei, quod per ipſam omnis ſapientia & prophetia ſit: quæ ſemper cum patre & cum Spiritu ſancto opere & potentia vbique eſt.*
18. *Sapientia pandit quod orantibus Spiritus ſanctus dat intellectum, & tanquam imbrem emittet eloquia dando, ſuggerendo, docendo, ſecundum Apoſtolum dicentem: Spiritus poſtulat pro nobis, &c.*
19. *Narrat ſapientia humanæ vitæ intima pandens, neceſſariarum rerum inſtrumenta.*

INDEX LIB. IX.

Sapientia narrat quod propter peccata hominum vindicta procedat. i. fames, bellum, ſiccitas, & ſterilitas, & mortalitas. D
2. *De indigentia miſeria, & de memoria mortis.*
3. *Ab omnibus vitijs declinandum, ſed petendum auxilium à Deo: à quo greſſus hominum dirigentur, vt eis non dominetur iniquitas.*
4. *Ab amicis remouendi ſermones improperij.*
5. *De diſciplina inſenſati & fatui.*
6. *Sapientia narrat (per quam omnia facta ſunt) quod ſancti viri narrent mirabilia eius.*
7. *Laus vniuerſitatis, quæ per ſapientiam facta eſt, & per verbum & virtutem in filium Patris Deum apud Deum creata eſt.*

INDEX LIB. X.

Laus Patrum, id eſt Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & martyrum: in quibus Spiritus Domini locutus eſt.
2. *De Martyre, & Confeſſore, & Sacerdote.* E
3. *De Enoch.*
4. *De Noe.*
5. *De Abraham.*
6. *De Iſaac.*
7. *De Iacob.*
8. *De Moyſe.*
9. *De Aaron.*
10. *De Phinee.*
11. *De Ieſu Naue.*
12. *De Samuele.*
13. *De Nathan.*
14. *De Dauid.*
15. *De Salomone.*
16. *De Roboam, & Hieroboam.*
17. *De Helia.*
18. *De Heliſeo.*
19. *De Ezechia.*
20. *De Eſaia Propheta.*
21. *De Ioſia.*
22. *De Hieremia.* F
23. *De Ezechiele.*
24. *De duodecim Prophetis.*
25. *De Zorobabel, & Ieſu filio Ioſedech.*
26. *De Nehemia.*
27. *Recapitulatio de Enoch.*
28. *De Ioſeph.*
29. *De Seth & Sem.*
30. *De Simeone filio Oniæ ſacerdotis, quod conſtans fuerit in timore Dei, & templum Domini mirifice adornauerit.*
31. *Confeſſio & oratio, vel canticum eiuſdem Ieſu filij Syrach.*

FINIS INDICIS.

LIBER PRIMVS EXPOSITIONIS, IN Eccleſiaſticum.

CAPVT I. G

Omnis ſapientia à Domino Deo eſt: & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Principium ergo iſtius libri de æterna Dei ſapientia (quæ eſt Chriſtus) narrat, quòd ſemper cum Patre ſit ante ſæcula & concordat Euangelio Ioannis, quod ita inchoat: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Omnis ergo ſapientia à Domino Deo eſt, quia Chriſtus qui eſt fons vitæ & *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, à Deo Patre natus eſt, & *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Quiſquis autem huius ſapientiæ lumine caret, in tenebris ambulat, & neſcit quo vadat: quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius. Et quicquid huic ſapientiæ aduerſatur, ſtultitia magis dicenda eſt quàm prudentia. Vnde Paulus ait: Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Et item: Prudentia enim carnis mors eſt. Prudentia autem Spiritus, vita & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. H

1. Cor. 3.
Rom. 8.

Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi, quis dinumerauit altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi, quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit? Comparationem facit corporalium rerum ad ſpiritualia, vt ex difficillimis penſetur, quod omnino impoſſibile eſt. Si enim arenam maris & pluuiæ guttas & dies ſæculi nemo dinumerare poteſt, neque altitudinem cæli & latitudinem terræ atque profundum abyſſi metiri: quæ tamen omnia certo numero, menſura & pondere à creatore ſuo condita ſunt: quomodo ſapientiam Dei, quæ ſine fine & initio conſtat, & inenarrabilis atque inæſtimabilis ſemper manet, vllus inueſtigare poteſt? Virtus enim Dei & ſapientia (quæ eſt Chriſtus) ſemper cum Patre erat, & ſicut Pater ſine initio, ſic & filius ſine initio eſt.

CAPVT.

Digitized by Google

A

CAPVT II.

P*Rior omnium creata eſt ſapientia & intellectus prudentiæ ab*
Prou.8. *æuo*. Hanc ſententiam ſicut & illam in prouerbijs vbi
ſcriptum eſt: *Dominus creauit me principium viarum ſuarum*:
de incarnatione Domini dictam patres intelligunt. Quia
ſicut ſecundum diuinitatem filius à patre ante omnia ſæ-
cula natus eſt: ita ante omnia tempora in conſilio Dei pa-
tris prædeſtinatus eſt pro humani generis ſalute tempo-
raliter incarnari. Verbum enim creationis ad humanam,
non ad diuinam pertinet naturam. Sed propter vnita-
tem perſonæ aliquando dicitur filius genitus, aliquan-
do verò creatus: principium ergo viarum Dei eſt, vt ipſe
ait: *Ego ſum via*; qui ſurgens à mortuis iter fecit Eccle-
Ioan. 14. ſiæ ad regnum Dei ad vitam æternam. *In opera*, inquit,
B *ſua*: qui ad redimenda opera patris ex virgine creatus
eſt. Suſcipiens carnem, vt opera patris à corruptelæ ſer-
uitio liberaret. Caro enim Chriſti propter opera, diui-
nitas ante opera. Vnde ſequitur.

CAPVT III.

F*Ons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius man-*
data æterna. Origo omnis ſapientiæ à verbo Dei pri-
mum proceſſit: quod Deus ex Deo ſemper cum patre
permanet in cælis: ſed per diſpenſationem ſuſceptæ hu-
manitatis ingreſſus eſt mundum, & dedit mandata ſa-
lutis æternæ. Quod intelligens Petrus Apoſtolus ad i-
Ioan.6. pſum Dominum ait: *Tu verba vitæ æternæ habes, & nos cre-*
dimus quia tu es Chriſtus filius Dei viui. De cuius origine at-
que natiuitate adhuc ſubiungitur.

CAPVT IIII.

C

R*Adix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agno-*
uit? Diſciplina ſapientiæ cui reuelata eſt, & manifeſtata?
& multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit? Vnus eſt altiſ-
ſimus creator omnipotens, & rex potens & metuendus nimis, ſe-
dens ſuper thronum illius, & dominans Deus, ipſe creauit illam
in ſpiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt. Et ef-
fudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecun-
dum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. Cum inter-
rogat cui ſapientiæ radix reuelata ſit ac manifeſtata, &
multiplicationem ingreſſus illius quis intellexerit: o-
ſtendit neminem poſſe profunditatem conſilij Dei pe-
netrare, aut magnitudinem bonitatis & miſericordiæ e-
ius, (vnde ad liberationem & illuminationem humani
generis ipſe homo fieri dignatus eſt) comprehendere.
Sicut & Eſaias Propheta ſtupens myſterium natiuitatis
Eſa. 53. eius ait: *Generationem autem eius quis enarrabit?* Solus enim
Deus pater omnipotens vnigeniti filij ſui aduentum, per
ipſum verbum ſibi coæternum ſimul cum ſpiritu ſancto
D ordinauit atque diſpoſuit, quomodo per virginis par-
tum ad ſalutem mundi proceſſerit, vt repararet creatu-
ram, quam fecit ab initio, ac hominem (quem ipſe crea-
uit rectum, ſed ille ſe per inobedientiam fecit peruer-
ſum) iterum ad agnitionem & dilectionem ſui reuoca-
ret: dans illi donum ſpiritus ſancti, vt ipſius munere ſal-
uaretur & ſeruaretur in æternum.

Timor Domini gloria & lætitia, & corona exultationis. De-
nique timor Domini certiſſima eſt ſalus hominis, qui
coërcet illum à peccatis, & dirigit in opere pietatis. De
quo & per Pſalmiſtam dicitur: *Beatus vir qui timet Domi-*
Pſal. 111. *num, in mandatis eius cupit nimis*. Et paulò pòſt: *Gloria &*
Ibid. *diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*.
Quoniam gloria virtutum & gloriatio rectæ confeſſio-
nis in præſenti vita illum comitantur: In futuro autem
ſequitur lætitia perpetuæ vitæ, & corona beatitudinis æ-
ternæ. Vnde de eodem timore adhuc ſequitur.

CAPVT V.

T*Imor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium*
in longitudinem dierum. Duæ ſpecies timoris in diui-
nis libris leguntur. Vna enim eſt de qua Ioannes ait: *Ti-* E
mor non eſt in charitate; ſed perfecta charitas foras mittit timo- 1. Ioan. 4.
rem, quoniam timor pœnam habet. Hunc enim timorem illi
habent qui propter metum gehennæ peccare deſinen-
tes, vitam ſuam meliorare contendunt. Alia autem ſpe-
cies timoris eſt, de qua in Pſalmo ſcriptum eſt: *Timor Do-*
mini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. Duo namque ſunt Pſal. 18.
(vt diximus) timores. Vnus quo timent homines Deum,
ne mittantur in gehennam. Ipſe eſt timor ille, qui intro-
ducit charitatem: ſed ſic venit, vt exeat. Si enim adhuc
propter pœnas times Deum, nondum amas, quem ſic ti-
mes: non bona deſideras, ſed mala caues. Sed ex eo quod
mala caues corrigis te, & incipis bona deſiderare. Cum
bona deſiderare cœperis, erit in te timor ſanctus. Ille ſci-
licet, ne ipſa bona amittas: non ille, quo times ne mitta-
ris in gehennam, ſed ne te deſerat præſentia Domini
quem amplecteris, quo in æternum frui deſideras. De
hoc ſcilicet timore dictum eſt: *Timor Domini delectabit cor*. Eccl. 1.
quia amore inenarrabili afficit mentem poſſeſſam. Et
hic ſuauitatem tribuit internam, in futuro autem vitam
æternam. Quod oſtendit ſequens ſententia, dicens.

Dilectio Dei honorabilis ſapientia, quibus autem apparuerit
in viſu diligunt eam in viſione: & in agnitione magnalium ſuo-
rum. Initium ſapientiæ timor Domini. Omnino igitur cha- F
ritas Dei vera eſt ſapientia: hæc per Spiritum ſanctum
qui datus eſt nobis, diffunditur in cordibus noſtris: &
replet nos dulcedine dilectionis Dei, & agnitione ma-
gnalium ſuorum. De quo Ioannes in Epiſtola ſua ſcri-
bens, ait: *Vos vnctionem habetis à ſancto, qui noſtis omnia, &*
non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, ſed vnctio eius docet vos de 1. Ioan. 2.
omnibus. Vnctio enim ſpiritalis ipſe eſt ſpiritus ſanctus,
cuius ſacramentum eſt in vnctione viſibili, cuius gratia
participem ſui inſtruit de omnibus, quia niſi idem ſpiri-
tus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris.
Charitas verò Dei, quæ certiſſimum donum eſt ſpiritus
ſancti, citiſſimè ad intelligenda atque obſeruanda Dei
mandata cor quod implet, inflammat. Ipſa facit bonum
incipere, ipſa & perficere, ipſa & remuneratio noſtra erit
in futura vita. De quo Propheta ad Dominum dicit: *Ad-*
implebis nos lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua Pſal. 15.
vſque in finem.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctio-
nis ſuæ benedicetur, & cum fidelibus in vulua concreatus eſt, &
cum electis fœminis graditur, & cum iuſtis & fidelibus agnoſcitur.
Quicunque enim propter timorem Dei in credulitate & G
doctrina atque operatione ſeruat regulam iuſtitiæ, in ex-
tremis, hoc eſt, poſt obitum præſentis vitæ, benedictio-
nem æternæ beatitudinis percipiet. Hic cum fidelibus
in vulua matris Eccleſiæ renatus atque nutritus eſt: &
cum electis fœminis graditur, quia ſanctis animabus ſo-
ciabitur: & cum iuſtis fidelibus agnoſcetur, quando in
die nouiſſima cum cæteris ſanctis à dextris iudicis collo-
catus ab ipſo Domino audiet: *Euge ſerue bone & fidelis, quia*
ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra gau- Matt. 25.
dium Domini tui.

Timor Domini ſcientiæ religioſitas, religioſitas cuſtodiet & iu-
ſtificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit. Qui ſine ti-
more Dei obſeruatione mandatorum illius, religioſita-
tem ſcientiæ ſibi pollicetur, fallit ſemetipſum. Vnde di-
cit Iacobus Apoſtolus: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non re-* Iac. 1.
frænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius va- H
na eſt religio. Qui ſtatim oſtendit ſubiungens, qualis eſſe
debet vera religio: *Religio* (inquit) *munda & immaculata a-* Ibidem.
pud Deum & patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribu-
latione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Nam-
que in eo quod pupillos & viduas in tribulatione eorum
viſitare iuſſit, cuncta quæ erga proximum miſericorditer
agere debemus inſinuat, quod quantum valeat, ipſo iu-
dicij tempore pandetur, vbi dicturus eſt iudex: *Quamdiu* Mat. 25.
feciſtis vni ex his fratribus meis, mihi feciſtis. Porrò in eo quod
immaculatos nos ab hoc ſæculo cuſtodire præcepit, vni-
uerſa in quibus nos ipſos caſtos ſeruare decet, oſtendit.

Plenitudo ſapientiæ eſt, timere Deum: & plenitudo à fructibus
illius. Quanto quis Deum magis timet, tanto ſapientior
apparet: & quanto ſapientior, tanto plenior fructibus

Digitized by Google

A bonorum operum. Non enim timor Dei timor eſt otioſus, ſed donis virtutum replet vitam hominis, & theſauris ſcientiæ ſpiritalis cor eius illuſtrat.

Corona ſapientiæ, timor Domini, replens pacem, & ſalutis fructum: & vidit, & dinumerauit eam. Quod timor Dei illi qui ſapienter graditur coronam conferat vitæ æternæ, certiſſimum eſt: quia ipſe in cuius conſpectu omnia ſunt opera noſtra certo numero, vnicuique ſeruat condignam retributionem. Nec in obliuione vnquam bona merita corã eo erunt, ſed pacem & ſalutis fructum pro eis recompenſat. Vnde ipſa veritas diſcipulis ſuis ait: Mat. 10. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.*

Vtraque autem ſunt dona Dei. Sapientia videlicet & timor Dei: Iac. 1. *quia omne datum & omne donum perfectum de furſum eſt, deſcendens à patre luminum.*

Scientiam & intellectum prudentiæ ſapientia compartietur, & gloriam tenentium ſe exaltat. Oſtendit quod per ſapien- B tiam diuinam habet homo ſcientiam deuitandi malum: & intellectum faciendi bonum. Vtrumque enim ipſa in auditore ſuo operatur, & ad æternam gloriam ſe rite tenentem in fine exaltat: quæ alibi ita loquitur, dicens: Eccl. 24. *Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Radix ſapientiæ eſt timere Dominum: rami enim illius longæui. Quia nimirum *initium ſapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Rami ergo ſapientiæ ſententiæ ſunt ſcripturarum ſacrarum, quas per totum orbem terrarum ad vtilitatem hominum Euangelica expandit doctrina. Vnde in Euangelio Dominus de grano ſinapis parabolam proferens, volucres cæli dixit habitaſſe in ramis eius. Quomodo autem ſunt longæui rami ſapientiæ, Dominus in Euangelio demonſtrat, dicens: Matth. 5. *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

In theſauris ſapientiæ intellectus, & ſcientiæ religioſitas. Quãdo in legis Domini meditatione vtrumque declaratur, & quomodo deuitanda ſunt peccata, & errores: & quomodo diſcenda eſt ſpiritalis ſapientia, & exercenda operatio bona: in quibus duobus religioſitas vera conſiſtit.

Execratio autem peccatoribus ſapientia. Quia abominabilis eſt illa doctrina apud peruerſos, quæ prohibet peccata, & carnalia ſequi deſideria, ſicut & in Prouerbijs ſcriptum Prou. 15. eſt: *Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes gradi-* C *tur: doctrina mala deſerentium viam vitæ: qui increpationes odit morietur.*

Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari. Superius ſcriptum eſt quod initium ſapiẽtiæ ſit timor Domini: quia initium cõuerſionis ad Deum & iter eſt ad iuſtitiam. Nunc autem dicit timorem Dei expellere peccatum, quia qui per pœnitentiam mundat hominem à peccatis perpetratis, aut coërcet illum ſiue prohibet à nõdum commiſſis. Qui autem ſpernit Deum, nullo modo ad iuſtitiæ palmam peruenire poterit.

Iracundia enim animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt. Profecto quia is qui per timorem Dei ſe à vitijs cohibere non vult, in peccati voraginem cadit & præcipitatur in mortem.

Vſque in tempus ſuſtinebit patiens: & poſtea redditio iucunditatis. Ille vere patiens eſt, qui ſuſtinet æquanimiter aduerſa: & non mala pro malis, ſed bona pro malis lædenti ſe tribuit. Sicut de capite noſtro Petrus Apoſtolus teſtatur, 1. Pet. 2. dicens: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum* D *vt ſequamini veſtigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non remaledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* &c.

Bonus ſenſus vſque in tempus abſcondet verba illius, & labia Prou. 14. *multorum enarrabunt ſenſum illius.* Hinc in prouerbijs ſcri- Prou. 13. ptum eſt: *Labia ſapientium cuſtodiunt eos.* Et item, *Aſtutus* (inquit) *omnia agit cum conſilio. Qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam.* Igitur ſapientis hominis eſt verba tentare, & omnia modeſte agere. Cuius tamen temperantia plurimorum voces & actus laudantes prædicant. Nec poteſt abſcondi, quod iuſtitia dictat manifeſtari.

CAPVT VI.

E

Fili concupiſcens ſapientiam conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi. Qualiter ad ſapientiæ perceptionem peruenire poſſimus, ipſa ſapientia tramitẽ nobis demonſtrat: quia ſine conſeruatione iuſtitiæ nemo perueniet ad culmen ſapientiæ. Vnde & Iacobus Apoſtolus docet, dicens: *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui* Iac. 1. *dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.* Item: Ibid. 3. Quis ſapiens (inquit) & diſciplinatus inter vos? oſtendat bonam conuerſationem in manſuetudine ſapientiæ, de quo conſequenter ſubditur.

Sapientia enim & diſciplina, timor Domini: & quod beneplacitum eſt illi, fides & manſuetudo: & adimplebit theſauros illius. Iam ſæpe dictum eſt, quod timor Domini ſapientiæ & diſciplinæ eſt cuſtodia: cui benè conueniunt fides recta, & morum temperantia; *quia impoſſibile eſt ſine fide placere Deo;* Heb. 11. & omnis bonorum vita tranquilla eſt. Vnde virtus & ſapientia Dei Chriſtus, in Euangelio diſcipulos ſuos docuit, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & in-* Matt. 11. *uenietis requiem animabus veſtris.* Et aptè dicitur, quòd impleat theſauros illius, quia qui verè timet Deum, nõ poteſt eſſe ſine fide & bonis operibus: quæ timentem Deum ſacris virtutibus implent, & faciunt eum eſſe acceptabi- F lem Deo. Vnde in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *Homini bono in* Eccle. 2. *conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam & ſcientiam & lætitiã. Peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam.*

Non ſis incredibilis timori Domini, & ne acceſſeris ad illum duplici corde. Credere enim oportet accedentem ad Deum, (vt Paulus teſtatur) *quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator* Heb. 11. *ſit:* & qui *ſimplici corde quærit Deum, inueniet illum.* Vnde ſcriptum eſt: *Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio per-* Prou. 11. *uerſorum vaſtabit illos.* Omnis quippe qui duplici animo & non ſyncera fide ac bona intentione ſe Deum arbitratur inuenire poſſe, ſemetipſum fallit. Vnde Iacobus ait: *Qui e-* Iac. 1. *nim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui à vento mouetur & circumfertur. Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.* Vir duplex eſt animo, qui & hic vult gaudere cum ſæculo, & illic regnare cum Chriſto. Item vir duplex eſt animo, qui in bonis quæ facit non retributionem interius, ſed exterius fauorem quærit.

G

Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labijs tuis. Peſſimum genus eſt hypocritarum, qui omnia fictè agunt: & aliud geſtant corde, aliud quoque oſtendunt operatione. Horumque omnium nequiſſimi ſunt hæretici, de quibus in Euangelio Dominus ait: *At-* Matt. 7. *tendite autem vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces:* hi prauo corde machinantur malum; & omni tempore iurgia ſeminant: vt incedentes viam veritatis ſubuertant: quos maxime cauere neceſſarium eſt. Vnde per Salomonem dicitur: *Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt erua-* Prou. 2. *ris de via mala & ab homine qui peruerſa loquitur. Qui relinquit iter rectum, & ambulat per vias tenebroſas, vt eruaris à muliere aliena & ab extranea quæ mollit ſermones ſuos, & relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt. Inclinata eſt enim ad mortem domus eius, & ad inferos ſemita ipſius: omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.*

Attende in illis ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa tua, in medio ſynagogæ elidat te: quoniam acceſſiſti malignè ad Deum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia. Manifeſtum eſt quod qui ſequitur hæreticos, animæ ſuæ acquirit damnationem, quando in iudi- H cio diuino reuelabuntur occulta cordium, & iuſtus iudex reddet vnicuique ſecundum opera ſua: & diſperdet omnes qui loquuntur mendacium, quia virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. Vnde ipſa veritas in Euangelio diſcipulos ſuos admonet, dicens: *At-* Luc. 12. *tendite à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis: & mali ſerui ruinam, qui conſeruos ſuos percutit, manducat & bibit cum e-* Mat. 24. *brijs,* alibi teſtatus eſt, dicens: *Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat: & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & ſtridor dentium.*

CAPVT VII.

Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem. Cum prius doce-

A ret quid vitandum ſit, nunc demonſtrat quid agendum eſt: hoc eſt, vt qui diuino ſeruitio ſe rite mancipare vult, maneat in iuſtitia, & timorem Dei ſeruet: ſicque animam ſuam præparet ad tentationem: quia impoſſibile eſt vt is, qui ſe tentat ab illecebris mundi abſtinere, & Dei man-
2.Tim. 3. data cuſtodire, aduerſa mundi non patiatur. *Omnes enim* (iuxta Pauli ſententiam) *qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Quanto enim quis ſe à mundi amore auertere certat, & ad ſeruitium Dei coadunare feſtinat; tanto grauiora bella ac tentamenta ab hoſtibus tolerat. Quiſquis enim accingi in diuino ſeruitio properat, quid aliud quàm ſe contra antiqui aduerſarij certamen parat? vt liber in certamine ictus ſuſcipiat, qui quietus ſub tyrannide in captiuitate ſeruiebat. Sed in eo ipſo quod mẽs contra hoſtem accingitur, quo alia vitia ſubijt, alijs re-
B luctatur. Aliquando tamen de culpa aliquid quod non valde noceat remanere permittitur. Et ſæpè mens, quæ aduerſa multa & fortia ſuperat, vnum in ſe & fortaſſe minimum & quamuis magna intentione inuigilet, non expugnat: quod diuina nimirum diſpenſatione agitur, ne ex omni parte virtutibus ſplendens in elatione ſubleuetur. Vt dum paruum quid reprehenſibile videt, ſed tamen hoc ſubigere non valet, nequaquam ſibi ſed authori victoriam tribuat, in his quæ ſubigere fortiter valet. Sed quia humilitas & patientia illi neceſſaria eſt, & vt ſe documentis diuinæ legis coaptet, vt ſciat qualiter vſque ad finem vitæ in ſeruitio Dei perſeuerare debeat, hinc ſubditur.

Deprime cor tuum, & ſuſtine. Inclina aurem tuam & ſuſcipe verba intellectus: & ne feſtines in tempore obductionis. Suſtine ſuſtentationes Dei. Coniungere Deo & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Deprimere cor iubet, vt in elatione non tu-
C meſcat: ſuſtinere mandat, vt in tribulationibus non deficiat: immò longanimis fiat. Sed quia hæc nemo perfectè agere nouit, niſi ille qui ex diuinis præceptis hæc didicit: ideo ad meditationem legis Dei eum mittit. Et quia non ſufficit benè incipere, niſi ſtuduerit vſque in finem in eo perſeuerare: ideò iubet vt nõ puſillanimitate fractus, celerem finem laborum exoptet: ſed ſecundum voluntatẽ creatoris ſui æquanimiter ſuſtinendo ipſius iudiciũ magis expectet. Vnde adhuc ſequitur.

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis. Vt autem in tempore caſtigationis atque examinationis noſtræ, longanimes ac fortes ſimus, Pſalmiſta
Pſal. 26. hortatur nos, dicens: *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in Domino.* De quo & in Euangelio
Luc. 8. ſcriptum eſt: *Qui verbum Dei retinet corde perfecto & optimo, fructum afferet in patientia.* Sic & ipſa veritas Apoſtolis ait:
Ibid. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Idcirco poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur: quia radix omnium cuſtoſque virtutum, patientia eſt. Sciendumque quod
D tribus modis patientia exerceri ſolet. Alia namque ſunt quæ à Deo: alia quæ ab antiquo aduerſario: alia quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo namque perſecutiones, damna, & contumelias: ab antiquo aduerſario tentamẽta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circũſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: Ne contra tentamenta aduerſarij ſeducatur ad delectationem vel conſenſum delicti: ne contra flagella opificis ad exceſſum ꝓruat murmurationis. Perfectè .n. aduerſarius vincitur, quando mens noſtra & inter tentamenta eius à delectatione atque conſenſu: & inter contumelias proximi cuſtoditur ab odio: & inter flagella Dei compeſcitur à murmuratione: nec hæc agẽtes, retribui nobis præſentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ, bona ſperanda ſunt ſequentis vitæ: vt tũc præmium noſtri laboris incipiat, quando omnis labor iam funditus ceſſat.

Crede Deo & recuperabit te: & dirige viam tuam & ſpera in illum. Fidẽ in omnibus hunc ſeruare oportet, quẽ dolor & afflictio tentat, & dirigere greſſus operũ ſuorũ ante conſpectũ Dñi, & ſpẽ ſuã in Deo ponere, quia qui confidit in

E illum, non confundetur. De quo Propheta ait: *Reuela ad* Pſal. 36.
Dominum viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Hinc & Ieremias: *Benedictus* (inquit) *vir, qui confidit in Domino, & erit* Cap. 17.
Dominus fiducia eius, & erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas: quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus: & erit folium eius viride: & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum: nec aliquando definet facere fructum.

Serua timorem illius, & in illo veteraſce. Hoc eſt, permane, quia timenti Dominum bene erit in nouiſſimo. Expectatio Iſrael, Saluator eius in tempore tribulationis. Vnde adhuc ſubditur.

CAPVT VIII.

Metuentes Deum ſuſtinete miſericordiam eius: & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Beneplacitum eſt enim Dño ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſericordia eius. Qui enim veraciter metuit Dñm, patienter ſuſtinet, & expectat largitionem miſerationis eius; qui autem per puſillanimitatem & impatientiam ab illo declinauerit, ruinæ proximus erit. Vnde per Ieremiam dicitur: *Omnes* Hier. 17.
qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra ſcribentur. Quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.

Qui timetis Dominum credite illi, & non euacuabitur merces
F *veſtra. Qui timetis Dominũ ſperate in illum: & in oblectatione veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum diligite illũ: & illuminabuntur corda veſtra.* Bene quippe hortatur illum qui timet Dñm vt credat illi: quatenus ad certam proueniat
mercedẽ: quia iuxta Prophetę ſententiã: *Iuſtus ex fide viuit.* Abac. 2.
Et in Euangelio Dñs: *Confide* (inquit) *fili, remittuntur tibi* Rom. 1.
peccata tua. & alibi: *Fides tua te ſaluũ fecit. Sic & illi qui ſperat* Matt. 9.
in Domino, deſiderata proueniet miſericordia: & qui diligit illum, Luc. 8.
per ſpiritus S. gratiam lumen ſapiẽtiæ capacius percipiet. Nota le- & 18.
ctor, ꝙ timentibus Dñm trinam facit diſcretionẽ: nã pri- Pſal. 146
mum illos iubet credere Deo: ſecundo ſperare in illum: tertio diligere illum: quia fide, ſpe, & charitate omnis anima fidelis colit Deũ. Et per has ſpecies perueniet ad contemplationem ſanctæ trinitatis, quæ eſt illi merces vera in beatitudine ſempiterna.

Reſpicite filij nationes hominũ, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt: Permanſit in mandatis eius, & derelictus
G *eſt. Et quis inuocauit illum, & deſpexit eum? quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in tẽpore tribulationis peccata omnibus exquirentibus ſe in veritate.* Ergo & hic ſicut in ſuperiore commate triplicẽ facit diſtinctionem, dicens: Nullũ ſperare in Dño, & confuſum eſſe: permanere in mãdatis eius, & derelictum eſſe: Inuocaſſe illum, & deſpectum fuiſſe.
Quia corde creditur ad iuſtitiam, ore aũt cõfeſſio fit in ſalutem. & Rom. 10.
omnis qui facit voluntatem patris cæleſtis, ipſe intrabit in regnum cælorum. & bene dicit remitti à Dño in tempore tribulationis peccata omnibus exquirẽtibus ſe in veritate, quia
ſacrificium Deo eſt ſpiritus contribulatus: cor contritum & humi- Pſal. 50.
liatũ non ſpernit: & prope eſt Dominus omnibus inuocantibus ſe in veritate, voluntatem timentium ſe faciet, & orationes eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Væ duplici corde, & labijs ſceleratis, & manibus malefacientibus: & peccatori terram ingrediẽti duabus vijs. Superius admonuit ne quis duplici corde accederet ad Dñm. Nunc autẽ dicit: væ eſſe duplici corde, & labijs ſceleratis, & manib. malefacientibus: quia qui praua cogitat, & peruerſa loquitur, atq; iniquis inſiſtit operibus: niſi pęnitentia interuenerit, væ illi perpetuum remanebit. Quod autem ſubdi-
H tur: *væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Duabus ergo vijs peccator terram ingreditur, quãdo male facit & ſperat ſibi bona prouenire poſſe, iuxta illud ꝙ ſcriptũ eſt: *Fa-* Rom. 3.
ciamus mala, vt veniant bona. Quorũ damnatio iuſta eſt, vel quãdo carnis ſectatur opera in concupiſcẽtijs eius, & ſpiritus ſanctificatione ſe arbitratur perfici poſſe in timore Dei: vel quãdo & Dei eſt ꝙ opere exhibet, & mũdi quod
per cogitationẽ quærit. Oẽs aũt iſti iuxta Iacobi ſentẽtiã, Iac. 1.
incõſtantes ſunt in omnib. vijs ſuis: quia facillime in aduerſis ſæculi deterrentur, & proſperis irretiuntur.

Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo: ideo non protegentur ab eo. Adhuc perſeuerat in ratione priſtina, vt doceat nos errores cauere & veritatẽ amare. Oportet quippe vt ſynceritatẽ fidei ſeruet, & conſtantiã mẽtis habeat, quicunq;

A à Deo protegi deſiderat, quia ille qui fide dubitat ac ſpe vacillat, conſequens eſt vt ad coronã nõ perueniat: quæ ſolis fidelibus ac Dñm veraciter timentibus, hoc eſt, qui fructũ bonorũ operũ in patiẽtia proferũt, repromittitur. Illis autem, qui per apoſtaſiã ſiue hæreſim à fide diſcedẽtes, prauiſq; operibus inſiſtentes, derelicto veritatis tramite in vitiorum voraginẽ incidunt: ira & tribulatio atq; anguſtia perpetualiter remanebũt. Sicut Paulus teſtatur,
Rom. 2. dicens: *His quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriã & honorem & incorruptionem quærunt vitam æternam.* His autem, qui ex contentione & qui non adquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati: Ira & indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Vnde adhuc ſequitur.

CAPVT IX.

B *VAE his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas: & quid facietis, cũ inſpicere cœperit Deus?* Licet omni tempore inſpicere Deus credatur bonos ac malos, & nihil eum poſſit latere: tamẽ vſu ſcripturarum frequentiſſimo tunc dicitur inſpicere, quando vel probare vel improbare aliquid dignoſcitur. Quid ergo facturi erunt qui vias deſeruerunt rectas, & ſe implicauerunt iniquis operibus? quando iam iudicij aderit tempus, & nullus datur locus pœnitentiæ? quando
Soph. 1. iuxta Sophoniam: *Dies Domini magnus veniet, dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ: dies calamitatis & miſeriæ: dies tenebrarum & caliginis: dies nebulæ & turbinis: dies tubæ & clangoris. Super ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos, & tribulabũtur homines, & ambulabunt cæci: quia Domino peccauerunt, & effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpus eorum ſicut ſtercora. Sed & argentum eorum & aurum non poterit liberare eos in die iræ Domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia cõſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terrã.* In hac autem vita Deus expectat & accipit conuerſionem noſtram: in illa autem reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conſeruabunt viam illius. Qui timent Dominũ, inquirent quæ beneplacita ſunt illi: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius. Alternando loquitur de timore & dilectio-
C ne Dei: quoniam *timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi: & omnis qui diligit ex Deo natus eſt: & cognoſcit Deum.* Ille ergo qui timet Dominum, & qui diligit illum, credit ſcripturis ſacris, & ſeruat operando præcepta Domini, & ſemper meditando quærit quæ beneplacita ſunt illi: ſicq;
1. Tim. 1. replebitur ſapientia & charitate Dei. *Finis enim præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta,* & qui diligit proximum, legem impleuit.

Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. O quam fęlix anima q̃ quotidie mundat cor ſuum & cogitationes ſuas, quatenus ſuſcipiat in ſe habitatorem Deum. Cuius quicunque poſſeſſor eſt, nullo bono eget: quia omnium bonorum authorem in ſe habet, & quia neceſſe eſt in mundatione cordis cuſtodia mandatorum Dei cum patientia boni operis, quo peruenitur ad perfectam agnitionem diuinitatis, ſequitur.

D *Qui timẽt Dominũ, cuſtodiũt mãdata illius: & patientiã habebũt vſq; ad inſpectionẽ illius, dicẽtes: Si pœnitentiã nõ egerimus, incidemus in manus Dei & nõ in manus hominum: ſecundum.n. magnitudinem illius, ſic & miſericordia ipſius cum ipſo eſt.* Mos quidem eſt ſanctorum ſemetipſos peccatores accuſare, quatenus condignam humilitatis ſuæ accipiant mercedem, quia ſicut humilitati prçmium, ſic & ſuperbiæ pœna deputatur. Dicit enim manifeſte Ioannes Apoſtolus: *Si di-*
1. Ioan. 1. *xerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Vnde ſubiunxit: *Secundum enim magnitudinem il-*
Pſal. 102 *lius, ſic & miſericordia ipſius cum ipſo.* Quia (vt Propheta teſtatur) *ſecundum altitudinem cæli à terra confirmauit Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes eum.* Et item: *Miſeri-*
Ibid. *cordia* (inquit) *Domini à ſæculo & vſque in ſæculum ſæculi ſuper timentes eum: & iuſtitia eius ſuper filios filiorum cuſto-*
dientibus teſtamentum eius, & memoria retinentibus mandata eius vt faciant ea. E

Filij ſapientiæ, Eccleſia iuſtorum: & natio illorum obedientia Cap. 3.
& dilectio. Filios ſapientiæ merito dicit eſſe Eccleſiam iuſtorum, quia qui verè ſapiens eſt, verus eſt iuſtitiæ cultor, quoniam vera ſapientia veraciter iuſtitiæ dictat normã. Natio (inquit) illorum obedientia & dilectio. Quomodo autem nationem vocat iuſtorum obedientiam & dilectionem? Cum obedientia & dilectio virtutes ſint, quç habentur à iuſtis. Niſi quia tropica locutione per ipſas virtutes exprimit virtutum poſſeſſores.

Iudicium patris audite filij, & ſic facite vt ſalui ſitis. Pater vniuerſorum naturaliter Deus eſt, ex quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur: quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: qui diligit ea, quæ fecit, vt in hoc permaneant, quod facta ſunt. Qui enim huius patris audierit iudicium & fecerit eius præcepta, proculdubio ſaluus erit. Cuius mandatum eſt, vt etiam patri temporali & matri honoris reuerentia exhibeatur. Vt eſt illud:
Honora patrem tuum & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram, Exod. 20
quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Vnde ſequitur.

Deus enim honorauit patrem in filijs: & iudicium matris ex- F
quiret in filios. Cui ergo Deus honorem in progenie ſua conſtituit, nõ eſt fas, vt à filijs ſuis inhonoretur, quia Dñs ſuo iudicio exquiret, qualiter eius præceptũ ſeruetur: cuius ſecutores coronantur, & contemptores punientur.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab il-
lis, in oratione dierum exaudietur. Ille quippe *qui diligit Deum,* Ioan. 14.
vt ipſe in Euangelio teſtatur, *mandata eius ſeruat,* & continet ſe à peccatis, quantum humanæ fragilitatis poſſibilitas ſinit, & tamen pro exceſſibus ſuis nõ deſinit quotidie orare, quia ſcit miſericordem iudicem eius preces ſic o-
mni tempore exaudire, & quia ſcriptura teſtante, honor Exod. 20
parentum, primum mandatum eſt in repromiſſione: inde adhuc ſubditur.

Et ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Bene theſaurizat qui honorificat matrem ſuam: quia pro cuſtodia mandatorum Dei, qui iuſſit honorare parentes, præmia æternæ vitæ percipiet.

CAPVT X.

QVi honorat patrem iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur. Filios hic vel ſobolem, diſcipulos ap-
pellat: in quorũ nutrimento ſæpe gaudebit, qui ſuis ma- G
giſtris vel parentibus, antea aurẽ obedientiæ inclinauit. Sed quia ſecundũ hiſtoriam vbiq; hoc non euenit: vt honoratores parentum ſuorum vel magiſtrorum, filios ſiue diſcipulos habeant ſibi deuotos. Cum ſæpe legimus ſanctorum virorum degeneraſſe ſobolem, & à ſemita deuiaſſe maiorum. Iuxta tropologiam magis mihi videtur conuenire quod dicitur, vt filios accipiamus fructum bonorum operum. Qui ergo obediens præceptis Dei honorat parentes vel præceptores ſuos, in multiplicatione bonorum actuum lætabitur in fine dierum, & ſicut illius, qui auertit aures, ne audiat legem, oratio erit execrabilis: ita huius qui obedit præceptis Dei, dirigetur oratio ſicut incenſum in conſpectu altiſſimi.

Qui honorat patrem ſuum, vita viuet longiore, & qui obedit H
patri, refrigerabit matrem. Vita viuet feliciter longiore, qui remuneratus à Domino æterna fruetur requie. Ille refrigerabit matrem, qui obedit patri: quia matrem Eccleſiã lætificat, qui obediens eſt præceptis æterni Patris.

Qui timet Deum honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt in opere & ſermone, & omni patientia. Nota quod dicit his deberi famulatum inſtanter exhiberi, qui ſe genuerunt non ex vulua ventris, ſed in opere & ſermone & patientia: vt oſtendatur ſpiritalis pater maximè dignus honore eſſe: cuius rei memor Apoſtolus, ſcripſit ad diſcipulos, quos ipſe per Euangelium genuit, dicens: *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos,*
& præſunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abũ- 1. Theſ. 5.
tius in charitate, propter opus illorum, pacem habete cum eis, & ad
Timotheum: *Qui bene præſunt* (inquit) *Presbyteri, duplici ho-* 1. Tim. 5.
nore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina, quia *dignus eſt operarius mercede ſua.*

A

Honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo: & benedictio illius in nouiſſimo maneat. Honor patris ſiue ſpiritalis, ſiue carnalis benedictionem à Domino promeretur: & aptè dicitur, quòd *in nouiſſimo benedictio illius maneat,* quia æterna mercede recompenſatur.

Gen. 9. Ibid. 25. Ibid. 27. Ibid. 49.

Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. Inueniuntur Patriarchæ quibuſdam filijs ſuis benedixiſſe, vt Noe, Sem, & Iaphet: poſteritatem autem Cham maledixiſſe. Benedixit autem Abraham Iſaac filio ſuo, & Iſaac Iacob, & Iacob duodecim Patriarchis ſingulas benedictiones dedit. In quibus omnibus benedictionibus, ille præfigurabatur, qui de Patriarcharum ſtirpe ſecundum carnem deſcēdit, Chriſtus vtique Saluator noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Quomodo autem maledictio parētum noceat ſoboli, oſtenditur in ſemine Cham. Cuius progenies à filijs Sem, hoc eſt filijs Iſrael à terra repromiſſionis extirpata atque deleta eſt.

B

Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim eſt tibi gloria, eius confuſio. Gloria enim hominis ex honore patris ſui: & dedecus filij pater ſine honore. Quod autem cōtumelia patris vel magiſtri Deo diſpliceat, multis probatur exemplis. Nam nudatum patrem ſuum Cham irriſit: & ſeruitutem perpetuam ſemen eius inde ſuſtinuit. Abſalon Dauid de ſede regni ſui expulit, concubinaſque eius ſtuprauit: ſed morte condignas pœnas luit. Sic & Heliſæi Prophetæ caluitium pueri Bethel irriſerunt, & egredientes duo vrſi de ſaltu quadraginta duos pueros ex eis lacerauerunt: cuius myſterij ratio in Chriſti paſſione completa eſt, quē puerilis ſtultitia Iudæorum in Caluariæ loco crucifixum irriſit. Sed quadrageſimo ſecundo anno poſt aſcenſionem eius ad cœlos, duo vrſi, hoc eſt Veſpaſianus & Titus, de ſaltu gentium egreſſi, illuſores ſæuiſſimè laniauerunt.

CAPVT XI.

C

Filli ſuſcipe ſenectam patris tui, & ne contriſtes eum in vita illius: & ſi defecerit ſenſu, veniam da: & ne ſpernas eum in virtute tua. Bene conuenit, vt filij atque diſcipuli honoribus atque ſolatijs foueant parentes, & nutritores ſuos: quia charitatis affectus magis in hoc augetur. Vnde Paulus præcepit viduis mutua inuicem reddere parētibus, quia hoc acceptum eſt coram Domino. Hinc & ipſe Dominus in Euangelio reprehendit Scribas & Phariſęos, quod traditionibus ſuis legis Dei ſinceritatem corrumperent, dicens ad eos:

Matt. 15.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum aut matrem, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Honor quippe in Scripturis non tantum in ſalutationibus & officijs deferendis, quantum in eleemoſyna ac munerum collatione ſentitur. *Honora* (inquit Apoſtolus) *viduas, quæ verè viduæ ſunt.* Hic etiam honor donum intelligitur. Sic & ſubſequenter de munificentia quæ exhibetur parentibus, hic ſubiungitur.

1. Tim. 5.

D

Eleemoſyna enim patris non erit in obliuione: nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum: & in iuſtitia ædificabitur tibi. Miſericordiæ ergo affectus cum pietatis operibus, nunquā obliuioni tradetur. Vnde Dominus ait: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequētur.* Et in Prouerbijs: *Fœneratur* (inquit) *Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Quod autem dicit: *Pro peccato matris reſtituetur tibi bonum.* Peccatum hic tropica locutione ipſam eleemoſynam nuncupat, quæ delet peccata. Sicut & alibi hoſtiam, quæ pro peccato offertur, peccatum vocat. Vt eſt illud: *Ponat manum ſuam ſuper caput peccati ſui, & ſic eam Domino offerat.* Qui ergo in parentibus & cæteris indigentibus miſericordiæ exercet opera, ſine dubio iuſtitiæ ſuæ recipiet præmium, & à peccatis abſolutus mercedem vitæ poſſidebit æternæ. Vnde & ſequitur.

Mat. 5. Prou. 19.

Dan. 4.

In die tribulationis commemorabitur tui, & ſicut in ſereno glacies ſoluentur peccata tua. Hinc & Daniel Propheta Nabuchodonoſor Regi huiuſcemodi conſilium dedit, dicens: *Conſilium meum ô Rex placeat tibi, & peccata eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* De quo & ipſa veritas in Euangelio ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Vnde & in futuro iudicio dicturus eſt eis: qui ad dexteram eius conſiſtunt: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere,* &c. Sicut & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur.*

E Luc. 11. Matt. 25.

Quàm malæ famæ eſt, qui relinquit patrem: & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat matrem. Impietatis crimine reus tenetur, qui irreligioſus eſt in parētes: & maxime ille, qui ſpiritalem patrem vel matrem prauis ſermonibus atq; iniquis operibus exacerbat. Ideo neceſſe eſt vt ſequentis ſententiæ doctrina ſeruetur, ita dicens.

CAPVT XII.

Filli in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper omnium gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei ſolius: & ab humilibus honoratur. Manſuetudo enim & humilitas maximam gratiam & gloriam pariunt habentibus eas. Sicut econtrario ſuperbia & furor eos, quos poſſident, ad maximam ruinam impellunt. Quia initium omnis peccati ſuperbia eſt: quæ ex Angelo fecit diabolū, & furor ſibi obſequentes pręcipitat in mortem, quia charitatis diſſipat tramitem. Idcirco Dominus contra huiuſcemodi peſtes conſilium dans, ſemetipſum ad imitandū propoſuit, dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris.* Et item: *Qui ſe* (inquit) *exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

F

Matt. 11. Luc. 14. 18.

CAPVT XIII.

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. Ordinem ſeruat doctrinæ præceptor, humilitatis ſcilicet, vt ſicut prius docuit in moribus tenere manſuetudinem, atque operibus humilitatem: ſic & nunc doceat ſeruare cordis puritatem: ne forte ea quæ humana ratio comprehendere non valet, incauta diſputatione rimari præſumat. Vnde dicit Eccleſiaſtes: *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram. Idcirco ſint pauci ſermones tui, multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inuenitur ſtultitia.* In quibus verbis videtur præcipere, ne aut loquentes aut cogitantes plus de Deo, quàm poſſumus opinemur. Sed ſciamus imbecillitatem noſtram: quòd, quantum cælum diſtat à terra, tantum noſtra opinatio à natura illius ſeparetur, & idcirco debere verba noſtra eſſe moderata. Sicut enim, qui in multis cogitationibus eſt, ea ſomniat frequenter, de quibus cogitat: ita qui plura voluerit de diuinitate diſſerere, incidit in ſtultitiam. Hinc & Paulus docet: *Non plus ſapere quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, & iuxta menſuram fidei.* & alibi: *Noli* (inquit) *altum ſapere, ſed time.* Sufficit enim homini, vt ea pia cogitatione tractet, & opere impleat, quæ à Conditore ſuo ſibi conſtituta, atque præcepta ſunt ſeruanda, quæ autem occulta & quæ incomprehenſibilia ſunt iudiciorum Dei, ſcrutari non attentet: dicatque cum Propheta: *Iudicia Dei abyſſus multa,* & cum Apoſtolo mirando taliter ſentiat, dicens: O *altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* & retribuetur ei, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum.

G

Eccl. 5.

Rom. 12. Rom. 11.

Pſal. 35.

H Rom. 11.

In ſuperuacuis verbis noli ſcrutari multipliciter: & in pluribus operibus eius non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſus hominū oſtenſa ſunt tibi: Multos quoque ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. Superuacuas res ſcrutari, eſt eas res rationabiliter agnoſci velle, quos ratio docet inueſtigari non debere. Vnde Eccleſiaſtes dicit: *quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod velut vmbra præterit? aut quis ei poterit indicare quid poſt eum*

Eccl. 7.

A Ibid. 7. *futurum ſub ſole fit?* & item: *Ne dicas, quid putas cauſæ eſt, cum priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt? Stulta eſt enim huiuſcemodi interrogatio.* Sobrius enim intellectus in omnib. eſt optimus: qui reficit animam, & non grauat mentem. Prou. 25. Vnde in Prouerbijs ſapientia docet, dicens: *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud, & periures nomen Dei tui.* Quod autem dicitur: Multos ſupplantaſſe ſuſpicionem illorum, & in vanitate detinuiſſe ſenſus illorum. Oſtendit omnes hæreticos duobus modis exiſtere: hoc eſt, cum vel de Creatore vel de creatura vltramodũ ſcrutati volentes, peruerſe ſentiendo erroneas condunt doctrinas, & quia dogmatibus veritatis cedere nolunt, quid eos inſequatur oſtenditur, cum ſubiungitur.

Rom. 2. *Cor durum malè habebit in nouiſſimo: & qui amat periculum, in illo peribit. Secundũ duritiam autẽ ſuam & impœnitens, theſaurizat ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei: qui reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. His quidẽ, qui ſecundum patientiã boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt vitã æternam. His autem, qui ſunt ex contentione, & qui non adquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, iram & indignationem,* B *tribulationem & anguſtiam. Qui amat* (inquit) *periculum, in illo peribit.* Ille dicitur amare periculum, qui nõ curat nec ſtudet vitare periculum. Alioquin quis eſt, qui velit incidere in periculum, cum oẽs velint euadere interitũ? Sed ille quodammodo amat periculum, qui diligit eas res, q̃ tendunt ad interitum. Vt eſt libido, auaritia, luxuria, & cæteræ pernicioſæ cupiditates: nec non & hæreſes atque nouitatum præſumptiones, quæ certiſſimæ ſunt animarum perditiones. Vnde ſubiungitur.

Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus: & prauum cor in illis ſcandalizabitur. Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adijciet ad peccandum. Cor hæreticorum ingreditur duas vias: quando vera permiſcet falſis, & falſa inſerit veris. Aliquas.n. ſententias ſacrarum Scripturarum ritè intelligunt ac proferunt, & aliquas ſecundum ſuam vecordiam in ſenſum peruerſum trahunt, ſuiſq; auditorib. eas 2. Tim. 4 commendare ſatagunt. Qui (iuxta Pauli ſententiã) *ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundum ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Et ideo ſcandalizabuntur: nec huiuſmodi ſucceſſus habebunt: quia eorũ labores in vacuum ibunt. Grauantur eorum præcordia C doli verſutijs, & idcirco onerantur multiplicibus peccatorum ſarcinis.

Synagoga ſuperborum non erit ſanitas, frutex.n. peccati eradicabitur in illis, & non intelligetur. Synagogæ ſuperborum ſunt conuenticula hæreticorum: quorum germen eradicabitur, & non intelligetur, cum doctrina eorum inutilis damnabitur: nec fictio eorum apud Deũ probatur: quid autem Catholicos manifeſtet, ſubiungendo oſtendit.

Cor ſapientis intelligitur in ſapientia, & auris bona audiet cũ omni concupiſcentia ſapientiam. Imprudẽtia.n. doctrinæ cor ſapiẽs ſecundũ veritatẽ intelligitur, & inhianter boni auditores hãc doctrinã diſcũt, q̃ cõmendat virtutes, & perſequitur vitia, quod ſubſequenter oſtenditur, cũ dicitur.

Sapiens cor & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis: & in operib. iuſtitia ſucceſſus habebit. Qui ergo ritè intelligit legis Dei traditionem, coercet ſe à peccatis, & in operibus exercet iuſtitiæ, quorum nobilis portio eſt eleemoſynarum largitio, propterea ſubiungit.

D *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & Deus proſpector eſt eius, qui reddit gratiam, meminit eius in poſterum, & in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.* Sicut.n. aquæ elementum effuſum, ignis extinguit ardorem, ſic & eleemoſyna, quæ per charitatis affectum expenditur, peccatorum obuiet flammam. Ideo quomodo eleemo-Mat. 6. ſyna danda ſit, in Euangelio docet Dñs, dicẽs: *Cũ facis eleemoſynã, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi.* Non.n. propter fauorem humanæ laudis, ac cupiditatem præſentium rerum facienda eſt eleemoſyna; ſed propter dilectionem Dei, & amorem æternæ beatitudinis. Tunc enim, ſi ita fuerit expenſa, habebit remuneratorem Deum: qui in tempore caſus, hoc eſt, in fine præſentis vitæ reddet præmium æternæ vitæ.

CAPVT XIIII.

E Cap. 3. F*ili, eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne trãſuertas à paupere: animam eſurientem ne deſpexeris, & nõ exaſperes pauperem in inopia ſua.* Quantum eleemoſyna pia mente data apud Dominum valeat, oſtendit ipſe in Eu-Luc. 11. angelio, dicens: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quibus alio loco tantum tribuit Scriptura diuina, vt earum tantummodo fructum ſe imputaturum pronũtiet Dominus dextris, & earum tantummodo ſterilitatẽ Matt. 25. ſiniſtris. Quando his dicturus eſt: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Illis autem, *ite in ignem æternum.* Sanè cauendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur. Sed multæ ſunt ſpecies eleemoſynarum, non ſolum ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſita-F tionem, captiuo redemptionem, debili ſubuectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliranti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti: verumetiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat; & *qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina*, & tamẽ peccatum eius, quo ab illo læſus aut offenſus eſt, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non ſolum in eo quòd dimittit atque orat, verumetiam in eo quòd corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat: quia miſericordiam præſtat.

Cor inopis ne affligeris, & non protrahas datum anguſtianti. Rogationem contribulati ne abijcias, & non auertas faciem tuam ab egeno. Quòd autem donum eleemoſynæ non ſit protrahendum ac differendum in aliud tempus, cum facultas adſit tribuendi, oſtendit Scriptura, dicens: *Ne dicas a-*Prou. 3. *mico tuo vade & reuertere, cum cito poſſis dare.* & alibi: *Qui de-*Prou. 14. *ſpicit* (inquit) *proximum ſuum, peccat: qui autem miſeretur pau-*2. Cor. 9. *peris, beatus erit.* & quomodo ſit eleemoſyna danda Apo-G ſtolus docet, dicens: *Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Magis ergo præſtat Deo, qui modicum deuota mente pauperi porrigit, quàm ille qui triſti corde multam pecuniam expenſam facit. Vnde Dominus oblationem viduæ pauperculæ, quæ duo ærea minuta in gazophylacium miſit, in Euangelio laudauit, dicens: *Hæc plus omnibus miſit.* quia non quantitatem Marc. 12. muneris ſupernus Iudex, ſed deuotionem penſat cordis.

CAPVT XV.

A*B inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Nullo modo propter iram exaſperandus eſt pauper, ſed blanda locutione placandus, quia ira viri iuſtitiam Dei non operatur, & qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, ipſe clamabit & non H exaudietur, cui enim eſt in ſubſtantia vnde dare poſſit, tribuat neceſſitatem patienti, quia munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam. Cui autem non eſt ſubſtantia, tamẽ ſermo reſponſionis porrigatur bonus; quia ſermo bonus ſuper datum optimum. Aliter quomodo charitatis habet affectum, qui deſpicit proximum egenum? Dicit enim manifeſte Ioannes Apoſtolus: *Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & vi-*1. Ioan. 3. *derit fratrem ſuum neceſſe habere, quomodo charitas Dei manet in eo?* Sic & Iacobus mortuam eſſe fidem ſine operibus miſericordiæ oſtendit, dicens: *Quid proderit, fratres mei,* Iac. 2. *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſaluare eum? Si autem frater aut ſoror*

Digitized by Google

A *nudi ſunt & indigent victu quotidiano: dicat autem aliquis de vobis illis, ite in pace, calefacimini & ſaturamini, non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? Sic & fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Quapropter neceſſe eſt, vt non tantum credamus atque diligamus verbo nec lingua, ſed opere & veritate.

Congregationi pauperum affabilem te facito, & Presbytero humilia animam tuam: & magnati humilia caput tuum. His ſententijs commendatur nobis manſuetudo & humilitas cordis, quia manſuetudo neminem ſpernit, humilitas nemini ſe præfert, ſed omnibus ſe ſubijcit. Decet enim Chriſtianum, vt æqualibus, ſeu inferioribus ſit affabilis & mitis, ſenioribus autem ſit ſubditus atque humilis, quia omnis exaltatio genus eſt ſuperbiæ. Quod
Pſal. 130 mirificè diſtinguit Pſalmiſta, dicens: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me, &c.*

Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitũ tuum, & reſponde illi pacificè in manſuetudine. Debitum eſt pau-
B petis cum manſuetudine conſolatio temporalis, qui autem hanc ei dare negligit, congruum debitum illi non impendit.

Libera eum qui iniuriam patitur de manu ſuperbi: & non acidè feras in anima tua. Igitur ſicut prius expenſionem opis in pauperes eleemoſynam eſſe oſtendit, ſic & nunc liberationem eius, qui iniquè opprimitur à ſuperbo, mi-
Prou. 24. ſericordiæ opus fieri declarat. Vnde in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad perditionem ne ceſſes liberare. Si dixeris: vires non ſuppetunt: qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit: & ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit.* Ideo & hic dicitur, *non acidè feras in anima tua*: hoc eſt tædioſè vel indignè: quia charitatis feruorem erga proximum ſe non habere oſtendit, qui eum ab hoſte eripere non contendit.

CAPVT XVI.

IN iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris velut filius altiſſimi obediens: & miſerebitur
C *tui magis quàm mater.* Ne aliquam ſpeciem omitteret eleemoſynarum, parentibus atque pauperibus iungit pupillos & viduas: vt etiam eorum curam habere non deſpiciamus, ſed opem condignam illis feramus. Sicut enim pupillo paternus impendendus eſt affectus: ita & viduæ viri ſui in ſolatij collatione imitandum eſt exemplum: atque hæc facientes filij altiſſimi in obediendo mandatis illius eſſe probabimur. Quia magis nobis miſerebitur in remuneratione præmij, quàm materna affectio vnquam fecerit in ſtudio nutrimenti.

CAPVT XVII.

SApientia filiis ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit exquirentes ſe: & præibit in via iuſtitiæ: & qui illam diligit, diligit vitam, & qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem eius. Sapientia diuina, paruum ſibi aptum laudat, ipſam ſapientiam Dei, quam non aliam quàm Chriſtum filium Dei
1. Cor. 1. intelligimus. De quo Apoſtolus ait: *Chriſtum dico Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Ipſa enim ſapientia filijs
D ſuis vitam inſpirat: quando diſcipulis ſuis & cæteris fidelibus, agnitionis ſuæ præbuit ſacramentum, & Euangelij reuelauit myſterium. Suſcipit perquirentes ſe, quia ſuſcipiet manſuetos Dominus, & præibit in viam
Ioan. 14. iuſtitiæ, qui ait: *Ego ſum via, veritas, & vita: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Vnde qui illum diligit, diligit vitam, quia ſeruando mandata illius, ad æternam perueniet vitam: & qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem eius. Sicut in Pro-
Prou. 8. uerbijs ſpondet, dicens: *Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* fores ſuas, & poſtes oſtij ſui, Scripturas ſanctas & earum Doctores nuncupat, ſine quibus ad vitam quam pollicetur non valemus ingredi, qui enim ad has fores vigilat, hoc eſt intenta mente meditando perſeuerat, magnitudinis ipſius ſuauitatem percipit.

Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: & quo introibit, E
benedicet Deus. Ille quippe verè tenet ſapientiam, qui Chriſti mandatis adhibet obedientiam, & quo ipſa intrauerit benedictio Dei, illuc ſimul comitatur. Sicq; eum, qui per eius fidem & dilectionem cœleſtis regni aditũ quærit, benedictione æterna ditabit. Vnde ipſe in Euangelio
ait: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Ioan. 10.

Qui ſeruiunt ei obſequentes erunt ſancto, & eos, qui diligunt illam, diligit Deus. Qui enim veraciter ſeruit Chriſto, & ſpem habet in illo, ſanctificat ſe ſicut & ille ſanctus eſt, quoniam faciendo iuſtitiam iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus
eſt. De quo Dominus in lege præcepit, dicens: *Sancti eſtote* Leuit. 11.
quoniam & ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter, & eos, qui diligunt illam, diligit Deus. 19. & 20. quoniam qui diligunt eum qui genuit, diligit eum qui natus eſt ex eo, quem vtique diligit pater, ſimul diligit & filius: ſicut in Euangelio ipſa veri-
tas oſtendit, dicens: *Qui diligit me, diligetur a patre meo, &* Ioan. 14.
ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Sed quia probatio dilectionis, exhibitio eſt operis: Sequitur.

F *Qui audit illam, iudicabit gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens. Si crediderit ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius: quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum.* Qui enim diligit Chriſtum, mandata eius ſeruat, & ille iudicat gentes,
ſicut ipſa veritas in Euangelio promiſit, dicens: *Cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper* Matt. 19.
ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et in Apo-
calypſi: *Ecce ſto,* inquit, *ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit* Apoc. 3.
vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Idcirco is qui intuebitur eam, hoc eſt totam intentionem animi ſui, & fidei virtutem in eam ponit, permanebit confidens, nec eum ſubuertere poterit tentatio præſentis vitæ, ſed erunt in confirmatione opera ipſius, & ad præmia æternæ hæreditatis remuneranda ſeruabuntur, pro cuius amore omnia fecit. Ita vt eorum accep-
tor dicat tunc cum Propheta: *Hæc requies mea in ſæculum* Pſal. 131.
G *ſæculi: hic habitabo, quoniam præelegi eam.*

Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, donec tentet illum in cogitationibus ſuis, & credat animæ illius: & firmabit illum, & iter adducet directum ad illum: & denudabit abſconſa ſua illi, & theſaurizabit ſuper illum ſcientiam & intellectum iuſtitiæ. Hac ſententia priora confirmabuntur, quoniam illum, quem ſapientia diuina introiens inhabitauerit, opera eius diriget: & præparabit illum in varijs tentationibus exercendo atque probando ad futuræ vitæ gaudia percipienda. *Timorem & metum & probationem inducet ſuper illum,* quoniam tribulatio patientiam operatur: patientia vero probationem: probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit. *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus electorum per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis.* Vnde dicit, *firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & denudabit abſconſa ſua illi, & theſaurizabit ſuper illum ſcientiam & intellectum iuſtitiæ.* quoniam vbi Spiritus
Sancti gratia donum infuderit charitatis, profecto abſconſa & abſtruſa myſteriorum illic patebunt, & theſaurus ſcientiæ atque intellectus ibi reuelabitur. H

Si autem oberrauerit, derelinquet illum, & tradet eum in manus inimici ſui. Ille à via veritatis aberrauerit, qui fidem, ſpem & charitatem perdiderit, quem ſapientia derelinquit, quoniam indignum ſua inhabitatione iudi-
cauit. Sicut per Prophetam ipſe Dominus ait: *Iuſtus* Abac. 2.
autem meus ex fide mea viuit: quòd ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ, & tradet eum in manus inimici ſui: cum eum ſua protectione exutum, in manus hoſtium ſuorum iuſto iudicio incidere permittit.

A

CAPVT XVIII.

F*Ili, conſerua tempus, & deuita à malo.* Superius laudans commendauit ſapientię donum, nunc oſtendit ipſius ſapientiæ factum, quia quicunque veraciter præcepta ſeruat ſapientiæ, cautus eſt in temporum mutatione, nec deſerit viam iuſtitiæ in tempore perſecutionis & anguſtiæ. Ideo exhortans filios ſuos ipſa docet ſapientia, vt conſeruent tempus, quia *tempus omni rei ſub cœlo: & tempus eſt belli, & tempus pacis*, quoniam quamdiu in hoc ſæculo ſumus, tempus eſt belli: & pro fide ac iuſtitia ſtandum, & pro ſalute animæ pugnandum. Vnde & omne malum, hoc eſt, vitium nobis eſt deuitãdum. Cum autem migrauerimus de hoc ſæculo, pacis tempus adueniet. In pace enim locus Dei, & ciuitas noſtra Hieruſalem de pace ſortita vocabulum eſt.

Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam. Hortatur milites Chriſti, vt cum tempus perſecutionis inſtiterit, non deterreantur pro Chriſti nomine animam ponere; neque confundantur voce & ore veræ fidei confeſſionem proferre, quia eſt confuſio adducens peccatũ,

B

Luc. 19. de qua ipſa veritas ait: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hũc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua, & patris, & ſanctorum Angelorum.* Eſt quidem & alia confuſio, quę adducit gloriam & gratiam. Cum quis pro peccatis ſuis cõpungitur, & pœnitentiam agit. De qua Dominus per

Ezech. 16 Ezechielem Prophetam ad Hieruſalem ait: *Suſcitabo tibi*

Ibid. *pactum ſempiternum, & recordaberis viarum tuarum, & confunderis.* Et paulò poſt: *Et ſcies,* inquit, *quia ego Dominus: vt recorderis & confundaris, & non ſit tibi vltra aperire os præ confuſione tua. Cum placatus fuero tibi in omnibus, quæ feciſti, ait Dominus Deus.*

Nec accipies faciem aduerſus faciem tuam, nec aduerſus animam tuam mendacium. Aduerſus perſecutores fidei & hæreticos ſemper eſt dimicandum atque reſiſtendum: nec errori eorum vnquam cedendum, aut conſentiendum. Vnde & ſubiungitur.

Non reuerearis proximum tuum in caſu ſuo, nec retineas verbum in tempore ſalutis. Hinc & Dominus in Euangelio ait:

Luc. 21. *Cum audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri.* Et item: *Quod*

Matt. 10. *dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

C

Non abſcondas ſapientiam tuam in decore eius. In lingua enim cognoſcitur ſapientia: & ſenſus & ſcientia & doctrina in verbis veritatis, & firmamentum in operibus iuſtitiæ. Nequaquam enim ſapientia coram his occultanda eſt, qui eam pia mẽte ſuſcipere & diſcere volunt, nec verbum prædicationis coram intentis auditoribus abſcondendum, quia vt in

Prou. 11. Prouerbijs ſcriptum eſt: *Qui abſcondit frumentum, maledicetur in populis: Benedictio autem ſuper caput vendentium*: hoc eſt, qui ſanctæ prædicationis apud ſe verba retinet, hic maledicitur in populis, quando in ſolius culpa ſilentij pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Ipſe eſt ſeruus piger & malus, qui pro retentione talenti, quod accepit, in exteriores tenebras miſſus eſt. Vendunt autem frumentum, qui verbum vitæ audientibus conferunt: à quibus pretium fidei & confeſſionis recipiant. Di-

D

Luc. 19. cente Domino: *Negotiamini dum venio*, quorum capiti benedictio ſuperuenit, dum ſingulis de tali negotio redeſitum Dominus dicit: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Et merito in talium lingua dicitur agnoſci ſapientia, & ſenſus & ſcientia, in quorum doctrina verba ſunt veritatis atq; in exempli firmamentum iuſtitiæ. Pro quibus videlicet omnibus æterna remuneratione coronantur.

Non contradicas veritati vllo modo: & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Multi ſunt, qui, cum à rectoribus ſuis pro male commiſſis arguuntur, aut hoc defendunt, quod iniquè geſſerunt: aut falsò denegant, quod in conſcientia ſua verum eſſe non ignorant. Ideo admonet, ne quis

E

præſumat contra veritatem contendere, & fallaciter excuſando ſemetipſum defendere, quoniam qui abſcondit ſcelera ſua, non corrigitur: qui autem cõfeſſus ea reliquerit, profecto ſanabitur. Vnde Pſalmiſta ab huiuſmodi malo ſe erui poſtulat à Domino, dicens: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verbum malum, ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.* Pſal. 104

Non confundaris confiteri peccata tua, & ne ſubijcias te omni homini pro peccato. Sicut hortatur ad confeſſionem peccati, ita prohibet à conſenſu operis nefandi. Quid eſt enim aliud non ſubijci homini pro peccato, niſi non conſentiendum illi, qui allicit aliquo modo ad peccãdum? Doctor enim veritatis, & operator iuſtitiæ ſemper auditorẽ ſuum ad meliora & perfectiora prouocat. Econtrario autem aſſertor mendacij & factor iniquitatis, conſentientes ſibi trahit ad foueam perditionis.

Noli reſiſtere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij. In iuſtitia agonizare pro anima tua: & vſq; ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Obediẽtia ergo maioribus ſemper adhibenda eſt, vbi præcepta eorum concordant regulæ veritatis atq; iuſtitiæ, quod & lex pari modo docet & Euangelium. Si autem poteſtas humana nos vult ad blaſphemandum compellere, vel ad opera iniquitatis pertrahere: nullo modo debemus conſentire, ſed pro recta fide atque vera religione, in quibus certa extat ſalus animæ, omni tempore decertare. Vnde F

ipſa veritas in Euangelio ait: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te. Bonum eſt tibi vnum oculum habentem in vitam ingredi, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Et ſi manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & proijce abs te. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem & claudũ, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Matth. 5. & 18. & Marc. 9. Et alibi diſcipulos ſuos ad certamina paſſionũ prouocans hortatur, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me, qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdat eam.* Luc. 9. quod autem dicitur: *Deus expugnabit pro te inimicos tuos*: oſtendit quod non humana virtute, ſed diuina ope aduerſarij vincuntur. Vnde ipſa veritas confeſſoribus ſuis ait: *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari, quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Luc. 21.

Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis. Velocẽ eſſe in lingua valde periculoſum eſt, quia mors & vita in manibus linguæ. *qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam, qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* Os enim lubricum operatur ruinas. G

Vnde Iacobus Apoſtolus docet, dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Iacob. 1. Et item: *Eſtote,* inquit, *factores verbi & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos.* Ibid. hinc & alibi ſcriptum eſt: *non eſt in ſermone regnum Dei, ſed in virtute. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* 1. Cor. 4. Inutilem autem fieri & remiſſum in operibus, valde ignominioſum eſt, propter quod dicit in Prouerbijs: *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt diſſipantis opera ſua, qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui ſectatur otium, replebitur egeſtate.* Prou. 18.

Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi. Leonem hic ponit pro feroce, quia non condecet Chriſti diſcipulum, eſſe furibundum neque crudelem. H *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Matth. 5. Poſſunt & in ipſa ſententia hæretici denotari, qui in domo Eccleſiæ per linguæ volubilitatem ſeducunt corda innocentium, & per inſolentiam morum conturbant manſuetudinem ſimplicium, quos etiam iuxta Apoſtolum oportet redargui, vt diſcant non blaſphemare.

Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Auaritiam vtique vetat, & miſericordiam commendat: vt non auarè aliena rapiamus, ſed noſtra miſericorditer largiamur. *Beatius eſt enim magis dare quam accipere.* Act. 20.

A
CAPVT XIX.

NOli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & ne dixeris, eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. Quàm ſtultum ſit ad terrenas poſſeſſiones auarè inhiare, & maximè ad iniuſta lucra animum vertere, mutabilitas rerum & authoritas diuinarum literarum oſtendit, quia ſicut nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium ita nec auferre quid poſſumus. Radix enim omnium malorum eſt auaritia. Vnde Dominus in Euangelio diuitem, qui de futura vſura & quæſtu plurimorum annorum ſuperfluè tractabat, redarguit, di-
Luc. 12. cens: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non
1. Tim. 6. eſt in Deum diues. Hinc & Paulus diſcipulum admonet, dicens: *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum: ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum:* benè agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, commu-
B nicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.

Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui: & ne dixeris, quomodo potui? aut quis me ſubijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. *Iuſtus Domi-*
Pſal. 61. *nus & iuſtitiam diligit, qui reddit vnicuique ſecundum opera*
Prou. 24. *ſua. pluit ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus pro-*
& Hie. 25. *cellarum pars calicis eorum. Ibunt impij in ſupplicium æternum:*
& Matt. 16. & *Iuſti autem in vitam æternam.*

Rom. 2. *Ne dixeris: peccaui, & quid accidit mihi triſte? al-*
Pſal. 144 *tiſſimus enim eſt patiens redditor.* Nihil ſtultius eſt quam
Pſal. 10. pietatem Dei ac patientiam in vſum conuertere peccatorum, qui ideò delinquentes expectat, vt ſe conuertant in melius, & agant pœnitentiam de peccatis ſuis. *quoniam miſericors & miſerator eſt Dominus, patiens & multum miſericors.* qui per Prophetam ait: *Nolo mortem peccatoris,*
Ezech. 18 *ſed vt conuertatur & viuat*, quia autem mentis eſt duræ, & indulgentiæ tempus diſſimulando tardat conuerti, theſaurizat ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Vnde & ſubditur.

Noli eſſe ſine metu, neque adijcias peccatum ſuper peccatum: & ne dicas, miſeratio Dei magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur, miſericordia enim & ira ab illo
C *citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* Nunquam enim hominis animus ſine metu Dei eſſe debet, quia iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Cuſtodit diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Vnde beatus homo ſemper pauidus eſt, & nunquam de miſericordia Dei deſperat, quia ſuauis eſt Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Beneplacitum eſt enim Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Hinc in lege ita præceptum eſt: *Ne auferas in loco pignoris inferiorem & ſuperiorem mo-*
Deut. 24. *lam.* Superior autem & inferior mola, eſt ſpes & timor. Spes verò ad alta ſubuehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola ſuperior & inferior ita ſibi neceſſario iunguntur, vt vna ſine altera inutiliter habeatur. In peccatoris vtique pectore inceſſanter debet ſpes & formido coniungi; quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam iuſtitiam timeat. Incaſſum iuſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidit.

D
CAPVT XX.

NOn tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempo-
Ioan. 12. *re vindictæ diſperdet te.* Vnde Dominus in Euangelio
Matth. 3. admonet, dicens: *Currite dum lumen habetis, ne for-*
& 4. *te tenebræ vos comprehendant.* Et item: *Pœnitentiam,*
Marc. 13. inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Et iterum: *Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat: ſero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne, cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Et
Luc. 21. rurſum: *Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni*

E *habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.*

Noli anxius eſſe in diuitijs iniuſtis: nihil enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ. Diuitiæ iniuſtæ ſunt, quæ iniquè acquiruntur, & auarè ſeruantur: ad quas animum Chriſtiani non oportet anxiè anhelare, cui promiſſum eſt regnum cœleſte, conturbat enim domum ſuam, qui ſectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet. Vnde ipſa cumulatio diuitiarum non valet in die iudicij de manu vindictæ eripere poſſeſſorem ſuum: quæ hic antè miſericorditer egenibus expenſa non fuerat. Ideo ſaluator nos præmonuit,
dicens: *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lu-* Matt. 16.
cretur, anima verò ſua detrimentum patiatur? Aut quam Marc. 8.
dabit homo commutationem pro anima ſua? filius enim hominis Luc. 9.
venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.

Non ventiles te in omnem ventum; & non eas in omnem viam, ſic enim peccator probatur in duplici lingua. In-
ſtabilitatem vituperat, quæ propriè ſtultorum eſt, ſic- F
ut ſcriptum eſt: *ſtultus vt luna mutatur, & vir duplex a-* Eccle. 27.
nimo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. In omnem ventum ſe ventilat, & in omnem viam vadit, qui luxum ſæculi ſequi, & timorem Domini ſeruare ſe pariter poſſe æſtimat, & mundo ac Chriſto æqualiter militare. Qui enim huiuſcemodi loquendo aut operando illuſione fallitur, peccator nimirum eſſe probatur. Aliter, præmonet nos Sapientia diuina, ne hæreticorum vanitatem atque errorum deuia ſequamur. Quia duplicitas doctrinæ eorum, in qua aliquando vera, aliquando quoque falſa proferunt, noxios illos eſſe comprobat. Sed quid nobis ſeruandum ſit, ſequens ſententia demonſtrat.

Eſto firmus in via Dei, & in veritate ſenſus tui & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis & iuſtitiæ. Firmus in via Dei eſt, qui regulam Catholicæ fidei ritè credendo ſeruat, & doctrinam Euangelicam rectè viuendo ac bene operando ſequitur. Hunc proſequetur verbum pacis & iuſtitiæ: quando in meritorum retributione illi confertur præmium æternæ glo-
riæ, dicente Domino: *Euge ſerue bone & fidelis, quia* G
ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gau- Matt. 25.
dium Domini tui.

Eſto manſuetus ad audiendum verbum, vt intelligas: & cum ſapientia proferas reſponſum verum. Bonorum ergo conſuetudo ſemper eſt, cum manſuetudine audire & ſuſcipere verbum veritatis, & temperatè ac prudenter verbum proferre. Vnde Iacobus Apoſtolus ad-
monet, dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audien-* Iacob. 1.
dum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Et
paulò poſt: *In manſuetudine*, inquit, *ſuſcipite verbum inſi-* Ibid.
tum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. Et econtrario inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt, & homines peſtilentes diſſipant ciuitatem. Ideo & in Prouerbijs alibi ſcriptum eſt: *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? ſtul-*
titia ſperanda eſt magis quam illius correctio. Vnde adhuc ſub- Prou. 29.
iungit, dicens:

Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato & confundaris. Sicut ille peccat, qui habet eruditionem doctrinæ, & non vult proximo docendo prodeſſe. Ita ille non medioci-
ter delinquit, qui non habet ſcientiam ſcripturarum, & H
tamen vult magiſter eſſe aliorum. Quamobrem mandat illi, qui non ſufficit alios docere, linguæ cuſtodiã habere, & ore verbum indiſcretum non proferre: quia in confuſionem perpetuam cadit, qui præcauere erroris laqueum non contendit.

Honor enim & gloria in ſermone ſenſati: lingua verò imprudentis ſubuerſio eſt ipſius. Honor videlicet immortalitatis, & gloria æternæ beatitudinis ſuccedunt ſapienti: quæ promeretur Catholicus Doctor in verbo diſcretus, nec non & ſubuerſio æterni interitus ſequetur imprudentem, quem non effugiet hæreticus vaniloquus.

Non appelleris ſuſurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Suſurronem appellat detractorem, cuius

contuno

A confuſio vera eſt, quia damnatio certa. Vnde in Eccleſia-
Eccle.10. ſte ſcriptum eſt; *Sicut mordet ſerpens in ſilentio, ſic qui occultè*
Prou.13. *detrahit fratri ſuo.* Et alibi: *Qui detrahit*, inquit, *alicui rei, in*
futurum ſe obligat. Aliter, poſſumus in ſuſurronibus hære-
ticos intelligere: qui occultè conſtruunt dolos, & ponũt
inſidias, vt incautos quoſq; decipiant. Sed *qui fodit fove-*
am, incidit in illam: & in inſidiis ſuis capientur iniqui.

Super furem enim eſt confuſio, & pœnitentia, & denotatio peſ-
ſima ſuper bilinguem. Fures eoſdem appellat hæreticos, qui
ad furis ſimilitudinem obſcuritatem amant tenebrarum
& latenter laqueos errorum ponunt, vt ſpolia virtutum
ac rectæ fidei ab ignauis & deſidioſis auferant. Hinc ipſa
Ioan. 10. veritas in Euangelio ait: *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt*
& latrones. & fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat.
Iidem dicuntur & bilingues, quia bifaria loquuntur, hoc
eſt aliquando vera, aliquando falſa, ſed eorum denotatio
eſt peſſima, quia confuſio ſempiterna.

Suſurratoris autem odium, & inimicitia & contumelia. Re-
ctè inimicitia & odium & contumelia ſuſurratoribus ad-
iunguntur: quia fraus illorum ac nequitia facit illos Deo
B & hominibus deteſtabiles. Vnde per Paulum dicitur: *Su-*
Rom.1. *ſurrones & detractores Deo odibiles.* Et Pſalmiſta: *Detrahentem,*
Pſal.100 inquit, *aduerſus proximum ſuum occultè, hunc perſequebar.* De
Prou.24. quo & in Prouerbijs legitur: *abominatio hominum detractor.*
Ibid. 14. & item: *In ore ſtulti virga contumeliæ.*

Iuſtifica puſillum, & magnum ſimiliter. Iudicij docet æqui-
tatem, ne forte perſonarum acceptor fias, & per odium a-
licuius ſeu adulationem à via veritatis declines. Vnde in
Deut.1. lege ſcriptum eſt: *Non accipias perſonam in iudicio. Iuſte quod*
Leuit.19. *iuſtum eſt perſequaris.*

Exod.23. *Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim &*
contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bi-
linguis. Hac ſententia oſtendit nobis ius veræ charitatis,
quia qui verè amicus eſt, non poteſt ad inimicitiam re-
uerti: *quoniam charitas non agit perperam, non cogitat malum,*
Cap.6. *non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati.* Vnde
in ſequentibus dicitur: *Amicus fidelis medicamentum vitæ &*
immortalitatis: at contra hæretici qui ab vnitate fidei & ſo-
cietate charitatis diſcedunt, non permanent in amicitia
vera, ſed ex amicis in inimicos conuertuntur. Vnde Ioan-
1. Ioan.2. nes de ipſis ait: *A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi*
C *fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtiq; nobiſcum.* Sed vt manifeſti
ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis, iſti improperiũ
& contumeliam prauæ doctrinæ ſequacibus ſuis relin-
quunt, & omnis peccator eſt inuidus & bilinguis, quia
omnis hæreticus odit veritatem, & ſeminat falſitatem.

Non te extollat in cogitatione animæ tua velut taurus, ne forte
allidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fru-
ctus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.
Vetat iactantiam ac deteſtatur ſuperbiam, quia initium
omnis peccati ſuperbia eſt, & omnis arrogantia abomi-
natio eſt apud Deum, & ne ſufficere nobis credamus, ſi
extollentiam vitemus in actu, dicit: *non te extollas in cogita-*
tione anima velut taurus. Deus enim inſpector eſt cordis, &
non ſecundum faciem, ſed ſecundum veritatem vnum-
quemque dijudicat, quem nemo poteſt per hypocriſin
fallere, quia omnia nuda ſunt & aperta oculis eius, qui ſi
in internis animæ ceruicatam ac tumidam cogitationem
D conſpexerit, non ei placebit ſed allidetur virtus ipſius ſu-
perbi per ſtultitiam elationis, & folia verborum eius ſunt
vacua, & fructus operum inutiles, & velut lignum aridũ
non habens viriditatem dilectionis, inter ſteriles iniquo-
rum actiones deputatur. Vnde in pſalmo ſcriptum eſt:
Pſal.52. *Quoniam Deus diſſipat oſſa hominum ſibi placentium: confuſi ſunt,*
1.Pet.5. *quoniam Deus ſpreuit eos.* De quo & Petrus Apoſtolus ait:
Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Hinc &
Luc.14. ipſa veritas in Euangelio ait: *Omnis qui ſe exaltat humiliabi-*
& 18. *tur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Anima enim nequam diſperdet qui ſe habet: & in gaudium
inimicis dat illum, & deducit in ſortem impiorum. Sicut bo-
næ voluntati fructus bonorum ſuccedit operum: Ita
malitioſæ menti nihil prouenient proſperum, quia ſi di-
lectio non adhæret pectori, fruſtra quis fingit ſe operam
Iacob.2. dare virtuti. Vnde ſcriptum eſt: *Qui in vno offendit, factus*
Matt.13. *eſt omnium reus.* Et alibi: *Omni habenti dabitur: ei autem*
qui non habet, & hoc quod videtur habere, auferetur ab eo. In
E gaudium ergo inimicorum (hoc eſt malignorum ſpiri-
tuum) incidit, qui rectè credendo ac benè operando
præcauere non ſtudet, ne in ſortem veniat impiorum. Marc.4. Luc.8.
Verum quia de conuerſione diſputans pleniter oſtendit,
quæ ſit vera conuerſio, hoc eſt morum atque ſermonum
correctio: & ne iteret priſtinam ſtultitiam, ne veniat in
gaudium inimicorum, & in damnationem impiorum.
Libro primo hic finito, quid de amicitia vera & cautela
ſapientia doceat, in alterius libri pandamus exordio.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

VErbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: F
& lingua eucharis in bono homine abundat. Hinc
& in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Labia iuſti erudiunt pluri-* Prou.10.
mos, & in labiis ſapientis inuenitur ſapientia. Et item:
Sermo durus ſuſcitat rixas, & ſermo lenis mitigat ſuſcitatas. Ibid.15.
multiplicat ergo Eccleſiaſticus vir, in quo lingua eucha-
ris, hoc eſt bonæ gratiæ, abundat fidelium turbam do-
cendo: & perſecutorum furorem perſpicua ratione veri-
tatis ſæpè manſueſcere facit.

Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus de
mille. Cum omnibus ergo hominibus quantum poſſi-
bilitas ſinit, pax eſt tenenda; ſed non cum multis
conſilium ineundum. Quia ſcriptum eſt: *Multi ho-*
mines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis in- Prou.20.
ueniet? Et alibi: *Inimicus cum in corde tractauerit dolos,* Ibid.26.
quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam
ſeptem nequitia ſunt in corde illius. Et Eccleſiaſtes: *Vi-* Eccl.7.
rum, inquit, *de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus*
non inueni. Sunt enim quidam qui deuotionem ha-
bent bonæ voluntatis, ſed non mentis prudenti-
am. Alij autem prudentes ſunt corde, ſed per-
uerſi voluntate. Vbi autem deuotio fidei & ſenſus G
intelligentiæ pariter inueniuntur, ibi conſilium vtile
opportunè quæritur.

CAPVT II.

SI poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & ne fa-
cilè credas ei teipſum, eſt enim amicus ſecundum tempus
ſuum, & non permanebit in die tribulationis: & eſt ami-
cus qui conuertitur ad inimicitiam: & eſt amicus qui odium,
& rixam, & conuitia denudabit, eſt autem amicus ſocius
menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. Amicus ſi
permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis: & in domeſticis
tuis fiducialiter aget. Per diuerſas ſpecies falſos amicos
exprimens, tandem ad veri amici peruenit demonſtra-
tionem, quia multi amicos ſe eſſe profitentur in proſpe-
ris, & in aduerſis ſe manifeſtant fieri inimicos. Vnde
ſubiungitur. H

Si humiliauerit ſe contra te, à facie tua abſcondet ſe.
Fingit enim ſe facie tenus eſſe deuotum, ſed in neceſ-
ſitatis euentu probabit ſe corde eſſe alienum. Ideo
dicitur: *abſcondet ſe*, hoc eſt fingit ſe eſſe quod
non eſt.

Vnanimem habebis amicitiam bonam, ab inimicis tuis ſe-
parare, & ab amicis tuis attende. Vbi vnanimitas eſt
inter amicos, ibi ſtabilitas eſt amicitiæ: vbi autem fi-
ctio & non veritas, ibi nequaquam eſt amicitiæ firmi-
tas. Vnde admonet vt ab inimicis, vbi patent inimici-
tiæ, penitus ſe ſeparet, & cautelam habeat in amico-
rum diſcretione. Notandum autem quòd hæc diſcre-
tionis obſeruantia maximè neceſſaria eſt inter Catholi-
cos & hæreticos: quia hæretici omnem machinationem
ſuam per hypocriſin agunt, quatenus incautos quoſque
facilius decipiant. Vnde Saluator in Euãgelio præmonet,

dicens:

Digitized by Google

A

Matt. 7. dicens: *Attendite autem vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, &c. Hinc & Apoſtolus ad diſcipulum ſcribens, ait:

1. Tim. 6. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et ad Romanos:

Rom. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis: huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio: & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Quid eſt enim amicus, niſi conſors amoris, ad quem animum tuum adiungas atque applices: & ita miſceas, vt vnum velis fieri ex duobus. Cui te tanquam alterum tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipſe commodi tui cauſa inhoneſtum petas. Non enim vectigalis amicitia eſt, ſed plena decoris, plena gratia virtutis. Quid amicitia pretioſius? quæ Angelis communis & hominibus eſt.

B

Vnde Dominus dicit:

Luc. 16. *Facite vobis amicos de iniquo mammona.* Ipſe Dominus noſter amicos ex ſeruis fecit. Sicut ait ſecundum Ioannem:

Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Dedit formam amicitiæ, quam ſequamur: Vt faciamus amici voluntatem, vt aperiamus ſecreta noſtra amico, quæcunque in pectore habemus, & illius arcana non ignoremus. Oſtendamus illi pectus noſtrum, & ille nobis aperiat ſuum. *Ideo*, inquit, *vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Nihil ergo occultat amicus, ſi verus eſt: ſed effundit animum ſuum ſicut effundebat myſteria patris Dominus Ieſus. Qui enim ſeruat amicitiam, Dei amicus eſt, hoc honoratus nomine, qui eſt vnanimis, nec quiſquam enim deteſtabilior eſt, quam qui amicitiam læſerit. Vnde in proditore Dominus hoc grauiſſimum genus ſcandali inuenit, quo eius condemnaret perfidiam. Quòd gratiæ vicem non repreſentauerit: & conuiuiis amicitiæ, venenum malitiæ miſcuerit.

Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inuenient illum. Amicus dicitur quaſi animi cuſtos. In amico quippe fideli medicamentum eſt vitæ & immortalitatis: quia ſi fidelis eſt, ſecundum Deum

C

vtique amicus eſt: ſi autem ſecundum Deum amicus eſt, ea ſemper cum amico tractat, quæ ad medicamentum vitæ æternæ & immortalitatem perpetuam pertinent. Vnde eſt illa Tullij Ciceronis ſententia:

Cicero de Amicitia. *Amicitiam niſi inter bonos eſſe non poſſe. Eſt enim boni viri (quem eundem ſapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia, primum ne quid fictum ſit, neue ſimulatum.* Apertè enim vel odiſſe magis ingenui eſt, quam fronte occultare ſententiam, deinde non ſolum ab aliquo allatas criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum, accedat huc ſuauitas quædam oportet ſermonum, atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem & in omni re ſeueritas habet illa quidem grauitatem, ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem facilitatem procliuior.

Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundum illum erit amicus illius. Plenam ergo atque perfectam amicitię gratiam niſi inter perfectos viros eiuſdemque virtutis perſeuerare non poſſe ſancti Patres docuerunt.

D

Vnde quomodo ad perfectionem illius & inuiolabilem ſtatum perueniri poſſit, quaſi gradus quoſdam ſtatuerunt. Primum igitur gradum veræ amicitiæ in contemptu ſubſtantiæ mundialis, & omniũ, quas habemus, rerum deſpectione eſſe dixerunt. Secundum, vt ita ſuas vnuſquiſque reſecet voluntates, ne ſe ſapiẽntem atque conſultum eſſe iudicans, ſuis malit quam proximi diffinitionibus obedire. Tertium eſt, vt ſciat omnia etiam quæ vtilia ac neceſſaria æſtimat, poſtponenda bono charitatis & pacis. Quartum, vt credat nec iuſtis nec iniuſtis

E

de cauſis penitus iraſcendum. Quintum, vt aduerſum ſe iracundiam fratris, etiam ſine ratione conceptam, eodẽ modo quo ſuam curare deſideret, ſciens æqualiter ſibi pernitioſam alterius eſſe triſtitiam, ac ſi aduerſus alium ipſe moueatur, niſi eam, quantum in ſe eſt, etiam de fratris mente depulerit. Poſtremum illud eſt, quod generale vitiorum omnium peremptorium eſſe non dubium eſt: vt ſe de hoc mundo credat quotidie migraturum, quæ perſuaſio non ſolum nullam in corde triſtitiam reſidere permittit, verum etiam vniuerſos concupiſcentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicunque tenuerit, amaritudinem iræ atq; diſcordiæ nec pati poterit nec inferre.

CAPVT III.

F*ili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam.* Hinc & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *fili mi, ſi intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit: conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te: vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruerſa loquitur.* Prou. 2.

Quicunque ergo in iuuentute ſtudet ſanæ doctrinæ aurem adhibere obedientiæ, in ſenectute dulciſſimos fructus metet ſapientiæ.

F

Quaſi is qui arat & ſeminat, accede ad illam, & ſuſtine bonos fructus illius. in opere enim ipſius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus ipſius. Vomere quippe Euangelij de corde ſuo genimina vitiorum debet extirpare, qui ſemen diuini verbi edere, & fructus dulciſſimos ſacrarum virtutum deſiderat metere. Quod autem dicit: *ſuſtine bonos fructus illius*: oſtendit quia patientia probatio eſt virtutum. Sicut ipſa veritas in Euangelio teſtatur, dicens: *Qui autem verbum retinet in corde bono & optimo, fructum affert in patientia.* Luc. 8.

In opere (inquit) *ipſius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus ipſius. Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nam tribulatio præſentis temporis immenſum gloriæ pondus in futuro operabitur in nobis. Quoniam *oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.*

Quàm aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors, quaſi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam. Imprudentibus ſemper & ſtultis abominabilis eſt meditatio ſapientiæ, & deteſtantur eos qui ſe arguunt; quia neſciunt vtilitatem diſciplinæ.

G

Vnde ſcriptum eſt in Prouerbijs: *Stultus irridet patris ſui diſciplinam.* Et item: *Argue ſapientem, & diliget te: Increpa ſtultum, & odio te habebit.* Et rurſum: *Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur.* Prou. 15. Ibid. 9 Ibid. 15.

auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur, qui abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: duram enim æſtimant eſſe diſciplinam, ideoque moliuntur à ſe abijcere illam. Sed licet hæc ſententia generaliter ad omnes inſipientes pertineat, tamen præcipuè denotat hæreticos, qui per duritiam mentis ſuæ non recipiunt correptionem, nec ſuſtinent ab errore ſuo diuelli, atque in viam veritatis dirigi, hi quamuis aſſiduè ſcripturas legant, tamen earum vim nequaquam intelligunt. Vnde ſcriptum eſt: *Quærit deriſor ſapientiam, & non inueniet.* Ibid.

In perceptoribus autem ſuis probatio erit illius, quaſi lapidis virtus, hoc eſt ſoliditas ſenſus: cui nullus terrenarum opum comparari poteſt theſaurus: quia veræ ſapientiæ ſuper omnia excellit ſtatus.

H

Quod Pſalmiſta veraciter intelligens ita ait: *Iudicia Dei vera iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum.* Pſal. 18.

De quo & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Melior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Prou. 8.

Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomen eius eſt: & non multis eſt manifeſta: quibus autem cognita eſt, permanet vſq; ad conſpectum Dei. Sapientia doctrinæ, ſinceritas eſt legis diuinę; quæ ſecundum nomen eius eſt, hoc eſt, prudentia & ve

A ritas & virtus: Quia *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, & omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt, hinc & in Prou. 10. Prouerbijs legitur: *Sapientia eſt viro prudentia, quæ tamen non eſt multis manifeſta, quia ſolis amatoribus ſuis in via ſe oſtendit hilariter*. Qui autem contemnunt illam, erunt ignobiles. Quibus autem agnita eſt, hoc eſt, qui eam recta fide ac bonis operibus ſeruant, perducit illos ad contemplationem gloriæ Dei. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Audi fili & accipe conſilium intellectus, & ne abiicias conſilium meum. Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques eius tuum collum, ſubiice humerum tuum & porta illam & ne acedieris à vinculis eius.* Docet ſapientia quemadmodum ſubiici oporteat legi diuinæ: quia qui illi conſentit, ſemetipſum in æternum conſeruabit. Inijcit ergo pedem ſuum in compedes illius, qui progreſſum vitæ ſuę munit præceptis illius. Indit collum ſuum in torquem eius, qui temperat ſermones ſuos ſecundũ regulam ipſius. Subijcit illi humerum ſuum ad portandum, qui actus ſuos ſubdit magiſterio illius, & implet opere quod iubet, & ne quis tædioſè & grauiter eius doctrinam accipiat, ſubiungit, dicens: *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni* B *virtute tua conſerua vias eius. Inueſtiga illam, & manifeſtabitur tibi: & continens factus ne derelinqueris eam: in nouiſſimis enim inuenies requiem in ea: & conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis, & baſes virtutum, & torques illius in ſtolam gloriæ.* Corde enim magis accedendum eſt ad ſapientiam, quam corpore: quia ſpiritalis lux animo inſpicienda eſt, non carne: ſed tamen ſenſus corporis regendi ſunt mentis ratione. Vnde nos docet Apoſtolus, dicens: Gal. 5. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*, &c. Qui enim animo deuoto meditatur & agnoſcere certat Dei ſapientiam, quæ eſt Chriſtus: ſeruare ſtudet mandata eius, & corporis luxum pro continentia reſtringere, ne diffluat in voluptatibus præſentis vitæ, ſed magis viuat ſub regula cœleſtis diſciplinæ: hic nimirum in nouiſſimis ſuis inueniet requiem. Quando carne ſolutus pro præſenti labore præmia percipiet æternæ gloriæ. Vnde ſequitur. *Decor enim vitæ eſt in illa: & vincula illius nectura ſalutaris. Stolam gloriæ indues eam: & coronam gratulationis ſuperpones tibi.* Sapientiæ enim certa notitia facit hominem proximum Deo: & vitæ perpetuæ poſſeſſorẽ, C nec aliter quiſquam ad immortalitatis ſtolam & gloriæ coronam peruenire poterit: niſi per veram agnitionem ſapientiæ: quia ſola eſt in cœleſti regno ſanctorum beatitudo contemplatio vultus Dei & perceptio veritatis. Ioan. 17. Vnde ipſa veritas in Euangelio ad patrem ait: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ibid. Et item: *Pater*, inquit, *quos dediſti mihi &c. quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.*

CAPVT IV.

Fili, ſi attenderis mihi, diſces: & ſi accommodaueris animam tuam, ſapiens eris: Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. Admonet ſapientia virum Eccleſiaſticum (quem nomine filij nuncupat) vt meditationi diuinæ legis ex omni parte ſe applicet, & primum hortatur vt diſcat: deinde vt animam ad hoc accommodet: poſtea vt aurem cordis inclinet: tunc vt diligentiam audiendi adhibeat: ſicque ſapientem eum ſpondet eſſe futurum; quia neceſſe eſt, vt qui veræ ſapientiæ (quæ eſt Chriſtus) perfectam agnitionem percipere deſi- D derat, primùm magiſtrorum Catholicorum ſe humiliter ſubdat doctrinis, ſicque omnes affectus animæ ſuæ eorum ſubijciat diſciplinis: Dehinc vt intentionem cordis ab omni deſiderio prauo auertens, ad audiendum verbum Dei diligenter adhibeat: ſicque caueat, vt ipſam meditationem legis Dei non propter ambitionem terrenarum rerum, vel laudis humanæ, ſed ſolummodo propter ipſius boni appetitum, totum ſtudium impendat; ſicque veraciter ipſius veræ ſapientiæ ille percipiet fructum: & ne quis proprio fidens ingenio, abſque magiſtrorum traditione Scripturam ſacram tentet ſcrutari, ſubiungit dicens. *In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narratio-* E *nem Dei poſſis audire: & prouerbia laudis non effugiant à te. Et ſi videris ſenſatum, euigila ad illum: & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Quàm periculoſum ſit propriæ ſcientiæ inniti, & orthodoxorum Doctorum traditiones deſpicere, multiplices hæreticorum indicant caſus: quos ſuperbiæ ſuæ faſtus maximè ſupplantauit, eò quòd ſuas ſectas doctrinis ſanctorum Patrum præferebant. Vnde in Prouerbijs ſapientia hos reprehendit, dicens: Prou. 2. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ peruerſæ, & infames greſſus eorum.* Quid verò agendum ſit, ipſa magiſtra fidelium pòſt aliquantò oſtendit, dicens: Ibid. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo: & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Ne ſis ſapiens apud temetipſum:* Time Dominum & recede à malo. *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime aſſiduus eſto: & ipſe dabit cor tibi, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.* Meritò illi dabitur cordis purus intellectus, & ſapientiæ diuinæ amor ſaluberrimus: qui cogitationes ſuas temperat ſecundum præcepta altiſſimi, & ea meditatur aſſiduè, quæ legis Dei concordant doctrinæ: ipſaque opere ſtudet implere, quæ nouit ſuo conditori omni F modo placere.

CAPVT V.

Noli facere mala, & non te apprehendent. Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Dupliciter hæc ſententia intelligi poteſt: hoc eſt, & generaliter prohibere omnium peccatorum actionem, pro qua pœna ſoluetur perpetua: & ſpecialiter hæreticorum pernitioſam ſocietatem, quæ (ſcriptura teſte) reliquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt. Quamobrem inclinata eſt ad mortem domus eius: & ad inferos ſemita ipſius: omneſque qui ingrediuntur ad eam non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ. Vnde nunc admonet vt diſcedas ab iniquo, & deficient mala abs te. Nemo ergo cum illa cohabitans, à ſorde erroris immunis eſſe poteſt. Vnde Paulus diſcipulum docet, poſt ſecundam & tertiam increpationem hæreticum hominem deuitandum: quia huiuſmo- Tit. 3. di peruerſus eſt. De quo ſubſequens ſententia adhuc nos inſtruit, ſubiungens: *Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.* Seminat ergo mala in ſulcis iniu- G ſtitiæ, qui in labore peruerſæ doctrinæ operando exempla inſerit nequitiæ, quorum fructus metet in ſeptuplũ, quando in fine præſentis vitæ perfectam vltionem ſuſcipiet in igne gehennæ. Septenarius enim numerus in ſcripturis, aliquando in bono, aliquando in malo plenitudinem rei ſignificat. Vnde & per Eſaiam, plenitudo diui- Eſa. 11. norum chariſmatum in flore radicis Ieſſe ſeptemplici ſpiritu requieſcere deſcribitur. Et in Euangelio ipſe Do- Luc. 11. minus dicit, malignum ſpiritum in domum vacantem ſeptem ſpiritus nequiores ſe ſecum introducere; ex quo fiant nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Et ne quis præſumptuoſè appetat honorem Eccleſiaſticæ dignitatis, quaſi dignum ſe æſtimans ordine magiſteriali, protinus ſubiungit. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris.* Ambitio enim prælationis nequaquam ſeruat tenorem veræ humilitatis: vnde nec opus poteſt exercere iuſti regiminis: quia ſemitam habere neglexit veræ pietatis, hinc eſt quòd ipſa veritas in Euange- Luc. 22. lio, elationem carnalem diſcipulorum ſuorum de primatu contendentium edicto ſalubri compreſſit, dicens: H *Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Vnde & Iacobus ait: Iacob. 3. *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis.* De quo & paſtor Eccleſiæ docet, dicens: 1. Petr. 5. & Iac. 4. *Omnes autem inuicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Digitized by Google

A

CAPVT VI.

N*On te iuſtifices ante Dominum: melius eſt humiliari quàm extolli. Quoniam agnitor cordis ipſe eſt: & penes regem noli velle videri ſapiens.* Nulla præſumptio pernicioſior eſt, quàm de propria iuſtitia aut ſcientia quenquam confidere, dicente ſcriptura: *Non eſt homo ſuper terram qui faciat bonum, & non peccet.* Et iterum: *Aſtra*, inquit, *non ſunt munda in conſpectu Dei: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* & in Prouerbijs: *Quis poteſt*, inquit, *dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Et rurſum: *Vidiſti*, ait, *hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit ſtultus.* Et in Euangelio Dominus: *Omnis*, inquit, *qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hinc & Pſalmiſta ait: *Quoniam Deus diſſipat oſſa hominum ſibi placentium: confuſi ſunt, quia Deus ſpreuit eos.* Igitur penes regem Chriſtum nulli licet ſe ſapientem æſtimare: quia omnis arrogantia abominatio eſt apud Deum. Vnde Paulus hortatur, dicens: *Noli altum ſapere, ſed time.* Et iterum: *Dico*, inquit, *per gratiam Dei, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos, non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.*

Pſal. 13. Iob 15. & 25. Prou. 20. Cap. 26. Luc. 14. & 18. Pſal. 52. Rom. 11. Rom. 12.

B

Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua. Proprias vnumquemque oportet vires perpendere, & ſic alieni iuris pro quantitate virium curam accipere. Qui ergo adhuc per mollitiem animi terrenis deſiderijs occupatur, cauendum illi eſt, ne diſtricti iram iudicis grauius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat ſubditis author ruinæ. Solerter ergo ſe quiſq; metiatur, ne locum regiminis aſſumere audeat, ſi quod in ſe adhuc vitium regnat: ne is qui per crimen deprauatur proprium, iudex fieri appetat culparum alienarum. Ille igitur modis omnibus ad exemplum debet viuendi pertrahi: qui cunctis carnis paſſionibus moriens iam ſpiritaliter viuit, qui proſpera mundi poſtponit: qui nulla aduerſa pertimeſcit: qui ſola interna deſiderat: cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumeliam, repugnat: qui ad aliena cupienda non deducitur, ſed propria largitur: qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcendum flectitur, ſed nunquam plus quàm decet ignoſcēs ab arce rectitudinis inclinatur: qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab alijs, vt propria deplorat: qui ex affectu cordis, alienæ infirmitati compatitur: ſicque in bonis proximi, ſicut in ſuis profectibus lætatur: qui ita ſe imitabilem cæteris in cunctis quæ agit inſinuat, vt inter eos non habeat, quod ſaltem de tranſactis erubeſcat: qui ſic ſtudet viuere, vt proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare: qui orationis vſu & experimento iam didicit, quod obtinere à Domino, quæ popoſcerit, poſſit.

C

Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum. Hoc vetat, ne is qui ratione pollet, & liberi arbitrij poteſtate præualet, ſubditorum inſolentia prouocetur ad peccandum; ſed conſtantiæ robore reſiſtat alienæ nequitiæ: nec ſe putet impunè peccare in eo, quòd plurimorum voluntati elegit conſenſum præbere. Vnde ſequitur.

Neque alliges duplicia peccata: nec enim in vno eris immunis. Duplicia peccata ille alligat, qui non ſolum ſemetipſum à peccatis non cohibet, ſed etiam aliis ad peccandum conſentiendo fauet: cui in vno reatu ſatis eſſet, etiam ſi in altero ſe non implicaret. Quapropter Apoſtolus præuaricatores legis Dei redarguit, dicens: *Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

D

Rom. 1.

Noli eſſe puſillanimis in anima tua: exorare, & facere eleemoſynam ne deſpicias. Puſillanimitas ideo fugienda eſt, quia ſæpe per illam triſtitia ſæculi, quæ mortem operatur, naſcitur. At contra conſtantes animo fortiter per patientiā ſufferunt laborem, quia omnem præſentis vitæ contemnunt dolorem. Vnde in Prouerbiis ſcriptum eſt: *nō contriſtabit iuſtum quicquid acciderit ei.* Ideo & Iacobus Apoſtolus triſtitiam ſuſtinentes ad orationis confugere auxiliū hortatur, dicens: *Triſtatur aliquis veſtrum? oret, æquo animo eſt? pſallat.* Similiter & Paſtor Eccleſiæ æquanimitatem & beneficentiam commendat, ita in epiſtola ſua ſcribens: *Chariſſimi, nolite mirari in feruore qui ad tentationem vobis fit, quaſi aliquid noui vobis contingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete: vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam gloria Dei ſpiritus in vobis requieſcit. Nemo enim veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autē Deum in iſto nomine, quoniam tempus eſt, vt incipiat iudicium de domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio? & ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? itaque & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendant animas ſuas in benefactis:* Sed tunc ipſa beneficentia acceptabilis erit Deo, ſi humilitatis viam non deſerit, neque in elationem mentis declinauerit; de quo & ſubditur.

Prou. 12.

E

Cap. 5.

1. Pet. 4.

Ne dicas, in multitudine munerum meorum reſpiciet Deus, & offerente me Deo altiſſimo ſuſcipiet munera mea. Quid enim benefacientem ſeruum de ſuis factis ſentire oporteat, ipſe Dominus in Euangelio data parabola de ſeruo ab agro regreſſo, & Domini ſui in miniſtrando domi iuſſa explenti, nouiſſimè ita concludens oſtendit, dicens: *Nunquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ſibi imperauerat? non puto: ſic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quanto enim homo ſua benefacta per iactantiam extollit, tanto minoris meriti apud Deum fiunt. Ideò neceſſe eſt vt bono operi ſtudium impendamus. Sed tamen ante omnia humilitatem in corde ſeruemus, & per charitatem proximis noſtris concordes & compatientes ſimus. De quo & ſubditur.

F

Luc. 17.

Non irrideas hominem in amaritudine animæ: eſt enim qui humiliat & exaltat circumſpector Deus. Hinc & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam.* Econtrario verò Paulus, quid gerendum ſit, ſalubriter inſtruit, dicens: *Gaudete cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipſum inuicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.*

Prou. 24. Rom. 12.

G

CAPVT VII.

N*Oli amare mendacium aduerſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias.* Si nullum mendacium laudabile eſt, & cuiquam ſcandalum inferre pernicioſum; quanto magis contra amicum aliquid per fraudem moliri vituperabile eſt? & non leuis noxæ, falſum crimen fratri imponere: quoniam teſtis mendax peribit. Vnde in Prouerbijs ſapientia dicit: *Sicut noxius eſt qui mittit lanceas & ſagittas in mortem: ſic vir qui fraudulenter nocet amico ſuo: & cum fuerit deprehenſus, dicit: ludens feci.* Et alibi: *Ne moliaris*, inquit, *amico tuo malum, cum ille habeat in te fiduciam.*

Prou. 26. Prou. 3.

Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona. Omne mendacium noxium eſt, quia peccatum eſt. *Os enim quod mentitur, occidit animam*; & quantò quis illud vſitat, tantò grauiorem ſarcinam peccatorum accumulat. Sed licet diuerſa genera ſint mendaciorum, tamen primum ac capitale eſt mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina Religionis: ad quod mendacium nulla conditione quiſquam debet adduci; quia per hoc certiſſimum eſt hominem à Deo ſeparari. Quiſquis autem aliquod genus mendacij quod peccatum non ſit putauerit, decipiet ſeipſum turpiter: cum honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.

H

Noli verboſus eſſe in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in tua oratione. Quia ſuperius diximus, capitale eſſe mendacium in doctrina Religionis. Quiſquis hanc ſententiam ſeruauerit, hoc eſt, qui doctrina ſeniorum magis deuotè audire, quàm ſuam impudenter proferre delegerit, ab hoc periculo longius erit. Tutius enim eſt audire quàm loqui. Vnde Iacobus in epiſtola ſua admo-

Iacob. 1.

A net, dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*

Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem ab altiſsimo creatam. Vtili labori inſiſtere, & otioſitatem fugere, laudabile eſt: quia otioſitas inimica eſt animæ. Vnde &
1.Theſ.2. Paulus Theſſalonicenſibus ſcripſit, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent: hoc addens, ſi quis non vellet operari, nec manducaret: ſuum exemplum eis proponens: quoniam non inquietus fuit inter eos, neque panem gratis ab aliquo manducauit: ſed in labore & fatigatione, nocte & die operans, ne quemquam eorum grauaret. Quod autem ruſticationem dicit ab altiſſimo creatam: ſignificat peccanti homini hanc ſententiam datam, vt labore manuum ſibi victum quæreret. Vt eſt il-
Gen.3. lud Geneſeos: *In ſudore, inquit, vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Non te reputes in multitudine indiſciplinatorum: memento iræ, quoniam non tardabit. Indiſciplinatos vocat inquietos & inobedientes: qui præceptis Dei obedire nolunt: in quorum ſocietate conuerſari periculoſum eſt: quia talib.
B certa reſeruabitur vindicta: quam iræ nomine nuncupat: ſi non ſe ad meliorem vitam correxerint. Vnde in Prouer-
Prou.19. bijs ſcriptum eſt: *parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corda. Sicut rugitus leonis ita terror regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam.*

Humilia valde ſpiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis. Sicut omnis peccati initium eſt ſuperbia, i-
Luc.14. & 18. ta initium ſapientiæ humilitas & timor Dei. Beatus enim homo qui ſemper pauidus eſt: quoniam *qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Vindicta carnis impij ignis & vermes, quia caro peccatorum, quæ luxuria affluebat in mundo, ſimul cum anima pœnis additur in futuro, & igne cruciabitur gehennæ. Vermem autem & ignem in gehenna eſſe ipſe Dominus commemo-
Marc.9. rat in Euangelio, dicens: *Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* In verme, putredinem gehennæ: ſicut in igne, ardorem deſignat: ſiue vermem dicit ſeram ſcelerum pœnitudinem: quæ nunquam in tormentis conſcientiam afflictorum
C mordere ceſſabit: vt ignis ſit pœna extrinſecus ſæuiens, vermis dolor interius accuſans.

Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem chariſſimum auro ſpreueris. Multi perierunt propter auaritiam: & cupiditatem terrenarum rerum habentes proximum, hoc eſt, hominem, qui ad imaginem Dei conditus eſt, neglexerunt. Ideo docet vt magis diligat proximum, quàm pecuniæ theſaurum. *Radix*
1.Tim.6. *enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Et merito: quia dilectione Dei, quæ firmamentum eſt iuſtitiæ, per-
1.Ioan.2. diderunt. Quapropter Ioannes hortatur, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mun-*
1.Ioan.3. *dum, non eſt charitas patris in eo.* Et item: *Qui habuerit, inquit,*
Prou.12. *ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, &*
& 15. *clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Qui propter amicum negligit damnum, iuſtus eſt:* & qui odit
D munera, viuet.

Noli diſcedere à muliere ſenſata & bona, quam ſortitus es in timore Dei. Secundum hiſtoriam fœdus coniugij ſeruandum docet, ne facilè diſrumpatur, iuxta illud Euan-
Matt.19. gelicum: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* vel magis iuxta allegoriam, à ſocietate Eccleſiæ fidelem quemlibet prohibet diſcedere: quia pactum quod cum Deo in baptiſmate pepigit, omnino neceſſe eſt vt ſeruet: quoniam magna remuneratio ſequetur illum, qui veræ Religionis fidus eſt executor. Vnde ſubiungitur.

1.Cor.2. *Gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum. Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* Potes hanc mulierem ſapientiam intelligere ſacratum Scripturarum, quam Euangelium margaritam pretioſam nuncupat, quam negotiator ſpiritalis dùm inuenerit, abijt & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam. De hac & Eccleſiaſtes ait: E
Viue vitam cum muliere quam dilexiſti, omnibus diebus vanitatis Eccl.9.
tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole. Sapientiam ſequere & ſcientiam ſcripturarum, & hanc tibi in coniugium copula. Dies autem vanitatis, dies huius ſæculi ſignificat. De quibus Apoſtolus non tacet. Quod autem ait, *Viue vitam cum muliere:* ambigue dictum eſt: ſiue viue & contemplare vitam, & ipſe, & vxor tua tecum. Non enim poteris ſine tali vxore ſaluus viuere, vel videre vitam: & pulchre præcipit vt in diebus vanitatis noſtræ, veram vitam, & cum ſapientia vxorem quæramus: hæc enim pars noſtra eſt, & hic laboris fructus, ſi in hac vita vmbratili vitam æternam inuenire valeamus.

CAPVT VIII.

NOn *lædas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam.* Admonet ſapientia vt modeſtiam & æquitatis regulam in ſubditis noſtris conſeruemus. Non enim decet vt ſeruus deuotus & bene operans, propter inſolentiam Domini ſui calumniam pa- F
tiatur: neque vt mercenarius debita laboris ſui mercede fraudetur: quia legalis & apoſtolica lectio euidenter docet, vt vnaquæque perſona cum æquitate tractetur. Nam Tit.2.
Paulus ad Titum ſcribens iubet ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes: non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, vt doctrinam Saluatoris Dei noſtri ornent in omnibus. Idem in epiſtola ad Coloſſenſes, poſtquam ſeruos Coloſ.3.
docuit, vt obediant per omnia dominis carnalibus non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum: dominis præcepit, dicens: *Domini quod iuſtum eſt & æquum, ſeruis præſtate: ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cælo.* Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit; & non eſt perſonarum acceptio apud Deum. De mercenarijs verò in Deutero- Deut.24.
nomio ita Dominus mandat: *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt: ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & eo ſuſtentat animam ſuam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* G

Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. Dignum eſt vt ſeruus ſiue diſcipulus intelligens & beneuolus dilectione Domini ſui non careat, nec priuetur poteſtate congrua bene operandi, neque violentia ſeruitutis oppreſſus ad inopiam perducatur: Sed vt condigna prouiſione in omnibus ei procuretur, & vt frater tractetur. Quia licet per conditionem inferior ſit ſeruilem, tamen æqualis eſt ſecundum naturæ proprietatem. Quod & Paulus o- 1.Cor.7.
ſtendit, dicens: *ſiue ſerui ſiue liberi, vnum ſumus in Chriſto.* Et item: *Seruus vocatus es: non ſit tibi curæ; ſed & ſi potes liber fieri, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Vnuſquiſque, in quo vocatus eſt fratres in hoc permaneat apud Deum.*

Pecora tibi ſunt, attende illis: & ſi ſunt vtilia, perſeuerent apud H
te. Pecora eos appellat, propter ſimplicitatem mentis atque humilitatem: quia ſicut pecus ad Domini ſui per omnia ſubiectum eſt voluntatem: ita & ſeruus bonus ſemper ad Domini ſui paratus eſt vtilitatem. Vnde non meretur indignè abijci, ſed cum omni diligentia reſeruari.

Filij tibi ſunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Hac ſententia qualiter ſeruilis conditio nutrienda ſit, apertè monſtratur. Affectus ergo filiorum propter ius naturæ fouendi ſunt: ſed diſciplina fortiore propter inſtabilitatem mentis domandi. Vnde in poſterioribus iſtius libri Eccle.33.
dicitur: *Cibaria, & virga, & onus, aſino: panis, & diſciplina, & opus, ſeruo. Operatur in diſciplina, & quærit requieſcere: laxa manus illi, & quærit libertatem.*

Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Sicut ſuperius bonos ſeruos in loco filiorum habere docuit: ſic & nunc ancillas in loco filiarum habere iubet: ſed tamen cum diſciplina, ſicut filij ha-

bend

Digitized by Google

A Eccle.30. bendi ſunt, proinde alibi ſcriptum eſt: *Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te. Non arrideas illi, ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcant dentes tui.*

CAPVT IX.

TRade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. Tradi filiam iubet, & ſubijcere matrimonio: ne forte laſciuiat in domo parentum, & corruat libidine. Sicque grande opus, hoc eſt vtile, dicit peractum. Quia melius eſt vt ſub cuſtodia & diſciplina viri maneat ſeruata, quàm in domo parentum, cum iam ſuperadulta eſt, contaminetur neglecta. Sed vt hoc facilius poſſit perfici, homini ſenſato, hoc eſt prudenti, & ſtrenuo mandat eam tradere. Ita enim ſolummodo ſeruata erit. Prou.28. Quia vt in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Qui graditur ſapienter, iſte ſaluabitur. Qui autem nutrit ſcorta, perdet ſubſtantiam.*

Mulier ſi eſt tibi ſecundum animam tuam, non proijcias illam: & odibili non credas te in toto corde. Hic locus licet videatur B commendare pudicitiam coniugalem: vt ipſa ſola legitimè retenta, ſpernatur omnis meretricum & concubinarum fœtor; attamen altiore ſenſu nos admonet, vt Catholicam fidem cum vera Religione, quam primum poſt baptiſmi perceptionem ſortiti ſumus, firmiter tenentes, omnem hæreticorum perfidiam penitus ſpernamus. De quo & in Prouerbijs ſapientia hortatur, Prou.7. dicens: *fili audi me, & attende verbis oris mei, ne abſtrahatur mens tua in vijs illius, neque decipiaris ſemitis eius. Multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.*

Honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliuiſcaris: memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Sæpius commendat honorem parentum: quoniam illud mandatum primum eſt in repromiſſione. Vnde & Paulus docet viduas, quæ filios & nepotes habent, vt diſcant primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo. Aliter autem, Deum patrem recta fide, & bonis operibus honorare debemus; & gemitum C matris Eccleſiæ, quæ nos parturiendo multum laborauit, non obliuiſci, quoniam non, niſi per illos, Chriſtiani fuiſſemus: & in numero filiorum Dei non computaremur. Omnia enim bona iuſta & ſancta, quæ nobis fecerunt, cum gratiarum actione recipere, & laudem condignam illis referre debemus. Cui etiam ſenſui ſequentia videntur adſtipulari.

CAPVT X.

IN tota, inquit, anima tua time Deum, & ſacerdotes illius ſanctifica, in omni virtute tua dilige eum, qui te fecit: & miniſtros eius non derelinquas. Timorem ergo atque amorem Dei in honorificentia miniſtrorum eius probare debemus; Matt.10 quia ipſe dixit in Euangelio: *Qui vos honorat, me honorat: & qui vos recipit, me recipit, qui autem vos ſpernit, me ſpernit.* Sed quia honor aliquando neceſſitatum præbitionem, & ſolatiorum ſubſidia ſignificat, ſubiungit.

Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & Matt.10. *purga te cum brachijs.* Vnde Dominus diſcipulis ſuis ait: *Dignus enim operarius cibo ſuo. In quamcunque ciuitatem aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit: & ibi manete* D 1.Tim.2. *donec exeatis.* Hinc & Apoſtolus ait: *Laborantem agrico-* 1.Cor.9. *lam oportet primum de fructibus percipere.* & item: *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendijs vnquam: quis plantat vineam, & fructus eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & poſt pauca: *Si nos*, ait, *vobis ſpiritalia ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus?* Ibid. & rurſum: *Neſcitis*, inquit, *quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Purgat ſe cum brachiis, qui de labore manuum ſuarum eleemoſynam tribuit egenis, & de fructibus ſuis decimas atque primitias non differt conferre Eccleſiæ miniſtris. De quo & ſequitur.

Da illis partem ſicut mandatum eſt tibi primitiarum & purgationis, & de negligentia tua purga te cum paucis. Primitiarum & decimarum atque oblationum diuerſarum oblationes, quæ Dominus in lege iuſſit offerri, ad ſacerdotum & leuitarum vſum pertinebant. Dicente Domi- Nume.5. no ad Aaron, & ad filios eius: *Omnes primitias ſanctuarij, quas offerunt filij Iſrael Domino, tibi dedi & filiis ac filiabus tuis iure perpetuo. Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis. Dixitque Dominus ad Aaron: in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael, filiis autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis: vt non accedant vltra filij Iſrael ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, ſolis filiis Leui mihi in tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi, legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris. Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum & neceſſaria ſeparaui.* Quibus non ſolum primitiarum & decimarum donatio delegata eſt, ſed etiam hoſtiarum & victimarum, quæ Do- F mino offerebantur in eius vſus conceſſus eſt. Vnde dicit, & primitiarum, & purgationis partem miniſtris Dei dandam. Quia ipſi peccata portant populi, & orant pro eis. Quod autem ſubiungitur: *Et de negligentia purga tecum paucis*, oſtendit quòd oblatio, quæ ex humili mente & pura dilectione Deo offertur, licet parua ſit quantitate, multorum delictorum negligentias purgat. De quo ſcriptum eſt: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1.Petr.4. & Pſalmiſta: *Sacrificium*, inquit, *Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Pſal.50. Vnde in Euangelio ipſe Dominus duo æris minuta pau- Marc.12. perculæ viduæ non ſpreuit, ſed gratanter accepit.

Datum brachiorum tuorum, & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino & initia ſanctorum, & pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua: gratia dati in conſpectu omnis viuentis. Sicut ſuperius per collationem oblationum, quæ miniſtris Dei offeruntur, purgationem ſpopondit offerentibus: ita & nunc per eleemoſynarum largitionem: quæ ex iuſto labore pauperibus tribuuntur, veniam peccatorum: & benedictionis G gratiam benignis & miſericordibus promittit. Quia ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extingit peccatum. Luc.11. Vnde ipſa veritas in Euangelio ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Sanè ſciendum quòd qui ſceleratiſſimè viuunt, nec curant talem vitam moreſque corrigere, & inter ipſa facinora & flagitia ſua eleemoſynas frequentare non ceſſant, fruſtra illi ſibi blandiuntur; quoniam Dominus ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Hoc enim quàm latè pateat non intelligunt, ſed vt intelligant, attendant quibus dixerit. Luc.11. Nempe in Euangelio ſic ſcriptum eſt: *Cum loqueretur, rogauit illum quidam phariſæus, vt pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium. Et ait ad illum Dominus, nunc vos Phariſæi quod de foris eſt calicis & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate. Stulte, nonne qui fecit id quod de foris eſt, etiam id, quod de intus eſt fecit? Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis:* H Itane hoc intellecturi ſumus, vt phariſæis non habentibus fidem Chriſti, etiam ſi non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto, munda ſint omnia: tantum ſi eleemoſynas dederint, ſicut iſti eas dandas putant? cum ſint immundi omnes, quos non mundat fides Chriſti. De qua ſcriptum eſt: Actu.15. *Mundans fide corda eorum.* & dicat Apoſtolus: *Immundis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta ſunt eorum & mens, & conſcientia.* Quomodo ergo omnia phariſæis munda eſſent, ſi eleemoſynas darent, & fideles non eſſent? Aut quomodo fideles eſſent, ſi in Chriſtum credere, atque in eius gratia renaſci noluiſſent? & tamen verum eſt quod audierunt: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Qui enim vult ordinatè dare eleemoſynam, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primum dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ; veriſſimeque dictum eſt: *Miſerere animæ tuæ placens Deo:* Eccle.30.

A propter hoc renaſcimur, vt Deo placeamus, cui merito diſplicet, quod naſcendo contraximus. Hæc enim eſt prima eleemoſyna, quam nobis dedimus, quoniam noſmetipſos miſeros per miſerantis Dei miſericordiam requiſiuimus iuſtum iudicium eius confitentes, quo miſeri effecti ſumus. De quo dicit Apoſtolus: (Rom. 5.) *Iudicium quidem ex vno in condemnationem*: & magnæ charitati eius gratias agentes, de qua idem ipſe dicit gratiæ prædicator: (Rom. 5.) *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*: vt & veraciter de noſtra miſeria iudicantes, & in Dei charitate qua donauit ipſe ſe diligentes, pie recteque viuamus, quod iudicium & charitatem Dei cum pharitæi præterirent, decimabant tamen propter eleemoſynas, quas faciebant, etiam quæque minutiſſima fructuum ſuorum; & ideo non dabant eleemoſynam à ſe incipientes, ſecumque prius miſericordiam facientes. propter quem dilectionis ordinem dictum eſt: (Matt. 12.) *Dilige proximum tuum ſicut teipſum.* Cum ergo increpaſſet eos, forinſecus ſe lauabant, intus autem rapina & iniquitate pleni erant: admonens quandam eleemoſynam, quam ſibi homo debet, primitus dare, & (B) interiora mundare: *Veruntamen*, inquit, *quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Deinde vt oſtenderet, quid admonuiſſet, & quid ipſi facere non curarent: ne illum putarent eorum eleemoſynas ignorare: Sed *væ vobis* inquit, *phariſæis.* Tanquam diceret: ego quidem commonui vos eleemoſynam dandam, per quam vobis munda ſunt omnia. Sed væ vobis, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus: has n. noui eleemoſynas veſtras, ne de illis me nunc vos admonuiſſe arbitremini: & præteritis iudicium & charitatem Dei, qua eleemoſyna poſſitis ab omni inquinamento interiore mundari, vt vobis munda eſſent & corpora, quæ lauatis: hoc eſt n. omnia: & interiora ſcilicet & exteriora. Sicut alibi legitur: *Mundate quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt* (Matt. 23. & Luc. 11) *munda erunt.* ſed ne iſtas eleemoſynas, quæ fiunt de fructibus terræ, reſpuiſſe videretur: *Hæc* inquit, *oportuit facere, iudicium & charitatem Dei: & illa non omittere*: id eſt, eleemoſynas fructuum terrenorum. Non ergo ſe fallant, qui per eleemoſynas quamlibet largiſſimas fructuum ſuorũ, vel cuiuſcunque pecuniæ impunitatem ſe emere exiſtimant in facinorum immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendo. Non ſolum enim hæc faciunt, ſed ita diligunt, vt in eis ſemper optent (tantum ſi poſſint impune) (C) verſari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam: & qui odit animam ſuam, non eſt in eam miſericors ſed crudelis.* Diligendo eam quippe ſecundum ſæculum, odit eam ſecundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemoſynam, per quam munda eſſent illi omnia: odiſſet eam ſecundum ſæculum, & diligeret ſecundum Deum. Nemo autem dat eleemoſynam quamlibet, niſi inde det, vnde ab illo accipiat qui non eget. Et ideo dictum eſt: *Miſericordia eius* (Pſal. 85.) *præueniet me.*

CAPVT XI.

ET *mortuo non prohibeas gratiam. Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.* Quod ad eleemoſynarum donationem pertineat hoc, quod ſepultura mortuis præbetur, Tobias Patriarcha actibus ſuis inſinuat. De quo ſcriptura refert, quod in captiuitate Aſſyriorum poſitus, pergeret per omnem cognationem ſuã, (D) & conſolaretur eos, diuideretque vnicuique prout poterat de facultatibus ſuis. Eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis atque occiſis ſepulturam ſollicitus exhibebat. Sed ſi mortuam carnem eleemoſyna eſt ſepelire, multo magis hominem viuum in tribulatione conſolari, atque ſolatiis ſubuenire. Vnde Paulus (Rom. 12.) ait: *Gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus.* Quod & ſe (2. Cor. 11) feciſſe atteſtatur, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor; quis ſcandalizatur, & ego non vror?* factus ſum infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnia omnibus factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. vnde & ſequitur.

Non te pigeat viſitare infirmum, ex his in dilectione firmaberis. (E) Probatio quoque dilectionis, exhibitio eſt operis. De quo & Ioannes dicit: *Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, ſed opere & veritate.* Sed quia nemo poteſt perfecte peccatum deuitare, & operibus iuſtitiæ deſeruire, niſi qui ſperat ſe quotidie de hoc mundo migrare. Qui enim conſiderat qualis eſt in morte, ſemper fit timidus in operatione, atque vnde in oculis ſuis iam quaſi non viuit, nil quod tranſit appetit, cunctis præſentis vitæ deſiderijs contradicit, & penè mortuum ſe conſiderat: quia moriturum minimè ignorat. Perfecta enim vita eſt mortis imitatio, quam dum iuſti ſollicitè peragunt, culparum laqueos euadunt. Vnde ſubiungitur.

In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Hoc tamen de omni peccato non dicit: quia *non eſt homo ſuper terram, qui faciat bonum, & non peccet.* Et Ioannes, *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* (1. Ioan. 1.) Sed de quonam hoc vult peccato intelligi? vtique de eo, quod ducit ad mortem. De quo Ioannes dicit: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum: quia ſemen eius in ipſo* (1. Ioan. 3.) (F) *manet, & non poteſt peccare: quia ex Deo natus eſt.* Quod ait, *qui natus eſt ex Deo, non peccat*: certum quoddam peccatum intelligit, quod non poteſt admittere homo, qui ex Deo natus eſt: & tale peccatum eſt illud, vt ſi quiſquam hoc admiſerit, confirmet cætera. Si quis autem hoc non admiſerit, ſoluat cætera. Mandatum enim Chriſti, dilectio vocatur: per hanc dilectionem peccata ſoluuntur, hæc ſi non teneatur, & graue peccatum eſt, & radix omnium peccatorum.

CAPVT XII.

NOn *litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.* Hominem potentem forſitan hic ſuperbum vult intelligi, aduerſus quem contendere non eſt vtile. Vnde in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam: ne efficiaris ei ſimilis.* (Prou. 26.) Inter ſuperbos enim ſemper iurgia ſunt. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes: docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem, qui reſiſtunt veritati. (G)

Non contendas cum viro locuplete: ne forte contra conſtituat litem tibi: multos enim perdidit aurum atque argentum: & vſque ad cor regum extendit & conuertit. Periculoſum eſt ergo cum eo litem agere qui terrenis lucris atque auaritiæ æſtibus probatur anhelare; quia inde oriuntur inuidiæ, contentiones, odium, homicidium, & cætera huiuſmodi flagitia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. *Radix namque omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* (1. Tim. 6.) Nec non & corda regum eiuſmodi peſtis ſæpe polluens conuertit vtique ad peruerſitatem iudicij; quia munera excæcant oculos ſapientium, & mutant verba iuſtorum. Proinde Dominus hortatur cauere ab omni auaritia, & docet diſcipulos ſuos, dicens: *Audiſtis quia dictum eſt, oculum pro oculo, & dentem pro dente; ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* (Matth. 5. Leuit. 24. Deut. 19.) *Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te ne auertaris.* (H)

Non litiges cum homine linguato: & non ſtrues in ignem illius ligna. Non communices homini indocto, ne malè de progenie tua loquatur. Contra eum qui indiſcretus eſt verbis, ſtultum eſt contendere: vbi non ratio ſed furor dominatur. Similiter & cum imprudenti diſputare inutile eſt, quia facilis eſt ad proferendum contumeliam. Nam hæc duo teſtimonia licet ad omnes pertineant inſipientes, & prauiloquos: tamen ſpecialiter videntur denotare hæreticos, de quibus alibi ſcriptum eſt: *Sub lingua eorum labor & dolor: & venenum aſpidum ſub* (Pſ. 13. & 139. & Rom. 3.)

dum ſub

A *dum ſub labiis eorum.* Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Cum his ergo ſermocinare & communicare pernitioſum eſt, quia polluta eſt mens eorum & conſcientia. & ſermo eorum vt cancer ſerpit: *Tit. 3.* errantes, & in errorem mittentes. Vnde Apoſtolus iubet ſtultas & ſine diſciplina quæſtiones deuitare; ſimiliter *Ibidem.* & profana & inaniloquia, quæ multum proficiant ad impietatem. & Tito ſcripſit, vt hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuitaret: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt: & deliquit proprio iudicio condemnatus. Iſte enim de progenie noſtra male loquitur, quando blaſphemat Chriſtianam Religionem, & Catholicam fidem: ſed ſolis blaſphemis ſua nocet blaſphemia, quia omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Confitentur quidem ſe noſſe Deum, factis autem negant: cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

B *Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato: neque improperes ei, memento quoniam omnes in correptione ſumus.* Magis condecet Chriſtianum compati proximo, quàm improperare lapſo, quia incertum eſt apud vnumquemque ad quem finem perducat actus ſuos: nec ſcire poterit, *1. Cor. 10* quid ſibi ventura pariet dies. Vnde Paulus præmonet, dicens: *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et *Rom. 14.* item: *Tu autem,* inquit, *quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Hinc eſt quòd Dominus legitur in Euangelio publicanos & peccatores recepiſſe, & manducaſſe cum illis: & mulierem meretricem cum lachrymis pedes eius rigantem à peccatis abſoluiſſe: qui & phariſæis *Oſee 6. & Matth. 9.* murmurantibus reſpondit: *Euntes diſcite quid ſit, miſericordiam volo & non ſacrificium: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* *Luc. 15.* Et alibi: *Gaudium eſt,* inquit, *in cœlis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtos, qui non indigent pœnitentia.*

Ne ſpernas hominem in ſua ſenecta: etenim ex nobis ſeneſcunt. *Eccleſ. 1.* Hoc conſiderans Eccleſiaſtes ait: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* *Ibid.* Et item: *Vidi,* inquit, *quæ fiunt ſub ſole: & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus.* Et poſt aliquanta: *Omnia,* ait, *tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo.* *Cyprian.* C Hinc Beatus Martyr Cyprianus in libro ad Demetrianum de mortalitate eleganter dixit: *Hæc ſententia mundo data eſt: hæc Dei lex eſt, vt omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant, & infirmentur fortia, & magna minuantur.* Nam cum olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longæua procederet, vix nunc poſſit ad centenarium numerum peruenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam creſcant; nec ætas in ſenectutem deſinit ſed incipit à ſenectute: ſic in ortu ſuo ad finem natiuitas properat. Sic quodcunque nunc naſcitur, mundi ipſius ſenectute degenerat, ita vt nemo mirari debeat ſingula in mundo cœpiſſe deficere: quando totus ipſe iam mundus in defectione ſit & in fine.

CAPVT XIII.

D *NOli de mortuo inimico tuo gaudere, ſciens quoniam omnes morimur: & in gaudium nolumus venire.* Subauditur inimicorum noſtrorum: ſi enim ſecundum Domini mandarum diligimus inimicos noſtros: & benefacimus his qui oderunt nos: nullo modo de eorum caſu poſſumus lætari. De quo & alibi Scriptura nos prohibet, dicens: *Prou. 17.* *Ne læteris in alterius caſu,* ſed eorum vice condolentes, ſicut noſtram ita & illorum ruinam deflemus. Mortis enim occaſus omnibus communis eſt: & ideo ſicut nos nolumus in gaudium inimicorum noſtrorum incidere: ita nec ipſi de eorum interitu debemus gaudere; ſed illius ſententiæ ſemper memores eſſe, qua dictum eſt: *Tob. 4.* *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* *Matth. 7. & Luc. 6.* Nec non & illius dominici præcepti, quo ait: *omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, eadem vos facite illis.*

E *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium: & in Prouerbiis illorum conuerſare, ab ipſis enim diſces ſapientiam & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatis ſine querela.* Recte admonet Eccleſiaſticum populum, vt ſubditus ſit ſanctis Doctoribus, & aſſiduus maneat in doctrina illorum: quia inde perueniet ad intellectum ſapientiæ, & ad moralitatem diſciplinæ. *1. Tim. 4.* Vnde Paulus Timotheo præcepit, dicens: *Dum venio attende lectioni exhortationi & doctrinæ, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens & temetipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Boni enim magiſtri non aliud docent, quàm quod ipſi à bonis præceptoribus perceperunt: quod etiam à ſummo magiſtro ad eorum notitiam peruenit. *Eccle. 12.* Sicut Eccleſiaſtes oſtendit, dicens: *Verba Sapientium vt ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi:* quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno. Hinc & ipſa ſapientia hortatur adhuc, dicens.

Non te prætereat narratio ſeniorum; ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. *1. Pet. 3.* F Sic & Apoſtolus Petrus admonet, dicens: *Dominum autem Ieſum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* Condecet enim ſeruum Dei diligenter & cautè ea à magiſtris diſcere, quæ ipſe poſtmodum alijs prudenter & ſalubriter poſſit proferre, ne fortè, ſi ille prius piger & ſegnis ſit ad meditandum; poſtea alijs inueniatur inutilis ad docendum.

Ne incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Cautus eſſe debet qui alijs diſciplinam adhibet: ne fortè per nimietatem correptionis peior fiat irritatus animus delinquentis: vel ne ipſe læſus grauetur peccatis alienis. *Galat. 6.* Vnde Apoſtolus Galatas admonet, vt illum, qui præoccupatus fuerit aliquo delicto, hi, qui ſpiritales ſunt, inſtruant in ſpiritu lenitatis: conſiderantes ſeipſos, ne & ipſi tententur. *Deut. 19.* Hinc & in Deuter. Dominus iubet eum qui cum amico in ſyluam ad incidendum ligna ierit, ſi ſecuris effugerit manum, & vulnerauerit proximum: is qui percuſſit proximum, fugiat ad vnam vrbium illarum, quæ refugiis deputatæ ſunt, & ibi ab vltore ſanguinis proximi illæſus ſeruetur. Ad ſyluam cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta noſtra conuertimur: & ſimpliciter ligna ſuccidimus, cum delinquentium vitia pia intentione reſecamus: G ſed ſecuris manum fugit, cum ſeſe increpatio plus, quàm neceſſe eſt, in aſperitatem pertrahit: ferrumque de manubrio proſilit, cum de correptione ſermo durior excedit: & amicum percutiens occidit, qui auditorem ſuum prolata contumelia ab ſpiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repentè ad odium proruit, ſi hanc immoderata increpatio plus quàm debuit addicit. Sed is qui incautè lignum percutit, & proximum extinguit, ad tres neceſſe eſt vrbes fugiat, vt in vna earum defenſus viuat. Quia ſi ad pœnitentiæ lamenta conuerſus in vnitate ſacramenti ſub ſpe, fide & charitate abſconditur, reus perpetrati homicidij non tenetur, eumque extincti proximus, & cum inuenerit, non occidit. Quia cum diſtrictus iudex venerit, qui ſeſe nobis per naturæ noſtræ conſortium iunxit, ab eo proculdubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quem ſub eius venia ſpes, fides & charitas abſcondit: citius ergo culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ ſtudio perpetratur. H

CAPVT XIV.

NE contra faciem ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo. Contumelioſum benè poſſumus accipere hæreticum, qui ſemper verba noſtra quærit ſubuertere, & ad nequitiam ſenſus ſui pertrahere, proinde huius collocutio pernitioſa eſt, & ideò omnino fugienda, ſicut in Prouerbijs ſapientia hortatur, dicens: *Prou. 1.* *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas.* *Ibid.* Et item: *Fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem.*

Noli fœnerari homini fortiori te: quod ſi fœneraueris, tanquam

A *perditum habe.* Fortiorem hic non viribus validum, ſed elatione tumidum nuncupat, cui prohibet fœnus tribuere; quia non laudat cum eo amicitias iungere. Superbo itaque, hoc eſt, hæretico communicare, iniuriæ magis incrementum eſt, quàm quietis emolumentum: & ideo in omni re magis deuitandum eſt eius conſortium, quàm alicuius lucri aut eloquentiæ per eum appetendum adminiculum: perdit enim fœnus, qui ingrato tribuit: & minuit ſubſtantiam, qui peruerſo communicat. Vnde Prou. 5. Salomon in Prouerbijs admonet, dicens: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui habeto ea ſolus, nec ſint alieni participes tui.*

Non ſpondeas ſuper virtutem tuam: quòd ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita. Bonum eſt vt quiſque conſideret menſuram virium ſuarum, & ſic votum temperet, ne in mendacij reatum incurrat. Vnde Dominus per Moyſen præcepit, Deut. 23. dicens: *Cum voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabit tibi in peccatum: ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris.* Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obB ſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo: & Eccle. 5. propria voluntate ex ore tuo locutus es. Hinc & Eccleſiaſtes ait: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio; ſed quodcunque voueris, redde: multoque melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.*

Non iudices contra iudicem: quoniam ſecundum quod dignum eſt iudicat. Hæc ſententia & moraliter nos docet, vt ſimus ſubiecti præpoſitis & iudicibus noſtris, qui nos ſecundum diuinam legem iudicant: & iuxta allegoriam omnibus aduerſarijs veritatis, hoc eſt Iudæis, Paganis & hæreticis interdicitur ne aduerſentur Euangelio Chriſti, quoniam ipſe eſt conſtitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum: & *ipſe iudicat orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.*

Cum audaci non eas in via, ne forte grauet mala ſua in te: ipſe enim ſecundum voluntatem ſuam vadit, & ſimul cum ſtultitia illius peribis. Audaces hic poſſumus ſentire hæreticos, qui præſumptionis ſuæ condunt ſectas: in quibus omnino non eſt nobis gradiendum: quia ſecundum voluntatem ſuam, & non ſecundum voluntatem Dei vadunt: qui eC nim illorum ſemitas peruerſas graditur, ſimul cum ſtultitia illorum peribit. Nota quia ſicut ſuperius prohibuit contra faciem contumelioſi ſtare & fortiori fœnerare: ita & nunc prohibet cum audace in via ambulare; quia Pſal. 1. ſecundum Pſalmographi ſententiam: *Beatus eſt vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit: ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* De quo & adhuc hortatur ſubiungens.

Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum: quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis: & vbi non eſt adiutorium, elidet te. Licet hiſtorialiter nos admoneat vitioſum atque furioſum hominem deuitare: tamen myſticè docet blaſphemantium Iudæorum & hæreticorum conſortia fugere: ante quorum oculos nihil eſt ſanguis: quia aut corporaliter carnem ambiunt trucidare: aut magis animas ſpiritualiter per erroris prauitatem enecare. Veloces enim pedes eorum ſunt ad effundendũ ſanguinem: & contritio atque infelicitas eſt in vijs eorũ, qui & in deſertum ducunt: quia de terra Eccleſiæ euellere, & in deuia erroris ſui, quoſcunque poſſunt, inducere D contendunt. De quibus & adhuc ſubditur.

Cum fatuis ne conſilium habeas: non enim poterunt diligere, niſi quæ ipſis placent. Fatui enim ſunt omnes deſertores veritatis: quia relinquentes viam iuſtitiæ, viam iniquitatis elegerunt: nec patrum regulam ſequi, ſed ſuis voluptaProu. 18. tibus deſeruire probauerunt. Vnde in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius.* Sed ne hoc præcauere voluProu. 14. erunt, quod alibi Scriptura prodit, dicens: *Sunt viæ, quæ putantur ab hominibus iuſtæ, nouiſſima autem earum deducunt ad profundum inferni.* Vnde ſequitur eos ignominia, & opprobrium, & perditio ſempiterna.

Coram extraneo ne facias conſilium, neſcis enim quid pariet. E Extraneus nobis eſt, qui à fide & Religione Chriſtiana alienus eſt: cum quo non eſt conſilium ineundum, hoc eſt de ſacramentis diuinis & myſterijs occultioribus diſputandum: quia neſcimus ſenſus eius qualitatem, vtrum ad fidem vel ad blaſphemiam vertatur. Hinc & ipſa veritas nos inſtruxit, dicens: *Nolite ſanctum dare canibus, neque* Matt. 7. *mittatis margaritas veſtras ante porcos:* ne conuerſi diſrumpant vos. Hinc & Paſtor Eccleſiæ ait: *Vos igitur fratres præ-* 2. Pet. 3. *ſcientes cuſtodite: ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* hinc & Ioannes ait: *Omnis qui recedit, & non* 2. Ioan. 1. *permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic filium & patrem habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis.*

Nõ omni homini cor tuum manifeſtes: ne forte inferat tibi gratiam falſam & conuitietur tibi. Quod ſuperius ſubobſcurè poſuit, cum extraneo non ineundum conſilium, quia neſcitur quid pariat: hoc in hac ſententia planiùs exponit, ſcilicet vt hypocriſin ſimulatorum caueamus, ne forF te, ſi incautè aliquid coram ipſis loquamur aut agamus, eorum inſidijs capiamur. Vnde & in anterioribus præmonuit, vt multi pacifici eſſent nobis: & conſiliarius vnus de mille. Hinc & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Inimicus* Prou. 26. *cum in corde tractauerit dolos, quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei: quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.*

Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam. Mulierem ſicut in bono, ita & in malo poſitam in Scripturis inuenimus. Mulier in bono, vt in Prouerbijs legitur: *Mulierem fortem quis inueniet? procul &* Prou. 31. *de vltimis finibus pretium eius.* Et in Euangelio: *Mulier abſcon-* Matt. 13. *dit fermentum in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt to-* & Luc. 13 *tum.* Vbi fides & deuotio prædicatur Eccleſiæ contrario verò in malo poſita eſt mulier in Prouerbijs, vbi ita legitur: *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad ca-* Prou. 7. *piendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians, apprehenſumque deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro ſalute voui, hodie reddidi vota mea &c.* In quo hæretica prauitas denotatur, quæ & hic ſub varijs ſpeciebus deſcribitur. MulieG rem enim ſinus noſtri, falſos fratres poſſumus intelligere, qui nobiſcum manentes, foris pacem ſimulant, intus dolos parant, & malitiam doctrinæ nequam retinent. A quibus ipſa veritas in Euangelio docuit diſcipulos Matth. 7. ſuos cauere, dicens: *Attendite autem vobis à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Vnde & Doctor gentium in epiſtolis ſuis pſeudoapoſtolos ſæpius arguit: & falſos fratres ſe aſſerit toleraſſe. Ideirco bona eſt cautela in omnibus, ne forte fictio ſimplicem decipiat, & incautum malitia ſubuertat.

CAPVT XV.

NOn des mulieri poteſtatem animæ tuæ: ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. Hæc ſententia ſecundum hiſtoriam docet caſtitatis pudicitiam, & ſecundum allegoriam contra hæreſim prouidentiam, quia qui libidinis pollutionem fugit, mulieri poteſtatem in anima ſua non tribuit: & qui regulam veræ fidei ſeruare contendit, hæreticæ prauitati non conſentit.

H *Ne reſpicias mulierem multiuolam: ne fortè incidas in laqueos illius.* Multiuola mulier eſt hæreticorum ſynagoga: quia non vnionem Catholicæ fidei, & veritatem Euangelicæ doctrinæ ſeruare appetit, ſed per deuia diuerſorum errorum pergere diligit, vbi & laqueos ponit, quia ſectas perditionis ad decipiendas animas inſtruit; ad quam reſpicere prohibemur: quia nequaquam ſocietati illius commiſceri permittimur.

Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam: ne forte pereas in efficacia illius. Quam ſaltatricem melius poſſumus accipere, quam hæreticorum turbam, quæ pro inſtabilitate mentis ſuæ nunc hoc, nunc illud eligit, nec vnquam in ſtatu veritatis conſiſtere nouit: Volubilitate enim linguæ

ſuæ

A ſuæ quaſi rotatu corporis girando ad hoc ludit, vt, quem eloquentiæ ſuæ amatorē eſſe conſpicit, in aſſenſum prauitatis ſuæ quaſi inertem citius pertrahat. Quod & Salomon oſtendit, dicens: Prou. 7. *Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit eum: ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius: velut ſi auis feſtinet ad laqueum: & neſcit quia de periculo anima illius agitur.*

Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. Per incuriam quippe aſpectus ſæpe turbatur internus animi motus. Ideo prohibet nos in virginem conſpicere: quia à libidine mentem noſtram illæſam vult permanere. Prou. 6. Hinc & alibi Sapientia docet, dicens: *Mulier viri pretioſam animam capit. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuū, nec capiaris nutibus illius, pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis.* Myſticè autem non debemus decorem eloquentiæ hæreticorum amare, neque in ſplendorem ſimulatarum virtutum eorum intendere: ne ſcandalizemur in fictionibus illorum. B Vnde & ſubiungit, dicens.

Non des fornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te & hereditatem tuam. Quia nullam communionem debemus habere cum hæreticis atq; ſciſmaticis, ne fortè ſeductionibus eorum deprauati perdamus animas noſtras: & ad hæreditatem quæ nobis promiſſa eſt in cæleſti patria non perueniamus.

Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Nunc ſub alio paradigmate eandem rem exprimit, quam ſuperius in muliere notauit. Vici enim ciuitatis nō alij ſunt, quam cōuenticula hæreticorum, quæ ſe à caſtris Eccleſiæ ſeparauerunt, neque in vnitate ciuitatis Dei (de Pſal. 86. qua ſcriptum eſt: *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei*) perſeuerare voluerunt. In hæc ergo circumſpicere non debemus, quia à ſenſu Eccleſiæ recedere non permittimur: ne fortè Mat. 7. in plateis illius oberremus: quia *lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad mortem: arcta autem & anguſta, quæ ducit ad vitam.*

Auerte faciem tuam à muliere compta, & non circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. C Hanc mulierem non aliam, quam eam, cuius ſuperius ſocietatem prohibuit, intelligimus, quæ ornatu verborum compta multorum perditionis extitit cauſa; cuius ſpecies in inſipientium animos cōcupiſcentiæ ignem ingerit: quæ & hic flammas illiciti amoris in illis excitat, & in futuro gehennæ combuſtionem ipſis præparat. Quapropter eius communionem omnino fugere debemus, & deſpicere formam: quia vt ſequens probat ſententia.

Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. Hoc eſt, omnis peruerſa doctrina in via rectæ fidei omni confuſione digna deputabitur. Hinc & ipſe Dñs in Mat. 5. Euangelio ſermonem ad diſcipulos faciens ait: *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Sicut ergo ſal infatuatum cum ad condiendos cibos carneſq; ſiccandas valere deſierit, nulli vſui aptum erit. D Neque enim (vt alius teſtatur Euangeliſta) in terram vtile eſt, cuius Luc. 14. iniectu germinare prohibetur, neq; in ſterquilinium agriculturæ profuturum: Quod viuacibus licet glebis immixtum non fœtare ſemina frugum, ſed extinguere naturaliter ſolet: ſic omnis qui poſt agnitionem veritatis retro redierit, neque ipſe fructum boni operis ferre, neque alios excolere valet: ſed foras mittendus, hoc eſt ab Eccleſiæ eſt vnitate ſecernendus. Vt iuxta aliam parabolam Luc. 14. irridentes eum inimici dicant: *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt, colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit. Multi ergo admirātes eloquentiam hæreticorum, in errorem ab illa ſeducti ſunt, quia colloquium ipſorum flammam nequitiæ in auditorum ſuorum cordibus excitat, niſi citiùs ab eorum conſortio receſſerint. Ideo ſubiungitur.

Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & non altercaris cum illa in vino: ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem. Ne ſedeas (inquit) cum illa, hoc eſt ne moreris cum illa, nec accumbas ſuper cubitum, ſcilicet à bono opere ne torpeas: & non altercaris cum illa in vino, hoc eſt, ne diſputes cum illa in legis Dei meditatione: vinum enim ſignificat gratiam Scripturarum: ne fortè cor tuum illiciat ad amorem ſuum, & in proprium animæ tuæ interitum inde corruas. E

CAPVT XVI.

NOn derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi. Verum quia expertarum rerum maior eſt fiducia, quam ignotarum, ideo ſuadet, vt probatum amicū nō derelinquas, nec te in ignoti fidē improuide committas. Aliter admonet ne ab authoritate ſanctorum Patrum Catholicorum facilè declines, qui veritatis & iuſtitiæ fidi ſunt ſeruatores. Neque cito ad rudes & nouellos Doctores prorumpas; qui, licet à vero omnino non deuient, perfectionis tñ apicem vix obtinent. Vnde & Saluator in Euāgelio, ne nos immaturi ad docendū prorueremus, ſuo exemplo nos inſtruxit, cū ipſe duodecénis ſedebat in medio Doctorum audiens illos, & interrogans: Luc. 2. & poſt trigeſimum annū docendi ſuſcepit officiū. Quid Luc. 3. autem hinc faciendum ſit, ſequens ſententia inſinuat. F

Vinum nouum amicus nouus, veteraſcet, & cum ſuauitate bibes illud. Rudis enim Doctor ſtudere debet vt firmitatem ſanæ doctrinæ cum bonis actibus primum pleniter percipiat, & ſic tam ſibi, quam etiam alijs profectuoſus & vtilis eſſe probetur: & benè nominatur amicus, qui rectæ fidei veræ ſapientiæ fidelis eſt executor. Quia amicus (vt veteres voluerunt) dicitur quaſi animi cuſtos. Ille enim cuſtodit animum fratris, qui cum ipſo tractat quæ ad ſalutem pertinent æternam.

Non zeles gloriam & opes peccatoris: non enim ſcis quæ futura ſit illius ſubuerſio. De primatu & potentia terrena vtile non eſt contendere, ſed magis de profectu virtutum certare. Vnde & Saluator ſuos diſcipulos admonuit per arctam viam & anguſtam contendere intrare, quæ ducit ad vitā, Luc. 13. non per latam & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem: & opes Mat. 7. atque diuitias mundi ſpernere: quatenus theſauros in cæleſti regno poſſent habere, ita dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi* Mat. 6. *fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt neque furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Hinc & Pſalmiſta ab auaritia & æmulatione praua G fidelem cohibens ait: *Noli æmulari in malignantibus, neque* Pſal. 36. *zelatus fueris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum cito cadent: ſpera in Domino & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.*

Non placeat tibi iniuria iniuſtorum, ſciens quoniam vſque ad inferos non placebit impius. Non eſt gaudendum in calumnia bonorum, ſed magis condolendum: quia is qui iniuſtè læſus eſt, patientiæ ſuæ recipiet mercedem; qui autem iniuſtè læſit, non euadet iniquitatis ſuæ debitam vltionem.

Longe abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi: & non ſuſpicaberis timorem mortis. Quid vult hoc, quod iubet lōge abeſſe ab homine poteſtatē habente occidēdi? niſi quod cautos nos in omnib. vult fieri, ne fortè per incuriā incidamus in periculum mortis. Ille.n. ſe benè ab occiſione cuſtodit, qui res dignas morte non efficit. Vnde & ſequitur.

Et ſi acceſſeris ad illum, noli aliquid committere, ne auferat vitam tuam. Rom. 13. Hoc & Paulus admonet, dicens: *Nam principes non ſunt timori bonis operis, ſed mali. Vis autem nō timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim miniſter eſt tibi in bono. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* H Quæri autem hic poteſt ſi ad hoc à Deo conſtituti ſunt, vt vltionem noxijs & peccatoribus infligant: cur permittantur perſecutores Chriſtianorum & hæretici, innocentes & religioſos pœnis ſubijcere? Quod vtiq; iuſto iudicio Dei fieri permittitur: vt boni pro patientia ſua coronentur, & mali pro ſua iniquitate damnentur.

Digitized by Google

A Aliter autẽ per malos ſicut & per bonos principes Deus reos iudicat, vt ipſi qui ſceleratos punientes eadem ſcelera faciunt, poſtmodum pro ſuis iniquitatibus condignas pœnas luant. Vnde in Apocalypſi ſcriptum eſt: Apoc. 9. *De fumo putei exierunt locuſtæ in terram: & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ: & præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neq; omne viride, neq; omnem arborem, niſi tantum homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis*, & poſt aliquanta. Apoc. 9. *Vidi* (inquit) *equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas & hyacinthinas, & ſulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore ipſorum procedit ignis & fumus & ſulphur. Ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum de igne & fumo & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum. Nam caudæ illorum ſimiles ſerpentibus habentes capita, & in his nocent.* Per fraudem enim nocent hæretici, & per dolos præparant animarum interfectionem. B Quia ſicut ſcorpio palpando incedit, ſed cauda ferit: ita fraudulenta pernicies malorum blanda & innoxia in facie videtur: ſed dum occultè feriunt, quaſi mortem latenter inducũt. Item *poteſtas equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum*: id eſt, in ſermone & officio: Propheta enim docens mendacium, ipſe cauda eſt. Qui autem ſe ſigno Dei viui non muniunt in frontibus ſuis, nec Catholica fide corda ſua diligenti cuſtodia tuentur: horum videlicet ruina in promptu eſt. Vnde & ſequitur.

Communicationem mortis ſcito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis. Secundum virtutem tuam caue te à proximo tuo: & cum ſapientibus & prudentibus tracta. Proinde neceſſe eſt vt caueamus doloſorum inſidias, & cum ſapientibus & prudentibus, hoc eſt, cum orthodoxis Patribus & Deum timẽtibus fratribus omne conſilium noſtrum tractemus, & viam iuſtitiæ & veritatis non deſeramus. De quo adhuc ſubditur.

C

CAPVT XVII.

V*Iri iuſti ſint tibi conuiuæ, & in timore Dei ſit gloriatio tibi, & in ſenſu ſit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis altiſſimi.* Conuiuium hoc magis pertinet ad ſpiritales epulas, quàm ad corporales delicias. Qui ergo cum iuſtis viris aſſiduè manet in meditatione ſanctarum ſcripturarum, & in exercitio ſacrarum virtutum, & corde ſimul & ore Dominum omni tempore confitetur: proculdubio ille æterna ſatietate replebitur. Luc. 14. *Beatus* (inquit) *qui manducat panem in regno Dei, panem* ſcilicet *vitæ, quẽ qui manducauerit non morietur in æternum, ſed viuet & gaudebit cum ſanctis Angelis in regno cæleſti.* Quod & ipſa veritas diſcipulis Luc. 22. ſuis in Euangelio promiſit, dicens: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

D *In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in ſapientia ſermonis ſui: In ſenſu vero ſeniorum verbum.* Artifices iſti ijdem ſunt, qui & principes populi, Doctores videlicet ſancti: in quorum manu, hoc eſt, actione laudabitur opera virtutum, & obſeruantia diſciplinæ. In quorum etiam ſermone ſplendor micat ſapientiæ ſimul cum facũdia eloquentiæ. In ſenſu enim ſeniorum verbum, hoc eſt, Rom. 9. verbum Euangelij. De quo & Paulus ait *Verbum enim breuiatum Dominus fecit ſuper vniuerſam terram.* Deut. 32. Iſti ſunt ſeniores, de quibus in Deuteronomio ſcriptum eſt: *Interroga patres tuos, & annuntiabũt tibi, ſeniores tuos, & dicent tibi.* Iſtos prӕfigurabant & illi ſeniores ſeptuaginta, quos Moyſes Domini iuſſu elegit, & vniuerſo populo prӕfecit: cum his & ipſe Rex Regum iudicia ſua ſecundum veritatẽ diſponit. Prou. 31. Sicut Salomon oſtendit, dicens: *Nobilis in portis vir eius: quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* Econtra verò illud quod ſequitur.

Terribilis eſt in ciuitate ſua homo linguoſus, & temerarius in verbo ſuo odibilis eſt. Hæreticos ſignificat, hi enim temerarij ſemper lites amant, & contentiones, & rixas ſuſcitant. Vnde odibiles ſunt tam Deo, quam etiã hominibus: qui & terribiles ſunt in ciuitate ſua, hoc eſt, in mundo: quoniam, quos valent, in errorem pertrahentes, de filijs Dei efficiunt filios diaboli, & pabulum ignis æterni. E De quibus & Pſalmiſta ait: Pſal. 139. *Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram, virum iniuſtum mala capient in interitum.* Ideo Paulus prӕcepit, dicens: 1. Tim. 6. *Profana autem & inaniloquia deuita, & verborum nouitates. Multum enim proficient ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit.* & item: 2. Tim. 3. *Erunt* (inquit) *homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes:* & hos deuita. De quibus & Iudas in Epiſtola ſua ait: Iuda 1. *Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in iudicium impij, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* Verum quoniam temerarios in verbo iuxta finem præſentis libri odibiles eſſe oſtendit, quid de iudice iuſto ſentiat, in initio ſequentis videamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS.

F

CAPVT I.

I*Vdex ſapiens iudicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.* Cap. 10. Iudicem ſapientem neminem melius quàm Dominum Chriſtum poſſumus intelligere, qui contra vniuerſos hoſtes populum ſuum tuetur. De quo per Prophetam dicitur: *Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo:* Ioel. 2. cuius principatus etiam ſtabilis erit. Quia (Eſaia teſtante) Eſa. 9. *ipſius principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodo & vſq; in ſempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.* Huic vaticinio G etiam Angeli verba in Euangelio ad Mariam concordãt, quibus Chriſti imperium permanſurum teſtatus eſt, dicens: Luc. 1. *Dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Cuius nimirum normam, diſcipuli eius ſunt ſecuti: quod ſequens ſententia probat, vbi dicitur.

Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius: Et qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Ciuitas enim Chriſti ſancta eſt Eccleſia, quæ eius veſtigia deuoto cordis ſequitur affectu, & bonorum operum imitatur effectu. Vbi & miniſtri eius, hoc eſt rectores fidelium, & prædicatores ſancti, ipſius mandatis ſedulo obtemperantes erunt: alijsq; ſimiliter facere inſtanter præcipiunt. Cuius temperantiæ modum Eccleſiaſtes laudat, dicens: Eccl. 10. *Beata terra, cuius eſt rex nobilis, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Econtrario verò de alio rege dicit: Ibid. *Væ tibi terra, cuius rex eſt puer, & cuius principes mane comedunt.* Væ ergo terræ, cuius rex eſt diabolus, ſemper nouarum rerum cupidus; hic iudices & principes eos habet, qui amant huius ſæculi voluptates, qui ante quàm dies mortis adueniat dicunt: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Econtrà beata terra Eccleſiæ, cuius rex Chriſtus filius ingenuorum, de Abraham, & Iſaac, & Iacob, Prophetarum quoque & omnium Sanctorum ſtirpe deſcendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id fuerunt liberi: H Principes quoque eius ſunt Apoſtoli & oẽs Sancti, qui regem habent filium ingenuorum, nec comedunt mane, nec velociter. Non enim in præſenti ſęculo quærunt voluptatem, ſed in tempore ſuo manducabũt, cum retributionis tempus aduenerit: Luc. 14. *Beatus* (inquit) *qui manducabit panem in regno Dei.*

Rex inſipiens perdet populum ſuum. Ille vtiq; Rex, de quo ſuperius diximus, qui puer eſt, & cuius principes mane comedũt, qui perdet populum ſuũ, hoc eſt, omnes ſibi obedientes in barathrum ſecum præcipitat inferni.

Et ciuitates inhabitabuntur per ſenſum potentium. Eccleſiæ

A videlicet Saluatoris firmantur per doctrinam ſanctorum Prædicatorum.

Quoniam in manu Dei poteſtas terræ. Hoc eſt ſub gubernatione Chriſti ſtatus viget Eccleſiæ. De qua terra Propheta ait:
Pſal. 73. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Vbi eius voluntas quotidie impletur. In qua & cum qua ipſe ſe promiſit permanſurum vſque ad conſummationem. cæterum *data eſt illi omnis poteſtas in cælo & in terra, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius.* Oportet enim eum regnare donec ſubijciat omnes inimicos eius ſub pedibus ſuis. De quo ſubiungitur.

Et execrabilis omnis iniquitas gentium. Id eſt, damnabilis, quoniam ipſe iudex iuſtus in iudicio ſuo damnat omnes peccatores terræ: & diſperdet de ciuitate ſua omnes, qui operantur iniquitatem. Aliter execrabilis eſt omnis iniquitas gentium: quia per prædicationem Apoſtolorum reprobata eſt infidelitas & error gentilium, quos Saluator ad hoc miſit in mundum, vt contumaces redarguerent,
B inſcios docerent, & infirmos ſanarent. Vnde & ſequitur.

Et vtilem rectorem in tempus ſuſcitauit ſuper illam, in manu Dei poteſtas hominis, & ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuũ. Poteſtas enim ſanctorum Doctorum, diſpenſatione Dei ordinata eſt, quibus & miniſterium honoris dedit: quando eos vice ſua generi humano præpoſuit. Ipſi ſunt enim ſcribæ, de quibus ipſa veritas in Euangelio ait:
Mat. 13. *Similis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.*
Pſal. 44. De quo & Pſalmiſta: *lingua* (inquit) *mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.* Hoc eſt, Myſteria diuina ſub velamine Prophetiæ breuiter notantis: quia lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, & finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum; nec aliud nomen eſt datum hominibus ſuper terram, in quo oporteat ſaluos fieri.

Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus
C *iniuriæ.* Huic ſententiæ ſimile eſt illud, quod in Leuitico
Leuit. 19. ſcriptum eſt: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Si meminerimus illius ſententiæ Dominicæ, quæ præcepit nobis diligere inimicos noſtros, & benefacere his qui oderunt nos, & orare pro perſequentibus & calumniantibus nobis, & auferenti nobis tunicam, dimittimus & pallium: percutienti maxillam, præbemus & alteram: hanc ſententiam veraciter adimplemus. Ille enim benè iniuriam proximi non meminit, qui dilectionem contra odium, & benedictionem contra calumniam proximo impendit.

Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia, & execrabilis omnis iniquitas gentium. Hinc in Prouerbijs ſcriptum eſt:
Prou. 16. *abominatio Domini eſt omnis arrogans, & domũ ſuperborum demolietur Dominus.*
1. Pet. 5. Hinc & Petrus ait: *Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*
Pſal. 17. Hinc & Pſalmiſta: *Populum* (inquit) *humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.*
Pſal. 5. & item: *Odiſti Domine qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Regnum à gente in gentem transfertur: propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Huius ſententiæ
D veritatem omnium penè gentium notant hiſtoriæ, & cauſas diuerſorum populorum oſtendunt. Nec hoc ignorare poteſt, qui Chaldæorum & Perſarum Græcorumque potentiſſima regna ſubuerſa legit, & Romanorum regnum vacillare conſpicit, nec ſtabile aliquid in mundo eſſe perpēdit. Aliter, hoc ſignificare poteſt, quod propter præuaricationes & cæcitatem prioris populi translatum eſt ad gentes Euangelium Chriſti. Quod & ipſa veritas in Euangelio eiſdem Iudæis inſinuauit, dicens:
Matt. 21. *Ideo auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

CAPVT II.

A*Varo autem nihil eſt ſceleſtius: quid ſuperbit terra & cinis? nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Poſtquam de regni mutatione narrauit, aptè de auaritia ſubiunxit: quia propter auaritiam vis recti regiminis
E maximè negligitur; dum enim ſibi terrenas res per cupiditatem vltra modum quis vendicat, in ſuperbiam elatus, alium de finibus ſuis inuidendo eijcere certat. *Radix enim*
1. Tim. 6. *omnium malorũ eſt cupiditas, quam quidã appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis*, & deſiderijs varijs & nociuis, q̃ mergunt homines in interitum & perditionẽ, & quia auaritiam ſemper ſuperbia comitatur, ſimul & inuidia, &c. vitia, ideo Paulus ad Timotheum ſcribens ait:
Ibid. *Præcipe diuitibus huius ſæculi non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarũ: ſed in Deo viuo* (*qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendũ*) *benè agere, diuites fieri in operibus bonis. facile tribuere, cõmunicare, theſaurizare ſibi fundamentũ bonũ in futurũ, vt apprehendant verã vitã.* Nam quia auaritia eſt idolorũ ſeruitus, qui illã ſectatur, contemptor Dei eſſe probatur, & ideo nec rerum Dñs iſtiuſmodi fieri poſſe conuincitur: quãdo extrema primis, & viliſſima anteponit pretioſiſſimis. Animam.n. ſuam venalem habet, & pro lucri acquiſitione in vita ſua proiecit intima ſua. *Quid enim*, iuxta veritatis teſtimoniũ, *proderit homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

Omnis potentatus breuis vita. Fœnum agri hodie eſt, & cras in
F *clibanum mittitur: filius.n. hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua: & ibunt impij in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.*

Languor prolixior grauat medicum, breuem languorem præcidit medicus. Hanc cõparationem ideo facit, vt oſtendat quod auaritiæ peſtis, ſi diu mentem poſſederit, difficile curabitur: ſi aũt ſtatim in prima fronte à ſpiritus ratione illi reſiſtitur, & per Dei timorẽ ac pœnarũ metũ ei ingreſſus ex cogitatione noxia occluditur: faciliùs eius virtus extinguitur. Sed & hoc multũ adiuuat ad reſiſtendum auaritiæ, ſi breuitas tranſeuntis vitæ, & futura defectio in carne, ac gehennæ horror in anima commemoretur. ideo ſubiungit.

Sic & rex hodie eſt, & cras morietur: cum.n. morietur homo,
G *hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Poteſtas mundana & diuitiæ ſæculi, longam non poſſunt tribuere vitã: quia humana fragilitas curſus ſui terminũ tranſire nõ poteſt. Morietur homo, & puluis reuertetur in terrã ſuã: nec caro quæ aliquando florebat iuuentute, vermium putredinẽ effugiet: ſed tota iucunditas eius fœtore conſumetur. Myſticè aũt, homo q peccatis viuebat, ſi ſe ab eis nõ correxit, atq; à delictis non cohibuerit, morte multatur æterna: vbi ſerpentem antiquũ, & beſtias diabolicas, atrociſſimos ſentiet ſe punire tortores: nec iã ſpẽ habet euaſionis, cum nulla requies illi datur continui doloris.

CAPVT III.

H I*Nitium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo facit: quoniam ab eo qui fecit illũ, receſsit cor eius.* Apoſtaſia.n. nulla maior eſt, q̃ auerſio creaturæ à creatore ſuo; & hæc meritò aſcribitur ſuperbiæ: quoniã ſuperbia eſt, quòd mediocre bonũ aſſimilare, vel adæquare ſe vult ſummo bono. Hoc fuit initium diabolici caſus: hoc & humanæ præuaricationis exordium. Vnde & ſubiungitur.

Quoniam initium peccati omnis eſt ſuperbia. Quæritur cur Paulus Apoſt. dicat, radicem eſſe omnium malorũ cupiditatem: cũ hic vir ſapiens dixerit, initium peccati eſſe ſuperbiã: Spiritus.n. Sanctus per Prophetam in veteri teſtamento, & per Apoſtolũ in nouo, idẽ locutus eſt, nec ſibimet vllo modo poteſt ipſe eſſe contrarius. Vnde ſollicitè conſiderare debemus, quare ille initium omnis peccati ſuperbiam, hic radicem omnium malorum cupiditatem nominare voluerit? an fortè ſermonẽ Propheticũ Paulus Apoſtolus, vt ſolet, expoſuit? Quandoquidẽ, ſiue initiũ omnis peccati, ſiue radicẽ omniũ malorum dicas, vnum idemq; ſignificas. porrò cupiditas atq; ſuperbia intantũ vnum eſt malum, vt nec ſuperbus ſine cupiditate, nec ſine ſuperbia poſſit cupidus inueniri. Siquidem & diabolus, in quo tenet ſuperbia principatum, propriæ poteſtatis ac perditionis humanæ cupidus fuit: & ipſe homo per appetitum arboris interdictæ, ac diuinæ ſimilitudinis affectionem, morbo ſe affectum cupiditatis oſtendit.

Multa

A Multa enim mala de ſuperbiæ peſte procedunt, quæ interitum certum ſuis poſſeſſoribus pariunt. Sicut ſequentia teſtimonia probant. Sed iuuat lectorem, ſi ex ſcriptis ſancti Gregorij (cuius ſenſum in hoc opere ſæpius ſecuti ſumus) quædam verba, ita vt ab eo ꝓlata ſunt, ponamus. Hic ergo in libro moraliũ xxxiij. Cum ſententiã Dñi, quã de Leuiathan locutus eſt ad Iob, dicens: *Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*, expoſuiſſet: hanc quoq; ſententiã Sapientiæ addidit, dicẽs: *Scriptũ namq; eſt, initium omnis peccati ſuperbia*. & paulo poſt longiore ſermone de ipſa ſuperbia diſputans, ita loquitur, dicens: *per hanc.n. ipſe ſuccubuit, per hanc ſe ſequentem hominem ſtrauit*. Eo etenim telo ſalutẽ noſtræ immortalitatis impetijt, quo vitam ſuæ beatitudinis extinxit. Sed quia occaſio de ſuperbiæ diſputatione ſe ꝓbit, debemus hanc ſubtilius ſollicitiuſq; diſcutere, atque ad humanas mentes quanta vel qualis veniat, & quibus qualiter ſubrepat demonſtrare: alia quippe vitia eas ſolũmodo virtutes impetunt, quibus ipſa deſtruuntur; vt videlicet ira patientiã, gaſtrimargia abſtinentiã, libido cõtinentiã expugnet: ſuperbia aũt (q̃ vitiorum radicẽ diximus) nequaquã vnius virtutis extinctione cõntenta, cõtra cuncta animæ mẽbra ſe erigit: & quaſi generalis ac peſtifer morbus corpus omne corrũpit; vt quicquid illa inuadente agitur, etiã ſi eſſe virtus oſtendatur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ ſeruitur. Quaſi .n. tyrannus q-dam obſeſſam ciuitatẽ intercipit, cũ mentẽ ſuperbia irrũpit: & quo ditiorẽ quemq; cęperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius res virtutis ſine humilitate agitur, eo latius iſta dominatur. Quiſquis verò eius in ſe tyrannidẽ captiua mente ſuſceperit, hoc primũ damnũ patitur, ꝙ clauſo cordis oculo, iudicij æquitatem perdit. Nã cuncta quæ ab illis vel benè geruntur, diſplicent: ſola ei, quæ ipſe vel prauè egerit, placent: ſemper aliena opera deſpicit, ſemper miratur quod facit: quia & quidquid egerit, egiſſe ſe ſingulariter credit: atq; in eo, ꝙ exhibet per

B gloriæ cupiditatẽ, ſibimetipſi fauet per cogitationẽ: & cũ ſe in cunctis tranſcendere cęteros æſtimat, per lata cogitationũ ſpatia ſecum deambulãs, laudes ſuas tacitus clamat. Nonnunq̃ verò ad tantã elationem mens ducitur, vt in eo, ꝙ tumet, etiam per oſtẽtationem locutionis effrænetur. Sed tantò facilior ruina ſequitur, quantò apud ſe quiſq; impudentius exaltatur. Hinc.n. ſcriptum eſt. *Ante ruinã exaltatur cor*. Hinc per Danielem dicitur: *In aula Babylonis deambulabat. Reſponditq; rex & ait: Nõne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei?* Sed hũc tumorẽ quã concita vindicta repreſſerit, ilicò adiunxit, dicens: *Cumq; adhuc ſermo eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex; Regnum tuũ tranſibit à te, & ab hominibus te eijcient, & cum beſtijs feriſq; erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te*. Ecce quia tumor mentis vſq; ad aperta verba ſe protulit, patientia iudicis ꝓtinus vſq; ad ſententiam erupit: Tantoq; hunc diſtrictius perculit, quãto eius ſe ſuperbia immoderatius erexit: & quia connumerando bona dixit, in quib. ſibi placuit: enumerata mala, in quibus feriretur, audiuit. Sciendum verò eſt, quod ipſa hæc, de qua tractamus elatio, alios ex rebus ſæcularibus, alios verò ex ſpiritalibus poſſidet. Alter namq; intumeſcit auro: alter eloquio: alter infimis & terrenis rebus: alter ſummis cæleſtibuſq; virtutibus: vna tamen eademque ante Dei oculos agitur, quãuis ad humana corda veniens, in eorũ obtutibus diuerſo amictu pallietur. Nã cũ is, qui terrena prius gloria ſuperbiebat, poſtmodũ de ſanctitate extollitur, nequaquã cor eius elatio deſeruit: ſed ad eũ conſueta veniens, vt cognoſci nequeat, veſtẽ mutauit. Sciendũ quoq; eſt, quòd aliter hæc ꝓpoſitos, atque aliter ſubditos tentat, prælato namq; in cogitationib. ſuggerit, quia ſolo vitæ merito ſuper cæteros excreuit; & ſi qua ab eo benè aliquando geſta ſunt, hęc importunè eius animo obijcit, & eo hunc Deo ſingulariter placuiſſe inſinuat: quò facilius ſuggeſta perſuadeat, ipſam ad teſtimoniũ poteſtatis traditę retributionẽ vocat, dicens: quia niſi omnipotẽs Deus te his omnibus meliorẽ cerneret, nequaquam hos ſub tuo regimine non dediſſet, eiuſq; mox mentẽ erigit. Viles atq; inutiles eos, qui ſubiecti ſunt, oſtendit: ita

Iob. 41.

Eccl. 10.

ibid.

C

Dan. 4.

D

E vt nullum iam quaſi dignum reſpiciat, cui æquanimiter loquatur: vnde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur. Quia dum cunctos deſpicit, dum ſenſum vitamque omnium ſine moderatione reprehendit, tantò irrefrænatius ſe in iracundiam dilatat, quantò eos qui ſibi commiſſi ſunt eſſe ſibimet indignos putat. At contrà, cum ſubiectorum cor ſuperbia inſtigat, hoc ſummoperè agere nititur, vt ſua acta conſiderare funditus negligant, & ſemper tacitis cogitationibus rectoris ſui iudices fiant. Qui dum in illo quod reprehendere debeant importunè reſpiciunt, in ſemetipſis quod corrigant nunquam vident. Vnde & tantò atrociùs pereunt, quantò à ſe oculos auertunt. Quia in huius vitæ itinere offendentes corruunt, dum alibi intendunt, & quidem peccatores ſe aſſerunt, nec tamen tantum, vt tam noxiæ in regimine perſonæ traderentur, & dum eius facta deſpiciunt, dum pręcepta contemnunt, ad tantam vſque inſaniam deuoluũtur, vt Deum res humanas curare non æſtiment: quia ei qui quaſi iure reprehenditur, eſſe ſe commiſſos dolent. Sicque dum contra rectorem ſuperbiunt, etiam contra iudicia cõditoris intumeſcunt. Et dum paſtoris ſui vitam dijudicant, ipſam quoque ſapientiam omnia diſponentem impugnant, ſe autem rectoris ſui dictis proteruè obijciunt, & eandem vocis ſuperbiam libertatem vocant.

F Sic quippe elatio ſe quaſi pro rectitudine libertatis obijcit: ſicut ſæpe ſe & timor pro humilitate ſupponit. Nam ſicut plerique reticent ex timore, & tamen tacere ſe æſtimant ex humilitate, ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, & tamen loqui ſe credunt per libertatem rectitudinis. Aliquando autem ſubditi proterua quæ ſentiunt nequaquam produnt: & hi quorum loquacitas vix compeſcitur, nonnunquam ex ſola amaritudine intimi rancoris obmuteſcunt: qui per dolorem mentis procacitatis ſuæ verba protrahentes, cum male loqui ſoleãt, peius tacent. Quia cum peccatores aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam reſponſionia verba ſuſpendunt. Cum his quando aſperè agitur, ſæpe ad querelæ voces de hac ipſa aſperitate proſiliunt. Cum verò eos

G magiſtri ſui blandè præueniunt, de hac ipſa humilitate, qua præuenti ſunt, grauiùs indignantur: & tantò eorum mens fortiùs accenditur, quanto conſideratius infirmari dicitur. Hi nimirum quia humilitatem (quæ virtutum mater eſt) neſciunt, vſum ſui laboris perdunt; etiam ſi qua bona ſint, quæ operari videantur, quia ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo non figitur, quę nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra ſolidatur, ſoli ergo ruinæ creſcit, quod ædificant, qui ante molem fabricæ, humilitatis fundamina non procurant. Quos benè ab intimis prodimus, ſi paucis in exterioribus oſtendamus. Cunctis namque, ſuperbia apud ſe cogitatione tumentibus, ineſt clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, improbitas in actione, inhoneſtas in imagine, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione: horum mens ſemper eſt ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad laceſſendos verò alios importuna, ad ea

H quæ facere & debet & præualet, ignaua: ad ea autem quæ facere nec debet nec præualet, parata. Hæc in eo, quod ſponte non appetit, nullis exhortationibus flectitur: ad hoc autem quod latenter deſiderat, quærit vt cogatur: quia dum metuit ex deſiderio ſuo vileſcere, optat vim in ipſa ſua voluntate tolerare. Igitur quia humanos animos aliter tentari ex rebus carnalibus, atque aliter ex ſpiritalibus diximus: audiant illi: *omnis caro fœnum, & gloria eius ſicut flos fœni*. Audiant iſti quod quibuſdam poſt miracula dicitur: *neſcio vos vnde ſitis. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis*: audiant illi: *diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*: Audiant iſti, quæ fatuæ virgines, quæ vacuis vaſculis veniunt ab internis nuptijs excluduntur. Rurſum quia aliter tentari prælatos, atque aliter ſubditos præfati ſumus: audiant illi, quod per quendam ſapientem dicitur: *Ducem te conſtitui, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis*. Audiant iſti, *obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris*. Audiant illi, cum de accepta poteſtate

Eſa. 40.
Eccl. 14.
& 1. Pet. 1
Matt. 25.
& Luc. 13
Pſal. 6.
Pſal. 61.
Mat. 25.
Eccl. 32.
Heb. 13.

gloria-

A gloriatur, hoc quod Abrahæ voce ardenti diuiti dicitur:
Luc. 16. *Memento fili, quia recepiſti bona in vita tua.* Audiant iſti, cum
contra rectores ſuos in querela proſiliũt, hoc quod mur-
muranti populo Moyſi & Aaron vocibus reſpondetur:
Exod. 16. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum: nos e-*
Pſal. 67. *nim quid ſumus?* Audiãt illi, *turbabuntur in conſpectu eius pa-*
Rom. 13. *tres orphanorum & iudices viduarum.* Audiant iſti, quod cõ-
Iac. 4. tra contumaciam ſubditorum dicitur: *qui reſiſtit poteſtati,*
Iob. 15. *Dei ordinationi reſiſtit.* Audiant ſimul omnes: *Deus ſuperbis*
Ezec. 28. *reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Audiant oẽs: *Immundus*
Oſee. 13. *eſt apud Deum omnis qui exaltat cor.* Audiant omnes: *Quid ſu-*
Abd. 1. *perbit cinis & terra?* contra huius languoris peſtem, audia-
Eccl. 10. mus cuncti, quod magiſtra veritas docet, dicens: *Diſcite à*
Matt. 11. *me, quia mitis ſum & humilis corde.* Ad hoc namque vnige-
nitus Dei filius formã infirmitatis noſtræ ſuſcepit: ad hoc
inuiſibilis non ſolum viſibilis, ſed etiam deſpectus appa-
ruit: ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum oppro-
bria, paſſionum tormenta tolerauit, vt ſuperbum nõ eſſe
B hominem doceret humilis Deus; quanta ergo humilita-
tis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam
is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, vſque ad paſſionem
factus eſt paruus? Quia enim originem perditionis no-
ſtræ ſe præbuit ſuperbia Diaboli, inſtrumentum redem-
ptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei. Hoſtis quippe
noſter inter omnia conditus, videri ſupra omnia voluit
elatus. Redemptor autem noſter magnus manens ſupra
omnia, fieri inter omnia dignatus eſt paruus. Sed melius
& elationis cauſam detegimus, & fundamenta humili-
tatis aperimus, ſi breui commemoratione perſtringi-
mus, quid mortis author, quid vitæ conditor dicat. Ille
Pſal. 87. namque ait: *In cælum conſcendam:* iſte autem per Prophe-
Eſa. 14. tam dicit. *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno ap-*
Zach. 2. *propinquauit.* Ille dicit: *ſupra aſtra cæli exaltabo ſolium meum.*
Exod. 25. Iſte humano generi à paradiſi ſedibus expulſo dicit: *Ecce*
& 29. *venio & habitabo in medio tui.* Ille dicit: *ſedebo in monte teſta-*
3. Reg. 6. *menti, in lateribus aquilonis:* Iſte dicit: *Ego autem ſum vermis &*
& 4. Reg. *non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Ille dicit:
4. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo:* Iſte
Eſa. 14. *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem*
Ibid. *Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens,* & per
Phil. 2. membra ſua loquitur, dicens: *Domine quis ſimilis tibi?* Ille
Pſal. 34. per membra ſua loquitur, dicens: *Neſcio Deum, & Iſrael non*
Exod. 5. *dimitto.* Iſte per ſemetipſum dicit: *ſi dixero quia non noui*
Ioan. 7. *eum, ero ſimilis vobis mendax: ſed noui eum, & ſermonem eius*
Eccl. 24. *ſeruo.* Ille dicit: *mea ſunt flumina, & ego feci ea.* Iſte dicit: *non*
Ioan. 5. *poſſum ego à meipſo facere quidquam.* & rurſum: *Pater meus in*
Ioan. 14. *me manens ipſe facit opera.* Ille regna omnia oſtendens dicit:
Mat. 4. *tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia*
C *mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.* Iſte dicit: *calicem quidem*
Matt. 20 *meum bibetis, ſedere autem ad dexteram vel ad ſiniſtram meam*
non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Ille
Gen. 3. dicit: *eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.* Iſte dicit: *non eſt*
Actu. 1. *veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua po-*
teſtate. Ille vt voluntas diuina deſpiciatur, & vt poſſit pro-
Gen. 3. pria ſuadere dicit: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comedere-*
Ibid. *tis ex omni ligno paradiſi?* & paulo poſt: *ſcit enim Deus, quod in*
quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri. Iſte di-
Ioan. 5. cit: *non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit*
D *me.* Ille per membra ſua loquitur, dicens: *nullum pratum*
Sap. 2. *ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: coronemus nos roſis, an-*
tequam marceſcant, vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ. Iſte
Ioan. 16. membris ſuis prænuntiat, dicens: *& plorabitis & flebitis*
vos, mundus autem gaudebit. Ille nihil aliud mentes ſibi
ſubditas docet, quàm celſitudinis culmen appetere,
cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem
omnium hominum alta elatione tranſire, ac ſeſe contra
potentiam conditoris erigere. Sicut de eiſdem per Pſal-
miſtam dicitur: *Tranſierunt in diſpoſitione cordis, cogitauerunt*
Pſal. 72. *& locuti ſunt nequitias.* Iniquitatem in excelſum locuti
ſunt. Iſte ad ſputa, ad palmas, ad colaphos, ad ſpineam
coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem ve-
niens, membra ſua admonet, dicens: *Si quis mihi miniſtrat,*
Ioan. 12. *me ſequatur.* Hucuſque Gregorius. De hinc quæ ſequan-
tur in hiſtoria videamus.

Qui tenuerit, inquit, illam, adimplebitur maledictis, & ſub-
uertet eum in finem: propterea exhonorauit Dominus conuen- E
tus malorum & deſtruxit eos vſque in finem. De ſuperbia
namque naſcuntur hæreſes: ſciſmata, detractiones, in-
uidia, verboſitas, iactantia, contentiones, animoſita-
tes, ambitio, elatio, præſumptio, vanitas, inquietu-
do, mendacium, periurium, & cætera eiuſmodi. Sed
hæc quis dubitet ex cupiditate quoque procede-
re: cum omnes qui fuerint illis omnibus morbis, quos
nominaui, corrupti, habeantur & cupidi? Item cum gu-
loſos, intemperantes, ebrioſos, auidos, rapaces, fornica-
rios, adulteros, ſtupratores, inceſtos, flagitioſos, cupidi-
tas reddat: quando poſſunt ſine ſuperbia tales fieri? ſine
qua omnino non poſſunt Dei præcepta contemni? qui-
bus prohibentur illa omnia mala, quæ ſuperius compre-
hendi: ideoque ſi volumus conſummare noſtri certami-
nis curſum, caueamus imprimis cupiditatem atque ſu-
perbiam, non duo mala, ſed vnum: à quo trahunt omnes F
mali actus initium. Nam ſine ſuperbia quæ poſſunt ſal-
tem inchoari peccata? cum dicatur: *Initium omnis peccati* Eccl. 10.
ſuperbia, aut ſine cupiditate, quæ eſt malorum omnium
radix, quæ poſſunt fieri mala: cum ſine radice omnia, aut
nulla deputentur, aut mortua? Deinde ſi quodlibet pec-
catum perpetrare non poſſum, niſi meæ delectationi
conſentiam, quod cupiditatis eſt proprium: & Dei præ-
cepta contemnam, quod eſt ſuperbiæ malum: quomodo
non ex cupiditate, quæ eſt radix malorum omnium, &
ex ſuperbia, quæ initium omnis peccati dicitur: omnia
mala non naſcuntur, propter quæ mala exhonorabit
Dñs conuentus malorum, & deſtruet eos vſq; in finem?

Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites
pro illis. Huius ſententiæ ſimilitudinem Maria mater Do- G
mini in cantico Euangelico expreſſit, dicens: *Depoſuit po-* Luc. 1.
tentes de ſede: & exaltauit humiles. Quod licet generaliter de
omnib. ſuperbis & omnib. humilibus in fine mũdi poſſit
accipi: Quia *omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humi-*
liat, exaltabitur: tñ ſpecialiter ad Doctores legis priſcę, hoc
eſt Scribas & Phariſæos, & pdicatores Euangelij. hoc eſt,
Apoſtolos & Euangeliſtas transferri poteſt. Deſtruxit er-
go Deus cathedras & magiſterium Scribarum & Phari-
ſæorum: quia venientem filium Dei pręſentialiter recipe-
re reſpuebant: & Apoſtolos homines videlicet mitiſſi-
mos, ſuique magiſtri imitatores fortiſſimos in honore
dignitatis illorum ſublimauit: vt eorum doctrinis atque
exemplis nationes orbis terrarum imbuerentur. Quod
& Propheta in Pſalmis præcinebat, dicens: *Pro patribus* Pſal. 44.
tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem ter-
ram. Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione &
progenie. Sed quia ſicut magiſtri Iudæorum propter per-
fidiam reprobati ſunt: Ita & ipſe populus propter infide-
litatem diſperſus eſt, & gentes in eorum locum creden-
tes Chriſto, & obedientes Euangelio ſucceſſerunt. Inde
ſubiungit, dicens: *Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus,*
& plantauit humiles ex ipſis gentibus. Terras gentium euertit
Dominus, & perdidit eas vſque ad fundamentum, areſecit ex ipſis H
& diſperdidit illos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra. Per-
didit Deus memoriam ſuperborum, & reliquit memoriam humi-
lium ſenſu. Superbarum ergo plebium radices areſecit
Dominus, quando gentem Iudæorum cum ſuis cærimo-
nijs expulit: & plantauit humiles ex ipſis, quando ex ea-
dem generatione Apoſtolos elegit, & primitiuam Eccle-
ſiam in Ieruſalem conſtruxit. *Terras gentium euertit Domi-*
nus, & perdidit eas vſque ad fundamentum, quando homici-
dam ciuitatem per duces Romanos & multitudinem gẽ-
tium, vſq; ad fundamentũ deiecit. Templum quoq; in-
cendio cõcremauit, ipſoſq; præuaricatores partim clade
partim peſtilẽtia & fame, partimq; captiuitate diſperdi-
dit: & Synagogã eorũ per vniuerſas mundi partes diſper-
gens, Eccleſiã per totũ orbem terrarũ ad honorẽ & cultũ
ſui nominis fũdauit: quatenus memoria illorũ cũ ſonitu
periret, & iſtorũ mẽtio in æternũ corã oculis Dei perma-
neret. Nec incongruè hic locus ad perſecutores Chriſtia-
norũ & Martyrũ Chriſti aptari poteſt; quis ergo non cõ-
ſiderat, quòd imperatores mundi regeſque & duces, qui
Eccleſiam Dei propter odium nominis Chriſti du-
dum perſecuti ſunt, & Confeſſores nominis eius atroci

A morte interemunt, modo cũ ſua poſteritate deleti ſunt, & Martyrum gloria in veneratione fidelium vbiq; excellit: illorum quippe memoria obliuioni perpetuæ tradetur, & iſtorum laus & victoria ſine ceſſatione in Eccleſia Chriſti prædicabitur. Ideoque exultatione Prophetica nobis proclamandum teſtat: *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdit. Benedictus Dominus in æternum, fiat fiat.*

Non eſt creata hominibus ſuperbia, neq; iracundia nationi mulierum. Vitia ergo non ſunt creata in hominibus, ſed in peruerſa voluntate rationabilis animi reperta. Omnia enim peccata hoc vno genere continentur. Cum quiſque auertitur à diuinis vereque manentibus, & ad mutabilia

B atque incerta conuertitur, quæ quanquam in ordine ſuo recte locata ſint, & ſuam quandam pulchritudinem peragant: peruerſi tamen animi eſt & inordinati, eis ſequendis ſubijci, quibus ad nutum ſuum ducendis potius diuino ordine ac iure prælatus eſt. Nec creator bonus, qui cuncta quæ fecit valdè bona condidit, in operibus ſuis reprehendendus eſt, ſed neglectio creaturæ à ſummo bono auerſæ valde reprehenſibilis eſt, cum temporalia præponit æternis, & caduca manſuris. Initium enim ſuperbię homines apoſtatare à Deo fecit: quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor eius: & bene dicitur iracundiam nationi mulierum nõ eſſe creatam: quia per mollitiam animi, q̃ ſexus muliebris denotat, iracũdiæ vitiũ ſurgit: ꝙ tamen per conſtantiæ virtutem ſuperatur ac opprimitur.

Semen hominum honorabitur hoc quod timet Dominum, ſemẽ autem hoc inhonorabitur hominum, quod præterit mandata Domini. Semen ponit pro generatione, quia apud Prophetam legitur: Pſal. 23. *Generatio quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Iacob.* Luc. 3. Et in Euangelio alia generatio deſcribitur, hoc eſt, praua & peruerſa, & genimina viperarum.

C Sed generatio rectorum benedicetur: ſuper prauam autem generationem Pſal. 111. *veniet omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ab origine mundi*: hoc eſt, *à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem* nouiſſimi ſancti, qui in fine mundi venturus eſt: *& ibunt impij in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternum.*

In medio fratrum rector illorum in honore, & qui timent Deũ erunt in oculis illius. Ordo Eccleſiaſticus hic eſt, vt Doctores & Prædicatores fidelium ſint apud eos in honore: & maximè illi, qui timorem Dei coram oculis habere probantur. Vnde Paulus præcipit, vt qui benè præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina: & in Euangelio Dominus 1. Tim. 5. ad diſcipulos ait: *qui vos honorat, me honorat: & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Gloria diuitum honoratorum & pauperum timor Domini eſt: noli deſpicere hominem iuſtum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem diuitem. Vera eſt enim gloria, quã timor Dñi parit: quia iuſtitiam & æquitatem ſeruat: nec iuſtum pauperem deſpicit, nec magnificat virum peccatorem diuitem. Omnibus enim congruam reuerentiam exhibet,

D nec in alteram partem declinat deſerto tramite veritatis. Iac. 2. Vnde Iacobus in Epiſtola ſua admonet, dicens: *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ: etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida: introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei, tu ſede hic benè: pauperi autem dicatis, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?*

Magnus eſt iudex & potens eſt in honore, & non eſt maior illo qui timet Deum. Hoc aſſerit quod licet poteſtas terrena in honore ſe exaltet temporali, tamen præcellere timentem Deum non valet. Quoniam iuxta Prophetæ ſententiam Pſal. 33. nihil deeſt timentibus Deum. *Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.*

Seruo ſenſato liberi ſeruient. Hoc iuxta hiſtoriam ſæpe euenit, quod ille qui ignobilis eſt genere, ſed nobilis fide & ſcientia ſcripturarum, illis, qui de nobilitate generis ſe Prou. 17. iactitant, præferatur, ſicut in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Seruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet*: quia vt Eccleſiaſtes ait: *Sapientia confortabit ſapientem ſupra decem poteſtatem habentes, qui ſunt in ciuitate.* E Plus enim poteſt aliqua tribulatione afflictis præſtare ſapientia, quam quælibet maxima poteſtas. Iuxta allegoriam verò, ſeruus Eccleſiaſticus, qui deuota mente religionem ſeruat Chriſtianam, præponitur nobilibus Synagogæ filijs, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Maior ſeruiet minori.* Gen. 25. & , *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui,* Mal. 1. & Rom. 9.

Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus, & inſcius non honorabitur. Huic ſimile eſt illud, quod in Prouerbijs legitur: *argue ſapientem, & diliget te. Corripe ſtultum, & odio te habebit.* Prou. 9. Qui ergo abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis, & alibi: *qui ignorat, ignorabitur*: hoc eſt deſpicietur, non vtique honorabitur. 1. Cor. 14

Noli te extollere in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore anguſtiæ. Prohibet ne quis pro bona operatione ſua ſe iactitet, quia omnis arrogãtia abominatio eſt apud Deũ: & ne quis in aduerſitatibus à bono opere ceſſet: quia tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit.

Melior eſt qui operatur & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur & eget pane. Melius eſt ſcilicet vt quiſque diebus vitæ ſuæ ſtudeat in bona operatione laborare, vnde certa illi reſtat merces remunerationis, quàm vt in vanitate dies ſuos conſumat, & expers fiat pane illo, qui de cœlo deſcendit: quem qui manducauerit, non morietur in æternum. Beatus eſt enim qui manducat panem in regno Dei. F

Fili in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. In manſuetudine animam ſeruat, qui per humilitatem opera exercet pietatis: & dat illi honorem ſecundum meritum ſuum, qui ſe ſpe futuræ mercedis pro ſtudio conſolatur iuſti laboris: quia iuxta Prophetam Deus reddet ſingulis ſecundum opera ſua. Pſal. 61. Prou. 24 & Hie. 25 E contrario verò quid de peccatoribus ſubiungatur, audiamus.

Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam? Exhonorat animam ſuã, qui peccatis illam polluit: & quis iuſtitiæ illi tribuit meritum, quem conſtat ſuæ ſalutis habere neglectum? *Omnes enim oportet nos ſtare ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis ſui, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* 2. Cor. 5. & Ro. 14.

Pauper gloriatur per diſciplinam & timorem ſuum: & eſt homo qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam. G Pauperem hic humilem debes intelligere qui in timore Domini & in obſeruantia veræ Religionis totam gloriam ſuam ſtatuit. De quo per Paulum dicitur: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem DEVS commendat ipſe probatus eſt. Eſt autem alius qui ſuperba intentione in diuitiarum opulentia ſe iactat: de quo memoratus Apoſtolus ad diſcipulum ſcribens ait: *Præcipe diuitibus huius ſæculi non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* 1. Tim. 6.

Qui autem gloriatur in paupertate ſua, quanto magis in ſubſtantia? Ille ergo qui in tribulationibus gaudet, in neceſſitatibus, in anguſtijs nunc pro Chriſto: quanto magis gaudebit, quando peruenerit ad retributionem futurã, & ad diuitias veras, quæ electis Dei ſeruantur in regno cæleſti? H

Qui autem gloriatur in ſubſtantia, paupertatem vereatur. Hoc eſt, ille qui totam fiduciam ſuam ponit in terrenarum rerum abundantia, paupertatem futuram vereatur, memoretque ſemper illam Euangelicam parabolam de diuite purpurato, & paupere Lazaro: quomodo ille de gloria temporali in tormenta proiectus eſt æterna: Iſte autem de miſeria præſentis vitæ ad gaudia conſcendit Iac. 1. ſempiterna. De quo & per Iacobum dicitur: *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua, diues autem in humilitate ſua*: quia omnis qui aduerſa humiliter pro Domino ſuffert, ſublimiter ab illo regni præmia percipiet. E contrario autem diues in humilitate ſua glorietur: quod per Ironiam dicitur, quando gloriam ſuam, qua de de diuitijs ſuperbiebat & pauperes deſpiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam eſſe conſpexerit.

CAPVT

Digitized by Google

A

CAPVT IV.

Sapientia humiliati exaltabit caput ipſius: & in medio magnatorum conſedere illum faciet. Sapientia humiliati eſt fides CHRISTI, quæ per dilectionem operatur. Hæc non philoſophiam humanam, nec iactantiam vanam huius mundi ſectatur: ſed manſuetudinem & modeſtiam ſemper ſui domini imitatur, qui dixit: *Diſcite à me, quia*
Matt. 11. *mitis ſum, & humilis corde.* Vnde fiet quod ſubiungitur, *& inuenietis requiem animabus veſtris.* Poſſeſſores enim ſuos, in medio magnatorum conſedere faciet, quando eos cum Patriarchis & Prophetis, cum Apoſtolis & Martyribus & cæteris ſanctis regni cœleſtis tribuet eſſe participes.

Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Prohibet nequis iuxta ſpeciem corporis æſtimet qualitatem mentis: quia ſicut diuiſa eſt natura animæ & corporis, ita & dignitas eorum eſt diuerſa: nec conſequens eſt vt quantitatem ſtaturæ ſequatur modus ſapientiæ.
B
Vnde & in 1. Regum, vbi Samuelem Dominus miſit, vt
1. Reg. 16. vnum de filijs Iſai vngeret in regem ſuper Iſrael, cum primogenitus eius Eliab introductus eſſet coram Propheta, dixit Dominus ad eum: *ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis iudico:* homo enim videt ea quæ apparent: Dominus autem intuetur cor: & bene ſpecies apis inter cætera volatilia ad comparationem ſumitur, quæ & aculeo pungit, & opera mellis conficit. Sic & in breui corpuſculo ſæpe ingenioſa inhabitat anima: quæ & acumine viget, & in doctrina ſua nouit proferre ſuauitatem ſapientiæ.

In veſtitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris. Quòd autem vanitas veſtium fugienda ſit, Dominus inſinuat in Euangelio, vbi Ioannem Baptiſtam pro aſperitate indumenti laudabilem oſtendit, ad turbas dicens:
Luc. 7. *Quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliciam circa lumbos ſuos: eſca autem erat locuſta & mel
C
ſylueſtre. Et Petrus Apoſtolus in Epiſtola ſua iubet mu-
1. Pet. 3. lieres non indui veſte pretioſa, neque margaritis aut circumdatione auri: ſed magis morum honeſtate & incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus. Proinde non decet honoribus mundanis quemlibet extollere, ſed magis virtutum honeſtate ſemetipſum adornare. Vnde & ſequitur.

Quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa & abſconſa & inuiſa opera illius. Opera enim Dei quia ſecundum veritatem & æquitatem omnia fiunt, ideo mirabilia & glorioſa ſunt, nec non & abſconſa & inuiſa: quia rationem illorum nemo ad integrum inueſtigare poterit. Quę ipſe ſecundum conſilium ſuum & ſapientiam ſuam ſolus agit. Quod intelligens Apoſtolus obſtupendo admirans
Rom. 11. ait: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia:* qui etiam facit magna & inſcru-
Eccl. 18. tabilia. Hinc & Eccleſiaſtes ait: *Intellexi quod omnium o-*
D
perum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt ſub ſole, & quanto amplius laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit inuenire. Quòd enim altum Deus humiliat & altum exaltat, ſuæ poteſtatis atque iudicij eſt, ſicut ſequentia probant.

Multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portauit diadema: multi potentes oppreſſi ſunt valide, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum. Hæc & ſecundum hiſtoriam intelligi poſſunt, quia ſæpe per ordinationem Dei illi ad culmen honoris aſcendunt, qui nullius antea apud homines dignitatis fuerunt, & econtrario illi, qui potentes fuerunt, iudicio Dei preſſi ad paupertatem, & ad deſpectum perueniunt. Similiter & ſecundum allegoriam, populus prior qui de parentum nobilitate iactabat; & in potentia carnali gloriabatur, propter perfidiam diuino iudicio à primatu deiectus eſt: populus vero Gentium propter fidem Dei in filiorum locum ſubrogatus, benedictionem Patriarcharum in hæreditatem perpetuam CHRISTO tribuente percepit. E

Prius quàm interroges, ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris, corripe iuſte. Temerarium iudicium nos facere prohibet: Hinc & in lege Dominus præcepit ne quiſquam puniretur innocens, nec vno contra ſe dicente teſtimonium, ſed in ore duorum vel trium teſtium ſtaret omne verbum. Deut. 17. & 19. Matt. 18. Ioan. 8. 2. Cor. 13. Hebr. 10.
Similiter & Apoſtolus Timotheo iubet vt aduerſum presbyterum accuſationem non recipiat, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus: peccantes autem coram omnibus arguat, vt cæteri metum habeant. 1. Tim. 5.

Prius quàm audias ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum ne adijcias loqui. De quo & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Qui prius reſpondet antequam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat* Prou. 18.
& confuſione dignum. Id eſt, qui prius doctor eſſe deſiderat quàm diſcat, ſtultitiæ noxam non declinat. Qui iudicare proximorum facta priuſquam plenè cauſam vtriuſque partis dinoſcat, inordinatè feſtinat, & ille ſe con- F
fuſione dignum demonſtrat: quia magis pertinacem quàm prudentem eſſe probat.

De ea re quæ te non moleſtat ne certeris: & in iudicio peccantium ne conſiſtas. Admonet vt in ſuperfluis rebus non nimis ſimus curioſi, & peccantium prauitati non conſentiamus. Docet enim Apoſtolus, *vt habentes alimenta &* 1. Tim. 6.
quibus tegamur, his contenti ſimus. Et alibi: *Non ſolum,* inquit, *qui faciunt mala, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni* Rom. 1.
ſunt morte. Beatus enim vir eſt qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Fili, ne in multis ſint actus tui, & ſi diues fueris, non eris immunis à delicto. Docet ſapientia filios ſuos ne certent vltra modum in adipiſcendis terrenis lucris, quia peſtem auaritiæ & inuidiæ & huiuſmodi non deuitat. Vnde & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Vir qui feſtinat ditari & alijs in-* Prou. 28.
uidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniat ei. Et item: *Conturbat* Prou. 15.
inquit, *domum ſuam, qui ſectatur auaritiam.* Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri argenti magni & inſtabiles. Et in Eccleſiaſte: *Auarus,* inquit, *non imple-* G Eccl. 5.
bitur pecunia: & qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis. Iuxta tropologiam verò ſæpe ſuſcepta cura regiminis cor per diuerſa diuerberat: & impar quiſque inuenitur ad ſingula, dum confuſa mente diuiditur ad multa. Vnde hic conſultè per ſapientiam dicitur: *fili ne in multis ſint actus tui:* quia videlicet, nequaquam plenè in vniuſcuiuſque operis ratione colligitur, dum mens per diuerſa partitur. Cumque foras per inſolentem curam trahitur, à timoris intimi ſoliditate vacuatur, fitque in exteriorum diſputatione ſollicita, & ſui ſolummodo ignara. Scit multa cogitare, ſe neſciens: nam cum plus quàm neceſſe eſt ſe exterioribus implicat, quaſi occupata in itinere obliuiſcitur quo tendebat: ita vt à ſtudio ſuæ inquiſitionis aliena, ne ipſa quidem quæ patitur damna conſideret, & per quanta delinquat ignoret.

Si enim ſecutus fueris, non apprehendes: & non effugies, ſi præcurreris. Quia non eſt in poteſtate accipientis ſed dantis. Nam ſi per æſtum auaritiæ incitatus exardeſcit diuitias aggregare, veras diuitias non apprehendet, & ſi fidei deuotione præcurrat virtutum opera exercere, proſequentur eum in futura remuneratione opes ſupernæ. H
Iuxta allegoriam autem hæreticorum actus multi ſunt: quia vnitatem fidei & veritatis tramidem ſeruare nolunt. Vnde totus labor eorum vanus eſt, quam in copia Rhetoricæ & Dialecticæ artis condendo plures libros expendunt: nec immunes ſunt à delicto: quia tota meditatio eorum eſt in dolo. Hinc & Eccleſiaſtes nos admonet, dicens: *Fili mi caue ne facias multos libros, quibus* Eccl. 12.
non eſt finis, & reliqua. Moris eſt ſcripturarum, quamuis plures libros, ſi inter ſe non diſcrepent, & de eadem re ſcribant, vnum volumen dicere. Nam & volumen in Eſaiæ ſermone ſignatum eſt omnis ſcriptura Dei: & vno capitulo libri Ezechiel Ioanniſque nectuntur. Saluator quoque omnium retro Sanctorum vocibus Prophetatus ait: In capite libri ſcriptum eſt de me. Iuxta hunc

A Pſal. 39. Hebr. 10. igitur ſenſum arbitror nunc præceptum ne plures libri fiant: Quicquid enim dixeris, ſi ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum Deus verbum, vnum volumen eſt, & innumerabiles libri, vna lex, vnum Euangelium, quòd ſi diuerſa diſcrepantia diſputaueris, & curioſitate nimiâ huc atque illuc animum adduxeris, etiam in vno libro multi libri ſunt. Prou. 10. Vnde dictum eſt: *ex multiloquio non effugies peccatum.* Talibus igitur libris non eſt finis. Bonum enim omne & omnis veritas certo fine concluditur: malitia atque mendacium ſine fine ſunt: & quanto plus requiruntur, tanto maior eorum ſeries naſcitur.

Eſt homo laborans & feſtinans & dolens impios, & tanto magis non abundat: eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Domini reſpexit illum in bono, & erexit illum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Dominum. Iſte locus Chriſtiana magis exprimit tempora, in quibus illi qui paupertatem voluntariam ſectantur, B magis abundant omnibus bonis, quam illi, qui certant in acquirendis quotidie terrenis diuitijs. Pſal. 33. Quod & Pſalmiſta in vno verſiculo breuiter expreſſit, dicens: *Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Terrarum ſiquidem diuites, & pauperes CHRISTI, magnificâ contrarietate diſtinxit. Ait enim: *diuites eguerunt & eſurierunt.* Quando egent diuites? quando fidem non habent rectam: Quando eſuriunt? quando paſtu corporis dominici minime ſatiantur. Tales ergo diuites egent, & ſaturati ventre, ſpiritu ſemper eſuriunt. Quid enim habeant, qui Deum requirunt? ſubſequitur: *inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*: quia nullo bono deficiunt, qui ſpiritali perfruuntur: nam cum diligimus Dominum, in ipſo omnia reperimus. Vnus eſt qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! O compendium ſingulare! Cur nos per diuerſa fatigemus? ad ipſum ergo vnanimiter feſtinemus, poſt quem cuncta bona vltra non quærimus, ſed tenemus, ſicut Apoſtolus dicit: Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

C *Bona & mala vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt,* Eſa. 45. Legitur in Eſaia Dominum dixiſſe: *Ego Dominus, & non eſt alter formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Vnde quæritur quomodo bona & mala à Deo ſint, & vita & mors? cum Scriptura dicat: Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona.* Sap. 1. Et alibi: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium.* Sed iuxta conſequentiam priorum hic intelligimus bona pro proſperis, & mala pro aduerſis poſita: ſimiliter vitam ſalutem & mortem interitum carnis ſignificaſſe. Non enim Deus alia fecit niſi bona: ſed tamen iuſto iudicio ſuo peccantibus prouenire permittit aduerſa. Facit ergo ipſe Deus res inter ſe contrarias, lucem & tenebras, id eſt, diem & noctem, pacem & malum, hoc eſt, otium & bellum. Per quæ ſignificat iratum ſe fuiſſe populo ſuo, quando tenebras captiuitatis, malaque ſuſtinuit ſeruitutis, & rurſum miſertum, quando remiſſi in patriam pacem & gaudium receperunt. Quomodo luci contrariæ tenebræ ſunt, ita paci contrarium D eſt bellum. Vnde & confunditur hæreſis, quæ malorum arbitratur conditorem Deum: cum hic malum non contrarium bono, ſed pro afflictione ponatur & bello: Matth. 6. ſecundum illud quod in Euangelio ſcriptum eſt: *Sufficit diei malitia ſua;* ſed cum hæc ita ſe habeant, videamus quid ſequitur.

Datio, inquit, *Dei permanet iuſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum.* Solis ergo iuſtis, hoc eſt, fidelibus & Deum timentibus donum perpetuæ lucis ſeruatur, & in profectu virtutum ambulantes multiplici mercede in æternum remunerantur.

Eſt qui locupletatur parce agendo, & hæc pars mercedis illius in eò quòd dicit, inueni requiem mihi: & nunc manducabo de bonis meis ſolus, & neſcit quod tempus præter eat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis. His ſimilia Saluator in Euangelica parabola de diuite narrauit, cuius ager vberes fructus protulit, & dixit reputans apud ſe: E Luc. 12. *deſtruam horrea mea, & faciam ea maiora, & dicam animæ meæ: anima comede & bibe & lætare habes multa bona poſita in annos plurimos,* cui talia cogitanti reſpondit Dominus: *ſtulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* De quo & Eccleſiaſtes loquitur, dicens: Eccl. 5. *eſt languor peſſimus, quem vidi ſub ſole, diuitias cuſtoditas in malum poſſidentis eas, & peribunt diuitiæ illæ in diſtentione peſſima, homoque extraneus vorabit illas.* Secundum ſimplicem ſenſum diuitem auarum deſcribit, qui ſtultiſſimâ ſe parcitate cruciando alijs deuorandas conſeruat diuitias. Cæterum vt altius eleuemur, de Philoſophis mihi videtur & hæreticis dicere, qui congregant diuitias dogmatum in malum ſuum, nec repertores vtilitatem poſſunt aliquam conſequi, nec ſectatoribus ſuis fructum relinquere perpetuum; ſed ipſi & diſcipuli eorum reuertuntur in terram, & perdunt diuitias ſuas. Homo autem Eccleſiaſticus, qui in Scripturis cœleſtibus omnem laborem habet, quicquid in ſapientiæ dogmatibus inuenerit, totum ad vſum boni operis F conuertere ſatagit. Vnde cœleſtem vitam in remuneratione futura poſſidebit: hinc & conſequenter ſequitur.

Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce. Ne manſeris in operibus peccatorum, fide autem in Deo, & mane in loco tuo: facile eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtari pauperem. Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat, & in honore veloci proceſſus illius fructificat. Stat in teſtamento ſuo, & in illo colloquitur: qui in præcepto diuinitùs ſibi commendato fideliter manet, & in illo aſſiduè meditatur. In opere mandatorum Dei veteraſcit, qui in bonis operibus vſque ad finem perſeuerare ſtudet, & à peccatis omnibus quantum poſſibile eſt cauet, qui enim fide ſtat, & iuſtè viuere certat, benedictio Dei in æterna beatitudine illum remunerabit, & repletum fructu virtutum in ſuperna arce collocabit.

Ne dicas quid eſt mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? nec dicas, ſufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor? Arrogantium hæc vox eſt, qui ſtulte confidunt in potentia terrena, & in diuitijs caducis, atque voluptatibus ſæculi, quibus nihil prodeſt hæc fiducia, quia inſtabilis & tranſitura eorum eſt ſubſtantia. Vnde ſubiungitur. G

CAPVT V.

IN *die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum: quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas, malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ: & in fine hominis denudatio operum illius.* Semper debet homo eſſe ſuſpectus & ſollicitus de ſtatu ſalutis ſuæ, & timore Dei comprimere tumorem mentis, ne in proſperis eleuetur: & ſpe miſericordiæ Dei anguſtiam animi ſui ſubleuare, ne in tribulatione deficiat: quoniam facilè eſt apud Deum humilem exaltare & ſuperbum humiliare. In fine enim hominis tunc manifeſtabitur quali mente quis hic vixerit, & cuius ſit meriti: quia *filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui,* Matt. 16. *& tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Quod autem dicit: *malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ*: malitiam ponit pro aduerſitate & tribulatione, quæ ſubito H veniens totum luxum præteriti temporis diſſoluit: vt eſt illud verbi gratia, cum febris valida, vel paupertas grandis arripuerint hominem, omne tempus quod in ſanitate & delicijs antea conſumebat, in obliuionem tradit, & ſola miſeria vel ægritudo occupatum illum tenet, nec iam aliud cogitare permittit: vel ſi aliquando ei in cruciatu conſtituto quiddam priſtinæ felicitatis in memoriam venerit, nequaquam illi refrigerium præſtat, ſed pœnam accumulat.

Ante mortem non laudes hominem quemquam, quoniam in filiis ſuis agnoſcitur vir. Nimis abſurdum eſt militem adhuc in agone conſiſtentem, quaſi iam victorem laudare: cum incertum ſit vtrum hoſtem vincat, aut ab eo vincatur: ſed peracto bello iam condigna palma conſequitur triumphantem: ita & incertum eſt cum viderimus quemlibet bene agentem & iuſte viuentem, vtrum in eo

vſque

A vſque ad finem perſeuerat an non. Si autem in recta fide & bonis operibus perſeuerauerit vſque ad finem vitæ, tunc iam laude dignus & ab omnibus eſt prædicandus, quoniam in filijs vir agnoſcitur, hoc eſt, ex bonis actibus hominis meritum illius probatur.

Non omnem hominem inducas in domum tuam, multa enim inſidiæ ſunt doloſi. Licet hæc ſententia tropologicè admoneat, ne ſimus incauti & improuidi erga ignoros & alienos, quia ſæpe ſimulata ſpecies fallit innocentes: tamen altiore ſenſu ſocietatem prohibet hæreticorum, ne eis cum aliquid in ſermonibus ſuis aut actibus veri & boni aſſimulauerint, cito aſſenſum præbeamus; ſed iuxta A-
1. Ioan. 4. poſtolum, qui ait: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus qui ex Deo ſunt.* Omnia probemus, & ſic quod bonum eſt teneamus. De quo ipſa veritas diſcipulos docu-
Matth. 7. it, dicens: *Attendite autem vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

B *Sicut enim eructant præcordia fœtantium, & ſicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum: ſic & cor ſuperborum.* Hanc ſimilitudinem de animantibus ſenſu ſagacioribus & viſu perſpicacioribus ideo poſuit, vt oſtenderet, quod ſæpe illi, qui ſe prudentes æſtimant, per verſutiam hæreticorum capiantur. Sicut enim plenus venter male digeſtum cibum fœtide eructat: ita & hæreticorum corda dolos, quos intus malitioſe conſtruunt, foras fraudulenter producunt: quatenus quoſcunque poſſunt in caueam erroris ſui, & in laqueum nequitiæ præcipitent.

Et ſicut proſpector videns caſum proximi ſui, bona enim in mala conuertens inſidiatur, & in electis ponet maculam. Proſpicit hæreticus caſum proximi, & non eum adiuuat: quia tota intentio eius eſt, ad nocendum & ad ſubuertendum auditorem ſuum. Bona enim teſtimonia ſanctarum Scripturarum in mala dogmata ſecundum prauitatem ſenſus ſui conuertens, ſemper ad decipiendum paratus eſt. Vnde & ſæpe in illis, qui per bona opera electi eſſe videbantur, ingerit maculam erroris ſui.

C *Ab ſcintilla vna augetur ignis, & ab vno doloſo augetur ſanguis: homo vero peccator ſanguini inſidiatur.* Sicut enim à parua ſcintilla ingens incendii excitatur flamma, ita & ab vnius hæretici malitia multorum perditionis exiſtit cauſa: peccator ſanguini inſidiatur, cum hæreticus vitæ hominum mortem ingerere molitur. Sanguis enim pro vita hominis hic intelligitur. Sed quid inde ſapientia facere perſuadeat, videamus.

Attende tibi, inquit, *à peſtifero, fabricat enim mala: ne forte inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum.* Hæreticus enim cooperatur diaboli, qui per doli machinationes quemcunque ſubuerterit, æterna confuſione dignum eſſe oſtendit. Vnde magnopere curandum eſt, & omne ſtudium impendendum, ne ſeducamur ab huiuſmodi hominibus, quorũ doctrina & opera aliena ſunt à Chriſti Eccleſia: Vnde & alienigenam in ſequentibus talem nominat: quia omnino alieni ſunt à generatione quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Iacob, & pertinent ad illam generationem, de qua ſcriptum eſt:
Matt. 23. *Generatio praua & peruerſa, à qua omnis ſanguis iuſtorum requiretur, qui effuſus eſt ab initio mundi, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, qui occiſus eſt inter templum & altare.*
D Innocentes enim interficiunt: & in templo Dei, hoc eſt, lege diuina mortem moliuntur miniſtris Chriſti. Vnde ſequitur.

Admitte ad te alienigenam, & ſubuertet te in turbine, & abalienabit te à tuis proprijs. Non eſt admittendus huiuſmodi hoſtis ad communionem Eccleſiæ: quia periculoſa eſt eius ſocietas: ſubuertet enim aſſenſorem ſuum in confuſione erroris: & alienum eum eſſe facit à Chriſti membris, cum eum participem effecerit ſuæ peruerſitatis.

CAPVT VI.

E Cap. 12. *SI benefeceris ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam: & ſi non ab ipſo, certe à Domino.* Hæc ergo Euangelica eſt doctrina, & concordat ſermonibus Saluatoris. Primum enim hortatur vt ſimplici animo facias eleemoſynam, quia ita ſolummodo miſericordiæ opera apud Deum probantur, ſi ſimplici & munda intentione exhibeantur: *Atten-*
Matth. 6. *dite* inquit, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Id eſt, cauete hoc animo tenere, vt cum iuſtè viuatis, ſiue aliquid boni operis faciatis, ibi bonum veſtrum conſtituatis, vt vos videant homines; illiſque placeatis, laudemque ab eis accipere quæratis, & ob hoc vero mercedis fructu priuemini. Vnde & ſubditur: *Alio-* Ibid. *quin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Hinc iterum ait: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.*
F *Benefac,* inquit, *iuſto, & inuenies retributionem magnam.* Benefacit iuſto, qui ob iuſtitiæ amorem opem porrigit egeno, cuius retributio eſt magna, quia aut hic viciſſitudinem recipiet charitatem fraternam, aut ab ipſo Domino in futuro remunerabitur arce ſuperna. *Beati enim qui eſu-* Matth. 5. *riunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Non eſt ei bene, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynam non danti: quoniam & altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. Grauiſſimum crimen eſt & impietati deputandum, quod quis poſt peccati commiſſum non vult pœniteri, nec peccata eleemoſynis redimere; ſed addit peccata peccatis, & mala multiplicat in ſceleribus plurimis: & deſperans de ſemetipſo, nullo modo ſibi ſubueniet per pœnitentiæ lamentum. Hinc & per Prophetam Dominus ait: *Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper* Amos. 1. *quatuor non conuertam eum.*

Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem, & impijs peccatoribus reddet vindictam, cuſtodiens eos in die vindictæ. Qui indigenti eleemoſynam tribuit, nec eum propter delictum
G aliquod commiſſum ſpreuerit: bene miſericordiam iure cuſtodit: quia natura in eleemoſynarum largitione conſideranda eſt, non perſona. Vnde dicit: *Da miſericordi, & non ſuſcipias peccatorem.* Immitibus autem & immiſericordibus Deus reddet vindictam, reſeruans illis condignum præmium in die vindictæ: quem Apoſtolus appellauit diem iræ. *Dies enim iræ eſt peccatoribus, quo punientur.* Rom. 1. Ideo ipſis eſt ira: quia ſentiunt pœnam in die reuelationis iuſti iudicii Dei. Reuelabitur enim, id eſt, agnoſcetur quod modo futurum negatur: quod enim modo quaſi occultum reſeruatur, tunc quaſi manifeſtum vlciſcetur.

Da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio. Huic ſimile eſt quod in Tobia legitur: *Pa-* Tob. 4. *nem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare neque bibere cum peccatoribus:* panem enim ſuum & vinum præbet peccatoribus, qui iniquis ſubſidia, pro eo quod iniqui ſunt, impendit: Vnde & nonnulli huius mundi diuites, cum fame crucientur Chriſti pauperes, effuſis largitatibus nutriunt hiſtriones. Qui vero etiam indigenti peccatori panem ſuũ, non quia
H peccator, ſed quia homo eſt, tribuit: nimirũ non peccatorẽ, ſed iuſtũ nutrit: quia in illo nõ culpã, ſed naturã diligit. Aliter autem ſi ſecundũ allegoriam peccatorem & impium hic hæreticos intelligis: tamdiu non eſt illis communicandum, quamdiu in errore perſeuerant. Vnde & ipſa veritas in Euangelio ait: *Nolite ſanctum dare ca-* Matth. 7. *nibus neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. Ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.* Canes enim pro expugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus poſitos non incongrue accipimus. Hinc & Paulus ait: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam increpa-* Tit. 3. *tionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & proprio iudicio condemnatus.* Quod autem ſequitur, ad eundem ſenſum referri poteſt.

Prohibe panes illi dari, ne in ipſis potentior te ſit. Non enim

Digitized by Google

A panis verbi Dei myſterijs cœleſtibus plenus talibus tribuendus eſt; ne fortè in blaſphemiam erumpant, & blaſphement bonum nomen, quod inuocatum eſt ſuper nos. Hinc Paulus ad Timotheum ſcripſit, dicens: *A-*
2.Tim. 4. *lexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundum opera eius, quem & tu deuita: valde enim reſtitit ver-*
1. Ioan. *bis noſtris.* Hinc & Ioannes ait: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis:* qualis autem ſit hæretica doctrina oſtendit ſequens ſententia.

Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis quæcunque feceris illi: quoniam & altiſſimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam. Duplex eſt enim omnis hæreticorum doctrina, id eſt, dubia & doloſa: quia illi in expoſitione bonarum ſententiarum diuinæ legis expendunt: & ideo mala cum aliquando vera inuiti proferunt, aliquando verò falſa veris ſpontè intermiſcent, & ita corrumpunt atque confundunt omnia, vt nihil apud eos penè ſince-
B rum ſit. Vnde & macula lepræ illorum varium colorem habens Domini manu indiget curari. Duplicia enim mala ſemper eſſe inuenies in omnibus ijs, quia vir du-
Iacob.1. plex animo ſecundum Iacobi ſententiam inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. Vbi autem zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Et alibi ſcriptura
Eccl. 2. dicit: *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Duabus quippe vijs peccator terram ingreditur, quando hæreticus in quibuſdam vera pronuntians, in quibuſdam verò falſa & omnino deteſtanda prædicans, terram Eccleſiæ maculare feſtinat: ideoque illi væ perpetuum remanebit, quoniam & altiſſimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam, quando ibunt in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.

CAPVT VII.

NOn agnoſcetur in bonis amicus, & non abſcondetur in malis inimicus, agnitus eſt in bonis viri inimicus illius, in triſtitia & malitia illius amicus.* Multò paratiùs atque faciliùs in
C aduerſitate amicus & inimicus quàm in proſperitate probantur: quia multi amici menſæ non permanebunt in die neceſſitatis. Qui enim verè alicuius amicus eſt, in tribulatione eius condolet & compatitur ei: qui autem falſo amicus eſt, ſimulat quidem ſe amicitiam veram habere, cum proſperitas arridet: Indicat autem ſe falſum amicum eſſe, cum tribulationi non condolet: An veram amicitiam Paulus non habuit? qui ait. *Quis infir-*
2. Cor.11. *matur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non*
1. Cor. 9. *vror?* Et item: *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lu-*
Rom.12. *crifacerem.* Et alibi: *Gaudere,* inquit, *cum gaudentibus. flere cum flentibus.* Inimicus verò in eo probatur, quia in bonis proximi inuidens contriſtatur, & in aduerſitate illius exultans lætatur. Nec proſperitas quippe amicum indicat, nec aduerſitas inimicum celat. Quia & ille ſæpe proſperitatis noſtræ reuerentia tegitur, & iſte ex confidentia aduerſitatis aperitur. Vir igitur iuſtus in flagellis poſitus dicat: Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit: quia nimirum, qui ex aduerſitate proximum deſpicit, apertè conuincitur: quia
D hunc in proſperis non amauit, & cum omnipotens Deus ideo quoſdam percutiat, vt & percuſſos erudiat, & non percuſſis occaſionem boni operis præbeat: quiſquis percuſſum deſpicit, occaſionem à ſe virtutis repellit: & tantò ſe nequius contra authorem erigit, quantò hunc nec pium in ſalute propria, nec iuſtum in alieno vulnere agnoſcit.

Non credas inimico tuo in æternum. ſicut enim æramentum æruginat nequitia illius: & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum & cuſtodi te ab illo, non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam, ne fortè conuerſus ſtet in loco tuo, ne fortè conuerſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, & in nouiſſimo agnoſcas verba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris. Præſens ergo capitulum licet iuxta hiſtoriam de falſis amicis, hoc eſt, doloſis inimicis poſſit intelligi, qui nequaquam firmi ſunt in fide & dilectione, quibus vtique non debet facilè credi, ſed magis à talibus conuenit caueri; E
tamen altiori ſenſu denotat hæreticos, quos & ſuperius vituperauit. Illi enim veri inimici ſunt, quorum doctrina plena eſt rubigine erroris & nequitiæ. *Sermo enim illorum vt cancer ſerpit,* & ideo non debet eis credi in æternum, etiam ſi ſe humiliantes fingant eſſe fideles & Catholicos: quibus in nulla parte debemus conſentire, nec poteſtatem in nobis tribuere, quam ſignificat dextera: ne fortè nos à loco noſtro, hoc eſt, à ſtatu rectæ fidei amoueant. Inquirunt enim cathedram noſtram, hoc eſt doctrinam ſua malitia ſtudent ſubuertere: Quibus quicunque conſentit, æterno dolore in gehenna ignis cruciabitur. Iſti etiam difficilè corriguntur. Vnde & ſubiungitur.

Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? & qui comitatur cum viro iniquo & obuolutus eſt in peccatis eius. Incantator enim ſpiritalis hæreticus eſt, quia doctoris officium gerit, & animarum medicum ſe eſſe credit, ſed hic dum à ſerpente antiquo percuſſus eſt, & venenum malitiæ eius ſemel hauſit, diffici- F
le curabitur. Vnde & Saluator in Euangelio docens diſcipulos ſuos ait: *Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal euanuerit, in* Matth. 5.
quo ſalietur? ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & Marc.9.
conculcetur ab hominibus. Sicut ergo ſal infatuatum, cum ad condiendos cibos carneſque ſiccandas valere deſierit, nulloiam vſui aptum erit. Neque enim (vt alius teſtatur Euangeliſta) in terram vtile eſt, cuius iniectu germinare prohibetur. Neque in ſterquilinium agricultu- Luc.14.
ræ profuturum, quòd viuacibus licet glebis immixtum non fœtare ſemina frugum, ſed extinguere naturaliter ſolet. Sic omnis qui poſt agnitionem veritatis retro redierit, neque ipſe fructum boni operis ferre, neque alios excolere valet: ſed foras mittendus, hoc eſt, ab Eccleſiæ vnitate ſecernendus eſt. Qui enim appropinquat beſtiis, hoc eſt, malignis ſpiritibus, ſiue hæreticis, & qui comitatur cum viro iniquo, (à quo Pſalmiſta ſe deprecatur Pſal. 17.
liberari) & malignitate eius implicatur, vix inde eruitur. Et ideo neceſſe eſt omnino à ſocietate talium declinari.

Vna hora tecum permanebit: ſi autem declinaueris, non ſup- G
portabit. Hoc eſt ad horam ſe veracem & fidelem ſimulat: ſed declinando à ſemita iuſtitiæ ſi eum obaudieris, malitiam eius ſufferre non valebis.

Quia in labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, vt ſubuertat te in foueam: in oculis ſuis lacrymatur inimicus, & ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine. Si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem, & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas. Caput ſuum mouebit & plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum. In omnibus ergo his ſententijs bene peruerſorum fictionem inſinuat, qui vana loquuntur ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & loquuntur mala: qui inſidiantur, vt rapiant pauperem, inſidiantur in occultis, vt interficiant innocentem. Qui dum aliquem deceperint, caput mouent, plaudunt manu, & exultantes dicunt: Euge, euge, abſorbuimus eum. Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus Prou.2.
peſſimis. Sed ſi recordati fuiſſent, quid de eis Sapientia in Prouerbijs diceret, forſitan pœnitentiam egiſſent. De quibus ita ſcriptum eſt: *Homo apoſtata, vir inutilis graditur* Prou.6.
ore peruerſo: annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo cor- H
de machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat: huic extemplò veniet perditio ſua, & ſubitò conteretur, nec habebit vltra medicinam.

CAPVT VIII.

QVi tetigerit picem, inquinabitur ab illa: & qui commu-* Cap. 13.
nicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Per ſimilitudinem picis oſtendit nociuam eſſe communionem ſuperbientis, qui nigredine pollutus vitiorum maculare non ceſſet nitorem humilium. Vnde ſcriptum eſt: *Amicus ſtultorum,* Prou. 13
efficietur eis ſimilis. Et item: *Noli,* inquit, *eſſe amicus homini* Prou.22.
iracundo, neque ambules cum viro furioſo: ne fortè diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Hæc ſententia generaliter licet ad omnes furioſos atque iracundos pertinere

A poſſit: tamen ſpecialiter denotat hæreticos omni nequitia pleniſſimos: Generaliter autem dicendum eſt: quia ſicut perfecti viri peruerſos proximos non debent fugere, quia illos ſæpe ad rectitudinem trahunt, & ipſi ad peruerſitatem nunquam trahuntur: ita infirmi quiq; ſocietatem debent declinare prauorum: ne mala quæ frequenter aſpiciunt & corrigere non valent, etiam delectent imitari.

Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat, & ditiori te ne ſocius fueris, quid communicabit caccabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint confringentur. Diues iniuſtè egit & fremet, pauper autem læſus tacebit. Si largitus fueris, aſſumet te: & ſi non habueris, derelinquet te. Si habes conuiuet tecum, & euacuabit te: & ipſe non dolebit ſuper te, ſi neceſſarius illi fueris, ſupplantabit te, & ſubridens ſpem dabit tibi: narrans tibi bona dicet: quid opus eſt tibi? & confundet te in cibis ſuis, donec te exinaniat bis & ter, & in nouiſſimo deridebit te, poſtea videns derelinquet te, & caput ſuum mouebit ad te. Hæc ſimiliter iuxta mortalitatem nos inſtruunt, vt ſemper humilia ſectemur,
B & quæ ſuperba ſunt penitus fugiamus. Vnde Iacobus
Iacob. 2. Apoſtolus ait: *Fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* IESV CHRISTI *gloriæ. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens & in veſte candida: introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis: Tu ſede hic bene. Pauperi autem dicatis: Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?* Et cæ-
1. Pet. 5. tera. Hinc & Petrus dicit: *Omnes autem inuicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Myſticè autem docet, vt diuitem Iudæum qui in litera legis gloriatur, & hæreticum qui ſuperba intentione ſpernit ſenſum Catholicum, eligens ea quæ ipſe vana argumentatione conſtruit omnino deuitemus, quia cum illi Euangelicam humilitatem deſpiciunt, ſuam peruerſitatem omnibus pernitioſam eſſe oſtendunt. Iidem quoque exinaniunt nos bis & ter: cum duorum teſtamentorum ſinceritatem corrumpunt, & rectitudinem fidei ſanctæ Trinitatis vbicunque poſſunt auferre non
C deſiſtunt. In nouiſſimo quoque errore ſuo deceptos derident, quia æterna confuſione illos dignos eſſe oſtendent, quando cum Diabolo & Angelis eius in pœna gehennæ perpetualiter gement. Proinde dicit:

Attende ne ſeductus in ſtultitia humilieris. Hoc eſt erronea doctrina deprauatus, ne confundaris.

Noli eſſe humilis in ſapientia tua: ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris. Non humilitatis virtutem habere diſſuadet, quæ in omnibus laudabilis eſt: ſed authoritatem firmam contra expugnatores veritatis tenere docet: quia nullo modo his eſt cedendum, ſed fortiter reſiſtendum. Vnde
Galat. 2. Paulus ſcribens ad Galatas, huiuſcemodi hominibus gloriatur fortiter ſe reſtitiſſe, neque ad horam ceſſiſſe. Et
2. Cor. 10. ad Corinthios: *In carne,* inquit, *ambulantes, non ſecundum carnem militantes. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei: & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium* CHRISTI, *& in promptu habentes vlciſci omnem*
Tit. 1. *inobedientiam.* Hinc idem Apoſtolus diſcipulo ſuo præ-
D cepit, quomodo quoſdam redargueret, dicens: *Increpa illos durè, vt ſani ſint in fide non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe à veritate. Omnia munda mundis: Coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, ſed inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Hinc & Iudas Apo-
Iuda. ſ. ſtolus ait: *In nouiſſimo tempore venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Vos autem chariſſimi ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, ipſos vos in dilectione Dei ſeruate: & hos quidem redarguite iudicatos.*

Aduocatus à potentiore diſcede: ex hoc enim magis te aduocabit, ne improbus ſis, ne impingaris, & ne longe abſis, ne eas in obliuionem, ne retineas ex æquo loqui cum illo, & ne credas multis verbis illius, ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis: immitis animo illius, & conſeruabit verba tua: & non parcet de malitia & de vinculis. E
Temperanter nos agere cum poteſtatibus iſtius mundi ſapientia docet: ne fortè, ſi incautè cum illis ambulemus, offendamus. Inſolentia enim ipſorum & ſuperbia frequenter deridet innocentium ſimplicitatem, & deſpectos eos habet, quos à negotijs mundi ſe abſtinere videt: ſed quoniam ordo talis eſt mortalis vitæ, vt alij excellant diuitijs & potentia, alij deprimantur inopia & egeſtate: Ita ſanè ſe conformet ſeruus CHRISTI cum poteſtatibus mundi, vt eis debitum honorem ſecundum ſcripturarum traditionem conferat, & tamen timorem Domini ac mandatorum eius cuſtodiam nullo modo derelinquat. Quod & Petrus in Epiſtola ſua nos agere hor-
tatur, dicens: *Sicut ſerui Dei omnes honorate, fraternitatem diligite: Deum timete, regem honorificate.* Vult enim nos *1. Pet. 2.*
liberos eſſe à ſeruitio culparum, vt ſerui creatoris noſtri
boni & fideles permanere poſſimus: & monet vt congruum cunctis impendamus honorem, ac iuxta imperi- F
um Domini *Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt reddamus,* qui autem incautè & inconſideratè cum talibus conuerſatur, & eis plus æquo ſemetipſum manifeſtat, verſutia illius ſe deceptum poſtmodum dolebit. Vnde & ſubiungitur. *Luc. 20.*

Caue tibi & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum ſubuerſione tua ambulas, audiens verba illa quaſi in ſomnis, vide & vigilabis omni vita tua. Nihil tutum, nihil firmum apud mundi amatorem: quia cum mutabilibus rebus inhianter incumbit, ſimul cum illis inceſſanter permutatur. Vt
alibi ſcriptum eſt: *Stultus vt Luna mutatur.* Potes & hæ- *Eccl. 27.*
reticos & falſos Chriſtianos in huiuſmodi potentibus ſpiritaliter intelligere, quibus nunquam plenam fidem adhibere debes, quia inconſtantes ſunt in omnibus vijs ſuis: & ſi te ab illis non obſeruabis, quando conſumpſeris carnem & corpus, ſine fine pœnitebis.

Dilige Deum, & inuoca eum in ſalute tua. Cæteris reprobatis quæ mutabilia & caduca ſunt, hoc ſolum quod ſtabile & manſurum eſt, commendat; hoc eſt, vt Deum
diligas, & mandata eius obſerues, & auxilium eius quo- G
tidie implores: quoniam *bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe,* *Thren. 3.*
animæ quærenti illum. Prope eſt omnibus timentibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & orationes eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſibi, omnis caro ad ſimilem ſibi coniungitur, & omnis homo ſimili ſibi ſociabitur. Ad ea quæ ſuperius poſuit hæc referenda ſunt, hoc eſt, vt diuitum & potentium iſtius mundi, qui ſuperbiunt in abundantia diuitiarum ſuarum, declines ſocietatem, & cum eo amicitia coniungaris, qui tibi ſtudio & religione par & conſors eſt. Nam (vt ſancti Patres tradiderunt) cum multa ſint genera amicitiarum, quæ carnales & minus intelligentes æſtimant ad veram pertinere dilectionem, ſolummodo hoc vnum genus eſt inſolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officij vel munerum magnitudo contractuſue cuiuſquam ratio, vel naturæ neceſſitas iungit: ſed ſola ſimilitudo virtutum; hæc eſt, quæ nullis vnquam caſibus ſcinditur, quam non ſolum diſſociare vel delere H
locorum vel temporum interualla non præualent, ſed ne mors quidem ipſa diuellit. Hæc eſt vera & indiſrupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concreſcit: cuius ſemel initum fœdus nulla aduerſitas mutare poteſt, nec deſideriorum varietas violare. Cætera verò interrumpit frequenter ac diuidit locorum diſcretio, & obliuio temporalis, & verbi vel cauſæ negotiorumq; contractus. Vt enim ex diuerſis vel lucri vel libidinis, vel conſanguinitatis ac neceſſitudinum variarum ſocietatibus acquiri ſolent, ita intercedente qualibet diuortij occaſione ſoluuntur. Igitur quàm inconueniens ſit eorum ſocietas, quos inæqualitas animorum & diſparitas morum omnino disiungit, ſubſequenti ratione per exempla comprobat, dicens.

Digitized by Google

A *Si communicabit lupus agno aliquando, ſic peccator iuſto, quæ*
communicatio ſancto homini ad canem? Aut quæ pari bona di-
uiti ad pauperem? Venatio leonis, onager in eremo: ſic paſcua
ſunt diuitum pauperes. Et ſicut abominatio eſt ſuperbo humili-
tas, ſic & execratio diuiti pauper. Sicut enim rapacitas lupi
cum agni innocentia non conuenit, ſic auari rabies cum
ſimplicis modeſtia nullo modo concordat. Quæ eſt e-
nim communicatio ſancto homini ad immundum pol-
lutumque ſordibus peccatorum? Quia *ſicut canis reuerti-*
tur ad vomitum ſuum, ita qui iterat ſtultitiam ſuam. Itaque
nulla paritas eſt ſuperbi diuitis cum humilitate pauperis
Christi, ille enim ad deprehendendum ſemper
paratus eſt: iſte ab omnibus ſæculi illecebris ſe abſtinet.
Ille proximum per elationem mentis deſpicit: iſte ad-
uerſarium ſuum per humilitatem patientiæ ſuſtinet. Sed
ille imitator Diaboli factus de ſublimi in tartarum deci-
dit: iſte verò veſtigia Christi ſecutus de terrenis
ad cœleſtia regna conſcendit.

Diues commotus confirmatur ab amicis: Humilis autem cum
B *ceciderit expellitur & à notis, diuiti decepto multi recuperatores:*
locutus eſt ſuperbè, & iuſtificauerunt illum: humilis deceptus eſt,
inſuper & arguitur. Locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei lo-
cus: diues locutus eſt, & omnes tacuerunt: & verbum illius vſ-
que ad nubes producent. Pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt
hic, & ſi offenderit, ſubuertunt illum. Adhuc ergo eundem
tenorem ſeruat quem ſuperius de diuite & paupere cœ-
perat, quia multi ſunt, qui per adulationem diuitum
verba & facta exaltant, & pauci qui humilium doctri-
nam & virtutem ritè intelligunt. Arrogantes enim ſem-
per inueniunt ſuos prædicatores, & humiles econtrario
reperiunt ſui contemptores atque reprehenſores. Iuxta
Prou. 19. illud quod in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Diuitiæ addunt a-*
micos plurimos, à paupere autem & hi, quos habuit, ſeparantur.
Ibid. Et item: *Multi*, inquit, *colunt perſonam potentis, & amici*
ſunt dona tribuentis: fratres hominis pauperis oderunt eum, in-
ſuper & amici procul receſſerunt ab eo. Quod etiam iniu-
ſtum iudicium Eccleſiaſtes videns inter homines,
Eccl. 9. reprehendit, dicens: *Hanc quoque vidi ſub ſole ſapien-*
tiam & probaui maximam: Ciuitas parua & pauci in ea
C *viri, venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, ex-*
truxitque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio.
Inuentuſque eſt vir pauper & ſapiens, & liberauit vrbem
per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt ho-
minis illius pauperis. Et dicebam ego meliorem eſſe ſapienti-
am fortitudine: quomodo ergo ſapientia pauperis contem-
pta eſt, & verba eius non ſunt audita, alijs omnia in-
certa dicentibus, & iuſtum ab iniuſto amplius ni-
hil habere? Ego ſapientiam Dei maximè etiam in
hoc comprobaui, quòd contra omnium ſuſpicio-
nem vir pauper & ſapiens tanto malo liberat ci-
uitatem, & ingratam hominum miror obliuionem;
qui poſtquam fuerint liberati, nemo meminit ſapi-
entis illius pauperis: nemo refert gratias pro ſalu-
te; ſed omnes honorant diuites, qui in periculo ni-
hil ſubuenire potuerunt. Quinquam enim nullus me-
minerit ſapientis pauperis illius, cum læta ſint om-
nia, ſed vniuerſi diuitias & potentiam admirentur:
D ego tamen ſecundum patrum traditiones magis honoro
contemptam ſapientiam, & verba, quæ nullus audire
dignatur.

Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcien-
tia: & nequiſſima paupertas in ore impij. Bona eſt e-
nim & vitis ſubſtantia, quæ per iuſtitiam acquiri-
tur, & non per fraudem vel auaritiam congrega-
tur, quia huiuſmodi poſſeſſoris conſcientiam doli
vel malitiæ peccatum non concutit. Conturbat au-
tem domum ſuam qui ſectatur auaritiam: quoniam abo-
minatio apud Deum eſt. Pondus & pondus, & ſtatera
doloſa non eſt bona. Hæc autem iuxta hiſtoriam, ſe-
cundum allegoriam autem bona eſt ſubſtantia ſancta-
rum ſcripturarum, quam fidelis vir meditando & benè
operando coaceruat in mentis ſuæ ſinum, quòd etiam
non compungit erroris delictum: quia non deſeruit ve-
ritatis ſtatum. Econtrario verò hæreticorum doctrina
inops ſemper veritatis nequiſſima eſt, quia opulentia E
charitatis in ea non eſt, & ideo dicit nequiſſimam pau-
pertatem eſſe in ore impij, quia verbis malignis præparat
ſibi egeſtatem ſempiternam.

Cor hominis immutat faciem illius ſiue in bona ſiue in mala.
Sæpe per indicium vultus & verborum qualitatem de-
prehenditur motus mentis, ſiue ad bonum, ſiue ad
malum. Iuxta illud, quod in Prouerbijs legitur: *Cor* Prou. 15.
gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deijcitur Spiritus.
Et Dominus in Euangelio: *Bonus*, inquit, *homo de bo-* Matt. 12.
no theſauro cordis ſui profert bonum, & malus homo de
malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os lo-
quitur.

Veſtigium cordis boni & faciem bonam difficile inuenies &
cum labore. Quia multi ſimulatè viuunt & fictè loquun-
tur, ideo dicit difficile hunc inueniri, in quo cor & faci-
es, hoc eſt cogitatio & operatio atque doctrina in bono
concordent. Vbicunque autem hoc inueneris, da glo-
riam Deo: quia ipſius eſt donum, à quo etiam *omne da-* Iacob. 1.
tum optimum, & omne donum eſt perfectum. Hæretici au- F
tem omnes atque ſchiſmatici extranei ſunt ab hoc mu-
nere: quia procul ſunt à recta fide & bona operatione:
Omnia enim munda mundis: Coinquinatis autem & infideli-
bus nihil mundum, quoniam polluta eſt eorum mens & conſci-
entia.

CAPVT IX.

B*Eatus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo, & non eſt ſti-* Cap. 14.
mulatus in triſtitia delicti. Beatum dicit eum eſſe, qui
verborum ſuorum cautelam habet: ne fortè ea loqua-
tur, de quibus poſtmodum pœniteat: quia qui cuſto-
dit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs ani-
mam ſuam. Huic quippe ſententiæ concordant verba
Iacobi, dicentis: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus* Iacob. 3.
eſt vir. Sed quæritur quomodo dicit perfectum eſſe vi-
rum, qui in verbo non offendit? cum præmitteret idem
Apoſtolus dicens: *In multis offendimus omnes.* Et Salo- Ibid.
mon ait: *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non* Eccl. 7.
peccet. Et Pſalmiſta: *Ego*, inquit, *dixi in exceſſu mentis meæ,* Pſal. 30.
omnis homo mendax. Et Ioannes Euangeliſta: *Si dixeri-* 1. Ioan. 1.
mus, ait, *quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ve-* G
ritas in nobis non eſt. Ad quod reſponderi poteſt: quia
diuerſæ offenſionum ſunt ſpecies: Aliter namque ele-
cti, aliter offendunt reprobi, Salomone teſtante, qui ait:
Septies enim cadit iuſtus, & reſurgit: impij autem corruent Prou. 24.
in malum. Etſi enim iuſtus per fragilitatem carnis, vel i-
gnorantiam forte offenderit, iuſtus tamen eſſe non de-
ſiſtit: quia vt quotidiana eſt huiuſmodi & ineuitabilis
offenſio: ita eſt & quotidiana orationum ac bonorum
operum medela, quæ offendentem iuſtum, ne in
terram proruat, & nuptialem charitatis ac fidei ve-
ſtem puluere vitiorum ſordidet, ocyus erigit. *Si-*
quis ergo *in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir.* Illo
videlicet verbo, cuius offenſionem humana poteſt vi-
tare fragilitas: vt eſt verbum doli, detractionis, ma-
ledictionis, ſuperbiæ, iactantiæ, excuſationis in pec-
catis, æmulationis, diſſenſionis, hæreſis, mendacii,
periurij, ſed & otioſæ necnon etiam ſuperfluæ locutio-
nis, in his quæ neceſſaria videntur: in quo nimirum H
verbo quiſque ſe ſine offenſione cuſtodit, hic perfectus
eſt vir.

Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excedit à ſpe
ſua. Felix eſt qui in præſentis vitæ aduerſitatibus
non contriſtatur, ſed agonem ſuum Domino com-
mendat, ſperans ab ipſo in futura vita mercedem
laboris ſui. Item felix eſt, qui cauet ſe à peccatis: Vn-
de meritò contriſtatur, quiſquis ſe his implicauit, &
bonis operibus inſiſtit, pro quibus ſperare debet
præmia æternæ vitæ. Omnis enim, qui Dei man-
data cuſtodit, & fidem, ſpem & charitatem ſeruare
in præſenti vita contendit: ſi vſque ad finem perſeuera-
uerit, æternam in cœlis beatitudinem cum Chri-
sto poſſidebit. Dicit enim Ioannes Apoſtolus: *Cha-*
riſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam 1. Ioan. 3.

habe-

Digitized by Google

A *habemus ad Deum, & quodcunque petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Cor noſtrum non reprehendit nos, ſi à malis actibus abſtinemus, & bona opera agimus, non pro terrena laude, ſed pro cæleſti gloria. Et iuxta illud dominicum præceptum: Dimittimus debitoribus noſtris, ſicut & nobis debita noſtra ab eo dimitti volumus. Tunc fiduciam habemus, quòd ea quæ à Deo petierimus, accipiemus: quia eius voluntati obtemperare in omnibus parati ſumus. Magna hæc & deſiderabilis fidelibus data promiſſio. Siquis verò tam vecors & abſurdus eſt, vt promiſſis non delectetur cæleſtibus, ſaltem pertimeſcat hoc, quod econtrario ſapientia terribiliter intonat, dicens:
Prou. 8. Qui *auertit aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

Viro cupido & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido ad quid aurum? Qui acervat ex animo ſuo iniuſtè alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Auaritiæ peſtem nequiſſimam deſcribit, quæ excruciat mentem poſſeſſoris ſui, nec eum permittit laboris ſui conſequi fructum: ſed
B ipſe in egeſtate vitam ſuam agens, omnia quæ per fas nefaſque congregauit, alijs conſumenda relinquit. De quo
Eccleſ. 6. in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *Si quis vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturaq; careat: de hoc ego pronuntio quòd melior ſit illo abortiuus. Fruſtra enim venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.* Nempe diuitem auarum demonſtrat, qui cum ſtultiſſima ſe parcitate crucians, alijs deuoranda conſeruet bona, eiuſque anima cupiditate & auaritia contabeſcat, multo deterioris conditionis ſit abortino illo, qui ſtatim vt natus eſt interijt. Ille enim nec mala nec bona vidit. Iſte verò cum bona poſſederit, ſemper triſtis & cogitatione excruciatus eſt, & tamen ambo æquali fine rapientur.

Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis ſuis. Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo nequius: Et hæc redditio eſt malitiæ illius: & ſi benefecerit, ignoranter & non volens facit: & in nouiſſimo manifeſtat malitiam ſuam. Licet hæc ſecundum hiſtoriam voluntatem & vitam auari & inuidi
C deſcribant, qui fruſtra laborant, quoniam laborem ſuum inaniter conſumunt, nec de bonis ſuis vnquam lætitiam habebunt: tamen allegorico ſenſu deſignant Philoſophos & Hæreticos, qui ſine Chriſti fide congregant diuitias dogmatum in malum ſuum, à quibus ipſi nullam vtilitatem poſſunt conſequi, nec ſectatoribus ſuis fructum relinquere perpetuum: immò pœnam itidem inuentores malorum ſimul & ſequaces eorum metentur æternam: & perdunt diuitias ſuas quas ſibi perpetualiter proficere ſperabant.

Nequam eſt oculus liuidi: & auertens faciem, & deſpiciens animam ſuam. Quia ſuperius dixerat, nihil eſſe iniquius illo, qui ſibi inuidet, hoc eſt legitimè bono non vtitur conceſſo: eo quòd propter auaritiam & parcitatem negligit bonum habere largitatis & miſericordiæ, hunc quoq; idem repetit, dicens: Oculum liuidi eſſe nequam, hoc eſt mentem malignam. Vnde & auertit faciem ſuam, ne indigenti miſericordiam tribuat: nec ſuæ animæ conſulit, ſeminans terrena, vt metat cæleſtia. Congregat enim diuitias in malum ſuum. Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea,
D & anima eius non implebitur bonis. Vnde & ſubiungitur.

Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur donec conſumat areſaciens animam ſuam. Sine fructu enim bonorum operum conſumit vitam ſuam, & ſterilem animam perpetuis ignibus gehennæ tradit excruciandam.

Oculus malus ad mala, & non ſatiabitur pane, ſed indigens & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam. Oculum hic appellat intentionem mentis per quam malus homo ſemper vergit ad mala, peruerſa ſcilicet opera faciendo & perpetrando grauia peccata, hic non ſatiabitur pane vitæ, ſed in remuneratione futura indigentia laborabit perpetua. Myſticè autem hæreticorum oculus, quia ſemper ad errores ſequendos intentus eſt, panem cæleſtem, hoc eſt intellectum diuinæ ſapientiæ non meretur: ſed in menſa

E ſacrarum ſcripturarum indigentia tenuatur ſempiterna.

CAPVT X.

F*ILI, ſi habes bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor eſto quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum quod demonſtratum eſt tibi. Teſtamentum enim huius mundi morte morietur.* Hæc Euangelica doctrina eſt ad futuram & cæleſtem nos inſtruens vitam; vt contempta mundi luxuria, bonorum operum dignas oblationes Deo quotidie offeramus: quia breue eſt huius vitæ ſpacium, in quo licet operari. Finis autem vniuerſorum appropinquat, quando iam non eſt tempus operandi, ſed ſingulos quoſque iuxta meritum ſuum remunerandi. Vnde ipſa veritas
ait: *Currite dum lumen habetis, ne fortè tenebræ vos comprehendant.* Et item: *dum lucem* (inquit) *habetis, credite in lucem, vt* *Ioan. 12.*
filij lucis ſitis. Et iterum: *Operamini donec dies eſt: Venit enim* *Ibidem.*
nox, quando iam non licet operari. Hinc & Paulus ait: *Ioan. 9.*
Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, *Galat. 6.*
maximè autem ad domeſticos fidei. De hoc & ſubiungitur. F

Ante mortem bene fac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi: & non defrauderis à die bona, & particula boni operis non te prætereat: nonne alijs relinques labores tuos & dolores? Hic tempus eſt benefaciendi, illic autem mercedem accipiendi. Hic tempus laboris, illic requiei. Hic hora ſeminandi, illic fructus metendi. Vnde & per Pau-
lum dicitur: *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet:* & ali- *2. Cor. 9.*
bi: *Qui parcè* (inquit) *ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet* vitam æternam: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Hinc & in Prouerbijs ſapi-
entia admonet, dicens: *Vſquequo piger dormies? quando con-* *Prou. 6.*
ſurges è ſomno tuo? Paulum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, vt dormias & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus: ſi vero impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas longe fugiet à te. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia eius. Iuſti autem in perpetuum viuent: & apud Dominum eſt merces eorum.

G *In diuiſione ſortis da & accipe, & iuſtifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* In diuiſione ſortis dat & accipit, qui hic verbum doctrinæ proximis ſuis impendit, & bonorum actuum exempla relinquit, vt in futuro pro hoc præmium æternæ vitæ accipiat. Iuſtificat ille animam ſuam, qui per confeſſionem & pœnitentiam mundat mentem ſuam: & operatur iuſtitiam, qui mandatorum Dei diligentem ha-
bet cuſtodiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire *Pſal. 6.*
cibum, hoc eſt pabulum vitæ. *Quoniam non eſt* (inquit) *in morte qui memor ſit tui: In inferno autem quis confitebitur tibi.*

Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia deijciuntur: ſic generatio carnis & ſanguinis: Alia finitur, & alia naſcitur. Comparat humanam naturam ſecundum carnis conditionem ad fœni & folij ſimilitudinem: quia ſicut fœnum in terra, vel folium in arbore naſcitur, creſcit, vireſcit, exſiccatur & deijcitur: Ita carnis noſtræ natura naſcitur ex progenie parentũ, creſcit in infantia atq; pueritia, floreſcit in
adoleſcẽtia, matureſcit in iuuentute, areſcit in ſenectute, H
& deijcitur in morte. Vnde p Eccleſiaſtẽ dicitur: *generatio*
vadit & generatio venit, terra in ſeculũ ſtat: hinc & Eſaias ait: *Eccleſ. 1.*
omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quaſi flos agri, exſiccatum eſt *Eſa. 40.*
fœnum, & cecidit flos; quia Spiritus Dei ſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populus: exſiccatum eſt fœnum, cecidit flos; verbum autem Domini noſtri manet in æternum. A generali incipiens: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni,* peruenit ad ſpeciale, vt nihilominus dicat de populo: *Verè fœnum eſt populus.* Et reuera ſiquis fragilitatem carnis aſpiciat, & quod per horarum momenta creſcimus atque decreſcimus, nec in eodem manemus ſtatu, ipſumq; quod loquimur dictamus & ſcribimus de vitæ noſtræ parte præteruolat: Nõ dubitauit carnem fœnũ dicere, & gloriã eius quaſi

A florem fœni, ſiue prata camporum: qui dudum infans, ſubito puer: qui puer, repentè iuuenis: & vſque ad ſenectutē per ſpatia mutatur incerta: & antè ſe ſenē intelligit, quàm iuuenem non eſſe miretur. Pulchra mulier, quæ adoleſcentulorum poſt ſe trahebat greges, aratâ fronte contrahitur: & quæ prius amori, poſtea faſtidio eſt. Quod & egregius apud Græcos ſcribit Orator ſpeciem corporis aut tempore deficere aut languore conſumi. Exſiccata eſt igitur caro, & cecidit pulchritudo: quia Spiritus furoris Dei atq; ſententiæ flauit in ea, vt à generali diſputatione ad Scripturæ ordinem reuertamur: qui portat imaginem terreni, & ſeruit vitijs atq; luxuriæ, eius caro fœnum eſt, floſque præteriens; qui autem habet atq; cuſtodit imaginem cæleſtis, illa caro eſt, quæ cernit ſalutare Domini, quæ quotidie renouatur in cogitationem ſecundum imaginē creatoris, & incorruptibile atq; immortale corpus accipiens mutat gloriā nō naturam: *verbum autē Dei noſtri.* & hi qui verbo ſatiati ſunt, *permanent in æternū: vnde ſubiungitur.*

B *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum ipſo, & omne opus electum iuſtificabitur. Et qui operatur illud, honorabitur in illo.* Opus corruptibile in fine deficiet, quando carnalis concupiſcentia cum infructuoſis operibus carnis in fine præſentis vitæ ſine remuneratione deficiet vitæ æternæ: & qui illud operatur, cū ipſo ibit, quando anima ſimul cum carne, per quam peccauit, pro peccatis ſuis in interitum vadit, & omne opus electum iuſtificabitur, hoc eſt, effectus bonarum actionū, iuſtitiæ præmium merebitur: operatorque illius honorabitur in ipſo, quando cum electis Angelis, & ſanctis hominibus regno potietur æterno: quod & Paulus Apoſtolus in epiſtola ſua
Galat. 6. oſtendit, dicens: *Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet; quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem: qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.*

Beatus vir qui in ſapientia ſua morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei. Beatum illum eſſe deſcribit qui in ſapientia morabitur, hoc eſt in meditatione ſanctarum Scripturarum aſſiduus erit, & ſecundum id quod ibi legit rectè viuendo opera facit iuſti-
C tiæ: & hæc agens non humanum fauorem, ſed diuinam quærit laudem: illi ſoli placere cupiens, qui inſpector eſt cordis, & quem nemo fallere poteſt.

Qui excogitat vias illius in ſuo corde, & in abſconditis illius intelligens, vadens poſt illam quaſi inueſtigator, & in vijs illius conſiſtens. Viæ ſapientiæ ſunt præcepta diuina, & abſcondita illius cæleſtia ſunt ſacramenta: hæc ergo qui diligenter dicit, & ſtudioſè meditando rimatur, hoc opere ſtudens perficere, quod ſana intelligit fide, ipſe ſine dubio beatus erit: quia conditori ſuo veraciter placebit: quod & Pſal-
Pſal. 118. miſta ſimiliter comprobauit, dicens: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.*

Qui reſpicit per feneſtras, & in ianuis illius audiens. Feneſtræ ſunt ſapientiæ teſtimonia Scripturæ ſacræ; ianua quoque linguæ prædicatorum in his, qui aſſiduè diſcendo commoratur, oculumque mentis & aurem obedientiæ exhibet, ille proculdubio claritatē ſuperni luminis percipiet.

Qui requieſcit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum. Domum ſapientiæ poſſumus intelligere Scripturam ſacram, vbi ipſa latet & velamento literarum tegi-
D tur, ſed à piè quærentibus ſalubriter inuenitur: parietes autem illius duo ſunt teſtamenta, in his qui figit palum, hoc eſt, ſcribendi adhibet ſtudium ſecundum regulam vtique fidei, & ſenſum Catholicum, remunerationis ſuæ non perdet præmium.

Statuet caſulam ſuam ad manus illius, & requieſcunt in caſula illius bona per æuum. Et quid per caſulam niſi ſacerdotij dignitas exprimitur? ille enim caſulam ſuam ad manus ſapientiæ apponit, qui Doctoris officium in Eccleſia gerens ſanæ doctrinæ opera iuſtitiæ coniungit: vt auditores ſuos per rectam doctrinam ſimul inſtruat, & per bona exempla: vt in vtriuſque muneris vtilis fiat expenſione.

Statuet filios ſuos ſub tegmine illius, & ſub ramis illius morabitur: protegetur ſub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requieſcet. Tunc filios ſuos bonus Doctor ſtatuet ſub tegmē

E ſapientiæ, quando ſubditos eos faciet cæleſti diſciplinæ: quia & ſub ramis illius morabuntur, quando iuxta traditionem eius irreprehenſibiliter conuerſabuntur. Protegetur ſub tegmine illius à feruore, quia eius munere ab inimicorum defendetur furore: hic & in gloria eius requieſcet, quia per eius ducatum ſpem vitæ æternæ habebit.

Qui timet Deum faciet bona, & qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illam. Perſpicuum eſt quòd nemo, niſi per timorem Dei & conuerſationem iuſtitiæ, executor fieri poſſit ſapientiæ: quantò enim quis ſollicitior eſt in cuſtodia mandatorum Dei, & ſtudioſior in iuſta conuerſatione, tantò largius gaudet in ſapientiæ perceptione.

Et obuiabit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Meritò ergo Sapientia mater nuncupatur propter gratiam nutrimenti, & virgo propter ſpeciem pulchritudinis & ſanctitatem caſtitatis, quoniam nihil in ea eſt immundum neque coinquinatum: ipſa eſt enim candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius: & per ipſam ſanati ſunt, quicunque placuerunt Deo à principio. F

Cibauit illum pane vitæ & intellectus. Dicitur panis vitæ, dicitur & panis mendacij; ſed panis vitæ corpus eſt Chriſti, vel doctrina diuinæ Sapientiæ: *quia non in pane ſolo viuit* Matt. 4.
homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Panis vero mendacij, doctrina eſt hæreticorum: quæ commeſſoribus ſuis mortem infert perpetuam.

Et aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Legitur aqua in bono, legitur & in malo: ſed aqua in bono, ſignificat gratiam Spiritus ſancti, vel hauſtum cæleſtis Sapientiæ: vt eſt illud Dominicum: *qui biberit* (inquit) *aquam quam ego dabo* Ioan. 4.
ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Aqua autem in malo, vt eſt illud in Prouerbijs: *aquæ furtiuæ dulciores* Prou. 9.
ſunt, & panis abſconditus ſuauior: quod nimirum ſignificat ſectam & deceptionem hæreticorum, quæ etiam tibus propter eloquentiam verborum videtur eſſe ſuauior & probabilior.

Et firmabitur in illo, & non flectetur. Firmabitur in ſanctis viris vigor cæleſtis Sapientiæ, qui neſcit hæreticis & impugnatoribus Catholicæ fidei & veræ religionis vllo modo cedere, ſed fortiter reſiſtere: & hoc donum eſt Dei, qui
G vtique per Spiritus ſui gratiam fideles contra aduerſarios ſuos confirmat & roborat. Vnde & ſequitur.

Et continebit illum & non confundetur. Qui enim adhæret Domino, nequaquam confuſionem inimicorum patietur, ſed veritate vincente ſatis vbique honorabitur. Vnde Propheta ad Dominum ait: *Vniuerſi qui te expectant Domi-* Eſa. 49.
ne, non confundentur, confundantur iniqui facientes vana: & item: *Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, dum loquetur inimicis ſuis in porta.*

Exaltabit illum apud proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ aperiet os illius, & implebit illum Spiritu ſapientiæ & intellectus: & ſtola gloriæ veſtiet illum. Iucunditatem & exultationem theſaurizabit ſuper illum, & in nomine æterno hæreditabit illum. Eleganter expreſſit formam Apoſtolorum & Prædicatorum ſancti Euangelij, quos diuina Sapientia, Chriſtus videlicet, qui eſt Dei virtus & Dei Sapientia, vniuerſæ præpoſuit Eccleſiæ, & præ cæteris fidelium turbis in arce dignitatis collocauit: hunc ergo cætum eximium Doctorum
H diuina potentia intus Spiritus ſui gratia illuminauit, & foris copiam elocutionis adminiſtrauit: vt bonum quod ipſi intelligebant mente, alijs facundo exponerent ſermone: & rectè, vt ſummus Dominus, qui electis diſcipulis ſuis ſacerdotij dignitatem tribuit, elegantiam ſimul ſanæ doctrinæ, & auditatem ſacrarum virtutum tribueret, quatenus nomen bonum & præmium magnum in cæleſti regno pro hoc hæreditarent in perpetuum.

Homines ſtulti non apprehendent illam: & homines ſenſati obuiabunt illi. Homines ſtulti ſunt pagani, qui idola vana colunt pro vero Deo: ſunt & Iudæi, qui crucifigentes filium Dei, & reſpuentes Euangelium eius temporibus gratiæ, vmbram legis ſeruare volunt. Sunt etiam & hæretici, qui ſinceritatem ſacrarum Scripturarum ſuis erroribus corrumpunt, & homines falſis doctrinis decipiunt. Hi ergo omnes non apprehendent Sapientiam, quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: & in maleuolam

animam

Digitized by Google

A animam non introibit Sapientia. Econtrario autem homines ſenſati, hoc eſt, homines Catholici & religioſi, hi obuiant illi: quia cogitatione, ſermone, ſimul & opere diuinæ decernunt obtemperare voluntati: ſuperius enim dixerat, quod qui continens eſſet iuſtitiæ, is apprehenderet Sapientiam, & obuiaret illi quaſi mater honorificata: & nunc dicit ſenſatum hominem obuiare eidem Sapientiæ: vt intelligamus diuinam pietatem ſemper pronam eſſe ad miſericordiam, & ſponte ſuam hominibus conferre velle gratiam, ſi ad eius perceptionem condignam eorum inuenerit diligentiam: dicit enim alibi ipſa Sapi- Prou. 8. entia: *ego diligentes me diligam, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me*: quod autem ſequitur.

Homines ſtulti non videbunt illam, longe enim abeſt à ſuperbia & dolo. Oſtendit ſuperuacuum & inutilem eſſe hæreticorum laborem, qui penè quotidie deſudant docendo & ſcribendo, diuinorum librorum ventilantes ſententias, cum procul ſint ab intelligentia veræ ſapientiæ: ſuperbia enim illorum qua contemnunt ſanctorum Patrum ſequi regulam, B & dolus, quo auditores ſuos à tramite iuſtitiæ ſeducere certant, non permittit eos ad illius peruenire notitiam: cæci enim ſunt, & duces cæcorum, & in errorem mittentes: ideo cum ſequacibus ſuis ſimul cadent in foueam perditionis.

Viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces inuenientur in illa. Qui ſunt viri mendaces, niſi hæretici & omnes corruptores legis Dei? qui non ſunt Sapientiæ Dei memores, quia veritatis ſunt deſertores, & mandatorum Chriſti contemptores, ſi enim veraces eſſe voluiſſent, nunquã Euangelio Dei contraria ſentirent vel docerent. Ait enim ipſa veritas: *omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam*: viri ergo veraces ideo inueniuntur in illa, quia credendo, meditando, atq; bene operando ſemper commorantur in ipſa.

Et ſucceſſum habebunt vſque ad inſpectionem Dei. Hi ergo ſucceſſum, hoc eſt, profectum virtutum habebunt, vſque ad contemplationem vultus Dei: donec æternâ claritate diuinæ maieſtatis cum Angelis Dei perpetualiter ſatientur, & impleatur in eis illud Pſalmiſtæ quod de electis Dei ſub Pſal. 1. typo bonæ arboris protulit, dicens: C *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non decidet, & omnia quæcunque fecerit proſperabuntur.* Ambulabunt enim de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion: econtrario vero, quid ſequatur de aduerſarijs legis Dei, videamus.

Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, quoniam non eſt à Domino miſſus. Non eſt enim Deo placita doctrina hæreticorũ, quæ fraude & malitia plena eſt, & mendacio ſordet: nec ipſi ex Deo, hoc eſt, ab Spiritu Dei ſunt ad prædicandum directi, ſed maligno Spiritu inflati ex corde ſuo proferunt ea, quæ peruerſe loquuntur. De quibus Pſalmiſta ait: Pſal. 11. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt mala: diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam: qui dixerunt: linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis* Hier. 14. *noſter Dominus?* hinc & per Hieremiam dicitur: *falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.*

Quoniam à Deo profecta eſt ſapientia. Omnis enim ſapientia D (ſicut principiũ libri huius teſtatur) à Domino Deo eſt: quia Chriſtus vnigenitus Dei filius à Deo patre natus Ioan. 16. eſt, qui in Euangelio ait: *Exiui à patre, & veni in mundum*: & Ioan. 12. iterum: *Ego lux in hunc mundum veni*: à Deo enim profecta eſt ſapientia: quia à fonte vitæ proceſſit veritatis doctrina, cui ritè omnis competit laus, virtus & gloria: Vnde & ſequitur.

Sapientia enim Dei aſtabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi. Dat enim Dominus fideli amatori ſuo intellectum ſapientiæ & verba prudentiæ, vt legis ſuę 1. Tim. 2. verax agnitor & idoneus doctor exiſtat; nec ipſe donum largitatis ſuæ alicui inuidet, qui vult omnes homines ſaluos eſſe, & ad agnitionem veritatis peruenire: ideo conſequenter dicit.

Non dixeris, per Deum abeſt: quæ odit enim ne feceris. Cauendum eſt ne ea faciamus, quæ illi diſplicere omnino non ignoramus, & ſic eius ſapientiæ veraciter participes ſumus. E Vnde & ſcriptum eſt: *concupiſcis ſapientiam? ſerua mandata, & Dominus præbebit illam tibi.* Eccle. 1.

Non dicas ille me implanauit, non enim neceſſarij ſunt illi homines impij. Non eſt enim erroris noſtri, & prauæ actionis cauſa Deo deputanda: quia ruina noſtra non eſt illi neceſſaria, ſed magis ipſe alleuat omnes qui ruunt, & erigit omnes eliſos: de quo Iacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua ſcripſit, Iacob. 1. dicens: *nemo cum tentatur, dicat quod à Deo tentetur: Deus enim intentator malorum eſt*, ſubauditur tentamentorum: ipſe enim neminem tentat. Ea videlicet tentatione, quæ decipit miſeros vt peccent: *bonus eſt enim Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum.* Tren. 3.

Omne execramentum erroris odit Deus, & non erit amabile timentibus illum. Sicut enim omnem errorem deteſtatur Deus, ſic & ille qui timet Deum, execratur vniuerſam erroris nequitiam, & omni ſtudio atque ſagacitate feſtinat peruenire ad veritatis notitiam.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS. F

CAPVT I.

DEus *ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui: adiecit mandata, & præcepta ſua.* Conditor ergo noſter quando creauit cælum & terram, & diuerſas ſpecies germinum atq; animalium in eis eſſe conſtituit: hominem ad imaginem ſuam condidit, cæteriſq; animantibus illum præfecit, dans illi liberum arbitrium, vt ipſe imaginem Dei tenens, quantò glorioſior fuiſſet cæteris, tantò deuotior eſſet in ſubiectione ſui conditoris: ſed ille abuſus conceſſa hac poteſtate per ſuggeſtionem antiqui ſerpentis erexit ſe in contrarietatem ſui artificis, volens propria vti poteſtate, nec ſubditus eſſe ſub creatoris ſui dominatione. Vnde factum eſt vt tranſgreſſor mandatorum Dei exiſtens, id quod ſublimius accepit præ cæteris, minoratum haberet omni tempore ſuæ peregrinationis. Nec iam aliter ſaluari poſſit, niſi per gratiam Ieſu Chriſti, videlicet ſui redemptoris: liberum enim arbitrium ſe excæcauerat: & ipſum ſe illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conuerſum eſt non euerſum: & donatum eſt ei aliter velle, aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam non in ſe ſed in medico collocare; quia G necdum tam perfecta vtitur ſanitate, vt ea, quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere, aut in ſalubribus poſſit iam viribus ſuis temperare. Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus: ſed per ſe malus, per Deum bonus, qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformauit, vt ei non ſolum culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, ſed etiam benè velle, agere atque in his permanere donaret: *Omne enim* Iacob. 1. (inquit Apoſtolus Iacobus) *datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum*: qui quale ſit liberum arbitrium, quod humano Spiritu agitur, & quale ſit quod à Deo regitur, euidenter oſtendit, dicens: *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus* Iacob. 3. *veſtris, nolite gloriari aduerſum veritatem & mendaces eſſe: non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica: vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum: quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, plena miſericordia &* H *fructibus bonis, non diiudicans, ſine ſimulatione*: quicunq; ergo his virtutibus ſtudent atque inhærent, non ſua, ſed ſuperna ſapientia illuſtrati ſunt: quoniam Dominus dat ſapientiam, Prou. 2. & à facie eius ſcientia & intellectus: & hæc eorũ veriſſima gloria eſt, ſi non in ſe, ſed in Domino glorientur.

Si volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Quicunque ergo mandata Dei cuſtodire, & operibus implere elegerit, fidemque rectam & Catholicam vſque in finem vitæ tenuerit, ab inſidijs antiqui hoſtis illæſus ſub protectione omnipotentis Dei manebit: quia & ipſa veritas in Euangelio oſtendit, vbi ait: *ſiquis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternũ.* Ioan. 8. Et item: *ſiquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eũ faciemus.* Ioan. 14.

Digitized by Google

A *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* In igne tribulatio, in aqua refrigerium exprimitur: appoſita ergo ſunt coram nobis tribulatio, & proſperitas: ſi voluerimus opere exercere mandata Dei, habebimus conſolationem vitæ æternæ; ſi autem contemptores fuerimus mandatorum eius, ſequetur nos in furore pœnę gehennæ, quod & euidentioribus conſequenter exprimitur verbis, cum ſubiungitur.

Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Multis enim in locis ſancta Scriptura nos inſtruit, quomodo per obſeruantiam præceptorum Dei poſſimus hæredes fieri cæleſtis regni: & econtrario, qualiter per negligentiam & contemptum verborum eius,
Deut.7. erimus pabulum ignis æterni. Vnde in Deuteronomio ſcriptum eſt: *ſi audiens iudicia Domini cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet Dominus Deus tuus tibi pactum & miſericordiam, quam iurauit patribus tuis, & diliget te, & multiplicabit.* & iterum:
Ibid. *ſciens* (inquit) *quia Dominus Deus tuus ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & his qui cuſtodiunt præcepta eius in mille generationes: & reddens o-*
B *dientibus ſe ſtatim, ita vt diſperdat eos, & vltra non differat, pro-*
Pſal.144 *tinus eis reſtituens quod merentur.* Hinc & per Pſalmiſtam dicitur: *cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccato-*
Prou.15. *res diſperdet.* Hinc & Salomon ait: *abominatio eſt Domino vita impij, qui ſequitur iuſtitiam, diligitur ab eo.* Hinc & ipſa
Matt.19. veritas in Euangelio ait: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua man-*
Matt.5. *data.* Et item: *qui ſoluerit* (inquit) *vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cæ-*
Luc.6. *lorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* & item: *non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum: vnaquæque enim arbor ex fructu ſuo cognoſcitur: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione. Nullus enim præſentiam Dei effugere poteſt, nec aliquid cogitare aut agere quod eum
Prou.16. lateat. Vnde ſcriptum eſt: *omnes viæ hominum patent oculis eius, ſpirituum ponderator eſt Dominus: quia maieſtas eius o-*
Pſal.138. *mnia comprehendit:* quod & Pſalmiſta conſiderans, ait:
C *quo ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam: Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades:* & ideo neceſſe eſt vt homo ſemper in omni vita ſua cautus ſit, & ea cogitet, loquatur, & agat, quæ diuino ſint digna conſpectu, & quæ illi placere valeant.

Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcet omnem operam hominis. Quamuis ergo oculi Domini ſemper contemplentur bonos & malos, & nouerit omnia, tamen propriè oculi eius dicuntur ad timentes eum reſpicere, quia miſericordiæ eius intuitus ad illos maximè reſpicit: & ea dicitur agnoſcere, quæ conſtat eum probare: eaque neſcire, quę nullo modo vult probare. Vnde ſcriptum eſt:
Pſal.1. *Nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit:* hinc & in Euangelio legitur ad ſtultas virgines pulſantes oſtium, & introitum ſero quærentes ipſe Dominus reſpon-
Matt.25. diſſe: *amen dico vobis neſcio vos:* & ideo quid faciendum nobis ſit conſequenter oſtendit, dicens: *Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam.* Beatus ergo eſt qui vigilat ſemper, & cuſtodit veſtimenta ſua, hoc eſt, actus ſuos, ne nudus ambulet, & non videlicet vacuus bonis operibus in aduentu iudicis appareat: quia ira viri non parcet in die
D vindictæ, & rex qui ſedet in ſolio iudicij diſſipat omne malum intuitu ſuo. Iuxta eſt enim dies Domini, & tribulabitur ibi fortis.
Soph.1.

Nemini mandauit impiè agere & nemini dedit ſpatium peccandi. Sicut enim Dominus non eſt author peccatorum noſtrorum, ita nec ſpatium aliquod temporis conceſſit, in quo homo impune peccare poſſit: ſed ſemper mandat quæ recta ſunt, & cohibet hominem à delictis.

Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Solummodo ergo illi placet, quod bonum eſt, omnis autem peruerſitas infidelium & inutilium ei di-
Pſal. 10. ſplicet: *quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius: odit omnes qui operantur iniquitatem, & perdet omnes qui loquuntur mendacium.*

CAPVT II.

E Cap.16.

NE *iucunderis in filijs impijs, ſi multiplicentur: non oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis: non credas vitæ illorum, & ne reſpexeris in labores illorum.* Hæc ſententia contra eos valet qui delectantur in multitudine obſequentium, & in turbis diſcipulorum, nec curant vtrum ſecundum timorem Dei conuerſentur, operibuſque deſeruiant iuſtitiæ, an ſceleribus diuerſis implicentur. Cum ſolummodo illa vera ſit in ſubditis delectatio, vbi ſenſus prudentia & honeſtas vitæ commendatur. Cæterum melius eſt in ſecreta quemlibet degere vita, quàm inter indiſciplinatos temporũ ſuorũ inutiliter cõſumere ſpatia. Vnde & ſeqtur.

Melior eſt enim vnus timens Deum, quam mille filij impij: vtile mori ſine filijs, quàm relinquere filios impios. Hoc & Saluator Matt.5.
in Euangelio inuenitur probare, vbi docuit diſcipulos & 18.
ſuos ab omni ſcandalo cauere, dicens: *ſi oculus tuus ſcan-* Matt. 9.
dalizat te, erue eum & proijce abs te. Bonum eſt cum vno oculo intrare in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde e- F
am & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

Ab vno ſenſato inhabitabitur patria, & à tribus impiis deſeretur. Hoc eſt à Catholico populo, qui in vnitate fidei conuerſatur, terra Eccleſiæ inhabitabitur, & ab hæreticis, qui in ſanctæ Trinitatis fide errant deſeretur. De quibus dicit Ioannes Apoſtolus: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex no-* 1.Ioan.2.
bis: ſi ex nobis eſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum. Aliter, vnus ſenſatus intelligi poteſt, qui ſecundum regulam ſanctæ Scripturæ fide & opere in ſemita permanet iuſtitiæ: Tres autem impij, qui patriam deſerunt, illi ſunt qui cogitatione, locutione, & opere ſemetipſos à bonorum ſequeſtrant ſocietate, nec iam in patria conſiſtunt: quia per diuerſa ſcelera à fidelium conſortio ſe abſcindunt.

Multa talia vidit oculus meus, & fortiora horum audiuit auris mea. Quantò enim quis ardentius diſcit legem Dei, tantò maiore ſcientiæ illuſtratur lumine; & quantò diligentius mandata Dei ſeruauerit, tantò amplius in profectu virtutum & charitatis mentis ſuæ ſinum dilatari gaudebit. Vnde ipſa veritas ait: *Qui habet mandata mea & ſer-* Ioan. 14.
uat ea, ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur à pa- G
tre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.

In ſynagoga peccantium exardebit ignis, & in Gente incredibili exardeſcet ira. Ira diuinæ indignationis & ignis iuſtæ vltionis in peccantium multitudine, & in infidelium cætu merito exardeſcit: quia dura mens illorum comminationis Dei vindictam non expauit, nec ob reuerentiam nominis eius ſe à peccatis coërcere, & iuſtitiæ operibus
inſiſtere voluit. Vnde dicitur per Prophetam: *pluit ſuper* Pſal. 10.
peccatores laqueos: ignis, ſulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum.

Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti, & non pepercit peregrinationi Loth, & execratus eſt illos præ ſuperbia verbi illorum. Non miſertus eſt illis Gentem totã perdens, & extollentem ſe in ſuis peccatis. Gigantes hos appellat, qui terrenis deſiderijs irretiti, & peccatorum ſarcinis prægrauati, cor indomabile gerunt, nec ad pœnitudinem illud flectere conſentiunt: propterea miſericordia Dei indigni, detrimentum ſuæ ſalutis perpetientes in interitum æternum corruunt: poſſunt &
hæretici hoc nomine deſignari, qui confidentes in ſcien- H
tiæ ſuæ virtute, & in diuitijs gloriantes rhetoricæ, ab erroris ſui deuio recedere, & ad viam veritatis conuerti detrectant: idcirco peregrinationi illorum, qui à Catholica fide extorres fieri elegerunt, diuinum iudicium non parcet: ſed totam Gentem illorum perdet, execrans eos maximè propter ſuperbiam doctrinæ nequam, & extollentiam, qua in peccatis ſuis ſuperbiendo ſe iactitant contemnentes iudicium Dei, & ſemetipſos in laqueum perditionis æternæ mittentes.

Et ſicut ſexcenta millia peditum, qui congregati ſunt in duritiam cordis ſui. Veteris recordatur hiſtoriæ, vbi ſexcenta
tria millia Iſraelitarum, qui exierunt de Ægypto propter Num.14.
duritiã cordis ſui proſtrati ſunt in deſerto, & nemo illorũ in terram repromiſſionis intrauit præter Ioſue & Caleb,

qui

Digitized by Google

A

qui ſincera fide & deuoti in Dei ſeruitio permanſerunt.

Et ſi vnus fuiſſet ceruicatus, mirum ſi fuiſſet immunis. Cenſura enim diuini iudicij æquitatem ſeruat in omnibus, & ideo nec vni nec pluribus parcet, ſi ſe à peccatis non conuerterint: nullum enim peccatum (vt in ſcriptura teſtatur Deus) impunitum dimittitur: quia aut homo ipſe pœnam peccati in ſemetipſo exigit, aut diſtricti iudicis examinatione punietur.

Luc. 1.

Miſericordia enim & ira eſt cum illo: potens exoratio, & effundens iram. Miſericordia enim Domini ſuper timentes eum redundat, & ira contemptoribus eius præparata eſt. Apud eum pura & deuota multum præualet oratio, & furor eius ſuper cor impœnitens hominis iniqui, cui pœna vindictæ rectè effundetur.

Pſal. 144

Rom. 2.

Secundum miſericordiam ſuam, ſic correptio illius: hominem ſecundum opera ſua iudicat. Iuſtus ergo eſt *Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua, his quidem, qui ſecundum patientiam boni operis miſericordiam eius præſtolantur, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam: his autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, iram & indignationem, tribulationem & anguſtiam*, vt perpetualiter in igne crucientur æterno.

B

Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit ſufferentia miſericordiam facientis. Peccator quippe in rapina non effugiet: quia rapacitatis ſuæ iuſtam exſoluet vindictam: & nõ protelatur ſufferentia miſericordiam facientis: quia patientia pauperum non peribit in finem; ſed condignâ mercede remunerabitur. Vnde ipſa veritas diſcipulis in Euangelio ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Luc. 21.

Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ipſius. Gloria autem, honor, & pax erit omni operanti bonum: quoniam qui ſeminat in benedictione, de benedictionibus metet vitam æternam: quod autem dicit miſericordiam facere locum vnicuiq; ſecundum intellectum peregrinationis ipſius, oſtendit quòd quicunque bonis operibus certat mandata Dei cuſtodire in huius peregrinationis tempore, & pio labore cum gemitu & lachrymis ſtudet peccata ſua emundare, æterna quiete merebitur conſolari. Vnde ſcriptum eſt: *Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur:* hinc & Sapientia ait: *qui ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inueniet vitam & iuſtitiam & gloriam.*

C

Matth. 5.

Prou. 21.

CAPVT III.

NOn dicas, à Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? Arguit eos, qui dicunt Deum non curare mortalia, & vias hominum non examinare: oſtendens manifeſtè, quòd hæc impia ſit cogitatio: cum omnis Scriptura ſacra teſtetur, nihil latere Deum, & oculis eius cuncta patere: hanc etiam errantium ſententiam reprehendit Eliphaz Themanites, in libro Iob, ita dicens: *an non cogitas quod Deus excelſior cælo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur? & dicis: Quid enim nouit Dominus, & quaſi per caliginem iudicat? nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat: & circa cardines cæli perambulat:* ſic & Pſalmiſta veraciter Dei potentiam intelligens, ita iniquis exprobrando ait: *intelligite nunc qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite: Qui plantauit aurem, non audiet aut qui finxit oculum, non conſiderat? qui corripit Gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiam? Dominus nouit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt.* Et item: *ſcrutans* (inquit) *corda & renes Deus.* Vnde & per Salomonem dicitur: *Omnes viæ hominum patent oculis Dei:* hinc & per Paulum dicitur: *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac Spiritus, compagum quoque & medullarum, ac diſcretor cogitationum & intentionum cordis.*

Iob. 11.

D

Pſal. 93.

Pſal. 7.

Prou. 16.

Hebr. 4.

Ecce cælum & cæli cælorum, abyſſus & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt in conſpectu illius commouebuntur: montes ſimul & colles & fundamenta terræ, & cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur: & in omnibus his inſenſatum eſt cor. Enumerat præcipua de creaturis Dei, qualiter omnia ſecundum voluntatem ſuam diſponit atque diſpenſat: vt intelligatur, ſi maiora maieſtas eius comprehendit, minora etiam illo modo eum latere non poſſe. Nulla enim creatura inuiſibilis eſt in conſpectu eius: quia æqualiter & magnorum & paruorum ipſe creator eſt: quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; & omnia pauent & contremiſcunt ad nutum eius: ſola enim rationalis creaturæ voluntas in peruerſis contraria illi ſentit: ſed non præualebit, quia in voluntate omnipotentis conditoris vniuerſa ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati eius, Dominus enim vniuerſorum ipſe eſt. Myſticè autem in cæli nomine militiam cæleſtem & angelicas comprehendit virtutes: de quibus ſcriptum eſt: *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini;* in terræ verò vocabulo homines & terreſtrem creaturam, ſicut in abyſſi infernalia denotat loca, & Spiritus, qui in ipſis conuerſantur: quæ omnia in conſpectu ſummi iudicis commouebuntur, quia eius timore ac terrore concutiuntur, & reuerentiam tribuunt virtuti & Sapientiæ Dei, per quam facta ſunt omnia, iuxta Apoſtoli ſententiam, *in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum:* per montes enim & colles potentium perſona demonſtratur: & per fundamenta terræ, conſilia mentium humanarum, hæc ergo ad intuitum Dei contremiſcunt: quia eius ditioni omnino ſubduntur, in Scriptura quippe ſacra ſæpe montium nomine prædicantium altitudo ſignatur. De quibus per Pſalmiſtam dicitur: *ſuſcipiant montes pacem populo tuo:* electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immerito montes vocantur: quia per vitæ ſuæ celſitudinem ima terrarum deſerunt, & cælo propinqui fiunt: ſubiectis ergo diuinæ voluntati electis Dei ſola repugnat mens ſuperborum: ſed contraiſe illi ſatagens, ipſo ſe gladio contradictionis frangit: ordini interno renititur, ſed ſuis victa conatibus ligatur. Vnde in Iob ita ſcriptum eſt: *quis reſtitit ei & pacem habuit?* quia peruerſa mens vnde ſe contra authorem erigit, inde ſe in ſemetipſa confundit: habere ergo pacem reſiſtens non poteſt: quia dum ſuperbiam confuſio ſequitur, quod ſtultè per culpam geritur, hoc in agentis pœna mirabiliter ordinatur.

E

Pſal. 148.

F

Phil. 2.

Pſal. 71.

G

Et omne cor intelligitur ab illo, & vias illius quis intelligit: & procellam quam nec oculus videbit hominis? Cum enim omnia ſapientia creatoris ſciat, & omnia noſcendo diiudicet: profunditatem tamen conſilij ſui & potentiam iudicij, quæ procellæ nomine hic deſignatur, nemo penetrare poterit, quoniam iuxta id quod ſequitur.

Nam plurima opera illius ſunt in abſconſis: ſed opera iuſtitiæ quis enuntiabit: aut quis ſuſtinebit? Quia ea nullus ad liquidum dinoſcere poterit: *incomprehenſibilia enim ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius:* tantum ergo hinc ratio creaturæ agnoſcere poterit, quantum illi reuelare voluerit pietas largitoris. Vnde dicitur: *opera iuſtitiæ quis enuntiabit? aut quis ſuſtinebit?* quia ſicut nemo enuntiare poteſt iuſtitiæ Dei ſublimitatem, ita nec ſufferre valet iudiciorum eius diſtrictionem, niſi cui ipſe donauerit, & quantum donauerit.

Longè enim eſt teſtamentum à quibuſdam, & interrogatio omnium in conſummatione eſt. Longè eſt teſtamentum à paganis, qui idololatriæ exercent falſitatem: longè eſt & ab hæreticis, qui fidei deſerentes veritatem, ſectas conſtruunt erroris: longè eſt & à malis Catholicis, qui licet fidem rectam teneant, tamen opera fidei condigna non habent: & propterea teſtamenti Dei veraciter participes non ſunt: *quia auditores legis non iuſtificabuntur apud Deum, ſed factores legis:* dicunt enim ſe noſſe Deum, factis autem negant: ſed horum omnium interrogatio in conſummatione eſt, quando non die iudicij ſinguli reddent rationem Deo, pro animabus ſuis: *& tunc recipiet vnuſquiſque propria corporis ſui prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.*

H

Qui minoratur corde cogitat inania, & vir imprudens & errans cogitat ſtulta. Minoratur ergo corde, qui re-

Digitized by Google

cedit à veritatis tramite: hic cogitat inania, hoc eſt falſa ligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Eccleſiam pro veris meditatur condere dogmata: aut ſi falſa non docet, peruerſa tamen impune ſe credit poſſe agere opera: hic ergo vir imprudens & errans meritò dicitur; quia ſtulta huiuſcemodi eſt æſtimatio: *quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet*: quoniam Deus non irridetur, ſed vnicuique ſecundum propria reddet merita.

CAPVT IV.

A*Vdi me, fili, & diſce diſciplinam ſenſus, & in verbis meis attende in corde tuo, & dicam in æquitate diſciplinam, & ſcrutabor enarrare ſapientiam.* Admonet paternâ ſollicitudine vir Eccleſiaſticus eos, quos filij nuncupat nomine, & optat habere loco, vt diſciplinam ſenſus diſcant, hoc eſt fidei audiant veritatem, & attendant in corde ſuo ad verba ipſius: ſcilicet vt ſine ceſſatione ſeruare ſtudeant ea, quæ ad morum pertinent probitatem, & ſic veraciter diſciplinæ & ſapientiæ diuinæ erunt meditatores: quia *qui verbum Dei retinet corde bono, & optimo, fructum afferet in patientia.*

B *Et in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate Spiritus virtutes, quas poſuit Deus in opera ſua ab initio, & in veritate enuntio ſcientiam eius, & in iudicio Dei opera ipſius ab initio.* Qui enim corde intento veritatis appetit habere notitiam, ipſe intellectum ſobrium cum effectu virtutum in lege Domini feſtinat habere: & ſic ad gratiam Dei accipiendam poterit pertingere, ita vt ſciat operum Dei ab exordio rationem, quæ ſecundum iuſtum iudicium ſuum ab initio ipſe ordinauit, & in ſtatu rectitudinis permanere decreuit. Sed quia pars creaturæ per conſenſum ſuaſionis diabolicæ cecidit, rurſus eam authoris ſui potentia à caſu erexit: mirabiliter enim omnipotens Deus ab initio creaturam ſuam per verbum ſuum condidit, & mirabilius in fine ſæculorum per eundem vnigenitum filium ſuum eam reparauit, quando hominem qui ad imaginem Dei creatus eſt arbitrij libertate delapſum, rurſum per gratiam ſuam in priſtinum reſtituit, & ordinabiliter ac iuſtè eum viuere docuit: vt quod origo non cuſtodierat, reparatio conſeruaret: hoc ergo licet hic aliquo modo

C hiſtoriam explicans retexat, tamen altiore ſenſu ſtatum ſanctæ Eccleſiæ dilucidè manifeſtat.

Ab inſtitutione ipſorum diſtinxit partes illorum, & initia ipſorum in gentibus ſuis. Ex quo ergo hominis propaginem dilatare Deus diſpoſuit, ſingularum Gentium originem per partes ſingulas mundi diſcreuit, ita vt vnaquæque gens ex parentis ſui vocabulo denominata, ſedes proprias in ſingulis prouincijs poſſideret. Myſticè autem diuina ſapientia Eccleſiam ſuam inſtituens, per totius partes orbis illam dilatauit, atque in ſingulis Gentibus collocauit: ita

Apoc. 1. & 2. vt ſpecialia nomina in diuerſis locis vindicaret ſibi. Vnde eſt quòd in Apocalypſi ſeptem Eccleſijs, quæ fuerunt in Aſia, ſermo Dei directus ſit: quando Angelo Smyrnæ Eccleſiæ, & Angelo Pergami Eccleſiæ, Angeloque Thyatiræ Eccleſiæ, ſimiliter & cæteris Euangeliſta Ioannes iuſſu Dei admonitus ſcripſit: & ea quæ in eis fuerunt corrigenda ſingulis annuntiauit.

Ornauit in æternum opera illorum, nec eſurierunt nec laborauerunt; & non deſtiterunt ab operibus ſuis. Præparauit enim Deus opera Eccleſiæ ſuæ, & charitatis ſplendore ipſam perpetualiter illuſtrauit: propterea nullam virtutum

D patiuntur penuriam, nec pigritiæ laſſitudine deficiunt: ſed intenti bonis operibus ſemper inſiſtunt.

Vnuſquiſque proximum ſibi non anguſtiabit, vſque in æuum.

1. Cor. 13. Quia *charitas non quærit quæ ſua ſunt*, ſed quæ aliorum. Vnde præcepit Apoſtolus, dicens: *tanquam filijs dico, dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus*: latitudo mandati charitas eſt: quia vbi charitas manet, non ſunt anguſtiæ. In ipſa latitudine erat Apoſtolus cum diceret:

2. Cor. 6. *os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt,*

Pſal. 118. *non anguſtiamini in vobis.* Ideo enim alibi legitur: *latum*

Ioan. 13. *mandatum tuum valde*: quod eſt latum mandatum datum? *mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis.* Charitas ergo non anguſtatur: vis non anguſtari in terra? in lato habita: quicquid enim tibi fecerit homo, non te anguſtat: quia illud diligis, quod non nocet: homo Deum di-

E

Dei diligis, ſempiterna merces erit: *laboras in terra, ſed peruenies ad fructum promiſſum: quis tibi tollit quod diligis?*

Non ſis incredibilis verbo illius. Quia ſuperius dixerat quomodo Deus ab initio in ſcientia & iudicio ordinauerat opera ſua: nunc ad obſeruantiam mandatorum eius ſententiâ in media ratione interpoſitâ auditorem hortatur, ne incredibilis verbo illius à ſtatu rectitudinis deflectere præſumat. Et ſic iterum ad narrationem interceptam redit, oſtendens qualiter clementia creatoris poſt caſum priſtinum reparauit genus humanum, dicens:

Poſt hæc Deus in terram reſpexit, & impleuit illam bonis ſuis. Reſpexit ergo Deus in terram humanæ naturæ, quando eam miſericordiæ ſuæ intuitu reſtaurare decreuit. Impleuit illam bonis ſuis, fide videlicet rectâ, cum virtutum operibus, qui Spiritum ſuum in cordibus credentium diſtribuit, ſicut ſcriptum eſt: *Vnicuique autem datur manife-* *1. Cor. 12.* *ſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, &c.* & *alij quidem per Spiritum* F *datur ſermo ſapientiæ: alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio Spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*, & quia in præſentia Dei omnis vitalis conſtat anima, & ad opificem omnipotentem totius operis reſpicit conditio, ſequens ſententia probat, cum ſubiungitur:

Anima omnis vitalis denuntiauit ante faciem ipſius, & ipſa iterum reuerſio illorum. Ante faciem enim Domini denuntiat anima vitalis, cum cogitationes videt, ac totius vitæ ipſi patet arcanum. Vnde Propheta ad Dominum dicit: *Intellexiſti cogitationes meas à longe*: & iterum: *quia cogitatio* *Pſal. 138.*
hominis confitebitur tibi: & rurſum: *Dominus nouit cogitatio-* *Pſal. 75.*
nes hominum: & ipſa iterum erit eius reuerſio, quoniam *Pſal. 93.*
ſapientia Dei continet omnia, & ad ipſum refertur omnis creatura, cuius potentia ſecundum modum naturæ ſuæ extat condita: & quia inter cæteras creaturas excellit natura humana, pro eo quòd ad imaginem Dei condita rationis prævalet potentia, mox ſequitur. G

CAPVT V.

D*Eus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum.* Homo ergo de terræ limo formatus, *Cap. 17.* animam à creatore ſuo accepit rationalem: in quo exprimit conditoris ſui imaginem. In quo autem ſit homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, teſtatur Apoſtolus, cum nos ſolerter admonet, vt hanc quam in primo parente ſimilitudinem perdidimus, per gratiam eiuſdem conditoris recuperemus in nobis. *Renouamini* (inquit) *Ephe. 4.* *Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate & veritate.* Creatus eſt ergo Adam nouus homo de terra ſecundum Deum, vt eſſet iuſtus, ſanctus, & verus: ſubditus humiliter & adhærens gratiæ ſui conditoris: qui æternaliter ac perfectè iuſtus & ſanctus & verus exiſtit, qui quoniam pulcherrimam hanc nouitatem diuinæ in ſe imaginis peccando corrupit, corruptamque in ſe proſapiam generis humani procreauit, venit ſecundus Adam, id eſt Dominus ipſe & H conditor noſter, natus ex Virgine, creatus incorruptibiliter atque incommutabiliter ad imaginem Dei: id eſt, immunis omnis delicti, & plenus omnis gratiæ & veritatis; vt imaginem in nobis ſuam ac ſimilitudinem exemplis ſuis reſtauraret & donis. Ipſe eſt enim nouus homo veraciter ſecundum Deum creatus: quia nimirum ita veram de Adam carnis ſubſtantiam ſumpſit, vt nil de illo vitij ſordentis traheret: cuius exempla pro captu noſtro ſequi: cuius adhærere donis: cuius obtemperare mandatis, eſt imaginē Dei, quam in vetere homine perdidimus, recuperare in nouo: non ergo ſecundum corpus, ſed ſecundum intellectum mentis, ad imaginem Dei creatus eſt homo: quodque & in ipſo corpore habeat quandam

pro-

A proprietatem, quæ hoc indicet, quod erecta ſtatura factus eſt, vt hoc ipſo admoneretur, non ſibi terrena eſſe ſectanda, velut pecoribus quorum voluptas omnis ex terra eſt. Vnde in aluum cuncta prona atque proſtrata ſunt. Iuxta quod quidam poetarum pulcherrimè ac veriſſimè dixit:

Ouid. lib. 1. Metamor.

Pronaq́, cum ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, cœlumq́, videre
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Congruit ergo & corpus eius animæ rationali non ſecundum lineamenta figuraſque membrorum, ſed potius ſecundum id, quod in cœlum erectum eſt, ad intuēda quæ in corpore ipſius mundi ſuperna ſunt, ſicut anima rationabilis in ea debet erigi, quæ in ſpiritalibus naturaliter nunc excellunt: vt quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram. Quæ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate eſt conſideranda. Primo quidem, vt ſicuti Deus vnus ſemper & vbique totus eſt, omnia viuificās, mouens & gubernans: ſicut Apoſtolus confirmat, quod in eo viuimus, mouemur, & ſumus: ſic anima in ſuo corpore vbique tota viget, viuificans eum, mouens & gubernans, nec enim in maioribus corporis ſui membris maior, & in minoribus minor: ſed in minimis tota, & in maximis tota, & hæc eſt imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in ſe: quæ quoque quandam ſanctæ Trinitatis habet imaginem: primo in eo, quia ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit. Eſt quoque & alia trinitas in ea: quia ad imaginem ſui conditoris perfectæ quidem & ſummæ Trinitatis (quæ eſt in patre & filio & Spiritu ſancto) condita eſt, & licet vnius ſit illa naturæ, tres tamen in ſe dignitates habet, nempe intellectum, voluntatē & memoriam, quod idem, licet alijs verbis, in Euangelio deſignatur dum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: id eſt, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & tota memoria. Nam ſicut ex patre generatur filius, ex patre filioque procedit Spiritus S. ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ita ambobus procedit memoria: ſicut facile à ſapiente quolibet intelligi poteſt, nec enim anima perfecta poteſt eſſe ſine his tribus, nec horum trium vnū aliquod (quantum ad ſuam pertinet beatitudinem) ſine alijs duob. integrum conſtat: & ſicut Deus Pater, Deus filius, Deus Spiritus ſanctus eſt: non tamen tres Dij ſunt, ſed vnus Deus, tres habens perſonas, ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, ſed vna anima tres habens dignitates, atque in his tribus, eius imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo, ex quibus quaſi excellentiorib. animæ dignitatibus iubemur diligere conditorem: vt quantum intelligatur, & quantum diligatur, ſemper in memoria habeat, nec ſolus ſufficit de eo intellectus, niſi fiat in amore eius voluntas. Immò nec duo hæc ſufficiunt, niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, vt ſicut nullum poteſt eſſe momentum, quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordia: ita nullum debeat eſſe momētum, quo præſentem eum non habeat memoria. Et hæc de imagine habeto, nunc verò de ſimilitudine aliqua intellige, quæ in moribus cernenda eſt: vt ſicut Deus creator, qui hominem ad ſimilitudinem ſuam creauit eſt charitas, eſt bonus, & iuſtus, atque mitis, mundus & miſericors, & cætera virtutum ſanctarum inſignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus eſt, vt charitatem haberet, vt bonus eſſet & iuſtus, vt patiens atq; mitis, mundus & miſericors foret: quas virtutes quantò plus quiſq; in ſeipſo habet, tantò propius eſt & maiorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem, ſi verò (quod abſit) aliquis per deuia vitiorum & diuortia criminum ab hac nobiliſſima ſui factoris ſimilitudine degener aberrat, ſimilitudinem Dei in ſe non conſeruat. Cum autem de imagine interna animæ ſententiam explicaret, ſtatim de corporis ſubſtantia ſubſecutus eſt, dicens:

Matt. 22.

B

C

D

Et iterum conuertit illum in ipſam. Hoc eſt, terram, iuxta illam Domini ſententiam, qua ad peccantem hominem ait: *Terra es, & in terram ibis.*

Gen. 3.

E *Et ſecundum ſe veſtiuit illum virtute: numerum dierum & tempus dedit illi.* Creauit ergo Deus hominem rectum, & ſenſu ac ratione pollentem, vt obſeruando iuſtitiam vitam haberet continuam, ſed quia ille conditoris ſui legē non conſeruauit, per inobedientiam longæuæ vitæ perdidit gloriam, numerumq; dierum & temporis ſpatium accepit, in quibus præſentis vitæ clauderet terminum.

Et dedit illi poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram, poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. Quia nimirum in hoc maximè factus eſt homo ad imaginem Dei, in qua irrationabilibus animantibus antecellit, capax videlicet & rationis conditus, per quam & creata quæq; in mundo rectè gubernare, & eius, qui cuncta creauit, poſſet agnitione perfrui, in quo honore poſitus ſi non intellexerit vt bene agat, eiſdem ipſis animantibus inſenſatis, quibus prælatus eſt, comparabitur, ſicut & Pſalmiſta teſtatur, dicens: *Et homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* *Pſal. 48.*

F *Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi, conſilium & linguam, & oculos, & aures & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos.* Quòd mulier de viri latere facta eſt, propter ipſius coniunctionis vim commendandam ita fieri oportuiſſe, credendum eſt, quòd autem dormiente facta eſt, quòd oſſe detracto in cuius locum caro ſuppleretur, altioris myſterij gratia factum eſt. Significabatur enim quòd de latere CHRISTI in cruce per mortem ſopiti ſacramenta eſſent ſalutis exitura: videlicet ſanguis & aqua, de quibus ſponſa illi conderetur Eccleſia. Nam ſi tanti ſacramenti non eſſet figura in creatione fœminæ præmittenda, quid opus erat dormiſſe Adam, vt coſtam illius, de qua fœminam faceret, tolleret: qui & vigilanti ac non dolenti idem facere poterat? Quid neceſſarium, vt eum os, quod de viri latere ſumptum eſt, in fœminam condebatur, in locum oſſis non os, ſed caro ſuppleretur? niſi quia figurabatur, quòd CHRISTVS propter Eccleſiam infirmus, at verò Eccleſia per ipſum eſſet firma futura. Ergo ſimiliter vt viro, dedit Deus mulieri ſenſum corporis & virtutem intellectus, quia ſingulis ſingulas animas dedit, & virtutem ſcientiæ habere voluit. Vnde & ſequitur.

G *Creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum, & bona & mala oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, & nomen ſanctificationis eius collaudent, & gloriari in mirabilibus illius & magnalia enarrent operum eius.* Quid eſt quod dicit, *bona & mala oſtendit illis?* Niſi quòd vim diſcernendi bonum & malum eis tribuit. *Oculum ſuper corda eorum poſuit*, cum rationem intellectus, vnde à cæteris animantibus diſtarent, in animabus eorum excellere voluit. Vbi eis & magnalia operum eius cognoſcere, & nomen ſanctificationis eius collaudare, & opera eius glorificare poſſibilitas data eſt.

Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ, hæreditauit illis teſtamentum æternum. Conſtituit cum illis & iuſtitiam, & iudicia ſua oſtendit illis, & magnalia honoris eius vidit oculus eorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: attendite vobis ab omni iniquo, & mandauit illis vnicuiq; de proximo ſuo. Diſciplinam & legem hic aut naturalem legem intellige, quam Deus dedit omni homini, vt per ipſam ſuo ſubijceretur creatori, & bonorum operum honorificentiam in ſemetipſo cuſtodiret, vt prudenter & iuſtè & modeſtè & temperanter omni tempore vitæ ſuæ in hoc mundo viueret, aut legem literæ, quam ad correctionem morum & ad reparationem abolitæ legis priſcæ conſcribi decreuit, hoc enim & lex naturalis, & lex literæ inſinuant, vt Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligamus, & eius mandata in diuino cultu & proximi noſtri dilectione cuſtodiamus. H

Viæ illorum coram ipſo ſunt, ſemper non ſunt abſconſa ab oculis ipſius. Viæ enim hominum ſunt voluntates & actiones illorum, quæ vtiq; agnitionem Dei non latent, quoniam omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Attamen eorum maximè vias nouit, quorum actiones probat. Cæterum eos ignorare dicitur, quorum *Pſal. 93.*

A operatè probat. Vnde ſcriptum eſt: *Nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.*

In vnaquaq; gente præpoſuit rectorem, & pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta, & omnia opera illorum velut ſol in conſpectu Dei, & oculi eius ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum. Rectores quos propoſuit Deus in vnaquaque Gente, aut Angelos poſſumus intelligere, quos deputauit ad cuſtodiam ſingulatum Gentium, iuxta illud Deuteronomij: *Statuit terminos Gentium ſecundum numerum Angelorum Dei,* & principes Græcorum, principeſque Perſarum, necnon & princeps populi Dei Michael eſſe in Daniele legitur: Dan. 10. aut Doctores ſanctos, quos in orbem terrarum electio diuina ad prædicandum verbum ſuum duxit. Apoc. 1. & 2. per totum. Vnde in Apocalypſi Ioanni præcipitur, vt ſcribat Angelo Epheſi, & Angelo Smyrnæ, atq; Angelo Pergami, Angeliſque cæterarum Eccleſiarum. Pars autem Dei Iſrael facta eſt manifeſta, hoc eſt, congregatio ſanctorum probata, quorum dogmata lucent ſicut ſol in conſpectu Dei, & actiones Deo ſunt placitæ. Pſal. 33. *Oculi enim Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum,* B *quoniam oculi eorum ad Dominum intendũt, & amor cordis eorum anhelat,* ex quorum videlicet perſona, Pſal. 24. Propheta loquitur, dicens: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos,* ſed quia illorum iniquitas, qui reſiſtunt verbo Dei, & repugnant veritati, Euangelium CHRISTI opprimere non poteſt, neq; deſtruere, ſed magis ipſo præualente illi deficiunt, ideo ſubiungitur.

Non ſunt abſconſa teſtamenta per iniquitatem eorum, & omnes iniquitates eorum in conſpectu Dei. Verbum enim Domini non eſt alligatum, ſed eius exoſores æternis vinculis pœnarum ſunt mancipandi; quoniam catenis ſcelerum eorum iam ſunt vincti: funibus enim peccatorum ſuorum vnuſquiſq; conſtringitur, & ideo Dominus iuſto iudicio tales damnat, quia peruerſas vias eorum eſſe conſiderat. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Eleemoſyna enim viri quaſi ſignaculum cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruauit. Miſericordiæ quippe opera re conſignatam mercedem factoribus ſuis in cœlis C reſtituent, & gratiam virtutum in bene meritis certiſſimè conſeruabunt: iuxta ſententiam ipſius veritatis quæ dicit: Matth. 5. *beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et alibi: *Date,* ait, *eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

Et poſtea reſurget & tribuet illis retributionem vnicuiq; in caput ipſorum, & conuertet in interiores partes terræ. Reſurget enim Dominus in iudicio, hoc eſt, ad retributionem ſe præparat, & retribuet vnicuiq; iuxta meritum ſuum, & iuxta intentionem cordis ſui, ſecundum quam iudicia ſua temperat. Vnde dicit, conuertet in interiores partes terræ, hoc eſt, iudicat ſecretum voluntatis internæ: quia voluntas bona æternæ beatitudinis præparat præmia. Sicut econtrario mala perpetua promeretur tormenta.

Pœnitentibus autem dedit viam iuſtitiæ, & confirmauit deficientes ſuſtinere, & deſtinauit illis ſortem veritatis. Voluntas eſt bona, vt poſt perpetrata peccata homo ſe per confeſſionem & pœnitentiam conuertat ad iuſtitiæ opera, cui dominus commiſſa delet peccata, & confirmat debiles greſſus in virtutum ſemita, vt poſt condignos labores, in ſorte D electorum cœleſtia percipiat præmia.

CAPVT VI.

CONuertere ad Deum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Dei, & minue offendicula, reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitia tua, & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitiam, & iudicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis & orationis altiſſimi Dei. Poſtquam enim ſapientia narrauit de conditione hominis, quomodo ad imaginem Dei ab initio creatus eſt, & cæteris creaturis terreſtribus iudicio Dei honore prælatus, nunc pari modo hortatur, vt poſt lapſum peccati ſurſum conuertatur ad factorem ſuum, & relinquat errorem, per quem ſemetipſum illudendo decepit, deprecetur Dominum aſſiduè pro offenſionibus ſuis, atque tota animi ſui intentione ad diuinam confugiat pietatem: ſpernat idololatriam, ac diabolicæ ſeruitutis fallaciam, & diſcat mandatorum Dei normam rectiſſimam, vt in ſorte ſanctitatis, qua præelectus eſt, permaneat, & in laudibus perſeueret altiſſimi. E

In partes vade ſæculi ſancti, cum viuis & dantibus confeſſionem Deo. Sæculum ſanctum eſt quies æternæ vitæ, quæ alibi nuncupatur ſæculum æternum, & ſæculum ſæculi, ſeu ſecula ſæculorum. Neceſſarium ergo eſt vnicuiq; vt dum viuit & præualet, locum ſibi æternæ beatitudinis rectè credendo & benè operando præparet: quia poſt finem iſtius vitæ non eſt tempus operationis, vt recipiat vnuſquiſq; prout ante geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Vnde ipſe Dominus in Euangelio auditores ſuos admonuit, dicens: *Currite dum lumen vitæ habetis, ne forte tenebræ vos comprehendant.* Ioan. 12. Et item: *Vigilate,* inquit, *omni tempore orantes,* Luc. 21. *vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Hinc & per Paulum dicitur: *Ergo dum* Galat. 6. *tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Hinc & Eccleſiaſtes ait: Eccle. 7. *In die bona fruere bonis, & diem malum præcaue.*

CAPVT VII.

F

NOn demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus illius. Morari in errore impiorum, certa eſt perditio hominum, quia poſt finem præſentis vitæ in nihilum deputabitur omnis pompa humanæ gloriæ: qui autem ſpatium præſentis vitæ in diuina conſumit laude, & inſta quandiu vixerit ſemper inſtat operatione, hic poſtmodum feliciter remuneratus in æterna exultat beatitudine. Vnde Eccleſiaſtes more ſuo nos admonens inſtruit, ne perdamus otium conceſſi temporis: ſed ad vtilitatem noſtram illud conuertamus, ita dicens: Eccl. 9. *Nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam. Quodcunq; poteſt manus tua facere, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

Quàm magna miſericordia Dei & propitiatio illius conuertentibus ad ſe. Soli illi dulcedinem miſericordiæ Dei nouerunt, qui ad eius pietatem toto corde ſe conuertunt. Vnde & per Hieremiam dicitur: Thren. 3. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.* G Hinc & Pſalmiſta ait: Pſal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te: perfeciſti autem eam ſperantibus in te in conſpectu filiorum hominum.*

Nec enim omnia poſſunt eſſe in omnibus, quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt. Non poſſunt eſſe omnia in omnibus, ſed iuxta diſpenſationẽ Dei vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo, ſicut per Paulum dicitur: 1. Cor. 12. *Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus, ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides, in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum, in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Quod autem ait: *quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt.* Oſtendit quid habeat homo per corruptam naturam, & quid habeat per diuinam gratiam, poſtquam enim homo per liberum arbitrium peccando naturæ ſuæ bonum corrupit, peruerſæ voluntatis ſuæ per praua exempla multa indicia præbuit. H Vnde ſcriptum eſt: Gen. 8. *Senſus enim humani cordis ad malitiam pronus eſt omni tempore ab adoleſcentia ſua.* Et in Geneſi legitur: Gen. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra.* Et item: Gen. 6. *Cumq;,* inquit, *vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noe, finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.* Sed poſtquam ipſe, qui hominem condidit, inter homines incarnari voluit: *& verbum caro factum habitauit in nobis.* Dicit de eo Euangeliſta Ioannes: Ioan. 1. *vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* De quo & patria teſtis Ioannes præcurſor Domini, ita dicens: Ibid. *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat,* & de multitudine eius nos omnes

acce-

A accepimus, gratiam pro gratia, quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

Quid lucidius ſole, & hic deficiet, aut quid nequius quam quod excogitauit caro & ſanguis, & hoc arguetur. Oſtendit quòd omnis mundi machina temporalis & tranſitoria eſt, nec lux corporalis, quæ illuminat terram, perpetuo eadem manſura eſt, quanto magis vani cogitatus, quos fragilitas humana exprimit, inſtabiles ſunt & omnino decidui.

Virtutem altitudinis cæli ipſe conſpicit, & omnes homines terra & cinis. In cœli nomine cœleſtem deſignat creaturam, in hominis verò, terreſtrem: & hoc oſtendere vult, quòd cœleſtis & terreſtris creatura, eius æqualiter factura eſt. Myſticè autem, virtutem altitudinis cœli Deus conſpicit, quando perfectionem ſanctorum probando dinumerat. Hominis verò fragilitatem nihilominus nouit, cum peccatorem reprobando vitam deſpicit, quorum opera pulueri & cineri comparantur, quia examine venturi iudicij omnino diſſipabuntur, & ad nihilum redigentur.

B *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Rerum quip-
Cap. 18. pe ſubſtantia ſimul creata eſt, ſed ſimul per ſpecies formata non eſt, & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. Cum enim ſimul factum cœlum terraq; deſcribitur, ſimul ſpiritalia atque corporalia, ſimul quicquid de cœlo oritur, ſimul factum quicquid de terra producitur, indicatur. Sed hanc vtique creationem materiæ ante omnem diem huius ſeculi fecit, cum in principio cœlum creauit & terram, quando etſi terra erat inanis & vacua, & tenebræ ſuper abyſſum, in ipſis tamen terræ & abyſſi, id eſt, aquarum natura quaſi per ſubſtantiam ſeminalem ſimul condita latebant, quæ poſtmodum ex huius opere conditoris non ſimul erant producenda.

Deus ſolus iuſtificabitur, & manet inuictus rex in æternum. Quid eſt quòd Deus ſolus iuſtificari dicitur, cum ſæpe in ſcripturis leguntur iuſti homines, qui iuſtè viuentes laudem meruerunt iuſtitiæ, ſed ille ſolus eſt iuſtus, ſicut & bonus, per naturam: cæteri autem, per gratiam. Vnde
Pſa. 142. ſcriptum eſt in Pſalmo: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo o-*
C *mnis viuens.* Et in Iob: *Nunquid iuſtificari poteſt homo com-*
Iob. 4. & *paratus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce etiam*
25. *non ſplendet luna, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quãto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* ad bonitatem ergo & iuſtitiam Dei comparata bonitas vel iuſtitia Angeli ſiue hominis, iam non bonitas atq; iuſtitia eſſe videtur, quia maieſtate ſempiternæ bonitatis atq; iuſtitiæ inæſtimabiliter ſuperatur. Vnde ipſa veritas in Euangelio ad eum, qui ſe magiſtrum bonum appellauit, reſpondit:
Marc. 10. *quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*: quoniam
Luc. 18. ad ipſum omne bonum referendum eſt. *Omne datum opti-*
Iacob. 1. *mum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, hic manet inuictus rex in æternum: quia eius potentia omnia vincit, omnia ſuperat: Cui nemo reſiſtere poteſt, ſed vniuerſa in voluntate eius ſunt poſita, quapropter ſcrutator & contemplator iſte mirabilium Dei obſtupeſcens, adhuc ſubiungit, dicens:

Quis ſufficit enarrare opera illius? Quis enim inueſtigauit magnalia eius, virtutem autem magnitudinis eius quis enuntiabit, & quis adijciet enarrare miſericordiam eius? In eo enim quod
D dicit, quis ſufficit, ſeu quis inueſtigauit, vel quis enuntiauit, oſtendit neminem per ſemetipſum idoneum eſſe penetrare profunditatem conſilij Dei, aut magnitudinem virtutis eius ſcire poſſe per omnia, vel enarrare, ſed tantum quemq; noſſe, quantum ille voluerit ei reuelare, vel ſuo dono conceſſerit eum poſſe lingua proferre. Vnde
Luc. 10. ipſa veritas in Euangelio ait: *Nemo nouit filium, niſi Pater: neq; patrem quis nouit, niſi filius, & cui filius voluerit reuelare.* Quam ſententiam ita oportet, vt intelligamus, & patrem & ipſum filium per filium nobis reuelari, quia ipſe eſt mentis noſtræ lumen, verbo enim ſuo ſe pater declarat: verbum autem non ſolum id, quod per verbum declaratur, ſed etiam ſeipſum declarat. Erubeſcat Eunomius tantam ſibi notitiam patris & filij, quantam alterutrum inter ſe habent iactitans, quid ſi inde contendit & ſuam conſolatur inſaniam? quia ſequitur: *& cui voluerit filius*

E *reuelare.* Aliud eſt naturæ æqualitate noſſe, quod nouerat, aliud reuelantis dignatione.

Non eſt minuere, neq; adijcere: nec eſt inuenire magnalia Dei. In meditando ergo & in legendo Scripturas ſacras debemus eſſe cauti, nec quid adijcere ad ea, quæ ſcripta ſunt, nec demere aliquid ab eis, quæ ab authorib. diuinarum ſcripturarum in libris comprehenſa ſunt, ſed ea cum ſumma veneratione habere, quæ ibi inueniuntur, & omni niſu adimplere, quæ ibi præcepta ſunt. Manifeſtè enim dicit Ioannes in Apocalypſi ſua, quæ clauſula eſt totius Ca-
nonis diuini: *Conteſtor ego omni audienti verba Prophetiæ li-* Cap. vlt.
bri huius. Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis Prophetiæ huius libri, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Hæc quoq; propter falſatores dixi, nõ propter eos, qui ſimpliciter quod ſentiunt dicunt, in nullo prophetia mutilata, & ſenſu Catholico deprauato. Hinc conſtat illud nobis de Scri-
pturis ſacris rimare ſufficere, ſiue illa contemplatione e-
lementorum ſcire & intelligere, quæ facta ſunt: non ta- F
men cauſas rationeſq; perquirere, quare vnumquodque ſic factum ſit, vel aliter fieri debuiſſe quàm factum eſt, verbi gratia, ſi quis vellet quærere, cur Moyſi ita loquatur Deus? quis fecit mutum & ſurdum, videntem & cœcum, *nonne ego Dominus Deus?* & dicat, cur cœcus & ſurdus & mutus ita creati ſunt, & cætera his ſimilia, ſumendum eſt in hoc loco teſtimonium de ſeptimo decimo Pſalmo, in quo ad Dominum dicitur: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo ſubuerteris*, & dicendum eſt, ſanctum Deum eſſe cum eo, qui ſanctus eſt, & peruerti apud eum, qui ſua voluntate ante peruerſus fuerit.

Cum conſummauerit homo, tunc incipiet, & cum quieuerit, operabitur. Quando enim homo mandata Dei pia conſummauerit operatione, tunc iam oſtendit ſe rerum latentium myſteria ſcire, & cum ſe ab omnibus mundanis curis quietum reddiderit ad complendam veritatem Dei, & iuſtitiam voluntatis eius, tunc incipiet opus Dei operari, hoc eſt, ſanæ fidei regulam ſeruare. Vnde ipſa veri-
tas in Euangelio ait: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui* Ioan. 6.
permanet in vitam æternam. Reſpondentibus autem turbis G
& interrogantibus eum, quomodo opera Dei poſſent o-
perari, ait: *hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*, Ibid.
ille enim rectè credit, qui ritè mandata Dei cuſtodit: qui autem dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, hic mendax eſt. Confitetur quidem ſe noſſe Deum, factis autem negat.

Quid eſt homo, aut quæ gratia illius? & quid eſt bonum, aut quid nequam illius. Poſtquam iſte diſputator magnalium Dei à contemplatione maieſtatis diuinæ ſe contulit ad conſiderationem humanæ ſubſtantiæ, paruum ſibi videbatur omne, quod in ea reperit, quia nihil in ea immutabile ſiue diutius idem manſurum, ſed mutabile & cito deciduum inuenit. Vnde & ſubiungit.

Numerus dierum hominum vt multum centum anni, quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt. Et ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui. Paucitas dierum humanæ vitæ benè comparata eſt guttæ aquæ maris, & calculo minuto arenæ: quia ad comparationem perpetuæ felicitatis, nimia
in ea breuitas, & maxima miſeria inuenitur. Vnde in Iob Iob. 13.
ſcriptum eſt: *homo natus de muliere, breui viuens tempore re-* H
pletur multis miſeriis, quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et iterum:
Homo, inquit, *ad laborem naſcitur, & auis ad volatum, militia* Iob. 5.
eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij dies eius. Iob. 7.

Propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper illos miſericordiam ſuam, vidit præſumptionem cordis illorum, quoniam mala eſt, & cognouit ſubuerſionem illorum, quoniam nequam eſt. Ideo adimpleuit propitiationem ſuam in illis, & oſtendit eis viam æquitatis. Quid ſuffert fragilitatem noſtram niſi bonitas conditoris noſtri, qui indignos fouet, ingratos paſcit, cõtemptores tolerat, auerſos reuocat, & conuerſos ad pœnitentiam miſericorditer ſuſcipit, & omnium peccatorum largiſſimam veniam tribuit? Vnde quid tantæ pietati condignum poſſumus rependere? aut quid retribuere *Domino pro omnibus quæ retribuit nobis?* niſi hoc, quod Pſal-

A mistaait: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo?* Dicamuſque gratulando cum eodem Propheta: *Pſal. 115.* *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, miſericors & miſerator Dominus, patiens & multum miſericors.* *Pſal. 47. & 95. & 144.* *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius in æternum, & in ſeculum ſeculi.*

Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. Qui miſericordiam habet, docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum. Raro inuenitur, qui perfectè opem miſericordiæ impendat in proximum, at Domini pietas redundat in vniuerſum mundum: *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Et rectè, quia omnium conditor & Dominus vniuerſorũ ipſe eſt. Grex enim Domini Eccleſia eſt Catholica per totum orbem diffuſa, cuius paſtor vnus eſt, quia ex duobus populis vnum ſibi conſtruxit ouile, vt gregis dominici fieret vnum ouile & vnus Paſtor.

B *Miſeretur excipientis doctrinam miſerationis, & qui feſtinat in iudicijs ſuis.* Hortatur eos qui doctrinam Euangelicam, in qua gratia prædicatur, accipiunt, vt ipſi miſericordiam proximis ſuis impendant, & feſtinent iudicij diem miſericordiæ operibus præuenire, ſemperque exaltent miſericordiam iudicio, quia iudicium erit ſine miſericordia, qui *Matth. 5.* non fecit miſericordiam. *Beati ergo miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali. Rectè docet, vt bonis operibus non intermiſceamus verba improperij, neque maculemus bonum *1. Cor. 15.* datum ſermonibus peruerſis: quia corrumpunt mores *Iacob 1.* bonos colloquia mala, & ingratum faciunt bonum do- *Iacob. 3.* num verba iniurioſa. Dicit enim Iacobus Apoſtolus de ipſo Domino: *Qui dat omnibus affluenter & non improperabit.* Vnde decet, vt datum bonum bonis commendemus ſermonibus. *Beatus homo qui non peccat in lingua ſua.* Qui autem non offendit verbo, hic perfectus eſt vir. Sed ſunt nonnulli qui mox vt ab egenis fratribus fuerint neceſſaria poſtulati, poſt dona largituri, in eos prius contumelioſa

C verba iaculantur, qui & rebus miniſterium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt. Ita plerunque videatur, quod illatæ iam iniuriæ ſatisfactionem ſoluant, cum poſt contumelias dona largiuntur, nec magni eſt operis, quod poſtulata tribuunt, quia ipſo dationis ſuæ munere vix eundem exceſſum ſermonis tegunt, quibus benè hoc loco dicitur: *In omni dato non des triſtitiã verbi mali,* & paulo poſt, *ecce verbum ſuper datum bonum, & vtraq; cum homine iuſtificato,* videlicet vt datum exhiberi debeat per pietatem, & bonum verbũ tribui per humilitatẽ.

Nonne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum melius quam datum. Sicut ros ſegetes refrigerans defendit ab ardore ſolis, ſic verbum bonum gratiam impendens muneri largientis, protegit eum à nequitia linguæ iraſcentis. Vnde *Prou. 15.* alibi ſcriptum eſt: *Sermo durus ſuſcitat rixas, & ſermo lenis mitigat ſuſcitatas.*

Nonne ecce verbum ſuper datum bonum, & vtraq; cum homine iuſtificato. Sæpe verbum præcedit donum gratũ, quia lingua eucharis maximam gratiam præbet homini. Vnde *Prou. 18.* Salomon ait: *aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redũ-* *Prou. 17.* *dans fons ſapientiæ.* Et item: *qui moderatur,* inquit, *ſermones*

D *ſuos, doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus vir eruditus,* ſed vtraq;, hoc eſt, verbum & munus conueniens dat, qui iuſtitiæ viam graditur, quia vtraq; proximo ſuo competenter offerre molitur. Econtrario vero ille, qui nequam eſt ea facit quæ ſequuntur.

Stultus acriter improperabit, & datus indiſciplinati tabeſcere facit oculos. In ore ergo ſtulti, (vt alibi legitur) *virga eſt contumeliæ,* & ideo donum eius extat ingratum, quia mentem accipientis exacerbat verbis malignis. Myſtico autẽ ſenſu hæc ſententia denotat hæreticos, qui quicquid proferunt ſub virtutis ſpecie, prauo polluunt ſermone, ſtultas mouentes quæſtiones, & contentiones, & pugnas legis. Et ideo Apoſtolus iubet nos illos deuitare, ſcientes, quia *2. Tim. 2.* ſubuerſi ſunt eiuſmodi: *Sermo eorum vt cancer ſerpit, & tota doctrina eorum dolo & mendacio plena veraciter improperium*

E *eſt.* Propterea dicit: *Improperia exprobrantium tibi ceciderunt* *Pſal. 64.* *ſuper me,* quorum tamen finis interitus, & procella tenebrarum in æternum eis ſeruata eſt. Vnde admonet auditores ſuos ſapientia, vt prouideant ſibi in poſterum, & de futuris præcogitent, qualiter euadant pœnam vindictæ, & miſericordiam inueniant coram oculis Dei.

Ante iudicium para iuſtitiam tibi, & antequam loquaris diſce, ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Ante languorem humilia teipſum, & in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam. Hæc enim omnia ad cautelam fidelium dicta ſunt, vt ſemper parati ſint, & nunquam pernicioſa ſecuritate ſibimetipſis blandiantur: ſed omni niſu in ſeruitio Dei vſque ad finem vitæ ſuæ laborare contendant. Ante iudicij tempus & diem illum, quo vnuſquiſq; debet pro ſe rationem Deo reddere. Ille diſcit atq; iuſtitiam ſibi præparat, qui quotidie rimatur, quid de conuerſatione ſua & actibus Deo placeat, quidue diſpliceat, & ita ſe per compunctionis lachrymas & caſtigationem corporis,

F ſtudet à delictis mundare, vt non neceſſe ſit pro pollutione peccatorum æternis cruciatibus in die vindictæ denuo illum ſubire. Illam enim horam languorem appellat & tempus infirmitatis, quando iuſta retributio vnicuique pro actibus proprijs rependitur: Nec iam licet cuiquam operari, ſed fas eſt operum ſuorum mercedem vnumquemque recipere. Hic enim dies qualis ſit, Sophonias *Soph. 1.* Propheta oſtendit, dicens: *Iuxta eſt dies Domini magnus & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis: dies tribulationis & anguſtiæ: dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpora eorum ſicut ſtercora, ſed & argentum eorum & aurum non poterit liberare eos in die iræ Domini, in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.*

CAPVT VIII.

G N*On impediaris orare ſemper, & non verearis vſq; ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Apoſtolica exhortatio hæc eſt, quæ dicit: *ſine intermiſſione ora-* *2. Theſſ. 2.* *te, in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.* Idem Apoſtolus alibi de nuptijs di- *1. Cor. 7.* ſputat, quomodo innupta cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, & qualiter illa quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro, & ſubiungit, dicens: *Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt* *Ibid.* *laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Hinc & ipſa veritas in Euangelio ait: *Vigilate itaq; omni tempore* *Luc. 21.* *orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis, quoniam merces Dei,* inquit, *manet in æternum.* Prudens lector attende quòd dicit, mercedem Dei manere in æternum. Et ſcito quòd fruſtra hæretici ſuſpicantur ſupplicia peccatorum non eſſe æterna. Iuxta Euangelicam ergo ſententiam: *Ibunt impij in ſuppli-* *Matt. 25.* *cium æternum, iuſti autem in vitam æternam,* & vtriq; ordini ſua retributio perpetualiter permanet.

Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo

H *qui tentat Deum.* De hoc quidem in Euangelio diſcipulos ſuos præmonuit, dicens: *Cum ſtabitis ad orandum, dimitti-* *Marc. 11.* *te ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quòd ſi vos non dimiſeritis, nec pater veſter qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.* Ille enim homo Deum videtur tentare, qui ita orat, vt docuit, & tamen non hoc agit quod iuſſit. Cuius infructuoſa eſt oratio, quia ſolummodo illi ab eo audiuntur, qui recta fide & bonis operibus leuant orationes ſuas ad Deum.

Memento iræ in die conſummationis, & tempus retributionis in conuerſatione faciei. Memento, inquit, *iræ,* hoc eſt vindictæ, quæ peccatoribus reſeruatur in die vniuerſalis iudicij, & in reſurrectione cunctorum, quando corpora immortalia reſurgunt, qualis tunc retributio à iuſto iudice vnicuique reſtituatur. Iuſtus enim Dominus, & iuſtitiam

Digitized by Google

A am diligit, æquitatem vidit vultus eius: qui reddet ſingulis ſecundum opera ſua.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatem paupertatis in die diuitiarum. Saluberrima doctrina eſt vt in tẽpore iſtius vitæ, quo licet operari eleemoſynæ, & miſericordiæ actib. operam demus. Nec perdamus otium nobis conceſſum, *quia veniet tempus, quando iam non licet operari.* Hoc enim hic tempus paupertatis & diem neceſſitatis nominat. Vnde Saluator in Euangelio diſcipulos ſuos docuit, dicens: Ioan. 12. *Currite dum lumen habetis, ne forte tenebræ vos comprehendant.* Et item: *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

A mane vſq; ad veſperam mutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Domini. A mane dicit, hoc eſt ab ortu natiuitatis, Iob. 14. *vſq; ad veſperam* ſenectutis *mutabitur tempus* ætatis hominis, quia *repletus multis miſeriis fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*, vel aliter à mane, hoc eſt ab initio creationis mundanæ vſq; ad veſperam ſeculi ſemper B mutabuntur tempora, & ver, æſtas, autumnus, & hyems dies & nox, nunquam requieſcunt: & tamen hæc omnia ad ſtatum æternitatis comparata citò tranſire videntur, nec aliquid de corporalibus rebus perpetuum manet. Sed omnia coram oculis Domini tranſeunt, & certo fine clauduntur. Ipſe autem ſemper idem eſt, & anni eius non deficient.

Homo ſapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendet ab inertia. Homo, inquit, *ſapiens in omnibus metuit:* quia beatus homo ſemper pauidus eſt. Ille quippe verè ſapiens eſt, qui timorem Dei ſemper ante oculos cordis habet, ita vt ab omnibus delictis, quantum poſſibile eſt, caueat: obliuionem præceptorum Dei fugiat, & mandata eius opere implere ſtudeat, quia Propheta teſtante: Prou. 9. *Initium ſapientiæ eſt, timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Cogitationes enim robuſti ſemper in abundantia, & omnis piger ſemper in ægeſtate erit.

Omnis aſtutus agnoſcit ſapientiam, & inuenienti eam dabit confeſſionem. Aſtutus, hoc eſt diligens & intentus meditator legis Dei agnoſcit ſapientiam Dei eſſe CHRISTVM: C & poſtquam inuenerit eum, & corde credulo eius agnitionem perceperit, ipſe dabit ei confeſſionem rectæ prædicationis, & ſtudium condignæ operationis.

Senſati in verbis & ipſi ſapienter egerunt, & intellexerunt veritatem & iuſtitiam, & implorauerunt prouerbia & iudicia. Sicut prius ait aſtutos agnoſcere ſapientiam, ſic & nunc ſenſatos in verbis bonis actibus demonſtrat probare ſenſus prudentiam, in verbis enim ſenſati ipſi ſunt Doctores ſancti, qui non ſolum intelligunt veritatem & iuſtitiam mãdatorum Dei, ſed & Prouerbia doctrinarum ob auditorũ ſuorum proferunt vtilitatem, & bonorum exemplorum non ceſſant eis exhibere imitationem.

CAPVT IX.

POſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluptate tua auertere, ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentiam eius, faciet te in gaudium inimicis. Omnem concupiſcentiam carnalem nociuam eſſe oſtendit Scriptura ſacra. Vnde in lege dicit: Exod. 20. *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius.* Deut. 5. *Non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* D Et alibi ſcriptum eſt: Dan. 13. *Concupiſcentia auertit cor eorum.* De quo per Paulum dicitur: 1. Tim. 6. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Hinc & Ioannes ait: 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt.* Ibid. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum eſt, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt, & mundus tranſit, & concupiſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Qui enim voluptatibus operam dat, verendum illi eſt, ne in illud Propheticum incidat, quo dicitur: Pſal. 13. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis.* Et alibi: *Voluptas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam*, qui enim præſtat animæ ſuæ concupiſcentiam, faciet eum in gaudium venire nequiſſimis hoſtibus, hoc eſt, malignis ſpiritibus, qui ſemper interitum E noſtrum deſiderant. Vnde princeps Apoſtolorum ait: 2. Petr. 2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij cruciandos reſeruare*, magis autem eos qui poſt carnem alteram in concupiſcentia immunditiæ ambulant, & quia concupiſcentia non ſolũ in luxuria & in deliciarũ appetitu conſtat, ſed etiam in ambitione primatus & amore obſequij popularis, vbi peccatum difficile deuitatur. Ideo ſequitur.

Ne oblecteris in turbis, nec in modicis delecteris aſſidua eſt enim commiſſio illorum. Qui enim cautus non eſt in turbarum frequentatione, & ſe intermiſcet populari conuerſationi, frequenter cogitur ſiue in verbo, ſiue in riſu, ſiue in vanitate aliqua mandatorum Dei tranſgreſſionem facere, quæ tamen in turba conuerſanti non videtur grandis eſſe culpæ, cum ſcriptura dicat: Matt. 12. *omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Et alibi: Prou. 14. *Riſus*, inquit, *dolori miſcebitur, & extremum gaudij luctus occupat.* Vnde Dominus noſter, qui venit in hunc Matth. 9. mundum peccatores ſaluos facere, & omnia trahere ad Luc. 5. ſeipſum, vt nobis oſtẽderet, ſolitudinem aliquando pro- F deſſe propter circunſpectionem cordis noſtri innouandam, ſcribitur fugere in deſertum locum, & in monte ſo- Matt. 4. lus orare: atque in naue conquieſcere. Marc. 1. Luc. 4. Matt. 14. Marc. 4. Ibid. & 8. Luc. 5. & 8. Non quòd illum aliquis lædere potuiſſet, aut aliquo crimine polluere, (quem conſtat ab omni peccato immunem eſſe) ſed vt nobis exemplum daret, qualiter humanæ vitæ pericula poſſimus deuitare.

CAPVT X.

NE fueris mediocris in contentione ex fœnore, & non eſt tibi in ſacculo nihil, eris enim inuidus tuæ animæ. Hæc ſententia prouocat nos ad miſericordiæ opera, vt non ſimus pigri in præſtãdo proximis noſtris beneficia terrena, quia non inde deerunt nobis ſolatia temporalia: immò ſi hoc facere negligentes fuerimus, animæ noſtræ non perſpiciemus præparare bona futura. Vbi temporalis eleemoſyna remunerabitur mercede perpetua.

Operarius ebrioſus non locupletabitur, & qui ſpernit modica, paulatim decidit. Cap. 19. G Hæc ſententia ad ſuperiora reſpicit, vbi dicitur: *ne oblecteris in turbis, nec in modicis delecteris, quorum eſt aſſidua commiſſio.* Igitur in turba propter vſum nequiſſimum non grande crimen eſſe putatur ebrietatis vitium, cui tamen adhæret pœnæ omne flagitiũ, ſicut in ſequentibus demonſtrabitur, vbiq; ebrietati ſuccedunt mala, euidenter oſtenditur, licet n. guloſis paruum crimen videatur eſſe nimia potatio: in detrimento tamen & amiſſione bonarum rerum, & in multiplicatione ſcelerum, tandem ſibi ſentiũt valde eſſe pernitioſum, quod antea ſpernentes æſtimauerunt eſſe modicum. Nam ſequitur.

Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos: & qui ſe iungit fornicarijs, erit nequam, & putredo, & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius & tolletur de numero anima eius. Vinum, inquit, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos, ac ſi diceret, ebrietas ac fornicatio illos qui ſe ſapientes in acumine ingenij & in ſubtilitate ſenſus æſtimant, faciunt aduerſos & alienos à vera ſapientia, & reprehenſibiles eſſe oſtendunt, eò quod præter donum præcipuum ſapientiæ in ſtultitiam maximam deuoluti ſunt. Vt ſe fornicarijs iungerent, propterea putredo & vermes futuræ pœnæ ſequẽtur illos, & malum exemplum poſteris relinquentes de H numero ſanctorum tollentur, nec in eorum ſocietate adnumerari merentur, quod bene expertus eſt Salomõ, qui 3. Reg. 11. poſtquã accepit à Deo multã ſapientiam quaſi flumen, deſeruit Deum patrũ ſuorũ, & iunctus eſt mulierib. alienigenis, quarũ amore turpiter detentus, fana profana, & idola diuerſa eis fabricauit. Vnde & laudem gloriæ maximæ perdidit, & non inter electos, ſed inter apoſtatas cõputari promeruit. Hæc iuxta hiſtoriam dicta ſint. Cæterum iuxta allegoriã vinũ hæreticorũ, de quo in cantico Deut. Deut. 32. ſcriptum eſt: *vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis.* Furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis, & fornicatio eorum nequiſſima, qua deſerentes fidei veritatem iuncti ſunt dæmonijs. Conuerſi in vaniloqui-

A

Prou. 1.

um, & in hypocriſi loquentes mendacium. Dicentes ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt: horum cruciatus, vt cruciatus eſt ſcorpij cum percutit hominem: *& vermis eorum non moritur, nec ignis extinguitur.* Vnde notabiles facti, & omnibus abominabiles de terra Eccleſiæ eradicantur, & de ſocietate ſanctorum in æternum ſequeſtrantur.

Qui credit cito leuis corde eſt & minorabitur, & qui delinquit in animam ſuam inſuper habebitur. Videndum eſt ne hæc ſententia contraria ſit illi Apoſtolicæ ſententiæ, qua dicit de charitate:

1. Cor. 13.

Omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, charitas nunquam excidit: ſed ibi perfectio bonæ voluntatis, quæ ſemper prompta eſt ad omne opus bonum; hic autem leuitas animi deſcribitur, quæ ſemper mutabilis eſt, & ſtatum firmitatis non habet. Vnde alibi ſcriptum eſt: *ſtultus vt luna mutatur,* qui ergo facilis eſt ad ſubuertendum, & prurientes aures habens à veritate auditum auerterit, ad fabulas autem conuertitur, hic minorabitur ſenſu & virtute, & delinquens in animam ſuam inter ſtultos deputabitur.

B

Qui gaudet iniquitate denotabitur, & qui odit correptionem, minuitur vita. Ille gaudet in iniquitate, qui non habet illam charitatem, de qua ſcriptum eſt:

Ibid.

non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati. Et ipſe denotabitur: quia per operationem prauam valde reprehenſibilis demonſtrabitur, & talis etiam, quia odit correptionem, & non vult conuerti ad melius, minuitur vita, quoniam carebit quiete ſempiterna.

Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Graue vitium eſt loquacitas, dicente Scriptura:

Prou. 10.

In multiloquio non effugies peccatum, &, *vir linguoſus non dirigetur ſuper terram.* Hinc & Iacobus Apoſtolus ait:

Iacob. 3.

Lingua quidem modicum membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam ſyluam incendit, & lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna. qui autem à multiloquio ſe continet, extinguit malitiam ſuperbiæ & iniquitatis.

Qui peccat in animam ſuam, pœnitebit: & qui iucundatur in malitia, denotabitur. Hæc quidem ſententia expoſitione

C

non indiget, quia manifeſtum eſt, quòd quicunque malis operibus animam ſuam polluit, in futuro pœnitebit, quando omne peccatum iuſto iudicio Dei punietur, qui enim iucundatur malitia, denotabitur, quoniam hi qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, iuſtiſſimi iudicis ſententia damnabuntur, dicente ad eos ipſo Domino:

Pſal. 6.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, in ignem æternum, vbi eſt fletus & ſtridor dentium.

Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis. Verbum ergo nequam iterare, eſt poſt flatum committere, quod iuſſum neceſſe ſit flere. Iterat verbum nequam, & hoc defendere ſatagit, quod male locutus eſt, qui hoc quod malitioſa mente concepit, peſſimo replicat facto: cuius eſt certa minoratio, quia poſt prauum commiſſum nulla eius patet emendatio.

Gen. 4.

Vnde Cain poſtquam iratus eſt contra fratrem ſuum, & eum occidere cogitauit, voce dominica correptus eſt, ſed quia ſua corrigere noluit, & verbum malitioſum, quod cogitatu conceperat, impleuit facto, piaculi ſui Domino retribuente iuſtam recepit vindictam.

D

CAPVT XI.

A*Mico & inimico noli narrare ſenſum tuum, & ſi eſt tibi delictum, noli denudare, audiet enim te & cuſtodiet te, & quaſi defendens peccatum odiet te, & ſic adhærebit tibi ſemper.* Cautelam & diſcretionem docet nos in omnibus habere, vt non æqualiter amico & inimico Catholico & hæretico noſtra pandamus occulta: quia inimicus peruerſum habens tractatum, licet per hypocriſin aliquando foris blandiatur, dolum tamen & decipulam in occultis nobis ſemper præparat.

Audiſti verbum aduerſus proximum tuum, commoretur in te fidens, quoniam non te diſrumpet, à facie verbi parturit fatuus tanquam gemitus partus infantis. Non æqualiter verbū prolatum recipit ſenſus ſapientis & ſtulti, quia ſapientis animum difficile commouebit verbum durum, ſtulti autem

E

totum perturbat ſenſum. Ita vt gemitum doloris exprimat per actum nefandum. Vnde ſcriptum eſt:

Prou. 17.

Non conturbat iuſtum, quidquid acciderit ei, qui autem peruerſi cordis eſt, non inueniet bonum. Sed cauendum eſt illi, qui de firmitate cordis ſui confidit, ne diutius verbi duri mentionem in corde habeat, quia ſerpentina ſuggeſtio, vbi introitum inuenerit, virus nequitiæ infundere non ceſſabit, & mentem inuaſam cito corrumpit.

Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in corde ſtulti. Canis aliquando in bonam partem recipit ſignificationem, aliquando verò in malam. In bonam ergo, vt eſt illud in Pſalterio:

Pſal. 58.

Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes: & circuibunt ciuitatem. Quod ſignificat Doctores ex Iudæis legis Dei iuſtitiam eſurientes, poſt veſperā paſſionis CHRISTI ciuitatem Eccleſiæ ſolerti cura circuміre, & latratu prædicationis defendere, hinc legimus

Luc. 16.

in Euangelio, quòd canes linxerint vlcera Lazari mendici. Canis verò ad malam partem vertit ſignificationem, cum peccatorum exprimit ſordes, vt eſt illud:

Prou. 26.

F

ſicut canis reuertitur ad vomitum ſuum, ſic ſtultus, qui iterat ſtultitiam ſuam. ſagitta infigitur femori canis, cum concupiſcentia mala ex diabolica ſuggeſtione infigitur in corde peccatoris: qui meritò ſtultus dicitur, quoniam quaſi bos trahitur ad victimam, & non prouidebit ſibi nec cauet æterni interitus ruinam.

Corripe amicum ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit, & ſi dixerit, ne forte iteret. Salubris valde & diſcreta hęc eſt doctrina, vt corripiamus amicos noſtros delinquētes cum omni patientia, quoniam aliquādo peccatur per ignorantiā, aliquando per negligentiam, aliquando verò per contemptū & inobedientiam, ſed ſi diſciplina talibus adhibetur cū modeſtia, de præteritis malis generat in eis verecundiā atq; pœnitentiam, de futuris verò exhibet diligentiam atq; cautelam. Vnde auditores ſuos Paulus admonet, dicens:

Galat. 6.

fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum ne & tu tenteris, alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem CHRISTI.

G

Corripe amicum, ſæpe n. fit commiſſio, & non omni verbo credas, eſt qui labitur in lingua ſua, ſed non ex animo. Quis eſt enim qui non deliquerit in lingua ſua? Grandis diſtantia eſt inter eum, qui peccat per ſimplicitatem vel ignorantiā, & eum, qui per malitiam, poteſt n. fieri, vt quis offendat in verbo malo, quod tamen ipſe non ſuſpicetur eſſe malum, vt eſt vſus quotidiani otioſiq; ſermonis, qui non ex dolo, ſed ex leuitate animi procedit, huiuſmodi ergo verbum licet nō careat delicto, tamen non adæquatur in noxa illi, qui plenus eſt nequitia & dolo, quis eſt enim, qui non deliquerit in lingua ſua, non eſt enim homo ſuper terram qui faciat bonum, & non peccet, ſed illi de quibus ſcriptum eſt,

Pſal. 13.

linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorū os maledictione & amaritudine plenum eſt, ſi nō conuerſi fuerint, & condignā pœnitentiam de peccatis ſuis non egerint, mortis ſententia eos manebit. Contritio n. & infelicitas eſt in vijs eorū, & viam pacis non cognouerunt, nec habuerunt timorem Dei ante oculos eorum, propterea in cæcitate cordis ſui, & in iniquitatib. ſuis interibūt.

CAPVT XII.

H

C*Orripe proximum antequam commineris, & da locum timori altiſſimi, quia omnis ſapientia timor Dei, & in illa timere Deum.* Hoc eſt quod ante iam monuit, vt patientia & manſuetudo magis valeat in correptione fratrum, quā furor & duritia: quia inde datur locus timori altiſſimi, & conuerſio à peccatis. Omnis enim ſapientia eſt timor Dei, & in illa homo nihil diſcit niſi timere & honorare Deum. Vnde & ſequitur.

In omni ſapientia diſpoſitio legis, & non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina, & non eſt cogitatus peccatorum prudentia. Lex enim Domini ſapientia diuina diſpoſita atque ordinata eſt, nec eſt in ea aliquid nequitiæ nec aliqua peccatorum meditatio, ſed tota ſincera, tota veritate atq; iuſtitia pleniſſima. Vnde ſcriptum eſt: *Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.* Hanc Apoſtolica pandit doctrina, & Catholica per totum orbem tenet Eccleſia, de illa verò quæ

hæc

A

huic contraria eſt, hoc eſt hæreticorum doctrina, ſubſequenter dicitur.

Eſt nequitia, & in ipſa execratio. Nequitia enim hæreticorum omnibus bonis & iuſtis eſt execrabilis, & ipſam deteſtatur omnis religio Chriſtiana: *ſermo enim eorum vt cancer ſerpit, & multum proficit ad impietatem*: quorum ſocietas (Prou. 2.) pernicioſa eſt, quoniam iuxta Salomonem, *relinquerunt ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui obliti ſunt: inclinata eſt enim ad mortem domus eorum, & ad inferos ſemitæ ipſorum. Omnes qui ingrediuntur ad eos, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.*

Eſt inſipiens qui minuitur ſapientia. Hæc ſententia quibuſdam videtur ad ſuperiora referri, hoc eſt, ad hæreticorum execrabilem nequitiam: quorum mens quantum captiuata eſt errore, tantum procul recedit à veritate: ſed quia ſequens locus non de hæreticis, ſed de ſimplicibus, qui minus in ſcripturarum ſcientia docti ſunt, diſputare videtur, poteſt non inconuenienter de talibus dici, quòd ſit inſipiens qui minuitur ſapientia, hoc eſt myſteriorum

B

Dei caret intelligentia, quantum ad doctrinam pertinet: ſed tamen non abeſt penitus à mandatorum Dei cuſtodia: propterea conſequenter dicit.

Melior eſt homo qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu in timore: quam qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem altiſſimi. Multum ergo diſtat inter eum, qui habet ſcientiam legis Dei in eruditione, ſed tamen non ſeruat eam in operatione: & illum qui licet non habeat profundum intellectũ, in timore tamen Dei quantum nouit & poteſt rectè viuendo conuerſatur: de illo ergo dicitur: (Luc. 12.) *ſeruus qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit, vapulabit multis.* De iſto verò, *qui non ſcit & non facit, vapulabit paucis.* De illo ſcriptum (Sap. 6.) eſt: *potentes potentiora tormenta patiuntur.* De iſto quoque i(Ibidem.)ta dicitur: *exiguo concedetur miſericordia.* De hoc & Iacobus (Iacob. 1.) Apoſtolus ait: *ſiquis auditor eſt verbi & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea: non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.*

C

Eſt ſollertia certa & ipſa iniqua, & eſt qui emittit verbum certum, enarrans veritatem. Modo incipit fidelium, qui ambulant ſecundum veritatem, & hypocritarum, qui cuncta fictè faciunt, enarrare differentiam, & exponere rationẽ: *eſt* (inquit) *ſollertia certa, & ipſa iniqua*: hoc eſt, hæreticorum verſutia arte dialectica inſtructa, quæ cuncta dolo agit, & prauo corde ſemper machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat: *& eſt qui emittit verbum certum*, hoc eſt, ſtrenuitas ſanctorum Doctorum, quæ rectè verbum prædicat Euangelij, & fidei edocet veritatem: hæc docendo & operando, regulam iuſtitiæ ſectatoribus ſuis oſtendit: illa quoque ſemper quoſcunque poteſt, per artis ſuæ fallaciam ſeducere & decipere non deſiſtit: hæc iter rectum, illa deuia pergit erroris: hæc ad veram vitam, illa ad æternam tendit perditionem.

Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo: & eſt qui ſe nimium ſubmittit à multa humilitate. De illis verò, qui ſe falſo humiliant, & in cordis ſecreto pleni ſunt dolo, qualiter cauendum ſit, ipſa Veritas præmonuit, dicens: (Matt. 7.) *attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Igitur à fructibus eorum cognoſcetis eos.*

D

De his autem qui vere humiles fieri volunt, (Matt. 11.) à ſe exemplum ſumere præcepit, dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris*: ſi ergo volumus Veritatis eſſe diſcipuli, à cordis radice veræ humilitatis bonum primum ſumendum eſt, & ſic per ipſum bonorum operum exempla forinſecus præparanda: quid autem ficta humilitas faciat, ſequens ſententia oſtendit.

Et eſt qui inclinat faciem, & fingit non videre quod ignoratum eſt: & ſi ab imbecillitate virium vetetur peccare, ſi inuenerit tempus maleſaciendi, maleſaciet. Sic enim hæretici, ſic omnes hypocritæ, licet ſpeciem virtutum habitu & geſtu extrinſecus ſimulent, tamen quia virtutem eius intrinſecus non habent, in eo quod ad tempus ſumunt firmiter manere non poſſunt: ſed ſtatim vt locum peccandi inuenerint,

E

quod prius ſub velamento tegebant, in propatulo declarando reuelant: quod & ſequens ſententia probat.

Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo. Per indicia enim exteriora ſæpe deprehenditur interior affectus animi, & per geſtum corporis demonſtratur qualitas voluntatis. Vnde eſt illud Euangelicum: *Non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor* (Luc. 6.) *mala, faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor ex fructu* (Matt. 12.) *ſuo cognoſcitur*: & item: *Bonus* (inquit) *homo de bono theſauro* (Ibidem.) *cordis ſui profert bonum, & malus homo de malo theſauro profert* (Luc. 6.) *malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur*: ſic & Apoſtolus, quæ ſunt indicia malarum quæve bonarum voluntatum expreſſit, dicens: *manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur: fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, continentia, &c.*

F

Sic ergo bonarum arborum oſtenduntur boni fructus, & malarum mali: quoniam bona opera manifeſta ſiunt, & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.

Eſt correptio mendax in ira contumelioſi, & eſt iudicium quod non probatur eſſe bonum. Hactenus ſeruat tenorem, quem prius tenebat, diſputans de falſa humilitate hypocritarum & hæreticorum: quia mendax eſt eorum correptio doctrinæ, & iudicium falſum: quia ſicut errant in fide & religione, ſic titubant iudiciorum ſuorum qualitate: nec poteſt eſſe bonum iudicium, quod non bono geritur animo.

CAPVT XIII.

QVam bonum eſt arguere, quàm iraſci, & confitentem in oratione non prohibere. Bonum eſt ergo omnia circumſpectè & patienter agere: quia ira viri iuſtitiam Dei non operatur, & doctrina hominis per patientiam dignoſcitur. Vnde & ſuperius ita admonuit: (Eccleſ. 19) *corripe proximum antequam commineris, & da locum timori altiſſimi: ne forte per inquietudinem animoſitatis perdat in proximo fructum correptionis: & confitentem*, ait *in oratione noli prohibere*: non eſt ille

G

prohibendus, qui confitetur Deo in oratione ſua, & laudat ipſum in ore ſuo, ſed inſtruendus, vt rectæ fidei & bonorum operum concordiam adhibeat: quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ſed *corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: proinde Propheta dicit: (Pſal. 110.) *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen ſanctum eius*: & alibi: *eleuatio* (inquit) (Pſal. 140) *manuum mearum ſacrificium veſpertinum.*

Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam, ſic qui facit per vim iudicium iniquum. Probat exemplo quod ſuperius protulerat verbo: vt bonum ſit non iraſci: quoniam ſicut concupiſcentia ſpadonis maculat quidem virginem, ſed non generat ſobolem: ita & violentia iniqua, ſimulat quidem iudicium, ſed non ſeruat æquitatis modum.

Quam bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam: ſic enim effugies voluntarium peccatum. Sicut prius prohibuit iracundiam præualere in iudicio, ſic & nunc laudat, vt correptionem magiſtri ſequatur pœnitentia diſcipuli: ita quoque concupiſcentia opprimitur peccatum, & venia impetratur delicti.

H

Vnde Saluator in Euangelio Petro præcepit, dicens: (Matt. 18.) *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipſum ſolum: quod ſi pœnitentiam egerit, lucratus eris fratrem* (Prou. 15.) *tuum*, &c. hinc & in Prouerbijs Salomon ait: *qui abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis.*

Eſt tacens qui inuenitur ſapiens, & eſt odibilis qui procax eſt ad loquendum. Hac ſententia laudatur modeſtia boni viri, & vituperatur temeritas ſuperbi: vel magis commendatur religioſitas & prudentia boni Catholici, & reprehenditur atq; deteſtatur ſtultitia & procacitas hæretici: quia ſicut iſte in moderato ſilentio oſtendit ſapientiam ſuam, ſic & ille in loquacitate ſuperflua manifeſtat ſtultitiam ſuam: ſed quia taciturnitas aliquando procedit ex bono, aliquando verò ex malo, inde ſubiungitur.

Digitized by Google

A *Eſt autem tacens non habens ſenſum loquelæ, & eſt tacens ſciens tempus aptum.* Sunt enim multi qui ideò tacent, quoniam non habent ſenſum & peritiam loquendi: ſunt & alij, qui non per inſipientiam, ſed per ſcientiam ſilent, obſeruantes in loquendo horam apti temporis: quia *tempus eſt tacendi, & tempus loquendi*: nec omne tempus ad omnia æqualiter conueniens eſt. Vnde ſequitur.

Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus. Lingua itaque diſcretè frenanda eſt, non inſolubiliter obliganda: vt nimirum cum opportunum conſiderat, poſtpoſita cenſura ſilentij, loquendo, quę congruunt, in vſum ſe vtilitatis impendat.

Laſciuus autem & imprudens non ſeruabunt tempus. Mos eſt ſemper prudentium, vt moderent ſermones ſuos, & aptũ tempus obſeruent: ſtultorum verò, vt nec locũ, nec tempus, nec modum cuſtodiant: ſed totum Spiritum ſuum impudenter proferant: quod ſæpiſſimè hæretici & ſchiſmatici faciunt. 1. Tim. 1. Vnde Apoſtolus Timotheum docet qualiter auditores ſuos inſtuat, ne intendant fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, B quàm ædificationẽ Dei, quæ eſt in fide: finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: à quibus quidam aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant: quorum ſtultitiam adhuc redarguit ſapientia dicens.

Qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam: & qui poteſtatem ſibi ſumit iniuſtè, odietur. Multis vtuntur verbis hæretici, cum per eloquentiam humanam certant ſuam velare malitiam: qui ſibi iniuſtam vſurpant poteſtatem, quoniam contra veritatem ſentiendo non rectè ſibi vſurpant magiſterij dignitatem. Vnde ipſi odibiles erunt, quia tam coram Deo, quàm etiam coram hominibus turpes & deteſtabiles fiunt: quorum doctrina & ſtudium totum vertitur illis in detrimentum. Vnde ſequitur.

Eſt proceſſio in malis viro indiſciplinato, & eſt inuentio in detrimentum. Sub lingua enim eorum labor eſt & dolor, ſedent in occultis vt interficiant innocentem: quapropter tota machinatio doloſæ inuentionis eorum reputabitur eis in C opprobrium ſempiternum. Fiet enim menſa eorum corã ipſis in laqueum, & in retributionem & in ſcandalum.

Eſt datum quod non eſt vtile, & eſt datum cuius retributio duplex. Datum quod non eſt vtile, hoc eſt, cum homo eleemoſynam tribuens expendit eam pro humano fauore: & eſt iterum datum, cuius eſt retributio duplex, quando homo eleemoſynam pro Dei amore & pro æternæ vitæ deſiderio facit; cui hic meritorum tribuitur honor, & in futura remuneratione gloria ſequetur ſempiterna. Luc. 18. Vnde ipſa Veritas in Euangelio ait: *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum* nunc in tempore hoc cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam: cuius ſententiæ ſenſus talis eſt, qui propter Euangelium Chriſti carnalia reliquerit, ſpiritalia bona recipiet: quæ comparatione & merito ſuita erunt, quaſi paruo numero centenarius numerus comparetur: quia nimirum à fratribus atque conſortibus propoſiti ſui, qui ei ſpiritali glutino colligantur, multo gratiorem etiam in hac vita recipiet charitatem, & in futuro præmia ſempiterna.

D *Eſt propter gloriam minoratio, & eſt qui humilitate leuauit caput.* Hic locus Euangelico teſtimonio exponi videtur, Luc. 14. & 18. vbi dicitur: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Propter gloriam ergo minoratur homo, quum propter exaltationem cordis meritum virtutis illi decreſcit: & ab humilitate leuauit caput, cum poſt præſentem contritionẽ anima eius gloria ſublimatur æterna.

Eſt qui multa redimat modico pretio, & reſtituens ea ſeptuplũ. Multa redimit modico pretio, qui per confeſſionem humilitatis ab omni meretur reſolui delicto: Rom. 5. *& reſtituit ea ſeptuplum*, quando in vitiorum locum, copioſum inſerit virtutum numerum. Nam (vt ait Apoſtolus) *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia: vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

E *Sapiens in verbo ſeipſum amabilem facit, gratia autem fatuorum effundentur.* Sapiens in verbo eſt Doctor Catholicus, qui in doctrina ſua ſeipſum amabilem facit, quando in teſtamentis diuinis veritatem ſequi non negligit, gratiæ autem fatuorum, hoc eſt, dogmata hæreticorum effundentur, nec vllo vſui bono aptæ erunt: de quo adhuc ſubditur.

Datus inſipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius ſeptemplices ſunt. Datus inſipientis non erit vtilis, quia doctrina hæreticorum nulli eſt ſalubris: oculi enim illius ſeptemplices ſunt, quia intentio voluntatis eius varijs nequitijs maculata eſt, quando ad nocendum ſemper extat parata. Septenarius ergo numerus, qui propter diuina chariſmata (quę Eſaias Propheta in Spiritus ſancti dono enumerat) perfectioni conſecratus eſt, Eſa. 11. idem econtra aliquando plenitudinem nequitiæ ſignificat: vt eſt illud in Euangelio, quod ſaluator de Spiritu immundo ad tempus deſerente hominem narrauit, Luc. 5. dicens: *Cum immundus Spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui: & cum* F *venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & tunc vadit & aſſumit ſeptem Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & ſunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

Exigua dabit & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio eſt. Exigua dabit hæreticus, hoc eſt, rarò in tota doctrina ſua veritatis indicia oſtendit: & multa improperabit, quia in multiloquio ſuo plurima improperia erroris effundit, & apertio oris illius inflammatio eſt, quoniam ſermo eius nequitiam erroris in peccatoribus auditorum incendit.

Hodie fœneratur quis, & cras expetit: & odibilis homo huiuſmodi. Hæc ſententia & inſtabilitatem hæreticorum ſignificare poteſt: qui violenter erroris ſui aſſenſum ab auditoribus ſuis extorquent. Vnde & odibiles erunt tam coram Deo, quàm etiam coram hominibus, vel altiori ſenſu inſinuat, quòd ille qui eleemoſynam pauperi tribuit, & in præſenti vita retributionem quęrit, odibilem ſemetipſum coram oculis diuinæ maieſtatis facit: docet enim manifeſtè in Euangelio ipſa Veritas, propter quid facienda ſit eleemoſyna, G Luc. 6. ita dicens: *Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*: Matt. 6. & item: *nolite* (inquit) *theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, nec tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, neque furantur*: & alibi cuidam principi Phariſæorum idem Dominus dixit: Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte & ipſi te reinuitent, & fiat tibi retributio: ſed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, cæcos, claudos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi*: retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum.

Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius. Fatuus tàm ille eſt qui ſpiritalis laboris præmium in hac vita non in futura quærit, quàm etiam hæreticus, qui laudem humanam appetit: & gloriam, quæ à ſolo eſt Deo, quærere negligit: huiuſmodi ergo hominibus amicus verus non erit, quia eorum ſtultitia verum amicum, qui ſecundum Deum amicus ſit, habere neſcit: & ideo labor eorum in cæleſti regno retributionem non habebit, quia tranſitoriæ vitæ gaudia maximè quæſiuit.

H *Qui enim edunt panem illius, falſa linguæ ſunt.* Quoniam qui communicant dogmati hæreticorum, ipſi in fide & ſcientia mendaces fiunt; vnde per errorem ſuum omnibus notabiles erunt, ſicut ſequens ſententia probat.

Quoties, & quanti irridebunt eum? neque enim quod habendum erat directo ſenſu diſtribuit, ſimiliter & quod non erat habendum. Idcirco enim deteſtabilis eſt hæreticorum cœtus, quoniam Canonem diuinum, & ſacramenta, quæ in illo continentur, ipſe recto ſenſu non interpretatur, nec expoſitionem tractatuum ſuorum, quæ nulli eſt neceſſaria, Catholico ſenſu proferunt: & ideò prædicatio eorum ſimul & ſocietas omninò eſt deuitanda.

Lapſus falſæ linguæ quaſi qui in pauimento cadens, ſic caſus malorum feſtinanter veniet. Sicut enim in planitie pauimenti, vbi offendicula non ſunt, fruſtra quis cadit: ſic hęreticorũ

ſenſus

Digitized by Google

A ſenſus propria nequitia excæcatus, in ſemita veritatis, quæ lucidior ſole eſt, nequicquam titubat, & caſum inuenit: quid autem eis ruinam pariat, continuus ſermo palàm inſinuat.

Homo ingratus quaſi acharis. Quia ergo ingratus eſt hæreticus, excellentis ingenij dolo, quod percepit ex munere diuino, magis elegit ſuum errorem condere, quàm diuinam traditionem in Scriptura Sacra ſeruare: ideo ſine gratia Spiritus Sancti deuiando demonſtrat ſe auditoribus ſuis ſemper amarum & noxium eſſe: acharis enim interpretatur amarus, ſiue ſine gratia & merito: ipſe dicitur amatus, qui non meruit diuinâ gratiâ fieri repletus.

Fabula vana in ore indiſciplinatorum aſsidua erit. Benè ergo doctrina hæreticorum, quam nefando ore garriunt, fabula nuncupatur: quia vanitatem omni modo ſequitur. Vnde Apoſtolus huiuſmodi doctrinam reſpuens ad
1. Tim. 1. Timotheum ſcribens, ait: *Sicut rogaui te, vt remaneres Epheſi cum irem in Macedoniam, vt denunciares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in*
B
1. Tim. 4. *fide*: & rurſum: *ineptas* (inquit) *& aniles fabulas deuita: exerce autem teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Nam quia vndique peruerſorum ſermo reprobabilis extat, inde adhuc ſubditur.

Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo. Fatuus eſt ergo Iudæus, qui ceremonias legis temporibus gratiæ neceſſarias eſſe docet, circuncisionem videlicet, neomenias, & ſabbata, & hoſtias pecudum, & ea ſub allegorica expoſitione iuxta ſenſum ſuum interpretando aſſerit habenda: cum finis legis Chriſtus ſit ad iuſtitiam omni credenti: fatuus eſt & Philoſophus, qui humana ratiocinatione æſtimat ſe omnia poſſe comprehendere, veritque doctrinam ſuam diſputando iuxta elementa mundi, & non ſecundum veritatem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Fatuus eſt & hæreticus, qui falſis argumentis & ſophiſticis locutionibus conatur deſtruere doctrinam Euangelij, & veritatem Catholicæ fidei: horum ergo
C omnium reprobabitur parabola, hoc eſt argumentatio falſa: quæ luceſcente per Chriſtum vbique veritate, vmbram legis veteris & figmenta falſa in Eccleſiam introducere volunt.

Eſt qui vetatur peccare præ inopia, & in requie ſua ſtimulabitur. Superius reprehendit falſitatem hæreticæ doctrinæ, nunc ſimiliter vituperat intentionem voluntatis peruerſæ: ſunt enim tales, qui licet aliquando propter euentum aliquem non poſſint peccatum perpetrare in facto, tamẽ nunquam volunt quieſcere à malo deſiderio, quos parum iuuat forinſecus captiuatos teneri verſutia & dolo.

Eſt qui perdit animam ſuam præ confuſione, & ab imprudenti perſona perdet eam: perſona autem acceptione perdet ſe. Ille animam ſuam præ confuſione perdit, qui timens tranſitoriam poteſtatem iſtius mundi, non audet profiteri veritatem Euangelij: manifeſte enim ipſe Dominus dicit: *qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum ſederit in maieſtate ſua*: & item: *Nolite* (inquit) *timere eos, qui*
Luc. 9. *occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

D

CAPVT XIV.

E St qui præ confuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimicum gratis. Eſt quædam pars hominum, quæ in vſu habet plura alijs promittere, ſed pauca propter parcitatem ſolet reddere, Vnde huiuſmodi eos, quos poterant non promittendo habere amicos, in promiſſione mentiendo gratis lucrati ſunt inimicos.

Opprobrium enim nequam in homine mendacium, & in ore indiſciplinatorum aſſidue erit. Non enim paruum vitium eſt mendacium, ſed inter præcipua vitia enumeratur.
Exod. 20. Vnde in Decalogo legis ſcriptum eſt: *ne falſum teſtimonium*
Deut. 5. *dicas*: & alibi: *os* (inquit) *quod mentitur occidit animam.* Eius quoque aſſiduitas valde eſt vituperabilis & pernicioſa. Vnde & ſequitur.

Potior fur quàm aſsiduitas viri mendacis, perditionem autem E *ambo hæreditabunt*: Non excuſat furem quaſi ſit ſine peccato, ſed in eius comparatione aggrauat aſſiduitatem mendacij: ſicut in Ezechiele Propheta, fornicatio Hie- Ezech. 16. ruſalem comparata fornicationi Samariæ, ſceleratior inuenitur; ſed tamen ambæ dignæ ſunt morte: & in Euangelio peccatum Iudæ comparatum peccato Sodomorum, propenſius eſſe ipſius Domini ore pronuntiatur; quibus tamen ambabus in iudicio condignæ retributiones pœnarum reſeruantur. Myſticè autem fures Iudæi Matt. 10.
poſſunt intelligi, quibus per Paulum dicitur: *qui prædicas non furandum, furaris*: & hæretici mendaces, quorum faci- Rom. 2.
nus eo propenſius eſt Iudæorum facinore, quo poſt perceptam gratiam baptiſmatis, & indumentũ tunicæ Chriſti, quo induebantur, ad apoſtaſiam redierunt, & Spiritui gratiæ calumniam fecerunt; ſed vtrorumque reatus perditionem æternam, ſi ſine pœnitentia obierint inueniet.

Mors hominum mendacium ſine honore, & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſsione. Ergo mores hæreticorum peruerſi, non ſunt digni cæleſti honore, ſed perpetua inferni F confuſione: quæ cum ipſis ſine intermiſſione permanet in perpetua damnatione.

CAPVT XV.

S Apiens in verbis producet ſeipſum, & homo prudens placebit magnatis. Sapiens ſemetipſum prodet in verbis, quando prudentiam mentis demonſtrat in benedictis: quod ipſa Veritas in Euangelio oſtendit, dicens: *Bonus homo de* Matt. 12.
bono theſauro cordis ſui profert bonum, & malus homo de malo Luc. 6.
theſauro profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur: & homo prudens magnatis placebit, quia ſanctis Doctoribus placet deuotio diſcipuli bene obedientis, cuius merita pariunt ſibi mercedem vitæ æternæ, ſicut ſequens ſententia declarando inſinuat.

Qui operatur terram ſuam, inaltabit aceruum frugum: & qui operatur iuſtitiam, ipſe exaltabitur. Ille ergo operatur terram ſuam, qui carnem ſuam Euangelico exarans vomere facit eam plurimarum virtutum fructus gignere, & iuſti- G tiæ operibus deſeruire. Cuius opera paterfamilias in futura examinatione collaudans cæleſti honore condignè remunerat, dicens: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca* Matt. 25.
fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini Luc. 9.
tui.

Qui vero placet magnatis, effugiet iniquitatem. Hoc eſt, quod ſuperius dixit, homo prudens placebit magnatis: in eo enim placet deuotus diſcipulus bonis magiſtris, quod fugere certat omnem maculam iniquitatis. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege* Pſal. 118.
Domini: & item: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis* Pſal. 111.
eius cupiet nimis: potens in terra erit ſemen eius. Gloria & diuitiæ in domo ipſius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Xenia & dona excæcant oculos iudicum: & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum. Quòd enim dona & pecuniæ iudicia iudicum ab æquitatis tramite de via iniquitatis auertant, multis in locis Sacra Scriptura præcepit, dicens: *Iu-* Deut. 16.
dices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientium, & mutant verba iuſtorum. Iuſte quod iuſtum eſt perſequeris, vt viuas & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. quaſi mutus in ore auertit correptiones pecuniarum amator, quia hoc ſilet propter illas quod dicendum erat: aut hoc dicit, quod reticendum fuerat: quorum vtrunq; inutile eſt in iudicio, vbi omninò regnare debet veritas, & præualere iuſtitia: quod ſequens ſententia etiam ſub exemplo probat.

Sapientia abſconſa & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quàm qui abſcondit ſapientiam ſuam. Sicut nulla vtilitas eſt theſaurorum, qui in terra defoſſi hominum latent agnitionem & aſpectum, ſic & ſapientia indiſcrete occultata poſſeſſoribus ſuis nullum adfert fructum, immò maximum

A detrimentum: proinde Dominus, quando in Euangelio laudauit ſeruum, qui negotiando multiplicauit pecuniam Domini ſui, præmium condignum illi reſtituit: ſeruum nequam, qui acceptum talentum ſudario ligando abſcondit in terra, multum obiurgauit, rependens illi meritam pœnam: idcirco *melius eſt hominibus* (ſicut hic ſcriptum eſt) vt *occultent inſipientiam ſuam*, ne eam proferentes nonnulla generent delicta, quàm vt abſcondant ſapientiam ſuam: per quam rectè prædicando & benè viuendo poſſent alijs ad ſalutem prodeſſe, & ſibi præparare in regno cæleſti mercedem perpetuam, in die videlicet iudicij, quando *recipiet vnuſquiſq; prout geſſit ſiue bonum ſiue malum*: admonendi namque ſunt, qui cum prædicare vtiliter poſſint, immoderatâ tamen humilitate refugiunt, vt ex minori conſideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipſi quas haberent pecunias abſconderent, adiutores proculdubio calamitatis extitiſſent: quo igitur reatu conſtringantur aſpiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis ſubtrahunt, morientibus mentibus
B vitæ remedia abſcondunt.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

F*Ili, peccaſti? non adijcias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Salubre dat conſilium, vt quia peccauimus (*non eſt enim homo ſuper terram qui faciat bonum, & non peccet*) non iteremus peccata: ſed de priſtinis condignam pœnitentiam agentes deprecemur Deum, quatenus dimittat nobis miſericorditer, quod nos per fragilitatem noſtram commiſimus nequiter.

Quaſi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Coluber enim ille antiquus, qui ſemper colit vmbras peccatorum, & regnat in filijs tenebrarum, interitū noſtrum ſine ceſſatione deſiderat, & ſuggerit nobis opera facinoroſa: ipſe omnino nobis fugiendus eſt: quia ſi
C acceſſerimus ad illum conſentiendo ſuggeſtionibus eius, ſuſcipiet nos ad inferni tartarum ſecum ducendos, quatenus tormentorum eius ſimus participes, & damnationis conſortes. Vnde adhuc de ferocitate eius loquens, addit:

Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. In Scriptura ergo Sacra leo aliquando in bonam partem accipitur, aliquando verò in malam: quoniam leo dicitur Chriſtus, & econtrario leo dicitur diabolus: ſed leo Chri-
Apoc. 5. ſtus propter fortitudinem, vt eſt illud Ioannis: *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.* Item leo diabolus propter ſæuitiam: de quo
1. Petr. 5. Petrus ſcribens ad credentes, ait: *ſobrij eſtote & vigilate in orationibus: quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide*: ipſe enim interficit hominum animas, quia peccati laqueo captas æternâ morte efficit reas.

Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non eſt ſanitas. *Bis acuta romphæa hominis iniquitas*, inde dicitur quòd vtriq; ſubſtantiæ ipſius, corporali videlicet & ſpirituali generet mortem: quia ignis gehennæ tā corpus quam etiam animam poſt diem iudicij excruciaturus eſt, cuius
D plagę non eſt ſanitas, quia poſtquam homo ſine pœnitentiæ remedio de hac vita exierit, & illuc iuſto Dei iudicio damnatus fuerit, ſine fine ibi ardebit. Vnde ipſis pecca-
Matt. 25. toribus in extremo examine dicitur: *ite in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius: & ibunt impij in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam*: ſed quia opportunitas loci ſe attulit, vt de irremiſſibili peccato aliquid
Auguſtin. dicamus, placuit nobis ex verbis ſancti Auguſtini aliqua ponere, qui in Sermone ad populum, vbi expoſuit quæ ſit irremiſſibilis blaſphemia in Spiritum Sanctum, ita ait: Primo ergo in nos ad accipiendam vitam æternam, qui in nouiſſimo dabitur de bonitate Dei, munus venit ab initio fidei remiſſio peccatorum: per quod beneficium eruemur de poteſtate tenebrarum, & princeps huius mundi mittitur foras à fide noſtra. Nam qui operatur in filijs in-

E fidelitatis, nulla vi alia, niſi ſocietate & obligatione peccati: in Spiritu enim ſancto, quo in vnum Dei populus cōgregatur, eijcitur Spiritus immundus, qui in ſeipſum diuiditur: contra hoc donū gratuitū, contra iſtam Dei gratiā loquitur cor impœnitens: ipſa ergo impœnitentia eſt Spiritus blaſphemia, quæ nō remittetur neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro. Contra enim Spiritū S. (quo baptizantur, quorum peccata omnium dimittuntur, & quem accipit Eccleſia vt cui dimiſerint peccata dimittantur ei) verbum valde malum & nimis impium ſiue cogitatione ſiue etiam lingua ſua dicit, quem patientia Dei ad pœnitentiam ad- Rom. 2.
ducit: ipſe ſecundum duritiam cordis ſui & cor impœnitens, theſaurizat ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; ſecundū opera eius. Hæc ergo impœnitentia (ſic enim vno aliquo nomine poſſumus vtcunq; appellare blaſphemiam, & verbum contra Spiritum ſanctum, quod remiſſionem non habet in æternum) hęc, inquam, impœnitentia, contra quam clamabat & præco & iudex dicentes: *pœnitentiam agite, appropinquauit* Matth. 3.
F *enim regnum cælorum*. Contra quam Dominus os Euangelicæ prædicationis aperuit, & contra quam ipſum Euangelium in toto orbe prædicandū eſſe prædixit. Vbi poſtea-
quā reſurrexit à mortuis, ait diſcipulis ſuis: *oportebat Chri-* Luc. 24.
ſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem: hæc omnino impœnitentia non habet remiſſionem, neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro: quia pœnitentia impetrat remiſſionē in hoc ſæculo, quæ valet in futuro; ſed iſta impœnitentia vel cor impœnitēs, quamdiu quiſq; in hac carne viuit, non poteſt iudicari: de nullo enim deſperandum eſt, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiā adducit: nec de hac vita rapit impiū, *qui nō vult mortē impij ſed magis vt cōuertatur & viuat.* Pagan⁹ eſt hodie, vnde ſcis vtrum ſit futurus craſtino Chriſtianus? Iudæus infidelis eſt hodie, quid ſi cras credet in Chriſtum? hæreticus eſt hodie, quid ſi cras ſequetur Catholicam veritatem? ſchiſmaticus eſt hodie, quid ſi cras amplectetur Catholicam pacem? quid ſi iſti, quos in quocunque genere erroris notas, & tanquam deſperatiſſimos modo damnas,
G antequam finiant iſtam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram vitam? quiſquis vniuerſa ſua vita, quam in iſta gerit carne, quantalibet longitudine protendatur, quæcunq; verba vel ore vel ſola cogitatione locutus fuerit corde impœnitenti, contra remiſſionem peccatorum, quæ fit in Eccleſia, verbum dicit contra Spiritum ſanctū: ſi ergo (inquit) & pater & filius & Spiritus ſanctus peccata dimittunt, cur illa impœnitentia, quę nunquam dimittitur, tantummodo ad Spiritus blaſphemiam dicitur pertinere? tanquā ille, qui hoc impœnitentiæ peccato fuerit obligatus, dono Sancti Spiritus reſiſtere videatur, quòd eo dono fiat remiſſio peccatorū? Inter cætera hæc ita dicuntur, vt tamen inſeparabilis intelligatur operatio trinitatis. Ita vt cū operatio patris dicitur, non eam ſine filio & Spiritu ſancto operari intelligatur: cū operatio filij, nō ſine patre & Spiritu ſancto: & cum operatio Spiritus ſancti, non ſine patre & filio: quod ſatis notum eſt rectè credentibus, vel etiam vt poſſunt intelligentibus: & illud ideo dictū eſſe de patre, ipſe facit opera, quod ab illo ſit origo etiam operum, à quo eſt exiſtentia cooperantium perſonarum: quia & filius de illo natus eſt, & Spiritus ſanctus
H principaliter de illo procedit, de quo natus eſt filius, & cum quo illi communis eſt idem Spiritus: hinc eſt quod Dominus Ieſus in Spiritu ſancto dæmones eiecit, neque enim hoc & ſolus implere non poterat, atq; illum in adiutoriū tanquā huic operi non ſufficiens aſſumebat: ſed Spiritū diuiſum in ſemetipſum, eo Spiritu congruebat expelli, quē pater & filius non diuiſum in ſemetipſum communiter habent: ſic & peccata quia præter Eccleſiam non dimittuntur, in eo Spiritu dimitti oportebat, quo in vnum Eccleſia congregatur: deniq; ſi quemquam extra Eccleſiā ſuorum pœniteat peccatorum, & hic tanti peccati quod alienum eſt ab Eccleſia Dei cor impœnitens habeat, quid ei prodeſt illa pœnitentia, cum iſto ſolo verbum dicat cōtra Spiritum ſanctum, quod extraneus eſt ab Eccleſia, quę accepit hoc donū vt in Spiritu ſancto fiat remiſſio pecca-

torum

A torum? quam remiſſionem cum Trinitas faciat, propriè tamen ad Spiritum Sanctum intelligitur pertinere: ipſe enim eſt Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: *abba Pater*, vt ei poſſimus dicere, *dimitte nobis debita noſtra:* quiſquis igitur reus fuerit impœnitentię contra Spiritum, in quo vnitas & ſocietas communionis congregatur Eccleſiæ, nunquam illi remittetur: quia hoc ſibi clauſit, vbi remittitur: & merito damnabitur cũ Spiritu, qui in ſeipſo diuiſus eſt, diuiſus & ipſe contra Spiritum, qui in ſeipſo diuiſus non eſt. Item inter cætera, vnde blaſphemia Spiritus hæc ſententia diceretur, cauſa extitit ex commemoratione Spiritus immundi, qui in ſeipſo diuiſus eſt. Dictum enim erat de Domino, quòd in principe dæmonum eiecerat dæmones.

Marc. 3. Vbi ipſe Dominus ait, in Spiritu ſancto ſe eijcere dæmones: vt ſpiritus, qui non eſt in ſe diuiſus, cũ qui in ſe diuiſus eſt, vincat atque eijciat. Ille autem homo in eius perditione remaneat, qui in huius, qui in ſe diuiſus non eſt, pacem per impœnitentiam tranſire detrectat:

Ibid. 3. hoc enim Marcus ita narrat: *amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerint: qui autem blaſphemauerit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum: ſed reus erit æterni delicti.* Hæc

B verba Domini cum dixiſſet, ſua deinde coniungit, dicens: *quoniam dicebant: Spiritum immundum habet:* vt oſtenderet hinc fuiſſe exortã cauſam, vt hoc diceret, quòd dixerunt eum in Beelzebub principe dæmoniorum dæmones pellere, non quia ipſa eſſet blaſphemia, quæ non remittetur, cum & hæc remittatur, ſi recta pœnitentia conſequatur: ſed quod hinc (vt dixi) cauſa extitit, vt à Domino illa ſententia proferretur, facta mentione Spiritus imũdi, quem aduerſus ſeipſum Dominus diuiſum oſtendit, propter Spiritum Sanctum, qui non ſolum aduerſum ſe diuiſus non eſt, ſed etiam quos colligit, efficit indiuiſos. Nam & ſi quiſquam ita ſit contrarius veritati, vt Deo loquenti non in Prophetis, ſed in vnico filio (cum propter nos eum, vt nobis in eo loqueretur filium hominis eſſe voluit) reluctetur, remittetur ei, cum pœnitendo conuerſus fuerit ad Dei bonitatem: qui cum mortem impij nollet, quantum

C vt reuertatur & viuat, dedit Eccleſiæ ſuæ Spiritum ſanctũ, vt cuicunq; in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei: qui verò huic dono extiterit inimicus, vt non illud per pœnitentiam petat, ſed ei per impœnitentiam contradicat, fit irremiſſibile: non quodcunq; peccatum, ſed contempta vel etiam oppugnata ipſa remiſſio peccatorum: atque ita dicetur verbum contra Spiritum ſanctum, cum ex diſperſione ad congregationem nunquã venitur, quæ ad remittenda peccata accepit Spiritum Sanctum, id eſt conuiuiũ.

Obiurgatio & iniuria annullabunt ſubſtantiam: ſic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur, & domus quæ nimis locuples eſt annullabitur ſuperbia. In alia editione legitur, *obiurgatio & iniuria annullabunt ſubſtantiam.* Iuxta hiſtoriam facilis eſt ſenſus, quia vbi contentiones & iniuriæ excreſcunt, ibi minuetur & decreſcet ſubſtantia, & tota domus, poſſeſſio annullata, deficiet diſcordantiũ ſuperbiâ: inter ſuperbos enim ſemper iurgia ſunt; vbi autem præualet hominum diſſenſio, ibi continuo ſequetur rerum ſuarum defectio. Vnde quidam ſapientium interrogatus de lapſu potentiſſimi regni, quare tam citò cecidetit? reſpondit, *concordia res minimæ creſcunt, diſcordia autem maximæ diſſoluuntur.* Iuxta allegori-

D am verò omnis conſtructio hæreticæ prauitatis & multiplex eorum error innitens argumentis varijs & ſyllogiſmorum concluſionibus idcirco annullabitur, & ad nihilum redigetur: quia veritatem Catholicæ fidei, & vnitatem pacis ſanctæ Eccleſiæ ſequi noluerunt.

Deprecatio pauperis ex ore vſque ad aures eius perueniet, & iudicium feſtinato adueniet illi.

Pſal. 9. in Pſalmo ſcriptum eſt: *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*, deſideria cordis eorum exaudiuit auris tua: & in Euangelio Dominus, vbi narrauit de vidua, quę pro defenſione ſua clamabat ad iudicem

Luc. 18. iniquitatis, poſtea ſubiunxit, dicens: *audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico autem vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Ex ore enim pauperis deprecatio ad aures iudicis veniet: quia anxietas Eccleſiæ, quam habet in diuerſis tribulationibus,

E peruenit ad aures pijſſimi iudicis, & ipſe eam ab omnibus tribulationibus ſuis eripiet, omneſque hoſtes eius dignis pœnis ſubijciet.

Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris: & qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum. Qui non vult ſe corrigere à peccatis, & odit correptionem admonitoris, ipſe indicium præbet in ſe nequitiæ ſui ſeductoris: quoniam malignus indurauit mentem eius, ne crederet: & obaudiret veritati. Nã qui timorẽ Dei habet in ſemetipſo, conuertit cor ſuũ ad audienda & implẽda pręcepta legis diuinę.

Notus à longe potens lingua audaci, & ſenſatus ſcit labi ſe ab ipſo. Manifeſtatur ergo præſumptio hæretica in lingua temeraria, quâ loqui præſumit aduerſus Deum iniquitatem: ſed cautela hominis religioſi & fidelis obſeruat ſe, ne in eius errorem cadat.

Qui ædificat domum ſuam impendijs alienis, quaſi qui colligat lapides ſuos in hyeme. Hanc ſententiam poſſumus dupliciter intelligere: vt aut iuxta allegoriam ſignificet hæreticum, qui teſtimonia diuinarum ſcripturarum à ſenſu prauo omnino aliena congregat in vnum, ad confirmationem erroris ſui, fruſtra laborare: quia vindicta vltionis

F iuſtæ diſſoluetur duritia actionis nefandæ: aut ſecundum tropologiam auarum raptorem, qui ex alienis rebus ſua lucra ſtudet augere, omnibus bonis vacuum in die iudicij pro malo opere ſuo valida tormenta luere.

CAPVT II.

STupa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis. Comparat rei fragili peccatorum ſynagogam, vt oſtendat eius vilitatem & velociſſimum interitum: quia ſicut ſtuppæ collectio igne adhibito facile conflagrat, ita peccatorum cœtus in futura vindicta ſine mora diſperiet.

Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ. Reddit cauſam quare velox ſit malorum perditio, quia via, id eſt, vita illorum præſens, per quam ad remunerationem futuram tendebant, plena fuit doloribus & duris peccatorum operibus. Vnde & in fine illorum ſuccedunt eis inferni & tenebræ & pœnæ, quibus merito excruciabuntur in æternum. E contrario

G verò iuſtus ab his omnibus ſe obſeruat, & ad cæleſtem retributionem ſe præparat. Vnde & ſequitur.

Qui cuſtodit iuſtitiam, continebit ſenſum eius. Conſummatio timoris Dei, ſapientia. Qui ergo *cuſtodit iuſtitiam*, ſeruabitur ab illa, & in fine illum ſequetur æterna gloria: quia conſummatio bonæ voluntatis eius, quam in diuino timore habuit, creatoris ſui agnitione & contemplatione remunerabitur.

Et ſenſus eius non erudietur, qui non eſt ſapiens in bono. Eſt autem inſipientia, quæ abundat in malo: & non eſt ſenſus, vbi abundat amaritudo. His quippè ſententijs confunditur error hæreticorum: quia eorum ſenſus, quem habent in Scripturarum Sacrarum meditatione, non eſt ſalubris ſcrutantibus eum: vel potius non eſt ſenſus dicendus, vbi abundat nequitia & dolus; quia Dominus creauit hominem rectũ, & ipſi immiſcuerunt ſe infinitis quæſtionibus.

Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet. Quiſquis à Deo donum veræ ſapientiæ percipit, ipſe multiplicibus doctrinarum & virtutum fructibus abundabit, quia in illo replebitur illa

H dominica ſententia qua dicit: *qui biberit aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam:* & item *Ioan. 4.* *qui ſitit* (inquit) *veniat ad me, & bibat: & de ventre eius fluent* *Ioan. 7.* *aquæ viuæ.*

Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. Mens ergo ſtulti hæretici quaſi vas confractum eſt, quia malitiæ ſtimulis vndique eſt perforatum, nec iã habilis eſt ad vſum ſapientiæ: quia virtutem eius, quæ ſincera & pura eſt, propter ſui fœditatem continere non poteſt. Vnde dicit: omnem ſapientiam non tenebit, quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: *& in maleuolam animam non introibit ſapientia.*

Verbum ſapiens quodcunque audierit ſciens laudabit, & ad ſe adijciet: audiet luxurioſus & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt dorſum ſuum. Inſcium appellat hu-

Digitized by Google

milem auditorem & intentum meditatorem verbi Dei, qui ſitit cum Propheta & appetit, vt perueniat ad præſentiam & agnitionem Domini ſui, hic ſecundum ſæculum eſt ſtultus, ſecundum Deum verò ad diſcendum ſtudioſus: *quia filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua.* Talis ergo quodcunque verbum ſapiens audierit, laudabit, amabit, & in ſuam mentem recondere feſtinabit. Econtra verò luxurioſus & amator voluptatum ſæculi, cum audierit verbum Dei, diſplicebit illi, & proijciet poſt dorſum ſuum, hoc eſt, in irritũ ducit, nec ipſum opere implere contendit.

Narratio fatui, quaſi ſarcina in via: nam in labijs ſenſati, inuenietur gratia. Doctrina ergo hæretici cunctis ſanum ſapientibus oneroſa eſt in via huius ſæculi, quia nulli vſui apta, ſed omnibus bonis eſt contraria: in labijs ergo ſenſati inuenietur gratia, quia in verbis Doctoris Catholici reperitur ſana prædicatio & gratia Spiritus Sancti.

Os prudentis quæritur in Eccleſia, & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis. Hoc eſt doctrina Catholici prædicatoris quæritur in populo Dei, & deuoti auditores verba illius retractando cogitant in cordibus ſuis, quatenus ea rectè intelligendo & benè viuendo compleant actionibus pijs.

Tanquam domus exterminata, ſic fatuo ſapientia, & ſcientia inſenſati inenarrabilia verba. Domus exterminata benè poteſt dici hæreticorum ſynagoga, vbi recti & Catholici ſenſus ſpernitur ſapientia. Propterea ſcientiæ illorum ſunt inenarrabilia verba: quia multiplicibus erroribus ſunt obnoxia: non enim docent, quod veritas habet, ſed quod fallaciter eorum finxit nequitia.

Compedes in pedibus ſtulto doctrina, & quaſi vincula manuum ſupra manum dextram. Verbum enim vitæ, quod liberat à morte animas fideles, obligat compede animas errantes, quia greſſibus eorum, quibus incedunt in via iniquitatis, contradicit, & dextrę eorum, hoc eſt operibus prauis vincula inijcit, quando actiones eorum damnando fortiter reprehendit.

CAPVT III.

F*Atuus in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Homini prudenti temperantia in omnibus benè conuenit, quam fatuus verbo & moribus omnino ſeruare neſcit. Iuxta aliorum autem ſenſum, ſtultus hæreticorum cœtus plauſibili operatione per rhetoricam artem docendo auditorum fauorem quærit: ſed ordo ſanctorum Doctorum ita iucunditatem locutionis ſuis intermiſcet doctrinis, vt tamen à veritatis tramite, & Euangelicis nullo modo aberret diſciplinis. Vnde & ſequitur.

Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro. Ergo qui aurum ſapientiæ ſplendorem & myſticum diuinæ legis ſenſum ſignificat, quaſi ornamentum aureum eſt prudenti doctrina, cum prædicatio illius diuina illuſtratur ſapientia: & quaſi brachiale in brachio dextro, cum vniuerſa opera ſua & totam vitam ſuam virtutum circundat diſciplina: nec enim aliud docere aut agere nouit, niſi quod norma æquitatis & iuſtitiæ dictat regula. *Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus confunditur à perſona potentis.* Pes fatui facilè progreditur in domum proximi, cum hæretici authorum ſuorum ſectam in domicilio ſcripturarum ſuarum latitantem ſtudent imitari: ſed homo peritus confunditur à perſona potentis, quando Catholicus Doctor erubeſcit errorem ſequi hominis ſuperbientis.

Stultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit. Hic locus per figuram oſtendit malitioſam hæreticorum calliditatem, & luculentam Catholicorum ſimplicitatem: ſtultus ergo à feneſtra reſpiciet in domum, quando callidus argumentator in domo ſcripturarum foramina quærit occultioris ſenſus, vnde erroris ſui poſſit arripere aſſertionem: ſed Catholicus Doctor foris ſtabit quia Scripturam Sacram manifeſtare, & ad multorum notitiam prædicatione ſuâ perducere contendit. Veritas enim angulos non amat, ſed per lucis ſemitam ambulat.

Stultitia hominis audire per oſtium, & prudens grauabitur [illegible]*a.* Stultitia eſt hominis ab ore hæreticorum velle prædicationis audire verbum, quia inde fidei ſuæ poteſt accipere ſcandalum. Verus ergo prædicator verbi ſæpius malorum afficitur contumelia, quia ab æquitatis nullo modo vult diſcedere regula: hoc enim diſtat inter hæreticum & Catholicum, quòd ille appetit laudem humanam, iſte gloriam diuinam: ille quærit proſpera mundi, iſte non pertimeſcit pro Chriſto aduerſa pati: ille tendit ad portas mortis, iſte ad gaudia regni cæleſtis.

Labia imprudentium ſtulta narrabunt: verba autem prudentium ſtatera ponderabuntur. Hoc inſinuat, quòd ſermones inſipientium ſtultitiam praui ſenſus ſemper proferunt, verba autem fidelium regulam rectè fidei in doctrina ſua vbique ſeruare contendunt.

In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum. In ore fatuorum cor illorum eſt, quando hæreticorum & ſchiſmaticorum ſtulta intentio verborum intendit ornatu: *in corde* autem *ſapientum os illorum*, quando electorum ſtudet eloquiũ veræ ſapientię fideliter exprimere ſenſum.

Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam. Non ideo maledicitur impius, quòd maledictum dicit malignum diabolum, ſed quòd hunc, quem nouit malignum, non ceſſat peruerſa voluntate & operibus prauis ſequi inimicum. Vnde Dominus in Euangelio ad Iudæos ait: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Ioan. 8. Non enim filij diaboli ipſi fuerunt conditione naturæ, ſed malitiæ illius peruerſa imitatione: in eo enim ſemetipſum impius maledicit, quòd diabolum propter impietatem ſuam damnatum magis elegit imitari, quàm Chriſtum pro ſalute humani generis crucifixum.

Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur: & qui cum eo manſerit odioſus erit, tacitus & ſenſatus honorabitur. Suſurro nullus melius intelligi poteſt, quàm hæreticus, qui occultè in doctrina ſua inſidias & laqueos erroris diſponit, ad decipiendas imprudentium animas: hic ſceleribus multis animam ſuam coinquinabit, & in omnibus tam verbis quàm etiam factis coram ſapientium oculis ſemper odioſus erit, & quicunque eorum ſectis deceptus in eis permanere vſque ad finem vitæ decreuerit, iſte ſimiliter omnibus bonis odibilis erit. Econtrario verò ille, qui linguæ ſuæ ſeruat temperamentum, & verborum moderatum tenet ſilentium, iſte ſecundum boni ſenſus ſui dignitatem cæleſtem Chriſto tribuente poſſidebit honorem.

CAPVT IV.

I*N lapide luteo lapidatur piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius. In lapide luteo lapidatur piger*, quando peccatori duris ſcripturarum ſententijs fœditas ſcelerum ſuorum exprobratur. *Omneſque loquentur ſuper aſpernatione illius*, quia omnes boni deteſtantur & deſpiciunt ſordes operum ipſius: & quia maximè tales per officia Doctorum arguuntur, inde aptè ſubiungitur.

De ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus. Lapidatur piger de ſtercore boum, quando pigritia malorum in bono opere torpentium: per aptam ſtultitiæ ſuæ orationem à ſanctis prædicatoribus illis improperatur; ita vt omnes qui aliquo modo communicauerint negligentiæ eorum, manus operum à ſqualore fœditatis illorum excutiant, & ad obſeruantiam mandatorum Dei vtili exercitio recurrant. Aliter piger iſte, qui in lapide luteo vel de ſtercore boum lapidatus eſt, populum ſignificat Iudæorum, qui ex fragili gentilium turba & legem ignoranti (quem lapis figurat luteus) exprobratur: eo quòd pro prauitate ſenſus ſui in Chriſtum palàm aduenientem, qui ſibi in lege & Prophetis promiſſus eſt, renuit credere. Idem & de ſtercore boum, hoc eſt de Iudæis credentibus, qui ex antiquis bobus, Patriarchis videlicet religioſis, & legis iugum portantibus editi ſunt: pro cæcitate cordis ſui irridentur, quoniam incarnationem Saluatoris præſentialiter ſibi datam, digna fide recipere noluerunt.

Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato: filia autem fatua in deminoratione fiet. Confunditur enim Doctor quilibet pro reprobis moribus diſcipuli indiſciplinati: quia in eo laboris ſui fructum condignum nõ inuenit, ſimiliter in filia indiſciplinata honoris eius diminutio fit, quia in peruerſi-

tate

A tate morum illius triſtitiam & non hilaritatem cordis habet, an ille contriſtatus de diſcipulorum improbitate fuit, qui ad quoſdam ita ſcripſit, dicens: *Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis?* (Gal. 4.) qui alibi de profectu bonorum filiorum gaudens gratulando exultat, dicens: (2.Cor. 7.) *multa mihi fiducia eſt apud vos: multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* & item: (Ibid.) *in conſolatione* (inquit) *noſtra abundantius magis gauiſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus eius ab omnibus vobis: & ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus.*

Filia prudens, hæreditas viro ſuo: nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. Anima ergo quæ prudenter & deuotè Chriſti ſeruitium agit, ad hæreditatem eius pertinebit: quæ autem confuſione dignas res gerit, contumeliam genitori ſpiritali facit, qui eam per Spiritus Sancti gratiam in baptiſmate regenerauit, & ſibi filiam adoptauit.

B *Patrem & virum confundit audax, & ab impijs non minorabitur: ab vtriſque autem inhonorabitur.* Pater animæ Chriſtianæ Deus eſt, vir autem eius Chriſtus: hæc ergo ſi ad apoſtaſiam venerit, & hæreticorum errorem procaciter defenderit: inhonorat patrem ſuum ſpiritalem, & virum: ſed licet ab impijs & ſui erroris participibus præſentialiter non vituperetur, ab vtriſque tamen, hoc eſt, patre & viro, de quibus ſuperiùs dixit, in futuro iudicio confundetur, & damnatione merita perpetuis pœnis ſubijcietur.

Muſica in luctu importuna narratio, flagella & doctrina in omni tempore ſapientia. Contra eos facit, qui operatione ſua in Eccleſia plauſum populi & fauorem quærunt, & non ad hoc tendunt, vt magis compũctionem lachrymarum in auditoribus ſuis excitent, cum Eccleſiæ panis, non panis ſit ridentium, ſed lugentium: Ideo dicit flagella & doctrina in omni tempore ſapientiæ: quia in omni tempore C conuenit, vt ad præſentium rerum deſpectum, & ad futurorum appetitum per Doctores ſuos populus prouocetur: vt ſciat nunc tempus eſſe lugendi, tunc autem ridendi: nunc tempus belli, tunc autem pacis. Vnde ipſa veritas in Euangelio ait: (Matt. 5.) *Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur.* Econtra alibi mundi amatoribus, qui præſentis vitæ conſolationem quærunt, comminatur, dicens: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* hinc & Salomon ait: *Cor ſapientium in domo luctus, & cor inſipientium in domo lætitiæ*: id eſt, in domo talis viri, qui ſe corripiat delinquẽtem, & adducat ad lachrymas: *non in domo lætitiæ*, vbi Doctor decipit & decipitur: quando non conuerſionem audientium, ſed plauſus quærit & laudem: hic quoque quoniam ſaturatus eſt, propterea recepit conſolationem ſuã. Denique huic expoſitioni etiam ſequentes verſicùli cõcordant: (7) ait enim: *melius eſt audire increpationem ſapientis, ſuper virum audientem carmen ſtultorum, quia ſicut vox ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti, ſed & hoc vanitas*: melius eſt enim à ſapiente corripi, quam per adulationem decipi blandientium; (17.) cui ſimile eſt illud: *meliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.* Sicut enim vox ſpinarũ ſub olla ardentium ſtrepitum reddit inſuauem, ſic & palpantis magiſtri verba non proderunt vel ad curas ſæculi, quæ ſpinæ interpretantur, auditores ſuos cohortantis, vel futuro eos incendio præparantis.

CAPVT V.

QVi docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam. Sicut teſta licet multo labore artificis conficiatur, tamen ad firmitatem lapidis non perducitur: ſed ex fragili materia fabricata, fragilem ſui corporis exhibet ſtatum, ſic & fatuus, licet ſollerti cura magiſtri in omni diſciplina nutriatur vel edoceatur, vix tamen ad perfectionem boni diſcipuli perducitur: ſed ſicut ſenſu eſt brutus & animo indeuotus, etiam ſcientia & virtute minimè erit perfectus. Vnde & ſubditur.

Qui narrat verbum non attendenti, quaſi qui excitat dormientem de graui ſomno. Apta fit comparatio dormientis, & non attendentis: quia ſicut ille grauatur ſomno, ita iſte ſtulto opprimitur ſenſu. Vnde ſubiungitur.

E *Cum dormiente loquitur, qui enumerat ſtulto ſapientiam, & in fine dicit, quis eſt hic?* Non enim ritè intelligit doctrinæ verbum, neque gratè ſuſcipit docentis ſtudium. Vnde in huiuſmodi diſpendio magis dolendum eſt quàm gaudendum, & pro recuperatione ægroti cum fletibus orandum, quia ipſe pro ſalute ſua gemere neſcit.

Super mortuum plora, deficit enim lux eius: & ſuper fatuum plora, deficit enim ſenſus eius. Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requieuit. Nequiſsimi enim nequiſſima vita, ſuper mortem fatui. Luctus mortui ſeptem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum. Duæ quippe ſunt mortes: vna corporis, quæ omnibus hominibus eſt communis: alia animæ, quę peccatoribus ſolummodo eſt ſpecialis: vna in præſenti ſæculo terminatur: altera autem in æternum nõ finietur. Ideo dicit, ſuper mortuum modicum plora, quoniam requieuit: mors enim corporis, præſentis laboris eſt finis, & requiem dat Sanctis à dolore vitæ præſentis. Similiter & illud, quod dicitur, luctus mortui ſeptem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum, ſignificat quod F corporalis mors tantummodo fit in pręſentis vitę ſpatio, quod ſeptenario dierum numero diſcurrit: fatuorum autem, hoc eſt, peccatorum & impiorum permanet omnes dies vitæ illorum, hoc eſt in ſæculum ſæculi; quando animæ illorum ſine mortis interuentu perpetualiter excruciantur in inferno.

Cum ſtulto non multum colloquaris, & cum inſenſato ne abieris: ſerua te ab illo vt non moleſtiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius. Deflecte ab illo & inuenies requiem, & non acediaberis in ſtultitia illius. In his ſententijs ſapientia docet, vt cum ſtultis hominibus non protrahamus locutionem, quia ibi nullam inueniemus vtilitatem, & maxime in hęreticis, quorum ſtultitia plena eſt blaſphemia, huiuſmodi enim homines deuitandi ſunt, ne in peccatorum illorum ſordibus coinquinemur, & quietem pacis & tranquillitatem amittamus, quia cum his nunquam requiem inueniemus: ſi enim ſe conuertere voluerint, & deſerere G errorem ſuum, vt reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus capti tenebantur ad ipſius voluntatem: iam non vt inimici, ſed vt fratres tractandi ſunt. Cæterum autem quãdiu in errore ſuo perſtiterint, omninò ſunt fugiendi ac deuitandi, nec vllo communionis ſolatio fouendi. (2.Ioan. 1.) Vnde dicit Ioannes Apoſtolus, *ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis*: qui enim dixerit illi aue, communicat operibus eius malignis. (Tit. 3.) Hinc & Paulus ait: *hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt, & deliquit proprio iudicio condemnatus.* & quia huiuſmodi hominum mores & verba difficilia ſunt ad portandum, ideo ſubiungitur.

Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quàm fatuus? Arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt portare, quàm hominem imprudentem & fatuum & impium. Huic ſimile eſt illud, quod in Prouerbijs ſcriptum eſt: (Prou. 27.) *graue eſt ſaxum, & onerosa arena: ſed ira ſtulti vtroq; grauior.* Et item: (Prou. 17.) *melius eſt occurrere vrſæ raptis fœtibus, quàm ſtulto confidenti in ſtultitia ſua.* Arena minutorum poteſt ſignificare multitudinem peccatorum: ſal quia pro ſapientia ſæpè in ſcripturis ponitur, hic poteſt ſignificare Philoſophos gentilium, qui ſapientiæ imitantur ſtudium: maſſa ferri duritiam perſecutionis paganorum, & quia hæc omnia comparat homini imprudenti & fatuo & impio, videlicet H hæretico, qui imprudens eſt ſcientia, fatuus doctrina, impius vita, ſignificat intolerabilius eſſe malum, quod ipſe agit poſt perceptionem ſacri baptiſmatis, & confeſſionem nominis Chriſti, agnitionemque veritatis apoſtata factus: quam hoc, quod vel homo Catholicus committit in multitudine minutarum tranſgreſſionum: vel Philoſophus gentilis in humanæ ſapientiæ ſcriptis: vel paganus perſecutor, qui nondum peruenit ad fidem; & ideo ignorans odio habet veritatem, & perſequitur Chriſtianam religionem. (Luc. 12.) *Seruus enim qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multis. Qui autem neſcit & non facit, vapulabit paucis.*

Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non

A *diſſoluitur: ſic & cor confirmatum in cogitatione conſilij.* Ligna ergo legimus iuſtos viros ſignificare, qui fructum dabũt
Pſal. 1. in tempore ſuo, & quorum folia non decidunt, & omnia quæcunque fecerint proſperabuntur: fundamentum autem ædificij Apoſtolos & Prophetas, quorum prædicatio ſuſtinet Eccleſię ędificium: loramentum enim ligneũ colligatum fundamento ædificij, non diſſoluitur, quoniam fides paſſionis Chriſti in cordibus credentium adiuncta doctrina Apoſtolorum, indiſſolubile ædificium Eccleſiæ facit, veræque charitatis glutino fortiter connexum. Nec perſecutorum minis & flagellis, nec hæreticorum inſidijs vnquam deſtrui permittit, firmum enim ſtat Domini fundamentum, & cor fidelis viri in huiuſmodi dogmatibus confirmatum, aliqua aduerſitate infirmari non poteſt, ſed ſummi artificis manu corroboratum, illęſum permanet in perpetuum, quod & ſequens ſententia ita comprobat.

Cogitatus ſenſati in omni tempore vel metu non deprauabitur. Nullo modo enim aduerſitas mundana, aut perſecutorum flagella, vel hæreticorum bella, ſiue etiam inſidiæ
B malignorum ſpirituum ſubuertere vel deprauare cor prudentis hominis poterunt, qui iuxta diuinorum librorum conſilium diuina mandata cuſtodit, & totum animi ſui conſilium Deo omnipotenti ſpe firma committit. E contrario verò quid timidis corde, & diſſolutis robore mentis contingat, ſequenti comparatione oſtendit, dicens.

Sicut paleæ in excelſis & cæmenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt, ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris non reſiſtit. Sicut ergo paleæ leues in excelſis locis poſitæ flatu venti tolluntur, & ſicut cæmenta, quæ mixtura calcis non bene conglutinata ſunt, parietem firmum facere non poſſunt, ſed in aduentu turbinis citò deciduum reddunt: ſic & cor timidum inſipientium hæreticorum, vbi Spiritus Sanctus nullum
C præſtat rectæ fidei firmamentum, & veræ charitatis ſolidamentum aduenienti moleſtiæ perſecutionum reſiſtere non valet, ſed ruinę maximè patet: has ergo duas comparationes, hoc eſt, cordis firmi ſenſatorum in fundamẽto Catholicæ fidei ſolidati, & cordis timidi hæreticorum vacillantis in ſtultitia errorum ipſe Saluator in Euangelio luculenta ſimilitudine expoſuit, dicens: *Omnis ergo qui*
Matt. 7. *audit verba mea hæc & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram: & omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Fundamentum quod Apoſtolus Paulus architectus poſuit vnum eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſuper hoc fundamentum ſtabile & firmum & per ſe robuſta mole fundatum, ædificatur
D Chriſti Eccleſia: ſuper arenam verò, quæ fluida eſt, & coagmentari non poteſt, nec in vnam copulam redigi, omnis hæreticorum ſermo ad hoc ædificatur vt corruat. Quid per pluuiam niſi multimodas diabolicas tentationes? per flumina, apertas manifeſtaſque perſecutiones? per ventos, malignos ſpiritus intelligi voluit? quia vniuſcuiuſque conſcientia, quæ ſpe defixa in Deum non permanet, neque in tentationibus, neque in perſecutionibus, neque ante malignos ſpiritus ſubſiſtere valet, & tantò vniuſcuiuſque conſcientia malignis ſpiritibus acrius concutitur, quantò mens carnalis in his quæ mundi ſunt amplius à ſuperioribus diſiungitur: quantoque amplius in inferioribus illigatur.

Sicut ornatus arenoſus in pariete limpido, ſic & cor trepidum in cogitatione fatui. Omni tempore non metuet: ſed qui in præcepto Dei permanet, ſemper pungens oculos deducet lachrymas: & qui pũgit cor, proferet ſenſum. Aliud paradigma ponit, in quo oſtẽdere vult, quod ſicut limpidus paries propter lenitatẽ ſuam non recipit puluerem arenæ, ſic & cor fatui in cogitatione ſua ſpernit ſcelerum ſuorum recordationem, nec vult pœnarum futurarum habere formidinem: qui verò in præceptis Dei benè operando ſemper permanet,
E ille cordis ſui oculum timoris aculeo pungit, & producit ex eo compunctionis lachrymas tam pro terrore iudicij futuri, quàm pro amore vitæ æternæ: & ita timorem Dei ſemper in conſpectu cordis habens ſtudet rectè Scripturam ſacram intelligere, & alijs veraci ſermone prædicare.

CAPVT VI.

MIttens lapidem in volatilia, deijciet illa: ſic & qui conuiciatur amico, diſſoluet amicitiam. Docet ſapientia vt amici inter ſe iurgantes verba cõuiciorum in alterutrum non proferant, nec ſecreta diu velata per furorem in inuicem denudent: quia ſicut lapidis ictu volatus auis deijcitur, ita & conuitij verbo vis amicitiæ diſſoluetur.

Ad amicum ſi produxeris gladium, non deſperes: eſt enim regreſſus. Ad amicum ſi aperueris os triſte, non timeas: eſt enim concordatio; excepto conuicio, & improperio, & ſuperbia, & myſterij reuelatione, & plaga doloſa: in his omnibus effugiet amicus. Nunc aperit, quæ res amicum bonum poſſint conſeruare, quæue illum penitus effugare atque alienum facere. Si enim
F verbo correptionis amicum pro aliquo commiſſo inhoneſto, charitatis affectu corripueris, ita vt velis eum corrigere, non debes de amicitia eius deſperare: quia licet ad tempus doleat de obiurgatione, poſtmodum tamẽ agnita correptionis vtilitate citiùs regreditur ad ius prioris amicitiæ, nec propter verbum triſte perſeuerat in accepto dolore: quia omne, quod erga eum actum eſt, abſq; fraudis eſſe intelligit machinatione. Si autem læſeris illum conuicij ſermone & improperij, & ſuperbia, & ſecretorũ reuelatione, & doloſitate nequitiæ: in omnibus his effugiet amicus, etiam de reditu eius ad amicitiam priſtinam poteris deſperare. Vnde alibi dicitur: *amico reconciliato* Eccl. 12.
non credas in æternum.

G *Fidem poſſide cum proximo in paupertate illius, vt & bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane fidelis, vt & in hæreditate illius cohæres ſis.* In aduerſitate fides amici magis ꝓbatur, quẽ in proſperitate: quia *multi amici menſæ & non permanent in die neceſſitatis.* Ideo ſuadet vt in paupertate & tribulatione fidem ſeruemus proximo, quatenus in bonis illius ſimul cum eo collętemur. Myſticè autem quicunque in præſenti ſæculo & in tribulatione præſentis vitæ condolet fratri, & proximo, in hæreditate futuræ patriæ lætitiæ eius erit particeps & gloriæ.

Ante ignem camini vapor & fumus ignis inaltatur: ſic & ante ſanguinem maledicta & contumelia & minæ. Sicut fumus pręcedit ignis incendium, ſic & verborum duritia præuenit homicidij malum. Vnde in Prouerbijs ſcriptum eſt: *ſermo durus ſuſcitat rixas.* Et item: *cum defecerint* (inquit) *ligna extinguetur ignis, & ſuſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt: ſicut carbones ad prunas & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.* Hinc & Saluator in Euangelio cauſam iræ pręcepto ſuo auferre voluit, ne homicidij ſcelus adderetur, dicẽs: Matth. 5.
Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, &c.

Amicum ſalutare non confundar, à facie illius non me abſcondam: & ſi mala mihi euenerint, per illum ſuſtinebo. Quanta bona ſint in vera amicitia, non eſt poſſibile enarrare; & quanta mala ſint in odioſa inimicitia, nullus verbis poteſt enuntiare: quia ſicut amicitia totius boni eſt laudabile ſolidamentum: ſic & econtrario inimicitia totius mali eſt deteſtabile argumentum: ſi enim euenerint tibi bona, amicus tuus tibi congaudebit; ſi autem acciderint mala, amicus tibi condolebit, ac ſufferre tecum certabit. H

Omnis qui audiet, cauebit ſe ab eo. Hoc eſt, omnis qui intelligit quanta bona ſint in amicitia vera, cauet ne per incuriam perdat illam: cauet enim ne conuitio & improperio, & cæteris quæ ſupra enumerauit exaſperet amicum, & lædat amicitiæ iura.

Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſupra labia mea ſignaculum certum? vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me. Nouit enim vir ſapiens quanta mala eueniant per temeritatem linguæ; ideo interrogat, quis ſibi cuſto-

diam

Digitized by Google

A diam præbeat ſuæ loquelæ, vt non declinet in verbum malum: vnde animæ ſuæ certiſſimum poſſit euenire detrimentum, quantum autem periculum humanæ vitæ conſiſtat in poteſtate linguæ, Iacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua oſtendit, dicens: (Iac. 3.) *Ecce quantus ignis quàm magnam ſyluam incendit? & lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura beſtiarum & volucrum & ſerpentium, & cæterorum domantur & domita ſunt à natura humana. Linguam autem nullus hominum domare poteſt, inquietum malum, plena veneno mortifero, in ipſa benedicimus Dominum & Patrem, & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio.*

B

CAPVT VII.

Domine pater & Dominator vitæ meæ ne derelinquas me in conſilio eorum, nec ſinas me cadere in illis. Nam cum prius interrogaret quis daret ori ſuo cuſtodiam, & ſupra labia ſignaculum certum: quia neminem inuenit qui hoc perfectè facere poſſit, ad eius opitulationem ſe conuertit. qui eum in initio creauit: vt cuius opere fuit, vt in natura ſubſiſteret, eius munere fiat, ne in vitiorum voraginem cadat.

Quis ſuperponit in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam ſapientiæ, vt ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta illorum, & ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conſpectum aduerſariorum meorum, & gaudeat ſuper me inimicus meus? Quia vir ſapiens intellexit vitiorum crimina ſibi noxia eſſe ac mortifera, ideo quærens appetit C in cogitatu ſuo diſciplinæ flagella, & in corde ſuo doctrinam habere prudentiæ: ne fortè ignorantia detentus nō agnoſcat delictorum pericula, & augeantur facinorum crimina, pro quibus incidat in manus aduerſariorum, & gaudium perficiat ſpiritalium inimicorum.

Domine pater & Deus vitæ meæ ne derelinquas me in cogitatu illorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium prauum auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentia ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me. Deum patrem vniuerſorum & factorem & dominatorem vitæ humanæ rogat ne ſe deſerat, nec in conſilium malignorum ſpirituum venire permittat: ſed magis tollat ab eo elationem mentis, omneque deſiderium prauum auferat gaſtrimargiæ, hoc eſt, gulæ vitium, & libidinem fornicationis, & maximè ne animæ irreuerenti & impudicæ tradatur, ſcilicet ne huiuſmodi vitijs capiatur aut obligetur: dicitur D enim Deus tradere hominem alicui periculo, quando iuſto iudicio permittit eum incidere in illud. Ideo rogamus illum in oratione Dominica, ne inducat nos in tentationem, hoc eſt, ne permittat nos induci in tentationem: (Matt. 6. Luc. 11.) *Deus enim neminem tentat*, hoc eſt, neminem decipit: *quia ipſe intentator eſt malorum tentamentorum.*

CAPVT VIII.

Doctrinam oris audite filij, & qui cuſtodierit illam, non peribit labijs ſuis, nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis. Doctrinam oris appellat diſciplinam verborum: hanc audire, hoc eſt diligenter diſcere & ſeruare iubet: quoniam qui hanc cuſtodierit, non peccat in labijs ſuis, nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis, hoc eſt, in factione doli & nequitiæ, falſitatis, maledictionis, periurij, detractionis: quæ opera ſunt oris indiſciplinati. Qui enim cuſtodit os ſuum, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam.

In vanitate ſua apprehenditur peccator, & ſuperbus, & maledicus ſcandalizabitur in illis. In vanitate ſua apprehenditur peccator, quando in deſiderijs, & voluptatibus huius vitæ captiuatur, in qua ſuperbus & maledicus ſcandalizabitur, quando amori Dei & deſiderio futuræ patriæ, illam præponere non veretur. Proinde admo-

E net Ioannes Apoſtolus in Epiſtola ſua, dicens: (1. Ioan. 2.) *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum eſt, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt: & mundus tranſit, & concupiſcentia eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

CAPVT IX.

Iurationi non aſſueſcat os tuum, multus enim caſus in illa. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus ſanctorum non admiſcearis: quoniam non eris immunis ab eis. Ideo enim vetat iuramentum, ne fiat periurium: quoniam qui ſæpe iurat, aliquando peierat. Vnde Dominus (Mat. 5.) in Euangelio iuramenta prohibuit: quoniam noxia ſunt, & in periurium hominem mittunt. Sicut enim falſum loqui non poteſt, qui non loquitur, ſic peierare non poteſt, qui non iurat. Vnde & Iacobus Apoſtolus ait: (Iac. 5.) *Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum; ſit autem veſtrum iuramentum eſt, eſt. non, non.* quia læthiferum linguæ virus ad integrum in ſuis auditoribus exhaurire deſiderat, qui detrahere alterutrum vetuit, qui iudicare proximum interdixit, F qui in aduerſitatibus alterutrum ingemiſcere prohibuit, quæ ſunt aperta peccata, addit etiam hoc quod quibuſdam leue videtur, vt iuris quoque iurandi conſuetudinem tollat. Nam hoc quoque illis nequaquam paruipendendum patenter apparet, qui illam Domini ſententiam ſollicite conſiderant, qua dicit: (Matt. 12.) *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*, vt non ſub iudicio decidatis. Ideo (inquit) vos à iurationis culpa compeſco, ne frequenter vera iurando, aliquando etiam in periurium decidatis: ſed eò longius à peierandi vitio ſtetis, quò nec verum deierare niſi pro maxima neceſſitate velitis. Sed & ille ſub iudicium reatus decidit, qui etſi nunquam peierat, crebrius tamen quàm opus eſt verum deierat: quia nimirum ipſa ſuperfluæ locutionis otioſitate delinquit, offenditque iudicem, qui & inutile verbum, & iuramentum omne vetuit.

G *Sicut enim ſeruus interrogatus aſſidue à liuore non minuitur: ſic omnis iurans & nominans in toto à peccato non purgabitur.* Seruum interrogatum dicit correptionibus caſtigatum: Vnde in Martyrum paſſionibus interrogationem pro flagellis & tormentis poſitum inuenimus. (*Nota interrogationē pro flagellis & tormētis accipi.*) Sicut enim ſeruus aſſiduè correptus à liuoris crimine non abſtrahitur, ſed magis ad odium prouocatur: ſic omnis iurans & nominans ſæpe in iuramento ſuo nomen Dei nomenque ſanctorum eius inde à peccatis non purgabitur, ſed magis polluitur.

Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga, & ſi fruſtrauerit, delictum ipſius ſupra ipſum erit: & ſi diſſimulauerit, delinquet dupliciter: & ſi in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur. Ille ergo qui vſum habet plus quàm decet iurandi, grauabitur delicto tranſgreſſionis, quo tranſgreditur mandatum Dei, qui præcepit omnino non iurare. Vnde non diſcedet à domo corporis eius plaga vindictæ, quia per præuaricationem linguæ ſubibit ſimul cum anima pœnam gehennæ. Si ergo in iurando fraudem perpetrauerit, peccatum eius ſupra ipſum erit: ſi autem veritatem per iuramentum manifeſtare diſſimulauerit, dupliciter delinquit, hoc eſt, quia per ſimulationem veritatem celauit; & alios per falſitatem in errorem ſeduxit. H Porrò ſi in vacuum & ſine vlla neceſſitate in otioſa locutione ſæpe iurare nōn cauerit, iuſtitiæ meritum habere non poterit; ſed reus delicti in nouiſſima retributione tormenta ſuſtinebit. Inde ſequitur.

Replebitur enim retributione peſſima domus illius. Nec eſt alia retributio peior inferni ſupplicio: vbi vermis mordens non moritur, & ignis crucians non extinguitur.

Eſt & alia loquela contraria morti, non inueniatur in hæreditate Iacob. Etenim à miſericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur. Aliam loquelam contrariam

A dibilis fuit, quando ſanctorum Patrum fidem & tradi-
tionem in Sacris Scripturis ſequi noluit: ſecundo virum
ſuum dereliquit, quia charitatem Dei & proximi habe-
re deſpexit. Tertio in adulterio fornicata eſt, quando fœ-
dere turpiſſimo per errorem aſſociata eſt diabolo: à quo
filios ignobiles accepit, quando praua dogmata & per-
uerſa opera eius maligno inſtinctu generauit: hæc in Ec-
cleſia adducentur, & in filios eius reſpicietur, cum eius per-
uerſitas vbique in conuentu fidelium per ſanctorum Do-
ctorum ſolertiam declaratur, & doctrina eius vbique
damnatur, nec ſecta illius, quia fundamentum veritatis
non habet, perſeuerantem bonorum operum fructum
gignere præualet: ſed ignominioſam memoriam poſt ſe
relinquens confuſione perpetua confundetur. Vnde &
B fideles quique eius damnationem futuram agnoſcentes
ſpernunt eius ſocietatem, & eligunt Catholicæ fidei te-
nere in omnibus firmitatem. Sic enim ſequitur.

*Et agnoſcent qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius quàm
timor Dei, & nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Domini.
Gloria magna eſt ſequi Deum: longitudo enim dierum aſſumetur
ab eo.* Nihil enim melius proficit homini ad ſalutem per-
petuam promerendam, quàm timor Dei: & nihil dul-
cius, quàm reſpicere in mandatis eius. Vnde & Pſalmiſta
Pſal. 118. ait: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine: ſuper mel &
Pſal. 118. fauum ori meo.* Et item: *ideo* (inquit) *dilexi mandata tua ſuper
aurum & topazion.* Gloria magna eſt ſequi Deum: quo-
niam qui in luce ambulat, non offendit. Vnde ipſa Ve-
ritas ait: *qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit
lumen vitæ.* Cui etiam longitudo dierum datur: quia pe-
rennitas in æterna beatitudine illi confertur, vbi cum
ſanctis Angelis in ſæculum ſæculi creatorem ſuum lau-
dando confitebitur.

CAPVT XII.

C
Cap. 24. *SApientia laudabit animam ſuam, & in Deo honorabitur,
& in medio populi ſui gloriabitur, & in Eccleſiis altiſſimi ape-
riet os ſuum, & in conſpectu virtutis illius gloriabitur.* Sapien-
1. Cor. 1. tia hæc non eſt alia, niſi de qua dixit Apoſtolus: *Chriſtum
dico, Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Ipſe *laudauit animam ſuã,*
quia omnibus oſtendit laudabilem eſſe vitam ſuam: *& in
Deo honorabitur,* quia ſimul cum Deo Patre & Spiritu ſan-
cto in cælis & in terra adoratur: *& in medio populi ſui gloria-
bitur,* hoc eſt, in cœtibus Angelicis & in populis Chriſtia-
nis glorioſus prædicatur. Vnde & in natiuitate eius An-
geli cecinerunt, dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra
pax hominibus bonæ voluntatis: in eccleſiis altiſſimi aperiet os
ſuum,* quia in conuentu fidelium prædicat Euangelium
ſuum, de quo ſcriptum eſt: *& aperiens os ſuum docebat eos, di-
cens: Beati pauperes ſpiritu, &c. & in conſpectu virtutis illius glo-
Matt. 5. riabitur:* quia in oſtenſione miraculorum ſuorum ad lau-
D dandum Deum prouocabat turbas populorum. De quo
Luc. 6. ſcriptum eſt: *Multitudo languentium, & qui vexabantur ab
Luc. 6. ſpiritibus immundis curabantur. & omnis turba quærebat eum
tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Et alibi: *o-
Luc. 18. mnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.* & item: *accepit autem o-
mnes timor, & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta ma-
Luc. 17. gnus ſurrexit in nobis.* & quia *Deus viſitauit plebem ſuam.* &
Mat. 9. rurſum: *videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt
Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.*

*In medio populi exaltabitur, & in plenitudine ſancta admira-
bitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter bene-
dictos benedicetur. In medio* (inquit) *populi exaltabitur,* hoc eſt,
in medio Chriſtiani populi honore ſublimabitur. De
Pſal. 98. quo Pſalmiſta ait: *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & ado-
rate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* & in plenitudi-
ne ſancta admirabitur, quoniam in ipſo redemptore no-
ſtro complacuit omnem plenitudinem habitare, quia i-
pſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt
caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium & primoge-
nitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum te-
nens. Vnde dicit Ioannes: *verbum caro factum eſt, & habi-
Ioan. 1. tauit in nobis: & vidimus gloriam quaſi vnigeniti à patre, ple-
num gratiæ & veritatis.* Et de plenitudine eius nos omnes
accepimus gratiam pro gratia. *in plenitudine* (inquit) *ſan-
E cta admirabitur:* quia mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis.
Vnde & *in multitudine electorum habebit laudem, & inter be-
nedictos benedicetur.* Ipſe enim dabit virtutem & fortitu-
dinem plebi ſuæ benedictus Deus. *In ſemine* enim *Abra-
hæ,* hoc eſt in Chriſto *benedicentur omnes nationes terræ,*
quem benedicunt omnia opera eius, qui etiam eſt ſuper
omnia Deus benedictus in ſecula. Qui hæc quæ ſe-
quuntur de ſemetipſo per vas ſibi aptum prædicauit, di-
cens:

CAPVT XIII.

*EGo ex ore altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creatu-
ram.* Volens ergo ſapientia Dei, quæ eſt Chriſtus Dei
filius, ſemetipſam ſecundum diuinitatem, à nullis exi-
ſtentibus vel etiam ex nihilo oſtendere non eſſe crea-
tam, ſed ex Dei patris ſubſtantia genitam, ait: *Ego ex ore* Eccl. 24.
altiſſimi prodiui. Cui pater alibi ait: *Ex vtero ante luciferũ ge-* Pſal. 19.
nui te, id eſt, ex arcano ſubſtantiæ meæ, ex ipſa videlicet
Deitate totum ex toto, omnipotentem de omnipoten-
te, lumen ex lumine, ſummum ex ſummo, quod arca-
num nulla inueſtigatio, nullus ſenſus poſſit attingere.
Nam quemadmodum valet comprehendi, de quo ſcri- F
ptum eſt: *generationem autem eius quis enarrabit?* mira bre- Eſa. 53.
uitas & ſufficiens pro noſtra infirmitate menſura: quia
nec plus poſſumus capere, & hoc abundè ſufficit vtique
crediſiſſe, & quia verbum Dei, id eſt filius & ſapientia
Dei nominatur, rectè dicit: *Ego ex ore altiſſimi prodiui,* vt in-
telligatur per verbum & ſapientiam Dei omnia eſſe crea-
ta. *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt ni-* Ioan. 1.
hil. Quod autem dicit ſe primogenitam ante omnem
creaturam oſtendit ſe non eſſe cum creatura, vel ante
creaturam creatam, ſed ab initio ex patre genitam: quia
ipſe eſt origo totius boni, qui cum patre & Spiritu ſancto
ſine initio ſemper exiſtit, per quem omnem creaturam
pater, quando voluit, & quomodo voluit, fecit: ſed quia Coloſ. 1.
Paulus alibi dicit Chriſtum primogenitum ex mortuis,
alibi verò primogenitum totius creaturæ, interrogant
quidam, cum Chriſtus Deus & homo vna perſona ſit in
Trinitate, quemadmodum ſuſceptus homo primogeni-
tus poſſit videri totius creaturæ, cum non ſit ante o- G
mnem creaturam, ſed vt eſſet, in nouiſſimis accepit
temporibus? non intelligentes quoniam primoge-
nitus non tempore dicitur ſolum, ſed & pro honora-
tione frequenter, eo quod primogenitus dicitur vera-
citer illorum, qui poſt illum geniti fuerunt. Huius ergo
nominis translatione, hoc eſt, primogeniti ſæpe vtitur
ſcriptura honoris cauſa: vt eſt illud quod ad Dauid dici- Pſal. 88.
tur: *Ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.* Exod. 4.
& alibi ſcriptum eſt: *filius meus primogenitus Iſrael,* hoc eſt
honorabilis mihi. Nam erant & alibi ante Iſrael, qui fi-
liorum Dei nuncupatione digni fuerant habiti, de
quibus Moyſes dicit: *Videntes filij Dei filias hominum* Gen. 6.
*quod eſſent pulchræ acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elege-
rant.* ſic & in hoc loco, quo dixerat Apoſtolus de Chri-
ſto, quòd eſſet primogenitus totius creaturæ, hoc eſt, ſu-
per omnem creaturam honorabilis, ſi quidem dixiſſet
abſolutè primogenitus, honorabilem tantummodo di-
ceret. Nam quia adiecit omnis creaturæ, illum deſignat,
qui ab omni honoratur creatura. Nam is qui ſecundum
carnem eſt, Chriſtus, & tempore primogenitus dicitur H
veraciter totius creaturæ, quæ in illo facta eſt. De qua
Beatus Paulus hoc in loco videtur dixiſſe. Vnde & illud
quod dixit primogenitus totius creaturæ interpretans
adijcit: *quoniam in ipſo creata ſunt omnia:* non dixit per i-
pſum, ſed *in ipſo.* Nec enim de prima dicit creatura, ſed
illam creaturæ ſeparationem quæ in eo facta eſt, ſecun-
dum quam omnia dudum diſſoluta in vnum ſunt con-
ſenſum perducta: ſicut & alibi dicit: recapitulare omnia
in Chriſto quæ in cælis ſunt, & quæ ſuper terram: pro-
pter hominum etenim malitiam omnis (vt ita dixerim)
creatura diſrumpi videbatur. Auertebant enim ſe à no-
bis Angeli, & omnes inuiſibiles virtutes, propter inde-
uotionem noſtram, quam erga Deum exercebamus: in-
ſuper etiam & nos ipſi morte ſoluimur, ex qua accede-

A bat animam ſeparare à corpore: etenim & omnis connexio creaturæ hinc ſoluebatur, factus eſt enim homo à principio quaſi aliquod animal cognatione omnibus iunctum: eo quod corpus quidem generaliter ex omnibus conſiſtebat, id eſt, ex quatuor elementis: anima vero ad inuiſibiles virtutes propinquitaté habere videbatur. Vna verò quædam vniuerſorum copulatio ex hinc fieri videbatur, propter iniquitatem eam, quam ad hominem cuncta habere videbantur, omnibus in idipſum concurrentibus; ita vt & vno conſenſu Deo redderent debitam culturam cum cauta ſollicitudine. Ergo Dei ſapientia omnia, quæ in cælis & quæ in terra ſunt facta, ipſe fecit. Vnde & ſubiungitur.

Ego in cælis feci vt oriretur lumen indeficiens: & ſicut nebula texi omnem carnem. In cæli nomine ſpiritalem, in carnis verò corporalem comprehendit creaturam, fecit ergo ſa-
B pientia Dei vt ſpiritales creaturæ, hoc eſt, Angeli & animæ hominum lumen haberent rationis intelligentiæ; corporales verò iuxta voluntatem & diſpenſationé creatoris ſui modum haberent ſuæ facturæ: vt omne quod eſt in rerum natura viuit, ſentit & ſapit, ab ipſo haberet ori-
Rom. 11. ginem, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, & nota quòd dixit eam facere in cælis lumen oriri, & nebula omnem carnem contegi: quoniam ſicut lumen claritate ſua præcellit obſcuritatem nebulæ, ita ſpiritalis creatura corporalem ſuæ naturæ quodammodo præcellit dignitatem. Vnde ſicut viuentia præcedunt omnia vita carentia: ita anima ratione pollens nobilitate ſuæ naturæ præcedit omne quod rationem diſcernendi non habet.

Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Vtramque ſuam naturam, hoc eſt, diuinam & humanam ſapientia Dei Chriſtus nobis hic demonſtrat: diuinã videlicet in eo, quo dicit ſe in altiſſimis habitare, hoc eſt, ſupra omnem altitudinem cæleſtis regni ſimul cum pa-
C tre & Spiritu ſancto vnum Deum regnare: humanam vero in eo, quo dicit ſe in columna nubis thronum habere: quia corpus quod de Spiritu ſancto conceptum virgo mater edidit, nullius peccati pondere prægrauatum eſt, nec terrenarum rerũ voluptatibus deſiderijſq; obligatũ, ſed ſuperna virtute ſublimatũ, thronus regiæ dignitatis emicuit, in quo poteńtia diuinitatis omnia iudicia ſua potenter diſponit atq; diſpenſat: quod autem nubes carné ſignificet Saluatoris, oſtendit Eſaias, vbi ait: *Ecce Dominus*
Eſa. 19. *aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius.* Hæc ergo Prophetia ad Saluatoris tempora refertur, quando aſcendit ſuper nubem leué, id eſt, corpus humanum, quod ex virgine aſſumpſerat, nullo humanæ commixtionis ſemine prægrauatum: ſiue quòd à nube leui portatus ſit, id eſt corpore virginali, & ad ingreſſum eius oẽs dæmones contremuere: cumq; prima idolorum ruina fuerit, præſentiam Dñi ferre non ſuſtinens, & aptè
D dicitur, incarnatio Saluatoris columna, propter rectitudinem doctrinæ & firmitatem operationis: quia electos ſuos erigit ad quærendam ſalutem perpetuam, & totum ædificium Eccleſiæ ſuæ ipſe portat atque ſuſtentat.

Gyrum cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti, & in omni populo & in omni gente primatum habui, & omniũ excellentium & humilium corda virtute calcaui. Hæc oratio dominatum ſapientiæ Dei vbiq; & fortitudinem exprimit: quia ſimul omné creaturam in quatuor nominibus vno tenore concludit. Nam cæli nomine omnia cæleſtia cõprehendit, in profundo abyſſi ea, quæ ſubtus terram ſunt, in fluctu verò maris & in terra omnia, quæ in his duobus elementis cõſiſtunt demonſtrat, ſignificat ergo nihil eſſe in rerum natura quod in eius non ſit poteſtatis dominatione: hęc eadem approbante Dauid, qui in Pſalmis ternario numero ad laudandum Deũ vniuerſam creaturã ꝓuocando per-
Pſal. 68. ſtrinxit, dixit: *Laudent eũ cæli & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt.* Exhinc & Apoſtolus, vt oſtẽderet Chriſtũ, Dei ſapiẽtiam & Dei virtuté, propter humilitatis ſubiectioné in omni rationali creatura primatũ habere, & omnium poteſtatum atq; regnorũ ꝓpria virtute dominari, elegãter ait:

E *Chriſtus factus eſt pro nobis obediẽs patri vſq; ad mortẽ, mortẽ aũt*
Phil. 2. *crucis. propter quod & Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriũ, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

Et in his omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate eius morabor. In omnibus gentibus requiem ſibi quærit ſapientia, quia ex omnibus gentibus ſancta congregatur Eccleſia, quæ electa eius hæreditas eſt: vbi in ſæculum ſæculi ipſe
Pſal. 15. permanet & regnat. De qua ipſe per Pſalmiſtam ait: *hære-*
Eſa. 19. *ditas mea præclara eſt mihi,* & in Eſaia: *Benedictus* (inquit) *populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Aſſyrius:* hæreditas autem mea Iſrael.

Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices. Quid eſt ꝙ dicit ſapientia ſibi creatorem omnium præcepiſſe, niſi quod filius ſecundum humanitatem intelligit ſibi patrẽ maiorem eſſe? Vnde ſubiungitur, *qui creauit me* (inquit) *requieuit in tabernaculo meo:* creare enim Dei, eſt ſapientiam vnigeniti filij humanitatem ſingulari puritate de ſpiritu Sancto conceptam, & Maria virgine editam procreare, quæ & tabernaculum non immerito dici poteſt: quia ſe-
F cundum id quod caput eſt corporis Eccleſiæ, tabernaculum Dei eſt, in quo complacuit omnem plenitudiné diuinitatis habitare. Quæritur ergo cur in Scripturis ſacris nunquã ferè de ſapientia quidquã dicatur, niſi vt oſtẽdatur à Deo genita vel creata? genita ſcilicet, per quẽ facta ſunt omnia: creata vero vel facta, ſicut in hominibus cum ad eã quæ non creata & facta, ſed genita eſt conuertũtur & illuſtrantur. Ipſis enim fit aliquid quod vocetur eorum ſapientia, vel illud ſcripturis prænuntiantibus aut enarrantibus, quod *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis:* hoc modo enim Chriſtus factus ſapientia eſt, quia factus eſt homo: an propterea non loquitur in illis libris ſapientia, vel de illa dicitur aliquid, niſi quod eam de Deo natã oſtendat aut factam, quamuis ſit & pater ipſe ſapientia? quia in illa nobis ſapientia commendanda erat & imitanda, cuius imitatione formamur: pater .n. eã dicit vt verbũ eius ſit, non quomodo profertur ex ore verbũ ſonans aut ante pronuntiationé cogitatur. Spatijs enim temporum hoc cõpletur, illud aũt æternum eſt: & illuminando dicit
G nobis & de ſe & de patre quod dicendũ eſt hominib. Id-
Luc. 10. eoq; ait: *Nemo nouit filiũ niſi pater: & nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare:* quia per filiũ reuelat pater, id eſt, per verbum ſuum. Si .n. hoc verbum, quod nos ꝓferimus, tẽporale & tranſitoriũ eſt, & ſeipſum oſtẽdit, & illud de quo loquimur: quanto magis verbum Dei, per ꝙ facta ſunt omnia? quod ita oſtendit patrem ſicuti eſt pater, quia & ipſum ita eſt, & hoc eſt quod pater, ſecundum quod ſapientia eſt & eſſentia. Nam ſecundum quod verbum non hoc eſt ꝙ pater, quia verbũ non eſt pater, & verbum relatiuè dicitur, ſicut filius, quod vtiq; nõ pater, & ideo Chriſtus virtus & ſapiẽtia Dei, quia de patre virtute & ſapientia, etiam ipſe virtus & ſapientia eſt, ſicut lumen Dei de patre lumine: & fons vitæ apud Deũ patrem, vtiq;
Pſal. 35. fontem vitę: *quoniam apud te* (inquit) *fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, quia ſicut pater habet vitam in ſemetipſo, his dedit filio habere vitam in ſemetipſo.* Quod autem dicit, *in Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare.* Aut illud exprimit quod incarnatione Saluatoris populo Iudaico
H ꝓ́ſentialiter vti conceſſum eſt, ſicut ipſe ad Cananæã mu-
Mat. 15. lierem reſpondens ait: *non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierãt*
Mat. 10. *domus Iſrael.* & ad diſcipulos: *In viam* (inquit) *gentium ne abieritis, & in ciuitates & Samaritanorum ne intraueritis: ſed potius ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Vnde & in Ieruſalem primitiuam electorum Dei primitus fundauit Eccleſiam: aut hoc ſignificat, quod non ſolum ex populo priore, ſed etiam ex gentibus electi Dei conuocandi erant. Iacob enim aliquando in Scriptura pro antiquo Dei populo poſitus inuenitur: Iſrael autem pro plebe ſequenti,
Pſal. 13. hoc eſt gentili. Vnde in Pſalmo ſcriptum eſt: *Lætetur Iacob*
& 149. *& exultet Iſrael.* ex vtroque ergo populo electi Dei ad fidem Chriſti conuocati ſunt, & doctrinæ Euangelij radix in eis firmata.

A

CAPVT XIV.

A*B initio ante ſæculum creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.* Æterna Dei ſapientia Chriſtus ſacramentum incarnationis ſuæ ante ſæcula præſcitum & prædeſtinatum eſſe affirmat: cuius vis vſque in ſæculum ſine vllo ſui defectu permanet, & inhabitatione ſanctæ Eccleſiæ omnem ritum veræ religionis ordinando diſponit. De quo adhuc ſubditur.

Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius: & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Sion igitur & Hieruſalem non aliam ſignificant, quàm ciuitatem Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, quæ à primo electo vſque in nouiſſimum ædificatur: de qua per Pſalmiſtam dicitur: *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum.* & item: *fundamenta*, inquit, *eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* In hac ergo ſapientia Dei quotidie fructificat, quia electos ſuos in vnitatem fidei ſuæ ibidem congregat, ibi & requieſcit, quia ſanctorum ſuorum pia intentione & bona deuotione exhilareſcit. *Super quem*, inquit, *requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones meos?* Ibi & poteſtas eius manifeſtatur, quia ibidem voluntas eius aſſiduè adimpletur: poteſtas enim Dei licet nuſquam deſit, quia omnia quæcunque vult facit in cœlo & in terra, in mare & in omnibus abyſſis: tamen ibi maxime clareſcit, vbi præceptorum eius cuſtodia præcipuè conualeſcit: *& radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius: & in plenitudine ſanctorum detentio mea.* In populo honorificato, dicit in populo Chriſtiano: qui nominis eius inſigni præconio meruit honorari, qui pars eius & hæreditas dicitur, quia ad ſortem eius inter omnes nationes mundi ipſe ſolus pertinet, & in plenitudine ſanctorum detentio eius: quoniam illi membra ſunt corporis eius: ipſe fit omnia in omnibus. Nullo igitur modo beneficentius conſuli potuit generi humano, quàm cum ipſa Dei ſapientia, id eſt vnicus filius conſubſtantialis patri & coæternus totum hominem ſuſcipere dignatus eſt: *& verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* ita enim demonſtrauit carnalibus & nõ valentibus intueri mente veritatem, corporeiſque ſenſibus deditis, quam excelſum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non ſolum viſibiliter. (Nam id poterat & in aliquo æthereo corpore ad noſtrorum aſpectuum tolerantiam temperato) ſed hominibus in vero homine apparuit, ipſa enim natura ſuſcipienda erat, quę liberanda: & ne quis forte ſexus à ſuo creatore ſe contemptum putaret, virum ſuſcepit, natus ex fœmina eſt, nihil egit vi, ſed omnia ſuadendo & monendo: licet ementes & vendentes flagellando eiecit de templo, ſed quid hoc, aut quantum eſt? quamuis & dæmones, nolentes ab hominibus, non ſermone ſuaſionis, ſed vi poteſtatis eiecerit. Veteri quippe ſeruitute tranſacta tempus libertatis illuxerat, & opportunè iam homini ſuadebatur, atq; ſalubriter, quàm libero eſſet creatus arbitrio, miraculis conciliauit fidem Deo, qui erat paſſioni ſubijciendus in homine quem gerebat.

Pſal. 121.
Pſal. 86.

B

C

D

Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. Cedrus enim & cypreſſus arbores ſunt altitudinis eximiæ, & odoris præcipui. Libanus mons eſt Phœnicum altiſſimus, cuius meminerunt Prophetæ, dictus à thure, quia ibi colligitur. Sion autem collis eſt Hieruſalem ſupereminens vrbi: & interpretatur ſpeculum, hæc ergo nomina arborum & montium conueniunt eminẽtioribus Chriſti membris, qui cum Apoſtolo dicere poſſunt: *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* &, *noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* &, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & reliqua. Sed & hoc quòd odor cedri ſerpentes interimere & fugare ſolet, iuxta illud poetæ:

Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoq; agitare graues nidore chelidros:

Libanus.
2. Cor. 2.
Philip. 3.
Rom. 8.
Virgilius Georg. 3.

E

eiſdem ſanctis Doctoribus congruenter aptatur: qui virtute verbi cœleſtis ſolent venenata hæreticorum dogmata repellere, eoſque à ſimplicium ſeductione fugare, hoc quoque quòd eius reſina, quæ cædria dicitur, in cõſeruandis libris adeo eſt vtilis, vt perliniti ex ea nec tineas patiantur, nec tempore conſeneſcant, quis non videat quantum eiſdem prædicatoribus ſanctis conueniat? quorum ſenſu ſpiritali ſcriptura ſancta confecta eſt, quæ nulla hæreticorum aſtutia corrumpi, nulla poteſt ſæculi labentis ætate conſumi: adeò, *vt donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non prætereat è lege, donec omnia fiant*: quod cum dixerit Dominus de lege, quantò magis de Euangelio intelligendum reliquit? Cypreſſus etiam in eo quòd medendis apta eſt corporũ paſſionibus, quod ſuæ venuſtatem comę nullo ventorum impulſu deponit, conſtantiam exprimit eorumq; actionem, qui altioribus virtutum ornatibus ſanctam Eccleſiam decorant.

Cypreſſus.

Quaſi palma exaltata ſum in Cades. Palma eſt arbor diuturnis folijs, & ſuauibus pomis, palma dicta, quia manus victricis ornatus eſt: vel quòd oppanſis eſt ramis in modum palmæ hominis: eſt enim arbor inſigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto diuturniſq; veſtita frondibus, hanc græci phœnicem dicunt, quòd diu duret, ex nomine auis illius Arabiæ, quæ multis annis viuere perhibetur, hæc ergo arbor proceræ ſtaturæ, ſanctæ comparatur Eccleſiæ, qua ad terrenam concupiſcentiam incuruari deſpiciens, totam ſe ad cœleſtia promerenda ſuſtollit. De qua monet Apoſtolus dicens: *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite.* De qua & ipſe Dominus: *Ego Dominus, qui erui vos de ſeruitute, qua opprimebant vos Aegyptij, vt incederetis recti.* Palma autem manus victricis eſt ornatus: ſed & apud antiquos, quicunque in certamine viciſſent, palma aurea coronabantur, ſtatura ergo ſponſæ aſſimilatur palmæ, cum erecta in amore ſupernorum omnis intentio fidelium meditatur, interim in acie conſiſtens brauium illud, quo victrix finito agone donanda eſt; item quia palma inferioribus aſpera videtur, in ſummo autem pulchritudinem & fructus ſuauitatem oſtendit, meritò huic ſtatura aſſimilatur Eccleſiæ, ſiue animæ cuiuſqua fidelis, quæ aſperos pro Domino portat in terra labores: ſed mercedem à Domino gratiſſimam accipere ſe ſperat in cœlo, aſpera eſt palma iuxta terram, quia perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam electi: pulchra & dulcis in ſummo, quia gaudent in preſſuris & exultant. Scientes *quoniam merces eorum copioſa eſt in cœlis.* Item quòd palma diuturnis eſt veſtita frondibus, & folia ſua ſine ſucceſſione conſeruat, quis non videat, quòd typum teneat ſtaturæ fidei? quæ variante ſtatu ſæculi labentis eadem ſemper verba rectæ confeſſionis quaſi folia nunquam lapſura retinet, eandem operum perfectionem, quam ab initio cepit, quaſi decorem palmitum vſque ad finem ſæculi in electis ſuis intemeratam cuſtodit? apte autem palmæ exaltationi Cades locus deputatur. Legitur ergo in Numerorum libro, triceſima tertia manſione filios Iſrael caſtra metatos in deſerto Sin, hæc eſt Cades, vbi Maria mortua eſt & ſepulta, & propter aquas contradictionis Moyſes & Aaron offendunt Dominum, & prohibentur tranſire Iordanem. Videtur mihi in Maria prophetia mortua, in Moyſe & Aaron legi & ſacerdotio Iudæorum finis impoſitus: quòd nec ipſa ad terram repromiſſionis tranſcendere valeant, nec credentem populum de ſolitudine huius mundi educere. Vbi & Eccleſiæ ſtatus per Chriſtum cœpit ordinari: quia ipſe eſt finis legis ad iuſtitiam omni credenti interpretatur autem Cades mutata ſiue translata, quæ nomina benè ſanctæ conueniunt Eccleſiæ, quæ translata ab idolorum cultura, & mutata à gentili errore vnius Dei verax cœpit eſſe cultrix. Quaſi palma ergo exaltatur in Cades, cum ſancti quique viri & perfecti in Eccleſia fide & conuerſatione eriguntur ad quærendam cœleſtis regni patriam, & ad poſſidendum vitæ futuræ gaudia ſempiterna. Poſt exaltationem ergo arboris palmæ, adiungit ſcriptura aliam ſimilitudinem, dicens:

Palma.
F
1. Cor. 16.
Exod. 6.
Mich. 6.
G
Num. 33.
H

Et quaſi plantatio roſæ in Hiericho. Roſa ſpecie floris nuncupata, quòd rutilanti colore rubeat: hæc martyrij ſignificat

Roſa.

A ſanguinem. Hiericho vrbs, quam Iordane tranſgreſſo ſubuertit Ieſus rege illius interfecto: pro qua extruxit aliam, Ozam de Bethel, ex tribu Effraim, quam Dominus atque Saluator ſua præſentia illuſtrare dignatus eſt, ſed & hæc eo tempore quo Hieruſalem oppugnabatur à Romanis, propter perfidiam ciuium capta atque deſtructa eſt, pro qua tertia ædificata eſt ciuitas, quæ hodieque permanet: & oſtenduntur vtriuſque vrbis veſtigia in præſentem diem. Nam & Hiericho interpretatur odor eius, vel luna, *quaſi plantatio* ergo *roſa in Hiericho* eſt, cum odor virtutum cum paſſione martyrij in Sanctorum redolet meritis. Luna ergo propter incrementum ſui luminis ſimul & detrimentum, Eccleſiæ peregrinationem in præſentis vitæ mortalitate figualiter exprimit. Vbi & alij quotidie naſcuntur, & alij de hac vita tranſeunt.

Oliua. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Oliua græce oleon dicitur: ex quo in latinum tractum eſt vt oliua dicatur. Olea autem ipſa arbor eſt, fructus oliua, ſuccus oleum, eſt autem arbor pacis inſignis: & quid per oliuam, niſi ſancta Eccleſia deſignatur? quæ in campis totius mundi tranſplantata decore orbem vniuerſum illuſtrat, & Spiritus ſancti B gratia per vnctionem ſacri chriſmatis ſanctificat credentes, per olei namque pinguedinem, qua & laſſi atque infirmi artus recreantur, & gratia præſtatur luminis, interna ſæpe dilectio mentis & opus miſericordiæ deſignatur. hinc etenim Pſalmiſta: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini: ſperaui in miſericordia Dei mei in æternum & in ſæculum ſæculi.* (*Pſal. 51.*) Ac ſi patenter dicat: ego quia miſericordiæ fructum indigentibus exhibui, mihi quoque in æternum à Deo repetendam miſericordię gratiam ſperaui.

Platanus. *Et quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquam in plateis.* Platanus à latitudine foliorum dicta, vel quòd ipſa arbor patula ſit & ampla, nam platos græci latum vocant, expreſſit huius arboris ſcriptura & nomen & formam, dicens: *quaſi platanus dilatata ſum in plateis.* Eſt autem tenerrimis folijs, ac mollibus & vitium ſimilis. Myſticè autem hæc arbor Dominum Chriſtum ſignificat: qui in toto orbe in membris ſuis dilatatur, & manſuetudinis ac innocentiæ C ſuæ vbique fidelibus ſalutifera monſtrat exempla. De qua arbore in Pſalmis ſcriptum eſt: *& erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* (*Pſalm. 1.*) Benè vt arbitror ligno fructifero comparatus eſt Dominus Chriſtus propter crucem, quam pro hominum ſalute ſuſcepit, quæ meritò lignum vitæ dicitur: quando & ibi Dominus Chriſtus, qui eſt vita noſtra, ſuſpenſus eſt, & latroni in eadem confitenti dictum eſt, *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Denique & hodie omnis in eo credens æternæ vitæ dona conſequitur; ſiue vt hiſtoria refert, Lignum reuera fuit in paradiſo perennis vitæ, ſi deteſtabilis inobedientia non fuiſſet. Vnde enim mors habuiſſet introitum, ſi Adam monſtraſſet deuotionis affectum? hinc ſanctiſſimi Patres ſuauiſſima mella ſudauerunt, dicentes: *dedit mandatum, vt inueniret arbitrium: fixit legem, vt faceret cautiorem.* ſed ille cum improuidè ſecutus eſt hoſtem: & infeliciter vitæ reliquit authorem, tunc lamentabili ſorte deceptus vitam perpetuam, quam poſſeſſurus erat, amiſit, & in mortem, quam non habebat, incurrit. Sed vt ad conceptæ ſimilitudinis inſtituta redeamus, quod dicit plantatum eſt: id eſt, inſtitutum eſt lignum crucis à Deo, quod ſemper in fide vireſceret, ac D creſceret, ſequitur: *ſecus decurſus aquarum*, in comparationis gratia perſeuerat. Nam ſicut terreſtris aqua decurrens vita eſt lignorum virentium, ſic aqua ſpiritalis ſignum crucis inundat, quæ ſalus eſſe fidelium cognoſcitur animarum. Hæc ergo aqua eſt, de qua in Euangelio dicitur: *ſi ſcires quis eſt, qui à te aquam petit, petiſſes ab eo, vt daret tibi aquam viuam*, &c. (*Ioan. 4.*) Operæ pretium eſt quoque perpendere quare dixerit, *ſecus decurſus aquarum?* ſcilicet vt nec nimia inundatio lignum deleret, nec iterum irrigatio procul conſtituta ſiccaret. Igitur crux paſſionis Chriſti exaltata eſt iuxta aquam in plateis, quia redemptionis noſtræ mirabile ſacramentum per prædicationem Euangelij innotuit cunctis per orbem nationibus, vt omnes agnoſcerent ſuæ ſalutis in eo conſiſtere effectum: & proinde redemptori ſuo merito ſe impendere debere purum dilectionis affectum.

E *Sicut cinnamomum & Balſamum aromatizans odorem dedi.* Cinnamomum & Balſamum aromaticæ arbores ſunt: nam cinnamomum dictum, quòd cortex eius in modum cannæ ſit rotundus & gracilis, gignitur in Indiæ & Aethiopiæ regionibus: frutice breui duorum tantum cubitorum, colore ſubnigro vel cinereo, tenuiſſimarum virgarum. Nam quod in craſſitudinem extenditur, deſpectui eſt: quod verò gracilius prouenerit, eximium: quod cum frangitur, viſibile ſpiramentum emittit ad imaginē nebulæ ſeu pulueris. De Balſamo vero Plinius Secundus ita refert: (*Lib. 12. c. 24.*) In eodem tractu Balſamum aſpalathos naſcitur, ſpina candida, magnitudine arboris modicæ, flore roſæ, radix eius vnguentis expetitur. Tradunt in quocūque frutice curuetur arcus cœleſtis, eandem quæcunque aſpalatho, ſuauitatem odoris exiſtere, ſed in Balſamo inenarrabilem quandam, quidam eam eryſiſceptrum vocāt, alij ſceptrum, cuius probatio eſt in colore rufo vel igneo, tactuque ſpiſſo, & odore caſtorei, permutatur in libras F quindecim. Hæc ergo duo arbuſcula pro ſui breuitate à quibuſdam inter herbas deputantur odoriferas, quæ rectè pro ipſa breuitate humiles ſpiritu, quorum eſt regnū cœlorum, ſignificant: qui quaſi purpureo veſtiti colore, ſemper dominicæ ſunt paſſionis memores, ſemper ipſi ad patiendum pro Domino parati, qualis erat qui ait: *quoniam propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis.* (*Pſal. 43.*) Nam & hæc eſt virtus, quæ maximè inter nos animorum motus ac laſciuias quaſi viſcerum dolores caſtigare ac tollere conſueuit. Cum recogitantes, quid pro nobis paſſus eſt Deus minus non pati quàm meremur, agnoſcamus. Benè ergo coniunguntur cinnamomum & Balſamum, quia dominicæ paſſionis ſacramento noſtræ conuerſationis conformari debet ſtatus, vt iuxta Ioannis ſententiam, ſicut ille pro nobis animam ſuam poſuit, ita & nos diſcamus pro fratribus animas noſtras ponere. (*1. Ioan. 3.*) Nam quòd cinnamomum coloris ſubnigri vel cinerei eſſe perhibetur, animis congruit humilium: qui fragilitatis propriæ conſcij quotidianis in precibus Deo dicere G norunt: *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* (*Geneſ. 18.*) & iterum: *ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* (*Iob. 42.*) Quod autem balſamum ſpinæ candidæ ſimilitudinem habet flore roſeo, ſignificat quòd dolorem paſſionis dominicæ in noſtra conuerſationis anguſtia quotidie debemus imitari. Iuxta illud euāgelicum: *qui vult*, inquit, *venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam*, quotidie, *& ſequatur me.* (*Luc. 9.*) Quòd autem radix eius vnguentis expetitur, ſignificat humilitatem Chriſti omnium virtutum odorem commendare, & ad ſuauitatem æternæ dulcedinis electis Dei redundare.

Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Et quid per myrrham electam niſi laudabilis ſanctorum continentia demonſtratur? quæ in conſpectu Domini odore ſuauiſſimo fragrat, quia eam charitatis dulcedo abundantiſſimè inflammat. Myrrha quippe & aloe continentiam carnis exprimunt, quia nimirum horum naturæ eſt aromatum, vt vncta ex eis corpora defunctorum minime putreſcant, ſicut dominicæ quoq; ſepulturæ documenta teſtantur, quomodo enim corruptio mortuæ carnis putredinem luxuriæ, ita conditura eius (vbi typicè in bonum accipitur) virtutem continentiæ & caſtitatis, quæ H membra noſtra à vitijs refrenat, aptiſſimè demonſtrat. Eſt autem myrrha arbor Arabiæ, altitudinis ad quinque cubitos, ſimilis ſpinæ, quam acanthon vocant Græci, (*Myrrha.*) cuius gutta viridis atque amara, vnde & nomen accepit myrrha: quæ cuncta mortificationi carnis aptè congruunt: quæ amara ad tempus ſentitur, ſed in ſpe ſemper virentis patriæ libentiſſimè ſuſcipitur, illius videlicet, de qua Petrus ait: *regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam*, immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis in vobis. (*1. Pet. 1.*) Spinæ autem meritò confertur, quia vt mentem perpetuo ſaluet, corpus laborum punctionib. tēporaliter affligit; ſed & hoc quòd gutta eius ſponte manās pretioſior eſt, elicita autē corticis vulnere vilior iudicatur, quis

A non videat maioris ante Deum eſſe virtutis, cum quis ſanum corpus ſuum ac vegetum, arridente etiam foris rerum copia caſtigare, ac ſeruituti ſubijcere contendit: quàm cum preſſus ægritudine vel alijs ſæculi aduerſis inuitus à laſciuia carnem compeſcit, atque ad abſtinentiæ remedium coartat? quamuis & hoc inter virtutes magnas iure annumerari debeat, cum flagella quis paternæ correptionis patienter, humiliter, gratanterque ſuſcipiens, ad dona per hæc promiſſæ hæreditatis caſtigatus peruenerit.

Et quaſi ſtorax & galbanum, & vngula, & gutta. Hæc ergo pigmenta pretioſiſſima apud medicos habentur, & ſignificant per ſacramentum virtutum ſpecies, quas medici ſpiritales ad curationem hominum adhibent. Nam

Styrax. ſtorax arbor Arabiæ ſimilis malo cidonij, cuius virgulæ inter caniculæ ortum cauernatim lachrymam fluunt, diſtillatio eius in terram cadens munda non eſt, ſed cum

B proprij corticis ſcrobe ſeruatur: illa autem quæ virgis & calamis inhæſerit munda eſt, & albida: dehinc fulua fit

Storax. ſolis cauſa, & ipſa ſtorax calamites pinguis, reſinoſa, odoris iucundi, humecta, & veluti melleum liquorem emittens, ſtorax autem dicta, quòd ſit gutta arboris profluens & congelata. Nam Græci ſtyriam guttam dicunt.

Galbanũ. Græcè autem ſtyrax, Latinè ſtorace dicitur. Galbanum

Plinius li. 12. ca. 25. autem (vt Plinius refert) dat Syria in Amano monte, ferulæque eiuſdem nominis reſinæ modo, quod ſtagoniten appellant: maximè laudant cartilaginoſum, purum, ad ſimilitudinem ammoniacæ, minimeque lignoſum.

Vngula. *Exod. 30.* Vngula autem eadem eſt, quæ in Exodo onyca nominatur: quæ cum cæteris Aromatibus ad thymiama conficiendum Domini iuſſu decreta eſt quæ autem Græcè onyx, hæc Latinè vngula dicitur: eo quod in modum

Gutta. vnguis humanæ formata ſit. Gutta vero, quæ & Ammoniaca dicitur, lachrymas ſtillat in arenis ſuis: genera enim duo, hoc eſt, ſtraton, quod maſculi thuris ſimilitudinem habet, illudque maximè probatur. Alterum pingue & arenoſum, quod Pirama appellant: adulteratur arenis, velut naſcendo apprehenſis: quod tamen glebis & quam minimis probatur & puriſſimis, ipſa ergo Gutta vel Ammoniaca hoc medicinæ habet, vt curet duritias aliqua neceſſitate contractas, hæ ergo ſpecies Aromatum odoriferæ ſunt, quia Domini præcepto ad thymiama

C conficiendum deputatæ ſunt. Vbicunque enim noſtris codicibus thymiama habetur, in Hebræo necotha legitur, quod Aquila ſtyracem tranſtulit, ſignificat orationis incenſum cum odore ſacrarum virtutum. Thymiama ex aromatibus compoſitum facimus, cum in altare boni operis virtutum multiplicitate redolemus: quod mixtũ & purum fit, quia quantum virtus virtuti iungitur, tantum

Exod. 30. incenſum boni operis ſincerius exhibetur. Vnde in Exodo bene dicitur: *Cumque in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij.* in tenuiſſimum puluerem Aromata vniuerſa contęrimus, cum bona noſtra quaſi in pilo cordis occulta diſcuſſione tundimus, & ſi veraciter bona ſint ſubtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem redigere, eſt virtutes recogitando terere, & vſque ad ſubtilitatem occultæ examinationis reuocare. Et notandum quòd de eodem puluere

Ibidem. dicitur: *Pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij.* quia tunc

D nimirum bona noſtra veraciter in conſpectu iudicis placent, cum hæc mens ſubtilius recogitando conterit, & quaſi de aromatibus puluerem reddit, ne groſſum, durumque ſit quod agitur: ne ẽt ſi hoc arcta retractationis manus non cõminuat, odorẽ de ſe ſubtilius nõ aſpergat.

Et quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam.

Cant. 4. Libanus, ſi Hebræam ſequamur etymologiam, candor interpretatur: ſi Græcam, thus, denique in Cantico canticorum vbi legimus, *vos ad collem thuris*, quidam codices habent, *ad collem Libani*. vtrumque autem nomen virtutis induſtriam ſonare facilè cuique patet, libet parum de

Thuris deſcriptio. natura aromatis ip ius ignaris inſtruere: arbor eſt Arabiç, cortice (vt aiunt) & folio lauri ſimilis: ſuccum amygdalæ modo emittens: qui bis anno colligitur, autumno & vere; ſed autumnali collectione præparantur arbores inciſis corticibus in flagrantiſſimo æſtatis feruore, ac

E proſiliente ſpuma pingui, quæ concreta denſatur vbi loci natura poſcat tegete palmea excipiente, quod in arbore hæſit ferro depectitur, ideo corticoſum videtur puriſſimum: hoc & candidum thus eſt, ſecunda vindemia vere, eadem hyeme corticibus inciſis rubrum hoc exit, nec comparandum priori, creditur & nouellæ arboris candidius eſſe, ſed veteris odoratius: quod ex ro rotunditate guttæ pependit maſculum vocamus. Regio thurifera ſatuia nuncupatur: quod ſignificare Græci myſterium dicunt, vndique rupibus inuia & à dextra ſcopulis mari inacceſſa. Euehitur vno tramite anguſto: ſyluarum longitudo eſt centum millia paſſuum, ſiue vt tradunt aliqui, LXXX. latitudo dimidium: attolluntur colles alti, decurruntque & in plana arbores ſponte natæ, terram argilloſam eſſe conuenit raris fontibus ac nitroſis. Hæc prout in libris antiquorum reperimus ſtrictim de natura & loco thuris ſint dicta, quæ penè omnia (ſi quis diligenter attendit) figurarè ſanctorum virtutibus congruunt: maximè quòd regio in qua naſcitur F
myſterium cognominatur. Nam quòd arbores ſponte naſcuntur, aptè competit eis, quorum ſumma virtus non coacta legalibus edictis, ſed oblatione voluntaria ſolet eſſe miranda: dicente Domino; *Si vis perfectus eſſe, vade vende*, &c. quòd inciſis arboribus thuris lachryma profluit, quid niſi compunctionem humilium corde, de qua pura oratio ac fletibus dulcorata generari ſolet, indicat? quòd habet fontes raros ſed nitroſos, conuenit eis, de quorum ventre fluunt (ſicut dicit ſcriptura) flumina aquæ viuæ, hoc eſt dona doctrinæ ſpiritalis emanat, etiam mundandis proximorum mentibus accommoda. Nitrum namque & medendis infirmitatibus, & abluendis ſordibus eſſe ſolet aptiſſimum; quòd vndique rupium & ſcopulorum eſt regio circumſepta munimine, congruit meritis eorum, de quibus loquitur per parabolam Dominus: *homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei.* plantauit namq; Eccleſiam Dominus præceptis vitę inſtituendo, & ei ſepem circumdedit, cuſtodia ſuæ protectionis eam vndique, ne à prauis vel ſpiritibus vel hominibus exterminari poſſet, tutando.

Matt. 19.

Ioan. 7.

Matt. 21.

Et quaſi balſamum non mixtum odor meus. Balſami arbor in Iudæa intra terminos tantum viginti iugerum erat: poſtea quàm eadem regione Romani potiti ſunt, etiam latiſſimis collibus propagata eſt: ſtirpe ſimilis viti, folijs ſimilis rutæ ſed albioribus, ſemperque manentibus, arbor autem balſamum: lignum eius, xylobalſamum dicitur: fructus ſiue ſemen carpobalſamum, ſuccus opobalſamum: quod ideo cum adiectione ſignificatur, eo quòd percuſſus ferreis vnculis cortex ligni per cauernas eximij odoris gutta diſtillat. Cauerna enim Græco ſermone ope dicitur, cuius guttam adulterant admixto cyprino oleo vel melle: ſed ſincerus probatur à melle, ſi cum lacte coagulauerit: ab oleo, ſi inſtillatus aquæ aut admixtus faciłè fuerit reſolutus. Præterea & ſi laneæ veſtes ex ipſo pollutæ non maculantur. Adulteratus quidẽ neque cum lacte coagulat, & vt oleum in aqua ſupernatat, & veſtem maculat. Balſama autem ſi pura fuerint, tantam vim habent, vt ſi ſol excanduerit, ſuſtineri in manu non poſſint, huius ergo liquoris, hoc eſt, balſami myſticè mentio fit in Cantico canticorum, dicente ſponſa de ſponſo: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* & quidem huius vltimi verſiculi iuxta ſuperficiem litteræ hic ſenſus eſt: ſicut in inſula Cyprus maiores cæteris terris botros gignere ſolet, & ſicut in ciuitate Iudææ quæ vocatur Engaddi, nobiliores cæteris vineæ naſcuntur, vtpote de quibus liquor non vini, ſed opobalſami defluit: ita dilectus meus mihi ſpecialis eſt præ omnibus charitate connexus adeo, vt nulla me creatura ab eius affectu diuellere poſſit. Typicè autem quomodo myrrha propter amaritudinem (eſt enim quantum medendis infirmitatibus ſalubris, tantum guſtu amara) triſtitiam dominicæ paſſionis ſignificat: (Vt ipſe & myrrhatum vinum à militibus accepit bibendum, & ſepeliendus à diſcipulis myrrha perunctus eſt, vt prædiximus)

G

H

Cant. 1.

A diximus) ita botrus non incongrue reſurrectionis gaudium denũciat. Vinum enim lætificat cor hominis. Botrus ergo Cypri factus eſt Dominus in reſurrectione, qui fuerat faſciculus myrrhæ in paſſione: meritò inter vbera commoratur ſponſæ, quia idem in botrum verſus eſt vineæ. Ideo ſancta Eccleſia memoriam dominicæ mortis nunquam ſuo de corde deponit: quia ipſe qui propter delicta eius mortuus eſt, propter eius quoque iuſtificationem à morte reſurrexit, atque ei veſtigia ipſius ſequenti, poſt angorem mortis reſurgendi exemplum tribuit: qui benè etiam in vineis Engaddi eſſe memoratur. Namque in vineis Engaddi (vt præfati ſumus) balſamum gignitur, quod in chriſmæ confectione liquori oliuæ admiſceri à pontificali benedictione ſolet conſecrari, quatenus fideles omnes cum impoſitione manus ſacerdotalis qua Spiritus ſanctus accipitur, hac vnctione ſignentur, qua etiam altare dominicum dedicatur, & cætera quæ ſacroſancta eſſe debent perunguntur. Vnde rectiſſimè per vineas Engaddi chariſmata diuina figurantur, & B ſponſus in vineis eſt Engaddi, quia & ipſe Dominus in carne apparens plenus eſt Spiritu ſancto, & eius dona ſpiritus credentibus ipſe largitur. Ideo autem arbores balſami vineas appellat, quia in vinearum morem extolluntur, quæ ſine adminiculis ſeipſæ ſuſtinent, quippe viti ſimiliores quàm myrto, perpetua coma inſignes proceritas intra bina cubita ſubſiſtit, ſemen vino proximum guſtu, colore rufum, ramus craſſior quàm myrto, quæ certo anni tempore balſamum ſudant, ſed & agricolæ virgulta eorum acutis lapidibus ſiue oſſeis ſolent incidere cultellis. Nam ferri tactus lædit: per quas inciſiones emanat ſuccus odoris eximij, & lachrymis pulchrè rorantibus, exceptus lanis parua colligitur in cornua, quod quia per cauernam profluat corticis ſæpius, opobalſamum nominatur, ope enim (vt diximus) Græcè cauerna nuncupatur: ſingularumque arborum largior vena ter omnibus percutitur æſtibus: præcipua autem lachrymæ gratia, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno: quæ cuncta Redemptori noſtro ſi ſollicitè conſiderantur, aptiſſimè conueniunt, qui humilis in carne, C ſed plenus gratiæ & virtutis apparens *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*: ac de ſuis vulneribus vitæ nobis & ſalutis ſacramenta profudit. Vnde & ipſe qui virtus & ſapientia Dei eſt, loquitur in præſenti Eccleſiaſtico: *& quaſi balſamum non mixtum odor meus.* mirandus ſanè ordo verborum, vt prius ſponſa dicat accumbente rege nardum ſuam odorem dediſſe; deinde ipſum faſciculo myrrhæ compareт: tertio eundem botrum Cypri cognominet: ad vltimum in vineis Engaddi eum eſſe commemoret, quia & prius diſcumbentem in cœna Dominum mulier deuota nardo perfudit. Deinde diſcipuli crucifixum ac ſepeliendum myrrha vnctum linteis inuoluerunt, & poſt hæc ipſe gaudio reſurrectionis mox adueniente, ſpiritalia fidelibus dona diſtribuit. Nec prætereundum quòd Engaddi fons hœdi interpretatur, quo nomine patenter lauacrum ſacri baptiſmatis oſtenditur, in quo peccatores adhuc & ſiniſtra parte digni deſcendimus, ſed iã mundati à peccatorum fœditate atque in agnorum numero computandi aſcendimus: & benè cum lætitiam dominicæ reſurrectionis ſignificaret dicendo; *botrus Cypri dilectus meus mihi*: addidit continuo: *in vineis Engaddi*, id eſt, D fontibus hœdi, quod eſt apertè dicere in donis ſpiritalibus, quę ex tempore baptiſmi fidelibus conferuntur. Hactenus Eccleſia à Redemptore ſuo accepit dona, quæ dilectionis pignora teſtatur. Benè ergo dicit Sapientia diuina: *quaſi balſamum non mixtum odor meus*, quia nullam in ſe habet erroris contagionem, nulla recipit conſortia perfidorum, ſed pura & ſincera eius eſt doctrina, & ab omni hæreticorum macula aliena: quæ ſacrarum virtutum odorem redolet, ac gratiam Spiritus ſancti fidelium mentibus infundit.

Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos. Terebinthus arbor eſt Græcum habens nomen, generans reſinam omnium reſinarum præſtantiorem. De terebintho autem Plinius Secundus ita refert: *Syria terebinthum habet, ex his maſcula ſine fructu, fœminarum duo genera ſunt alteri fructus ru-* E *bet, lentis magnitudine, alteri pallidus; cum vite matureſcit, non grandior faba, odore iucundior, tractu ſinuoſus, circa Idam Troadis, ſed in Macedonia breuis arbor hæc atq; fructuoſa, in Damaſco Syria magna materies & admodum lenta ac ſplendens, flos racemoſus oliuæ modo, ſed rubens, folia denſa: fert & folliculos emittentes quadam animalia ceu culices, leuiorq; reſina quæ ex cortice erumpit.* Et quid per terebinthum niſi Eccleſiæ ſtatus figuratur, quæ per totum orbem terrarum extendit ramos ſuos? quia per prædicationem Euangelij per ſingulas gentes ramos fidei expandit, & dilatat locum habitationis ſuæ; cui ſub alia ſimilitudine per Eſaiam dicitur: *dilata* Eſa. 54.
locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extendere ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dexteram enim & ad leuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit. cuius reſina eſt præſtantiſſima, quia medicina illius, qua ſubuenit ægritudinibus animarum, eſt optima: cui etiam hoc conuenit, F quod de genere ipſius arboris iam diximus: quia maſculæ arbores ſine fructu ſunt, fœminarum autem duo ſunt genera: quorum vni fructus rubet, alteri pallidus, cũ vite mature ſcit, quia illi, qui per elationem mentis aliquem vigorem propriæ virtutis ſibi aſcribunt, ſine fructu virtutum exiſtunt; qui autem infirmitatem ſuam agnoſcentes totam ſpem ſuam in opem & gratiam ſui cõditoris ponunt, hi nimirum aut fructum martyrij per tolerantiam paſſionis exquirunt, aut per continentiam & munditiam cordis atque corporis ſpeciale præmium in cœleſti regno cum agno poſſidebunt, cantabuntq; canticum illud quod in Apocalypſi memorantur cantaſſe: Centum quadraginta quatuor millia qui ſtabant cum agno ſupra montem Sion: *& nemo poterat dicere canticum il-* Apoc. 14.
lud, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra: qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & ſine macula ſunt ante thronum Dei.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS. G

CAPVT I.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Quid per hanc vitem niſi ipſe exprimitur qui in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Ego* Ioan. 15.
ſum vitis vera & vos palmites, cuius vitis liquor lætificat cor hominum, quando bibendo ſanguinem eius gaudentes laudant redemptionis ſuæ venerabile ſacramentum, hęc vitis fructificat ſuauitatem odoris, quando per totum orbem fama ſpargitur Euangelicæ prædicationis, floreſque ipſius fructus ſunt honoris & honeſtatis, quia iucũditas & decor omnium virtutum quotidie eius dono floreſcit atque clareſcit in credentium turbis.

Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. Sapientia ergo Dei (quæ eſt Chriſtus) mater eſt pulchræ dilectionis, & origo omnium virtutum, quia ipſius gratia generatur in cordibus electorum affectus veræ charitatis, timor ſalubris, intellectus ſcientiæ ſpiritalis, ſpeſq; vitæ æternæ, & gaudij futuri; ſine eo quoque H
nihil boni habemus, quoniam *omne datum optimum, & o-* Iacob. 1.
mne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, ipſe eſt fons vitæ: & in lumine eius videbimus lumen. De quo &
Paulus ait: *gratia Dei*, inquit, *ſum id quod ſum.* Vnde & ſe- 2. Cor. 15.
quitur.

CAPVT II.

IN me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Per ipſum habemus præſentem vitam, quia *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, per ipſum habebimus in futuro veram & perpetuã vitam, per ipſum ſperamus immortalitatem nobis conferri, atq; coronam glorię ſupernã. Vnde ipſo tribuẽte certamus pro modulo noſtro calle virtutũ gradiendo peruenire ad quietẽ patriæ cœleſtis.

Tranſite

A

Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Materno affectu admonet ſapientia filios ſuos, vt ad ipſam concurrant, eius munere ditentur, ac ope reficiantur. Tale eſt & illud Euangelij teſtimonium: quo Saluator miſericorditer laborantes hortatur ad ſe venire: Matth. 11 *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ioan. 7. & item: *qui ſitit veniat ad me, & bibat: & de ventre eius fluent aqua viua.*

Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Spiritus enim iſte non alius quam Spiritus eſt ſanctus, qui communis eſt patri & filio, quia procedit à patre, procedit & à filio: mittitur à patre, mittitur & à filio: ſicut ipſa veritas in Euangelio teſtatur, dicens: Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Luc. 24. & item: *ego*, inquit, *mittam promiſſum patris mei in vos, vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtutem ex alto.* Iſte enim ſpiritus ſuper mel eſt dulcis, quia charitas Dei quę per ipſum infunditur in cordibus electorum, incomparabilis eſt dulcedinis: & hæreditas ſuperna quæ in agnitione & dilectione Dei tribuetur Sanctis, quando eum videbunt facie ad faciem, & delectabuntur in dextera eius vſque in finem, non eſt enarrabilis ſed omnino B 1. Cor. 2. eſt inæſtimabilis, quia ſcriptum eſt: *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.*

Memoria mea in generationem ſæculorum. Memoria enim Pſal. 148 Sapientię Dei in generationem omnium ſæculorum permanebit, quia ipſam laudant Angeli, collaudant Archãgeli, vaticinantur Prophetæ, prædicant Apoſtoli, omniſque militia cœleſtium virtutũ, & infinita multitudo ſanctarum animarum adorant & glorificant in æternum.

Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Magna n. diſtantia eſt inter corporales delicias & ſpiritales, quia corporales deliciæ cum non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt: cum vero auide eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatẽ vertunt: at contrà ſpiritales deliciæ cũ non habẽtur, in faſtidio ſunt: cum vero habentur, in deſiderio; tantoque à comedente amplius eſuriũtur, quantò & ab eſuriente amplius comeduntur: in illis appetitus placet, experientia diſplicet: in C iſtis appetitus vilis eſt & experientia magis placet, in illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat: in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpiritales deliciæ deſiderium in mente dũ ſatiant: quãtò magis earum ſapor percipitur, eò amplius cognoſcitur quod auidius ametur, & idcirco non habitę amari non poſſunt: quia earum ſapor ignoratur. Quis n. amare valeat quod ignorat? proinde Pſalmiſta nos admo- Pſal. 33. net cum dicebat: *guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* ac ſi à parte dicat, ſuauitatem eius non cognoſcitis, ſi hanc minime guſtatis: ſed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem amare valeatis; has autem homo delicias tunc amiſit, cum in paradiſo peccauit: extractus n. à cibo æternæ dulcedinis os clauſit. Vnde nos quoq; nati in huius peregrinationis ærumna hic faſtidioſi iam venimus, neſcimus quid deſiderare debemus, tantoq; ſe amplius faſtidij noſtri morbus exaggerat, quantò magis ab eſu illius dulcedinis animus elongat, & eo iam internas delicias non appetit, quo eas co- D medere diu longeq; deſueuit, faſtidio ergo noſtro tabeſcimus, & longa inediæ peſte fatigamur, & quia guſtare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miſeri famem noſtram; ſed ſuperna nos pietas nec deſerentes ſe deſerit: contemptas n. illas delicias ad memorię noſtræ oculos reuocat, eaſq; nobis proponens in promiſſionem, torporẽ excutit, atq; vt faſtidium noſtrũ repellere debeamus inuitat. Sed quid ſpiritalium deliciarũ guſtus vtilitatis habeat, ſequens ſententia manifeſtat.

Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Quid eſt n. audire & diligere Dominũ, niſi eius Ioan. 14. mandatis obedire? ſicut ipſe in Euangelio ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Hic profecto non confundetur, quia pro obedientia præceptorũ Dei æterna mercede coronabitur, qui vero operantur in ſapientia & dilectione Dei non peccabunt, ſed peccatorum maculam omnino fugiunt, ſcriptum eſt enim: *Charitas*, inquit, *non agit perperam, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati.* 1. Cor. 13. & Ioannes Apoſtolus: *omnis*, inquit, *qui manet in eo non peccat.* 1. Ioan. 3.

E

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Quid eſt ergo ſapientiam elucidare, niſi eius plenam & perfectã agnitionem percipere? qui ergo perfectam habebit notitiam Dei, ille nimirum vitam æternã & gaudia poſſidebit cœleſtis regni. De quo ipſa Veritas in Euangelio ad patrem Ioan. 17. ait: *hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* ſed quia nemo in hac vita perfectè viſione Dei frui poteſt: ſicut ipſe teſtatur, dicens: *non enim videbit homo, & viuere poteſt*: futuræ vitæ hæc gra- Exod. 33. tior reſeruatur. *Nunc enim videmus per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nunc cognoſcimus ex parte, tunc autem cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus. *Hæc omnia liber vitæ*, ſubauditur continet, & quis ſit ille liber, ſtatim ſubiungit.

Teſtamentum altiſſimi & agnitio veritatis. Liber iſte continet nouum & vetus teſtamentum, in quo eſt agnitio veritatis, quia per ipſum demonſtratur fides ac doctrina Saluatoris, de hoc libro Ezechiel Propheta commemo- F Ezech. 2. rat, & Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi ſua non tacet. Apoc. 10.

Legem mandauit Moyſes in præceptis iuſtitiarum, & hæreditatem domus Iacob & Iſrael promiſſiones. Manifeſtum eſt quod Dominus per Moyſen legem dedit domui Iacob, hoc eſt populo priori, in quo præcepta fuerunt iuſtitiæ, ſcilicet vt peccata cauerent, & virtutibus ſacris Deo deſeruirent: in hac promiſſiones Dei ad Iſrael fuerunt: quia per aduentum Saluatoris redemptio humani generis in ea prædicebatur, vt eſt illud Moſaicum in Deuterono- Deut. 18. mio: *Prophetam*, inquit, *vobis ſuſcitabit Dominus de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis.* & non ſolum in lege, ſed etiam in Prophetis eadem ſponſio facta eſt, ſicut ſcri- Pſal. 131. ptum eſt: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam.* Vnde & ſequitur.

Poſuit Dauid puero ſuo excitare regem ex ipſo fortiſſimum, & in throno honoris ſedentem in ſempiternum. Hæc quidem ſententia non ad hiſtoricum Solomonem pertinet, qui propter peccatum perdidit regnum, ſed ad verum pacificũ, G Dominum videlicet noſtrum, qui fortis in prælio fortem vicit diabolum, *cuius eſt poteſtas æterna, & cuius regni non erit finis*: hic ergo ex ſemine Dauid ſecundum carnem natus, non ſolum Iudææ ſed & totius orbis, immò cœli terræq; perpetualiter poſſidet regnum.

Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum, qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum, qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis, qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtens quaſi Gehon, in tempore vindemiæ. Dicamus primum de ipſis naturis fluminum, quæ à ſcriptoribus naturalium rerum percepimus, & ſic allegoriam eorum conſequenter texemus. Phiſon fluuius eſt, qui alio no- Phiſon. mine Ganges dicitur, & exiens de paradiſo pergit ad Indiæ regiones. Dictus autem Phiſon id eſt caterua, quia decem fluminibus magnis ſibi adiunctis impletur, & efficitur vnus. Ganges autem vocatus à rege Gangaro In- Ganges. diæ, fertur autem Nili modo exaltari, & ſuper orientis terras erumpere. Tigris fluuius Meſopotamiæ de para- Tigris. diſo exoriens, & pergens contra Aſſyrios, & poſt multos H circuitus in mare mortuum influens, vocatus autem hoc nomine propter velocitatem, inſtar beſtiæ tigridis nimia pernicitate currentis. Euphrates fluuius Meſopotamiæ Euphrates. de paradiſo exoriens copioſiſſimus gemmis, qui per mediam Babyloniam influit, hic à frugibus vel ab vbertate nomen accepit; nam Hebraicè Euphrata fertilitas interpretatur: Meſopotamiam etenim in quibuſdam locis ita irrigat, ſicut Nilus Alexandriam. Salluſtius autem au- Salluſtius in Iugurthino. thor certiſſimus aſſerit, Tigrim & Euphraten vno fonte manare in Armenia, qui per diuerſa euntes longius diuiduntur ſpatio medio relicto multorum milliũ: quæ tamen terra, quæ ab ipſis ambitur Meſopotamia dicitur. Iordanis Iudææ fluuius à duobus fontibus nominatus: Iordanis. quorum alter vocatur Ior, alter Dan, his igitur procul à ſe

A diſtantibus in vnum alueum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur, naſcitur autem ſub Libano monte, & diuidit Iudæam & Arabiam, qui per multos circuitus iuxta Hiericho in mare mortuum influit. Gion. Gion fluuius de paradiſo exiens atque vniuerſam Æthiopiam cingens, vocatus hoc nomine, quòd incremento ſuæ exundationis terram Ægypti irriget. Ge enim Græcè, Latinè terram ſignificat: hic apud Ægyptios Nilus vocatur, propter limum quem trahit, qui efficit fœcunditatem, vnde & Nilus dictus eſt quaſi, Niam ciaon: nam antea Nilus Latinè melo dicebatur, apparet autem in Nilide lacu, de quo in meridiem verſus excipitur Ægypto, vbi aquilonis flatibus repercuſſus aquis retro luctantibus intumeſcit, & vndationem Ægypti facit: quòd autem quatuor flumina paradiſi ex vno fonte procedentia aſſimilat ſapientia legi, qui ex Dauid ortus eſt, ſignificat ex Domino noſtro Ieſu Chriſto vero filio Dei, nec non & vero filio hominis, hoc eſt Dauid, quia ex eius ſemine ſecundum carnem natus eſt, quatuor Euangelia procedere: quæ totam terram nationum prædicatione ſua irrigant, & B credentes Chriſto multiplices virtutum fructus germinare faciunt, ab eo & Iordanis alueus procedit, quia baptiſmi ſacramentum ad abluenda crimina generis humani huius diſpenſatione in mundum venit: qui mittit diſciplinam ſicut lucem, quia eius præcepta lucem vitæ æternæ fidis operatoribus ſuis tribuunt. Vnde ipſe quando poſt reſurrectionem ſuam diſcipulos ſuos ad docendas & baptizandas gentes miſit, in Euangelio ad ipſos ait: Matt. 18. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et: ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.*

Qui perficit primum ſcire ipſam, & infirmior non inueſtigabit eam. Amari enim abundauit cogitatio illius, & conſilium ipſius ab abyſſo magna. Verè enim Dominus noſter author eſt ſcientiæ ſpiritalis & ſalubris doctrinæ, quia ipſe per Moyſen primum condidit legem, ipſe inſpirauit Prophetas, ipſe docuit Apoſtolos, ipſe ordinauit Euangeliſtas, & prędicatores noui teſtamenti, nec alius eſt plenus & perfectus inueſtigator & agnitor ſapientiæ Dei, niſi is qui cum Patre & Spiritu ſancto vnus eſt Deus: de quo ſcriptum eſt: Matt. 11. & Luc. 10 *nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* quòd autem dicitur: *à mari abundauit cogitatio illius, & conſilium ipſius ab abyſſo magna,* C oſtendit profunditatem ſapientiæ diuinæ inæſtimabilem & incomprehenſibilem eſſe, quia nemo ſecreta illius per omnia penetrare poteſt, niſi ipſe vnus & ſolus Deus Pater & Filius & Spiritus ſanctus, qui ſemetipſum per omnia nouit, & conſilij ſui verus agnitor eſt. Dat creaturæ ſuæ tantum de ſe noſſe, quantum nouit illi expedire; & doctrinæ ſuæ fidelibus ſuis ſecundum modum diſpenſationis ſuæ tribuit intellectum.

Ego ſapientia effudi flumina, ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio. Ergo Chriſtus ſapientia Dei effudit in mundum flumina doctrinæ Euangelicæ, quæ abundantiſſimè reficiunt & ſatiant auidas mentes electorum. Ipſe eſt trames aquæ immenſæ de fluuio: quia ſicut Deus de Deo, lumen de lumine: ita ipſe aqua immenſa de fonte patre ſiue fluuio, tropice dici poteſt, quoniam pater origo eſt diuinitatis, quando ſicut de patre genitus eſt filius, ita & Spiritus ſanctus procedit à patre: quem in Euangelio aquæ D nomine Dominus nuncupauit, dicens: Ioan. 4. *qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. 7. & item: *qui ſitit veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Eccl. 15. & alibi legitur: *aqua ſapientiæ ſalutaris potauit eum.*

Ego quaſi fluuius Dorix, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo. Hunc fluuium quidam hiſtorialiter Araxim amnem Armeniæ eſſe putant, qui ab vno monte cum Euphrate diuerſa ſpecie oritur, dictus autem quod rapacitate cuncta proſternat, vnde & cum Alexander eum tranſgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundauit, vt pontem dirueret. hic breuibus interuallis ab Eufratis ortu caput tollit, ac deinde Caſpium fertur in mare. Doricum autem à Græcis hunc æſtimant nuncupatum, eſt autem pars Græciæ gentis Doris nuncupata, ex qua tertia lingua Græcorum Dorica appellata eſt. E Myſticè autem ſapientia comparat ſe fluuio rapidiſſimo, & aquæ egredienti de paradiſo: quia doctrina Saluatoris de cœleſti prodiens theſauro omnia obſtacula errorum, atque perſecutionum ſua velocitate atque fortitudine diſrumpit ac frangit, ita vt per ora prædicatorum in totum orbem longiſſima atque latiſſima diffluat. Vnde ſcriptum eſt: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſal. 18.

Dixi: rigabo meum hortum plantationum & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare, quoniam doctrinam quaſi antelucanum illuminabo omnibus, & enarrabo illam vſque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Deo. Hortus enim plantationum ſapientiæ ſancta eſt Eccleſia, quam ipſa Veritas ſuo dogmate ſemper irrigat & inebriat, vt fructum partus ſpiritalis quotidie proferat: in doctrina videlicet Catholica, & ſacris virtutibus: & meritò, quia Luc. 1. illuminata à vera luce, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, à ſole iuſtitiæ ipſoque oriente, de F quo ſcriptum eſt: *viſitauit nos oriens ex alto.* & alibi: Zach. 6. *ecce vir oriens nomen eius.* facit ſuam doctrinam enarrari in longinquo, hoc eſt, in finibus orbis, vt omnes agnoſcant veritatem ad ſaluationem humani generis veniſſe, penetrat autem inferiores partes terræ, quoniam carnalium corda & cogitationes ſcrutatur: inſpicit omnes dormientes qui vel ignorantiæ ſomno vel torpore negligentiæ dormitant, & illuminat recta fide & agnitione ſperantes in Deo, quoniam qui ſperat in Deo beatus eſt: Pſ. 146. *Beneplacitum enim eſt Domino ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſericordia eius.*

Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam, & non deſinam in progenies illorũ vſque in æuum ſanctum. Inſinuat quippe ſcriptor hiſtoriæ hac ſententia, quod myſticus iſte liber ſit, & ſpiritalem quærat intelligentiam, & quod valde vtilis ſit ad legendum, quia iuxta hiſtoriam moralitatem docet, ac iuxta allegoriã fidei imbuit ſacramento: *& non deſinam*, inquit, *in progenies illorum vſque in æuum ſanctum*, quoniam non ceſſat ſcriptura ſacra ab æuo vſque in æuum docere genus humanum, quatenus intelligat ex pręceptis Dei quid vitare debeat quidve agere: vt nemo ſit qui ritè ſe poſſit excuſare, quaſi neſcierit quid præceptum ſit in lege diuina, cum ſapientia viam veritatis & normam iuſtitiæ palam omnibus demonſtret. De quo adhuc ſubditur. G

Videte quoniam non ſolum mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Doctor ergo Eccleſiaſticus verba Dei ſcribendo & docendo non ſolum ſibi laborat ſed & alijs, quia ſibi laborat pro æterna mercede & quiete: alijs autem pro vera ſalute ac perpetua requie, vnde in Daniele Dan. 12. ſcriptum eſt: qui docti fuerint fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Hinc & Iacobus ait: Iacob. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* De quo & Paulus ad Timotheum ſcribens, ait: 1. Tim. 4. *attende tibi & doctrinæ ſanæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audient.* hinc & ipſa Veritas in Euangelio ait: Matth. 5. *qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* & item: *vos*, inquit, Matth. 5. *eſtis lux mundi, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* H

CAPVT III.

IN tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir cum muliere bene ſibi conſentientes. Placet quippe ſapientiæ diuinæ quæ in lege Dei probabilia & acceptabilia, & hominibus ſalubria eſſe manifeſtantur, hoc eſt concordia fratrum, de qua Apoſtolus monet Epheſios, Eph. 4. vt ſupportantes inuicem in charitate ſolliciti ſint ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Et alibi rogat auditores ſuos vt idem ſapiant, & vnum dicant omnes: amorque

A proximorum,de quo idem Apoſtolus ſcripſit,dicens:*Di-*
Philip. 4. *lectio proximi malum non operatur.* plenitudo ergo legis eſt
Galat. 5. dilectio,& vir cum muliere bene ſibi cõſentientes: quod
Rom. 13. iuxta hiſtoriam & iuxta allegoriam intelligere poſſum,
Epheſ. 5. quia ſecundum hiſtoriam mandat Apoſtolica authoritas
viris,vt diligant vxores ſuas,ſicut Chriſtus dilexit Eccle-
ſiam:ſimiliter & mulieribus, vt ſubiectæ ſint viris ſuis,
ſicut Deo:quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut & Chri-
ſtus caput eſt Eccleſiæ. Allegoricè autem poſſumus in
viro ſpiritum,& in muliere animam intelligere; quæ ſi in
timore & dilectione Dei conſenſerint, quidquid petie-
rint ſecundum voluntatem Dei,impetrabunt. Vnde ipſe
Dominus ait in Euangelio:*ſi duo conſenſerint ex vobis in vnũ,*
Matth. 18 *de omni re quamcunque petierint,fiet illis à patre meo.*

Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illo-
rum:pauperem ſuperbum: diuitem mendacem, ſenem fatuum &
inſenſatum. Ergo ſapientia quæ cuncta odit vitia: tres ſpe-
cies ſibi dicit eſſe odibiles,& aggrauatam ſe aſſerit animis
peruerſorum,eo quòd contraria ſibi ſentiant; pauperem
videlicet deteſtans ſuperbum, qui contra conditionem
B paupertatis ſuæ animo elato ſuperbit: & diuitem men-
dacem,qui conceſſis bonis non ſecundum legem Dei in
veritate fruitur, ſed abutitur in mendacio: & ſenem fa-
tuum & inſenſatum, qui longæui temporis negligenter
perdit otium,quando diſcendi ſapientiam nullum habet
ſtudium. Myſticè autem ille verè pauper eſt, qui virtuti-
bus inops fit,& tamen ad exercitium virtutum non vult
ſuperbum inclinare animum. Diues mendax eſt hæreti-
cus,qui abundat ſenſu & ſermone,ſed potius elegit in his
errori,quàm veritati deſeruire. Senex fatuus & inſenſa-
tus eſt,qui præfert præſentis vitæ delicias vitæ futuræ, &
magis amat caduca quàm æterna. Cum manifeſte Ioan-
nes Apoſtolus hoc prohibeat, dicens: *nolite diligere mun-*
1. Ioan. 2. *dum,neque ea quæ in mundo ſunt,mundus enim tranſit & concu-*
piſcentia eius,qui autem facit voluntatem Domini, manet in æ-
ternum. poſſunt hæ tres ſpecies odibiles Deo ad apoſta-
tam angelum, hoc eſt, diabolum per ſignificationem
transferri,qui pauper & ſuperbus eſt, qui cum ſupernam
C gloriam propter ſuperbiam ſuam perdidiſſet, adhuc ſu-
perbire non ceſſat. Diues eſt & mendax, quia cum ter-
renas diuitias in auaris & cupidis poſſeſſoribus poſſidet,
totus mendacio deditus eſt, ſicut ipſa Veritas in Euan-
Ioan. 8. gelio de eo teſtatur,dicens:*Ille homicida erat ab initio, & in*
veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt. Cum enim lo-
quitur mendacium,ex proprijs loquitur, quia mendax
eſt & pater eius,ſenex fatuus eſt & inſenſatus, quia cum
inter cæteras angelicas virtutes in gloria cœleſti per ſa-
pientiam Dei in initio creatus eſt,ſapientiam ſibi datam
non conſeruauit, eo quòd conditori ſuo ſubiectus eſſe
noluit: & hactenus in ipſa ſtultitia perſeuerat, quando
contra conditorem ſuum rebellare non ceſſat. De quo
ſene fatuo in Eccleſiaſte per Salomonem dicitur: *melior*
Eccle. 4. *eſt puer pauper & ſapiens, quàm rex ſenex & ſtultus, qui neſcit*
prauidere in poſterum, quando de domo vinculatorum egreditur
in regnum. quem locum Origenes & Victorinus ſuper
Chriſto & diabolo interpretati ſunt, volentes puerum
pauperem Chriſtum intelligi, qui natus eſt in regno ſe-
Ioan. 18. nis diaboli, & idcirco dicit: *regnum meum non eſt de hoc*
mundo. in illius itaque ſenis ſtulti regno, qui oſtendit ei
omnia regna mundi & gloriam eius, natus eſt optimus
D puer,& de domo vinculatorum. De quibus Hieremias
Thren. 3. in lamentationibus loquitur,dicens: *& humiliare ſub pe-*
dibus eius omnes vinctos terræ. proceſſit ad regnum,vt ſub ſua
poteſtate haberet cœleſtia ſimul & terrena, vnde ipſe
poſt reſurrectionem ſuam ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas*
in cœlo & in terra.

Quæ in iuuentute tua non congregaſti: Quomodo inuenies ea in
ſenectute tua? Liquido patet quòd qui in iuuentute diſcẽ-
di ſapientiam ſtudium non habuit, in ſenectute eius
fructum minimè habebit, ſcriptum eſt enim in Prouer-
Prou. 10. bijs: *anima laborantis laborat ſibi. Egeſtatem operata eſt manus*
remiſſa:manus autem fortium diuitias parat. Qui congregat in
meſſe,filius ſapiens eſt:qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.
hinc item filios ſuos monet Sapientia,dicens: *Audi fili mi,*
Prou. 23. *& eſto ſapiens,& dirige in via animum tuum.* Noli eſſe in con-
uiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum. Hinc in E
Pſalmo legitur, quòd qui meditatur in lege Domini die Pſalm. 1.
ac nocte,det fructum in tempore ſuo,& folium eius non
decidat, & omnia quæcunque fecerit proſperum euen-
tum habeant.

Quàm ſpecioſum canitiei iudicium & presbyteris conſilium
cognoſcere:quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intelle-
ctus & conſilium: Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum
timor Dei. Decet enim canos capite prudentiam habere
ſenſus,& ætatem longæuam vtilitatem noſcere conſilij;
vt ſecundum timorem Dei ſciant & poſſint iudicium iu-
ſtum facere,& proximos ſuos ſecundum æquitatem iu-
ſtitiæ regere ac dijudicare: quia inde illis magna exere-
ſcit gloria, ſi ſecundum præcepta diuina legis Dei ipſi
rectè viuant, & alios tam verbis quàm etiam exemplis
benè doceant, audiant ergo presbyteri & præpoſiti Ec-
cleſiarum Dei: quia non licet illis ignorare legis Dei ſci-
entiam, & ſapientiæ doctrinam. Vnde Paulus præci-
pit Timotheo vt his commendet doctrinæ officium, qui 2. Tim. 2.
idonei ſint alios docere. Hinc Tito præcipit vt diſpen- Tit. 1.
ſatorem Eccleſiæ Dei ordinet, non ſuperbum, non ira- F
cundum,non vinolentum, non percuſſorem, non tur-
pis lucri cupidum:ſed hoſpitalem,benignum, ſobrium,
iuſtum,ſanctum,continentem,amplectentem eum, qui
ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens
ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt
arguere. Paſtorum imperitia voce veritatis increpatur,
cum per Prophetam dicitur: *ipſi paſtores ignorauerunt in-* Eſa. 56.
telligentiam. quos rurſum Dominus deteſtatur, dicens:
& tenentes legem neſcierunt me. neſciri ergo ſe ab eis que- Hier. 2.
ritur Veritas,& neſcire ſe principatum neſcientium pro-
teſtatur: quia profectò hi qui ea quæ ſunt Domini neſci-
unt,à Domino neſciuntur, Paulo atteſtante, qui ait: *ſi-* 1. Cor. 14
quis autem ignorat, ignorabitur. quæ nimirum paſtorum
ſæpe imperitia meritis congruit ſubiectorum, qui quam-
uis lumen ſcientiæ ſua culpa exigente non habeant, di-
ſtricto tamen iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam
hi etiam qui ſequuntur offendant, hinc namque in Eu-
angelio per ſemetipſam Veritas dicit:*ſi cæcus cæco ducatum* Matt. 15.
præbeat,ambo in foueam cadunt. Cum autem ait timorem G
Dei eſſe gloriam ſenum,mox ſubdidit dicens.

Nouem inſuſpicabilia cordis magnificaui, & decimum dicam
in lingua hominibus:homo qui iucundatur in filiis, viuens & vi-
dens ſubuerſionem inimicorum ſuorum. Beatus qui inhabitat
cum muliere ſenſata, & qui lingua ſua non eſt lapſus, & qui non
ſeruiuit indignis ſe. Beatus qui inuenit amicum verum, & qui e-
narrat iuſtitiam in aure audientis. Quam magnus qui inuenit
ſapientiam & ſcientiam! ſed non eſt ſuper timentem Deum. Ti-
mor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit: beatus cui donatum eſt
habere timorem Dei:qui tenet illum, cui aſſimilabitur? Timor
Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum
eſt ei. Quid eſt enim quod IX. dicit ſe magnificaſſe inſu-
ſpicabilia cordis, & decimum dixiſſe in lingua homi-
nibus,niſi quòd *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſ-*
ſio fit ad ſalutem? IX. ergo ſunt inſuſpicabilia, hoc eſt,
certa & vera, & ab omni ſuſpicione falſitatis aliena vir-
tutum dona, quæ fides recta parit in homine: hoc eſt,vt
homo iucundetur in filijs: in fructu videlicet bonorum
operum viuat,videns ſubuerſionem inimicorum: viuat
ſcilicet vita Deo, & videat ſubuerſionem dæmonum ſi- H
ue etiam vitiorum. ſicut Paulus ait: *viuo autem iam non e-* Galat. 2.
go, viuit verò in me Chriſtus. & item:*ſtate*, inquit, *ſuccin-* Epheſ. 6.
cti lumbos veſtros in veritate,& induite loricam iuſtitiæ, & cal-
ceati pedes in præparatione euangelij pacis: in omnibus ſumentes
ſcutum fidei,in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extingue-
re:& galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod
eſt verbum Dei. *Beatus eſt homo qui inhabitat cum muliere*
*ſenſata:*hoc eſt, ſapientia & prudentia. Vnde ſcriptum
eſt:*poſſide ſapientiam,poſſide prudentiam.* ſi intrauerit ſapien- Prou. 4.
tia in cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſi-
lium cuſtodiet te,& prudentia ſeruabit te, ſimiliter &
beatus eſt *qui in lingua ſua non eſt lapſus*: quoniam qui in
verbo non offendit,hic perfectus eſt vir. *Qui cuſtodit os*
ſuum,cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam. Et qui non ſeruiuit
indignis ſe,hoc eſt malignis ſpiritibus ſiue peccatis, à quo

A enim quis ſuperatur, huius & ſeruus addictus eſt. *Beatus qui inuenit amicum verum*, illum nimirum amicum qui Ioan. 15. in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis, & qui enarrat iuſtitiam in aure audientis*, hoc eſt deuotè verbum Dei percipientis, rectè intelligentis, & benè operantis, *quàm magnus eſt, qui inuenit ſapientiam & ſcientiam*. huius ſententiæ integritas in duo diuiditur: hoc eſt, in ſapientiam, & ſcientiam, hanc enim veteres voluerunt eſſe differentiam inter ſapientiam & ſcientiam: quòd ſapientiæ eſſet bonum facere, ſcientiæ verò malum cauere. Iob 28. Vnde in Iob ſcriptum eſt. *Ecce timor Domini ipſe eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia*. hinc eſt, quòd his nouem ſpeciebus virtutum ſuperadditur timor Dei, quoniam ſicut nouenarius numerus imperfectus eſt, quouſque denario ſuppleatur: ita omnis operatio virtutum mediocris eſt ſine timoris Dei perfectione. B *Timor* enim *Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*. Ipſe eſt fidei fundamentum, ipſe charitatis origo: per ipſum Prou. 1. & 9. & Eccleſ. 1. operatur bonum, per ipſum peruenitur ad præmium, ſed quoniam ſcriptum eſt: *initium ſapientiæ timor Domini*. Et in epiſtola Ioannis legitur: *timor non eſt in charitate, ſed* 1. Ioan. 4. *perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet*. Pſal. 33. Et in Pſalmo ita ſcriptum eſt; *Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum*. quæritur quomodo timor, ſi initium eſt ſapientiæ, & initium dilectionis Dei, non ſit in charitate: & quomodo omnes ſancti diligant Dominum, & nihil deſit timentibus eum: & qualiter illud fiat, quòd timor Dei ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. Sed hæc quæſtio ita ſoluitur; illum ſcilicet timorem Domini, quo timet quiſque incipiens opera iuſtitiæ, ne veniat diſtrictus iudex & ſe minus caſtigatum inueniens damnet, illum charitas pellit foras, quæ pro merito iuſtitiæ fiduciam habet in die iudicij. Sed & præſentium aduerſitatum timorem perfecta charitas eijcit ex animo: quam habere Pſal. 30. quærebat, qui Domino ſupplicans ait: *A timore inimici eripe animam meam*: Rom. 8. quam habebat qui dixit: *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an* C *perſecutio? an nuditas? an fames? an periculum? an gladius?* &c. Nec putari debet Beati Ioannis ſermonibus eſſe contrarium Pſal. 18. quod Pſalmiſta dicit: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*. Duo namque ſunt timores: vnus quo timent Deum homines ne mittantur in gehennam: ipſe eſt timor ille, qui introducet charitatem; ſed ſic venit, vt exeat. Si enim adhuc propter pœnas timens Deum nondum amas quem ſic times, non bona deſideras, ſed mala caues: ſed ex eo quia mala caues, corrigis te, & incipis bona deſiderare. Cum bona deſiderare cœperis, erit in te timor ſanctus, ille ſcilicet ne ipſa bona amittas, non ille quo times ne mittaris in gehennam, ſed ne te deſerat præſentia Domini, quem amplecteris, quo æternum frui deſideras.

CAPVT IV.

OMnis plaga triſtitia cordis eſt, & omnis malitia nequitia mulieris. Sicut maior gratia alia non eſt quàm charitas vera in lætitia bonæ mentis, ita maior plaga non eſt D quàm triſtitia doloſi cordis in idololatria ſeu errore hæreticæ prauitatis. In eius enim nequitia omnis eſt malitia, ſed quia in duritia per errorem ſeductæ animæ plaga ineſt iniquitatis, nec tamen ipſa ſentit ruinam ſuæ deceptionis, ideo ſubiungitur.

Et omnem plagam & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam & non nequitiam mulieris, & omnem obductum & non obductum odientium, & omnem vindictam & non vindictam inimicorum. Videt enim plagam cordis cum intelligit iniuſtitiam ſuæ prauitatis. Sed tamen non videbit, quia per pœnitentiam & correctionem ſceleris ſibi ad ſalutem non prouidebit. Nequitiam erroris ſentit, ſed tamen pœnam futuri tormenti non cauebit. Iuſtitiam æquiſſimi iudicis, qui per vindictam futuram nomen odientium ſe delet, & inimicos ſuos igne gehennę puniet, non ignorat: ſed tamen euaſionem malorum illorū nullam ſibi præparat. E Vnde impletur in ea illud Apoſtoli, quod de contemptoribus Dei & ingratis beneficiorum illius ad Romanos ſcripſit, dicens: Rom. 1. *Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte*. Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus: ſcierunt enim hæc Deo diſplicere, ſed hæc in animo ponere noluerunt. *Quoniam qui hæc agunt, digni ſunt morte*: & non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Aſſenſus enim participatio eſt. Sunt quidam qui ſe reos non putant, ſi non operentur quæ mala ſunt, aſſentiunt autem facientibus: aſſentire eſt autem, ſi cum poſſit reprehendere taceat, aut audiens vanas fabulas aduletur, ſciens enim impurus & malignus non ignorari quæ agit, & minimè ſe vitari, ſed & honori eſſe gloriatur fore ſe talem: nec confundi poteſt in his, quando videt faueri ſibi & obſecundare ab his qui non ſunt tales, & ita eſt vt qui fomitem præbeant delictis illorum, ipſi digni ſint vt pari crimine rei habeantur. F Sunt iterum alij qui non ſolum faciunt mala: ſed etiam qui conſentiunt facientibus, vt non ſolum faciant, ſed & talibus conſentiant. Duplex ergo horum eſt nequitia: non enim tam mali ſunt qui faciunt, & facientibus contradicunt: ſcientes enim nefaria, non illa vindicant. Illi enim tam nequiſſimi ſunt, quia faciunt & conſentiunt facientibus, vt nec Deum timeant, increſcere cupientes mala; ideò hæc non vindicant, vt ſuadeant illa non eſſe vitanda.

Non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia ergo hæreticorum comparata venenatis ſerpentibus, & ſæuis terræ animantibus, ferocior inuenitur, magiſque noxia: quia illa corpus lædunt, hæc animam interimit: illa mortem temporalem conferunt, hæc perpetuam. Ideo eius cohabitatio omnibus noxia eſt, nullique ſalubris. vnde & ſequitur:

Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum ſuum tanquam vrſus, & quaſi ſaccum oſtendit. In medio proximorum eius ingemuit vir eius, & audiens ſuſpirauit modicum. G Peruerſitas ergo hæreticæ factionis immutat faciem eius, cum per hypocriſin loquitur mendacium, & fictas ſimulando oſtendit ſpecies virtutum. Quæ tanquam vrſus obcæcat vultum ſuum, cum per duritiam cordis mentis excæcat viſum, nec futurum damnationis ſuæ proſpicit iudicium. Quaſi ſaccum oſtendit in medio proximorum eius, cum ineptas coram auditoribus ſuis profert doctrinarum nouitates, & turpitudinem ſenſus ſui nefando tegit velamento verborum. Nec illius mulieris fortiſſimæ atque ſapientiſſimæ actus imitatur, de qua in Prouerbijs legitur: quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Quærit ergo mulier fortis lanam & linum, & operatur conſilio manuum ſuarum, cum Eccleſia ſancta ſollicitè perquirit, quibus ſe pietatis fructibus exerceat, quomodo à carnalibus emundet illecebris: & hoc vtrumque conſilio prudentiſſimo, hoc eſt, ſupernæ ſolummodo retributionis facit intuitu. De qua rurſum ſcriptum eſt: Prou. 31. *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius*. H ſtragulata veſtis quæ variante textura ſolet firmiſſima confici, fortia Eccleſiæ opera, & diuerſa virtutum eius ornamenta ſignificat, de quibus Propheta in ſummi regis viri videlicet illius laude cecinit: Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate*. Byſſus quoque & purpura indumentum eius, byſſus in caſtitate purpuræ conuerſationis, purpura in effuſione pretioſi ſanguinis, byſſus namque candidi coloris eſt: purpureus autem color & de ſanguine animantis, quod purpura vocatur, conficitur, & ipſe ſanguinis habet ſpeciem: vnde pulchrè dictum eſt à Patribus, quia ſancta Eccleſia electorum floribus vernans in pace habet lilia, in bello roſas. Quod autem ſubiungitur: *Audiens ſuſpirauit modicum*, ſignificat quòd peruerſa mens hæreticorum licet à Catholicis Doctoribus ritè corripiatur, difficulter tamen ad veram pœnitentiam flectitur: etſi aliquando

A fingit ſe pœnitere, tamen quia non corrigit errorem, manifeſtat ſe in cœpta malitia perſeuerare.

Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris, ſors peccatorum cadet ſuper illam. Hoc eſt quod ante dixit, non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris: parua eſt enim omnis malitia in comparatione idololatriæ, & hæreticæ prauitatis: quia in his non per fragilitatem carnis peccatur, ſed per ſuperbiam mentis. Omne enim quod in eis agitur, in contemptum Dei fit; & ideo impietas dicitur, quam alio nomine negationem Dei poſſumus appellare, quæ incorrecta non habet veniam, ſed pœnam ſempiternam. Ideo in Za- *Zacha. 5.* charia Propheta mulieri ſedenti in medio amphoræ, maſſa plumbea proijcitur in os, & defertur in Babylonẽ: quia impietas quæ ſedebat ſuper peccata Iſrael, & in ſuo ſcelere gloriabatur, poſtea mittitur in medium Babylonis, & captiuitatis malo premitur: vt obduratum os habeat, & vltrà ſe iactare non poſſit. Vel certe ab Angelis B Dei opprimitur, vt quæ prius latebat in ſcelere, æterno ſilentio conticeſcat.

Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, ſic mulier linguata homini quieto. Pulchram comparationem facit, quia ſicut arena fluida & inſtabilis grauis eſt ad incedendum infirmis pedibus veterani, ſic etiam ad audiendum oneroſa eſt modeſtiæ Catholici viri ſuperflua loquacitas hæretici; vnde eius ſocietatem noxiam oſtendens, conſequenter illius communionem vetat dicens:

Ne reſpicias in mulieris ſpeciem, & non concupiſcas mulierem: in ſpecie mulieris ira, irreuerentia, & confuſio magna. Species mulieris huius eſt verſuta doctrina hæreticorum, fuco verborum adornata. Cuius doloſam eloquentiam ſi amaueris, pœnam & confuſionem æternam ſuſtinebis. Qualis autem ſit ſpecies huius mulieris, Salo- *Prou. 5.* mon in Prouerbijs oſtendit, dicens: *Fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouiſſima illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Cum in ore hæretico dulcedo eloquentiæ non ad ſufficientiam ſolummodo, verum ad ſuperfluitatem reſonat, C & ob id falſitas, quia aptè proferri cernitur, veritas à ſtultis æſtimatur. Oleo autem Spiritus ſancti fides Catholica conſecratur, quo hæretici nitidius ſuum guttur oſtentant, qui ſua ſenſa patrum fidei anteponunt. Patet de meretrice, quia & ſermonis ſuauitatem & formoſitatem corporis ad captandos miſeros quærit. *Nouiſſima*, inquit, *illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Potio abſinthij intus amareſcit in viſceribus, gladio foris membra feriuntur. Vt igitur oſtendat iniquos in nouiſſima vltione, & interius impleri & extrinſecus pœnis circumdari perpetuis, & amaritudine illos abſinthij torquendos, & gladio aſſeuerant eſſe truncandos, quare autem idem gladius biceps ſit dictus, *Matt. 10.* Dominus Aperit cum ait: *Sed eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.*

Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Cor humile, & facies triſtis, & plaga cordis mulier nequam, manus debiles, & genua diſſoluta, mulier quæ non beatificat virum ſuum. A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. Hæc iuxta hiſtoriam oſtendunt, quòd mulieris primatus magis noxius ſit, quàm vtilis, quia infirmior ſexus, fortiori ſexui ſubijci debet, non præponi. Vnde in initio mulieri peccanti & virum ſeducenti Dominus dixit: D *Geneſ. 3.* *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Hinc & Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait: *1. Tim. 2.* *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.* Et cur hoc iuſſerit, mox cauſam reddidit, dicens: *1. Tim. 2.* *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua: & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Myſticè autem hanc mulierem ſynagogam poſſumus hæreticorum accipere: quæ iuxta illud Prouerbiorum, *Prou. 2.* *reliquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt.* quia reliquit Doctorem à quo fidem Eccleſiæ didicerat: & oblita eſt pacti Dei ſui, hoc eſt, fidei ſanctionis dominicæ, quæ in ſymbolo continetur, quam ſe die baptiſmatis ſeruaturam eſ- ſe promiſerat. E Hæc quoque ſi primatum habeat contraria erit viro ſuo, Doctori videlicet Catholico, peruerſa ſentiendo & praua docendo, huius cor cogitatio videlicet vilis eſt atque deſpecta, & facies triſtis: quia lætitiam Spiritus ſancti non habet, quæ & confert amatoribus ſuis plagam mortis æternæ: huius quippe operatio eſt debilis, & greſſus inſtabilis; quoniam non beatificauit virum ſuum priorem, cum quo primum inijt pactum, vt illi obediret, & fidem eius ſeruaret; ſed adulterium perpetrauit cum viro alieno, ab ipſa enim initium factum eſt peccati. Quoniam ſuperbia elationis eius, qua viam veritatis deſerere, & in erroris deuia declinare præſumpſit, origo & cauſa tam ſibimetipſi quàm etiam omnibus ſibi obſequentibus fuit æternæ perditionis.

Non des aquæ tuæ exitum nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conſpectu inimicorum. A carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper te abutatur. F Aqua hic ſapientiæ doctrinam ſignificat. Docet ergo vt extra ſtatum rectitudinis eruditioni tuæ prodeundi non des licentiam: nec etiam animæ per hæreticam prauitatem diaboli arte deluſæ conſentias: neque libertatem tribuas docendi, ſed ſi tibi ab errore recedendo ſubdi noluerit, & contentiones & lites contra te coram ſtultis & inſipientibus agitauerit, ab eccleſiæ communione illam ſepares, ne vltra ad luxum ſuæ prauitatis te abutatur. Hinc quoque Apoſtolus Tito iubet, vt hæreticum hominem poſt vnam *Tit. 3.* & ſecundam correptionem deuitet: ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & deliquit proprio iudicio condemnatus. Et Ioannes in epiſtola ſua monet, vt nec aue huiuſmodi hominibus dicamus, nec eos in domum recipiamus. Non eſt ergo huic loco contrarium illud quod in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide: habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui.* *Prou. 5.* Docet ab hæreticis cauendum, & cuſtodiæ ſcripturarum ac lectioni attendendum. Scientiam, inquit, qua prædicas alijs ipſe ſerua, & tui irrigatione ſermonis fundere. G Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Cum ipſe ſeruaueris, tunc & alijs prædica, & in magna auditorum amplitudine diuina eloquia iuxta vniuſcuiuſque qualitatem diſpenſa, *habeto eas ſolus.* Aquas & in plateis diuidimus, & tamen ſoli poſſidemus, quando & exterius latè prædicationem fundimus, & tamen per eam laudes humanas conſequi minimè ambimus. *Nec ſint alieni participes tui.* Immundi ſpiritus participes fiunt Doctoris, ſi eius mentem vel faſtu elationis dum prædicat, vel hæreſi; vel alio quolibet vitio corrumpunt. Solus autem aquas poſſidet, cum membris Eccleſiæ fideliter connexus ab extraneorum ſe conſortio liberum ſeruat.

CAPVT V.

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Sicut prius in vituperatione mulieris nequam os aperuit, ſic etiam nunc ad prædicationem mulieris bonæ ſermonem conuertit. H Mulier enim bona aut ſpecialiter iuſti ac boni hominis eſt anima, aut generaliter tota electorum Eccleſia, cuius vir beatus eſſe deſcribitur, quia Chriſtus (qui eius vir eſt) beatitas & celſitudo in vniuerſo mundo prædicatur. *Numerus enim annorum illorum duplex*, quia hic viuit Eccleſia ſub cuſtodia mandatorum Dei cum honeſtate virtutum, & in futuro veraciter gaudebit in perceptione cœleſtium præmiorum.

Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Delectatio eſt enim Chriſti fortitudo Eccleſiæ, quam illa non ex ſemetipſa, ſed ex eius dono habet, qui & annos illius in pace adimplebit, cum in præſenti pacis ſuæ munere eam ditabit, & poſt hanc vitam in æterna quiete ſanctis Angelis adæquando perfecta pace conſummabit, iuxta illud quod ipſe in Euangelio diſcipulis *Ioan. 14.* ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: ac ſi diceret:

A hic relinquo, illic do: ſequentibus relinquo, peruenientibus do. De hac muliere forti & in Prouerbijs ita ſcri-
Prou. 31. ptum eſt: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.* Mulier fortis Eccleſia Catholica vocatur. Mulier videlicet, quia ſpiritales Deo filios ex aqua & ſpiritu ſancto gignere conſueuit. Fortis, quia cuncta ſæculi aduerſa ſimul & proſpera pro conditoris ſui fide contemnit: quia ipſe in carne apparens infirmam quidem inueuit, ſed inuentione ſua, hoc eſt, pia viſitatione fortem reddidit. Vnde poſt eius redemptionem ad cœlos redi-
Luc. 15. ens ſupernis ciuibus gaudens aiebat: *congratulamini mihi quia inueni ouem quæ perierat.* Videns ergo Salomon genus humanum innumeris implicatum erroribus, quodque ad eius ſaluationem nullus Patriarcha, nullus Propheta, nullus omnino electorum præter ſolum mediatorem Dei & hominum ſufficeret, ait: *Mulierem fortem quis inue-*
B *niet? procul & de vltimis finibus pretium eius*, ac ſi aperte futuram Domini gratiam admirando proteſtetur: Quis tantæ virtutis, quis talis eſt meriti, qui de tot incredulis ac ſceleſtis mundi nationibus, vnam ſibi electorum Eccleſiam congreget? quam ſua gratia fortem atque inſuperabilem aduerſantibus cunctis efficiat? Quod ergo dicit, *confidit in ea cor viri ſui*: ab humana nimirum conſuetudine tractum eſt: Sicut enim is qui fortem fidelemque & caſtam habet coniugem, confidit in ea certiſſime: quia nil contra ſuam voluntatem agere, nulla adulterina ſaltem cogitatione poſſit attaminari. Cuncta pro ſuo amore etiam aduerſa libenter tolleret, & quoſcunque valet, ad ſuam amicitiam conuertere deſideret: ſic nimirum ſic Dominus & Redemptor noſter in Eccleſia confidit: nouit enim ſpiritum gratiæ quem dedit: nouit virtutem charitatis, quam eius præcordijs infudit. Ideo-
C que non dubitat eam non ſolum à ſuæ fidei integritate nequaquam poſſe corrumpi, ſed & perſeueranter inſiſtere, vt plures ad eiuſdem fidei congreget vnitatem. Hoc eſt enim quod ſequitur, *& ſpolijs non indigebit.* Spoliat enim diabolum Eccleſia, eum per prædicatores ſuos eos quos ipſe deceperat, ad veritatis iter reuocat. Et bene dicitur, *ſpolijs non indigebit*, quia nunquam ceſſabit Eccleſia liberatas à diabolica fraude animas Chriſti fidei reſtituere, donec completo mundi curſu ſuorum quoque præfinita compleatur ſumma membrorum.

Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Pars bona & mulier bona eſt Eccleſia Catholica, quæ in ſorte timentium Deum annumeratur, quia ad hæreditatem eius pertinet. De quo in
Deut. 32. cantico Deuteronomij ſcriptum eſt: *pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael.* Cui etiam ad dexteram eius conſtitutæ, ipſe in iudicio dicturus eſt futuro:
Matt. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Hæc data eſt viro ſuo Chriſto pro factis bonis, pro redemptione videlicet generis humani
Eſa. 53. ſicut Eſaias teſtatur, dicens: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*; huic quoque ipſe poſt reſurrectionem ſuam
Matt. 28. apparens diſcipulis ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.* Quid autem fides Chriſti & baptiſmatis ſacramentum humano generi conferat, ſequens ſententia manifeſtat.

D *Diuitis autem & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilares.* Non eſt perſonarum acceptor Deus, ſiue diues ſiue pauper ad gratiam Chriſti perueniat, ſi deuota mente in ea perſeuerauerit, vultus illius lætabundus contemplatione Dei fruetur perpetua. Quid autem ex illis fiat, qui ab hoc munere alieni exiſtunt, ſubiungendo inſinuat.

A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. Delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem, ſuper mortem omnia grauia. Dolor cordis & luctus, mulier Zelotypa. His ergo ſpeciebus demonſtrantur illi, qui extra Eccleſiam ſunt, & in vnitate veræ religionis non conſiſtunt, hoc eſt, Iudæi, pagani, & hæretici, necnon & falſi Chriſtiani. Namque in delatoribus ciuitatis: hoc eſt, pro-

E ditoribus Eccleſiæ, poſſumus accipere falſos Chriſtianos, qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: nec charitatem, quæ munimentum maximum præſtat cœtui fidelium, ipſi habere volunt, ſed omnia ficte agunt. In collectione verò populi non inconuenienter gentilium perſecutio intelligitur, & in calumnia mendaci blaſphemia Iudæorum; in muliere quoque Zelotypa hæretici, qui zelo & inuidia contra veritatem pugnant, & dolorem cordi luctumque maximum Eccleſiæ matri ingerunt: hæc omnia ſuper mortem ſunt grauia, quia tolerabilius eſt mortem ſubire temporalem, quàm æternam in gehenna pro peccatis ſuſtinere combuſtionem.

In muliere infideli flagellum linguæ, omnibus communicans. Hoc eſt, in anima gentili ſiue hæretica prauitate decepta, blaſphemia ſonat & locutio peruerſa: quia ſiue corde cogitet mala, ſiue ore proferat verba nefanda, ſemper ad nocendum eſt parata, indeque omnibus ſibi conſentien-
tibus erit noxia. F

Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam: Iugum hic boum ponit pro inſipientia ſtultorum. Sicut enim bruta animalia neſciunt diſcernere inter amicum & inimicum, inter veracem & fallacem, inter bonum & malum: ita inſipientes ignorant diſtantiam Catholicæ doctrinæ & hæreticæ veritatis & falſitatis, iuſtitiæ & iniquitatis: ſed æqualiter falſis & veris Doctoribus prompti ſunt obedire. Contra illud Apoſtoli, *nolite omni ſpiritui*
credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: huic ſimile eſt illud 1. Ioan. 4.
quod in Prouerbijs vbi de procacitate meretricis narratur, quæ iuuenem multis ſermonibus irretiuit, & blanditijs labiorum protraxit, ſcriptum eſt: *Statim eam ſequitur*
quaſi bos ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens: & ignorat quòd Prou. 7.
ad victimam ſtultus protrahatur, donec tranſfigat ſagitta iecur eius. neſcit enim periculum ſuum donec cadat in interitum manifeſtum.

Qui tenet illam, quaſi qui apprehendat ſcorpionem. Pulchrè
quoque hæreſim aſſimulat ſcorpioni: quia ſicut ſcorpio G
non ore, ſed cauda feriens venenum infundit: ſic & hæreticorum aſtutia non aperta fronte, ſed doloſa nequitia incautos decipit.

Mulier ebrioſa ira magna: & contumelia: & turpitudo illius non contegetur. Mulier ebrioſa hæreticorum eſt ſynagoga, quæ dolo & nequitia eſt pleniſſima: quam etiam ſequitur ira magna, & contumelia: quando eius iniquitati ſuccedet grauis pœna & damnatio perpetua: vbi turpitudo erroris illius manifeſtabitur in extrema ſententia.

Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcetur. Licet hiſtorialiter deſcribat habitum mulieris meretricis, quæ laſciuis motibus corporis & nutibus oculorum oſtentat libidinem carnis. Myſticè tamen oſtendit morem hæreticæ prauitatis, quæ fornicationem ſuam in ſuperbia ſenſus, & in facundia verborum iactitat, quò facilius curioſos & nouitatum amatores in aſ-
ſenſum ſuum attrahat, de quibus alibi legitur, quòd pru- 2. Tim. 4.
rientes auribus à veritate auditum auertant, ad fabulas autem conuertantur.

In filia non auertente ſe firma cuſtodiam, ne inuenta occaſione abutatur ſe, ab omni irreuerentia oculorum eius caue. Hoc monet vt eius perſonæ quæ ſibi commendata eſt, doctor ſtrenuam curam habeat: nec eam negligat, ſed diligenter nutriat, diſciplinabiliterque viuere doceat, ne inuen-
ta occaſione per carnalem concupiſcentiam in aliquod H
facinus proruat. Senſus enim & cogitatio humani cordis ad malum intenta eſt omni tempore ab adoleſcentia ſua. Vnde conſequenter ſubiungit.

Et ne mireris ſi te neglexerit, ſicut viator ſitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum ſedebit, & contra omnem ſagittam aperiet pharetram donec deficiat. Per hæc quidem tria exempla curioſitatem oſtendit humanæ mentis, quæ facilis eſt, & ſemper patet
ad mundi illecebras. Vnde Ioannes Apoſtolus triplici 1. Ioan. 2.
diſtinctione eam diſtinxit, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo: quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum eſt, & ſuperbia vitæ:*
quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. & mundus tranſit & concu- Ibid.

Digitized by Google

piſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. His quippe vitiorum vocabulis omnia vitiorum genera comprehendit. Concupiſcentia namque carnis, eſt omne quod ad voluptatem & delicias corporis pertinet: in quibus ſunt maxima cibus, potus, concubitus. (Prou. 30.) De quibus Salomon ait: *ſanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer, affer.* Concupiſcentia oculorum eſt omnis curioſitas, quæ fit in diſcendis artibus nefarijs, in contemplandis ſpectaculis turpibus vel ſuperuacuis, in acquirendis rebus temporalibus, in dignoſcendis etiam carpendiſque vitijs proximorum. Superbia vitæ eſt, cum ſe quis iactitat in honoribus, & per elationem mentis vanæ gloriæ & arrogantiæ deſeruit. Per hæc tria tantum cupiditas humana tentatur. Per hæc Adam tentatus eſt & victus: per concupiſcentiam ſcilicet carnis, cum ei hoſtis cibum ligni vetiti oſtendit, eumque ad comedendum ſuaſit. Per concupiſcentiam oculorum, (Gen. 3.) cum diceret, *ſcietis bonum & malum, & aperientur oculi veſtri.* Per ſuperbiam vitæ, cum diceret, *eritis ſicut dij.* (B) per hæc tentatus eſt Dominus & vicit, per concupiſcentiam carnis, id eſt cibum, (Matth. 4) vbi ſuggeritur: *dic vt lapides iſti panes fiant.* per concupiſcentiam oculorum, id eſt, curioſitatem, vbi de pinna templi admonetur, vt ſe deorſum mittat, tentandi gratia, vtrum ab Angelis ſuſcipiatur. Per ſuperbiam vitæ, id eſt, inanem iactantiam, vbi in monte conſtituto oſtenduntur omnia regna huius terræ, & promittuntur ſi adorauerit.

Gratia mulieris ſedula delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit. Gratia quippe bonæ deuotionis & obedientiæ, quam habet quælibet ſancta anima, vel generaliter tota electorum Eccleſia, iucundat boni Doctoris animum, vel potius Chriſti Domini noſtri, qui verus ſponſus eſt Eccleſiæ. Cui qui deuota humilitate obedit, præcepta ipſius cuſtodiendo, pinguedinem charitatis eius in medulla cordis ſe habere oſtendit. Vnde etiam amorem eius ipſe impetrabit; (C) ſicut ipſa Veritas in Euangelio ait: (Ioan. 14.) *Qui amat mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum.* Sed quia nemo prius eum diligit, quàm eius gratia ad ſui amorem illum prouocauerit, ſequens ſententia declarat.

Diſciplina illius datum Dei eſt. Omne quippe bonum Eccleſiæ, (Iacob. 1.) donum eſt Dei: quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.*

Mulier ſenſata & tacita, non eſt immutatio eruditæ animæ. Sapientia quippe Dei, quæ animas electorum imbuit, eiſque oris cuſtodiam & operis efficaciam tribuit, à ſe eos (1. Ioan. 5.) mutari, & in erroris deuia declinare nõ permittit. Quod Ioannes in epiſtola ſua manifeſtat, dicens: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Hoc tamen nõ de omni peccato dicit, ſed de violatione rectæ fidei & charitatis: quam qui ſemen Dei, id eſt, verbum Dei, quo renatus eſt, in ſe habet, committere non poteſt.

(D) *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata.* Super gratiam ergo legis & ſynagogæ ſub ea conſtitutæ, gratia eſt Euangelij, & decor Eccleſiæ ſanctæ: quæ fidem Saluatoris ſui caſtè & inuiolatè cuſtodit, & ſapientiam diuinam inhianter diſcit: hæc in lectione legis & Prophetarum velamen Moſaicum ſuper cor non habet, ſed reuelata facie gloriam Domini contemplatur, & intrat in ſanctuarium Dei vt intelligat propoſitiones ab initio ſæculi.

Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ. Cunctæ videlicet opes mundi & diuitiæ ſapientiæ ſecularis non poſſunt eius deuotioni, quam habet in ſeruitio Chriſti & in ſcientia ſpiritali adæquari, ipſa negotiatrix (Matt. 13.) eſt illa, quæ in Euangelio margaritam pretioſiſſimam ſpretis temporalibus bonis comparauit, vt ipſam poſſideret in æternum, vnde fit quod ſequitur.

Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius. Solis enim iuſtitiæ ſplendor fulget in ſpecie mulieris huius, & totam domum eius, quæ per vniuerſum orbem dilatata eſt, ornatu ſapientiæ (E) & virtutum decorat: pro quo etiam ſupernæ claritatis (Sap. 3.) fulgorem obtinebit: vt fiat quod ſcriptum eſt: (Matt. 13.) *fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.*

Lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem. Lucerna doctrinæ Euangelicæ ſplendet ſuper candelabrum Eccleſiæ, & ſpecies virtutum quæ in facie illius, hoc eſt, in operibus eius elucet, æuo perpetuo ſtabilietur, & æterno præmio remunerabitur. De hac lucerna ipſe Dominus per ſimilitudinem (Matth. 5.) diſcipulos ſuos inſtruxit, dicens: *vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Lux mundi Apoſtoli appellantur, quia per ipſos luce fidei & ſcientiæ illuminandus erat mundus. Mons Chriſtus intelligitur, ſuper quem ciuitas Eccleſiæ, hoc eſt, in eius fide fundata eſt, lucerna quidem (vt diximus) eſt Euangelica doctrina. Candelabrum cuioſlibet viri fidelis anima. Ponere ergo lucernam ſub modio, eſt ſuperiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis. Vt ideo quiſq; veritatem non (F) prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus moleſtiæ patiatur. Sub modio ergo lucernam ponit, quiſquis lucem doctrinæ bonæ commodis temporalibus obſcurat & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus ſuum miniſterio Dei ſubijcit, vt ſuperior ſit prædicatio veritatis, inferior ſeruitus corporis.

Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. Columnæ aureæ ſunt Doctores ſancti luce ſapientiæ præclari: qui ſuper baſes argenteas collocantur, cum eloquijs ſcripturarum ſacrarum prædicatione ſua innituntur. Columnis enim merito Apoſtoli & Apoſtolici viri comparantur: quia terrena vitia in imo deprimunt, & ſupernas virtutes ad gratiam regis cœleſtis extollunt. Horum pedes firmi ſuper plantas mulieris ſtabiliti ſunt, quia inceſſus prædicationis eorum quo per totum orbem verbum Dei diſſeminauerunt, (*In omnem enim terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ.*) (Pſal. 18.) ſuper Catholicæ fidei ſtabilitatem firmiter conſiſtit. (G) De quo & ſequitur:

Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. Tota enim prædicatio Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſuper petram ſolidam, hoc eſt, Chriſtum fundata eſt. idcirco mandata Dei in corde ſanctæ mulieris, hoc eſt, Eccleſiæ ſunt tranſplantata. Ipſeq; fundamentum merito dicitur, qui ſic Eccleſiam ſuam continet, vt nulla poſſit quaſſatione titubare: ſicut dicit Apoſtolus: (1. Cor. 3.) *fundamẽtum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Merito ergo ab ipſo ſumitur ædificationis ſpiritalis exordium, quem rerum omnium conſtat eſſe principium.

In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit: vir bellator deficiens per inopiam & vir ſenſatus contemptus, & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum; Deus parauit eum ad rompheam. His ſententijs deteſtatur ſapientia ſtultitiam ſenſus humani, cum per fragilitatem carnis perdit laborem virtutis: ſiue cum per dementiam cordis neſcit electionem rei melioris, ſeu cum deſerto tramite veritatis, declinat in deuia erroris. Vir ergo bellator deficit per inopiam, cum is qui multos labores in agone iſtius mundi ſuſtinuit pro Chriſto, nouiſſimè aliqua aduerſitate (H) fractus perdit laborem per inconſtantiam mentis. Vir ſenſatus contemnitur: cum doctor Catholicus & præco veritatis à ſtultis ſpernitur, & eius ſanæ doctrinæ præponitur ſecta humanæ philoſophiæ. Tranſgreditur vero à iuſtitia ad peccatum, qui fide Catholica primũ imbutus baptiſmum Chriſti accipit, ſed poſtmodum per ſuperbiam atque arrogantiam deſerit rectæ fidei regulam, conuertitque ſe in hæreticæ prauitatis apoſtaſiam: hunc ergo Deus parat ad romphæam, quia pro iniquitate ſua ad pœnam illum ſeruat perpetuam: ſicut ipſe Dominus per Ezechielem Prophetam teſtatur, dicens: (Cap. 18.) *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua & fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus*

A *catus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur.*

Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians à negligentia: & non iuſtificabitur caupo à peccatu labiorum. Hic locus niſi caute requiratur, habere videtur aliquam contrarietatem, & mouere quæſtionem. Nam ſi omnis negotiator vel caupo omnino damnandus eſt, nec illi hanc pœnam refugiunt, qui artes reliquas exercere noſcuntur: quid eſt enim aliud negotiatio, niſi quæ poſſunt vilius conſtare, carius velle diſtrahere? Cæterum in vitis patrum Paſnutium illum ſanctiſſimum virum, per reuelationem negotiatori legimus comparatum, hodieq; inuenimus in Eccleſia tractantes quidem mercimonia, ſed ſumma fide pollentes. Actus enim peſſimus, non res honeſta damnatur: ſicut & de diuite legimus non introire in regnum cœlorum. Cum tamen Iob, Abraham, Iſaac, Iacob patriarchæ valde fuerint affluentes. Negotiatores ergo illi abominabiles æſtimantur, qui

B iuſtitiam Domini minime conſiderantes, per immoderatam pecuniæ ambitionem polluuntur, merces ſuas plus periurijs onerando quàm pretijs. Tales Dominus eiecit

Matt. 21. de templo, dicens: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis, & ſpeluncam latronum.* Difficile ergo exuitur ne- Marc. 11.

Luc. 19. gotians à negligentia, cuius mens ardet in pecuniarum concupiſcentia: & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum, qui fraude aliqua vel fictis verbis ſubuertere ſtudet iuſtitiam proximorum.

CAPVT VI.

P*Ropter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum.* Multi ergo per inopiam delinquunt, ſed magis propter inopiam cordis quam corporis: quia multos viros ſanctos pauperes rebus in hoc mundo eſſe legimus, diuites autem in fide & virtutibus: qui eandem fidem Chriſti & iuſtitiam eius inter aduerſa iſtius ſæculi vſq; in finem vitæ ſeruauerunt, ſicq; ad coronam æternæ vitæ peruenerunt: qui magis theſaurum cœleſtẽ, quam terreſtrem quæſierunt. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* At ille qui quærit in hoc mundo locupletari, auertit oculum ſuum à timore Dei, & ſequitur cupiditates iſtius mundi, ideo carebit benedictio-

C ne cœleſtis regni.

Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum. Aptè per comparationem pali in medio lapidum fixi, exprimit inter emptionem & venditionem anguſtiam auari: cui tã deeſſe videtur quod habet, quam quod non habet: quia dum timet amittere quod poſſidet, & aliena rapere, animo inceſſanter ardet, ſemper illũ ſollicitudo noxia torquet. Sed licet hic huiuſmodi tormentum habeat, ſi ſe non correxerit, certum eſt vt futuram gehennæ pœnam non euadat. Vbi fit profecto quod ſequitur.

Conteretur cum delinquente delictum. Ibi ergo ceſſat pecuniarum ambitio, vbi raptoris anima ſimul & corpus punientur in examine nouiſſimo. Sed quia ſola eſt cauſa per quã ſaluari poteſt humana natura, quomodo hæc multa vitari poſſint diſcrimina, protinus ſubiungendo oſtẽdit.

Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua. Manifeſtum eſt enim, quod timor Domini hominis cuſtodit vitam, quem ſi deſeruerit, mox inimicorum inſidijs atque ſeductioni patebit. *Timenti enim Dominum ſemper bene erit.* quia timor Domini fons eſt vitæ, glo-

D ria & lætitia & corona exultationis: quem qui tenuerit, hic bonorum operum dignis meritis creſcit, & in futuro lætitiam & gaudium in longitudine dierum habebit.

Sicut in percuſſura cribri remanebit puluis, ſic aporia hominis in cogitatu illius. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Conuenienti exemplo oſtendit timorem Dei purgare animam hominis. Sicut enim cribrum purgamenta colligit, & grana à paleis ſecernit: ita timor Dei per curam atque angorem animi omnes ſordidas cogitationes à corde expellit. Et ſicut vaſa figuli probat flãma fornacis, ſic homines iuſtos mundat à peccatis tenta-

Aporia, tio tribulationis. Aporia enim Græcum nomen eſt, & in-

fluxio, terpretatur fluxio, vel deriuatio, ſtimulus ſiue moleſtia, poteſt & in cribri nomine tentatio ſatanæ intelligi. De

E hoc cribro ipſe Dominus mentionem facit in Euangelio deriuatio, ſtimulus, moleſtia.

Luc. 22. dicens ad Petrum: *Simon Simon, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Ne gloriarentur vndecim Apoſtoli, ſuiſue viribus tribuerent, quod ſoli penè inter tot milia Iudæorum dicerentur in tentationibus permanſiſſe cum Domino: oſtendit & eos, ſi non iuuantis ſe Domini eſſent opitulatione protecti, eadem procella cum cæteris potuiſſe cõteri. Verùm cum ſatanas expetit eos tentare, & veluti qui triticum purgat ventilando concutere, docet nullius fidẽ à diabolo niſi Deo permittente tentari, ſatanæ quippe ad cribrandum bonos expetere, eſt ad afflictionem eorũ malitiæ æſtibus anhelare. Quo enim eorum tentationẽ inuidens appetit, eo illorum quaſi probationem deprecans petit. Cum verò pro Petro rogans Saluator non vt tẽtetur, ſed vt non deficiat fides eius obſecrat, hoc eſt, vt poſt lapſum negationis ad ſtatum priſtinum pœnitendo reſurgat. Inſinuat vtile ſanctis eſſe tentationũ flammis exa-

F minari, vt vel tentari quia fortes fuerint appareant, vel cognita per tentationes ſua infirmitate, fortiores fieri diſcant: & ſic cum probati fuerint, accipiant & ipſi coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius, ſic verbum ex-

Matt. 7. *cogitatum hominis cor.* Huius ſententiæ ſenſum expoſuit ipſa Veritas in Euangelio, vbi ait: *vnaquæq; arbor ex fructu* & Luc. 6. *ſuo cognoſcitur: neque enim de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur.* Cultura ergo ligni in fructu manifeſtat qualitatem ipſius ſuo cultori: quia bona arbor fructus bonos facit: mala autem arbor fructus malos parit. Qui ſit fructus quo mala bonaue dignoſci debeat arbor Apoſtolus oſtendit, dicens:

Galat. 5. *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, continentia.*

G Idem ergo theſaurus cordis, quod radix eſt arboris, & quod de corde profertur, idem eſt quod arboris fructus. Qui ergo theſaurum in corde patientiæ perfectique habet amoris, optimos nimirum fructus effundens, diligit inimicum, benefacit odienti, benedicit maledicenti, orat pro calumniante, percutienti ſe vel diſpolianti non reluctatur, omni petenti tribuit, ſua ablata non repetit, non iudicare, non condemnare deſiderat, errantem patienter amanterque corrigit, & cætera, quæ ſupra ſaluator edocuit. At qui nequam theſaurum corde ſeruat, odit amicum, maledicit diligenti, maledicit benedicenti, & cætera quæ Dominicus ſermo redarguit.

Ante ſermonem non laudes virum: hæc enim tentatio eſt hominum. Si ſermo viri enuntiat cogitatum illius: decet ergo vt nemo alterum laudet, ante quam eum dignum laude manifeſtis indicijs probet: & quia ſermo ſæpe in ſcripturis pro operibus ponitur, poteſt hic ſermo pro actione accipi, vt neminem ante probationem bonorum a-

H ctuum laudemus. Inde alibi ſcriptum eſt: *Non laudes ante*

Eccli. 11. *mortem quenquam.* quoniam *qui perſeuerauerit in bono vſq; in finem, hic ſaluus erit.* Rectè ergo improbata laudatio tentatio hominum dicitur, quia ex leuitate animi procedit, non ex dictatu iuſtitiæ.

Si ſequaris iuſtitiam, apprehendes illam: & indues quaſi poderẽ honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in ſempiternum, & in die agnitionis inuenies firmamentum. Qui ergo ſequitur iuſtitiam rectè docendo & benè conuerſando, hic apprehendet eam, quando pro illa vita remunerabitur æterna. Induet ergo quaſi poderem honoris, & inhabitabit cum ea. Poderis eſt tunica vſque ad talos pertingens. Quid eſt ergo talaris tunica, niſi actio conſummata? Quaſi enim protenſa tunica talũ corporis cooperit,

A cum bona actio ante Dei oculos vſque ad vitę nos terminum tegit. Vnde & per Moyſen cauda hoſtiæ in altare offerri præcipitur, vt videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perſeueranti fine compleamus. Quiſquis ergo vſq; ad finem vitæ perſeuerat in bona actione, proteget eum Dñs in ſempiternũ: & in die agnitionis, hoc eſt, in die iudicij quando veniens Dñs illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, tunc inueniet firmamentum: quia tunc iuſtitiæ ſuæ verum & firmum percipiet præmium.

Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur illam reuertetur. Volatilia poſſumus ſanctas animas electorum accipere, qui pennis virtutum ſemetipſos à terreſtrium & carnalium ſocietate ſubleuant, & ſanctis Angelis in cæleſti gaudio aſſociari appetunt, quibus etiam in futura vita coniunguntur, quando Veritas Chriſtus reuertetur in die iudicij, & eos qui mãdata eius benè operãdo cuſtodierũt, ad ſemetipſum recolligit. B Ecõtrario verò quid peccatorib. reſtet, ſubſequendo demonſtrat.

Leo venationi inſidiatur ſemper, ſic peccata operantibus iniquitatem. Leo quippe eſt diabolus, qui ſemper inſidiatur humano generi, vt peruerſis machinationibus illud decipiat. Qui autem inſidias eius non cauet, ſed ipſius ſuggeſtionibus iniquis conſentiendo fauet: ſine dubio in laqueum perpetuæ mortis cadet.

Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, nã ſtultus ſicut luna immutatur. Sapiẽtia ſancti viri aptè cõparatur cõtinuo ſolis ſplendori, qui perpetuo micat, nec fulgorem vnquam mutat. Nã ſtultus ſicut luna immutatur, quia inconſtans eſt & mutabilis in omnibus. Vnde in Prouerbijs ſcriptum

Prou. 15. eſt: *cor ſtultorum diſſimile erit.* Cor quippe ſapientium ſibimetipſi ſemper eſt ſimile, quia dum rectis perſuaſionib. adquieſcit, conſtanter ſe in bono opere dirigit. Cor vero ſtultorum diſſimile erit: quia dum mutabilitate ſe varium exhibet, nunquam id quod fuerat manet.

In medio inſenſatorum ſerua verbum tempori: in medio autem cogitantium aſſiduus eſto. Hæc ſententia docet nos temperantiam, & cautelam in noſtro eloquio habere, vt tempus
C opportunũ, & modum in loquendo ſeruemus, quia ſæpe fit, vt inconſiderata locutio ſcandalũ infirmis auditorib. faciat, & eos per loquacitatem perdat, quos per doctrinę temperantiam ſaluare poſſet. Sanè tutius eſt audire, quã loqui. Proinde hic iubet vt ſerues tempori verba, & aſſiduus ſis in medio cogitantium, hoc eſt, doctrinam legis Dei in corde ſuo ſedulo meditantium atq; tractantium: hinc in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Cor ſapientis quærit doctri-*
Prou. 15. *nam, & os ſtultorum paſcitur imperitia.* Et item: *doctrina* (inquit) *ſtultorũ fatuitas. Cor ſapientis erudiet os eius, & labijs eius*
Iac. 1. *addet gratiam.* Hinc & per Iacobum dicitur: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Sed quia plures modo ſunt (vt dolens dicam) prædicatores verbi quàm factores, qualis eorum doctrina ſit apud Deum ſubdendo manifeſtat.

Narratio peccantium odioſa, & riſus illorum in delitijs peccati.
Mat. 5. Hinc ipſa Veritas in Euangelio ait: *Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus*
D *vocabitur in regno cælorum.* Poteſt & hoc moraliter accipi. Soluit autem mandatum Dei is, qui non implet; quanquã non in mandato ſolutionem faciat, ſed in ſemetipſo: firmum eſt enim Dei mandatum, & non poteſt ſolui ſcriptura. Lex ergo quodãmodo ligatio eſt. Qui autem ligationes Dei excedit, ipſe mandata ſoluet in ſemetipſo, & non in ipſis. Talis quidem minimus vocabitur in regno cælorum, quia deſpectiſſimus eſt in Eccleſia ſanctorum. Nam & regnum cælorum hic præſentem Eccleſiã ſigni-
Matt. 13. ficat. Sicut & alibi, vbi ſcriptum eſt: *Simile eſt regnum cælorũ*
Luc. 17. *ſagenæ miſſæ in mare, & regnum Dei intra vos eſt. Qui autem fe-*
Matth. 5. *cerit* (inquit) *& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorũ:* in faciendo enim legis mandata, magni nomen meretur ille qui docet; quia non Doctores nec auditores, ſed factores legis iuſtificabuntur apud Deum. Quod autem ait: *Riſus illorum in delicijs peccati.* Oſtendit quod luxus ſæculi & amor voluptatum, in quibus dominantur, magnam ſuper illos congreget cumulum peccatorum.

E *Loquela multum iurans, horripilationem capitis ſtatuet, & irreuerentia ipſius obduratio aurium.* Frequens ergo adiuratio horrorem incutit capiti, hoc eſt, humanæ menti, & tædium ingerit honeſtis auribus. Vnde ipſe Dominus in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Audiſtis quia dictum eſt anti-* Matt. 5.
quis: non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt. non, non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Ita ergo intelligitur præcepiſſe Dominum ne iuretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat iuſiurandum: & aſſiduitate iurandi, in periurium per conſuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis ſed in neceſſarijs iurationem habendam, refrænat ſe quantum poteſt, vt non ea vtatur niſi neceſſitate: cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis vtile eſt credere, niſi iuratione firmentur. Sed nemo nouit niſi qui expertus eſt quàm ſit difficile & conſuetudinem iurandi extinguere, & nunquam temerè facere, quod nonnunquam facere neceſſitas co- F
git.

Effuſio ſanguinis in rixa ſuperborum, & maledictio illorum auditus grauis. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: vbi autem iurgium & lis frequenter, ibi erit & effuſio ſanguinis. Maledictio illorum auditus grauis: quoniam ſicut actio eorum eſt contraria omnibus bonis: ita & loquela eorum ad maledicendum prompta probis hominibus ad audiendum ſemper eſt grauis.

CAPVT VII.

Q*Vi denudat arcana amici perdit fidem: & non inueniet amicum ad animum ſuum. Dilige proximum, & coniunge fidem cum illo. Quod ſi denudaueris abſconſa illius, non perſequeris poſt eum. Sicut enim homo qui perdit amicum: ſic qui perdit amicitiam proximi ſui. Et ſicut qui dimittit auem de manu ſua: ſic qui reliquiſti proximum tuum, & non eum capies: non illum ſequaris, quoniam longe abeſt. Effugit enim quaſi caprea de laqueo, quoniam vulnerata eſt anima eius. Vltra eum non poteris* G
colligare, & maledicti eſt concordatio. Denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis. Hoc ergo capitulo oſtendit ſapientia, in quo maximè læditur amicitia: in malo vtique proditionis & nequitiæ, quia per ipſam perdit fidem, & non conſeruat amicitiæ æquitatem: & idcirco omnem diſſipat charitatem, & effugere à ſe facit amici dilectionem. Cui pulchram adhibet comparationem: quoniam ſicut auis de aucupio & caprea effugiet de laqueo ſpontaneam vltrà non habet reuerſionem: ſic amicitia læſa per infidelitatem, nullam deinceps cum infideli habebit recuperationem. Sicut & in anterioribus, vbi de amicitiæ iure conſeruando diſputatum eſt, liquido claruit: maximum enim malum eſt proditio & difficilis eius emendatio. Quod etiam in Iudæ proditoris exemplo demonſtratum eſt, de quo per Prophetam in Pſalmo dicitur: *Homo pacis meæ in quo ſperabam, qui ede-* Pſal. 40.
bat panes meos, ampliauit aduerſum me ſupplantationem. Qui conſcientia peccati ſui deterritus deſperando ma- H
gis occurrit ad laqueum, quam ad pœnitentiæ ſalubre remedium. Vnde ſcriptum eſt de eo: *Dilexit maledictio-* Pſal. 108
nem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & prolongabitur ab eo.

Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abijciet: in conſpectu oculorum tuorum conculcabit os ſuum, & ſuper ſermones tuos admirabitur. Nouiſſime autem peruertet os ſuum, & in verbis tuis dabit ſcandalum. Multa odiui, non coæquaui ei, & Dominus odiet illũ. Quia ſuperius de proditore diſſeruerat, quod difficilis eius eſſet cõuerſio. Nunc oſtẽdit inconſtantiã morũ eius, qui vniuerſa fictè & doloſè agit, & inde maximè perſeuerat in malo, quod nemo eum abijciat, hoc eſt, nemo reprehendat, nemo caſtiget. Quod vbicunq; ſit, augmentũ facit ſceleris, non lucrũ correctionis. Et quia nulli melius competit proditoris ſignificatio quàm hæretico ſeu ſchiſmatico, qui fidem perdit, & proditionis ſcele-

A veritatem vendit, aptè hic locus ad eorum nequitiam
demonſtrandam pertinet, quorum etiam intemperan-
tiam & inhoneſtatem oſtendit Salomon in Prouerbijs,
dicens: *Homo apoſtata vir inutilis graditur ore peruerſo: annuit*
Prou. 6. *oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur ma-*
lum, & in omni tēpore iurgia ſeminat. Dixerat .n. ſuperius de
hæreſibus, & alijs vitiorum generibus inſtituerat præce-
ptorem, excitauerat pigrum. At nunc redarguit & ſchiſ-
maticum. Vbi notandum, quia quem ſeminantem iur-
gia dicere voluit, prius apoſtatam nominauit, quia niſi
more ſuperbientis Angeli à conſpectu conditoris prius
intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum vſque
ad ſeminanda iurgia non veniret. Qui rectè dicitur, quod
annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Interior namque
eſt cuſtodia, quæ ordinata ſeruat exterius membra. Qui
B ergo ſtatum mentis perdidit, foras in inconſtantiam mo-
tionis fluit, atque exteriori mobilitate demonſtrat quod
nulla radice interius ſubſiſtat. Et quia iam dictum eſt
quod huiuſmodi peſte homini corrupto aliud malum
coadæquari non poſſit, eo quod Dominus odiret illum,
Prou. 6. memoratus vir ſapiens oſtendit, dicens: *Sex ſunt quæ odit*
Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: oculos ſublimes, lin-
guam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor
machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in
malum, proferentem mendacia, & eum qui ſeminat inter fratres
diſcordias. Hoc quod ſeptimum ait deteſtari animam Dei,
eundem quem ſupra plenius quàm ſit Deo odibilis diſ-
cordiam ſeminando inſinuat. Quòd autem animam Do-
mini dicit, humano more facit: vt eum plena intentione
& non leuiter tales odiſſe ſignificet. Tale eſt in Eſaia: *Ca-*
Eſa. 1. *lendas veſtras & ſolennitates veſtras odiuit anima mea. Oculos*
(inquit) *ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes inno-*
xium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes velo-
ces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem falla-
cem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. Enumerat ſex
C capitalia crimina, quæ tamen comparatione diſcordias
ſeminantis quaſi minora deponit, quia nimirum maius
eſt facinus illud, quo vnitas & fraternitas q̃ per ſpiritus
S. gratiam eſt connexa diſſipatur. Poteſt enim quilibet
oculos iactanter extollere, lingua mētiri, homicidio pol-
lui, mala proximo machinari, alijs ſceleribus membra
ſubdere, falſum contra quempiam teſtimonium profer-
re: quod non idem eſſe putandum eſt, quod ſupra linguā
mendacem nominat. Poteſt enim mendacium ſed non
cōtra proximum dici. Nam & B. Auguſtinus octo eſſe ge-
nera mendacij in libro quem de mendacio cōpoſuit do-
cet. Poteſt, inquam, perditus quiſq; huiuſmodi mala vel
ſibimetipſi, vel alijs inferre pace ſeruata Eccleſiæ. At Do-
natus & Arrius eorumque ſequaces grauius eſt quod fe-
D cerunt, qui concordiā fraternæ vnitatis diſcordias ſemi-
nando ſciderunt. Quæ aũt hos malitioſos & doli fabri-
catores retributio ſequatur, ſcriptura inſinuat, dicens.

Qui in altum mittit lapidem ſuper caput eius cadet, & plaga
doloſa doloſi diuidet vulnera. Et qui fodit foueam, in illam decidet:
& qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo. Et qui laqueum alij
parat, peribit in illo. In altum lapidem mittit, qui blaſphe-
mando diuinæ Maieſtati calumniam facit, & contra ſuũ
authorem blaſphema verba loquitur, illumque quē lau-
dare dignè nemo ſufficit, ad iram iniurioſa loquacitate
prouocauerit: ſed ſuper eum duritia eius vindictę veniet,
& mentem eius perpetuo dolore excruciabit: ſimiliter
plaga malitioſa doloſi auget vulnera peccatorũ, nō ſanat
animas peccantium; ſic & qui parat alteri perditionis fo-
ueam, ipſe decidet in illam: & qui offenſionem alicuius
ſcandali conſtruit proximo, ipſe reus erit æterno tormē-
to: necnon & ille qui inſidiarum laqueos ponit alij, ipſe
propriæ nequitiæ captus dolo in æternum peribit in illo.

Facienti nequiſſimũ conſilium, ſuper ipſum deuoluetur: & non
agnoſcet vnde veniat illi illuſio & improperium ſuperborũ. Et vin-
dicta ſicut leo inſidiabitur illi. Quicunque ergo peruerſo cor-
de contra proximũ ſuum prauum machinatur cōſilium,
in æternæ pœnæ ſe deuoluet interitum. Sed quomodo
dicitur quod non agnoſcat vnde illi illuſio & imprope-
rium ſuperborum adueniat? niſi quia non conſiderat vn-
de reatum contrahat, pro quo pœnas ſoluat. Æſtimat e-
E nim hæreticus & omnis ſchiſmaticus, quod ſua falſa ele-
ctio melior ſit, quàm Catholicæ fidei vera prædicatio.
Ex quo illudit ſemetipſum, dum non obſeruat Catholici
dogmatis veſtigium: amat enim mandatorum Dei tranſ-
greſſionem, & non timet æternam perditionem: ſequi-
tur errorem, & non præcauet futuræ vindictæ vltionem.
Proprij enim erroris illuſio, & diaboli (qui leo propter
ferocitatem rectè nominatur) ſeductio, vindictam per-
petuam faciet impios ſubire in inferno.

Laqueo peribunt qui oblectantur caſum iuſtorum. Dolor autem
conſumet illos antequam moriantur. Laqueus enim æternæ
perditionis captiuat perſecutores Chriſtianorum, & oēs
qui oblectantur caſus iuſtorum, vel moliũtur deceptio-
nem proximorum ſuorum. Dolor autem inuidiæ atque
malitiæ ſuæ intus illos ante finem vitæ ſuæ excruciat: qui-
bus tamen poſt mortem ſine defectione mors ſuccedet
perpetua.

Ira & furor vtraq; execrabilia ſunt, & vir peccator continens
erit illorum. Nunc incipit diſputare de illis, qui furore ni-
mio exardeſcunt, & longam iracundiam in pectore ſuo
dominari permittunt. Dicit enim execrabilia eſſe vtique F
in conſpectu Dei iram & furorem, & virum peccatorem
horum eſſe tenacem. Ira enim viri non operatur iuſti-
tiam Dei. Sed quia ſcriptũ eſt ita: *Melior eſt ira riſu.* Et Pro- Eccl. 7.
pheta dicit: *Iraſcimini & nolite peccare.* Quæritur quæ ſit Pſalm. 4.
hæc ira, quam ſapientia tantum execratur: contra vitia e-
nim iraſci permittimur, vt zelo Dei in nobiſmetipſis &
proximis noſtris illa perſequamur. Homines autem o-
mnes vt conſortes noſtræ naturæ ſunt diligendi, ſed in o-
mnibus modus & diſcretio optima eſt, & nihil ſine timo-
re & charitate Dei agendum. Venialis eſt enim ira, quę ad
effectum indignationis ſuę non peruenit. Sicut ſcriptum Prou. 16.
eſt: *Melior eſt qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem.* Et id-
eo præceptum curationis adhibetur, vt ſi iam iraſcimur,
non inconſulta temeritate peccemus. Motum ſiquidem
animi feruidum propter humanam fragilitatem in pote-
ſtate habere non poſſumus, ſuffragante tamen Dei gra-
tia ratione diſciplinabili continemus. Et ideo Beatus
Propheta, quod eſt quidem conſuetudinis permiſit: G
quod verò culpæ, prohibuit. Nam ſi iraſcamur, nec Do-
mini conſideratione refręnemur, ſed à voto noſtro im-
pediamur aliquo neceſſitatis obiecto, tunc vtique con-
ſtat nos facti crimen portare, etiam ſi non poſſumus quæ
volebamus efficere: ſiue vt quibuſdam placet, præteritis
peccatis iraſci debemus, vt præſentem nequitiam poſſi-
mus effugere. Delicta enim recentia declinare non poſ-
ſumus, niſi vetuſta laudabili execratione damnemus.
Quid eſt enim aliud pænitere, niſi iraſci ſibi, vt horreat
quod fecit, & cruciatus à ſe exigat, ne iudex iratus potius
affligat?

CAPVT VIII.

QVi vindicari vult à Deo inueniet vindictam, & peccata il- H
lius ſeruans ſeruabit. In hoc ergo capitulo Euangelicæ
per omnia concordat doctrinæ; vbi non vicem talionis ſe-
cundum legem, ſed tolerantiam patientiæ ſecundũ gra-
tiam docet. Vnde Paulus ad Romanos ſcribens ait. *Nolite*
eſſe prudentes apud voſmetipſos, nulli malum pro malo reddentes, Rom. 12.
prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omni-
bus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus homi-
nibus pacem habentes. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed
date locum iræ. Scriptum eſt enim, mihi vindicta, ego retribuam Rom. 12.
dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, po-
tum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput e-
ius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

Relinque proximo tuo nocenti te, tunc deprecanti tibi peccata
ſoluentur. Tale eſt illud Euangelicum: *ſi dimiſeritis homini-* Mat. 6.
bus peccata eorum, dimittet vobis & pater veſter cæleſtis delicta ve- Mar. 11.
ſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet
peccata veſtra.

Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam? in ho-
minem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis
deprecatur? Ipſe dum caro ſit reſeruat iram, & propitiationem

petit

Digitized by Google

A *petis à Deo?* Indignum eſt enim vt qui Deum vult habere propitium, ipſe ſe contra proximos oſtendat crudelem & inimicum: Præſertim cum nemo poſſit ſuorum delictorum à Deo conſequi veniam, qui in ſe delinquenti non vult dare indulgentiam. Vnde ſubiungitur.

Quis exorauit pro delictis illius? Ac ſi diceret nemo, quia fruſtra quis pro illo Deum orat, qui non vult cum fratre charitatem habere quam Deus mandat.

Memento nouiſſimorum & deſine inimicari: Tabitudo enim & mors imminet in mandatis eius. Qui nouiſſimam horam ante oculos cordis habet, neceſſe eſt vt ſe à vitijs temperet, ſcriptura atteſtante, quę ait: Eccl. 7. Matt. 25. *In omnib. operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Tabitudo.n. & mors imminet in mādatis, q̃a in mādatis Dei vbi ſalus extat Deū timentib. & præcepta eius cuſtodiētibus, ibi etiā vindicta præparata inobedientibus, & Deum contemnentibus. Vnde ipſa Veritas in Euangelio ad Iudæos ait: Ioan. 5. Ioan. 12. *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud patrem. Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.* Et item: *Qui ſpernit me & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.*

B *Memorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo. Memorare teſtamentum altiſſimi, & deſpice ignorantiam proximi.* Qui Deum timet, iram & furorem in ſemetipſo coercet, & non obliuiſcitur teſtamenti altiſſimi: qui pactum inter ſe & homines conſtituit, vt qui vellet remiſſionem peccatorum ab eo accipere, ipſe non detractaret proximorum commiſſa benigno animo indulgere. Dicit enim ipſa Veritas: Luc. 6. Mat. 6. *Dimitte & dimittetur vobis: date & dabitur vobis.* Et in oratione Dominica eiuſdem pacti conuentionem habemus vbi dicimus ad Deum: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Abſtine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus, incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Quantum malum ſit litis, & quantum inhoneſtum ſit homini Chriſtiano contentionibus ac rixæ deſeruire, Paulus oſtendit, dicens: 1. Cor. 3. Gal. 5. *Non ſit inter vos zelus & contentio.* Et item: *Videte* (inquit) *ne inuicem mordentes ab inuicem conſumamini.* Et ſi conſideramus pacis quantum ſit bonum, facile intelligemus quantum diſcordiæ ſit malum, quod ſi *beati ſunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*: procul dubio contentioſi maligni ſunt, & filij Diaboli, qui inter pacem habentes ſeminant diſcordiam, & generant inimicitiam: quorum præcipua pars ſunt hæretici atque ſchiſmatici: qui dum ſectas inutiles C defendere geſtiunt, contentiones & ſcandala facere non metuunt. Proinde Paulus Apoſtolus Timotheo præcepit, dicens: 2. Tim. 2. 2. Tim. 2. *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionem audientium.* Et iterum: *Stultas* (ait) *& ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.*

Secundum enim ligna ſyluæ ſic ignis exardeſcit, & ſecundum virtutem hominis ſic iracundia illius erit, & ſecundum ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam. Pulchra comparatio qua furibundi potentiam aſſimilat ad lignorum ſyluam: quia ſicut nutrimentum ignis ſunt ligna, ita augmentum ſcelerum iracundi ſit potentia. Quantò enim maiorem valetudinem habet in poteſtate, tantò fortior eſt in furoris nimietate: & quantò plures ſub ſua dominatione habet, tantò pluribus ſua immanitate nocet.

Certamen feſtinatum incendet ignem, & lis feſtinans effundet ſanguinem, & lingua teſtificans adducet mortem. D Quid in certamine feſtinato, niſi indiſcreta actio deſignatur? quicquid enim indiſcretè agitur, facilè in vitium vertitur. Vnde præceptum eſt: nequid nimis fiat. Hinc & Eccleſiaſtes docet, dicens: Eccl. 7. Eccl. 5. *Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* De quo rurſum ait: *ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo.* Prou. 20. Prou. 19. Hinc iterum ſcriptum eſt: *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit.* Et alibi legitur: *qui feſtinus eſt pedibus, offendit.* Diſciplina ergo immoderata excitat ardorem furoris, & procax loquela parit effuſionem ſanguinis, atque deducit in laqueum mortis. Sed quia in noſtra poteſtate eſt vtrum iram perficiamus an non, ſequitur. E

Si ſufflaueris in ſcintillam quaſi ignis exardebit, & ſi expueris ſuper illam, extinguetur: & vtraq; ex ore proficiſcuntur. Ex inconſiderata ergo locutione ira excitatur, & ſi prudenter temperateque verbum profertur, excitata iracundia ſubitò extinguetur. Vnde in Prouerbijs legitur: *ſermo durus ſuſcitat rixas, & ſermo lenis mitigat ſuſcitatas.* Prou. 15. Et bene dicitur quòd vtraque ex ore proficiſcantur, quia mors & vita in manibus linguæ: ſicut ipſa Veritas teſtatur, dicens: *Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Matt. 12.

CAPVT IX.

Susurro enim & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Quem melius ſuſurronem & bilinguem poſſumus appellare quam hæreticum, qui occultè machinatur dolos, vt decipiat innocentes? Hic ergo bilinguis eſt, qui aliquando in dogmate ſuo profert vera, aliquando vero falſa: & ſic miſcet & confundit omnia, vt F omnibus fidem ſanam & rectam habentibus ſint iniurilia: hic enim *turbabit multos pacem habentes*: quia eos, qui in vnitate fidei & pace Eccleſiæ conſiſtunt, à regula veritatis diſcordare faciunt.

Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit. Lingua tertia mulieres fortes eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis. Linguam tertiam ipſam doctrinam appellat hæreticorum, quæ nec veteri teſtamento nec nouo concordat. Hæc ſemper auditorum ſuorum corda ſuperſtitione conturbat, & de gente in gentem pergens ſeditiones excitat. *Ciuitates muratas diuitum deſtruit, & domos magnatorum effodit*: cum eos qui magni ab alijs æſtimantur, vel ſe magnos per elationem mentis eſſe confidunt, à ſtatu rectitudinis G deijciunt, & habitaculum crudelitatis ſuæ machinationibus doloſis effodiunt, atque ſubuertunt: Robur populorum & ſtudium diſcentium malitia ſua concidunt, & fortes gentes in operatione vtili diſſoluunt: quia dum ſanam fidem eos habere non permittunt, totum laborem illorum diſpergunt. *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* Heb. 11. Hoc etiam ſignificat illud quod dicit, linguam tertiam mulieres fortes eijcere, & priuare illas de laboribus ſuis; quia animas hominum pijs operibus inſiſtentes conſilijs nefandis defraudant, & laborem eorum diſſipant.

Qui reſpicit illam nō habet requiem, nec habitabit cum requie. Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa. Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic quaſi interierunt per linguam ſuam. Nunquam ergo habet requiem qui attendit ad hæreticorum vanitatem; ſed flagellum linguæ eorum plagæ eius infligit liuorem, & roboris comminuet fortitudinem. Nullus enim caſus eſt crudelior ruinæ eorum, quia non corpus ſed animam perſequuntur: & quoſcunque ſeducere poſſunt, ignibus perpetuis tradunt. H

Beatus qui tectus eſt à lingua nequam, quia in iracundiam illius non tranſiuit: & qui non attraxit iugum eius, & in vinculis illius non eſt ligatus. Iugum enim illius iugum ferreum eſt, & vinculum ipſius vinculum æreū eſt. Mors illius mors nequiſſima eſt, & vtilis potius infernus quàm illa. Beatitudinem illi aſcribit, qui non conſentit nequitiæ hæreticorū, & cuius cor eloquētia eorum ſubuertere nō poterit: quia ſicut alienus eſt ab eorum malitia, ita exſors erit in vltionis pœna. Non enim ſub iugo & vinculis eius ſe implicari conſenſit, quoniam iugum eius duriſſimum eſt, & ligamentum illius diuturnum: quæ ſibi conſentientem in mortem deducunt perpetuam. Vnde dicit vtilem potius infernum eſſe quā illā: quia melius eſt corporalem temporaliter perdere vitam, quā cum illa ſocietatem in gehenna habere perpetuam. Sanè quoniam non omnibus nocere præualebit, ſed ſolis perditionis filijs: conſequenter oſtendit.

Perſeuerantia illius non permanebit, ſed obtinebit vias iniuſtorum, & in flamma ſua non comburet iuſtos: qui derelinquunt Dominum incident in illam, & exardebit in illis & non extinguetur, & immittetur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet illos.

A Licet enim tentare præſumat electorum corda, non po-
terit ſubuertere illa, neque in malitiæ ſuæ comburere
flamma: ſed iniuſtorum actiones obtinebit, & mentes
delinquentium in Deum captiuabit. *Exardebit* autem *in
illis & non extinguetur*, quoniam qui hic ardent in malitia,
in inferni perpetua cruciabuntur flamma. Vbi leo fero-
ciſſimus, hoc eſt, diabolus (qui & pardus propter diuerſa
ſcelera, & pœnarum varia tormenta dici poteſt) ſine fine
puniet illos.

*Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam: & ori
tuo facito oſtia & ſeras.* Poſtquam de malo linguæ ſuſurro-
nis diſſeruit, ad doctrinam deuoti auditoris ſe conuertit:
admonens illum, vt aures ſuas ſpinis ſepiat, hoc eſt, acu-
leis timoris Dei auditum ſuum coerceat, ne loquelam
ſuam prauam & peruerſam linguam audiat. Ponat cuſto-
B diam ori ſuo, & oſtium circunſtantiæ labijs ſuis, vt non
declinet os ſuum in malum verbum, ad excuſandas excu-
ſationes in peccatis. Cohibeat linguam ſuam à malo, &
Prou. 13. labia eius ne loquantur dolum. Scriptum eſt enim: *Verbū
mendax iuſtus deteſtabitur.* Vbi autem plurima verba ſunt,
ibi frequenter egeſtas: & quia vtrumque neceſſe eſt vt
homo Catholicus & ſenſum purum habeat & rectam lo-
cutionem, protinus ſubiungit.

*Aurum tuum & argentum conſla, & verbis tuis facito ſtaterā,
& frenos ori tuo rectos: & attende ne forte labaris in lingua tua,
& cadas in conſpectu inimicorum tuorum inſidiantium tibi, & ſit
caſus tuus inſanabilis in mortem.* Aurum ergo ſuum atque ar-
gentum conflat, qui ſenſum tractatumque cordis ſui &
locutionem oris igne ſpiritus ſancti examinando purgat,
vt veritati Catholicæ fidei, & regulæ ſacrarum ſcriptura-
rum per omnia concors fiat: qui autem ſermonum ſuo-
rum cautelam habere non curat, conſequens eſt vt in cō-
ſpectu inimicorum ſuorum, hoc eſt, malignorum ſpiri-
C tuum ſibi inſidiantium corruat; etiam eius caſus in mor-
te perpetua inſanabilis eſt.

CAPVT X.

QVi *facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo: & qui præ-
ualet manu, mandata ſeruat.* Hortatur ſapientia audi-
tores ſuos ad benignitatem miſericordiæ, & ad largita-
tem beneficentiæ: oſtendens eis quòd qui promptus ſit
ad miſericordiam, & largus ad præbendam eleemoſynā,
mandatum Dei ſeruet, atque pro hoc mercedem bonam
Mat. 5. ſibi in futuro præparet: ait enim ipſe Dominus: *qui petit à
Luc. 6. te, da ei: & volenti tecum mutare, ne auerſeris.* & item: *date* (in-
quit) *& dabitur vobis.* Sed quoniam coram Deo iuſtum eſt,
vt æquitas in omnibus ſeruetur, hoc eſt, vt indigenti pro-
ximo fœnus præſtetur: & iterum fœneratori ille, qui mu-
D tuum accepit, ius ſuum reddat, cum tamen multi ſint qui
fraudem in fœnerando faciunt, ne aliqua fraus fiat in vl-
lo commercio, protinus ſubiungit, dicens.

*Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius, & iterum
redde proximo in tempore ſuo. Confirma verbum, & fideliter age
cum illo: & in omni tempore inuenies quod tibi neceſſarium eſt.* Si
enim fides & iuſtitia ab vtroque, hoc eſt, à fœnerante, &
mutuum accipiente ſeruatur, & nulla fraus in eorum ne-
gotio dominari permittitur, in omni tempore inuenient
quod ſibi neceſſarium eſt: quia gratiam Dei habebunt,
quæ omnium rerum emolumentum maximum eſt: ait e-
Mat. 6. nim ipſe Dominus: *Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam
eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Sed quoniam multi ſunt
qui hác per doli nequitiam perdunt, machinationes eo-
rum & mores in ſequentibus deſcribit.

*Multi quaſi inuentionem æſtimauerunt fœnus, & præſtiterunt
moleſtiam his qui ſe adiuuerunt. Donec accipiant oſculantur ma-
nus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam: & in
tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædij, &
murmurationum, & tempus cauſabitur. Si autem potuerit redde-
re, aduerſatur ſolidè, vix reddet dimidium, & computabit illud
quaſi inuentionem. Sin autem, fraudabit illum pecunia ſua, &
poſſidebit illum inimicum gratis, & conuitia & maledicta reddet
illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.* Huiuſ-
modi ergo morbum nequitiæ non alia res melius curat,
quàm timor Maieſtatis diuinæ. Qui ergo Deum ſemper
in corde habet præſentem, nimirum pertimeſcit contra E
vllum hominem in aliqua re perpetrare fraudem.

*Multi non cauſa nequitiæ fœnerauerunt, ſed fraudari gratis ti-
muerunt.* Hac igitur ſententia illorum qualitatem expri-
mit, qui dolo nequitiæ neminem lædere appetunt: ſed in
hoc vituperabiles ſunt, quod alijs propter timorem peri-
turarum rerum prodeſſe nolunt. Vnde contra hoc ma-
lum miſericordiæ & charitatis medela opponenda eſt, &
recordatio illius Dominicæ ſententiæ, qua ait: *Nolite the-* Matt. 6.
*ſaurizare vobis theſauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur,
& vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis the-
ſauros in cælo, vbi neq; ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures
non effodiunt nec furantur.* Hinc alibi legitur de eiuſdem
charitatis opulentia: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ei
autem qui non habet, hoc quod videtur habere auferetur ab eo:*
cui etiam ſequens teſtimonium concordat.

*Veruntamen ſuper humilem animo fortior eſto, & pro eleemo-
ſyna non trahas illum.* Eſt ergo miſericordia omni indigenti
deuoto animo impendenda, nec propter pecuniarum a-
morem charitas proximi amittenda. *Qui enim viderit fra-
trem ſuum neceſſitatē habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quo-
modo charitas Dei manet in eo?* Quod autem pro eleemoſy- F
na & fœnore dato non eſt pauper affligendus, oſtendit
ſcriptura, dicens: *Cum repetis à proximo rem aliquam quam* Deu. 24.
*debet tibi, non ingredieris in domū eius vt pignus auferas, ſed ſtabis
foris, & ille tibi proferet quod habuerit. Si autem pauper eſt, non
pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum:
vt dormiens in veſtimento ſuo benedicat tibi, & habeas iuſtitiam
coram Domino Deo tuo.* Verum hoc idem ſequens ſermo
abundanter declarat, quod tamen alio inchoandum eſt
exordio.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

PROPTER *mandatum aſſume pauperem, & propter ino-
piam eius ne dimittas illum vacuum.* Hortatur nos ſapien- G
tia ad eleemoſynarum largitatem, vt poſſimus gratiam
Dei promereri, qui iuſſit inopiam terreno ſolatio ſuſten-
tari. Scriptum eſt enim: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem* Prou. 21.
pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur. Diuitem purpu-
ratum & delicijs affluentem legimus in Euangelio pro- Luc. 16.
pter tenaciem ſuam in inferno ſepultum: & econtrario
mendicum Lazarum poſt mortem in ſinum Abrahæ re-
ceptum. Ideo neceſſe eſt, vt iuxta præceptum Saluatoris
faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum Luc. 16.
defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.

*Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abſcondas
illam ſub lapide in perditionem.* Perdit pecuniam temporali-
ter, qui diſtribuit eam pauperibus miſericorditer: ſed re-
cipiet centupliciter, quando poſt peractum iudicium à
Rege omnium ſæculorum ad Regnum æternum perci-
piendum inuitatur feliciter. Is autem qui abſcondit pe-
cuniam ſub lapide, hoc eſt, ſub immiti & duro corde, re-
ſeruat ſibi eam in perditionem: quoniam poſt finem præ-
ſentis vitæ parcitatis ſuæ iuſto iudice tribuente condi- Matt. 25.
gnam recipiet mercedem: quando *impij ibunt in ſupplicium* H
æternum, iuſti autem in vitam æternam.

*Pone theſaurum tuum in præceptis altiſſimi, & proderit tibi
magis quàm aurum.* Præceptum eſt enim altiſſimi vt elee-
moſynam demus indigenti: quod magis nobis proderit
quàm aurum, quia æternæ vitæ conferet præmium. Vnde
ipſa Veritas in Euangelio diſcipulis ſuis præcepit, dicens:
Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea Mat. 6.
*demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate au-
tem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demoli-
tur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus
tuus, ibi eſt & cor tuum.*

Digitized by Google

A

CAPVT II.

C*Onclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exo-
rabit ab omni malo.* Eleemoſyna (vt ſæpius diximus)
non ſolummodo eſt in victu & in veſtitu, quibus conſu-
litur egenti: ſed in omni re qua per miſericordiam faue-
tur neceſſitatem patienti, corporaliter ſcil. ſiue ſpirituali-
ter. Qui ergo inſtruit ignorantem, aut ad hoc quod nouit
bonum vt faciat incitat pigrum, eleemoſynam recte fa-
cit. Vnde & ſignanter ait: *Conclude eleemoſynam in corde pau-
peris*, vt oſtenderet internam opem eſſe eleemoſynam, qa
ſicut in corpore, ita & in anima miſericordia ritè exerceri
poteſt. Sed & hæc largitorem ſuũ exorabit ab omni ma-
lo, hoc eſt, emundat ab omni delicto. Sicut enim aqua
extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.

B *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis
quaſi pupillam ſeruabit, & poſtea reſurget vt retribuat illis retri-
butionem vnicuique in caput illorum.* Quod autem eleemo-
ſyna, quę hic egeno miſericorditer tribuitur, in futura vi-
ta à remuneratore omnium copioſe reſtituatur, & Pro-
phetica & Apoſtolica locutio teſtis eſt. Nam dicit de hoc
Pſal. 111. Pſalmiſta: *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæcu-
2. *Cor.* 9. lum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Hinc & Paulus ait:
*Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æ-
2. *Cor.* 9. ternam.* Et iterum: *Qui autem* (inquit) *miniſtrat ſemen ſemi-
nanti, & panem ad manducandum præſtabit. Et multiplicabit ſe-
men veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ: vt in
omnibus locupletati abundetis.* Hinc & ipſa Veritas in Euan-
gelio promittit ſe daturum in die iudicij regnum patris
ſui his qui à dextris eius erunt, pro beneficio quo ſuſten-
tabant minimos fratres ſuos in hoc mundo: vt æternæ
beatitudinis fiant perpetui poſſeſſores. Hæc etiam quod
& contra omnes inimicos tutelam tribuat, manifeſtat ſe-
quens ſententia.

*Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam, aduerſus inimicum
tuum pugnabit.* Oratio enim eleemoſynæ magis valet con-
tra ignita tela nequiſſimi, & contra omnem virtutem ini-
mici, quam arma terrena cõtra corporales hoſtes in præ-
C ſenti vita; quia hæc ſemper ſub dubia ſorte iacent: illius
autem certiſſimam victoriam ſuis militibus parient, ita
vt ipſa mors abſorbeatur in victoria, & id quod mortale
eſt conſumetur à vita.

*Vir bonus fidem facit pro proximo ſuo, & qui perdiderit confu-
ſionem, derelinquet ſibi gratiam.* Hoc quod ſuperius diximus
de ſpirituali eleemoſyna præſens probat ſententia: quia
Doctor quilibet propter Dei amorem & compaſſionem
communis naturæ proximorum ſuorum ſuſcipit curam.
Nec erubeſcit infirmorum deſeruire moribus, & eorum
ægritudinem curare ſermonibus, habens ex Dei dono
vnde prodeſſe poſſit in eruditione proximo: iuxta illud
Eſa. 50. Prophetæ: *Dominus* (inquit) *dedit mihi linguam eruditam, vt
ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo.* Proculdubio condi-
gnam ſui laboris recipiet mercedem, nec doctrinæ ſuæ
vnquam perdet gratiam, ſed æternam pro ea à Domino
D inueniet miſericordiam.

Fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.
Fideiuſſor eſt Doctor Catholicus, qui ſemetipſum dedit
pro proximorum ſalute, quando eorum curam ſuſcepit
ſub ſuo regimine: quem diſcipulorum ſolertia non debet
obliuiſci, quia hoc iubet ſanctio Apoſtolici præcepti: *vt*
Gal. 6. eſt illud: *communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe
catechizat in omnibus bonis.* Vnde ipſa Veritas in Euangelio
Luc. 10. ad diſcipulos ſuos ait: *Qui vos recipit, me recipit: & qui vos
Mat. 10. ſpernit, me ſpernit.* Et item: *In quamcunq; domum intraueritis,
& Lu. 10 primum dicite, pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſ-
cet ſuper eam pax veſtra: ſin autem, ad vos reuertetur. In eadem
autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: Di-
1. *Theſ.* 5 gnus enim eſt operarius mercede ſua.* Hinc & Paulus ait: *Roga-
mus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos &
præſunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abun-
dantius in charitate, propter opus illorum pacem habete cum eis.* Et
Heb. 13. item: *beneficentiæ autem* (inquit) *& communicationis nolite ob-
liuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus, obedite præpoſitis ve-
ſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro ani-
mabus veſtris Domino reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & nõ* E
gementes: hoc enim non expedit vobis. Et quia aliquando in-
gratus eſt auditor, & ſpernit Doctorem ſuum, ideo ſub-
iungitur.

Repromiſſorem fugit peccator & immundus. Fugit enim fa-
cinoroſus repromiſſorem, hoc eſt, Doctorem ſuum, qui
ſibi promittit à Domino pro bonis operibus vitam æter-
nam, non mutando locum, ſed ſpernendo ac deſerendo
præceptum, & ideo cæleſte non conſequetur præmium:
quod ſolis bene facientibus, & Dei mandata ſeruantibus
repromittitur futurum. Sed quia multi ſunt qui ſuo ſe
merito, non dono ſe ſperant ſaluandos eſſe diuino, pro-
pterea redarguit eos ſequens ſententia, dicens.

*Bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator, & ingratus ſenſu de-
relinquit liberãtem ſe.* Hoc teſtimonio percutitur Pelagius,
qui liberum arbitrium præponit gratiæ, cum per ſolam
Chriſti gratiam ab omni ſcandalo liberentur electi. Vn-
de Apoſtolus ait: *Gratia enim ſaluati ſumus.* & item: *Quis me* *Ephe.* 2.
(inquit) *liberabit de corpore mortis huius?* gratia Dei per Chri- *Rom.* 7.
ſtum Dominum noſtrum. Et rurſum: *Gratia Dei ſum id* *Ibid.*
quod ſum. &, *Gratia eius in me vacua non fuit.* Et quia hæretici *1. Cor.* 15.
huiuſmodi doctrinam ſpernentes ſectas conſtruendo *1. Cor.* 15.
nefandas, peruerſis dogmatibus quoſcunque poſſunt ſe-
ducunt, quoſdam verò per impudicitiam ſenſus ſui à ſe
abſcedere faciunt. Vnde ſubiungitur.

Vir repromittit de proximo ſuo, & cum perdiderit reueren- F
tiam, relinquetur ab eo. Perdit reuerentiam qui ſcripturarũ
ſacrarum non obſeruat regulam. Propterea à cautis qui-
buſque iſte relinquitur, quia doctrina veritatis in eo non
inuenitur.

*Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes: & com-
mouit illos quaſi fluctus maris.* Hæreticorum ergo praua tra-
ditio multos, qui ſe in calle iuſtitiæ ambulare arbitraban-
tur, ob puſillanimitatem cordis eorum à recta fide in er-
roris deuia abducit, & quaſi tempeſtate eos auulſos ad
ruinam compellit, quia non ſuper petram, ſed ſuper are-
nam collocatos inuenit. Qui enim (iuxta Saluatoris ſen-
tentiam) domum fidei ſuæ ædificat ſuper petram, turbi- *Mat.* 7.
nem tempeſtatum non metuit, ſed illæſus ab omni ſcan-
dalo permanebit. Qui autem ſuper arenam domus ſuæ
fundamenta collocat, vi ventorum ac imbrium immieta-
te, fluctuumque valetudine conquaſſatus maximæ ruinę G
patebit.

*Viros potentes girans migrare fecit, & vagati ſunt in gentibus
alienis.* Viros potentes, viros ſuperbos & arrogantes vult
intelligi: quos girans migrare fecit, hoc eſt, errore vario à
ſtatu rectæ fidei euellit, & errantium turbæ commiſceri
qui merito dicuntur gentis alienæ, quia extorres ſunt ab
vnitate Eccleſiæ Catholicæ. De quibus per Pſalmiſtam
dicitur: *Alienati ſunt peccatores ab vtero, errauerunt à ventre,* *Pſal.* 57.
locuti ſunt falſa.

*Peccator tranſgrediens mandata Domini, incidet in promiſſio-
nem nequam: & qui conatur multa agere, incidet in iudicium.*
Peccator tranſgrediens mandata Domini, incidet in pro-
miſſionem nequam. Illam videlicet de qua in Deutero- *Deut.* 27.
nomio ſcriptum eſt: *maledictus omnis qui non permanet in ſer-
monibus legis Domini, nec opere eos perficit.* Qui iuxta Salomo- *Prou.* 19.
nis ſententiam, *qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuã:
qui autem negligit vias ſuas, mortificabitur*, & quia inſtabilis
eſt ſemper conuerſatio & operatio peruerſorum, ideo
ſubiungitur: *Qui conatur multa agere incidet in iudicium.* H
Multa conatur agere, qui vnitatem rectæ fidei & ſinceri-
tatem legis Dei non curat cuſtodire, ſed erroribus varijs
& ſceleribus diuerſis mauult ſe implicare. Iſte incidet in
iudicium reproborum, hoc eſt, damnationem perpe-
tuam, quando ei in extremo iudicio dicitur cum his, qui
ad ſiniſtram iudicis ſtabunt: *Ite maledicti in ignem æternum,
qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.* Propterea Sapientia *Mat.* 25.
dicit: *Fili mi, ne multis ſint actus tui.* & Eccleſiaſtes: *multas* *Eccl.* 11.
(ait) *curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inue-* *Eccl.* 5.
nitur ſtultitia. Et in eodem libro idem Doctor admonet *Eccl.* 12.
dicens: *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in al-
tum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſto-
re vno. His amplius fili mi non requiras faciendi plures libros nul-
lus eſt finis.* Moris eſt ſcripturarum, quamuis plures

Digitized by Google

A libros ſi inter ſe non diſcrepent, & de eadem re ſcribant, vnum volumen dicere: nam & volumen in Eſaiæ ſermone ſignatum eſt omnis ſcriptura Dei, & vno capitulo libri Ezechiel, Ioanniſque noſcuntur. Saluator quoque omnium retro ſanctorum vocibus Prophetatus ait: *In ca-* Pſal. 39. *pite libri ſcriptum eſt de me.* Iuxta ſenſum hunc igitur arbitror nunc præceptum, ne plures libri fiant: quicquid enim dixeris, ſi ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum Deus verbum, vnum volumen eſt, & innumerabiles libri, vna lex, vnum Euangelium: quod ſi diuerſa, diſcrepantia diſputaueris, & curioſitate nimia huc illucque animum adduxeris, etiam in vno libro multi li- Prou. 10. bri ſunt. Vnde dictum eſt: *ex multiloquio non effugies peccatum.*

Recupera proximum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas. Rectiſſima doctrina, & vtiliſſimum conſilium, vt proximo ſecũdum vires præbeas ſolatium, & tibimet- B ipſi præuideas, ne in peccati vel erroris incidas laqueum. Hæc quoq; inſignia ſunt Chriſtianæ religionis, hæc via veritatis, hæc regula iuſtitiæ. Vnde & Iacobus Apoſtolus Iac. 1. in Epiſtola ſua ſcripſit, dicens: *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt. Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Quia dixerat factorem operis beatum in facto ſuo futurum, nunc quę facta Deo maximè placeant dicit: miſericordia ſcilicet, & innocentia. Namq; in eo quod pupillos & viduas in tribulatione eorũ viſitare iuſſit, cuncta quæ erga proximũ miſericorditer agere debeamus inſinuat: quia quantum valeat ipſo iudicij tempore pãdetur, vbi dictu- Matt. 52. rus eſt iudex: *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Porrò in eo quòd immaculatos nos ab hoc ſæculo cuſtodire præcepit, vniuerſa in quibus noſipſos caſtos ſeruare decet oſtendit. In quibus ſunt & ea quæ ſupra obſeruare monuerat, vt tardi ſimus ad loquendum, & tardi ad iram.

C

CAPVT III.

I*Nitium vitæ hominum aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* In hoc capitulo ſapientia docet frugalitatem, honeſtatem, & hoſpitalitatem, vt habeamus temperantiam in victu & veſtitu, honeſtatem in moribus, largitatem in ſuſcipiendis fratribus: quod enim dicit initium hominum vitæ eſſe aquam & panem, veſtẽ, & domum protegentem turpitudinem, oſtendit quòd in initio non erat in hominibus tanta luxuria cibi & potus, quanta nunc eſt: nec talis ambitio in ornatu veſtium, & in conſtructione turrium atque palatiorum: ſed vnicuiq; in eo ſufficiebat, quod terra ſimplici fructu miniſtrabat, D & natura loci in habitaculis præbebat. Vnde legitur, ꝙ pomis arborum, & germinibus olerum veſcerentur antiqui: & quod propter peccatum Adæ feciſſet ei Dominus & vxori ſuę tunicas pelliceas, & induiſſet eos. At nũc quo maius eſt ſtudium in varietate præbenda ciborum & poculorum, & in cultu veſtium atque domorum habenda: eo minor eſt diligentia in obſeruãtia bonarum diſciplinarum, & maior iniquitas in tranſgreſſione diuinorũ Mat. 10. mandatorum. Vnde Dñs redarguens iniquitatem Ieru- Ezec. 16. ſalẽ, ad exemplum protulit peccatum Sodomorũ: cuius illa imitatrix immò ſuperatrix fuerat. Sicut Prophetę verba teſtãtur: *Ecce* (inquit) *hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes corã me, & abſtuli eas ſicut vidiſti: & Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, ſed viciſti eas ſceleribus tuis, & iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.*

Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quàm epulæ ſplẽdidæ in peregre ſine domicilio. Iuxta ſenſum hiſtoricum commodius eſt tenuem victum ſub vili tugurio quemlibet cum ſecuritate ſumere, quàm ſplendidas epulas cum fatigatione nimia ac ſollicitudine ſuperflua in incertis locis paſſim quærere. Iuxta allegoriam autẽ. Melior eſt victus ſpiritualis ſenſus, qui ſub vili tegmine literarũ à paupere Eccleſiæ populo in vnitate Catholica habetur, quã E ambitioſæ deliciæ Philoſophicorum dogmatum, quæ in diuerſis libris Rhetorum à Philoſophis ſiue hæreticis erroneè, & putatiuè magis quã veraciter continentur: vbi magnus labor, & ſuperflua cura, & parua vtilitas inuenitur. De quibus per Paulum dicitur: *Semper diſcentes, & nun-* 2. Tim. 3. *quam ad ſcientiam veritatis peruenientes.* Quoniam ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi: nec eſt in ſermone regnum Dei, ſed in virtute.

Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Ac ſi patenter dicat, ſufficiat tibi quod habes, nec ſuperfluè opes quæras, quas adipiſci non vales. Vnde quidam ſapientium ait: *Melius eſt non habere quod tri-* Prou. 15. *buas, quam impudenter expetere quod non habeas.* De quo & in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Melius eſt parum cum timore Dei, quã theſauri magni & inſtabiles. Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* & item: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: ſuper aurum & argentum, gratia bona.*

Vita nequam, hoſpitandi de domo in domum: & vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os. Quàm bonum ſit ſtabilem quemlibet eſſe in gradu ſuo & in cõuerſatione ſua: F & quàm turpe circellionum more per diuerſa loca vagari, Euangelica & Apoſtolica doctrina patefacit. Vnde Sal- Luc. 10. uator diſcipulis ſuis præcepit, dicens: *Nolite tranſire de domo in domum: & in quamcunq; ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa ſunt.* Hinc & Paulus Theſſalonicenſibus ſcribẽs, 2. Theſ. 3. Gyrouagos redarguit dicens: *Audiuimus autem quoſdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes.* His autẽ qui eiuſmodi ſunt, denuntiamus & obſecramus in Dño Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Quod autem dicit: *Vbi hoſpitabitur nõ fiducialiter aget, nec aperiet os.* Oſtendit quod difficile ſecuritatem inter ignotos inueniat, quam Salomon cunctis de- Prou. 15. licijs præpoſuit, dicens: *Secura mens quaſi iuge conuiuium.* Grandis. n. pœna eſt inter eos ſedulo conuerſari, quorum nec animo nec verbis credat, ſed ſemper ſuſpicetur de infido animo laqueum captionis & ſcãdalum offenſionis.

Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos: & ad hæc amara G *audiet.* Hoſpitabitur videlicet in aliena domo ingratè ſuſceptus, vbi edit, & bibit, & ſemper aduerſa pertimeſcit: ſæpeque ab alterius lingua irritatus improperium audit.

Tranſi hoſpes & orna menſam, & quæ in manu habes ciba cæteros. Exi à facie honoris amicorum eorum, neceſſitudine domus meæ hoſpitio mihi factus eſt frater. Hæc ſunt verba improperij, quæ dixit hoſpitãtem ab hoſpite amara ſentire, quorum contextus talem poteſt habere ſenſum: Tu qui ſemper vis alterius hoſpitio vti, recede à nobis & redi ad tua, ibiq; ex tuo labore te & alios paſcas, & noli de aliena domo tibimet paſtum ſuperfluum quęrere, ſufficit mihi ad cohabitationem domus meæ ſuſceptio proximorum, & conſortium fratrum. Te autem conuenit à domicilio amicorum meorum recedere, & inter tuos id agere quod inter alienos non ceſſas impudenter expetere.

Grauia hæc homini habẽts ſenſum: correptio domus, & improperium fœneratoris. Qui enim pudicus ſenſu, graue eſt illi huiuſcemodi correptionem & improperium ab ore fœneratoris ſuſcipere. Sed qui impudens eſt, nec dicto cor- H rigetur, nec reprehenſione emendabitur. Myſticè autem hic locus admonet virum Eccleſiaſticum in domo Eccleſiæ ſedulo manere, vbi pabulum veræ ſapientiæ poteſt habere, & ſine læſione peruerſorum dogmatũ tutus manere. Ne ſi inter Philoſophos & hæreticos periculoſe hoſpitando ſæcularis ſapientiæ doctrinam quæſierit, vbi tamen vtilitatẽ ſani dogmatis nullo modo inuenire poterit, ipſe in futuro examine pro petulantia ſua æternæ confuſionis improperium cogatur ſuſtinere. Dicat ergo magis homo Catholicus ad collegam ſuum illud Pro- Pſal. 54. pheticum: *Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Veniat mors ſuper aduerſarios noſtros, & deſcendant in infernum viuentes, Quoniam nequitia in hoſpitijs eorum, in medio ipſorum, & cætera.*

CAPVT

A

CAPVT IV.

Q*Vi diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia.* Hæc ſententia non tam patres carnales, quàm etiam ſpiritales, hoc eſt, doctores fidelium admonet, vt curam ſibi commiſſorum habeant, & ſtudium atque diligentiam in eruditione & nutrimento filiorum ſuorum impendant: quatenus eos diſciplinabiliter viuere, & omnem inhoneſtatem fugere doceant, domi probis moribus viuant, ne laſciuiendo per aliorum dogmata inutiliter diſcurrant. Vn-
Prou. 19. de in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Erudi filium tuum, ne deſperes, ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.*

Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum glorificabitur. Qui ſana doctrina diſcipulum ſuum inſtruit, & fidei veritate imbuit, hic nimirum pro huiuſcemodi ſtudio laudem & gloriam perpetuam in conſortio ſanctorum obtinebit: quando ſcriptura dicat, quod
Eccleſ. 39 iuſti viri, qui *palam faciet diſciplinam doctrina ſua, & in lege*
B *teſtamenti Domini glorabitur, multi laudabunt ſapientiam eius, & vſque in ſeculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem.*

Mortuus eſt pater illius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe in vita ſua. Succeſſio enim filiorum ſanctorum, qui poſt patres ſuos ex hac vita decedentes bonum ſtudium eorum in ſancta religione & bona conuerſatione imitantur, mortuos parentes quaſi rediuiuos exhibet: cum eorum doctrinam & diſciplinam in ſuis dictis & factis omnibus ſeruando manifeſtè declarat.

Vidit & lætatus eſt in illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis, reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Quid autem aliud fecerunt ſancti Apoſtoli & primi Doctores Eccleſiæ, niſi de nutrimine ſuo poſt ſe dereliquerunt paſtores & rectores plebium: vt ipſi more paterno ſcuto fidei & veritatis reſiſterent aduerſarijs, & ſubditis ſibi rectæ doctrinæ & & bonorum exemplorum exhiberent gratiam? Sic enim ab ipſo Domino inſtitutum eſt, vt in menſa tabernaculi
Leuit. 24 panes propoſitionis XII. aſſiduè manerent: ita tamen
C vt per ſingula Sabbata ſublatis veteribus noui panes in eorum locum apponerentur, & quid hoc ſignificat, niſi quod Doctores quique ſanctæ Eccleſiæ completo tempore ſui ſancti laboris, æterna in cœlis quiete remunerantur, & alios poſt ſe in idem opus laborandi in verbo ſub eiuſdem ſpe retributionis relinquunt? Quod intuens Pſalmiſta Prophetico Spiritu præcinebat, dicens:
Pſal. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine in omni generatione* & progenie. Sed quia ipſe cœtus ſanctorum Doctorum non ſolum filijs ſuis compatitur intimo cordis affectu: immo pro ſalute eorum cruciatus corporis ſui ſuſtinere, & animas ſuas ponere paratus eſt. Vnde ſubiungitur:

Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera eius. Hinc eſt quod Doctor gentium reſpuens omnem vocem peruerſæ doctrinæ, & Euangelicam veritatem ſeruans, gloriatur in paſſionibus, in neceſſitatibus, in tribulationibus, in anguſtijs quas ſuſtinuit pro CHRISTO, ita dicens: *Habemus autem the-*
2. Cor. 4. *ſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, &*
D *non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aperiamur, ſed non deſtituimur, perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur, humiliamur, ſed non confundimur, deijcimur, ſed non perimus, ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circunferentes, vt & vita Ieſu in corporibus noſtris manifeſtetur.* Quid autem de indiſciplinatis filijs ſapientia ſentiat, audiamus.

Equus indomitus euadit durus, & filius emiſſus euadit præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet, lude cum eo, & non triſtabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Sicut enim ſuperbia equi indomiti in præcipitiũ prona eſt, ita laſciuia filij indiſciplinati in peccati ruina proxima eſt, & ideo docet præpoſitos Eccleſiæ & Patres ſpiritales, vt filios ſuos atq; diſcipulos cum diſciplina nutriant, & cum omni cautela ſemper ſeruẽt, corripiant tempore opportuno, & nunquam libertati imoderatè eis frena relaxẽt, ne fortè cadant in turpitudinem vitiorum, & proinde ignominiam ſuſtineant ſempiternã. E

CAPVT V.

M*Elior eſt pauper ſanus & fortis viribus ſuis, quam diues imbecillis & flagellatus malitia.* Non tam ergo hic ſanitatem corporis quam animæ prædicat, quia qui ſanus eſt mente, non nocet eum vexari in corporali tribulatione. Vnde Paulus de ſemetipſo ait: *Quando infirmor, tunc potens ſum, libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus* CHRISTI. Nec aliquid adiuuat, quemlibet ſanitate corporali & diuitijs ſecularibus abundare: ſi imbecillis ſit fide, & vexetur ſtimulo malitiæ: quoniam melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quam diues in prauis itineribus. Nihil enim deeſt pauperibus CHRISTI timentibus eum. Diuites autem mundi egebunt & eſurient, & in egeſtate ſpiritalium, atq; verarũ diuitiarum quotidie deficient, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Quod & ſequens ſentẽtia probat, dicens. 2. Cor. 12 F

Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ melior eſt omni auro & argento, & corpus validum quam cenſus immenſus. Vera ſalus animæ iuſtitia eſt ſecundum mandata Dei cuſtodita, nec ei comparari valent auri & argenti immenſa pondera, quia hæc ſunt decidua & velociter tranſitura, illa autem perpetualiter manſura. Vnde ipſa veritas ait: *Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his, quæ poſſidet. Quid enim proderit homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Hinc & Salomon ait: *non proderunt diuitiæ in die vltionis, iuſtitia autem liberabit à morte. Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius, & in impietate ſua corruet impius. Iuſtitia rectorum liberabit eos, & in inſidijs ſuis capientur iniqui.* Quod autem dicit, corpus validum melius eſſe quàm cenſum immenſum: oſtendit corpus tunc benè ſanum eſſe, quando validè laborat in diuino opere, cui valetudini non coæquatur cenſus ingens diuitiarum, quia iuxta Eccleſiaſtis ſententiam *dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum ſiue multum comedat: ſaturitas autem diuitis non ſinit dormire eum.* Porro quia ſomnus naturalem aliquando quietem, aliquando vero communem de hac vita ſignificat exitum: melior erit requies eius in futuro, qui operatur in præſenti, & ſecundum vires ſuas in bonis operibus conuerſatur, quàm eorum diuitiæ, de quibus ſcribitur: *Væ vobis diuitibus quia recepiſtis conſolationem veſtram.* Luc. 12. Prou. 11. G Eccleſ. 5. Luc. 6.

Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectatio ſuper cordis gaudium. Hoc eſt quod ſuprà dixit, in ſanctitate iuſtitiæ ſalutem eſſe animæ, & in corpore valido dignitatem fieri ſuper theſaurum auri & argenti, quia delectationi veræ ſapientiæ, quæ in vera charitate conſiſtit, & contemplationi ipſius veritatis quæ eſt certa agnitio Dei, nullum gaudium terrenum comparari poteſt. Neque operibus virtutum, quibus ſemper inſiſtit deuotio fidelium, aliquod negotium huius mundi adæquari valet: quia quantum diſtant diuturnitate, tantò diſcernuntur & dignitate.

Melior eſt mors, quam vita amara: & requies æterna, quã languor perſeuerans. In Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *laudaui magis mortuos quam viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec videt mala quæ ſub ſole ſunt.* Vbi oſtendit ad comparationem miſeriarum, quæ in hoc ſæculo mortales premunt, feliciores eſſe mortuos quam viuentes. Meliorem autem his duobus viuente videlicet & defuncto, qui necdum natus eſt: alius enim adhuc patitur mala, alius quaſi de naufragio nudus euaſit. Porrò qui necdum natus eſt, in eo felicior eſt, quod necdum mala mundi expertus eſt. Hæc autem ſententia, qua dixit meliorem eſſe mortem quàm vitam amaram: & requiem æternam, quàm languorem perſeuerantem, iuxta ſim- H Eccleſ. 4.

A plicem intelligentiam oſtendit, meliorem eſſe hanc
Pſal. 115. mortem de qua ſcriptum eſt: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*, quàm vitam amaram, qua degunt peccatores iniquis operibus vacantes, & requiem æternam, quam tenent iuſti in conſpectu Domini, quam languorem perſeuerantem quo in peccatis verſantes quotidie tabeſcent, quorum finis eſt interitus, & gloria in confuſionem ipſorum, qui terrena ſapiunt.

Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſita in ſepulchro. Hoc teſtimonium contra eos valet, qui talentum verbi Dei quod ipſi intellectu perceperunt alijs prædicare negligunt, quorum ſcientia ita viuentib' inutilis eſt, ſicut epulæ circumpoſitæ mortuorum ſepulchris, qui non manducant, neq; bibunt, neque aliquem fructum ex illis capiunt. Vnde & ſequitur.

Quid enim proderit libatio idolo, nec enim manducabit nec odorabitur. Sic qui effugatur à Domino, & portans mercedes iniquitatis. Videns oculis & ingemiſcens, ſicut ſpado complectens virginem & ſuſpirans. Nulla enim ratio eſt, vt homo rationa-
B lis deſerat Deum factorem ſuum, qui eum creauit ad honorem ac gloriam nominis ſui. Quatenus ſibi offerret ſacrificium iuſtitiæ, & ſperet in Domino, & deferat libationes idolis vanis, qui nec ſentiunt, nec aliquid ſapiunt, nec victu humano communicant. Vnde & ſcriptura dicit: *Si-*
Pſal. 113. *mulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominũ. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo*, neq; enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Quid autem factoribus ſuis mercedis recompenſerit, ſequens verſiculus oſtendit, dicens: *Similes illis fiunt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*, quod & comparatio ſpadonis ad virginem ſub alio paradigmate demonſtrat, quia ſicut ſpado inhabilis eſt ad complexum virginis, ſic & adoratio idolorum eis indecens eſt qui aliquod quærunt ab illis adiutorium, quod tamen omnino non inueniunt.

Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in cõſilio tuo. Triſtitia ergo vnum eſt vitium de octo principa-
C libus vitijs, triſtitia videlicet ſeculi, quæ mortem operatur, & in deſperationem hominem mittit: ea autem triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, ſtabilem ſalutem operatur, & mundat hominem ab omnibus delictis, quoniam iu-
Pſal. 50. xta Pſalmiſtæ ſententiam: *Sacrificium eſt Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Triſtitiam*, inquit, *non des animæ tuæ & non affligas temetipſum in cõſilio tuo*, hoc eſt, in cogitatu tuo, quia cogitatio triſtis valde affligit animam. Vnde neceſſe eſt vt homo ſemper animum ſuum ad Deum vertat, ſpemq; ſuam aſſiduè ipſi committat, à quo certam ſalutem inueniet. Vnde Propheta voce conſolatoria animam ſuam interrogat, dicẽs:
Pſal. 41. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me, ſpera in Deum quoniam confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus.*

Iucunditas cordis hæc eſt vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis. Vera iucunditas cordis non alibi quam in vera charitate conſiſtit, vbi & vita hominis cum virtutum theſauro ſine defectione ſanctitatis permanet: eo quod nulla virtus ſine eius ope ſubſiſtere valet. Hæc enim excellẽtior eſt via, quam Apoſtolus vniuerſis linguis
D martyrio, atq; eleemoſynis ante ſtatuit, & fidei atq; ſpei
1. Cor. 13. præcellere oſtendit, dicens: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas, quia cæteris decedentibus ipſa ſola permanet.*

Exultatio viri eſt longæuitas. Hoc dicendo non de præſentis vitæ diuturnitate, ſed de futuræ felicitate diſputat, quia ibi vera eſt exultatio, vbi vera eſt & beatitudo. Cæterum præſens vita tota eſt plena miſeria, & inſtabilis atque mutabilis ſemper, quod & Poeta nobilis verſibus explicat, dicens:

Virgilius Georg. 3.
Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtisq; ſenectus,
Et labor & diræ rapit inclementia mortis.

Quid autem nobis certam requiem cõferat, ſequens ſententia manifeſtat.

Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in ſanctitate eius, & triſtitiam longè expelle à te, multos n. occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Multa ſunt miſeri- E
cordiæ genera, vt ſæpe iam diximus, ſed hoc præcipuum eſt, quod hic commemoratur, vt per continentiam, ſanctitatem, & iuſtitiam ſtudeamus placere Deo, & ad hoc congregemus totum noſtri animi affectum, vt ipſi acceptabiles ſimus, & bonorum operum fructus cum humilitate & pia deuotione illi offeramus; triſtitiam autẽ longe à nobis expellamus, quia nullum munus cum triſtitia mundana oblatum coram Deo iam erit acceptum. Vnde Apoſtolus vbi ad eleemoſynarum largitatem Corinthios
hortatur, dicens: *Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui* 2. Cor. 9.
ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam, continuo ſubiunxit: *vnuſquiſq; prout deſtinauit corde* Ibid.
ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Quomodo enim poteſt ibi eſſe aliqua vtilitas, vbi bonorum operum eſt ſterilitas, & totius vitæ periclitatio atq; mortalitas? ſicut ſequens ſententia probat.

Zelus & iracundia minuent dies, & ante tempus ſenectam ad-
ducet cogitatus. Manifeſtum eſt iuxta hiſtoria, quod zelus F
& peruerſus animi affectus debilitat corpus. Sicut legi-
tur in libro Geneſeos, quod propter iram & inuidiã con- Gen. 4.
ciderit vultus Cain. Et in lib. Regum, Ionadab amicus 2. Reg. 13.
Ammon filij Dauid, per maciem vultus deprehenderit animi perturbationem, quam habuit in concupiſcentiam Thamar ſororis ſuæ. Cuius ſententiæ ſimilitudinem Salomon in Prouerbijs protulit, dicens: *Animus gaudens ætatem floridam facit, Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* Iuxta allegori- Prou. 17.
am vero, zelus & iracundia minuent dies hominis, cum eum vita æterna indignum efficient, ante tempus ſenectutem adducent, quia *viri ſanguinum & doloſi non dimidia-* Pſal. 54.
bunt dies ſuos, hoc eſt, proſperitate ſine vindicta quam ſibi promittunt, perpetualiter habere non poſſunt.

Splendidum cor bonum in epulis, epulæ n. illius diligentes fiunt. Vtiq; bona voluntas electorum iucundatur in epulis virtutum, quæ epulæ indefectiuas habent opes ſpiritalium diuitiarum.

CAPVT VI.

Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet Cap. 31.
ſomnum. Vigilia honeſtatis eſt cauta vigilantia ani- G
mi cum ſtudio virtutum, quæ tabefacit carnes, quia in electis Dei carnales mortificat voluptates. Cogitatus enim illius aufert ſomnum, quia intenta ſollicitudo eorũ quam quotidie in ſeruitio Dei habent, pigritiæ ab eis repellit tædium. Vnde Propheta, qui ſe ſentiebat in ſeruitio Dei proficere, & in amore illius creſcere, ait: *Quomodo* Pſal. 118.
dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. Infige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

Cogitatus præſcientia auertit ſenſum, & infirmitas grauis ſobriam facit animam. Cogitatus enim hominis quem in timore Dei habet, præſciendo quod vera ſunt omnia quæ Scriptura Sacra prænuntiat de futuro præmio bonorum & de ventura pœna malorum, auertit ſenſum hominis ab omni concupiſcentia mala, ne ea concupiſcat in poſſeſſione habere, vel in deſiderio nequam adimplere, quæ nouit conditori ſuo diſplicere. Similiter & infirmitas grauis corporis ſobriam facit à delictis animam. Vnde alibi
ſcriptum eſt: *liuor vulneris abſterget mala, & plagæ in ſecre-* Prou. 20.
tioribus ventris. Mala enim liuor vulneris abſterget, quia H
flagellorum dolor vel cogitatas vel perpetratas nequitias diluit. Solet vero ventris appellatione mens accipi, quia ſicut venter conſumit eſcas, ita mens pertractando excoquit iras. Quia enim venter mens dicitur, ea ſententia
docetur, qua ſcriptum eſt: *lucerna Domini ſpiraculum homi-* Ibid.
nis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris, ac ſi diceret, diuina afflatus illuminatio cum in mentem hominis venerit, eam ſibimetipſi illuminans oſtendit, quæ ante Spiritus S. aduentum cogitationes prauas & portare poterat, & penſare neſciebat, *liuor* ergo *vulneris abſterget mala, & plagæ in ſecretioribus ventris*, quia cum exterius percutimur, ad peccatorum noſtrorum memoriam taciti afflictique reuocamur, atq; ante oculos noſtros cuncta, quæ à nobis ſunt male geſta, reducimus, & per hoc quod foris patimur ma-

Digitized by Google

A gis intus quod fecimus dolemus, vnde fit, vt inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga ſecreta verris, quia ſanat nequitias praui operis occultum vulnus doloris. Hinc & Paulus ait: *Quando infirmor, tunc potens ſum.* Quando enim ſuſtinuit forinſecus flagella perſecutionum, intrinſecus creuit dono ſpiritalium gratiarum.

Laborauit diues in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua replebitur bonorum ſuorum, laborauit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit. Multis in locis ſcripturarum laudantur diuitiæ, & in multis vituperantur, ſed vbi laudantur, diuitiæ ſpiritales ſignificantur, vbi autem vituperantur, corporales opes & nociuæ mundi damnantur cupiditates. Vnde & in hoc capitulo alternatim de bonis & malis diuitijs diſputans iuxta qualitatem perſonarum: Primum laudat diuitem laborantem in congregatione diuitiarum, vnde replebitur bonis in requie ſua. Deinde vituperat pauperem, quia laborauit in diminutione victus, & in fine inopiam conſequetur, ſubiungens quanta mala ſequantur auri & pecuniarum auaritia. Poſtea iterum lau-

B dat diuitem ſecundum Deum, qui inuentus eſt ſine macula. Laborat ergo iuſtus diues in congregatione ſpiritalis ſubſtantiæ, in meditando videlicet ſanctarum ſcripturarum ſcientiam, & colligendo bonarum fructus virtutum, pro quibus omnibus poſt finem præſentis vitæ requiem æternam & remunerationem percipiet cœleſtium præmiorum. Econtrario vero pauper ſcientia & inops virtute laborat, quotidie in terrenis cupiditatib. pro quibus in fine non abundantiam cœleſtis habebit gaudij, ſed pœnas ac dolores ſuſtinebit inferni.

Qui aurum diligit, non iuſtificabitur, & qui inſequitur conſumptionem, replebitur ex ea. Aurum poſſumus accipere pro omni pecunia & theſauro terreno, quæ ab amatoribus ſuis non niſi per auaritiam colligitur, & per parcitatem in malum ſuum reſeruabitur. Qui autem in hac ambitione præſentem conſumit vitam, æterna replebitur ignominia.

Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum. In caſum auri datur, qui eius ambitione captiuus tenetur. Cuius ſpecies illi perditionem generat, quia ipſius amore vltra modum exardeſcere non formidat. A-

C uaritia enim (vt ait Apoſtolus) idolorum eſt ſeruitus, & vbi cultores ac ſeruitores idolorum deputabuntur niſi in tartarum inferni? *vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur?* De quo protinus ſubiungitur.

Coloſſ. 3. Epheſ. 5. Eſa. 66.

Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium. Væ illis qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo. Offenſio in Scripturis ſacris & deſolatio idolorum nuncupatur, quia in hoc deſeritur verus Dei cultus, & maximè in falſa cultura Deus offenditur. Lignum enim offenſionis eſt aurum ſacrificantium, quia ſicut Adam in ligni vetiti tranſgreſſione per ſerpentis ſuggeſtionem decept⁹ auare deorum plurimorum ſublimatum ſibi ſpetabat venturum: ita auri amatores diuerſorum errorum ſimulacris deſeruientes animas ſuas quaſi ſacrificando dæmonijs immolãt, vt plurimorum opum poſſeſſores fiant. Sed væ illis qui hanc ſectantur peſtem, quia imprudentes æternam ſibi inde acquirunt damnationem. Poteſt & iuxta allegoriæ regulam in auro idolothyto hęreticorum & Philoſophorum doctrina accipi, quæ ſplendore nitet eloquentiæ, &

D curioſorum per omnia ſe portendit ruinæ. Qui autem eius amore captus non præcauet latentis nequitiæ inſidias, erroris & peccatorum laqueis conſtrictus perpetuas decidet in pœnas. Sed quid de electorum populo, qui diues eſt in diuina ſcientia & recta fide ac bonis operibus, conſequenter dicat, videamus.

Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurũ non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo & perfectus eſt erit illi gloria æterna. Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & non fecit. Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Deo, & eleemoſynas illius enarrabit Eccleſia ſanctorum. Beatus enim ille diues eſt, quem nulla obfuſcat macula erroris, nulla ambitio coinquinat pecuniæ ſecularis. Fecit mirabilia in vita ſua ſacris virtutibus operam dando, ſiue miraculis coruſcantibus infirmis & debilibus ſanita-

E tes præſtando: quoniam in conditoris ſui amore fideliter permanſit, quotidie proficiendo, vnde ſibi reſtat quies perpetua, & cœleſtis regni gloria æterna. Potuit enim iuxta datam ſibi liberi arbitrij facultatem trangredi præceptum, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & non fecit. Non dico quod nunquam peccauerit, ſed quod pœnitendo per gratiam conditoris ſui omnium peccatorum ſuorum maculas diluerit. Ideo bona quæ in hac præſenti geſſit vita, ſtabilita ad remunerationis futuræ ſeruantur præmia, & miſericordiæ illius opera à generatione in generationem prædicando enarrabit ſanctorum Eccleſia.

CAPVT VII.

SVpra menſam magnam ſediſti, non aperias ſuper illam faucem tuam prior. Licet hæc ſententia hiſtorialiter continentiam nobis videatur commendare, vt non per gulæ appetitum ſimus intemperantes in comedendo ac bibendo, ſed ſobrij & puri, tamen altiore ſenſu nos docet vt in meditatione legis Dei ſimus cauti ac prouidi. Menſa magna

F eſt copia ſcripturarum diuinarum, ſuper quam ſedentes non debemus eſſe procaces, vt aliquid inde indignè ſine ſine Doctore & ſinẽ præuio rapiamus, ſed magis tritam viam ſanctorum Doctorum ſequentes eorum diſciplinis inſtructi regulam veritatis teneamus, ne aliqua ſcrupuloſitate permoti dubia & incerta aliqua ibi eſſe putemus. Ideo ſubiungitur.

Non dicas ſic: multa ſunt, quæ ſuper illam ſunt, memento quoniam malus eſt oculus nequam, nequius oculo quid creatum eſt, ideo ab omni facie ſua lacrymabitur cum viderit. Non enim debem⁹ credere ibi eſſe aliqua falſa, ſed omnia vera ac ſumma ratione firmiſſima, licet traditio nequam hæreticorũ ſenſu peruerſo illa maculare contendat, quorum intentione nefanda quid nequius reperitur, ideo in futura vltione, cum iuſto iudice reuelante id patefactum fuerit, quod ante latebat, fletu perpetuo ac igne inextinguili cruciabitur.

Ne extendas manum tuam prior, & inuidia contaminatus erubeſcas. Hoc eſt, ne præſumptuoſe aliquid agas, vel vltra modum petulans, antequam diſcas manum ad ſcribẽdum mittas, ne per inuidiam Diaboli errore contamina-

G tus in futuro iudicio erubeſcans, dicente iudice: *diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Pſal. 6. Matth. 7.

Ne comprimaris in conuiuio, vino, intellige rem proximi tui ex teipſo. Eſt vinum in quo eſt luxuria, eſt & vinum in quo eſt gratia. Cauendum ergo eſt nobis, ne contra Apoſtolum inebriemur vino in quo eſt omnis luxuria, & prudẽter vtendum eſt vino, in quo eſt gratiæ doctrina, ne forte vltra modum illud bibentes velimus plus ſapere quam oportet ſapere, ſed magis ſtudeamus ſapere ad ſobrietatem. Vnde ſubſequitur.

Vtere quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, vt non cum manducas multum, odio habearis, ceſſa prior, cauſa diſciplinæ, & noli nimius eſſe, ne forte offendas. Et ſi in medio multorum ſediſti, prior illis non extendas manum tuam, nec prior poſcas bibere. Multum decens eſt, & virtuti digniſſimũ, vt homo Chriſtianus ſobrietatem diligat, omniaq; temperanter agat, & ne quid nimis, ne forte offendat, ne ſi vltra menſuram temperantiæ excedat, in ſcandalum perpetuæ confuſionis incidat. Conuenit ergo viro diſciplinis Euangelicis

H erudito, vt humilitatem ante omnia impendat, in meditatione ſcripturarum cautus lector exiſtat, fidem rectam teneat, modum in ſcientia habere nõ negligat, ita vt charitatis regulam in ea per omnia ſeruandam eſſe ſciat, & ſic coram Deo placitus, & coràm hominibus erit probatus.

Quam ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabit ab illo, & non ſenties dolorem. Manifeſtũ eſt quod parcus & tenuis victus tam corpori quam animæ vtilis ſit, & econtrario ſuperfluus cibus vel potus ægritudinem corporis generet, & animæ ſenſum minuat. De quo ſubiungitur.

Vigilia & cholera & tortura viro infrunito. Vnde Apoſtolus diſcipulum de moderatione victus ſeruanda inſtruxit, dicens: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* 1. Tim. 5. Sic & vinum ſpiritale ſi cum parcitate & menſura ſumitur, certam animæ

A quietem præparat: ſin autem eius potio modum & rationem excedit, hominem in inſaniam vertit, & à Deo recedere compellit, vnde illi anxia cura, turbatio maxima & perpetua tortura ſuccedunt, nec erit illi vllum remedium, qui poſt agnitam veritatem elegit vſq; in finem hęreticæ peruerſitatis ſubſequi veſtigium.

Somnus ſanitatis in homine parco, dormiet vſq; in mane, & anima illius cum ipſo delectabitur. Quantum ad hiſtoriam pertinet, ſalubrior eſt ſomnus illi qui parco vtitur victu, quā ei qui nimia comeſtione & potione gurgitat aluum. Vt ſuperius ait: *Vigilia & cholera & tortura ægritudinem gignit.* Myſticè autem, is qui ſpiritalis vini ſobrius potator eſt, in contemplatione veritatis vſq; in mane reſurrectionis ſuauiter conquieſcit, & tunc in aduentu iudicis ſui ad æterna præmia inuitatus, perpetualiter in cœleſti regno fruetur bonis promiſſis, cui bono Propheta alacri mente aſpirans ad ipſum Dominum ait: Pſal. 15. *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſq; in finem.*

B *Et ſi coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio & euome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Aiunt medici, quod homo ieiunus ſi vomitum faciat, ſtomachi vitia purget, & choleram minuat. Myſticè autem, qui tranſgreditur menſuram in concupiſcentijs carnis, & aggrauatur eius delictis, neceſſe eſt vt per confeſſionem peccatorum fœditatem euomat, & ſic per ieiunium & caſtigationem corporis ad ſtatum priſtinæ ſanitatis redeat.

Audi me fili, & ne ſpernas me, & in nouiſſimo inuenies mea verba, in omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. Admonet ſapientia ne perdamus nobis tempus indultum, ſed in exercitio bonorum operum, & cuſtodia mandatorum Dei totum illud conſumamus, & ſic in futura vita requiem animabus noſtris inueniem⁹. Hoc eſt quod dicit, *in omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi*, vt quicquid inuenerit manus noſtra in hac præſenti vita inſtanter operemur, nec infirmitas tædij occupet nos, ſed dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, quia nec tempus, nec ratio eſt operandi apud inferos, ſed poſt finem præſentis vitæ iuſto C iudice retribuente percipiet vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit ſiue bonum ſiue malum. Huic ſententiæ ſimile eſt hoc, quod in Prouerbijs ſcriptum eſt: Prou. 22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Scilicet quemcunq; velocem videris in opere ſuo, id eſt, in opere bono, quod ei erat facere ſtrenuum atq; ſollicitum, ſcito hunc in die nouiſſimi examinis coram Apoſtolis, qui cum Chriſto mundum iudicaturi ſedebunt, eſſe ſtaturum, quia videlicet eorum iuſſa ſeruauerit: neque in parte ignobilium Doctorum, quorum cauefecit errorem, hoc eſt, ad ſiniſtram iudicis eſſe ponendum.

Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele. Hæc ſententia videtur iuxta hiſtoriam ad eleemoſynarum largitatem nos exhortari: 2. Cor. 9. quoniam iuxta Apoſtolum Paulum, *qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam, hilarem enim datorem diligit Deus.* Spiritaliter autem qui panem verbi Dei proximis ſuis fideliter expendit, & teſtimonium veritatis coram beneuolis auditoribus non abſcondit, à multis accipiet laudem benedictionis, & ab ipſo Domino hauriet gratiam ſempiD ternæ mercedis. Hinc & in Prouerbijs ſcriptum eſt: Prou. 18. *De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum eius ſaturabunt eum.* Econtrario vero quid de hæreticorū peruerſa doctrina ſubſequatur, audiamus.

In nequiſſimo pane murmurabit ciuitas, & teſtimonium nequitiæ illius verum eſt. In nequiſſimo ergo dogmate hæreticorum qui adulterantes verbum Dei non pane vitæ, ſed pane paſcuntur mendacij, quicquid peſtifer ſermo eorū profert, quoniam verum eſt teſtimonium quod de eis ſcriptum eſt: *teſtis falſus non erit impunitus, & qui loquitur mendacium, peribit.*

Delectantes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. Docet nos vir Eccleſiaſticus, ne commiſceamur ebrioſis, quia faciles ſunt ad iraſcendum. *Multos enim exterminabit vinum*, hoc eſt, multos ſubuertit ebrietas, quæ E & ſenſum minuit, iram excitat, libidinem inflammat, animi ſecretum per furorem aut amorem denudat. Vnde ſubiungitur.

Ignis probat ferrum durum, ſic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum. Hoc eſt, ſicut ignis calore ſuo ferri duritiam emollit, & ſecundum naturæ ſuæ vim illud excandeſcere facit, ſic vinum in ebrietate potatum corda ſuperborum ardore ſuo inflammans ſubitò ad facinus perpetrandum prouocat, & ſuperbę intentioni maiorem audaciam ad mali commiſſum tribuit.

Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate, ſi bibas illud moderate, eris ſobrius. Non enim vinum moderatè potatum æquam vitam hominibus tollit, ſed ſobrietatem cum cæteris virtutum ornamentis adducit. Quid autem mali ebrietas ſectatoribus conferat, ſequens ſententia manifeſtat.

Quæ vita eſt ei qui minuitur vino? quid defraudat vitā, mors. Vinum mortem, hoc eſt, ebrietatem vitæ interfectricem nuncupat, quia viuacitas ſenſus inde minuitur, & ægritudo corporis inde generatur. F Quaſi enim increpando ipſam mortem, cur vitam defraudet interrogat, quia nimiam potationem quaſi hominis deceptricem vituperans damnat.

CAPVT VIII.

V*inum in iucunditatem creatum eſt & non inebrietatem ab initio.* Ad hoc enim creator fructus terrenos condidit, vt homo qui à factore ſuo Dominus terræ conſtitutus eſt, haberet inde temporalis vitæ alimentum, non ſanitatis ſuæ detrimentum. Vnde de ipſis fructibus terræ, hoc eſt frumento & vino ipſe conditor rerum & redemptor hominum aptum myſterium faciens in corporis & ſanguinis ſui ſacramentū conuertit. De quo in Propheta ſcriptum eſt: *Vinum lætificat cor hominis, &, panis cor hominis confirmat.* Pſa. 103. Vt humana natura in vtraq; ſubſtantia haberet ſuæ ſalutis nutrimentum, & inde vberiores gratias authori ſuo referret, quo ſibi omnibus benè ac vtiliter prouiſum eſſe ſentiret.

Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. Eadem ſæpius repetit, vt eorum memoriam in auditorum ſuorū mentibus fortius figat, & virtutum lenem decoremque G magis illis commendet, vitiorum verò turpitudinem & noxietatem ſecundum poſſibilitatem ſuam funditus exterminet. Proinde adhuc addidit, & dicit.

Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum, ebrietatis animoſitas imprudentis offenſio: minorans virtutem, & faciens vulnera. Quid lucidius dici potuit, quam irritationem, iram & ruinas multas ex ebrietate naſci, amaritudinem animæ inde generari, imprudentis animoſam offenſionem inde oriri, virtutum ſeriem decreſcendo minorari, & ſcelera vulnera multiplicari? Vnde felix eſt ille q ſe cauet ab huiuſmodi peſte, & ſpem ſalutis ſuæ in Domini conſtituit voluntate. Cuſtodit enim Dominus omnes diligentes ſe, & ſperantes in eo miſericordia circundabit.

In conuiuio vini non arguas proximum, & non deſpicias illum in iucunditate illius. Verba improperij non dicas illi, & non premas illum in repetendo. Frequenter contingit vt homo fragilis modum excedat in bibendo, ſed tamen ebrietatis vitium non ſectatur in vſu nefando, vnde prohibet vt non arguamus proximum in conuiuio vini, nec deſpiciamus H illum in iucunditate illius, nec improperij verba conuitciando dicamus ei, ſed magis iuxta Apoſtolum onera noGalat. 6. ſtra inuicem portemus, & ſic adimplebimus legem ChriGen. 9. ſti. In promptu enim habemus exemplum huiuſmodi de ſcripturis ſacris. Quoniam Noe vino ebrium atq; nudatum cum Cham medius filius eius deriderer, maledictionem æternam promeruit. Ita econtrario primus filiorum eius & vltimus, hoc eſt Sem & Iaphet benedictionem perpetuam poſſederunt: eo quod patris ſui nuditatem velauerunt, nec turpitudinem eius videre voluerunt. Similiter & altiori ſenſu Iudæi qui morte Saluatoris noſtri in cruce deriſerunt, vitam & regnum ſimul perdiderunt. Econtrario vero Gentes, quæ paſſionem CHRISTI condigne venerabuntur, ab eo benedici in hoc ſeculo & in futuro promeruerunt.

A

CAPVT IX.

Cap. 32. R*Ectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex*
ipſis. Hæc Eccleſiaſtica & Apoſtolica eſt doctrina, vt
is qui dignitate præeſt alijs, humilitatis & manſuetudinis
exemplum præbeat multis. Vnde ipſa veritas in Euan-
Mat. 20. gelio dicipulos docuit, dicens: *Qui maior eſt veſtrum, fiat*
ſicut iunior: & qui præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator. Hinc &
1. Pet. 5. Petrus Paſtores Eccleſiæ admonens ait: *Seniores ergo qui*
in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis CHRISTI *paſſionum,*
qui & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator, paſ-
cite qui eſt in vobis gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpon-
taneè ſecundum Deum, neq; turpis lucri gratia, ſed voluntariè:
neq; vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo, &
cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem
gloriæ coronam.

Curam illorum habe, & ſic conſidera, & omni cura tua expli-
cita recumbe: vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ ac-
cipias coronam, & dignationem conſequaris congregationis. In-
B ſtantiam ergo docet prædicationis, quia non cito debet
quis ſecuritatem promittere ſibi quietis poſt inceptum
laborem: ſed inſtanter in illo vſq; in finem vitæ perſe-
uerare, quatenus perfecto certaminis ſui agone ſecurus
2. Tim. 4. poſſit cum Apoſtolo dicere: *Bonum certamen certaui, cur-*
ſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi coro-
na iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non
ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius. Qua-
lis autem ſit merces ſanctorum prædicatorum in futura
Luc. 12. vita, oſtendit ipſe Saluator, dicens: *Quis putas fidelis eſt di-*
ſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus per familiam ſu-
am, vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus,
quem cum venerit Dominus eius, inuenerit ita facientẽ. Verè dico
vobis, quia ſuper omnia ſua conſtituet illum quæ poſſidet.

Loquere maior natu (decet enim te) primum verbum diligenti
ſcientiam, & non impedias muſicam. Decet enim Doctorem
Catholicum loqui verbum Dei cum omni fiducia quaſi
maiorem natu, non vtique ætatis corporeæ prouectu, ſed
ſobriæ mentis intellectu: & primum hoc ſemper atten-
dat, vt eius ſermo magis proficiat auditoribus ſuis ad e-
C ruditionem, quam fautoribus propter eloquentiam ad
inanem fauorem. Sicut Paulus Timotheum inſtruens
2. Tim. 4. docuit, dicens: *teſtificor coram Deo &* CHRISTO IE-
SV, *qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & aduentum ipſius &*
regnum eius: prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue
obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Quid autem i-
nanis eloquentia ſuis amatoribus conferat, ſubdendo
manifeſtat: *erit n. tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtine-*
bunt, ſed ad ſua deſideria coacernabunt ſibi magiſtros, prurientes
auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas au-
tem conuertentur. Et quia diſcretionem Euangelij Docto-
rem in prædicatione ſua oportet habere, vt ibi proferat
ſermonem, vbi ſe conſpicit profectum facere poſſe, ſub-
iungit, dicens.

Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem intempeſtiuè, &
importunè noli extolli in ſapientia tua. Non eſt enim vtile i-
bi ſermonem multiplicando protelare, vbi conſiderat ſe
nullum fructum in auditoribus inuenire. Vnde quidam
Poetarum ait:

Felix qui loquitur cauſam prudentis in aurem.

D Dominus enim noſter qui diſcipulis ſuis præcepit, di-
Matth. 7. cens: *nolite dare ſanctum canibus, neq; mittatis margaritas ve-*
ſtras ante porcos, ne conuerſi diſrumpant vos. Hinc & Salomon
Prou. 9. in Prouerbijs ait: *Qui erudit deriſorem, ipſe facit ſibi iniuri-*
am, & qui arguit impium, generat ſibi malum. Noli arguere de-
riſorem, ne oderit te, argue ſapientem, & diliget te. Da ſapienti
occaſionem, & addetur ei ſapientia. Doce iuſtum, & feſtinabit
accipere.

Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio mu-
ſicorum in conuiuio vini. Omnium ardentium gemmarum
principatum carbunculus habet: carbunculus autem di-
ctus, quod ſit ignitus vt carbo, cuius fulgor nec nocte
vincitur, lucet enim in tenebris, adeo vt flammas ad ocu-
los vibret. Carbunculum ergo comparat ad ſplendorem
auri, & muſicum melos ad conuiuium vini, quia ſicut
gemma pretioſa adiuncta auri metallo duplicat ſplendo-
ris decorem: ita dulcis melodia ad conuiuium vini ad- E
aucta multiplicat iucunditatem. Myſticè autem aurum
ſignificat diuinam ſapientiam, carbunculus ſacrarum vir-
tutum gloriam. Vinum gratiam ſpiritalem, & muſica E-
uangelij prædicationem. Sicut enim condecet diuinæ
ſapientiæ virtutum fulgor, ita & ſpiritalis gratiæ condi-
gna eſt vera prædicatio verbi. Cui comparationi etiam
conſequenter adiungit aliam ſimilitudinem, hoc mo-
do:

Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi, ſic numerus
muſicorum in iucundo & moderato vino. Smaragdus lapis eſt
nimiæ viriditatis, adeo vt herbas virentes frondeſque ac
gemmas ſuperet omnes, inficiens circa ſe viriditate re-
percuſſum aerem, qui mero & viridi proficit oleo, quam-
uis natura imbuatur, cuius genera plurima, ſed nobilio-
res Scythici. Secundum locum tenent Bactriani. Terti-
um Ægyptij. Significat autem animas fide ſemper viren-
tes, quæ quo magis aduerſitate ſeculi (quam figura Scy-
thiæ deſignat) attentantur, eo amplius hæreditatem im-
marceſcibilem & æternam conſeruatam in cœlis & men- F
te concipere ſperando, & in proximos ſatagunt ſpargere
prædicando. Quæ etiam calice dominicæ paſſionis &
& internæ pinguedine charitatis, qui per Spiritum San-
ctum datur, ad contemptum mundi proficiunt. Sicut
enim in fabricatione auri adauget decorem ſplendor
ſmaragdi: ſic eruditionem viri amplificat charitas re-
ctæ fidei, quæ per dilectionem operatur, & my-
ſteria paſſionis dominicæ condigno venerantur ſacra-
mento.

Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi gratia bona. Poſt-
quam de ſpiritali lætitia muſicorum in conuiuio vini my-
ſtici diſputauit, addidit de modeſtia ſermonem, ne fortè
quis eum clamorem vocis vel riſus cachinnum in prædi-
cto conuiuio exaltare velle æſtimaret. *Audi*, inquit, *ta-*
cens, & pro reuerentia accedet tibi gratia bona. Itaque quàm
bonum ſit ſilentij reuerentia, oſtendit legislator, dicens
ad populum priorem: *Audi Iſrael & tace.* Hinc & Salo-
mon ait: *Fili mi attende ſapientiam meam, & prudentiæ meæ* Prou. 22.
inclina aurem tuam: vt cuſtodias cogitationes, & diſciplinam
labia tua conſeruent. Econtrario vero dicit de muliere ex- G
tranea & aliena, quæ verba ſua dulcia facit: præparata
eſt ad capiendas animas: garrula & vaga, quietis impa-
tiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Hinc
quoque Iacobus frater Domini in Epiſtola ſua admonet,
dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus* Iac. 1.
autem ad loquendum, & tardus ad iram. Et item: *Nolite*, in-
quit, *plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam maius iu-*
dicium ſumitis, in multis enim offendimus omnes. Siquis autem
in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Vnde & ſa-
pientia diſcipulum inſtruit, dicens.

Adoleſcens loquere in tua cauſa vix cum neceſſe fuerit. ſi bis in-
terrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In multis eſto
quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens, in medio magnato-
rum non præſumas: & vbi ſunt ſenes, non multum loquaris. O-
portet ergo magiſtrum loqui & docere, diſcipulum verò
conuenit tacere & audire. Et ſi quando contigerit eum
loqui, pauca & rationabilia verba proferat, ne videatur
plus loqui quã expedit, hoc ẽt ipſe Dominus ſuo exẽplo
nos facere docuit, quando in Hieruſalem duodecennis
ſedebat in medio Doctorum audiens illos & interrogans. H
De quo continuo ſcriptura ſubiungit, dicens: *Stupebant* Luc. 4.
aũt oẽs ſuper prudentia & reſponſis eius. Doctor Angelorum
ante tricennale tempus in terra magiſter fieri noluit ho-
minum, vt videl. præcipitatis vim ſaluberrimi timoris in-
funderet, cũ ipſe ẽt qui labi non poſſet, perfectæ vitæ gra-
tiã non niſi perfecta ætate prædicaret. Vigilanti itaq; con-
ſideratione penſandũ eſt ꝙ cum Ieſus annorũ duodecim
dicitur in medio Doctorum ſedens, non docens ſed inter-
rogans inuenitur. Quo exemplo ſcilicet oſtenditur ne
infirmus docere quis audeat, ſi ille puer doceri interro-
gando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum ſci-
entiæ ipſis ſuis Doctoribus miniſtrauit. Si ergo ſapientia
diuina humanam naturam induens hominem ſub ex-
emplo docuit dicere & audire, quid humana præſumptio
ſuperflua loquacitate appetit in vacuum garrire.

A *Ante grandinem præibit coruſcatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Fulgor coruſcationis præibit pondus grandinis, ſic etiam nitor gratiæ præcedit gratiam verecundiæ, & auget pro reuerentia donum ſupernæ gloriæ.

Et hora ſurgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo: & ſuper his omnibus benedic Deum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis. Admonet ne ſimus triſtes ſeu tardi in diſciplina & meditatione ſapientiæ, ſed redeamus ad mentem noſtram, & in domum conſcientiæ noſtræ nos auocemus, & illuc per ſobrias cogitationes ventilemus & ruminemus verba ſcripturæ ſacræ. Omninoque caueamus, ne cogitatio ſuperba ſubrepat nobis, & inde faciat nos reos coram Deo, æſtimantes quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientiam noſtram omnino ex Deo eſſe nouerimus, qui Spiritus ſui dono fecit nos eſſe docibiles & intentos ad diſcendam ſapientiam ſuam. Ipſum ſemper benedicamus qui fecit nos, & per gratiam B ſuam bonis ſuis repleuit. Cui ſit honor, & gloria, & poteſtas in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Qui timet Deum, excipiet doctrinam eius: & qui vigilauerit ad illum, inuenient benedictionem illius. Hoc eſt indicium timoris Dei, quod homo diligenter meditetur legem eius, & humiliter excipiat doctrinam illius, ſitq; vigil & ſtrenuus in cuſtodia mandatorum eius, & ſic proculdubio accipiet benedictionem remunerationis illius.

Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in illa. Magna diſtantia eſt inter beneuolum legis Dei ſcrutatorem, & inſidioſum rectæ doctrinæ captatorem: inter Catholicum rectæ fidei ſectatorem, & hæreticum falſi dogmatis peruerſum inuentorem. Ille enim quod iuſtum eſt iuſte exequitur, iſte veritatem in mendacium ſubuertere nititur, ille deuotus verbi Dei eſt auditor, iſte malitioſus ſcripturarum eſt interpretator, ille bona quærens replebitur bonis, iſte ſcandala machinãs ſcandalizabitur in illis. Vnde & ſubditur.

C *Qui timent Dominum, inuenient iudicium iuſtum, & iuſtitiam quaſi lumen accendent. Peccator homo deuitabit correptionem, & ſecundum voluntatem ſuam inueniet comparationem.* Timentes ergo Dominum, qui iuſtitiam rectæ doctrinæ & bonorum operum quaſi lumen ad inſtructionem proximorum ſuorum accendent, & coram multis luceſcere facient, inuenient iudicium iuſtum: quoniam pro benefactis recipient cœleſte præmium: Econtrà verò peccatores, qui deuitant & fugiunt ſalubrem correptionem, ſecundum peruerſæ voluntatis ſuæ electionem in gehenna ignis inuenient condignam peccatorum ſuorum recompenſationem.

Vir conſilij non diſperdet intelligentiam. Quantò homo prudentior eſt, tanto magis vtitur conſilio proximorum, & inde additur ei intelligentia, & non minuetur ſcientia.

Alienus & ſuperbus non pertimeſcit timorem, etiam poſtquam fecit cum eo ſine conſilio, & ſuis inſectationibus arguetur. Qui ergo ſuperba intentione alienum ſe facit à bonorum conſiliatorum communicatione, non pertimeſcit Deum, qui timor & amor eſt fidelium. Et poſtquam ſine conſilio D facto ſuo innitens aliquid nequiter fecerit, ex ſuis inſectationibus reprehenſibilis inuentus arguetur. Hic ergo locus ad Catholicum hominem & hæreticum poteſt transferri, quia bene Catholicus & Deum timens omnia agit iuxta orthodoxorum magiſtrorum conſilium, & ſanctarum ſcripturarum documentum: hæreticus vero quia proprio nititur cogitatu, & peruerſis non deſiſtit adhærere inuentionibus, poſtquam ſtultitia eius patefacta fuerit, per ſanctos Prædicatores ſententijs diuinis coercebitur.

CAPVT X.

Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Conſilium eſt (vt quidam volunt) deliberatio mentis, ſiue ratio ſenſus, ſeu iudicium. Hoc admonet, vt nihil ſine diſcretione, ratione, & iudicio faciamus. At contra præcipites cum bonorum actuum tempus præueniunt, meritum peruertunt, & ſæpe in malis corruunt, dum bona minimè diſcernunt, qui nequaquam quæ & quando agant inſpiciunt, ſed plerunque acta, quia ita non debuerunt agere, cognoſcunt. Vnde per Salomonem dicitur: *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Prou. 4. Palpebræ quippe greſſus præcedunt, cum operationem noſtram cõſilia recta præueniunt. Qui enim negligit conſiderando præuidere quod facit, greſſus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, ſed præuidendo ſibimetipſi non attendit: atque idcirco citius corruit, quia quo pedem operis ponere debeat per palpebram conſilij non attendit. Notandum autem quod huic ſententiæ ſimile eſt illud, quod in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet? & ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei:* Eccl. 4. deſcribitur quid boni habeat amicorum contubernium, & commune ſolatium: quia alterius ruina alterius auxilio ſubleuatur, & curas domeſticas atque ipſius quoque noctis requiem melius exigit ille, qui fidum amicum habet, quàm qui ſolus opibus incumbit requiſitis: & quanto duo vno differunt, ſi amore coniuncti ſunt, tanto etiam trium contubernium plus valere patet. Etenim vera charitas & nullo violata liuore, quantò augetur numero, tanto creſcit & robore. Sed tamen ſciendum quod multi ſunt qui ineunt conſilium, ſed veritatis & pacis non inuenient ſtabilimentum. Sicut in Euangelio legitur, quod Scribæ & Pharisæi *abeuntes conſilium inierunt aduerſum* IESVM, *vt caperent eum in ſermone.* Matt. 22. Et item: *Principes ſacerdotum conſilium fecerunt, quomodo Ieſum dolo tenerent & occiderent.* Matt. 26. Marc. 14. Vnde in Pſalterio, Beatum virum eſſe dicit, *qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Pſal. 1. Solummodo ergo ſalubre eſt conſilium quod ex Spiritus ſancti dono iuxta legem diuinam per fidelium, & Deum timentium profertur documentum.

G *In via ruinæ non eas, & non offendas in lapides, nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* Via ruinæ eſt hæretica doctrina, in qua non eſt ambulandum, quia offenſio errorις & ſcelerum ibi conſiſtit. Quod autem dicit: *ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum,* oſtendit quod infinitis & irrationabilibus non debemus inſiſtere quæſtionibus, ne fortè in errorem corruamus, ſi vltra modum ea, quæ latent perſcrutari velimus. Vnde ſcriptum eſt: *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud.* Prou. 25. Et item: *qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit: & qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimitur à gloria.* Ibid. Vtrunque enim docet, vt & caueamus alienos ſequi errores, & propria vltra modum quærentes & diſputantes non condamus. Tertium quippe adhuc addit quod neceſſarium nobis eſt obſeruare, vbi dicit.

A filiis tuis caue, & à domeſticis tuis attende. Vt caueamus etiam ne prauis actibus Catholicorum & peruerſis exemplis, quas falſi fratres & carnales quiq; in Eccleſia oſtendunt, ad peccandum ſeducamur, quin potius illud ſectemur, quod inferius ſubiungitur, dicens.

H *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hæc eſt enim conſeruatio mandatorum. Qui credit Deo, attendet mandatis, & qui confidit in illo, non minorabitur.* Quicquid enim agendũ nobis eſt ſecundum Catholicæ fidei regulam, illud temperare debemus & iuxta mandatorum Dei cuſtodiam, quoniã qui veraciter Deo credit, mandata eius cuſtodit. Ceterum qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt: 1. Ioan. 2. Qui ergo confidunt in illo, non minorabuntur, nec à maligno ſcandalizabuntur. Vnde per Prophetam dicitur: *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem.* Pſal. 124. Et alibi: *Omnis,* inquit, *qui credit in illo, non confundetur.* Ioan. 13.

CAPVT XI.

Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit, & liberabit a malis. Cap. 33. Certum eſt

quod

A quod timenti Dominum non occurrent mala futura, quę iniquis pro peccatis ſuis præparata ſunt, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit, quia iuxta Beati Petri ſententi- 2. Pet. 2. am, *nouit Deus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem iudicij cruciandos reſeruare*; liberauit enim Dominus electos ſuos à malis, quia defendit eos à malignorum Spirituum ſuggeſtionibus, nefandis & prauorum hominum a- Pſal. 33. ctionibus peruerſis, *immittet enim Dominus angelum ſuum in circuitu timentium eum* iuſtorum, *& eripiet eos.* Salus autem à Domino eſt, & protector eorum eſt in tempore tribulationis.

Sapiens non odit mandata & iuſtitias, & non illidetur quaſi in procella nauis. Ille verò ſapiens eſt, qui non odit ſed diligit Dei mandata, & ſeruat iuſtitias eius: hic in naui Eccleſiæ poſitus non illidetur procella perſecutionum & turbine tentationum, ſed per Ieſum procellas tempeſtatum imperio ſedantem, & fluctus ſæui maris conculcantem liberabitur, & ad portum ſalutis perducetur.

Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. Si ille ſenſatus & ſapiens eſt, qui credit legi Dei, omnino ille inſenſa- B tus & ſtultus eſt, qui non credit & non obtemperat legi diuinæ: quia lex Dei fidelis eſt, & non eſt in illa vlla iniquitas, ſed plena felicitas. Lex enim Domini (iuxta pſal- Pſal. 18. mographi ſententiam) eſt irreprehenſibilis, *conuertens animas. teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.*

Qui interrogationem manifeſtat, parabit verbum, & ſic deprecatus exaudietur, & conſeruabit diſciplinam, & tunc reſpondebit. De ſanctis Doctoribus dicit, qui vt ad interrogata cōdignè reſpondere poſſint, præparant verbum in corde ſuo, & deprecantur Dominum, vt ipſe eis manifeſtet rei veritatem, & conſeruant digna operatione, quæ ipſæ iuſſit eis cuſtodire: & ſic meditando, orando, operando, condignum interrogantibus ſe præbent reſponſum. Sic enim 2. Tim. 2. Paulus diſcipulum docuit, dicens: *Sollicitè cura teipſum pro-* 1. Pet. 3. *babilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* Hinc & Petrus ait: *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe & fide.* Econtra verò de ſtultis prædicatoribus ſequitur:

C *Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Sicut ergo rota carri & axis verſatilis inſtabili motu à ſummis ad ima, ab imis ad ſuperiora ſe vergunt: ſic ſtultorum præcordia, & hæreticorum cogitatio perueſla ſemper inſtabiles ſunt: & aliquando hoc, aliquando verò illud cogitant, agunt, & docent: nec aliquid apud eos fixum & ſtabile manet, ſed ſemper vario modo mu- Eccli. 27. tantur. Vnde de eis ſcriptum eſt: *Stultus vt luna mutatur.* Prou. 15. Et item: *Cor* (inquit) *ſtultorum diſſimile erit.*

Equus emiſſarius ſicut amicus ſubſannator, ſub omni ſupra ſedente hinnit. Comparationem elegantem irrationalis animantis ad ſtultum amicum facit: quia ſicut in bruto iumento nulla eſt ratio: ita & in falſo amico nullus eſt æquitatis ordo. Sicut enim equus laſciuus & ſuperbiens hinnitu ſuo non diſcernit inter verum Dominum & alienū: ſic ſtultus & deriſor non diſcernit Spiritu ſuo inter hypocritam & fidelem amicum: ſed per oris officia, mentis æqualiter vtrique pandit ſecreta.

Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole? à Domini ſcientia ſeparati ſunt facto ſole & præceptum cuſtodiente. Quia prius vituperauit ſtulti hominis im- D prudentiam, quoniam nullam in rerum diſſimilitudine habuit diſtantiam, nunc à conditore vniuerſorum oſtendere vult in rebus omnibus eſſe ordinem decentiſſimum. Dies ergo *diem ſuperat, & lux lucem, & annus annum*, propter aſcendentis & deſcendentis ſolis curſum, qui girat ad meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans vniuerſa circuitu ſuo, & luminaribus minoribus radijs ſuis præſtat ſplendorem, diſcernens tempora, dies & annos, quia in æſtate longiores & clariores dies reddit quàm hyeme, & annum lunæ & cæterorum ſiderum facit inter ſe ordinabiliter differentiam habere: quia ad hoc creatus eſt cū cæteris ſyderibus, vt eſſent in ſigna, & tempora, & dies, & annos, & hominibus qui legem Dei accepturi forent, certa feſtiuitatū demonſtrarent tempora. Vnde ſequitur.

Et immutauit tempora, & dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebrauerunt ad horam. Ex ipſis exaltauit & magnificauit E *Deus, & expoſuit in numerum dierum.* Quid enim aliud Dominus in lege præcepit de dierum, menſium, & annorum obſeruantia, niſi quod ſol & luna curſu ſuo denotant? Inde ſabbatum, inde neomeniæ, inde phaſe, inde pentecoſtes, inde menſis ſeptimus, inde & annus ſeptimus, inde & quinquageſimus ritu ſuo celebrantur, vt intelligamus omnia à Deo ordinabiliter eſſe conſtituta, & maxime illi hoc placere, quod ſecundum ordinem & rationem fit.

Et omnes homines de ſolo & ex terra vnde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipſis benedixit & exaltauit, ex his ſanctificauit, & ad ſe applicauit, & ex ipſis exaltauit & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum. Poſtquam de ſiderum diſpoſitione & ordine temporum diſputauit, de hominum quoq; conditione ſubiunxit: vt intelligeremus omnia ordinatione ſubſiſtere Dei, nec aliquid in rerū vniuerſitate confuſum & inordinatum eſſe. *Et homines* (inquit) *omnes de ſolo & ex terra*, ſubauditur, fecit. Quia protoplaſtum parentem no- F ſtrum ex limo terræ formauit, vnde omne genus hominū originem duxit. Sed poſtquā ipſi multiplicari cœperunt, & quidam illorum varijs erroribus & peccatis ſe obligauerunt, diſcreuit inter eos, & ſeparauit illos ab eis, qui in ſua fide & iuſtitia perſtiterunt: & eos qui digni fuerunt, benedixit: illos verò qui impiè geſſerunt, æterna maledictione reos iuſte damnauit. Vnde ſcriptura ſacra numerat Abel, Enos, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, & Iacob, & cæteros Sanctos, qui diuino cultui ritè inſiſtebant, & vera religione vni Deo deuotè ſeruiebant. Illos autem qui deſerentes verū Deum, falſis deſeruiebant idolis, & multiplicibus ſceleribus ſemetipſos obnoxios fecerunt, partim diluuio, partim peſtilentiæ clade, & veracium cultorum Dei gladio & deuaſtatione deleuit atq; conſumpſit. Ideo dicit: *& conuertit illos à ſeparatione ipſorum*, quia ſua diſcretione illos diſtinxit, quibus pro benefactis præmia condigna daret, & quibus pro malefactis iuſta tormenta rependeret. In manu ergo potenti ſummus artifex operis ſui iuxta voluntatem ſuam diſtinctionem congruam ef- G fecit. Vnde ſubiungitur:

Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud & diſponere. Omnes viæ eius ſecundum diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius, qui ſe fecit, & reddet illi ſecundum iudicium ſuum. In poteſtate ergo ſua omnipotens conditor habens maſſam humanæ naturæ, vnumquodque vas ſecundum voluntatem ſuam fingit ac format, *nec eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius*: nec tamen eum quiſquam iniuſtum dicere debet, quia omnia iuſtè & ſecundum ordinem facit. Vnde A- Rom. 9. poſtolus de præſcientia Dei & poteſtate in Epiſtola ad Romanos diſputans, in exemplum Iacob & Eſau aſſumendo, quomodo vnum ſecundum præſcientiam ſuam elegerit, alterum ſecundum iudicium deſeruerit: ne aliquis iniuſtè factum eſſe crederet, inter cætera ſic ait: *Quid* Ibidem. *ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Abſit.* Et non Ibidem. multò poſt: *An* (inquit) *non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Magna eſt iniquitas & præſumptio, reſpondere in aduerſis hominem Deo, iniquum iuſto, malum bono, imperitum perfecto, infirmum fortiſſimo, corruptibilem incorrupto, immortali mortalem, ſeruum nequam Domino optimo, creaturam conditori. In po- H teſtate enim authoris eſt, qualem velit condere creaturam. Vnde & Deus cum omnes ex vno, atque ex eadem maſſa ſimus in ſubſtantia, & cuncti peccatores, alijs miſeretur, & alios deſpicit: ſed non tamen ſine iuſtitia: in figulo enim homine tantum eſt voluntas iuxta liberum arbitrium, in Deo autem vniuerſorum conditore ſemper iuſta eſt voluntas cum omnipotentia. Vnde ſcriptum eſt: *Omnia quæcunque voluit fecit.* Scit enim cuius debeat miſereri ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem ſuam, & quem deſpicere ſecundum iuſtitiam & iudicium ſuum: nec enim ſumma iuſtitia aliquid velle aut facere poteſt, niſi quod omnino iuſtum eſt. Vnde dicitur: *Omnes* Eccli. 33. *viæ ſecundum diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius qui ſe* Prou. 16

Digitized by Google

A *fecit, & reddes illi ſecundum iudicium ſuum.* Deus enim quia omnium eſt parens, ideo nulli malè vult: quia ergo fecit, incolumia vult manere, nec competit ei vt iniuſtus ſit: cuius beneuolentia tanta apparet, vt non ſolum faceret eſſe quæ non erant, verum ea ipſa vitâ æternâ donaret & gloria: vt opus eius aliquid maieſtatis eius ſimile haberet. Qui ergo tam prouidus & bonus eſt, ambigi non debet quia iuſtus eſt.

Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi. Duo & duo, & vnum contra vnum. Diligens inueſtigator operum Dei & pius ſcrutator viarum eius inuenit in rerum ordine diſtantiam, & quandam inter ſe contrarietatem, ſed tamen ſapientia Dei mirabiliter ordinatam. Vnde dicit: *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator.* Non eſt ergo mali Deus conditor, de quo ſcriptum eſt: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* Nec mortis eſt author: de quo alibi legitur: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium:* ſed vniuerſitatis mirabilis & inenarrabilis ipſe eſt ordinator. Aliud eſt enim eſſe naturam, aliud vitium: aliud eſſentiam, aliud defectum: aliud ſpeciem, aliud priuationem. Dico eſſe omnia bona, & addo, vt fiat planius, inquantum ſunt. Omnia ergo quæ ſunt, inquantum ſunt, id eſt inquantum naturæ, inquantum eſſentiæ, inquantum ſubſtantiæ ſunt, vel ſi quo alio verbo eadem res planius enunciatur, ex Deo eſſe dicimus. Vitia verò eſſentiarum, quæ priuantur ſpecie ac pulchritudine, non eſt eſſe Deo. Si quæris vnde ſint, diligenter attende quid faciant. Vt enim natura quæque res non aliud quàm eſſe cogitur, ita vitium (nam id eſt contra naturam) in contrarium repellitur, id eſt, vt non ſit, & peſſimè id quod eſt pereat. Vnde vitioſiſſimum peſſundatum & perditum, quanquam & hoc vſitatum nequiſſimorum nomen eſt, quia iam perditi vocantur, & ipſa nequitia de nihilo aſſeritur traxiſſe vocabulum, & reuera tendit ad nihilum.

Gen. 1.
Sapien. 1.
B

Ego nouiſſimus euigilaui, & quaſi qui colligit racemos poſt vindemiatores. In benedictione Dei & ipſe ſperaui: & quaſi qui vindemiant repleui torcular. Cuſtos humilitatis non ſe arrogantei voluit oſtentare, ſed tamen voluit de ſe omnino veritatem non reticere: noluit enim ſe antiquis ſcriptoribus ſacrorum librorum, quos vini ſpiritalis vindemiatores vocat, aliquo modo præferre: ſed tamen non negauit ſe eorum cooperatorem eſſe, dicit ſe nouiſſimum vigilare, & in benedictione Dei ſperare, & ob hoc quaſi vindemiatorem torcular replere, vt oſtenderet gratiam ſibi diuinam ſicut & cæteris patribus adeſſe, vt fructum ſcientiæ abundanter proferret. Similiter & Paulus Apoſtolus humilia de ſemetipſo ſentiens, tamen gratiam Dei ſibi collatam noluit celare: qui narrans in Epiſtola ſua quomodo Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulis apparuit, de ſemetipſo ita ſubiunxit, dicens: *Nouiſſimo autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non autem ego, ſed gratia Dei mecum.*

C
1. Cor. 15.

Reſpicite quia non ſolum mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus diſciplinam. Doctor Catholicus non ſolum in labore ſuo ſibi vtilis eſt, dum quærendo & meditando lucem acquirit ſapientiæ, ſed etiam alijs profectuoſus, cum in doctrinis ſuis eis exhibet correctionem vitæ & moleſtiam diſciplinæ.

D

Audite me magnates, & omnes populi & rectores Eccleſiæ auribus percipite. Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua; & non dederis alij poſſeſſionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. Omnes quippe communiter, id eſt, magnos & paruos, rectores & ſubditos, nobiles & ignobiles admonet, vt iuris ſui rationem non omittant, quia non aliter vitæ ſuæ habere poſſunt pacem & quietem. Quiſquis enim authoritatem primatus ſui irrationabiliter perdit, ſemetipſum in deſpectionem & anguſtiam mittit; qui autem locum ſuum recta fide, ſana doctrina, & bonis operibus ſeruat, ſemetipſum cuſtodit, & filios atque diſcipulos ſuos in ordinem diſciplinæ & profectum virtutum dirigit: vnde ſubiungitur:

E

Dum adhuc ſuperes & adſpiras, non immutabit te omnis caro. Melius eſt enim vt filij tui te rogent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum. In omnibus operibus tuis præcellens eſto, ne dederis maculam in gloria tua. In die conſummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui diſtribue hæreditatem tuam. Hæc omnis ratio & patres hiſtorialiter docet, quomodo filijs ſuis ritè præſint, & cum diſciplina illos nutriant, quouſque ad perfectam ætatem venerint, vt digni hæredes parentum ſuorum poſt diſceſſum illorum poſſint exiſtere: & rectores Eccleſiæ ſpiritaliter inſtruit, vt dignitatem ordinis ſui cum authoritate rationabili & iuſto moderamine vſque ad finem teneant: & ſic benè enutritos diſcipulos vtiles hæredes ſui laboris relinquant. Inter hæc tamen ſciendum, quod humana mens plerunque extollitur, etiam cum nulla poteſtate fulcitur: quanto magis in altum ſe erigit, cum ſe ei etiam poteſtas ſubiungit? quam tamen poteſtatem rectè diſpenſat, qui ſollicitè nouerit & ſumere ex illa quod adiuuat, & expugnare quod tentat: & æqualem ſe cum illa cæteris cernere, & tamen ſe peccantibus zelo vltionis anteferre. Summus itaque locus benè regitur, cum is qui præeſt, vitijs potius quam fratribus dominatur: ſed cum delinquentes ſubditos præpoſiti corrigunt, reſtat neceſſe eſt, vt ſollicitè attendant, quatenus per diſciplinatus debitum delicta quodam iure poteſtatis feriant: ſed per humilitatis cuſtodiam, æquales ſe ipſis fratribus, qui corriguntur, agnoſcant. Sollerter quippe intuendum, ne dum immoderatius cuſtoditur virtus humilitatis, ſoluantur iura regiminis, & dum prælatus quiſq; plus ſe quàm decet deijcit, ſubditorum vitã ſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poſſit: teneant ergo rectores exterius quod pro aliorum vtilitate ſuſcipiunt, ſeruent interius quod de ſua æſtimatione pertimeſcunt; ſed tamen quibuſdã ſignis decenter erumpentibus eos apud ſe humiles etiam ſubiecti deprehendãt, quatenus & in authoritate eorum, quod formidant videant, & de humilitate quod imitentur agnoſcant. Studeant igitur ſine intermiſſione qui præſunt, vt eorum potentia quantò magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur: ne cogitationem vincat, ne in delectationem ſui animum rapiat, ne iam ſub ſe mens eam regere non poſſit, cui ſe libidine dominandi ſupponit. Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex ſimilitudine diſciplinæ, miniſterium regiminis vertit in vſum dominationis: & tamẽ nonnunquam grauius delinquitur, ſi inter peruerſos plus æqualitas quàm diſciplina cuſtoditur. Quia enim falſa pietate ſuperatus Heli ferire delinquentes filios noluit, apud diſtrictum iudicem ſemetipſum cum filijs crudeli damnatione percuſſit. Proinde rectores & magiſtri Eccleſiæ ritè ordinem ſuum teneant, & cum diſciplina ſubditos ſibi regant atq; cuſtodiant, vt dum benè miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirant, & regnum æternum pro bonis meritis Chriſto tribuente in fine vitæ ſuſcipiant.

F
G
1. Reg. 2. & 4.

CAPVT XII.

Cibaria & virga & onus aſino: panis & diſciplina & opus ſeruo. Operatur in diſciplina, & quærit requieſcere: laxa manus illi, & quærit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ. Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas. In opere conſtitue eum, ſic enim condecet illum. Quòd ſi non obedierit, curua illum compedibus, & non amplifices ſuper omnem carnem: Verum ſine iudicio nihil facias graue. Hic de diſciplina ſeruorum diſputat, qui aliquando degeneres animos peruerſis moribus oſtendunt; ſed tales neceſſe eſt vt dominorum ſuorum conſtringantur ſeueritate, nec peccando illicita fruantur libertate. Non eſt enim in eis conditio naturæ deſpicienda, ſed improbitas morum coërcenda: vt ſciant ſe ſubditos eſſe debere, & non proterua ſuperbire voluntate. Illi enim rectè dicuntur ſerui, qui ſe vitiorum ſubigunt dominationi; Illi verò qui ſe ad obediendum ſubdunt iuſtitiæ & æquitati, & veritatem rectè tenent Catholicæ fidei, illi per omnia aſcribendi

H

ſunt

A ſunt huic libertati, qua Chriſtus liberauit nos, qui in Euangelio ait: *Si ergo filius vos liberauerit, verè liberi eſtis.* (*Ioan. 8.*) Nam (vt quidam Poëtarum ait) *Libertas nulla eſt melior maiorve poteſtas, quam ſeruire Deo, cui benè ſeruit amor.* De ſcribitur ergo hic ſapientia dictante, qualis eſſe debet ſeruilis nutritura, & qualis erga indomitos diſciplinæ ſtrictura: ita vt habeant victum & veſtitum, & non otioſè vagandi illis concedatur otium, quoniam otioſitas inimica eſt animæ. Sed quoniam cum menſura debent fieri omnia, inde ſubiungitur,

Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem, ſic eum tracta: quoniam in ſanguine animæ comparaſti eum. Si læſeris illum iniuſtè, in fugam conuertetur: & ſi extollens diſceſſerit, quem quæras, & in qua via quæras illum, neſcis. Superius ſerui boni conſcripſerat legem, ita dicens: *non lædas ſeruum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam ſuam. Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum*, &c. In quo oſtenditur quia eiuſdem nobiſcum ſunt naturæ, ſi beneuoli ſint & obedientes, quod ita tractandi ſunt vt fratres: B ſi autem duri & ſuperbi, condigna ſint pœna & diſciplina coërcendi. Quod autem dicit, vt fratrem eſſe eum tractandum, quoniam ex ſanguine comparauimus eum, ſignificat quod naturam communem in eo diligere debemus, & ſi neceſſe eſt, animam noſtram pro eis ſicut fratribus eſſe ponendam. Non enim hominem debemus odiſſe & perſequi, ſed vitijs, quæ nocent homini & ad interitum, ſi præualuerint, certum trahunt, omninò nobis eſt reſiſtendum.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

Cap. 34 C *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato: & ſomnia extollunt imprudentes. Quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum: ſic & qui attendit ad viſa mendacia. Hoc ſecundum, hoc viſio ſomniorum: ante faciem hominis, ſimilitudo alterius hominis. Ab immundo quis mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? diuinatio erroris & auguria, mendacia & ſomnia malefacientium vanitas eſt. Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur: niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Inſinuat quod viſa ſomniorum ſæpè per mendacium malignorum ſpirituum homines deludant, & credentes ſibi in errores noxios mittant, ſi non cautè ea diſcernere curauerint. Vnde præmonet, dicens: *Ab immundo quis mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Diuinatio errorum, & auguria, mendacia & ſomnia malefacientium vanitas eſt.* Vnde in lege ita præceptum eſt: (*Leuit. 19.*) *Non obſeruabitis ſomnia, neque diuinationes & auguria ſequemini.* Sed quia aliquando reuelationes per ſomnia fiunt, ſicut in diuinis libris ſæpius demonſtratum inuenimus: non ingratum æſtimo lectori, ſi Beati Gregorij verba de diſcretione ſomniorum in hoc opuſculo noſtro ponamus, (Gregorius de diſcretione ſomniorum.) qui Petro Diacono ſuo ſciſcitanti, vtrum hoc, quod per nocturnas viſiones oſtenditur, debeat obſeruari, ita reſpondet, dicens: *Sciendum Petre eſt quia ſex modis tangunt animum imagines ſomniorum: aliquando namque ſomnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando illuſione, aliquando cogitatione ſimul & illuſione, aliquando reuelatione, aliquãdo autem cogitatione ſimul & reuelatione generantur. Sed duo quæ prima diximus, omnes experimento cognoſcimus: ſubiuncta autẽ illis, quod in ſacræ ſcripturæ paginis inuenimus.* D Somnia etenim niſi plerũq; ab occulto hoſte per illuſionem fierent, nequaquam hoc vir ſapiens indicaret, dicens: *Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis, vel certe non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia.* Quibus profectò verbis cuius ſint deteſtationis oſtenditur, quæ augurijs coniunguntur. Rurſum niſi aliquando ex cogitatione ſimul & E illuſione procederent, vir ſapiens minime dixiſſet: *Multas curas ſequuntur ſomnia:* & niſi aliquando ſomnia ex myſterio reuelationis orirentur, Ioſeph præferendum ſe per ſomnia fratribus non videret: (*Gen. 37.*) nec Mariæ ſponſum, vt ablato puero in Ægyptum fugeret, per ſomnium Angelus admoneret. (*Matt. 2.*) Rurſum niſi aliquando ſomnia à cogitatione ſimul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel Propheta Nabuchodonoſor viſionem diſſerens à radice cogitationis inchoaſſet, dicens: (*Daniel 2.*) *Tu rex cœpiſti cogitare in ſtratu tuo quid eſſet futurum poſt hæc, & qui reuelat myſteria oſtendit tibi, quæ ventura ſunt.* Et paulò poſt: (*Ibidem.*) *Videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis, ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te*, &c. Daniel itaque dum ſomnium & implendum reuerenter, & ex qua ortum ſit cogitatione manifeſtat, patenter oſtenditur, quia hoc plerunque ex cogitatione ſimul & reuelatione generetur. Sed nimirum cum ſomnia tot rerum qualitatibus alternentur tantò eis credi difficilius debet, quantò & ex quo impulſu veniant facilius non elucet. Sancti autem viri inter illuſiones atque reuelationes ipſas viſionum voces aut imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant vel quid à bono Spiritu percipiant, vel quid ab illuſione patiantur. F Nam ſi erga hæc mens cauta non fuerit, per deceptorem Spiritum multis ſe vanitatibus immergit, qui nonnunquam ſolet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vana aliqua falſitate laqueare: Sicut cuidam noſtro nuper certum eſt contigiſſe: qui dum ſomnia vehementer attenderet, ei per ſomnium longa ſpatia huius vitæ promiſſa ſunt; cumque multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendijs collegiſſet, ita repentè defunctus eſt, vt intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret.

Sine mendacio conſummabitur verbum legis & ſapientia in ore fidelis complanabitur. Spretis ſomniorum fictionibus vir ſapiens hortatur, magis credendum eſſe doctrinæ ſapientiæ, quæ in ore fidelis viri complanata ſine mendacio conſummat verbum, quàm inani fallaciæ peruerſorum. Illud enim omnino tenendum & ſeruandum eſt, quod lex diuina & Euangelium docet: & neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram ab eo declinandum eſt: quia Spiritus ſancti diſtributione, quæ ibi ſcripta continentur, ad ſalutem humani generis in mundum directa ſunt. G Sed quia alij ſunt, qui Spiritibus erroris decepti vana ſequuntur ſomnia, alij vero falſam doctrinam ſequuntur hæreticorum: ideò in ſequentibus admonet, vt, qui ex diuinis libris didicit veritatem, & expertus eſt in hæreticis & eorum ſequacibus diaboli præualere falſitatem, inde ſe ſeparet, & diuinorum librorum magiſterium per omnia ſequatur.

Qui non tentatus eſt, quid ſcit, vir in multis expertus, cogitauit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum: Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit. Tentatio hic experientiam ſignificat tribulationis, quæ electis exhibetur ad probationem; ſicut ſcriptum eſt: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* (*Eccl. 27.*) Quantò enim quis tribulationis experitur labores, ſi in fide perſtiterit & patientiam ſeruauerit, tantò contra alios labores in tolerantiæ virtute fortior erit, & qui multa didicit, id eſt, multa ſanctarum Scripturarum myſteria in ſinu mentis ſuæ colligit, ipſe alijs verbum ſani intellectus & ſpiritalis conſolationis ritè enarrare valebit. Vnde & Paulus ait: (*2. Cor.*) *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo.* H Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Idem alibi ad eoſdem Corinthios ait: (*2. Cor. 8.*) *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorũ abundauit in diuitias ſimplicitatis eorũ. Tribulatio enim patientiã operatur: Patientia vero probationem: Probatio vero ſpem. Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui*

A; *datum eſt nobis.* Qui ergo non habet tribulationis experientiam, nec virtutum ipſe poteſt habere copiam. Ideo dicit: *qui non eſt expertus, pauca recognoſcit.*

Qui autem in multis factus eſt, multiplicauit malitiam ſuam. Quid enim vult inſinuare in eo quod dicit, *qui in multis factus eſt, multiplicauit malitiam ſuam:* niſi quòd ille qui mutabilis eſt mente, & per multas curas ac ſollicitudines ſæculi diuiſus, inſtabilis eſt, actione multorum vitiorum criminibus ſæpe fit obnoxius? vel aliter, qui vnitatem fidei perdendo multiplices hæreticorum ſectas deluſus ſequitur, multorum ſcelerum impietatibus implicatus pernitioſè deſeruit, & malitioſæ mentis multam nequitia oſtendit.

Multa vidi errando, & plurimas verborum conſuetudines. Hoc demonſtrat, quòd qui intentâ mente meditatur Scripturam ſacram, & humili corde deprecatur Deum, vt per gratiam Spiritus ſui earum ſibi tribuat intelligentiam, hic rerum ſcientiam ac verborum ipſo donante percipiet copiam, & quod gratiam ſæpè comitatur perſecutionis anguſtia, inde ſubiungit:

B *Aliquoties vſque ad mortem periclitatus ſum horum cauſa, & liberatus ſum à gratia Dei.* Virtus enim in infirmitate
2.Cor.12. perficitur. Vnde & Paulo Apoſtolo datus eſt ſtimulus carnis ſuæ, angelus ſatanæ, vt eum colaphizaret, & non tam ſibi, quàm cæteris Euangelij prædicatoribus multæ illatæ ſunt à perſecutoribus iniuriarum moleſtiæ, vt earum contritione admoniti humilitatis bonum non perderent, & gratiam virtutum conſeruarent. Dominus autem electos ſuos liberat ab omni anguſtia, & non derelinquet omnes qui ſperant in ſe. Vnde ſubiungitur.

CAPVT II.

SPiritus timentium Deum quæritur, & in conſpectu illius benedicitur. *Spes enim illorum in ſaluantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe.* Prope eſt enim Dominus omnibus inuocantibus ſe in veritate: & Spiritus, hoc eſt, voluntates timentium ſe conſpicit, & eorum orationes exaudiet, tribuens eis benedictionem ſupernam: & ſaluos faciet eos, conferendo illis vitam æternam.
C Cuſtodit omnes diligentes ſe, & omnes inimicos eorum diſperdet. Vnde & ſemetipſos conſolantur, & de futura remuneratione ſpe certâ gratu-
2.Cor.4. lantur, dicentes cum prædicto Doctore gentium: *Licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ vi-*
2. Cor. 5. *dentur, ſed quæ nō videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.*

Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit; quoniam ipſe eſt ſpes eius. Qui enim timet & ſpem in illo habet, quomodo hoſtium minas & perſecutiones horret? Vnde
1.Petr.3. & Petrus Apoſtolus hortatur, dicens: *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris.*

Timentis Deum beata eſt anima, cui ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo eius? Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis & adiutorium caſus, exaltans animā,
D *& illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam & benedictionem.* Cum ait timentis Deum beatam eſſe animam, teſtatur quaſi neſcius ad quem ipſa anima reſpiciat, & quis ſit fortitudo eius interrogat, cui tamen interrogationi ipſe ſtatim reſpondit. Quæ figura Græcè erotema dicitur: quando interroganti ſit apta reſponſio. Dicit enim: *oculi Domini ſuper timentes eum,* hoc eſt, intuitus miſericordiæ eius ſuper credentes in eum: Ipſe eſt protector potentiæ ab omni aduerſitate protegens eos. Firmamentum virtutis confortans illos. Ipſe eſt tegimen eorum contra ardorem tentationis, & vmbraculum contra validum æſtum perſecutionis: hoc enim meridiem ſignificat. Ipſe eſt propitiatio delens delicta offenſionis: hic præbet adiutorium ſuis ne

E cadant in peccatis maximis, exaltans animas fidelium ſuorum in culmine perfectionis, & illuminans oculos mentis eorum, præbens eis gratiam internæ contemplationis. Dat ipſis ſanitatem incorruptionis, vitam immortalitatis, & benedictionem perpetuæ hæreditatis. *Venite* Matt. 25.
(inquit) *benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

CAPVT III.

IMmolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata: & non ſunt beneplacitæ ſubſannationes iniuſtorum. Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis & iuſtitiæ. Diſputaturus de oblationum qualitate primo demonſtrat, vt immolatio ex iniquo lucro oblata deſpecta & deteſtabilis ſit coram oculis Dei, quam etiam nuncupat ſubſannationem iuſtorum: quia quaſi irriſio fit ante Deū, quando id quod malum eſt Deo gratum eſſe arbitratur. Cū diuina Maieſtas non aliud donum accepto fert, niſi quod ex iuſta acquiſitione ſecundum regulam veritatis per fidem veram & dilectionem illi offertur. F

Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Certum eſt, quòd ille qui iniquitatem facit, & peccatum vitare non curat, gratam oblationem Deo offerre non poteſt, nec veniam promereri delicti: ſed qui fugit vitia, & dignâ pœnitentiâ ac lachrymarum effuſione delere ſua ſtudet peccata, hic Deo acceptabilia offert
munera: quia *ſacrificium eſt Deo Spiritus contribulatus, cor con-* Pſal. 50.
tritum & humiliatum Deus non ſpernit: aliter hoc loco reprobantur oblationes carnales Iudæorum, quæ poſt Chriſti aduentum non Deo, ſed dæmonijs offerebantur. Qui nō timentes ſanguinem Prophetarum & Apoſtolorum fundere, victimarum ſuarum Deo ſperabant multitudinem placere, cum iamdudum eorum immolationes per Eſai-
am Dominus reprobaret, dicens: *Quo mihi multitudinem* Eſa.1.
victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum; holocauſta arietum: adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorū, & hircorum nolo. Cum veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis? ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi. G
Neomeniam & ſabbatum & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: Calendas veſtram & ſolennitates veſtras odiuit anima mea. Facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens: & cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non audiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. Quale autem ſacrificium Deo placeat,
per Pſalmiſtam ipſe Dominus declarat, dicens: *Sacrificium* Pſal. 49.
laudis honorificabit me, & illic iter eſt in quo oſtendam illi ſalutare Dei.

Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Quid namque eſſe intolerabilius poteſt, quàm mors filij ante oculos patris? H
Hoc itaque ſacrificium quanta ira aſpiciatur oſtenditur, quod orbati patris dolori comparatur, & tamen plerunque quanta tribuunt, penſant: quanta autem rapiunt, conſiderare diſſimulant: quaſi mercedem numerant, & perpendere culpas recuſant. Audiant itaque quod ſcri-
ptum eſt: *Qui mercedes congregauit, miſit eas in pertuſum ſac-* Agge.1.
culum. In ſacculo quippe pertuſo videtur quando pecunia mittitur, ſed quando amittitur non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aſpiciunt, ſed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuſo ſacculo mercedes mittunt: quia profectò has in ſpem ſuæ fiduciæ intuentes congerunt, ſed non intuentes perdunt.

Panis egentium, vita pauperis eſt: qui defraudat illū, homo ſanguinis eſt. Quia pauper non diuitias congregat, ſed victus

neceſ-

Digitized by Google

A

neceſſaria parat: qui hoc ei tollit, vnde viuere debuit, quaſi ſanguinē eius fundādo interimit. Vnde & ſequitur.

Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidat proximum ſuum. In ſudore enim vultus ſui pauper ſibi acquirit panem, ſed qui hunc ſibi per violentiam tollit, proximum ſuum rapacitatis gladio interficit. Vnde huiuſmodi oblatio Deo grata non erit: quia non ſuo labore, ſed alieno damno acquiritur: violenter enim exquirit, quæ miſericorditer largiatur. Sed aliud eſt pro peccatis miſericordiam facere, aliud pro miſericordia facienda peccare: quæ iam nec miſericordia nuncupari poteſt, quia ad dulcem fructum non proficit, quæ per viros peſtiferæ radicis amareſcit. Hinc eſt enim, quod ipſa etiam ſacrificia per Prophetam Dominus reprobet, dicens:

Eſa. 61. Prou. 21.

Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſtum. Hinc iterum dicit: *Hoſtia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere.* Qui ſæpe quoque & indigentibus ſubtrahunt, quæ Deo largiuntur.

Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. Fratres eos dicit non generatione, ſed ſcelerum imitatione, & peccatorum ſimilitudine. Ideo quoq; ſæpius repetit ſanguinis effuſionem in comparatione rapinæ & fraudis, vt ex reatu homicidij quod omnibus patet grauiſſimum ſcelus eſſe, alia quæ minus noxia eſſe videbantur, immania & morti perpetuæ digna agnoſcantur.

B

Vnus ædificans & vnus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor? Vnus orans & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus? Hoc eſt, quod ſuperius dixit, Deo ſacrificium acceptabile non eſſe, quod ex rapina quis illi ſtudet offerre. Is ergo qui offert munus ex ſcelere, videtur ſibi virtutum ædificium præparare, & non perpendit hoc opus largitatis non eſſe, ſed crimen auaritiæ. Vnus orat, quaſi pro ſuo facto Deum benedicendo: Alter querimoniam paupertatis ſuæ profert ad Dominum voces exaltando. Et ideo horũ oratio cum odore ſuauitatis ad Dominum non aſcendit, quia concordia dilectionis eam ad aures diuinæ pietatis non producit.

C

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet? Baptizatur quippe à mortuo qui mundatur fletibus à peccato: ſed poſt baptiſmum mortuum tangit, qui culpam poſt lachrymas repetit. Sed quid proficit lauatio illius, cum non permanet emundatio eius? Ieiunat & plorat pro peccatis ſuis, ſed tamen recedere non vult ab ipſis; vnde eius oratio à Domino exaudiri non meretur. Quid eſt enim culpam flere, niſi humilitatem Deo deuotionis ſuæ oſtendere? Et quid eſt poſt fletum praua agere, niſi ſuperbas in eum quem rogauerat inimicitias exercere? Iacobo atteſtante, qui ait: *Quicunque voluerit amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* Dominus ergo quid nobis faciendum ſit, per Eſaiam nos inſtruit, dicens: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſè, diſcite benè facere.* &c. Poſt lauacrum enim mundus eſſe negligit, quiſquis poſt lachrymas vitæ innocentiam non cuſtodit: Et lauantur ergo, & nequaquam mundi ſunt, qui commiſſa flere non deſinunt, ſed rurſus flenda committunt. Econtra verò lauat ſe à ſordibus & mundus permanet, qui peccata præterita lachrymis lauat, & ea rurſum non perpetrare certat, ſed bonis operibus quantum præualeret inſiſtere feſtinat: vnde Domini gratiam pro bona conuerſatione ſuâ merito inueniet. De quo & ſubditur.

Iacob. 4. Eſa. 1.

D

CAPVT IV.

Cap. 35.

QVi conſeruat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium ſalutare eſt, attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate, & deprecatio eius coram oculis Dei inueniet gratiam. Benè ergo orat, qui mandata Dei ſeruat: & ſacrificium ſalutare offert, qui munus rectæ fidei (quæ per dilectionem operatur) Deo exhibet: taliſque deprecatio coram oculis Dei inueniet gratiam: quia benè operando ſeruauit iuſtitiam. Vnde per Eſaiam dicitur: *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur: & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adſum.*

Eſa. 58.

E

Retribuit gratiam, qui offert ſimilaginem: & qui facit miſericordiam, offert ſacrificium. Vtrumque enim munus Deo eſt acceptabile, hoc eſt, illud quod in panis & vini oblatione ob commemorationem Domini noſtri Ieſu Chriſti ritè in altari offertur Deo, & hoc quod per charitatis affectum miſericorditer in neceſſitatibus ſuis confertur proximo: ſed quia hæc tunc dignè ab offerente exhibentur Deo, ſi ſe ſtuduerit immunem ſeruare à peccato, Sequitur:

Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate, & deprecatio pro peccatis recedere ab iniuſtitia. Benè placet Domino qui recedit ab errantium hæreticorum conſortio: eiuſque deprecatio multum valet apud Deum, qui malè operantium ſocietati nullo coniungitur pacto. Vnde ſcriptum eſt: *Facere miſericordiam & iudicium, magis placet Deo quam victima.*

F

Prou. 21.

Non apparebis ante conſpectum Dei vacuus. Hæc enim omnia propter mandatum Domini fiunt. In conſpectu Domini vacuus apparet, qui nihil ſecum de fructu laboris portat. Alius namque adipiſcendis honoribus exſudat, alius multiplicandis facultatibus æſtuat, alius promerendis laudibus anhelat; ſed quia cuncta hæc hic quiſquis moriens deſerit, ante Deum vacuus apparet, quia ſecum ante iudicem nihil tulit. Hinc ergo per legem ſalubriter admonemur, dicentem: *Non apparebis ante conſpectum Domini vacuus.* Qui enim promerendæ vitæ mercedem benè agendo non prouidit, in conſpectu Domini vacuus apparet. Hinc de iuſtis per Pſalmiſtam dicitur: *Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos ſuos.* Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt, qui in ſemetipſos recta opera, quibus vitam mereantur, oſtendunt.

Exod. 23. & 34. Pſal. 125.

G

Oblatio iuſti impinguat altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu altiſſimi. Sacrificium iuſti acceptum eſt, & memoriam eius non obliuiſcetur Dominus. Ideo ergo oblatio iuſti impinguat altare, quia ex veræ charitatis offertur deuotione: & ideo in conſpectu Dei ſuauis eſt odor, quia miſericordiæ & veritatis in ea re flagrat ardor: ſacrificium iuſti eſt Deo acceptum, quoniam bonorum operum eius munus Deo eſt gratiſſimum. Vnde & memoriam eius non obliuiſcetur Dominus: *Quoniam in memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit.*

Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. Omne munus quod ex bono animo non datur, gratiam coram oculis Dei nullo modo meretur: quia homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Vnde Dominus vanas laudes Iudæorum per Prophetam reprobat, dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. In vanum autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et non minuas* (inquit) *primitias manuum tuarum.* Minuit primitias operum ſuorum, qui hoc quod exterius, laborando exercet in opere, intus bonæ voluntatis non exhibet affectione. Propterea ſubdidit.

Eſa. 29. Marc. 7.

H

In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Hilarem enim datorem (Paulo atteſtante) diligit Deus, & bonam voluntatem offerentium gratiſſimam habet. Vnde duo æra minuta viduæ pauperculæ Saluator in Euangelio cunctis donarijs, quæ per diuerſos ad templum deferebantur, præpoſuit, & calicem aquæ frigidæ in populo datum non ſine mercede eſſe pronuntiauit. Primitias ergo & decimas Dominus in Exodo populo Iſraelitico iuſſit dare, ſed tunc ſolummodo acceptabiles erunt quando bono animo offeruntur. Myſticè autē primitiæ frugũ vel primogenitorũ, principia operum bonorum oſtendunt, vel ipſam bonã voluntatē, quæ prior eſt opere, quã Pelagiani ſibi tribuendo oſtendunt: Deus autem dũ illa ſibi à nobis iubet offerri, indicat

2. Cor. 9. Luc. 21. Matt. 10. Marc. 9. Exod. 22. & 23. & 34.

ad ipſius

A adipſius gratiam pertinere. In decimis itaque Deo offerendis denarius numerus perfectionem ſignificat, quia vſque ad ipſum numerus creſcit. Ideoque ſicut in primitijs principia voluntatum, ita in decimis conſummationes noſtrorum operum ad Dominum referre pręcipimur, à quo & boni operis initium, & perfectionis donatur effectus.

Da altiſſimo ſecundum datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi. Dat altiſſimo ſecundum datum ſuum, qui beneficiorum ſuorum memor, primùm ſemetipſum rectè credendo & benè operando offert Deo: quia ab ipſo habet quod ſubſtantialiter eſt, quoniam *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* (Rom. 11.) Deinde hoc quod extra ſe ſui muneris poſſidet, bona intentione totum in laudem eius expendat: Hoc eſt enim quod dicit, *Et in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus* (inquit) *ſepties tantum reddet*: hoc eſt, perfectam remunerationem retribuet. Septenarius enim numerus propter dona Spiritus ſancti, quæ in eo demonſtrantur, perfectus eſt; B & quia idem numerus interiorem & exteriorem hominis ſubſtantiam comprehendit: hoc eſt, in ternario animæ naturam, in quaternario verò corporis. Vnde ita ipſi homini in lege præcipitur: (Deut. 6.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Corpus autem notiſſimis quatuor conſtat elementis, hoc eſt, terra, aqua, aëre, & igne. Poteſt in ſeptena retributione ipſius hominis renouatio ſignificari, quando corpore incorruptibili & animâ immortali ad poſſidendum regnum patris cæleſtis Chriſto donante perducitur: tunc enim retribuitur homini ſepties tantum, quantum illis dedit, quando pro bona conuerſatione ſua ipſe ſibi, vt viuat & gaudeat in æterna beatitudine, dono iuſti iudicis reſtituetur. Sed quia ſeptenarij numeri hoc in loco mentio facta eſt, libet de eius perfectione ex ſanctorum Patrum dictis aliqua hic ponere: ſeptem namque diebus vniuerſum tempus voluitur. Æterna enim dies quæ expleta ſeptem dierum viciſſitudine ſequitur, ſcilicet octaua eſt. Vnde & Pſalmiſta reſurrectionis C diem conſiderans, quia de extremi iudicij erat diſtrictione locuturus, præmiſit titulum, In finem Pſalmus Dauid pro octaua. Vt enim quam octauam diceret demonſtraret, diem illam tremendi terroris in Pſalmi inchoationem ſecutus eſt, dicens: (Pſal. 6.) *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Septenario numero perfectio æternitatis innuitur, cum dies ſeptimus in requiem Domini ſanctificatus vocatur: cum iam veſperam eſſe non dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur. (Exod. 13. & 35. Leuit. 23. & Numer. 28.) Hinc eſt etiam quod lege data dies ſeptimus feriatus eſſe præcipitur, vt æterna per illum requies deſignetur, quia per ſeptenarium numerum præſentis vitæ vniuerſitas deſignatur. Tunc magis oſtenditur, cum poſt eum quoque etiam octonarius ſubinfertur: ſeptenarium quippe cum adhuc alius ſequitur, ex ipſo eius argumento exprimitur, quia finienda tempora æternitate concludantur. Scriptum eſt: *da partes ſeptem, nec non & octo.* Per ſeptenarium quippe numerum hoc quod ſeptem diebus agitur, præſens tempus expreſſit; per octonarium verò vitam perpetuam deſignauit: quam tamen ſuâ nobis Dominus reſurrectione patefecit, cum Dominico ſcilicet die D reſurrexit, qui dum diem ſeptimum, id eſt, ſabbatum ſequitur, à conditione octauus inuenitur. In annorum curriculo ſeptenarius numerus ſepties multiplicatus monade addito ad quinquagenarium ducitur, vt perpetuam beatitudinem ſumens, Iubilei ſacratiſſima requies obſeruetur. Septenarius numerus apud ſapientes huius ſæculi quadam ſua haberur ratione perfectus, quia ex primo pari & ex primo impari conſummatur: primus enim impar, ternarius eſt: primuſque par, quaternarius; ex quibus duobus ſeptenarius conſtat, qui eiſdem partibus ſuis multiplicatus in duodenarium ſurgit. Nam ſiue 3. per 4. ſeu 4 per 3. ducimus, ad duodenarium peruenimus. Nos quia ſuperno munere veritatis prædicamenta percepimus, hæc fixa ſcientiæ altitudine deſpicienda calcamus: hoc proculdubio inconcuſſâ fide retinentes, quia quos E Spiritus gratiæ ſeptiformis repleuerit perficit, eiſque non ſolum trinitatis notitiam, ſed etiam virtutum quatuor, id eſt, Prudentiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, atque Iuſtitiæ operationem præbet.

CAPVT V.

NOli offerre munera praua, non enim ſuſcipiet illa: & noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, quoniam Dominus iudex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ. Apud ſupernum iudicem non quantitas muneris, nec perſona potentis appenditur: ſed quantitas deuotionis, & humilitas cordis. Ideo hortatur, vt non ex iniquo lucro offeramus munera Deo, ſed ex labore iuſto: quoniam Dominus iuſtus iudex eſt, nec accipit perſonam diuitis, nec deſpicit perſonam pauperis. Vnde ſequitur:

Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & deprecationem læſi exaudiet. Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. F *Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & deprecationem læſi exaudiet*; quoniam non ſecundum perſonarum qualitatem iudicat quemquam, ſed ſecundum cauſæ rationem. *Iuſtus enim Dominus eſt & iuſtitiam diligit, æquitatem vidit vultus eius, nec ſpernit neque deſpicit preces pauperum, pupillorum, & viduarum: ſed dum clamauerint ad eum, exaudiet illos, & ſaluos faciet eos quoniam ſperauerunt in eum.* (Pſal. 10.) Myſticè autem iſtæ perſonæ pauperis, pupilli, & viduæ poſſunt ſignificare Eccleſiam & populum Chriſtianum; de quo ſcriptum eſt: *Tibi enim derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adiutor.* (Pſal. 9.) *Beati* enim *pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, (Matth. 5.) & alibi: *Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus.* (Pſal. 131.) Huius ergo viduæ lachrymæ à maxilla aſcendunt vſque ad cælum, quia dolores perſecutionum quas patitur in præſenti ſæculo, aſpectum diuinitatis minimè latent. Vnde & illi laboris ſui mercedem in futuro iuſtus iudex reſtituet, & hoſtibus vindictam merita inferni rependet pœna.

G *Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur: & deprecatio illius vſque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec aſpiciat altiſſimus, & Dominus non elongabit, ſed iudicabit iuſtos & faciet iudicium, & fortiſſimus non habebit in illis patientiam, quouſque contribulet dorſum ipſorum, & gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem ſuperborum, & ſceptra iniquorum contribulet, donec reddat hominibus ſecundum actus ſuos, & ſecundum opera Adæ, & ſecundum præſumptionem illius, donec iudicet iudicium plebis ſuæ, & oblectabit iuſtos miſericordia ſua.* Hic locus totus ad ſuperiorem reſpicit ſenſum, quia Dominus orationem fidelium ſuorum, quæ pio affectu tranſgreditur nubes & cælos penetrat, miſericorditer exaudit: quoniam inſtanter & perſeueranter quotidie illum tam pro ſemetipſis, quam etiam pro ſuis omnibus deprecantur, & non ceſſant donec conſolationem ab eo accipiant. Vnde & Dominus ipſe non elongabit ab eis auxilium ſuum, ſed iudicabit iuſtos, faciens eis iudicium, & diſtrictè iudicando proferet vltionem in aduerſarios H ſuos, non prius ceſſans, donec hoſtes eorum perfectè puniat, reddens eis condignam vindictam quouſque vniuerſitatem ſuperbientium perſecutorum tollat de ſuperficie terræ, & ſceptra tyrannorum iniquorum, qui tormentis diuerſis confeſſores ſuos interficiebant, conterat, reddens peruerſis ſecundum actus ſuos, & ſecundum opera Adæ, hoc eſt, primi hominis lapſum, qui præſumptuosè tranſgreſſus eſt mandata Dei; vnde tam ſibi quam vniuerſo generi ſuo conſciuit pœnam exilij & mortis, donec in extremo examine iudex viuorum & mortuorum faciet iudicium plebis ſuæ, & oblectabit iuſtos miſericordia ſua, transferens illos ad regnum patris, vbi in contemplatione vultus ſui beatè viuentes delectatione fruentur perpetuâ.

Digitized by Google

A

CAPVT VI.

SPecioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuia in tempore ſiccitatis. Sicut in tempore ſiccitatis nubes pluuiam terræ opportunam confert: ſic & miſericordia Dei neceſſario humanæ occurrit infirmitati in tempore tribulationis: quia ſoli illi competit opere ſuo multifario conferre opem miſerationis ſuæ, de quo ſcriptum eſt: **Pſa. 144** *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*

CAPVT VII.

Cap. 36. M*Iſerere noſtri Deus omnium, & reſpice nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum: & immitte timorem tuum ſuper Gentes quæ non exquiſierunt te, & cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu, vt enarrent magnalia tua.* Ex perſona fidelium ſapientia dirigit orationem ad Deum, vt dextera ſuæ potentiæ defendat illos, & inimicis ſuis reddat **B** retributionem iuſtæ vindictę, quatenus per hanc digni correpti agnoſcant vnum verum Deum, & deſerentes idola falſa, ſoli vero Deo exhibeant cultum piæ religionis. Notandum autem quod ſancti viri, quando videntur in dictis ſuis orare contra aduerſarios ſuos, aut hoc deprecantur, vt ipſis flagellis eruditi deſerant vanitatem & ſordes peccatorum, & conuertantur ad rectam fidem & opera pietatis: aut hoc eis Prophetico prædicunt Spiritu, quod ipſis omnino in merita vindicta conſtat eſſe futurum. Orat enim Eccleſia pro perſecutoribus ſuis, vt ipſi conuertantur ab errore ſuo, & agant pœnitentiam de peccatis ſuis. O deſiderium ſanctæ mentis eximium! Quis enim in cauſa ſua amplius petere potuit, quam iſta pro inimicis ſuis acerrimis poſtulauit? Talium itaq; Dominus miſeretur, qui miſericordiæ momenta non negligunt, ſicut **Matth. 5.** in Euangelio ſcriptum eſt: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Alleua manum tuam ſuper Gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in illis: vt cognoſcant te ſicut & nos cognouimus, quoniam non eſt Deus præter te Domine. **C** Gentes alienæ ſunt ethnici, qui fide & cultu à Chriſtiana religione ſunt alieni. Alleuat enim Dominus ſuper eas manum ſuam, quando eas prædicatione & miraculis cõuertit ad fidem, vt qui prius fuerunt inimici & perſecutores populi Dei, poſtmodum fiant fratres & cohæredes regni cœleſtis.

Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduerſarium, & afflige inimicum. Feſtina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua. Hoc orat vt diuina maieſtas per manum & brachium dextrum, hoc eſt, Dominum CHRISTVM miracula, quæ antiquitus fuerunt facta, innouet temporibus gratiæ, vt idem & vnus legis veteris & nouæ intelligatur eſſe Deus, mediator videlicet Dei hominumque homo CHRISTVS IESVS, qui cum Patre & Spiritu Sancto tunc & nunc facit mirabilia ſolus. Quod autem poſtulat excitare furorem & effundere irã, vt extollatur aduerſarius & affligatur inimicus, hoc ſignificare vult, quòd neceſſario per aduentum CHRISTI **D** auferatur Diabolus à cordibus infidelium, ne diutius eos in errore & in idololatria teneat captiuos, quod & ipſe **Luc. 11.** Saluator in Euangelio expreſſit, dicens: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Ille eſt enim verus inimicus & hoſtis populi Dei, ſuper quem ira Dei effundetur vſque ad finem, nec eſt ſanabilis plaga eius. Quod autem dicit, *Feſtina tempus, & memento finis:* hoc **Pſal. 101.** eſt, quod Propheta in Pſalmis ad Deum ait: *Tu exurgens Domine miſereberis Sion, quia venit tempus miſerendi eius.* Hoc orat, vt quia tempus eſt nouiſſimæ horæ, & finis mundi appropinquat, veniat ille qui promiſſus eſt, & miſereatur humano generi, quia ipſe eſt expectatio Gentium.

In ira flammæ deuoretur qui ſaluatur, & qui peſſimant plebem tuam, inueniant perditionem. Hoc prædicit, quod hi qui amant animas ſuas in voluptate vitæ iſtius, nec eas pro CHRISTO ponere volunt, immo perſequuntur plebem Catholicam, & fideles Dei internecioni tradunt, in **E** ira flammæ futuræ deuorentur, & æternam in igne gehennæ inueniant perditionem.

Contere caput principum inimicorum dicentium non eſt alius præter nos. Caput omnium iniquorum & infidelium, diabolus eſt. Hoc rogat Eccleſia, vt ipſe conteratur, qui princeps eſt iſtius ſeculi, & idololatras excitat in perſecutiones Chriſtianorum, dicentes: *non eſt alius præter nos:* quia ſe ſolos in mundo arbitrantur dominari, nec ſubijci volunt æternæ Dei poteſtati.

Congrega omnes tribus Iacob, vt cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu, vt enarrent magnalia tua, & hæreditabis eos ſicut ab initio. Poſtquam orationem expleuit contra peccatores, & caput eorum Diabolum, rogat ſapientia pro Eccleſiæ ſtatu, & ſalute credentium. Quid ſunt enim tribus Iacob, niſi Eccleſiæ ex Gentibus congregatæ. Ipſas enim præfigurauit minor filius, qui fraternam ſubripuit benedictionem. **F** Hos enim congregari petit, hoc eſt, in vnitate Catholicæ fidei ſolidari, vt fideliter Deum cognoſcentes, & eius mirabilia in prædicatione ſancti Euangelij narrẽt, & hæreditas illius ſicut ab initio fidei ab eo poſſeſſi ſunt, ita & vſque in ſeculum permaneant, de quo adhuc ſubditur.

Miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, & Iſrael, quem coæquaſti primogenito tuo. Miſerere ciuitatis ſanctificationis tuæ, Hieruſalem ciuitati requiei tuæ. Plebs enim Dei eadem eſt quæ ciuitas Dei, Eccleſia videlicet Catholica: Hieruſalem ſpiritalis, viſio pacis, & locus habitationis altiſſimi, ſuper quam inuocatum eſt nomen Dei, quia ipſa eſt populus eius, & grex paſcuæ eius, quæ & Iſrael nuncupatur, qui interpretatur rectus Dei, vel vir videns Deum, quoniam recto fidei graditur calle, & Deum pura contemplatur mente, hanc ille coæquauit primogenito ſuo, hoc eſt, cohæredem fecit vnigenito filio ſuo, qui eſt primogenitus mortuorum & princeps regum terræ. Vnde & ſequitur.

Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloria tua populum tuum. **G** Sion enim interpretatur ſpeculatio, & merito ſancta Eccleſia ſpeculatio dicitur, quia inde fidelium corda contemplantur gaudia regni cœleſtis, quam inenarrabilibus verbis ſuis Dominus replet, cum eam notitia diuinorum librorum, vbi inenarrabilis virtus Dei, & inæſtimabilis gloria maieſtatis eius prædicatur, inſtruit, & ſignis miraculorum inter vniuerſas Gentes eminere facit, ita vt inde omnibus per circuitum nationibus ipſa terrori **Act. 19.** ſit & honori. Hinc legitur in actibus Apoſtolorum, quod prædicante Paulo & miracula faciente, in Epheſiorum ciuitate cecidit timor ſuper omnes illos, hoc eſt, Iudæos atque gentiles, qui habitabant ibi, & magnificabant nomen Domini Ieſu, multiq; credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos. Multi autem ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium, ita fortiter verbum Domini creſcebat & confirmabatur. Cui ſenſui conueniunt ea quæ continuatim ſequentur.

H *Da teſtimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ ſunt, & ſuſcita prædicationes, quas locuti ſunt in nomine tuo Prophetæ priores.* Omnes Prophetæ teſtimonium perhibuerunt incarnationi Saluatoris noſtri, quod Deus homo factus Eccleſiam ſibi fidelium conſtrueret, ſponſam ſibi illam exhibens glorioſam, non habentem maculam aut rugam. Vnde dicit, *da teſtimoniũ his, qui ab initio creaturæ tuæ ſunt.* Creatura enim Dei eſt Eccleſia, quam ipſe ſibi per gratiam Chriſti ac donum Spiritus S. acquiſiuit. Vt iuxta Pauli ſententiam **Epheſ. 3.** *innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per eandem Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, in quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem eius.* Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, hoc enim precatur ſapientia, vt promiſſiones, quas de con-

A uocatione Gentium ad fidem CHRISTI Prophetæ priores locuti ſunt, per aduentum CHRISTI impleantur. Vnde & ſubiungitur.

Da mercedem Domine ſuſtinentibus te, vt Propheta tui fideles inueniantur, & exaudi orationes ſeruorum tuorum. Ioan. 8. *Abraham exultauit vt videret diem* CHRISTI, *vidit & gauiſus eſt.* Eſa. 26. Eſaias ait: *Domine ſuſtinuimus te, nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.* Multi reges & iuſti voluerunt videre, quæ viderunt Apoſtoli, & non viderunt: & audire quæ ipſi audiebant, & non audierunt. Hinc & Simeon reſponſum accepit à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret CHRISTVM Domini: vnde cum eum præſentem in vlnas ſuas accepiſſet, ait: Luc. 2. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Merces enim ſuſtinentibus Deum datur, quando fidelibus expectantibus gratiam CHRISTI, & ſperantibus in eum remuneratio futuræ vitæ præſtatur. B Ita enim diuini Prophetæ & fideles & veridici inueniuntur, & exauditur oratio deuota ſeruorum eius, qui orant quotidie *vt adueniat regnum Dei, & fiat voluntas eius ſicut in cælo & in terra.*

Secundum benedictionem Aaron da populo tuo, & dirige nos in viam iuſtitiæ, & ſciant omnes qui inhabitant terram, quia tu es Deus conſpector ſeculorum. Quæ eſt enim benedictio Aaron, niſi ordo & ritus ſacerdotij, quem Dominus dedit populo ſuo, quando adunauit eum CHRISTO vnigenito ſuo filio? Ipſe enim ſacerdos verus, qui ſemetipſum obtulit hoſtiam patri pro nobis, & corporis & ſanguinis ſui ſacramenta nobis tradidit, de quo ſcriptum eſt: Pſa. 109. *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Qui nos fecit regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo. Vnde 1. Pet. 2. dicit Petrus Apoſtolus: *Vos autem eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum, ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritalis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per* C IESVM CHRISTVM. Secundum benedictionem enim Aaron verè tunc datur populo Dei, quando dirigitur in viam iuſtitiæ: vt quod Aaron præfigurabat in victimis corporalibus legis, hoc iſte in ſpiritalibus hoſtijs adimpleat Euangelij. *Sciant*, inquit, *omnes qui inhabitant terram, quia tu es Deus conſpector ſeculorum.* Hoc eſt, omnes Gentes agnoſcant in mirabili Chriſtiani populi ſaluatione, quia tu es Deus ante omnia ſecula, & poſt omnia ſecula idem manens, qui ita ordinabat præterita tempora, vt eis propter gratiam CHRISTI ſupereminere faceres tempora futura.

Omnem eſcam manducabit venter, & eſt cibus cibo melior. Fauces contingunt cibum feræ, & cor ſenſatum verba mendacia. Poſt orationem completam, & vaticinium, quo prophetizabat futuram conuocationem Gentium ad fidē Chriſti, docet nos ſapientia, vt habeamus diſtantiam in diuerſitate dogmatum, adhibens exemplum de ventre humano & faucibus, vt quomodo guttur eſcas diiudicans, ſecernit ſuauem cibum ab amaro, ſic animus prudentis D dogmatum differentiam dignoſcens, diſtinguat veracem doctrinam à fallaci.

Cor prauum dabit triſtitiam, & homo peritus reſiſtit illi. Cor prauum hæreticorum tota die meditatur iniuſtitiam, & lingua eorum concinnauit dolum, & homo peritus in Catholica doctrina reſiſtit illi ſcuto veræ fidei, & gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei.

Omnem maſculum excipiet mulier, & eſt filia melior filia. Mulier omnem maſculum ſuſcipiens, in eis intelligitur 1. Cor. 12. qui dicunt, *ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Filia melior intelligitur in his qui dicunt, ego autem Chriſti. Ipſa eſt in Cant. canticorum proxima eius Cant. 2. in medio filiarum, *ſicut lilium in medio ſpinarum.* Aliter in maſculo poſſumus accipere ſermonem diuinæ legis, qui fœcundat intelligibilem animam prudentia ſapientiæ & bona operatione. Vnde per Eſaiam dicitur, *quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed in-* E *ebriat terram, & infundit eam & germinare eam facit, & dat ſe-* Eſa. 55. *men ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Quod autem ait: *eſt filia filia melior*, oſtendit diſtantiam eſſe in profectu ſcientiæ & virtutum operatione, & quædam opera eſſe bona, quædam autem perfecta, ſicut ipſe Dominus in Euangelio oſtendit, dicens: Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ibid. Et iterum: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.* Vnde & Paulus differentiam eſſe intelligi volens in ſanctorum remuneratione, ait: *Stella enim à ſtella differt in claritate, ita & reſurrectio mortuorum.*

Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducet deſiderium. Hanc mulierem poſſumus aut ſpecialiter animam fidelem, aut generaliter omnem Eccleſiam accipere: huius enim mulieris ſpecies, hoc eſt, decor quam habet in recta fide & bonis F operibus, exhilarat faciem viri, ſponſi videlicet ſui Domini IESV CHRISTI, qui delectatur in profectu eius. Vnde ſcriptum eſt in Prouerbijs: Prou. 31. *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ.* Ibid. Et item, *Fortitudo*, inquit, *& decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſima.* Nulla enim concupiſcentia hominis huius deſiderio comparari poteſt; Ibid. quia ita ſcriptum eſt: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo,* Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis & miſericordiæ. Miſericordiam hic gratiam CHRISTI appellat, quæ per prædicationem Euangelij animarum curat vulnera, & mitigat æſtum carnalis concupiſcentiæ. Hæc ergo miſericordia redundat in Eccleſia Catholica. Inde dicit eius deſiderium eſſe ſuper omnem concupiſcentiam hominis, quia in ea decor virtutum, & pulchritudo doctrinæ mirabiliter fulget.

Non eſt vir illius ſecundum filios hominum. Vir enim Eccleſiæ eſt CHRISTVS, qui non eſt ſecundum filios hominum, quia dignitas eius longè excedit humanam naturam. G Vnde de eo ſcriptum eſt in Propheta: Pſal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Sed cum in Eſaia legatur, Eſa. 53. *Vidimus eum, & non erat ei ſpecies neque decor: ſed ſpecies vultus eius ſine honore, abiecta præ omnibus hominibus:* quæri poteſt quomodo vir hic ſuper genus hominum ſpecioſiſſimus deſcribatur, non quia forma eius decorem lactei coloris duxit, aut flauo crine ſplenduit, aut inſigni ſtatura præminuit, ſed veraciter humano generi pulchrior fuit, quia peccata non habuit. Illud enim ſpecioſum rectè dicimus, quod gratia mundiſſimæ puritatis ornatur, quamuis pater Auguſtinus ſpeciem corporis eius dicat fuiſſe laudabilem. Sed exemplum Eſaiæ ſupra poſitum ad paſſionis eius retulit tempus, quando & colaphis cæſus, & ſpinis coronatus, & ſputis legitur eſſe completus. Eccleſia verò, quæ Domini Saluatoris portat imaginem, ſic legitur Cant. 1. in canticis canticorum dixiſſe: *fuſca ſum & decora*, id eſt, fuſca corpore carnali, formoſa cœleſtibus meritis. Et quare ſpecioſum dixerit, probat: quia loquente Chriſto per gratiam Deo reconciliatus eſt mundus. Quid ergo H potuit in humano genere eſſe tam ſimile, quàm ipſum incarnatum conſpicere, per quem redemptionis donum totus orbis accipit? Nam ſic de ipſo & prædictus liber Cant. 4. 5 Salomonis enuntiat: *labia tua, & loquela tua ſpecioſa.* Sequitur: *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Propterea dicit, propter prædicationes eximias, & pietatem omnibus modis ſingularem, quia nulla cuiquam pro meritis contulit, ſed omnia ſua potius bonitate conceſſit. Benedictus eſt enim in æternum, cuius regni non erit finis. Benedictum eſt autem à forma ſerui: Benedixit te Deus, quæ & paſſionem pertulit, & ad regna cœlorum peruenit.

Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem. Hæc ergo ſententia demonſtrat hæreditatem CHRISTI, ſanctam eſſe Eccleſiam, quam ipſe ſponſus glorioſiſſimus fidei ſuæ dono, & Baptiſmatis ſacramento primitus fundauit, ſicque ad eam omnium Gentium nationes occurrere fecit.

Digitized by Google

A fecit. Vnde paterna vox ad eum in Pſalmo ait: *Poſtula à
Pſal. 2. me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hoc per habitum dicitur formamq; ſeruilem, ex eo quod filius eſt virginis: quicquid enim in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem quæ non habebat acquirit. Hinc enim iubetur, vt petat ſecundum naturam inferiorem, & accepta poſſideat. Nam ſecundum potentiam verbi, indifferenter omnia quæ habet pater, habet & filius, nec illi neceſſe eſt petere, quæ ſimul agnoſcitur poſſidere. Gentes autem ſignant nationes toto orbe diuerſas, quas diſtinctos ac ſeparatos ſanguis amplectitur CHRISTI. Nam hoc ipſum quod ait, *tuam*, incarnationem verbi eſſe demonſtrat, vt nihil intelligatur eſſe diuiſum, quando vna maieſtate omnia poſſi-
Ioan. 17. dentur, ſicut in Euangelio ipſe dicit: *Omnia quæ pater habet, mea ſunt, & omnia patris, mea ſunt, & poſſeſſionem*, inquit, *tuam terminos terræ.* Hic manifeſtatur vniuerſas Gentes in CHRISTI nomine credituras, per quem mundus exploſis ſuperſtitionibus reconciliatus eſt Deo. Nam
B cum & hic dicit *poſſeſſionem tuam*, naturam humanitatis accepit, quod ſemper diuina poſſedit. Maieſtati enim ipſius dari non poterat quod habebat. Termini enim terræ ſunt, qui tellurem cingunt atq; concludunt, aut non ſolum arida, verum etiam totius aeris circumiecta ſubſtantia & omnium creaturarum ſignificatur integritas, ſicut ipſe in Euangelio ſub breuitate concluſit, dicens: *da-*
Matt. 28. *ta eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Et Apoſtolus:
Phil. 2. *Vt in nomine*, inquit, IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.*

Adiutorium ſecundum illum eſt & columna vt requies. Adiutorium enim Eccleſiæ ſecundum diſpenſationem Domini & ſponſi ſui eſt, nec illa aliunde niſi ab ipſo quærit ſolatium, quia in illo totius ſuæ neceſſitatis inueniet opportunum ſuffragium. Vnde in Pſalmo ipſe ita dicit: *Iu-*
Pſal. 7. *ſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.* Ab quo etiam habet infirmitatis ſuſtentationem, & laboris requiem. Vnde dicitur columna fieri vt requies, quoniam ipſe qui in præſenti eſt eius fragilitatis ſuſtentaculum, ipſe in futuro fiet requiei illius ſupplementum.

C *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio, & vbi non eſt mulier ingemiſcit egens.* Hoc indicat quòd vbi non eſt murus fidei Catholicæ, qui per ſanctorum Doctorum ora fundatur, fruſtra virtutum poſſeſſio colligitur, quia ab immundis
Hebr. 11. ſpiritibus tota diripietur. *Impoſſibile eſt enim ſine fide placere Deo:* Vnde conijcidatur, quod totus philoſophorum gentilium labor, qui de ethica diſputauerunt, & aliquas virtutum ſpecies imitati ſunt, ſuperuacuus & omnino ſibi inutilis eſt, quia quicquid extra ſanctam Eccleſiam fit, gemitum perpetuum, non gaudium æternum parit.

Quis credit ei, qui non habet nidum? & deflectens vbicunque obſcurauerit, quaſi ſuccinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem. Nidum hic nuncupat ſanctam Eccleſiam, vbi piæ electorum animæ filios bonorum enutriunt; vnde ſcri-
Pſal. 83. ptum eſt in Pſalmo: *Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos.* Vbi ergo requiem & tutelam habet, qui non intra ſanctam Eccleſiam manet, vbicunq; enim per hæreticorum dogmata vel philoſophorum ſtudia deflexerit, ſemper in errore erit, & lucem ſinceræ veritatis nuſquam inueniet. Quaſi etiam ſuccinctus latro
D de ciuitate in ciuitatem exilit, quia inſtabilis in omni re vagus & profugus de errore in errorem cadit. Sequitur.

CAPVT VIII.

Cap. 37. *OMnis amicus dicet, & ego amicitiam copulaui, ſed eſt amicus, ſolo nomine amicus.* Superius vbi de amicis diſputauit, diligentius diſſeruit qualis ſit amicus verus, qualiſ-
Eccl. 6. ue amicus falſus, quia alibi dictum eſt: *Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis, & eſt amicus, qui egreditur ad inimicitiam. Eſtq; amicus, ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Econtrario verò amico fideli nulla eſt comparatio, quia amicus fidelis medicamentum eſt vitæ & immortalitatis. Omnis amicus, hoc eſt, verus & falſus, ſe amicum eſſe profitetur: ſed qui permanet fixus, ille merito huius nominis honore deco-

E ratur. Nam quoniam in falſo amico firmiſſima fides non inuenitur, propterea ſubiungit, dicens.

Nonne triſtitia eſt vſq; ad mortem? Sodalis autem & amicus ad inimicitiam conuertentur. Maximum enim malum eſt, & continuo dolore gemendum, quod vbi ſperatur fidelitas, ibi inuenitur malignitas, & vbi amicitiæ aſſimilata eſt charitas, ibi inimicitiæ reperitur peruerſitas.

O præſumptio nequiſſima, vnde creata es cooperire aridam malitia, & doloſitate illius. Miratur ergo vir ſapiens ortum nequitiæ, quam tamen conſtat ex mala voluntate creaturæ prolatam eſſe, & deteſtatur valde hypocriſin: quia peſſimum vitium eſt quemlibet hoc ſe fingere velle, quod penitùs non eſt, cum malus ſe ſimul & bonum, iniuſtus iuſtum, iniquus æquum, inimicus amicum ſimulet. Cooperiendo doloſitatem, & aridam doloſitatem, vbi non eſt pinguedo dilectionis & miſericordiæ: decipit enim veraciter ſemetipſum, cum ſe honeſtum deluſorem putat eſſe aliorum.

Sodalis amico coniucundatur in oblectatione, & in tempore tri-
F *bulationis aduerſarius erit. Sodalis amico condolet cauſa ventris, & contra hoſtem accipiet ſcutum.* Adhuc ergo ſcriptor hiſtoriæ perſeuerat in obiurgatione falſorum amicorum quia arte ſimulatoria deludunt ſimplicium aſpectum, & ſub ſpecie venuſtatis malitiæ occultant venenum: *Coniucundantur in oblectatione* voluptatis, *& in tempore aduerſitatis* recedunt. Arma contra hoſtem cauſa ventris ſuſtollunt, ſed fidi defenſores amici ſui non erunt, quia non proximum, ſed delicias diligunt. Poſſunt non incongruè in his falſis amicis & hæretici intelligi, quia omnia fictè faciunt, qui ſe quidem ſimulant ſalutis hominum prouiſores eſſe & conſultores, ſed vt magis apparet veri ſunt animarum deceptores & perditores, vnde & omninò cauendi ſunt, & fugiendi: ſicut & Dominus in Euan-
gelio diſcipulos ſuos admonuit, dicens: *Attendite à falſis* Pſal. 2.
Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.
Et alibi: *Cauete*, inquit, *à fermento Phariſæorum & Sadducæorum.* Matth. 7.

Non obliuiſcaris amici tui in animo tuo, & non immemor ſis
illius in operibus tuis. Non enim verus amicus diſcordat animo & opere, ſed ſicut diligit mente, ita fratri profectuoſus erit & operatione: Quod & Ioannes Apoſtolus in G
Epiſtola ſua docet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, ſed opere & veritate.* Luc. 12.

Noli conſiliari cum eo, qui tibi inſidiatur, & à zelantibus te abſconde conſilium. In ſocero, qui à parte fœminea cognationi adiunctus eſt, muliebrem & mutabilem oſtendit animum, à quo nunquam tua fides ſperanda eſt, ſic & zelus, qui præcipuè in ſexu præualet fœmineo, inſtabilitatem mentis ſignificat, cui nunquam fides adhibenda eſt: quia, vt quidam ait, *ſicut litus ſine portu eſt, infida ſtatio nauium, ſic & animus ſine fide periculoſus eſt in conſortio amicorum.*

Omnis conſiliarius prodit conſilium, ſed eſt conſiliarius in ſemetipſo. Non eſt cum multis conſilium ineundum, quoniam pauci ſunt qui fide perfecti & prudenti ſint animo;
Vnde ſcriptum eſt: *Multi ſint tibi amici, & conſiliarius vnus* Eccl. 6.
de mille, ſed eſt conſiliarius in ſemetipſo, quia elegit facere quæ nouit conditori ſuo per omnia placere. Hoc enim conſilium eſt vnicum, & ex Spiritus ſancti gratia in cor
humanum infuſum. H

A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito quæ ſit illius neceſſitas, aut quid ipſe animo ſuo cogitet, ne forte mittat ſudem in terram, & dicat tibi. Bona eſt via tua, & ſtat econtrario videre quid tibi eueniat. Eadem repetit quæ ſuperius dixit, vt nos non ſimus incauti in amicorum & conſiliariorum electione, nec vltra modum petulanter agamus in ſuſcipiendis amicis & adhibendis conſiliarijs, quia multi ſunt, qui facie tenus ſe aſſimulant fidelitatem ſeruare in amicitia, ſed dolum excogitant animo, & inſidias meditantur corde. Vnde Hieremias de huiuſcemodi malo cauen-
do nos inſtruit, dicens: *Vnuſquiſq; à proximo ſuo ſe cuſtodiat,* Hier. 9.
& in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium, vt inique agerent

A *laborauerunt.* Et item: *Sagitta,* inquit, *vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt in ore ſuo. Pacem cum amico ſuo loquitur, & occulte ponit ei inſidias. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut in gente huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea.* Hier. 9.

CAPVT IX.

C*Vm viro religioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia noli conſiliari, & cum muliere de ea quæ æmulatur. Cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro liuido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate, cum operario agri de omni opere, cum operario annuali de conſummatione anni, cum ſeruo pigro de multa operatione, non attendas his in omni conſilio.* Hic diuerſas ſpecies enumerauit conſiliantium, in quibus tamen plures perſonas notauit, quæ à veritate diſcordant voluntate, & ideo non ſunt vtiles in conſiliorum actione. Vnde etiam iuxta principium huius capituli præcipit ſapientia, cum talibus non conſiliandum, & in fine ſimiliter monet, his non attendendum in omni conſilio quia quorum non conueniunt corda & actus, ſine dubio periclitatur conſilium. Quapropter is qui ritè conſilium cum quolibet vult agere, conſiliarij ſui primum perpendere debet prudentiam, fidem, voluntatem, & religioſitatem, & ſic eius vti conſilio, de quo & ſequitur. B

CAPVT X.

C*Vm viro ſancto maximè aſſiduus eſto, quemcunque cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius anima eſt ſecundum animam tuam, & qui cum titubaueris in tenebris, condolebit tibi. Cor boni conſilij ſtatue tecum, non eſt enim tibi aliud plus illo.* Quem enim timentem Deum cognoueris, fidelem tibi & deuotum ſperare poteris, qui autem timorem Dei deſeruerit in tenebris vitiorum ambulans, nequaquam tibi fidem integram ſeruare poterit, nec conſilium vtile præbere: ante omnia enim cor boni conſilij eligere debes, & illud præ cæteris charius omni tempore habere.

C

CAPVT XI.

A*Nima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Cum ſuperius de conſiliatorum diuerſitate diſſeruit, conſequenter adiunxit quantum ſapientiæ humanæ excellat ſancti viri ſcientia, quæ dono Spiritus ſancti in animam illius infuſa eſt. Septem ergo circumſpectores Philoſophiæ liberalium artium (quæ in ſeptenario numero ab ipſis comprehenduntur) ſunt traditores, ſed magis vera eſſe in omnibus claret Catholici viri modeſta doctrina, quæ in diuinis libris conſiſtit, quam omnis Philoſophorum multiplex in diſputando & in argumentando ſolertia, in hac enim paucis & puris ſermonibus irreprehenſibilis per omnia elucet veritas, in illa verò in exquiſitatũ rerum oberrans opinio garrula loquacitate, immò manifeſta apparet falſitas. Sed quia omnis ſapientia à Domino Deo eſt, nec illam quiſquam ſine eius munere habere poteſt, ideo ſubiungit, dicens:

D *Et in his omnibus deprecare altiſſimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* De hoc ipſo & Tobias filium ſuum admonuit, dicens: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Hinc & Pſalmiſta ita Dominum deprecatur: *Dirige me in veritate tua, & doce me quia tu es Deus ſalutaris meus, & te ſuſtinui tota die.* Tob. 4. Pſal. 34.

Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile. Hoc quoque verbum non exterum ſed internum vult intelligi, quod ex cogitatione mentis prodijt, ſecundum quod locutiones & actus exteriores diſponuntur. Vnde ſcriptum eſt: *ex abundantia cordis os loquitur.* Si enim cogitatio hominis in veritate & bona voluntate verbum & conſilium ſuum ſecundum timorem Dei ordinat, omnes actus eius fiunt in pace, econtrario verò de alio verbo ſequitur. Matt. 12. Luc. 6.

Verbum nequam immutabit cor. Hoc eſt, conſilium malum totam hominis perturbat conſcientiam, & voluntatem eius confundit, cum ea tractat, quæ coram oculis Dei diſplicent. E

Ex quo quatuor partes oriuntur, bonum & malum, vita & mors: & dominatrix illorum eſt aſſidua lingua. Ex quo, inquit, hoc eſt, ex verbo cordis, *quatuor partes oriuntur, bonum & malum,* hoc eſt, bonum vel malum conſilium, & remuneratio eorum vita vel mors, quia ſtipendium peccati eſt mors, gratia autem Dei vita æterna. Quod autem dicit, dominatricem eorum eſſe aſſiduam linguam: oſtendit quod per linguæ miniſterium ſecreta cordis panduntur. Mors enim & vita in manibus ſunt linguæ, vnde ipſa veritas ait: *Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Rom. 6. Matt. 12.

Vir peritus multos erudiuit, & anima ſua ſuauis eſt. Quia prædixerat de operibus linguæ, nunc continuatim de bonis maliſue Doctoribus ſermonem explicat: qui enim peritus eſt in Scriptura ſacra, & verax ſermone probuſque moribus probatur, eius eruditio plurimis eſt profectuoſa & ſalubris, ipſiuſque ſtudium animæ ſuæ æternæ vitæ pariet ſuauitatem. F

CAPVT XII.

Q*Vi autem ſophiſticè loquitur, odibilis eſt in omni re defraudabitur. Non eſt enim illi à Domino data gratia, omni ſapientia defraudatus eſt.* In hac ſententia & verſuta locutio reprehenditur, & hæretica nequitia damnatur. Non ergo ad corporis ſenſus, ſed ad rationem animi diſciplinæ pertinent diſputationis & numeri. In quibus à Deum timentibus veritas piè quæritur, & vtiliter inuenitur, ſed diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda plurimum valet. Tantum ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim multa quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones rationum, & plerunque ita veras imitantes, vt non ſolum tardos, ſed ingenioſos etiam minus diligenter attentos decipiant. Propoſuit enim quidam dicens ei, cum quo loquebatur: *quod ego ſum, tu non es*; at ille conſenſit, verum enim erat ex parte, vel eo ipſo quod iſte inſidioſus, ille ſimplex erat, tum iſte addidit: *ego autem homo ſum,* hoc quoque cum ab illo accepiſſet, concluſit dicens: *Tu igitur non es homo,* quod genus captioſarum concluſionum ſcriptura, quantum exiſtimo, deteſtatur hoc loco, vbi dictum eſt, *qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt,* quamquam etiam ſermo non captioſus, ſed tamen abundantius quàm grauitatem decet verborum ornamenta conſectans ſophiſticus. In hac quidam ſophiſtica locutione denotantur hæretici, qui omnia captioſe & malitioſe ad ſeducendum alios conſtruunt, hi odibiles ſunt tam Deo quàm etiam omnibus bonis hominibus: qui omni re vtili & vera doctrina defraudati ſunt, quoniam non eſt illis data à Domino gratia Spiritus Sancti. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & in *animam maleuolam non introibit ſapientia.* Vnde & ſapientia cœleſti defraudati ſunt, qui ea quæ Dei ſunt non ſapiunt, ſed ea quæ hominum: errantes, & in errorem mittentes. G Sap. 1. Matt. Mar.

Eſt ſapiens anima ſua ſapiens, & fructus ſenſus illius laudabilis. Qui enim verè eſt ſapiens, ea quæ ad ſalutem animæ ſuæ ſentit, docet & facit, ideoque fructus ſenſus illius eſt laudabilis, quoniam ea quæ Deo ſunt placita mente tractat, lingua profert, & vtili operatione exercet. H

Vir ſapiens plebem ſuam erudit, & fructus ſenſus illius fideles ſunt. Doctor quippe Eccleſiaſticus commiſſam ſibi plebem erudit verbo, & inſtruit exemplo, & fructus ſenſus illius, quos vel ſcribendo vel etiam prædicando protulerat, ſunt fideles: quoniam in eis non reperiuntur hæreſes, & ſchiſmatum peruerſitates. Vnde fiet quod ſequitur.

Vir ſapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt. Implebitur quidem benedictione, quando remunerabitur cœleſti mercede: & videntes illum laudabunt, quando Angeli boni & ſanctorum animæ conſiderantes

cantes

A rantes eius meritum, in præmij illius retributione congaudebunt, nec mirum, cum ipſe paterfamilias ſeruo bona merito in iudicio futuro dicturus ſit: Matt. 25. *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Vita viri in numero dierum, dies autem Iſrael innumerabiles ſunt. Quid eſt quòd vitam viri in numero dierum comprehenſam dicens addidit, dies Iſrael eſſe innumerabiles? niſi quòd ſanctorum vitam in cœleſti beatitudine oſtendit eſſe æternam & infinitam. Quod autem vita præſens hominum certo numero in præſcientia Dei, & diſpoſitione conſtituta ſit: oſtendit Iob, dicens: Iob. 14. *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius quos præterire non poterit.* At verò Iſrael dies, hoc eſt, ſancti viri, qui recta fide & bonis operibus in hac præſenti vita Dominum ſemper coluit, poſt finem præſentis laboris pura mente ſerenum Dei vultum in cœleſti regno perpetualiter contemplatur. Cuius boni ſicut nulla eſt labes, ita & gaudij nullus eſt finis.

B *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternum.* De ipſo ſapiente hic dicit, de quo & ſuperius qui plebem ſuam ſecundum veritatem Catholicæ fidei erudit, cuiuſque ſenſus fructus fideles gignit, qui implebitur cœleſti benedictione, & laudem conſequetur æternam. Ipſe *hæreditabit in populo*, quia in corpore Eccleſiæ glorioſus manens hæreditatem ſupernæ patriæ ipſe lætabundus expectat. Cuius nomen viuit in æternum, quoniam *in memoria æterna erit iuſtus, & nomen eius requiretur à generatione in generationem*, de quo ipſa Veritas in Euangelio fideles ſuos præcepit gaudere, quoniam hoc præſciebat illis magnum præmium futurum eſſe. Luc. 10. *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo.*

Fili, in vita tua tenta animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem. Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. Præcipit ſapientia homini vt cautè ſeruet vitam ſuam, ne fortè per incuriam in varijs deſiderijs diffluat, & in peccati mortem decidat: ideo dicit vt tentet animam ſuam, hoc eſt, probet C animæ ſuæ voluntatem, & ſi fuerit peruerſa, non tribuat illi poteſtatem perficiendi eam, quia non omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus voluntatis vel actionis vtile eſt. Proinde Apoſtolus Paulus vt nos redderet cautos, ſcripſit, dicens: 1. Ioan. 4. *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* 1. Theſſ. 5. Et item: *Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete, & ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* 1. Cor. 6. 10. Et alibi: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem.*

Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, inſatietas, auiditas & apleſtia appropinquat vſq; ad choleram, propter crapulam multi obierunt. qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam. In his quidem ſententijs iuxta hiſtoriam laudat parſimoniam victus, & vituperat auiditatem & ſuperabundantiam ciborum: quoniam vſq; ad nauſeam, & ad choleræ infirmitatem perducit intemperantem. Myſticè autem admonet vt in ſpiritalibus cibis ſimus temperantes, & D nequid nimis: ne fortè ſi voluerimus modum excedere ſcientiæ, incidamus in errorem, & propter ſuperfluam ſcrutationem rerum incomprehenſibilium veniamus in ſtultitiam maximam, vnde mors & perditio certa nobis reſtat. Prou. 25. Hinc quoq; per Salomonem dicitur: *Mel inueniſti comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud, & perueres nomen Dei tui.* Rom. 12. Hinc & Paulus docet, *non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuiq; ſicut diuiſit Deus menſuram fidei.*

CAPVT XIII.

Cap. 38. **H***Onora medicum propter neceſſitatem, etenim illum creauit altiſſimus. A Domino enim eſt omnis medela, & à rege accipiet donationem.* Diſcretos nos vult eſſe in omni re, nec aliquid temerè agere: quoniam omnia opera Dei non ſolum bona, ſed etiam valdè ſunt bona. Vnde non debemus ea ſpernere, quæ nouerimus ad vtilitatem noſtram & ſanitatem creatorem noſtrum nobis procreaſſe: E ſed cum gratiarum actione ea percipere, *& ad vſus noſtros conuertere. Sunt corporales medici, ſunt & ſpiritales: ſed ſicut corporales per herbarum medicinam curant corporum ægritudines: ita & ſpiritales per diuinorum præceptorum medelam ſanant animarum infirmitates. Vtrique ergo cum honore habendi ſunt: ſed ſpiritales eo maioris reuerentiæ ſunt præferendi, quo eorum opera magis diuturna & magis ſalubria conſtat inueniri.

Diſciplina medici exaltabit caput eius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Diſciplina medici ſpiritalis pariet animæ ſuæ gloriam ſempiternam, & in conſpectu ſanctorum Angelorum ac ſanctarum animarum merces illi vitæ conferetur æternæ.

Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. De terrenis rebus prouidit Deus infirmitatibus humanis ſolatia, vnde ſanè quis ſapiens audet contemnere & deſpicere illam? Non eſt enim contemnendum, quod à creatore omnium noſtræ infirmitati miſericorditer eſt prolatum. F

Nonne à ligno indulcata eſt amara aqua, ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit homini ſcientiam altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis, & in his curans mitigabit dolorem. Veteris recordatur hiſtoriæ, vbi filij Iſrael ambulantes per deſertum Sur, tribus diebus non inueniebant aquam. Exod. 17. Tandem ergo venientes in Mara, non bibere poterant aquas de Mara, eò quod eſſent amaræ: ſed oſtendit Dominus lignum Moyſi, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Vbi iuxta hiſtoriam demonſtrata eſt potentia Domini, medicabili arte per lignum in aquas dulcatas. Cuius facti myſterium in promptu eſt. Murmurat ergo populus videns aquas, & potare non ſuſtinens. Mittit lignum Moyſes in aquas, & factæ ſunt dulces. Intellige amaras aquas occidentis literæ, & legis habere figuram, quibus ſi immittitur confeſſio crucis, & paſſionis dominicæ ſacramentum iungitur, tunc efficitur aqua amara ſuauis, & amaritudo literæ vertitur in dulcedinem intelligentiæ ſpiritalis. Vnde & ſcriptum G eſt: *Conſtituit Dominus legem populo ſuo & iudicia, & tentauit eum.* Alio quoque ſenſu, quod aquæ amaræ ligno in ſe ſuſcepto dulceſcunt, indicio erat amaritudinem Gentium per lignum crucis CHRISTI in vſum dulcedinis quandoque eſſe vertendam. Ad hoc ergo altiſſimus dedit homini ſcientiam in rebus à ſe mirabiliter creatis, vt eorum vſu ſibi profectuoſe conceſſo ad honorandum & glorificandum opificem ſuum incitarentur.

Et vnguentarius faciet pigmentum ſuauitatis, & vnctionem conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera eius. Pax enim Dei ſuper faciem terræ. Diuerſo enim modo medici arte ſua contra infirmitates diuerſas vtuntur, hoc eſt, in cibis, in potibus, in emplaſtris, atque vnguentis: vt iuxta qualitatem morborum artis ſuæ accommodent congruum medicamentum, quod ſcilicet ſpiritales medici ſecundũ artis ſuæ peritiam ad ſalutem ſalubriter facere ſolent animarum: exhibent fomenta doctrinarum, vnguenta adhortationum, atque malagma aſſiduæ orationis. Medicabiles etiam potus atq; cibos diuinarum ſcripturarum, H faciunt etiam, vbi neceſſe eſt, exuſtionem excommunicationis, vel inciſionis virgarum, vt quoquo modo poſſint, hominem ab ægritudine vitiorum perducant ad ſanitatem bonarum virtutum. Quod autem dicit, non conſummari opera eius, ſignificat quod vſque ad finem mundi verus medicus noſter non ceſſat per miniſtros ſuos quotidie ſanitates in Eccleſia ſua operari, donec in extremo examine per eius gratiam totum quod mortale eſt abſorbeatur à vita, & tunc fiet quod ſequitur: *Pax domini ſuper faciem terræ*, quando abſumpta morte in victoria reſurgent mortui incorrupti, & transferentur ad poſſidendam patriam cœleſti regni, ſed quia interim, quouſque hoc fiat, orationi ſemper inſiſtendum eſt, & pro vitæ ſtatu ſemper Dominum deprecandum, à peccatis quoq; declinandum, & in bonis operibus pro viribus deſudandum oſtendit ſequens ſententia.

A

CAPVT XIV.

F*ili, in tua infirmitate non deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Auerte à delicto & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Iubet enim primum ne in infirmitate deſperemus noſmetipſos; quia deſperatio affligit animam, & mortem illi parit certiſſimam, ſed magis oremus Deum, & ipſi etiam commendemus ſalutis noſtræ, qui Saluator eſt omnium hominum, maximè autem fidelium: de quo Iacobus Apoſtolus nos inſtruit, dicens: *Infirmatur aliquis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimittentur ei.* Sed hoc tunc dignè fit, ſi auertimus oculos mentis noſtræ ab omni malo, & dirigimus manus noſtras in bona operatione, & mundamus cogitationes cordis noſtri ab omni dolo & nequitia: ſic enim meremur exaudiri à Domino, & miſericordiam eius adipiſci. Additur prætetea ſalutaris ſacrificij oblatio, quæ maximè adiuuat infirmitatem animarum noſtrarum, ſi ex pura mente offeratur, ſicut ſequens ſententia probat.

1.Tim. 4. Iacob. 5.

B

Da ſuauitatem & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locum medico, etenim illum Dominus creauit: & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Panis ergo & vini ſacrificium in memoriam Dominicæ paſſionis oblatum præcipuè animarum vulnera curat, cum per ſacerdotis miniſterium in altare ſimul cum ſacris orationibus Deo offertur. Vnde ſicut Beatus Gregorius in libris Dialogorum ait: *Si culpæ poſt mortem inſolubiles non ſunt, multum ſolet animas etiam poſt mortem ſacra oblatio hoſtiæ ſalutaris adiuuare. Ita vt nonnunquam ipſæ defunctorum animæ hoc videantur expetere, & non ſolum defunctis, ſed etiam viuis multum profuturum eſſe idem ſacrificium creditur, ſi dignè offeratur.* Hinc eſt quod audiuimus quendam apud hoſtes in captiuitate poſitum, & in vinculis religatum fuiſſe, pro quo ſua coniunx diebus certis ſacrificium offerre conſueuerat, qui longo poſt tempore ad coniugem reuerſus, quibus diebus eius vincula ſoluerentur innotuit, eiuſque coniunx illos fuiſſe dies, quibus pro eo offerebat ſacrificium, recognouit. Hoc enim factum eſt gratia omnipotentis Dei, vt ex viſibilibus rebus mortales diſcerent, quanta ſpiritalis hoſtia pro animarum ſalute oblata inuiſibiliter poſſit operari.

Grego. in dialogis.

C

Eſt enim tempus quando in manus illorum incurras, ipſi vero Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & ſanitatē propter conuerſionem illorum, qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici. Hoc quod dicit tempus eſſe quando homo in manus medicorum incidat, tempus ægritudinis ſignat & moleſtiæ corporalis, quando qui malè habent, neceſſe eſt vt curentur. Ipſa autem infirmitas iuxta diſpenſationem Dei immittitur ad probationem vel emendationem electorum, ad correptionem vel ad damnationem reproborum. Vnde dicit, *qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.* Iuſtum eſt enim, vt qui ſuperbiendo mandata Dei facere contempſit, caſtigatus per infirmitatem humilietur: & quærat flagellatus opem, qui incolumis ante noluit intelligere ſui benefactorem. Myſticè verò ſancti Doctores & ſpiritales medici animarum ſemper opportunum tempus quærunt, quando infirmis animabus congruam poſſint adhibere medicinam, orationibuſque ſactis virtutum operibus inſtanter Dominum deprecantur, vt dirigat opera eorum, & refrigerium præſtet his, qui varijs vitiorum ægritudinibus laborauerunt.

D

* * *
* *
*

E

CAPVT XV.

F*ili, in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.* Poſtquam de infirmitate ægritudinum & medicorum curatione diſputauit, conſequenter de exequijs mortuorum ſermonem protulit: quia ſicut in infirmitate vtilis eſt medicinæ curatio, ita & in morte neceſſaria eſt ſepulturæ exhibitio. Sed tamen quia mortis miſeria cogit hominem lachrymas fundere, & ſolennes planctus legimus in defunctorum Patrum factos exequijs: modum in ipſa lachrymarum effuſione & gemitu habere docet, ne forte triſtitia abundantiore debilitetur corpus dolentium, & offendatur Deus per amentiam deſperantium. Mortis enim ſententia propter peccatum data eſt mortalibus, ſed ſpei fiducia per gratiam CHRISTI data eſt credentibus.

F

Propter detractionem amarè fer luctum illius vno die, & conſolare propter triſtitiam, & fac luctum ſecundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem. A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperiet virtutem, & triſtitia cordis flectit ceruicem. Propter detractionem, inquit, hoc eſt, propter abſceſſionem proximi condoleas caſui eius paruo tempore, & conſolare in ſpe reſurrectionis, ne triſtitia nimia mittat te in interitum. *A triſtitia enim feſtinat mors* animæ deſperantis, & obſcurat omnem virtutem bonæ actionis eius, & fortitudinem cordis emolliet, & infirmari faciet.

In abductione permanet triſtitia, & ſubſtantia inopis ſecundum cor eius. Vbi enim dolor immoderatus obtinet cor, & abducitur animus, ne recipiat conſolationem, ibi permanet triſtitia: quia hic incipit per doloris afflictionem, & in futura permanet pœna, propter diffidentiam ſupernæ conſolationis. Veraciter enim temperatur ſubſtantia viri inopis animo ſecundum cor eius, quia quantum deeſt illi in fide & ſpe, tantum illi creſcit mœror in anguſtia & dolore.

G

Non dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te, & memento nouiſſimorum. Noli obliuiſci, neq; enim eſt conuerſio, & huic nihil proderis, & temetipſum peſſimabis. Huius loci quia per difficultatem orationis obſcurus eſt ſenſus, dicamus aliquid quod lucidiore illum ediſſerat ſermone. Nec occuper triſtitia ſeculi cor tuum quæ mortem animæ operatur, ſed abijce eam à te, & memento nouiſſimorum temporum: quia qualis hinc exis, talis ante iudicem præſentandus eris, vt recipias propria corporis prout geſſeras ſiue bonum ſiue malum. Proinde nunquam obliuioni tradas nouiſſimæ horæ exitum, ſed ſemper paratus eſto: quia poſtquam hinc exieris, nequaquam vltra huc reuertens ſpatium benè operandi habebis, & ideo cautus eſto in omnibus, ne fortè in obitu proximi plus æquo doleas, quia nihil proderis illi plorando, ſi temetipſum læſeris doloribus immenſis afficiendo.

Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie. Iudicium ſuum dicit obitum de hoc mundo, quod vnicuique proprium eſt, tam præteritis quam etiam præſentibus: quia *nullus eſt homo ſuper terram qui viuat, & non videat mortem.* Et benè dicit, *mihi heri & tibi hodie,* ac ſi diceret, quod in me iam completum eſt, in te modo inſtat implendum. Hæc admonitio bonorum Patrum eſt, vt filios ſuos admoneant, quatenus diſcant in caſibus priorum, ſuum quoq; in præſenti ſeculo diuturnum non eſſe ſtatum, ac ideo præparent ſibi bonorum operum viaticum, quo in futura vita cum ſanctis Angelis poſſint viuere in perpetuum.

H

In requie mortui requieſcere fac memoriam eius, & conſolare illum in exitu ſpiritus ſui. Hoc monet, vt in tranſitu morituri obliuioni memoriam eius non tradat, ſed in mente eam ad ſui meliorationem continuo ſeruet, & eum qui de hoc ſeculo migrare incipit, fide corroboret, & ſpe confortet, quatenus in anguſtia vltimi temporis fide non deficiat, ſed ſpem ſuam Deo committat, quia qui benè certantibus fidei merito promiſit præmium, ipſe ſperantibus in ſe potens eſt ſempiternum tribuere regnum.

Digitized by Google

A

Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet. Docet ergo vt, dum vacat & otium habemus, ſapientiam diuinam diſcamus, & eam in tabulis cordis noſtri ſcribamus: quia ille qui concupiſcentijs carnis & voluptatibus ſæculi ſeruire deſiſtit, ille ſcripturam intentè meditando ſupernæ contemplationis munere gaudebit; ſed quoniam ſapientiæ dono penitus extranei non ſunt, qui agriculturæ tempore opportuno inſiſtunt, & artificiorum ſingulorum, quibus in præſenti vita homines ſtudioſè laborant, peritiam habent. Primum ergo eorum enumerat ſcientiam, deinde addens proponit illis veram ſapientiam, quæ in agnitione voluntatis Dei, & in cuſtodia mandatorum eius per dilectionem conſiſtit, vt ipſa arcem teneat dignitatis, quæ ſola in rebus poteſtatem habet iuſti regiminis. Nos quoq; primum breuiter hiſtoriam tangentes ſingulorum artificiorum, allegoriam deinde exponendo ſubſequamur,

Qua ſapientia replebitur, qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo. Stimulo boues agitat, & conuerſatur in operibus eorum, & narratio eius in filijs taurorum: cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos, & vigilia eius in ſagina vaccarum. Quantum ad hiſtoriam pertinet oſtendit quod ex ſapientiæ dono hoc habet homo, vt inſiſtat vtili labori, quo ſibi & proximis ſuis prodeſſe poſſit: vt exerceat agriculturam, & curam agat in paſtu animalium atque iumentorum, quæ ad vſum hominum creata ſunt: Vt victum & veſtitum tam ſibi quam ſuis præparet, quibus humanæ vitæ miſeria in præſenti ſæculo nutritur, & funditus carere non poteſt. Myſticè autem qui tenet Doctoris officium, & colere debet vomere Euangelico corda hominum: gloriatur in iaculo diuinorum teſtimoniorum, ſeminat verbum Dei ſtimulo exhortationis, agitat brutos, quatenus non ſegniter viuant, ſed fortiter in bonis operibus conuerſentur. Superbos quoſque prædicationis ſermone caſtigat, & diſciplina Euangelica domat, vt non vacent otio, ſed carnem ſuam macerantes, & deſideria carnalia in ſe mortificantes, & vitia omnia à ſe extirpare feſtinent, & virtutes ſpiritales pro eis plantare certent. Quod autem per boum & taurorum excitationem, vigilias dicit paſtoris eſſe in ſagina vaccarum, oſtendit boni rectoris eſſe officium, vt vtriuſque ſexus curam habeat, & prædicationis ſtudio eos paſcat, alat, & nutriat.

B

C

CAPVT XVI.

SIc omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit: qui ſculpit ſignacula ſculptilia, & aſſiduitas eius variat picturam. Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficiet opus. Quid per fabrum hunc & architectum, qui ſtudioſè nocte dieq; in opere ſuo laborat, vt ſignacula ſculpat & hominis imaginem arte gemmaria formet, niſi prædicatores ſancti inſinuantur, qui omni tempore aut docendo, aut exhortando, aut bona exempla oſtendendo auditores ſuos inſtituunt, quatenus interioris hominis virtutem eliciant, & ad conditoris ſui imaginem animam humanam reforment? An non ille faber & architectus ſtrenuus in arte ſua fuit, qui in Epiſtolis ſuis ita ſcripſit, dicens: 2. Cor. 3. *Dei enim ſumus adiutores, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis: ſecundum gratiam quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet: & alibi: Galat. 4. *Filioli* (inquit) *mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*: Et in alio loco: Epheſ. 4. *Renouamini* (ait) *Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis*: & item: Epheſ. 5. *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Et rurſum: Epheſ. 4. *Nolite* (inquit) *contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*, &c. Quot enim ſpecies virtutum ſunt, tot operationes bonas & documenta Doctores ſancti in mentibus electorum & conuerſatione exprimere ſatagunt: vt ſint ſancti & corpore & Spiritu, dicentes cum Apoſtolo: 1. Theſ. 5. *Ipſe autem Dominus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer veſter Spiritus & anima & corpus, ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur.*

D

Sic faber ferrarius ſedens iuxta incudem & conſiderans opus ferri, vapor ignis vrit carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innouauit aurem eius, & contra ſimilitudinem vaſis oculus eius: cor ſuum dabit in conſummatione operum, & vigilia ſua ornabit in perfectionem. Per fabrum ferrarium idem qui in architecto, hoc eſt ordo ſanctorum Prædicatorum exprimitur, qui iuxta incudem, hoc eſt, iuxta durum præſentis vitæ laborem ſedens, arma ſpiritalia, documenta videlicet diuina ſcribendo atque docendo fabricat, quatenus contra hoſtis antiqui tentamenta ſuos fortiter dimicare doceat, & hæreticorum atque Philoſophorum ſectas peruerſas deuitare, atque perſecutorum minas contemnere faciat. Huius ergo fabri carnes, hoc eſt, corpus vapor ignis & calor fornacis vrit, cum tribulatio & perſecutio mundi eum fatigare non deſiſtit. Vox mallei innouauit aures eius, cum edicta principum terrorem tormentorum non ceſſant ingerere ſenſibus illius: at ipſe cor ſuum dabit, vt conſummet opus officij ſui: & vigilias ſolertiæ ſuæ ad hoc impendit, vt vaſa electarum animarum ad ſcientiæ & virtutum perfectionem perducat. Vnde Paulus Apoſtolus horum armorum præcipuus fabricator quibuſdam ſuis auditoribus ita ſcribens, ait: Epheſ. 6. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli: quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Et quomodo in præſentis vitæ laborem his armis vtendum ſit, idem alibi oſtendit, dicens: 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt ſeductores, & veraces; ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes & ecce viuimus: vt caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

E

F

G

Sic figulus ſedens ad opus ſuum, & conuertens pedibus ſuis rotam, qui in ſolicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum, & innumera eſt omnis operatio eius. In brachio ſuo formabit lutum, & ante faciem ſuam curuabit virtutem ſuam: cor ſuum dabit vt conſummet linitionem, & vigilia ſua mundabit fornacem. Et quid per figulum hunc, niſi ipſi, de quibus ſupradictum eſt, ſancti prædicatores demonſtrantur? Ipſi enim per diuerſa officia gradus ſui miniſterium dignè agunt, & doctrinam ſuam ſecundum qualitatem auditorum temperant: quia aliter admonendi ſunt ſapientes, aliter inſipientes: aliter fortes, aliter infirmi: aliter iuuenes, aliter ſenes: aliter viri, aliterque fœminæ. Ipſi aratro Euangelij excolunt agrum Domini: Ipſi oues & animalia Dominica paſcunt pabulo verbi: ipſi ſculpunt ſignacula noui hominis in cordibus humanis, ipſi per linguæ ſuæ miniſterium fabricant arma virtutum; Ipſique fragiles & infirmos verbis & exemplis formant atque confortant, quatenus eos efficiant vaſa honorabilia, & ad miniſterium Dei aptiſſima. Hic ergo figulus in operando conuertit pedibus ſuis rotam, cum præſentis vitæ volubilem conuerſationem per veſtigia bonorum operum ſuis ſequacibus conuertit ad exemplum, qui ſollicitudinem gerit ſibi commiſſorum, vt bonorum operum inſiſtant actibus, qui ſuis factis infirmorum roborat operationem, & humilitatis atque manſuetudinis eis præbet exempla: qui cordis ſui totam voluntatem ad hoc ponit, vt quicquid aſperum ſit in moribus ſubditorum, lenitatis ſuę leniat documento: ad hocq; omnem vigilantiam ſuam impendit, vt in cordis fornace igne excoquens charitatis totam operationem diſcipulorum, flam̃a conſolidet dilectionis: quia totum opus caſus ſui habet detri-

H

A nimentum, ſi charitatis illud non coadunat glutinamentum.

Omnes in in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt. Omnes videlicet ſanctæ Dei Doctores Eccleſiæ bonæ operationis habent ſtudium, & vnuſquiſq; eorum iuxta diſtributionem Spiritus ſancti ſanæ doctrinæ vtile habet donum: quia *alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientia, alij autem ſermo ſcientia ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis: prout vult.* 1. Cor. 12.

Sine his omnibus non ædificatur ciuitas, & non inhabitabunt nec inambulabunt: & in Eccleſiam non tranſilient: ſuper ſellam iudices non ſedebunt, & teſtamentum iudicij non intelligent, neque palam facient diſciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur: ſed creaturam æui confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam ſuam, & conquirentes in lege altiſsimi. Sine his omnibus, donis videlicet ſpiritalibus non ædificatur ciuitas Eccleſiæ, & non habitabunt fideles in ea, nec ambulabunt ſancti de virtute in B virtutem, nec aulæ cæleſtis illis pandetur introitus. Cathedram quoque honoris prædicatores Euangelij abſq; his rectè non tenent, neque intellectum legis Dei habere, imò nec ſermonem doctrinæ dignè proferre, aut aliquid boni operis rite agere poterunt. Vnde quoque ipſi ſancti Doctores charitate diuino ad opus verbi ſe ordinatos agnoſcentes, creaturam humanam temporaliter à Deo conditam, per prædictas ſpecies doni cæleſtis in fide & bona operatione confirmant: & deprecatio illorum cum bonis actibus virtutum acceptabilis erit Deo, quoniam animas ſuas dederunt pro fratribus ſuis ſecundum præceptum legis altiſſimi: qui in Euangelio diſcipulis ſuis ait: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos: maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis.* Quantum autem diuina ſapientia excellat humanæ ſapientię, ſequens ſermo oſtendit. Ioan. 15.

C
CAPVT XVII.

Cap. 39 *SApientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit: occulta prouerbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum conuerſabitur. Et in medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu præſidis apparebit. In terram alienarum gentium pertranſiet: bona enim & mala in hominibus tentabit.* Exquirit enim homo Eccleſiaſticus, & diligentiùs diſcit ſapientiam Patriarcharum & Prophetarum, & ad ſcripta eorum meditanda vacat: narrationem virorum nominatorum, hoc eſt, Apoſtolorum & Euangeliſtarum rectè credendo & benè operando conſeruat: In parabolis quoque Euangelicis diligenter ſcrutando verſatur, & myſticum ſenſum in ſententijs diuinis exquirens, latentem allegoriam in hiſtorica narratione inueſtigat, vt ſciat quid luculentus ſermo iuxta moralitatem & fidei regulam vtilitatis habeat, quidve iuxta allegoriam & anagogen ſpiritaliter accipiendum inſinuet. Hic ergo *in medio magnatorum miniſtrabit*, cum inter Catholicos doctores diſciplinabiliter conuerſatur, & D in Eccleſiaſticis officijs ſtrenuè miniſtrat; & hoc vt non laudem humanam appetat facit, ſed vt coram oculis interni inſpectoris, qui præſidet cælo & terræ, & dominatur omnium creaturarum, placeat. Nam & iſte cum benè eruditus in lingua diuina per magiſtrorum Catholicorum ſollertiam fuerit & Eccleſiaſtica diſciplina ſufficienter inſtructus, Doctoris officium accipit, & alienis gentibus, quæ vtique alienæ à veri Iſrael fide fuerunt, & religione permanens prædicat verbum Dei, & tentando probat vbi ſana fidei poſſit introducere veritatem, & vbi deuotiorum auditorum inueniat, vbive ingratum & contemptorem.

CAPVT XVIII.

E *COr ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur.* Mores & vitam boni Doctoris luculenter ſapientia explicat, qui Catholicæ fidei regulam ſeruans tam verbo quam etiam exemplo præcepta Domini ſine ceſſatione prædicat. *Tradit* ergo *cor ſuum ad vigilandum diluculo ad Dominum.* Ille qui corporis ſegnitiem à ſe repellit, & initium atque perfectionem omnium actuum ſuorum Domino commendat, quatenus ipſe eius intentionem, verba & totam conuerſationem ſecundum voluntatem ſuam dirigat: hoc quippe oratione pura aſſidue deprecatur, vt clementiſſimus iudex concedat ſibi veniam delictorum & bonorum operum magnificentiam tribuat.

Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum. Et ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientia ſuæ & in oratione confitebitur Domino. Et ipſe diriget conſilium eius, & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur. Ipſe palam faciet diſciplinam doctrina ſua, & in lege teſtamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſæculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. F Dat Dominus fideli ſuo oratori & diligenti cæleſtis ſapientiæ exquiſitori Spiritum intelligentiæ, vt ſciat quando & vbi & quomodo diuina eloquia proferre debeat: Ipſeq; dirigit conſilium bonæ voluntatis & diſciplinam rectæ conuerſationis eius, & interna inſpiratione illum conſolatur ac roborat, vt diuinorum teſtamentorum præcepta inter aduerſa mundi fiducialiter prædicare valeat. Vnde multi ſapientiam doctrinæ illius laudant, & bonorum operum illius memoriam à generatione in generationem ſeruant. Hæc ergo gratia quia non alijs data eſt niſi Doctoribus Euangelij & glorioſioribus membris corporis Chriſti, quæ ab ipſo capite per officium ſingulorum membrorum miniſtratur, ſequens ſententia teſtatur.

Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius nuntiabit Eccleſia. Omnes ergo gentes imò in vniuerſis gentibus prædicando pronuntiat Eccleſia Catholica laudem Chriſti, quod idem filius Dei qui eſt virtus & ſapientia patris, totius ſententiæ & prophetiæ atque omnium bonarum virtutum author ſit, & diſtributor gratiarum ſpiritalium, vnus & ſolus Deus cum Patre & Spiritu ſancto regnans per omnia ſæcula. G

Si permanſerit nomen eius, derelinquet plusquam mille: & ſi requieuerit, proderit illi. Hoc vult oſtendere, quod bonus Doctor, qui probabilis eſt actibus ſimul & doctrina, ſi vita longiore viuat, multos lucretur, & plurimis fiat cauſa ſalutis: ſi autem obierit, ad æternam requiem migrabit, vbi merces condigna meritis illius à iuſto iudice recompenſabitur. Vnde & Doctor gentium de agonis ſui certamine præmium certum ſperans audenter ait: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* 2. Tim. 4. Et alibi: *Secundum* (inquit) *expectationem & ſpem meam in nullo confundor, ſed in omni fiducia ſicut ſemper magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſiue per vitam ſiue per mortem: mihi autem viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quod ſi viuere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui & cum Chriſto eſſe: multo enim melius; permanere autem in carne, magis neceſſarium eſt propter vos.* 1. Philip. H

Adhuc conſiliabor vt enarrem, vt furore enim repletus ſum in voce. Intelligens enim vir ſanctus per incitationem Spiritus, Sapientiam Dei velle prioribus ſermonibus adhuc plura addere, dicit ſe promptum animo æſtuare & ſecum conſiliari, vt ea quæ adhuc reſtant de mirabilibus Dei enarret. Scilicet quomodo bonis bona, & malis mala ſecundum meritum operum ſuorum præuenient. Incitatque auditores ſuos, vt bonorum operum fructum quamdiu viuant gignere non ceſſent dicens:

Obaudite me diuini fructus aquarum, & quaſi roſa plantata

ſuper

A *ſuper riuum aquarum fructificate.* Aquæ in ſcriptura ſacra
aliquando Spiritum ſanctum, aliquando ſcientiam ſa-
cram, aliquando ſcientiam prauam, aliquando tribula-
tionem, aliquando autem defluentes populos, aliquan-
do mentes fidem ſequentium demonſtrare ſolent: per
aquam quippe ſancti Spiritus infuſio deſignatur. Sicut
Ioan. 7. in Euangelio dicitur: *qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura,*
flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: vbi Euangeliſta ſecu-
Ibidem. tus adiunxit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant*
credentes in eum. Rurſum per aquam ſancta ſapientia de-
Eccli. 15. ſignatur, ſicut dicitur: *Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit eos.*
Per aquam quoque praua ſcientia appellari ſolet, ſicut a-
pud Salomonem mulier quæ typum hæreſeos tenet cal-
Prou. 9. lidis ſuaſionibus blanditur, dicens: *Aquæ furtiuæ dulciores*
ſunt. Aquarum ergo nomine nonnunquam ſolent tribu-
Pſal. 68. lationes intelligi, ſicut per Pſalmiſtam dicitur: *Saluum me*
fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.
Per aquam populi deſignantur, ſicut per Ioannem dici-
Apoc. 17. tur: *Aquæ verò ſunt populi.* Per aquam quoque non ſolum
B fluxus decurrentium populorum, ſed etiam bonorum
mentes prædicamenta fidei ſequentium deſignantur, ſi-
Eſa. 32. cut Propheta ait: *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas.* Et
Pſal. 28. per Pſalmiſtam dicitur: *Vox Domini ſuper aquas.* Hoc er-
go in loco quid aquarum nomine niſi electorum corda
deſignantur? quæ per intellectum ſapientiæ auditum
iam ſupernæ vocis acceperunt. *Obaudite* (inquit) *me diui-*
ni fructus aquarum, & quaſi roſa plantata ſuper riuum aquarum
fructificate: ac ſi diceret: Attendite ad doctrinam meam
per baptiſmum regeneratæ vberes mentes electorum, &
fructum martyrij in diſcurſu mortalis vitæ gignere non
formidate; quia odorem ſuauiſſimum & ſacrificium ac-
ceptabile Domino inde profertis. Vnde ſubiungitur:

Quaſi Libanus odorem ſuauitatis habete. Florete, flores, quaſi
lilium & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate can-
ticum: & benedicite Deum in operibus ſuis. Nam Propheta
paſſionem martyrij Domino gratiſſimam eſſe agnoſcens,
Pſal. 115. in Pſalterio ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ re-*
tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini in-
uocabo. Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.
C Et quoniam ſicut roſæ martyrium, ita & lilium caſtitatē
ſignificat: vt oſtendat vtrunque noſtro conditori accepta-
biliſſimum fore, dicit: *Florete flores quaſi lilium*; ac ſi patenter
dicat: Date flores iucundiſſimos cum caſtitate cæleſtium
virtutum, quarum odor & frondes ſpargantur per totum
orbem ad exemplum animabus fidelium: hoc eſt quippe
laudare canticum & benedicere Dominum in operibus
ſuis, vt corde, ore, ſimul & opere pro bonis ſuis totus ho-
mo gratias ſuo referat conditori.

Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce
labiorum veſtrorum. Dat enim nomini Domini magnifi-
centiam, qui benè conuerſans ritè prædicat eius potenti-
am, vt illi qui rectam prædicationem eius audiunt, & bo-
nos actus conſiderant, reddant pro hoc laudes Domino,
& condignas gratiarū actiones. Iuxta illud Dominicum
Matth. 5. præceptum: *Sic* (inquit) *luceat lux veſtra coram hominibus, vt*
videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in
cælis eſt. Hinc eſt & illud quod in dominica oratione ora-
Matt. 6. mus Domino dicentes: *Sanctificetur nomen tuum*; vt eius
ſanctitatem & voce prædicemus, atque in bonis exem-
plis alijs demonſtremus. Cæterum illis, qui ſcelerata
D conuerſatione & reprobis moribus Deum inhonorant,
Rom. 2. dicit ſcriptura: *Per vos enim nomen Dei blaſphematur inter gen-*
tes. Quorum quidem finis interitus, & gloria erit in con-
fuſionem eorum qui terrena ſapiunt. Sed quid ſapientia
fidelibus adhuc dicat, videamus.

In canticis labiorum & in citharis, & ſic dicetis in confeſſione:
opera Domini vniuerſa bona valde. Hoc eſt enim quod ſu-
perius diximus: vt labijs & actibus Dominum prædice-
mus. Proinde Propheta in Pſalmo iuſtos ad laudan-
Pſal. 32. dum Deum exhortans dicit: *Gaudete iuſti in Domino, re-*
ctos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara, in Pſal-
Cithara quid. *terio decem chordarum pſallite ei.* Cithara eſt lignei ventris
in imo ſita concauitas, quæ ſurſum chordarum fila
tranſmittens, ſonis dulciſſimis percuſſa proloquitur;
quæ ideo tale nomen accepit, quoniam cita iteratione
percutitur. Huic meritò comparantur opera, quæ de E
terrenis rebus ad ſupernam gratiam porriguntur, id eſt
dum eſurientem paſcimus, dum nudum veſtimus, dum
ægrotum viſitamus, &c. quæ licet videantur carnalia,
diuinitatis tamen amore peraguntur. Citharizamus
quoque, cum in paſſionibus noſtris vel damnis ſecuri ac
læti dicimus: *Dominus dedit Dominus abſtulit; ſicut Domino* Iob. 1.
placuit ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Pſalteri- Pſalterium quid
um verò decachordum eſt, quod ordine conuerſo alueum
citharæ in ſuperioribus habet, vnde ad inferiorem par-
tem canora fila deſcendunt, cui præcepta decalogi con-
uenienter aptantur: quia ſecundum formam inſtrumen-
ti huius de ſupernis venientia Domini iuſſa ſuſcipimus:
& conſidera quia ſolum eſt inſtrumentum muſicum,
quod pro excellentia ſui decachordum dicatur: non e-
nim hoc de cithara vel de alijs huiuſmodi inſtrumentis
lectum eſſe meminimus. Decachordum verò Pſalteri-
tium (ſicut veteres dixerunt) & illud nobis indicat ſacra-
mentum, vt referamus tria ad Deum, quia trinitas eſt: Id
eſt primum quod ait, *Non habebis Deos alienos coram me.* F
Secundum, *non facies tibi ſculptile.* Tertium, *non aſſumes ti-* Exod. 20.
bi nomen Dei tui in vacuum. In quo coniungit & de Sabba- Ibidem.
to. Septem verò quæ ſequuntur ad dilectionem dixe- Leuit. 26.
runt proximi pertinere. Id eſt, *honora patrem tuum & ma-* Deut. 5.
trem. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non lo- Exod. 20.
queris contra proximum tuum falſum teſtimonium, non concu- Exod. 20.
piſces domum proximi tui, nec deſiderces vxorem eius, &c. Sic to- Deut. 5.
tius decachordi Pſalterij virtus perfecta nobis & hono-
rabilis indicatur. Pſallimus quoque & decem chordis,
quando in quinque ſenſibus carnalibus, & in quinq; ſpi-
ritalibus probabili non conuerſatione tractamus. Ve-
rum iſta quæ dicimus non ſunt extra nos poſita, ſicut in
muſica diſciplina, in nobis eſt Pſalterium: imò ipſa orga-
na nos ſumus, quando ad ſimilitudinem eorum per grati-
am Domini actuum noſtrorum qualitate cantamus. Hoc
autem & illo exemplo datur intelligi, vbi ait: *In me ſunt* Pſal. 55.
Deus vota tua, quæ reddam laudationis tibi. Quod enim iubet
vt in confeſſione dicamus opera Domini vniuerſa bona
valdè: aut hoc vult iuxta hiſtoriam demonſtrare, quòd
omnia opera Domini quæ fecit ab initio à bono creato- G
re, bona creata ſunt; iuxta illud quod ſcriptum eſt in Ge-
neſi: *Vidit Dominus cuncta quæ fecit, & erant valde bona*: aut Geneſ. 1.
iuxta allegoriam, Omnia quæ fecit Deus Pater per Chri-
ſtum in reſtauratione generis humani, vniuerſa opera
ſunt bona valde: quia vt Paulus teſtatur: *In ipſo compla-* Epheſ. 1.
cuit Deo patri in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare
omnia quæ in cælis & quæ in terris ſunt. In quo etiam ſorte vo-
cati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui
omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt
ſimus in laudem gloriæ eius. Vnde iuſtum eſt, vt ſemper
laudē ei ſine ceſſatione & gloriā omni tempore dicamus.

In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries: & in ſermone oris eius,
ſicut exceptoria aquarum: quoniam in præcepto ipſius placatio fit:
& non eſt minoratio in ſalute illius. Omnia enim opera ſua
per verbum ſuum, hoc eſt, vnigenitum filium Deus pater
fecit. Vnde ſcriptum eſt: *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe* Pſal. 32.
mandauit & creata ſunt. In verbo enim eius ſtetit aqua ſi-
cut congeries, quando congregauit aquas in vnum, &
apparuit arida, fecitq; firmamentum in medio aquarum,
& diuiſit aquas ab aquis: nec extra ordinem ſuum relabi H
poterunt, ſed iuxta modum ſuum locata conſiſtunt, i-
tumque conſeruant. Siue aliter, aqua ſtetit ſicut con-
geries, quando in tranſitu filiorum Iſrael de Ægypto
aquæ maris rubri diuiſæ ſunt, de quo ſcriptura nar- Exod. 14.
rat, quòd aquæ eis eſſent quaſi pro muro à dextris,
& à ſiniſtris. Iuxta myſticum vero ſenſum, aquæ per-
ſecutionum, de quibus precatur Propheta ſe ſaluari, di-
cens: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſ-* Pſal. 68.
que ad animam meam. Verbo Domini coercentur, nec
vltra diſpenſationem eius procedere poſſunt; quoniam
creator omnium opem miſericordiæ ſuæ fidelibus ſuis
impendit, nec eſt inualida manus omnipotentis, quin li-
berationem & ſalutem conferat electis ſuis. Sunt enim
in conſpectu Dei hi qui tribulant, & hi qui tribulantur,
nec quicquam eum latet. Vnde & ſequitur.

Opera

A *Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius. A ſæculo & vſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius.* Præſcientia ergo Dei omnia antecedit: & quicquid temporaliter fit in mundo, ante omnia tempora coram eo præſens erat. Vnde nihil nouum, neque mirabile in conſpectu eius: quoniam omnia quæ fuerunt, & quæ ſunt, atque quæ futura ſunt, ipſe vno intuitu comprehendit, & ſemper ſibi præſentia conſiſtunt. Vnde & Apoſtolus de vnigenito filio ita ſcripſit, 2. Cor. 1. dicens: *In Chriſto enim Ieſu, non eſt in illo eſt & non, ſed eſt in illo eſt:* Hebr. 13. Et item: *Ieſus* (inquit) *Chriſtus heri & hodie: ipſe in ſæcula ſæculorum.*

Non eſt dicere, quid eſt hoc, aut quid eſt illud? omnia enim in tempore ſuo quærentur. Curioſos nos vetat eſſe, & ineptos ſcrutatores latentium rerum, quas nos non conuenit ſcire, & animi noſtri intellectum adhuc latent. Cuncta enim in tempore ſuo manifeſtabuntur, ſcilicet quando iu- 1. Cor. 4 xta Pauli ſententiam *venerit Dominus, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium:* huic ſimile Eccleſ. 5. eſt illud quod in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *Ne temerè quid* B *loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo.* Et item: *cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo: & mundum tradidit diſputationi eorum. Vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem, cum omnia ſuo labantur tempore, & ſit tempus deſtruendi, vel ædificandi, acquirendi, tacendi, loquendi,* &c. quæ dicta de temporum contrarietate ſunt, fruſtra conamur extendere: & breues vitæ labores putamus perpetuos, nec contenti ſumus ſecundum Euangelium malitia diei, nihilque in craſtinum cogitamus, Deus enim omne quod fecit bonum eſt, quia viciſſim iuxta diſpoſitionem Dei bonum vnumquodque opus: dedit quoque Deus mundum ad inhabitandum hominibus, vt fruantur varietatibus temporum, & non quærant de cauſis rerum naturalium: quomodo creata ſint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi vſque ad conſummationem fecerit creſcere, manere, mutari.

Benedictio illius quaſi fluuius inundauit: & quomodo cataclyſmus aridam inebriauit, ſic ira illius gentes, quæ non exquiſierunt eum, hæreditabit. Benedictio ergo Dei & gratiæ illius C donum ſuper timentes eum abundat, & tanquam fluuius Ioan. 4. aquæ viuentis. De qua ipſa Veritas ait: *Qui biberit aquam quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Largiter eos irrigat: ita vt illud in eis impleatur, de quo i- Ioan. 7. dem Dominus ait: *qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* è contrario verò aquæ cæleſtis vindictæ illos ſuffocant, qui increduli eius dictis extiterunt, & legem eius non exquiſierunt vt cuſtodirent mandata eius: Gen. 7. ſicut in diebus Noe liberatis per arcam Dei cultoribus, impij & increduli, qui viriditatem rectæ fidei & bonorum operum non habuerant, cataclyſmi inundatione perierunt.

Quomodo conuertit aquas, & ſiccata eſt terra, & viæ illius vijs illorum directæ ſunt: ſic peccatoribus offenſiones in ira eius. Quomodo ergo poſt diluuij effuſionem aquæ ibant euntes, & redeuntes, vt iterum appareret arida, & terra fructus ſuos germinaret: ita etiam poſt extinctionem impiorum, data eſt facultas electis Dei, vt proferrent fructus bonorum operum. Quod autem dicit vias Domini vijs illorum eſſe directas: oſtendit retributiones illius ſecundum merita ipſorum eſſe diſpenſatas: *Viæ enim Domini ſunt iu-* D *ditia eius: viæ autem hominum, opera illorum.* Vnde Dominus Pſal. 98. (*qui iuſtus eſt in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus* Rom. 2. *ſuis, & reddit vnicuique ſecundum opera ſua*) *cuſtodit omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.* Vnde & ſequitur:

Bona bonis creata ſunt ab initio: ſic nequiſſimis bona & mala. Bona quippe vitæ æternæ præparata ſunt bonis ab initio. Vnde Dominus dicturus eſt in iudicio his qui à dextris Matt. 25. eius erunt: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi:* nequiſſimis verò bona & mala: bona quippe, ſi ſe conuerterint à peccatis ſuis, & egerint pœnitentiam; mala autem, ſi perſeuerauerint in errore & delictis ſuis, & pœnitentiam agere neglexerint, quibus iudex iuſtiſſimus terribiliter dicet in ex- Matt. 25. tremo examine: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius;* ſicque i- E bunt impij in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.

CAPVT XIX.

INitium neceſſariæ rei in vita hominum aqua, ignis, & ferrum, & ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel & botrus vuæ, oleum, & veſtimentum. Hæc omnia ſanctis in bonum: ſic & impijs & peccatoribus in mala conuertentur. Narrat ſapientia humanæ vitæ initia, pandens neceſſariarum rerum inſtrumenta, vt compeſcat humanos animos à luxu mundi, & illicitarum rerum concupiſcentiâ. Aquæ enim & ignis elementis maximè corporalis vita nutritur: & ferri materies ad inſtrumentum diuerſarum artium tributa eſt: ſic & ſal ad condiendos cibos, ad compeſcendam putredinem prouidentia diuina collocatum eſt. Ita quoque & ante diluuium fructu terræ, & naturali cibo veſcebantur homines, nondum quoque illis carnium eſu conceſſo: ſed quia ipſæ res omnes bonæ à bono creatore ad vſum hominum creatæ ſunt: illi qui eis temperatè vtuntur, & ſecundum mandata viuentes, in omnibus diſcretionem habere con- F tendunt: ipſis nimirum res bonæ ad futura bona adipiſcenda adminiculo fiunt: Illis autem qui illecebris ſæculi deſeruiunt, & bonarum rerum nequiſſimum vſum habent, pœnæ futuræ eis præparatio fit: eo quod bonis præſentibus illicitè abutentes futura bona quærere neglexerunt.

Sunt Spiritus qui ad vindictam creati ſunt: & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua. De malignis ſpiritibus dicit, quos bonus creator bonos in initio creauit; ſed ipſi propter ſuperbiam ſuam (cuius fuerunt ijdem primi inuentores) de cæleſti gaudio in miſeriam maximam corruerunt: poſtquam autem homo à Deo conditus per diaboli ſuggeſtionem ſeductus eſt, iuſtè in eius poteſtatem traditus eſt, quia Domini ſui mandata tranſgrediens, inimici nefandi peruerſis ſuaſionibus conſenſit, & ita Deus omnipotens (qui eſt ſummè bonus, imò ſummum bonum, vniuerſorum ordinator optimus) homines ſuperbientes ſub dominio ſuperborum angelorum ſubegit: vt ab ipſis correpti diſcerent, quantum diſtat inter veri & pijſſimi G Domini, & inter tyranni crudeliſſimi ſeruitutem: ipſi vero dæmones & tortores hominum atrociſſimi in furore ſuo confirmant tormenta ſua, qui in futuro iudicio pro nequitia propria & humani generis ſeductione, ſupplicia ſubibunt æterna: ſed quoniam illi in nouiſſimo tempore maximè humano generi infeſti erunt, & eius interitum tunc præcipuè meditabuntur quando ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit vt ſeducat gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quandoque reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ipſe ſit Deus, vir Deo deditus hoc prophetico more prænuntiat, dicens:

In tempore conſummationis effundent virtutem, & furorem eius qui fecit illos placabunt. Tunc enim ſecundum Euange- Matt. 24 licam atteſtationem, erunt dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus vſque nunc, neque fient: *& niſi breuiaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos,* quos ele- H git, *breuiabit dies:* & benè dicitur: *Et furorem eius qui fecit illos confundent:* quia in iniquitatibus ſuis & in inimicitia quam contra Eccleſiam Chriſti habent, cæleſtem in ſe vindictam prouocare non timent.

FINIS LIBRI OCTAVI.

A

LIBER NONVS.

CAPVT I.

IGnis grando fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt. Beſtiarum dentes, & ſcorpiones, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios. In mandatis eius epulabuntur, & ſuper terram in neceſſitate præparabuntur, & in temporibus ſuis non præterient verbum. Quando enim homo à Deo creatus, ſubditus creatori ſuo patebat, nihil aduerſitatis ſuſtinebat, ſed omnia illi proſpere eueniebant, cunctaq; animantia terræ ſub ſua dominatione tenebat. Cum autẽ ſuperbiendo præceptum creatoris ſui tranſgrediebatur, de felicitate paradiſi eiectus, in hanc conuallem lachrymarũ decidit, vbi diuerſis calumnijs agitabatur: ibi enim laborando ſterilem terram habebat, quæ pro frumento ſpinas & tribulos germinauit: ipſiſq; elementis vapulabat. Vnde famis neceſſitatem paſſus ægritudinibusq; affectus, tandem mortis damnum ſuſcipiebat. Similiter &

B

animantia atq; reptilia terræ, quæ prius ſub eo mitia & manſueta fuerunt, poſt peccati commiſſum in contrarietatem & noxietatem illi vertebantur: quia romphæa cęleſtis vindictæ in impijs diuinum iudiciũ exercebat. Quod autem dicitur: *in mandatis eius epulabuntur, & in neceſſitate præparabuntur*: inſinuat quod iuxta ſupernam ſententiam immiſſa vltio peccatores tempore opportuno deuaſtat: cui ſimile eſt illud quod in cantico Deuteronomij ex diuina perſona prolatum legitur: *exacuam velut fulgur gladium meum, & aget iudicium manus mea, & retribuam iudicium inimicis & his qui oderunt me reddam, inebriabo ſagittas meas in ſanguine, & gladius meus manducauit carnes, à ſanguine vulneratorum, à captiuitate, à capite principum inimicorum.* (Deut. 32.)

Propterea ab initio confirmatus & conſiliatus ſum, & cogitaui, & ſcripta dimiſi. Hæc quidem ſententia ad ſuperiora reſpicit vbi ſcriptum eſt; *non eſt dicere, quid eſt hoc, aut quid eſt illud: omnia enim in tempore ſuo quærentur.* (Eccli. 39.) Vidit enim ſapiens vir incomprehenſibilia Dei iudicia eſſe, & inueſtigabiles vias eius: & non auſus eſt temerè aliquid loquendo aut ſcribendo de eis proferre, ſed temperatè de operibus

C

Dei magnificis diſputans cauſam & modum diuino conſilio atque decreto manifeſtum dimiſit. Vnde ſubiungitur:

Omnia opera Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrabit: non eſt dicere, hoc illo nequius eſt: omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur. Huic loco conſonum eſt, quod in Eccleſiaſte legitur: *Ne dicas, quid putas cauſa eſt, quod priora tempora meliora fuere quam nunc ſunt? ſtulta eſt enim huiuſcemodi interrogatio*: (Eccleſ. 7.) vnde nec vetus ſæculum præſenti præferendum eſt; quia vnus vtriuſque conditor eſt Deus. Virtutes, bonos viuenti faciunt dies: vitia, malos: ne dicas ergo meliores fuiſſe dies ſub Moyſe & ſub Chriſto quam modo ſunt: nam & illo tempore plures fuerunt increduli, & diſeorum mali facti ſunt: & nunc credentes multi recipiuntur: de quibus Saluator ait: *Beati qui me non viderunt & crediderunt.* (Ioan. 20.) Omnia enim opera Dei ſunt bona, & ſub diſpenſatione conditoris ſui conſiſtunt vniuerſa, ac ideò de iudicijs DEI mirabilibus potius ſilendum eſt homini, quam loqui: quia ſub eius regimine ordo diſcurrit totius ſæculi.

D

Et nunc in omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini. Hoc enim vnicum conſilium nobis datur, vt videntes mirabilia Dei, & opera eius magnifica, non incautè ea diſcutere præſumamus. Sed magis creatorem optimum corde, ore, & opere laudemus, benedicamus, atque glorificemus: quia ipſe ſolus eſt quem toto corde, tota anima, tota virtute diligere iubemur: & cuius præcepta ſeruare, in eiuſq; ſeruitio quotidie conſiſtere debemus, quatenus à bono Domino vt vtiles ſerui in furore iudicij pro recta fide & bono opere, coronemur.

CAP. 40. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Hoc eſt quod alibi ſcriptum eſt: *Homo ad laborem naſcitur*; (Iob. 5.) occupatio ergo magna creata eſt omnibus hominibus: quia Protoplaſtus humani generis patens, ita à Deo conditus eſt, vt vtili operationi inſiſteret, ſed tamen ſine afflictione aliqua atque labore. Vnde in Geneſi legitur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum*: (Geneſ. 2.) poſtquam autem in præuaricationis culpam decidit: mox iuſto Dei iudicio de felicitate paradiſi eiectus, in hanc conuallem miſeriarum deuolutus eſt: vbi ipſe & progenies eius quotidie cum labore operans, laboris ſui fructum vix atque difficile inueniret: & meritò, vt, qui noluit præceptum cum felicitate ſeruare, pœnam inobedientiæ ſimul cum labore ſuſtineret; dicente ad eum Domino: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* (Geneſ. 3.) Vnde bene dicitur, *iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum* poſitum eſſe, *vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*: hoc eſt, ab exordio natiuitatis humanæ, quando eum genitrix in doloribus & ærumnis peperit, vſque in diem defunctionis, quando in terram, quæ eſt mater omnium mortalium

F

mortua caro ſepelitur. Huic ergo loco ſimile eſt illud, quod in Iob ſcriptum eſt: *militia eſt vita hominum ſuper terram*: (Iob. 7.) ſiue vt alia translatio habet, *tentatio eſt vita hominum ſuper terram*: quietus homo poſſidere carnem potuit, ſi benè ab authore conditus poſſidere voluiſſet: cumque ſe erigere contra conditorem ſtuduit, in ſemetipſo protinus carnis contumeliam inuenit; ſed quia cum culpa ſimul ab origine etiam pœna propagatur, incerto infirmitatis vitio naſcimur: & quaſi nobiſcum hoſtem deducimus, quem cum labore ſuperemus, ipſa ergo hominis vita tentatio eſt: cui ex ſemetipſa naſcitur vnde perimatur: quæ etſi ſemper ex virtute ſuccideritur, quod ex infirmitate generat: ſemper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute ſuccidat: ſic itaque humana vita tentatio eſt, vt etſi iam ab iniquitatis perpetratione compeſcitur, in ipſis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo ſeductionis caligine, modo intentionis ſuæ interruptione fuſcetur.

G

Cogitationes eorum & timores cordis, adinuentio expectationis, & diei definitionis. Nunc incipit enumerare, quæ mortales mala propter peccata ſua ſuſtineant: hoc eſt, ſollicitudines varias mentis, & timores cordis, adinuentiones diuerſæ operationis: quibus in diebus exſpectationis (quia mortem exſpectant) affligantur, & ad vltimum in die definitionis ſententiam certam iudicis pro meritis ſuis accipiant; & quia iuſtus iudex perſonam cuiuslibet non accipit, ſed omnes ſecundum æquitatem iudicij ſui iudicat, ſequens ſententia probat.

Et reſidentes ſuper ſedem glorioſam, vſque ad humiliatum in terra & cinere: ab eo qui vtitur hyacintho & portat coronam, vſque ad eum qui cooperitur lino crudo. Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio. Deus enim perſonam hominis non accipit, quoniam Dominus iuſtus index eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ, nec accipit perſonam in paupere, ſed reddit vnicuique ſecundum opera ſua: furor enim & zelus, oſtenditur in vindicta, quando peccatores pro delictis ſuis cruciabuntur in pœna: vbi tumultus eſt & fluctuatio, quia *nullus ordo ſed perpetuus horror ibi inhabitat*, vbi timor (Iob. 10.) mortis eſt, & iracundia perſeuerans, & contentio. Verè

H

ibi timor eſt mortis, vbi continuum incendium eſt gehennæ ignis: iracundia perſeuerat & contentio: quoniam nulla pax ibi eſt, & nulla doloris mitigatio. Eſaias (Eſa. 66.) Propheta de reprobis & de ſupplicio mancipatis, longè ante prædixit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: & erunt *vſque ad ſatietatem viſionis omni carni*: quid enim horribilius dici, quid cogitari poteſt, quam damnationis vulnera ſuſcipere, & dolores vulnerũ nunquam finire? in huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet: quia nequaquam mentẽ metus cruciat, cum pati iam cœperit quod metuebat. Inferni ignibus reprobi & aditu, & in ſupplicijs dolorem ſentiunt, & in doloribus anguſtia pulſante ſemper pauore feriuntur: vt quod timent tolerent, & rurſum q; tolerãt ſine

Digitized by Google

A ceſſatione pertimeſcant: hic flamma quæ ſuccendit, illuminat: illic ignis qui cruciat, obſcurat: hic metus amittitur, cum tolerari iam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor anguſtat.

Et in tempore refectionis in cubili ſomnus mortis immutat ſcientiam eius: modicum tanquam nihil in requie. Tempus refectionis, dicit tempus remunerationis, quando corpore condito in cubili ſepulchri, anima locis pœnalibus pro peccatis ſuis deputatur: tunc ſomnus mortis immutat ſcientiam eius, quia longè aliter tunc ſentit de actibus ſuis, quàm ante in hac vita ſentiebat: quia tunc omnia manifeſtabuntur, quæ prius fuerunt occulta: atque à malignis Spiritibus ei in memoriam reducuntur, quæ hic negligebantur, aut obliuioni tradebantur. Tunc enim impletur quod Saluator ad Hieruſalem de ſubuerſione flendo prædixerat: (Lc.19.) *Venient* (inquit) *dies in te, & circundabunt te vndique inimici tui vallo, & circundabunt te, & & coanguſtabunt te vndique, & ad terram conſternent te, & filios tuos qui in te ſunt:* maligni quippe Spiritus vndique B animam anguſtant, quando ei non ſolum operis, verum etiam locutionis atque inſuper cogitationis iniquitates replicant; vt quæ prius ſe per multa dilatauit in ſcelere, ad extremum de omnibus anguſtetur in retributione. Tunc anima per cogitationem reatus ſui ad terram conſternitur, cum caro (quam vitam ſuam credidit) redire ad puluerem vrgetur. Tunc in morte filij illius cadunt, cum cogitationes illicitæ (quæ modo ex illa prodeunt) in extrema vitæ vltione diſſipantur. Tunc modicum tanquam nihil eſt in requie, quia licet caro mortua & inſenſibilis à doloribus ad tempus requieſcere videatur in terra, anima tamen viuens ante iudicij diem ſentit dolorem, & in die reſurrectionis ipſum corpus per quod peccauit immortale recipiens, in pœnas viuet ſempiternas. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obſcuritate, ſi ſic videlicet à damnatis ſentiri pondus ſummæ æquitatis debet. Vt quia à voluntate conditoris nequaquam ſunt veriti diſcrepare dum viuerent, in eorum quandoque interitu ipſa à ſuis qualitatibus etiam tormenta diſcordent, quatenus quo ſe impugnent C cruciatus augeant: & cum variè prodeant, multipliciter ſentiantur: quia inferni ſupplicia in ſe demerſos & vltra vires cruciant, & in eis vitæ ſubſidium extinguentes ſeruant: vt ſic vitam terminus puniat, quatenus ſemper ſine termino cruciatus viuat: quia & ad finem per tormenta properat, & ſine fine deficiens durat. Inferni ſupplicijs peccatoribus deditis, fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defunctus ſine defunctu; quia & mors viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit, & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, ſed nequaquam tenebras decutit: quantum per notitiam præſentis vitæ colligitur, ſupplicia ordinem non habent, quia non ſuam per omnia qualitatem tenent. Quamuis illic ignis & ad conſolationem non lucet, tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet: ſequaces quoque ſuos ſecum in tormentis reprobi flamma illuſtrante viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt; quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerant, ipſorum quoque eos interitus in augmentum ſuæ damnationis affligat. (Luc.16.) Quod & Euangelio teſtante colligi- D mus, in quo (Veritate nuntiante) diues ille, quem contigit ad æterni incendij tormenta deſcendere, quinque fratrum meminiſſe deſcribitur, qui Abraham petit, vt ad eorum eruditionem Lazarum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret: qui igitur ad doloris ſui cumulum propinquorum abſentium meminit, conſtat proculdubio quia ad augmentum supplicij paulo poſt potuit etiam præſentes videre: & hæc vnde peccantibus talia veniant manifeſtatur, cum ſubditur:

Et ab eo in ſomnis quaſi in die reſpectus: conturbatus eſt in viſu cordis ſui, tanquam qui euaſerit in die belli. In tempore ſalutis ſuæ exſurrexit, & admirans ad nullum timorem, cum omni carne ab homine vſque ad pecus. Et ſuper peccatores ſeptuplum. Ideo enim mali cruciabuntur in pœna gehennæ, quia in tempore ſibi indulto non præuidebant, vt peccare deſi- E nerent, & bonis operibus inſiſterent: æſtimauerunt enim per proſperitatem mundi, quaſi per ſomnum deluſi, quod tempus pacis eſſet, & non dies belli; cum ad hoc tantum ſpatium temporalis vitæ homini concedatur, vt per bonum certamen peruenire feſtinet ad præmium vitæ æternæ. In tempore ergo ſalutis ſuæ, de quo Paulus ait: (2. Cor. 6.) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, exſurrexit*, hoc eſt, non ad bene operandum ſe leuauit, ſed in ſuperbiam ſe erexit: vt cupiditate terrenarum rerum æſtuans, ſine vllo timore Dei contra omnem conditionem hominum confligeret, ſcilicet contra nobiles & ignobiles, contra infirmos & potentes, contra diuites & pauperes, contra viros & fœminas; vt ſiue per dolum, ſiue per violentiam quæcunque poſſet, ab eis auferret, ſibique vindicaret. Vnde ſuper taliter peccantes ſeptupla, hoc eſt, plena & perfecta veniet vindicta: vt, qui tempore vitæ corporalis, quod ſeptenario dierum numero diſcurrit, peccare non ceſſauerunt, ſine vllo fine & abſque vlla requie in tormentis crucientur: vnde & ſubiungitur:

F *Ad hæc mors, ſanguis, contentio, & romphæa, oppreſſiones, fames, & contritio, & flagella: ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia, & propter illos factus eſt cataclyſmus.* Propter peccatienim commiſſum ad vindictam homini à iuſto iudice pœna multiplex deputata eſt: vt per hanc correptus de perpetratis malis pœnitentiam ageret, & de cætero caueret, ne in ſimilem ruinam incideret: ſed ille non emendare ſtuduit culpam, quin potius augere: quapropter ob multa eius peccata & ſcelera nefanda factum eſt, vt iuſtus arbiter diluuium toti infunderet orbi, deleretque hominem, quem creauit, de ſuperficie terræ: niſi tantum octo animas, quæ ad reparationem generis in arca ſernabantur. Vnde ſcriptum eſt: (Geneſ. 6.) *Videns Dominus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore: pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo* (inquit) *hominem quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli: pœnitet enim me feciſſe eos:* ſed ad comparationem futuræ pœnæ paruum eſt omne, quod in præſenti homo patitur: quia tormenta præſentia finem habent, futura autem nullo termino finientur. G

Omnia enim quæ de terra ſunt, in terram conuertentur. Et aquæ omnes in mare reuertentur. Huic ſimile eſt illud, quod in Eccleſiaſte legitur: (Cap. 1.) *Omnes torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur: ad locum de quo torrentes exeunt, illuc ipſi reuertuntur vt iterum fluant.* Hebræi ſub torrentium & maris nomine per metaphoram homines ſignificari arbitrantur: quod in terram vnde ſumpti ſunt redeant, & torrentes vocentur non flumina, eo quod cito infunditur, nec tamen impletur terra multitudine mortuorum. Porrò ſi ad altiora conſcendamus, rectè currentes aquæ in mare, vnde & ſubſtiterunt reuertentur: & niſi fallor abſque additamento nuſquam torrens in bonam partem legitur: mare autem inſatiabile, quomodo & in Prouerbijs filiæ ſanguiſugæ. (Prou. 30. Eccle. 1.) Vnde dicitur, mare non adimpletur.

Omne munus & iniquitas delebitur, & fides in ſæculum ſtabit. Omnis videlicet quæſtus pecuniarum, qui per auaritiam colligitur, ſimul cum poſſeſſore ſuo de præſenti vita interiet, & rapacitas eius finem habet, ſed ſceleris illius pœna perſeuerat perpetua. Fides autem Sanctorum, quæ per dilectionem operatur, & miſericordiæ iura cuſtodit, Seruatoris ſui vitam in remuneratione H æternæ beatitudinis ſtabilit ac luce firmat perpetua.

Subſtantia iniquorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt. In aperiendo manus ſuas lætabitur: ſic præuaricatores in conſummatione tabeſcent. Iniquorum ergo theſaurus ſicut inopportunè & indiſcretè colligitur, ita validè & velociter diſſipatur: qui ad tonitrui ſimilitudinem in impetu auaritiæ tempeſtatem facit, ſed citò in ipſo tumultu fatiſcit. Vnde ſcriptum eſt: (Pſal. 9.) *Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti: periit memoria eorum cum ſonitu:* gaudent quippe (Exod. 20. Deut. 5. & 7.) ad tempus in proſperitate mundana, cum aperiunt manus ſuas vt rapiant aliena; ſed quia præuaricati ſunt

A Dei præceptum, quo ait: *non concupiſces rem proximi tui*: in
conſummatione tabeſcent, quando vacui bonis operi-
bus pro peccatis ſuis demergentur in infernum.
Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices im-
mundæ ſuper cacumen petræ ſonant. Super omnem aquam viridi-
tas, & ad oram fluminis ante omne fœnum euellentur. Iuxta hi-
ſtoriã ergo ſæpe videmus progeniem impiorum cito ceſ-
ſaturam, & non diuturno progredi ſucceſſu: & ibi ma-
ximè, vbi filij imitantur parentum ſuorum iniquitatem.
Spiritaliter verò nepotes impiorum non multiplicant
ramos, quando opera peccatorum mercedis ſupernæ nõ
acquirunt fructum, ſed pœnarum gehennæ merentur in-
teritum: in petroſo ergo loco, hoc eſt, in duritia cordis
ſui, vbi multam terram bonæ deuotionis & perſeueran-
B tiæ non habent, quo poſſint bonorum operum accepta-
bilem ferre fructum, compuncti temporaliter aliquam
ſimilitudinem virtutum incipiendo oſtendunt, ſed radi-
Luc. 8. cem firmam perſeuerantiæ non habent: quia *ad tempus*
credunt, & in tempore tentationis recedunt. Inchoant .n. ger-
minare, quaſi iuxta aquam plantata ſint: ſed fluctuante
tentationis tempeſtate, atque exorto perſecutionis æſtu,
ſubito areſcunt, atque ante omne fœnum euellentur:
Pſal. 128 *ſiunt enim ſicut fœnum ædificiorum, quod priuſquam euellatur*
Hie. 17. *exaruit.* Vnde de talibus in Ieremia ſcriptum eſt: *Maledi-*
ctus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuũ,
& à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myrica in deſerto, &
non videbit cum venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſer-
to, & in terra ſalſuginis & inhabitabili. E contrario verò quid
de bonis & ſanctis viris dixerit audiamus: *Beatus vir qui*
confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi li-
Hier. 17. *gnum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit*
radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus: & erit folium eius
viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando
deſinet facere fructum. Vnde & ſequitur.
Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in
C *ſæcula permanet.* Gratia ergo Dei quæ ſuperabundat in fi-
delibus & electis Dei, ſicut paradiſus fructificat diuerſas
ſpecies virtutum: vnde miſericordia quam pro recta fide
& ſancta conuerſatione merentur, in ſæcula permanet:
quia vitam æternam in cæleſti regno, pro bonis meritis
accipient. *Beati enim miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam*
conſequentur.
Vita ſibi ſufficientis operarij indulcabitur, & in ea inueniet
Matt. 5. *theſaurum.* Rectè quoque ſufficientis operarij vita dicitur
ſibi indulcari, quia pro bono & vtili labore merces ſibi
recompenſabitur æterna, & theſaurum cæleſtis remune-
rationis inueniet, vbi gaudio & dulcedine fruetur per-
petua: huic ſimile eſt illud, quòd in Prouerbijs dicitur:
Eccl. 5. *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum ſiue multum manducet*: E
Prou. 21. contrario vero de otioſis ſcriptum eſt: *Deſideria occidũt pi-*
grum: noluerunt enim quicquam manus eius operari. Et item: *o-*
mnis piger ſemper in egeſtate erit.
Filij ædificatio ciuitatis confirmauit nomen: & ſuper hæc mu-
D *lier immaculata computabitur.* Conſtructio quippe bono-
rum operum confirmat nomen Chriſtianum, quia ille
Prou. 21. vere Chriſtianum ſe eſſe probat, qui Chriſti mandata re-
ctè credendo & benè operando ſeruat: & ſuper hæc mu-
lier immaculata, hoc eſt, anima munda, ſancta & coin-
quinata computatur. Præcipuum ergo & ſupremum in
meritis electorum virginitas habet præmium, quæ &
Angelis ſociatur in cælis, & agnum ſequitur quocunque
ierit.
Vinum & muſica lætificant cor: & ſuper vtraque dilectio ſa-
Apoc. 14. *pientiæ. Tibia & Pſalterium ſuauem faciunt melodiam: & ſuper*
vtraque lingua ſuauis. Vinum & ars muſica cum inſtru-
mentis ſuis per vocis ſonoritatem naturaliter demul-
cent & mouent humanum animum: ſed dilectio ſapien-
tiæ, & lingua ſuauiter docens, multo plus confortat cor-
dis intellectum. Aliter, Euangelica doctrina & ſenſus
ſpiritalis, multo melior eſt auſteritate legali & hiſtorica
traditione veteris teſtamenti: quam Iudæi carnaliter
Cant. 1. ſentientes ſecuti ſunt. Vnde dicit ſponſa in Cantico
Canticorum de ſponſo: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia*
meliora ſunt vbera tua vino: fragrantia vnguentis optimis. Vi-
num quippe feruorem ſcientiæ legalis, vbera verò dicit
rudimenta Euangelicæ fidei. De quibus ait Paulus: *Lac* E
vobis potum dedi non eſcam. Et iterum: *Non enim iudicaui me*
ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 3.
Vbera ergo ſponſi *meliora ſunt vino*, quia rudimenta noui 1. Cor. 2.
teſtamenti quoſcunque ex aqua & ſpiritu regenerant,
mox vitæ cæleſtis introitu aptos reddunt, quod longa le-
gis obſeruatio nequaquam facere valebat: nec in his qui-
dem qui guſtu ſupernæ ſuauitatis accenſi veraciter dice-
re Deo poterant: & poculum tuum inebrians quam præ-
clarum eſt? probante Apoſtolo, qui dicit: *Nihil enim ad* Pſal. 22.
perfectum adduxit lex: ſi autem vbera Chriſti, id eſt, pri-
mordia Dominicæ fidei meliora ſunt vino legis: quantò Hebr. 7.
magis vinum Chriſti, id eſt, perfectio doctrinæ Euange-
licæ cunctis legalibus ceremonijs præſtat? ſi ſacramenta
incarnationis eius ad vitam mittunt, quantum diuinita-
tis eius agnitio, quantum viſio glorificat? vnguenta opti-
ma, ſunt dona Spiritus ſancti: quibus vbera Chriſti fra-
grant, quia Doctores ſancti, miniſtri videlicet lactis Eu-
angelici, per vnctionem ſpiritus in virtutum amore pro-
ficiunt: & quidem bona erant vnguenta, quibus Prophe-
tæ & Sacerdotes viſibiliter vngebantur in lege; ſed opti-
ma ſunt illa vnguenta, quibus Apoſtoli ſunt, Apoſtolo-
rumque ſucceſſores inuiſibiliter vncti. De quibus ait F
Paulus: *& qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pi-* 2. Cor. 1.
gnus ſpiritus in cordibus noſtris: & Apoſtolus Ioannes, & vos
vnctionem, quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat: &
non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos. Sed ſicut vn-
ctio eius docet vos de omnibus: item vnguentis fragrant
optimis, cum opinionem bonæ ſuæ operationis vel præ-
dicationis longè lateque profundunt. Sicut ipſi aiunt:
Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & 2. Cor. 2.
odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Ad hoc au-
tem reſpiciunt illa, quæ in eodem capitulo ſubſequun-
tur.
Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus tuus: & ſuper hoc viri-
des ſationes. Amicus & ſodalis in tempore conuenientes, & ſuper
vtroſque mulier cum viro. Fratres in adiutorium in tempore tri-
bulationis: & ſuper eos miſericordia liberabit. Aurum, & argen-
tum conſtituet pedem: & ſuper vtrunque conſilium beneplacitum.
Facultates & victus exaltant cor, & ſuper hæc timor Domini. Non G
eſt in timore Domini minoratio: & non eſt in eo inquirere adiuto-
rium. Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, & ſuper o-
mnem gloriam operuerunt illum. Gratiam & ſpeciem ſupe-
rant virides ſationes, cum ornatum templi & culturæ di-
uerſitatem ceremoniarumque & feſtiuitatum obſeruan-
tiam, quam prior populus ſub lege habuit, Euangelij
prædicatio in toto orbe terrarum ſeminata fide gentium,
& bonorum operum viriditate excellit, ſuper amicum &
ſodalem in tempore conuenientes: muliér cum viro be-
nè concordans exſuperat, quando ſocietas Chriſti & Ec-
cleſiæ omnem ſodalitatem priorum patrum multiplici-
ter præcedit, fratris adiutorium in tempore tribulatio-
nis vincit miſericordia liberationis, cum maior ſit miſe-
ricordia redemptionis noſtræ per gratiam Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti collata, qua humano generi per paſſio-
nem ſuam conſuluit, quam tota ſolatia parentum, qui
humanum caſum videntes condolere potuerunt, ſed ad-
iuuare non præualuerunt. Aurum & argentum & diuitię H
datæ à Domino tempore legis roborauerunt corda anti-
quorum, qui pro bonis terrenis Domino militauerunt,
quibus in ipſa lege dictum eſt: *ſi volueritis, & obaudieritis,*
bona terræ comedetis. Sed ſuper omnes facultates atque de-
licias præcellit timor Domini, & voluntaria paupertas
Eccleſiæ Chriſti, quæ renuntians mundo & voluptati-
bus eius pro cæleſti regno quotidie certat, & ſeruit Deo.
Beati enim pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælo-
rum. Non eſt ergo in timore Domini minoratio virtu-
tum, nec eſt in eo inquirere adiutorium terrenum: quia
timor Domini ſicut paradiſus benedictionis eſt timen-
tibus Deum, & ſuper omnem pompam terrenam operit
illos gloria cæleſtis. Vnde per Prophetam dicitur: *Timete* Pſal. 33.
Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum.
Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum
non deficient omni bono. Et in Euangelio ipſa Veritas diſci-
pulis ait: *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis,* Mat. 6.

Digitized by Google

A *aut quo cooperamini: ſcit enim pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

CAPVT II.

F*ili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius eſt enim mori, quàm indigere.* Admonet nos ſapientia, ne per otioſitatem perdamus tempus nobis indultum, ſed magis laboremus rectè credendo, intente legem Dei meditando atq; benè operando, vt hic habeamus opes virtutum, & in futuro vitam æternam. Melius eſt enim à præſenti vita cito decedere, quàm hic diu inutiliter viuere: quia otioſitas diuturni temporis maiorem in tormentis habebit vindictã. Huic ſententiæ ſimile eſt illud, quod in Euangelio ſcri-

Matt. 18. ptum eſt: *Qui ſcandalizauerit vnum de his puſillis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Expedit autem ei dicit: quia multò vtilius eſt innoxium pœna quamuis atrociſſima,

B temporali tamen, vitam finire corpoream, quam lædendo fratrem mortem animæ mereri perpetuam.

Vir reſpiciens in menſam alienam, non eſt vita eius in cogitatione victus: Alit enim animam ſuam cibis alienis. Stultum eſt ergo, vt quilibet ſemetipſum in bona operatione exercere negligat, & de alieno labore ſibi mercedem quærat: cum iuſtus iudex vnicuique reddat ſecundum opera ſua. Vnde in Euangelio ſtultæ virgines, quæ vaſa ſua vacua geſtabant, & à prudentibus oleum mendicabant, dicen-

Mat. 25. tes: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur:* tale ab eis accipiebant reſponſum: *ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* Nec iam vltra intrandi facultas illis dabatur, quæ paratæ ad nuptias cum cæteris non inueniebantur.

Vir autem diſciplinatus & eruditus cuſtodiet ſe. Cuſtodiet itaque ſe ne otioſus ſit tempore opportuno, in quo licet operari, ne dum tempus præterit, inopia conſumatur: ſed magis pro bonis actibus multiplici mercede ditetur; ſic-

Matt. 25. C ut ſeruus ille Euangelicus, qui à Domino ſuo quinque talenta accepit, dum negotiando eius pecuniam multiplicauit, mercedem ab eo copioſam ſuſcepit: qui autem otioſe talentum ſibi commiſſum ſeruauit, in tempore retributionis pro otioſitate ſua à Domino pœnas ſoluit. Vnde & ſequitur.

In ore impudentis condulcabitur inopia, & in ventre eius ignis ardebit. Cui enim modo placet magis deſidiæ otio torpore, quàm verbo doctrinæ proximis prodeſſe: in futura pœna ardens etiam pœnitentiæ doloribus in animo æſtuante ſine remedio cruciabitur.

Cap. 41. *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis, viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum!* Qui proſperitate huius mundi & diuitiarum quæſtu innititur, mors carnis (quæ corporalis vitæ terminus eſt) amara illi eſſe videtur, quia vitæ futuræ gaudia amare neſcit; ſed quoniam mundus tranſit & concupiſcentia eius, omnes qui diligunt illum,

D in defectu eius plangent. Vnde in Apocalypſi poſt ſubuerſionem ſpiritalis Babyloniæ ſcriptum eſt, quod plangerent ſuper illam omnes reges terræ, qui cum illa forni-

Apoc. 14. & 18. cati ſunt, & in delicijs vixerunt, dicentes: *Væ væ ciuitas magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habent naues in mari, de pretijs eius: quoniam vna hora deſolata eſt.* Cæterum quid de pauperibus Chriſti & hæredibus ſæculi venturi ſequatur, audiamus.

O mors quàm bonum eſt iudicium tuum homini indigenti: & qui minoratur viribus, defecto ætate: & cui de omnibus cura eſt: & incredibili qui perdit patientiam! Bonum eſt ergo cultoribus Chriſti meditari iudicium mortis præſentis: quoniam per ipſum tranſeunt ad vitam æternam: qui pauperes ſunt & indigentes in rebus terrenis, cum omnia ſua dereliquerunt propter Chriſtum, minorantur viribus: quoniam humiliter ſentientes, non de viribus proprijs, ſed de potentia confidunt Saluatoris, qui deficiunt ætate, quia in recta perſeuerant cõuerſatione. De quorum vno

E in Geneſi ſcriptum eſt: *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginta quinq; anni: & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum.* Quibus (inquit) de Gen. 25. omnibus cura eſt: illa videlicet cura, vt omnia mandata Dei conſeruent, ſiue vt proximis ſuis quantum poſſint prodeſſe feſtinent. De quo Paulus ait: *Inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum*: ipſi incredibiles ſunt, quia non conſentiunt errori & perfidiæ hæreticorum, perdunt ſapientiam mundi, quæ ſtultitia eſt apud Dominum, vt verè ſint ſapientes: illam haurientes ſapientiam, *quæ de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* De quo Apoſtolus hortatur, dicens: *ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus* 1. Cor. 1. *fiat vt ſit ſapiens.* Et quoniam mors carnis fidelibus Chriſti non eſt formidanda, ſed magis per ipſam ad quietem vitæ tranſeundum, mox ſubdit, dicens.

Noli metuere iudicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperuentura ſint tibi: hoc iudicium à Domino omni carni. Et quæ ſuperuenient tibi in beneplacito altiſſimi. Siue decem, ſiue centum, ſiue mille ſint anni. Non enim in inferno accuſatio vitæ. Non eſt enim iudicium mortis temporalis formidandũ, ſed ille potius timendus eſt, qui habet poteſtatem vitæ & mortis: clauem abyſſi & dominationem inferni. De quo ſcriptum eſt: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Hinc & ipſa Veritas diſcipulis ſuis ait: *Nolite* 1. Reg. 2. Matt. 10. *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in* F *gehennam.* Mortem autem præſentis vitæ, quam propter peccatum primi hominis conditio carnalis promeruit, quando ei ſententia diuina dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis*: omni homini communis eſt: nec eam quiſquam Gen. 3. euadere poteſt: etiam ſi centum aut mille annos, aut vltra vixerit. Vnde in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: *Nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciã.* Hinc & per Pſal- Eccl. 9. miſtam dicitur: *Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem,* Pſal. 6. *aut qui ſeruet animam ſuam de manu inferi?* ſed huius mortis quandoque erit finis, cum reſurgent mortui incorrupti, & euigilabunt qui in terræ puluere dormiunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper; Ioan. 5. quia iuxta Veritatis ſententiam, *venit hora, in qua omnes, qui in monumẽtis ſunt, audient vocem eius: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò male egerunt in reſurrectionem iudicij.* Quod autem dicit, *non eſt in inferno accuſatio vitæ*, oſtendit quod in loco pœnarum non ſit confeſſio G gloriæ, ſed fletus dolentium animarum. Vnde Propheta ad ipſum Dominum ait: *quoniam non eſt in morte qui memor* Pſal. 33. *ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Inferorum ergo carcer malis deputatus eſt, vt ibi ſemper gemant: non bonis, vt ibi laudes canant, ſicut in ſequentibus demonſtratur.

Filij abominationum fiunt filij peccatorum: & qui conuerſantur ſecus domus impiorum. Abominabiles ergo ſunt Domino filij peccatorum, non quia de peccatoribus parentibus ſunt nati: cum multi iuſti habuerint patres iniquos, 4. Re. 16. vt Ezechias Achaz, & Ioſias Ioathan: ſed quia malorum & 2. Parali. 28. patrum imitati ſunt actus nefandos. Vnde ſubdidit. *Qui* & Mat. 1. *conuerſantur ſecus domus impiorum*, hoc eſt, ſcelera ſecuti 4. Reg. 22 ſunt parentum reproborum, qui facinoroſa conuerſatio- 2. Par. 27 ne vixerunt, ideo etiam hæreditate cæleſtis patriæ carebunt, & in confuſione manebunt perpetua: ſicut ſequens ſententia demonſtrat.

Filiorum peccatorum peribit hæreditas, & cum ſemine illorum aſſiduitas opprobrij. Hinc quoque & in Pſalmo quinquageſimo primo, qui contra caput omnium iniquorum, videlicet antichriſtum à Propheta prolatus eſt, enumeratis ſceleribus ſuis mox ſubiungitur: *propterea deſtruet te* Pſal. 51. *Deus in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo ſuo, & radicem tuam de terra viuentium,* &c.

De patre impio querentur filij, quoniam propter illum ſunt in H *opprobrio.* Qui filios ſuos bene nutrit, & diſciplinabiliter viuere docet, mercedem nutrimenti ſui non perdet: qui autem eos praua doctrina, ſeu peruerſo exemplo ſeducit, perditionis eorum damnum ſuſtinebit. Poſſumus & ſpiritaliter filios peccatorum opera eorum intelligere, quæ ex praua voluntate nequiter ediderunt: pro quibus author eorum diſcuſſione iuſti iudicis examinatus, morti

A

Pſal. 10. tradetur perpetuæ. Vnde ſcriptum eſt: *Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pluit ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.*

Væ vobis viri impij, qui dereliquiſtis legem Domini altiſſimi: & ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini: & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra. Quoniam omnis homo ex viri ſemine & mulieris natus, cum peccatis naſcitur: & niſi per gratiam Chriſti renaſcatur, & liberetur à maledictione illa, non ſaluabitur. Vnde & Pſalmiſta ait:
Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*
Ibid. Et item: *Aſperges me* (inquit) *hyſopo, & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* Impij vero qui à maledictione antiqua, in qua nati ſunt, per gratiam Chriſti non merentur liberari, additis proprijs ſceleribus: poſt finem iſtius vitæ in maledictionem vadunt perpetuam. Quibus in
B
futuro iudicio dicetur: *ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & Angelis eius.*

Omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur. Sic impij à maledicto in perditionem. Prioribus hęc ſententia concordat, vbi de morte temporali diſputat: quoniam ſicut homo ſecundum carnem de terra creatus, propter peccatum primi hominis, iterum in terræ puluerem redigendus eſt: licet per gratiam Chriſti ruſſus in incorruptionem in die iudicij reſtituendus ſit: ſic impij propter peccata ſua maledicti cum corpore & anima in æternam tunc vadunt perditionem: *vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur:* quia Chriſti non meruerunt cum electis inuenire redemptionem.

Luctus hominum in corpore ipſorum, nomen autem impiorum delebitur. Hic homines ponit pro ſapientibus, qui benè ratione animæ vtuntur, & diuinis obediendo ſubduntur mandatis, hi in præſenti vita tantum luctum habent, po-
C
ſtea autem in gaudio lætabuntur perpetuo. Vnde ſcri-
Matt. 5. ptum eſt: *Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur.* Cæterum autem nomen impiorum delebitur, quia in infernum demerſi, æternæ obliuioni tradentur; his enim
Pſal. 6. dicturus eſt iudex: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Amen dico vobis, quia nunquam noui vos.*

Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni & pretioſi. Bonum nomen ille habebit, qui ſanctè & religioſè viuit, cuius nominis adeptio, hoc eſt, rectæ fidei & ſacrarum virtutum acquiſitio, melius eſt cunctis opibus terrenis, & vniuerſis theſauris ſæculi præſentis: huic ſimile eſt illud, quod in Prouerbijs
Cap. 15. legitur: *melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: ſuper aurum & argentum gratia bona eſt:* nomen bonum dicit, non quod datur verbis vulgi imperiti, ſed quod fidelium quamuis paucorum teſtimonio laudetur: neque enim bonum nomen refugit, ſed à bonis ſolum quærebat lau-
Gal. 1. dari qui ait: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſ-*
D
ſem. Nomen ergo bonum, eſt nomen religionis, quod diuitijs mundialibus iure præfertur: nam & ſi mundum quis lucraretur vniuerſum, meritò hunc contemneret, tantum vt nomen eius ſcriberetur in cælo, eiuſque memoria & inter homines ſanctos figeretur æterna: ſuper argentum & aurum gratia bona: illam ſignificat gratiam, cum quis pro bono opere laudatur à bonis: immò pro collatis ei donis meritorum glorificatur pater qui in cælis eſt.

Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. Bonæ quippe vitæ numerus dierum erit: quia plenitudo æternæ felicitatis illam coronabit, ſicut Propheta de homine ſperante in Deum ex perſona Domini in Pſalmo teſtatur, dicens: *Eripiam eum & glorificabo eum:*
Pſal. 90. *longitudine dierum adimplebo eum & oſtendam illi ſalutare meum.* Bonum autem nomen permanebit in æuum, quia merces boni meriti in contemplatione Dei ſanctis permanebit in æternum; & quomodo hoc euenire poſſit, ſubiungendo manifeſtat.

Diſciplinam in pace conſeruate filij. Diſciplinam ergo in pace conſeruat, qui ſecundum duo præcepta charitatis in ſanctitate & iuſtitia viuere certat. De quo Paulus ad Hebræos ſcribens ait: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſan-*
Heb. 12. *ctimoniam: ſine qua nemo videbit Deum.* Et quia non ſufficit

E

cuilibet per ſe benè viuere, ſi proximis ſuis in ſana doctrina quantum poteſt non ſtuduerit prodeſſe: protinus ſubiungitur.

Sapientia enim abſcondita, & theſaurus occultus, quæ vtilitas in vtriſque? Admonendi namque ſunt, qui cum prædicare vtiliter poſſint, pro deſidia tamen ſiue immoderata humilitate refugiunt, vt ex minore conſideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipſi quas haberent pecunias abſconderent, adiutores proculdubio calamitatis extitiſſent: quo igitur reatu conſtringantur aſpiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis ſubtrahũt, morientibus mentibus vitæ remedia abſcondunt. Si populos fames attereret, & occulta ipſi frumenta ſeruarent, authores proculdubio mortis exiſterent. Qua itaque plectendi ſint pœna conſiderent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipſi panem perceptæ gratiæ non miniſtrant. Vnde & bene per Salomonem dicitur: *Qui abſcon-* *Prou. 11.*
dit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abſcondere, eſt prædicationis ſanctæ apud ſe verba retinere. In populis autem talis quiſq; maledicetur, quia in ſolius culpa ſilentij pro multorum quos corrigere potuit
F
pœna damnatur.

Melior eſt enim homo qui abſcondit ſtultitiam ſuam, quàm homo qui abſcondit ſapientiam ſuam. Stultitiam ſuam abſcondit, qui vaniloquium deuitat, & in peruerſa doctrina os aperire contemnit, quia iuxta Salomonem: *homo* *Prou. 29.*
qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus eius: huiuſmodi ergo melius eſt vt ſileat, quam alium volubili lingua decipiat: at contra qui abſcondit ſapientiam ſuam, plurimum nocet: quia cum talentum ingenij ſibi à Deo commiſſi proximis ſuis ad multiplicandum bona operatione expendere negligit, ſemetipſum in laqueum perditionis tradit. Hic itaque, cum apud ſe ſermonem prædicationis occultat, diuinas contra ſe ſententias terribiliter audiat, quatenus ab eius corde tumorem timor expellat. Audiant ergo eruditi & ſapientes, quod talentum qui erogare noluit, cum ſententia damnationis amiſit. Audiant quòd Paulus eo ſe à proximorum ſanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitijs non pepercit, dicens: *Conteſtor vos hodierna die,* *Act. 26.*
quia mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ſubterfugi quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Audiant quod
G
voce Angelica Ioannes admonetur cum dicitur: *qui audit,*
dicat veni. Vt nimirum cui ſe vox interna inſinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipſe rapitur, trahat: ne clauſas fores etiam vocatus inueniat, ſi vocanti vacuus appropinquat. Audiant quod Eſaias, quia à verbi miniſterio tacuit, illuſtratus ſuperno lumine, magna voce pœnitentię ſe ipſe reprehendit, dicens: *Væ mihi, quia tacui.* Au- *Apo. 22.*
Eſa. 42.
diant quod per Salomonem in illum prędicationis ſcientia multiplicari promittitur, qui in hoc, quod iam obtinuit, torporis vitio non tenetur. Ait namque: *Anima quæ* *Prou. 11.*
benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur. Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris acumenti pinguedinem recipit, & dum vino eloquij auditorum mentem inebriare non deſinit, potu multiplicati muneris inebriatus excreſcit.

Veruntamen reuertemini in his quæ procedunt de ore meo: non eſt enim bonum omnem irreuerentiam obſeruare. Quia prius prædixerat bonam vitam & bonum nomen vtile eſſe habentibus ea, & poſtea reprehendit eos qui habentes
H
ſcientiam legis Dei, nolunt impendere proximis ſuis prædicationis ſollertiam: nunc hortatur, vt eius verbis commoniti reuertantur ad ſtudium docendi, quia non eſt bonum irreuerentem eſſe, & inobedientem exiſtere præceptoribus ſuis. Hinc quoque in ſuperioribus conditor huius operis in ratione ſua Dominum deprecatur, ne irreuerenti & infrunitæ animæ tradatur; ſed quoniam non omnia quæ proferuntur, omnium animis in fide conſiſtentium benè complacent, hoc quoque non prætermittit, dicens.

Et non omnia omnibus beneplacent in fide. Non enim vna eademq; cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas aſtringit; ſæpe namque alijs officiũt,

A quæ alijs prosunt: quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt: & lenis sibulus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit. & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum, vt ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. Igitur quia omnem irreuerentiam non bonam esse prius docuit, nunc qualiter ab omnibus vitijs per verecundiam declinandum sit ostendit.

CAPVT III.

ERubeſcite à patre & à matre de fornicatione: & à præſidente & à potente de mendacio: à principe & à iudice de delicto: à Synagoga & plebe de iniquitate: à ſocio & amico de iniuſtitia: & de loco in quo habitas, de furto, de veritate Dei & teſtamento, de B *diſcubitu in panibus, & ab obfuſcatione dati & accepti: à ſalutantibus de ſilentio, à reſpectu mulieris fornicariæ, & ab auerſione vultus cognati.* Hæc iuxta tropologiam nos instruunt, vt à vitijs caueamus & virtutibus operam demus; quia valde confusione dignus est, qui spretis melioribus, peiora eligit: pro quibus eum confusio sequetur sempiterna. Altiore autem sensu coram matre Ecclesia & patre Deo erubescit de fornicatione, qui idololatriam gentilium seu stultitiam sectatur hæreticorum: anima enim quæ relicto Dei consortio sequitur peruersorum errorem, spiritaliter fornicatur, vnde & damnabitur. Erubescit autem à præsidente & à potente de mendacio, qui coram oculis diuinæ maiestatis præuaricator esse conuincitur sponsionis suæ, quam promisit in baptismi perceptione. Item coram principe & iudice Christo confundetur in futuro iudicio, qui se non curauit obseruare siue mundare à delicto. à Synagoga quoque & plebe corripitur pro iniquitate, quando coram Angelis Dei & plebe sanctorum arguitur de variorum scelerum perpetratione: similiter & à socio C atque amico reprehenditur de iniustitia, quando in iudicio futuro missi Angeli colligent de Ecclesia Dei omnia scandala, & bonos pisces collocabunt in vasa sua: Matt. 13. malos autem projicient foras. Tunc autem & ille manifestabitur, qui contra veritatem & testamentum Domini in tabernaculo præsentis Ecclesiæ fraudulenter vixit, & dolo furtum perpetrauit, nec attendit quod Apostolica authoritas præcepit, dicens: Eph. 4. *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt: vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Necnon & ille tunc confusione dignus apparebit, qui comesationi & ebrietati semetipsum tradens turpiter incubuit: similiter & ille, qui per auaritiam ab alijs rapuit quæ non debuit: siue per parcitatem ea proximis non tribuit, quæ cum cæteris omnibus communiter habenda à Deo accepit: nec ille etiam tunc immunis est, qui talentum verbi nequiter abscondit, & proximis illud expendere neglexit, vertitque vultum à cognatis, & hominibus Ca- D tholicis, & immiscuit se pollutis fornicatoribus, & nequissimis hæreticis.

Ne auertas faciem à proximo tuo, & ab auferendo partem & non reſtituendo. Ille à proximo faciem auertit, qui necessitatibus eius misericorditer consulere despicit. Vnde per Prou. 21. Salomonem dicitur: *Qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur.* Hinc Tobias senior Tob. 4. filium suum de misericordiæ operibus instruxit, dicens: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec auertatur à te facies Domini.* Nam qui aufert ab aliquo partem aliquam pecuniæ, & non restituit ei, similiter peccat: quoniam omnem auaritiam, & dolum abominatur Deus. Vnde in Leui. 19. lege Dominus præcepit, dicens: *Nolite facere iniquum aliquod in iudicio, in regula, in pondere, & in menſura.* Ibid. Cap. 22. Et item: *Non facietis* (inquit) *furtum, non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.* In Ezechiel quoque Propheta inter cæteras laudes iusti viri Dominus prædicat, quod hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & E nudum operuerit vestimento: ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit. Act. 20. *Beatius eſt enim magis dare, quàm accipere.*

Ne reſpicias mulierem alieni viri, & ne ſcruteris ancillam eius, neque ſteteris ad lectum eius. Mulier quoque alieni viri, est doctrina praua hæretici: qui alienus fide & religione est à consortio Dei & societate fidelium: hanc ergo prohibet sapientia respicere, hoc est, eius eloquentiam amare; ancilla vero eius cupiditas est carnalis, quæ subijci debuit spiritus imperio, iuxta illud quod Dominus ad Cain ait: Gen. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* sed ipsa versa vice dominatur in reproborum conuersatione. Idcirco prohibemur hanc ancillam scrutari, hoc est, suggestionibus illius subijci, & stare ad lectum eius, in delectationibus videlicet illius accumbere. Vnde Sapientia in Prouerbijs hanc mulierem in cubili suo luxuriantem, & ad sui commixtionem alios illicientem reprehendit, ipsiusque vijs inniti nos prohibet, dicens: Prou. 6. *Nunc ergo fili audi me, & attende verba oris mei: ne abſtrahatur mens tua in vijs illius, neque decipiaris ſemitis eius. Multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea, via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.* F

Ab amicis de ſermonibus improperij. Subauditur abstineas, quia non decet aliquid doli contra amicum machinari; cum scriptura dicat: Prou. 3. *Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.*

Et cum dederis, ne improperes. Obfocat enim datum, qui malo improperij lacerat proximum; magis ergo oportet illum largitorem imitari, de quo Iacobus Apostolus Iac. 1. scripsit, dicens: *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei:* consultè ait, *qui dat omnibus affluenter*, ne quis videlicet suę conscius fragilitatis accipere se petentem posse diffideret, sed potius quisque recoleret, quia Psal. 9. desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Et sicut idem alibi dicit: Psal. 113. *benedixit omnes timentes ſe Dominus, puſillos cum maioribus:* & non improperat, quia neminem despicit, neminem irritat: sed omnes misericorditer fouens, ad sui amorem prouocat: Mat. 5. *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* G

CAPVT IV.

Cap. 42. *NOn duplices ſermonem auditus de reuelatione ſermonis abſconditi, & eris vere ſine confuſione, & inuenies gratiam in conſpectu omnium hominum.* Hac quidem sententia prohibet ex occulto cordis vocem boni maliue simul proferre sermonis, quia scriptum est: Prou. 18. *verba bilinguis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.* Vnde nos Paulus Apostolus admonet, dicens: Eph. 4. *omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem, vt det gratiam audientibus:* hinc per Iacobum dicitur: Iac. 3. *Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio: non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Sicut dulcis & amara aqua non possunt simul vna de vena fontis ebullire, sed & si misceantur in vase vel cisterna, dulcis quidem mox amarescit ab amara, amara autem admixtione dulcis in dulcedinem nescit immutari: ita benedictio & maledictio in vno ore nullatenus potest conuenire, sed quicunque sic Deum benedicere orando, vel verbum eius prædicando consueuit, H vt etiam maledicere homines non omiserit, constat quod dulcedinem benedictionis eius, amaritudo maledictionis consumit. 1. Cor. 5. Eccl. 15. *Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit, & non eſt pulchra laudatio in ore peccatoris.* Denique si facias fistulam bino ore, vnde aqua intret: simplici, vnde exeat: & in hoc amaram aquam, in illo dulcem immittas: absque vlla dubietate, vbi ad vnum exitus foramen peruenitur, permixta vtraque non dulcis, sed amara apparebit: quia nimirum multò facilius dulce in amarum, vbi miscentur, quàm amarum vertitur in dulce: quo exemplo colligitur, quia colloquia mala sicut mores bonos, 1. Cor. 15. Apostolo teste, sic etiam sermones bonos corrumpunt. Aliter autem, duplicat sermonem auditus ex reuelatione sermonis absconditi, qui mystica verba di-

A uinæ legis, audet maculare ſermone peruerſi dogmatis:
& ſimplicem fidei Catholicæ veritatem, in varium cor-
rumpendo vertere errorem; hoc quàm noxium ſit, ſcri-
Prou. 15. ptura manifeſtat, dicens: *Abominatio Domini, cogitationes
malæ: & purus ſermo, pulcherrimus firmabitur ab eo.* Abomi-
natur itaque Dominus cogitationes hæreticorum, ſimul
& verba, immò omnes pietati contrarias deteſtatur ſe-
ctas. Purus ſermo rectæ fidei firmabitur ab eo, quando
in iudicio non ſolum factis, ſed & verbis omnibus digna
præmia reddet. Abominatus eſt cogitationes malas eo-
Luc. 5. rum, qui dicebant: *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Et
Matt. 16. purum ſermonem eius qui dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vi-
ui*, pulcherrimum eſſe affirmauit, cum reſpondit: *Beatus
Ibid. es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pa-
ter meus qui in cælis eſt.* Ipſe ergo erit ſine confuſione, & gra-
tiam habebit coram omni homine, qui ante omnia eli-
git Catholicæ fidei regulam ſermone, & rectè docendo,
atque benè operando firmiter perſiſtit in veritatis tra-
B mite.

Ne pro his omnibus confundaris. Hoc teſtimonium reſpicit
ad ea quæ ſuperius deſcripſerat deuitanda, & quæ dein-
ceps in hoc eodem capitulo ſimiliter enumerauit cauen-
da. Qui autem ſe diligenter inde obſeruauerit, ſine con-
fuſione hic & in futuro permanebit.

*Et ne accipias perſonam vt delinquas, de lege altiſſimi, & te-
ſtamento, & de iudicio iuſtificare impium.* Scriptum namque
eſt in lege, Domino iubente ac dicente: *Iudices & magi-
Deut. 16. ſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus
dederit tibi per ſingulas tribus tuas, vt iudicent populum iuſto iu-
dicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam,
nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientium, & mu-
tant verba iuſtorum; iuſte quod iuſtum eſt perſequeris.* Hinc pro-
batur qualiter Domino diſpliceat, & quàm graue ſit de-
lictum, perſonas in iudicio accipere: & ſiue propter ti-
morem, ſeu propter humanum fauorem condemnare
iuſtum, & iuſtificare impium. Hinc per Salomonem di-
Prou. 24. citur: *Cognoſcere perſonam in iudicio, non eſt bonum. Qui di-
C cunt impio, iuſtus es, maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos
tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur, & ſuper ipſos veniet be-
nedictio.* Superius docuit regem timere, dicendo: *Time
Dominum fili mi, & regem:* & nunc perſonam in iudicio
cognoſcere vetat. Vnde colligitur quia ita principibus
debitum obſequij temporalis ſubiectos oportet impen-
dere, vt nunquam reuerentiæ vel timoris eorum reſpe-
ctu, à via veritatis exorbitent.

*De verbo ſociorum, & viatorum, & de datione hæreditatis
amicorum.* Subauditur, ne confundaris: qui enim cauet
coram notis & ignotis, proprijs & alienis verba falſa &
inepta loqui, & ne amico vel vlli homini per fraudem a-
liquid machinetur mali, pœnam futuri non ſuſtinebit
2. Cor. 6. iudicij. Hinc Paulus docet miniſtros Chriſti nemini da-
re vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium
illorum: ſed ſint ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti,
repleti fructu iuſtitiæ in gloriam & laudem Dei, facien-
D tes bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fi-
dei.

*De æqualitate ſtateræ & ponderum, & de acquiſitione multo-
rum & paucorum. De corruptione emptionis & negotiatorum,
& de multa diſciplina filiorum.* Ad hæc omnia reſponde-
tur, ne confundaris: attendendum enim eſt omni Chri-
ſtiano & fideli Dei famulo, vt in omnibus æquitatem ve-
ritatis & regulam iuſtitiæ ſequatur, æqualitatem ſtateræ
& ponderum ſeruet: & quicquid lucretur ſiue multum
ſiue parum, non ſine iuſtitia faciat, non fraudem vllam
in emptione & negotiatione committat: & ſubiectos ſibi
non nimia, ſed diſcreta diſciplina nutriat. Quod autem
hypocriſis & dolus multum Domino diſpliceat, mani-
feſtat Scriptura, dicens: *Statera doloſa abominatio apud Do-
minum, & pondus æquum voluntas eius:* ſtatera doloſa non
tantum in menſuratione pecuniæ, ſed & in iudiciaria
diſcretione tenetur: qui enim aliter cauſam pauperis, a-
liter potentis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtatera
vtique librat iniqua. Sed & is qui ſua benè geſta meliora
quàm proximorum, ſuaque errata iudicat leuiora quam
aliorum, trutina ponderat doloſa; nec non & ille qui

E onera importabilia imponit in humeros hominum, ipſe
autem vno digito ſuo non vult ea tangere: ille etiam
qui bona in publico, & mala agit in occulto, pro iniqui-
tate libræ doloſæ abominatur à Domino, at qui ſinceri-
ter agit in omnibus, qui cauſam & cauſam æqua lance
diſcernit, is nimirum iuſti iudicis voluntati & actioni
congruit.

Seruo peſſimo latus ſanguinare. Quali diſciplina ſerui
tractandi ſint ſupra deſcripſit, vbi ſeruo maleuolo tor-
turam & compedem iuſſit inijcere: beneuolum autem
quaſi fratrem tractare; ſed & nunc quod ſeruo peſſimo
admonet latera ſanguinare: hoc inſinuat, quod qui
verbis corrigi non poteſt, verberibus coerceatur. Sed al-
tiori ſenſu, ſeruus iſte non ſecundum conditionem ge-
neris, ſed ſecundum affectum mentis accipi poteſt: quia
non eſt perſonarum acceptor Deus. Et; *ſiue ſerui ſiue liberi, vnum* Act. 10.
ſumus in Chriſto. Qui autem ſeruit vitijs, & non vult liber 1. Cor. 12.
eſſe à peccatis, merito dura diſciplina caſtigatur. De tali
ſeruo ita ſcriptum eſt: *ſeruus non poteſt verbis erudiri.* Et in Prou. 29.
Euangelio ipſa Veritas ait: *ſeruus non manet in domo in æter-* Ioan. 8.
num, filius autem manet in æternum.

Super mulierem nequam bonum eſt ſignum. Hæc eſt mu-
lier illa, quam in hoc libro ſæpiſſimè memorat: quæ eſt
fornicaria & adultera, procax, & omni bono contraria:
ſuper quam bonum eſt ſignum, ſignum vtique Catho-
licæ fidei, per quod eius prauitas conteritur, & impietas F
ſuperatur.

*Vbi manus multæ ſunt, claude: & quodcunque trades, nume-
ra, & appende. Datum verò & acceptum omne deſcribe.* Non
hoc docet vt parci ſimus proximis noſtris indigentibus
in tribuendo neceſſaria, ſed magis myſticè nos inſtruit,
vt vbi diuerſæ exiſtant voluntates ſpiritalia lucra quæ-
rentium, ibi cauta ſit & prouida ratio diſpenſantium. A-
lij enim tentandi, alij diſcendi voto, ab ore Doctoris ex-
quirunt verbum: ſed non omnia omnibus committen-
da ſunt. Dicit enim in Euangelio ipſa Veritas: *nolite ſan-
ctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Matt. 7.
Diligenter enim attendere debet ſacræ pecuniæ diſtri-
butor, quid det, & cui det: & quomodo tribuatur, & quo-
modo accipiatur. *Tempus enim eſt vnicuique rei ſub cælo: tem-* Eccl. 3.
pus tacendi, tempus loquendi.

CAPVT V.

G

*De diſciplina inſenſati & fatui, & de ſenioribus qui iudi-
cantur ab adoleſcentibus. Et eris eruditus in omnibus, &
probabilis in conſpectu omnium virorum.* Hæc ad ſuperiora
reſpiciunt, vbi iuſſit vt quodcunque traderes, numera-
res diligenter & appenderes; datum verò & acceptum
omne deſcriberes. Quicunque ergo congrua diſcipli-
na arguit delinquentes, & vniuſcuiuſque perſonæ qua-
litatem conſiderans, conuenientem modum correptio-
nis illi apponit: eruditionis ſuæ certum indicium tri-
buit, & probabilem Doctorem in conſpectu omnium
virorum, hoc eſt, Sanctorum & virtuoſorum hominum
ſe eſſe oſtendit. Nec etiam ætas iuuenilis in Doctore
deſpicienda eſt, ſi ipſe prudentiam mentis & vitam pro-
babilem habere inueniatur: quia legimus quod Samuel
& Daniel pueri presbyteros iudicauerint. Hinc & Pau- 1. Reg. 7.
lus ad Timotheum ſcribens, ait: *Præcipe hæc & doce. Ne-* Dan. 13.
mo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium 1. Tim. 4.
*in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.
Ad ætatem* (inquit) *tuam noli reſpicere. Diligentiam verò ad-* H
hibe eorum vt dicas & agas illa quæ dici oportet. Quo ſecun-
dum id quod condecens eſt conuerſentur, vt charita-
tem eam, quæ erga omnes eſt, teneant. Vt firmi ſint
in fide, vt pudicitiæ diligentiam adhibeant: ita vt ipſe
formam te præbeas fidelibus pro quibus vitam regis
tuam, inſtruens eos, quemadmodum conueniat eis con-
uerſari: ita vt ex ipſis actibus tuis teſtimonium vitæ tuæ
ijſdem præbeas.

*Filia patris abſcondita eſt, vigilia & ſollicitudo eius au-
feret ſomnum, ne fortè in adoleſcentia ſua adultera efficiatur,
& commorata cum viro odibilis fiat. Nequando polluatur in*

A *virginitate ſua, & in paternis ſuis grauida inueniatur: ne fortè*
cum viro commorata tranſgrediatur, aut certe ſterilis efficiatur.
Docet hiſtorialiter parentes, vt ſobolis ſuæ curam com-
petentem gerant, cum diſciplina eam nutriant, ne fortè
in tenera ætate laſciuiat, & luxurietur, polluatque ſe li-
bidine atque illecebris voluptatum, vnde poſtmodum
alijs odibilis fiat. De quo & ſuperius diligenter diſputa-
Eccl. 30. uit, & præcepit nutritori, dicens: *ne des poteſtatem filio in*
iuuentute: & ne deſpicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in
iuuentute, & tunde latera illius, dum infans eſt: ne in turpitudi-
ne illius confundaris, & dolorem animæ habeas maximum. Spi-
ritaliter autem filia patris, eſt anima fidelis viri, vel Ec-
cleſia credentis populi, Doctori ſtrenuo commendata:
qui ſollicitudinem illius gerens, peruigil eſt, & ſagax in
omnibus, ne forte dum rudis adhuc eſt in fide & ſcien-
tia, adultera efficiatur hæreticorum verſutia; pro quo o-
dibilis fiat viro ſuo legitimo, cui deſponſata fuit, iuxta
2. Cor. 11. illud Apoſtoli: *æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi e-*
nim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. ne ſub nu-
trimine magiſtri conſtituta, errore inueniatur grauida:
& in domo viri commorans, tranſgrediatur legem eius,
B vnde in bonis operibus efficiatur ſterilis, nec ei merito
Pſal. 127 dicere poſſit: *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ*
tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.

Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, nequando fa-
ciat te in opprobrium venire inimicis. A detractione in ciuitate &
abiectione plebis, & confundat te in multitudine populi. Perſo-
na ergo luxurioſa diligentem magiſtri quærit cuſto-
diam, quia ſi dimittitur voluntati ſuæ, confundit Do-
ctorem ſuum: in multitudine populi illum erubeſcere
facit, cum domi foriſque turpis & inutilis inueniatur,
detractioni vacans, & vulgò ignobilium ignominioſis
actibus ſe immiſcens. Vnde ſcriptum eſt: *natus eſt ſtultus*
in ignominiam ſuam: ſed nec pater in fatuo lætabitur: ira que pa-
tris eſt, filius ſtultus, & dolor matris quæ genuit eum. Econtra-
rio verò exultat gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit,
& lætabitur in eo.

Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum
noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere
iniquitas viri. Inſtruit nos ſapientia quomodo puritatem
C cordis & caſtitatem corporis ſeruare poſſimus, vtique
vt non libidinoſa mente attendamus in faciem laſciuæ
perſonæ, & à ſocietate mulierum ſeparemus corporis
noſtri ſitum: ſicut enim tinea diu vno loco commorans
corrodit veſtimentum: ita libidinoſæ mentis diuturna
cogitatio à ſuo vigore molleſcere facit hominis ſpiri-
tum. Vnde quidam eleganter ait: *periculoſe tibi miniſtrat,*
cuius vultum frequenter attendis. Nam impudici oculi non
norunt animæ pulchritudinem conſiderare, ſed corpo-
rum.

Melior eſt iniquitas viri, quàm benefaciens mulier, & mu-
lier confundens in opprobrium. In ſacro eloquio mulier aut
pro ſexu ponitur, aut pro infirmitate: pro ſexu quippe,
Gal. 4. ſicut ſcriptum eſt: *miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere,*
factum ſub lege; pro infirmitate verò, ſicut in Iob legitur:
Iob. 4. *homo natus de muliere, breui viuens tempore.* Et hic per hunc
ſapientem dicitur: *melior eſt iniquitas vir, quàm benefaciens*
mulier. Vir etenim fortis quilibet & diſcretus vocatur:
mulier verò mens infirma, vel indiſcreta accipitur. Et
D ſæpe contingit vt etiam diſcretus quiſque ſubito labatur
in culpam: atque indiſcretus alius, & infirmus bonam
exhibeat operationem; ſed is qui indiſcretus atque in-
firmus eſt, nonnunquam de eo quod benè egerit am-
plius eleuatur, atque grauius in culpam cadit. Diſcretus
verò quiſque, etiam ex eo quod male ſe egiſſe intelligit,
ad diſcretionis regulam arctius reducit: & inde altius ad
iuſtitiam proficit, vnde ad tempus à iuſtitia cecidiſſe vi-
debatur: quia in re rectè dicitur: *melior eſt iniquitas viri,*
quam benefaciens mulier. Quia nonnunquam etiam culpa
fortium, occaſio virtutis fit: & virtus infirmorum, occa-
ſio peccati. Hæc mulier confundit in opprobrium, quia
hic res confuſione dignas gerens pro hoc opprobrium
ſuſtinebit in æternum.

Memor ero igitur operum Domini, & quæ vidi adnuntiabo: in
ſermonibus Domini opera eius. Hactenus ſcriptor hiſtoriæ de

E varijs rebus diſputauit, & moralitatem ſingulorum, ſe-
cundum quòd ſibi opportunum videbatur deſcribens,
varias virtutum & vitiorum ſpecies expreſſit: nunc vero
in laudem creatoris, & ad prædicationem operum eius
ſermonem conuertit. Et poſt hæc patrum priorum me-
moriam faciens illorum fortia facta deſcribit: *in ſermoni-*
bus (inquit) *Domini opera eius: quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe* Pſal. 32.
mandauit, & creata ſunt.

Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum
eſt opus eius. Solem appellat hic Dominum Chriſtum, qui
& lumen ſapientiæ diuinæ eſt, & ſplendor iuſtitiæ. De Mal. 4.
quo alibi legitur: *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol* Ioan. 1.
iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. Ipſe eſt lux vera, quæ illuminat
omnem hominem venientem in hunc mundum: & omnia con- Hebr. 4.
ſpicit, quia *non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius.*
Gloria enim Domini plenum eſt opus eius, quoniam ſa-
pientia eius lucet in factis ipſius. Vnde per Prophetam
dicitur: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine? omnia in* Pſal. 90.
ſapientia feciſti. & 103.

CAPVT VI.

NOnne Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia
ſua, quæ confirmauit Dominus ſtabiliri in gloria ſua?
Quomodo ſancti enarrant omnia mirabilia Dei, cum Rom. 11.
nullus ſit qui poſſit penetrare ſapientiam Dei? *Incompre-*
henſibilia enim ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Sed o-
mnia mirabilia eius, quæ agnitioni hominum patent, per
ſanctos eius nobis reuelata ſunt: quæ omnipotens Deus
F ſtabilis in gloria ſua, & ſemper idem manens, quando
voluit, & quomodo voluit, formauit, & confirmauit.
Huic ſimile eſt illud, quod Propheta in Pſalmis ait: *In la-* Pſal. 118.
bijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui. Omnia enim iudi-
cia ſignificat, quæ ſcripta vel dicta ſunt. Cæterum vni-
uerſaliter non poteſt pronuntiari, quod nulla notitia
præualet apprehendi, ſicut in alio Pſalmo dictum eſt: *Iu-* Pſal. 35.
dicia tua abyſſus multa. Hinc ipſe Dominus paſſione vicina Ioan. 16.
dixit Apoſtolis: *non omnia dixi vobis.* Quapropter figurali-
ter pro parte dicitur totum: quod in ſcripturis diuinis
frequenter conſtat effectum.

Abyſſum & cor hominum inueſtigauit, & in aſtutia illorum
G *excogitauit.* Sapientia ergo Dei, quæ eſt Chriſtus, profun-
ditatem nouit conſiliorum Dei, & diuerſos tractatus
cordis humani ipſe ſcrutatur, ſicut ſcriptum eſt: *ſcrutans* Pſal. 7.
corda & renes Deus: quoniam *ſicut filium nemo nouit niſi pater;* Matt. 11.
ita neque patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuela-
re. Nec etiam ſpiritus ſanctus ab hac potentia excipitur.
De quo ſcriptum eſt: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profun-* 1. Cor. 2.
da Dei. Sola enim ſancta Trinitas Deus omnipotens ſe- 1. Par. 23.
metipſum per omnia nouit, & omnem ſcientiam ipſe
comprehendit. De quo ſubiungitur.

Cognouit enim Dominus omnem ſcientiam, & inſpexit in ſi-
gnum æui, annuntians quæ præterierunt, & quæ ſuperuentura
ſunt, reuelans veſtigia occultorum. Non præterit illum omnis cogi-
tatus, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo. Inſpicit enim Do-
minus in ſignum æui, quia omnes ætates mundi tam præ-
teritæ quam etiam præſentes ſiue futuræ, in præſentia e-
ius ſunt, quando apud illum nihil præteritum, nihil futu-
rum eſt, ſed omnia præſentialiter videt. Ipſe ſolus reuelat
H myſteria, qui ſcit ſingulorum corda: nec vllus ante eum
ſermo occultari poteſt, vel latere cogitatus: quia omnia
nuda & aperta ſunt oculis eius.

Magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit, qui eſt ante ſæculum, & vſque
in ſæculum, nec adiectum eſt, nec minuitur, & non eget alicuius
conſilio. Magnalia ſapientiæ ſuæ Deus decorauit, quando
per Prophetas & Apoſtolos ſacramentum conſilij ſui,
quod à ſæculis & generationibus fuit abſconditum, fide-
libus ſuis reuelauit. Ipſe enim eſt ante omnes, & poſt
omnes, nec ſapientiæ eius aliquid adijci poteſt, ſed nec
etiam minui: neque eget alicuius conſilio, cuius
conſilio vniuerſa ſubſiſtunt. *Quoniam ex i-*
pſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt
omnia.

A

CAPVT VII.

Q*Vàm deſiderabilia omnia opera eius, & tanquam ſcintilla, quam eſt conſiderare.* Omnia opera Dei ſunt deſiderabilia, quoniam perfecta: de quo ſcriptum eſt: *Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, & vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona.*

Gen. 2.

quæ tanquam ſcintillam conſideramus, quia vix aliquam paruam notitiam inde percipimus: non poteſt enim humana infirmitas operum Dei magnitudinem & perfectionem penetrare, ac per omnia ſcire: quoniam illi ſoli hæc noſſe competit, qui ſecundum ſapientiæ ſuæ magnitudinem cuncta potenter creauit.

Omnia hæc viuunt & manent in ſæculum: & in omni neceſſitate omnia obediunt ei. Omnia ſcil. creatori ſuo viuũt & manent in ſæculum: quia nihil illi periet, cui omnia præſentia erant antequam ea crearet: & in omni neceſſitate ei cuncta obediunt, quia *in voluntate eius vniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius.* hinc per Salomonē dicitur: *didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeuerant in perpetuum:*

B

Eccleſ. 3.

non poſſumus his quicquam addere nec auferre quæ fecit Deus, vt timeatur, quod factum eſt, ipſum permanet: quæ futura ſunt, iam fuerunt: & Deus inſtaurat, quod abijt. Nihil eſt in mundo quod nouum ſit, ſolis curſus, & lunæ vices, & terræ arborumq; ſiccitas, vel viror, cum ipſo mundo nata ſunt atque concreata, & idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus eſt, & iuſſit elementa ſeruire, vt homines hæc videntes; intelligãt prouidentiam, & timeant à facie Dei: dum ex rerum qualitate, curſu, ordine, atq; conſtantia, intelligunt creatorem.

Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quicquam deeſſe: vniuſcuiuſque confirmauit bona. Conditor enim vniuerſitatis ita omnia ordinauit atque diſpoſuit, vt quæ inter ſe viderentur eſſe diuerſa, in inuicē ſibi conuenirent. Vnde quatuor elementa licet ab inuicem aliquo modo diſcrepent, non tamen omnino diſſident, ſed aptiſſimè cohærent; ſimiliter & quatuor viciſſitudines temporum in qualitatibus ſuis inter ſe diſtantes, in anni curſu aptiſſimè ſibi ſunt concordantes.

C

Cum hoc quod per humorem veris exoritur, per calorem æſtatis excreſcit, per ſiccitatem autumni matureſcit, atq; per frigus hyemis decreſcit, vt iterum ad futuri anni fructus proferendos terra præparetur. Nam & vitalis creatura atque corporalis ſic in opere Dei concordant, vt corpus animam geſter, & anima corpus vegetet: ne coniunctio nobiliſſima, aliqua diſcordia diſſipetur. Vniuſcuiuſque ergo creator optimus confirmat bona, & ad omnem iucunditatem facit eſſe vtiliſſima, quapropter hic vir ſapientiſſimus obſtupeſcens in admiratione operum Dei, gloriam eius inenarrabilē, & dulcedinē inæſtimabilē ſubſequitur, dicens:

Et quis ſatiabitur videns gloriam eius? Satietas enim iſta non faſtidium generat, ſed deſiderium excitat; & quantò quis eius refectionem percipit, tantò magis in eius amorem exardeſcit. Vnde ipſa Sapientia in hoc eodem libro

Eccl. 24.

ſuperius ait: *qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

D

Beatus qui in hac ſatietate repletur, quoniam anima eius in gloria æterna cum ſanctis Angelis ſine fine lætabitur.

Cap. 43.

Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, ſpecies cœli in viſione gloriæ. Artifex ergo huius operis hiſtorialiter narrando Dei prædicat creaturam, ſed iuxta myſterium conuenientius in Eccleſia Dei opem collaudat diuinam; pulchritudo ergo firmamenti per claritatem ſiderum potentiam oſtendit creatoris: ſed multiplicius decor Eccleſiæ in virtutibus & in miraculis ſanctorum excellentiam manifeſtat redemptoris: quia ipſe ſolus æternus ſplendore ſuo illuſtrat credentes, & ardore iudicij ſui puniet peccatores. De quo ſubiungitur:

Sol in aſpectu annuntians in exitu: vas admirabile opus excelſi In meridiano exuret terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? fornacem cuſtodiens in operibus ardoris. Tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans & refulgens, radijs obcæcat oculos. Sol iſte qui oritur timentibus Deum, in aſpectu, hoc eſt, in præſentia incarnationis ſuæ euangelizauit regnum Dei.

E

Cuius natiuitas ſingularis admirabilis eſt, quòd non ex viri ſemine, ſed ex omnipotentis virtute,

Ioan. 1.

Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. In conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? quia nullus corporalibus oculis diuinitatis eius ſplendorem poteſt ſufferre, ait quippe ad

Exod. 33.

Moyſen famulum ſuum: *Non enim videbit me homo, & viuere poteſt.* Ideo humana natura indutus eſt, vt fragilitas hominum ſplendorem aliquo modo potuiſſet ſufferre diuinum; ſumpſit velamen carnis, quo facilius ad ſe accedere poſſit conditio hominis; hic fornacem cuſtodit in operibus ardoris, quia ſupplicia præparat peccatoribus gehennæ ignis: tripliciter exurens montes, quando ſuperbos pro cogitatione mala, pro loquela nefanda, pro operatione iniqua æterna excruciat flamma iſte ſiquidē ſol refulgens radijs ſuis prauorum excæcat oculos, quando myſticis verbis pro nequitia ſua ſuperbientium deluditintellectum. De quo ipſa Veritas in Euangelio diſcipulis interrogantibus de parabola ſeminis reſpondit:

F

Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Matt. 13,
Marc. 4.
Luc. 8.
Eſa. 6.

hinc & ad Eſaiam diuina voce dicitur: *Vade & dices populo huic, audite audientes me, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur & ſanem eum.* ſed quia hæc ad tempus dominicæ incarnationis maximè reſpiciunt, vbi ſuperbus auditus Iudæorum & viſus captus eſt: ita vt non intelligere potuiſſent dicta Saluatoris, nec credere miraculis ab eo factis, dicamus hoc quod ſequitur:

Magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter. Magnus itaq; Dominus, qui ita temperauit ac diſpoſuit diſpenſationem incarnationis mediatoris De & hominum, vt ſuperbi quiq; confunderentur, & hum...es ſcientia Dei honorarentur: vt prudentes & ſapientes ſæculi mundi non caperent ſapientiam diuinam, quæ paruulis & humilibus reuelata eſt. Tunc in ſermonibus eius feſtinauit iter, quoniam in prædicatione ſacri Euangelij

G

præparata eſt via ſalutis, & aditus patuit regni cœleſtis, vt romphæa illa ignea (quæ poſt eiectionem Protoplaſti de paradiſo ad cuſtodiendam viam ligni vitæ deputata eſt) per Chriſti ſanguinem remoueretur, & electis Dei aditus vitæ perennis aperiretur.

Et luna in omnibus temporibus ſuis oſtenſio temporis, & ſignū æui. A luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione menſis ſecundum nomen eius eſt, creſcens admirabiliter in conſummatione. Vas caſtrorum in excelſis: in firmamento cœli reſplendens glorioſa. Quod dicit lunam oſtenſionem eſſe temporis & ſignum æui atque diei feſti: oſtendit quod ipſa menſtruis defectibus & curſu ſuo per zodiacum ſeriem annorum & ætates mundi demonſtret: quia Hebræi omnem computum temporis & annalem tranſitum, ſecundum lunæ curſum metiebantur, qui primum menſem eorum quo exierunt de Ægypto paſchæ ſolennis honorauerunt, & Neomenias ſingulorum menſium celebrauerunt. Necnon & ipſos menſes ſuos (vt Hieronymus teſtis eſt) à lunæ vocabulo, quam larem nominant, vocauerunt, de quo hic dicitur: *Menſis ſecundum nomen eius eſt.* ſimiliter & menſis à menſura vel à luna (quæ Græco ſermone μήνη vocatur) apud Latinos appellatus eſt: antiqui enim menſes ſuos (vt diximus) non à ſolis ſed à lunæ curſu computare ſolebant. Vnde quoties in ſcriptura ſacra, vel in lege ſeu ante legem, quota die menſis quod factum dictumue ſit indicatur, non aliud quàm lunæ ætas ſignificatur, qua ſemper Hebræi (quibus credita ſunt eloquia Dei) antiquo patrum more menſes obſeruare non ceſſant, primum menſem nouorum (qui paſchæ ceremonijs ſacratus eſt) Niſan appellantes, qui propter multiuagum lunæ diſcurſum, nunc in Martium menſem, nunc incidit in Aprilem, nunc aliquot dies Maij menſis occupat: ſed rectius Aprili deputatur, quia ſemper in ipſo vel incipit, vel deſinit, vel totus includitur: & ita per ordinem ſingulos menſes ſecundum rationem eorū cõputant. Poſtquam ergo de ſole diſputauit, conſequenter

H

A dum percipiunt humana corda quatiuntur: aliquando verò in tonitruo ipſe incarnatus Dominus figuratur: quia ex antiquorum patrum conueniente prophetia ad notitiam noſtram quaſi ex nubium concurſione prolatus eſt, qui inter nos viſibiliter apparens, ea quæ ſuper nos erant terribiliter ſonuit. Vnde & ipſi ſancti Apo- *Marc. 3.* ſtoli de eius gratia generati boanerges, id eſt filij tonitrui ſunt vocati, aliquando autem, ſicut dictum eſt, tonitruus pro ipſa eius prædicatione accipitur, per quam ſupernorum iudiciorum terror auditur. Vox quidem tonitrui exprobrat terram, quando prædicatio diuina carnalibus (qui terræ nomine ritè cenſentur) increpando innoteſcit ſua vitia, vt his depoſitis ſe præparent ad audiendum præcepta diuina. De hoc quoque tonitruo ſcriptum eſt: *Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt & contremuit terra.* & hoc quoq; cõparatiuè dicitur: quia tonitrui vox ita reuoluitur, quaſi de rotis venire perſtrepentibus audiatur, ſic enim cũ de ſummo funditur, ſpatia cœlorum volubili murmuratione B pertranſeunt, vt rotatus atq; ſinuoſus ipſe ſonitus ſentiatur: ſiue magis in rota orbem terrarum debemus accipere, qui in ſpeciem rotæ abſoluta rotunditate concluditur. In rota ergo, id eſt, in mundo vox tonitrui eius egreſſa eſt, quando prædicatores Chriſti circulum totius orbis verbis tonantibus impleuerunt. Sed illas nubes illaq; tonitrua ſequuntur coruſcationes illuceſcentes orbi terræ. Coruſcationes, diuina præcepta dicit, veritatis lumine radiantia, quę tenebras hominum per totũ mundum ſalutari illuminatione fugauerunt. Dicit enim, tonitrua & coruſcationes iſtæ quid egerint: vt terra, id eſt, corpora noſtra commouerentur & contremiſcerent. Audito tanto miraculo commotos quippe & tremefactos illos dicit, qui verbum Dei fideliter audientes ad cõuerſationis ſtudium Chriſti munere peruenerunt.

Tempeſtas aquilonis & congregatio ſpiritus, & ſicut auis deponens ad ſedendum aſpargit niuem, & ſicut locuſta demergens deſcenſus eius. Quid per aquilonem niſi ille exprimitur, qui ſe plaudebat aſcenſurum in cœlum ſuper aſtra Dei, & exaltaturum ſolium ſuum in monte teſtamenti in lateribus C aquilonis? huius verò tempeſtas & congregatio ſpiritus ſunt varia tentamenta: quas per malignos ſpiritus mentibus humanis idem hoſtis antiquus ingerere certat, vt eas à ſtatu rectæ fidei ſubuertat, & feruore dilectionis Dei frigeſcere faciat; hic propter elationem cordis rectè aui comparatur, qui adſpargit niuem ad ſedendum, cum per rigorem malitiæ vbi inſidat, præparat ſibi habitaculum, ipſe quaſi locuſta aſcenſu ſuo demergit: quia quicquid viride vel fructiferum reperit corrodere atque extirpare contendit.

Pulchritudinem coloris eius admirabitur oculus, & ſuper imbrem eius expaueſcit cor. Pulchritudinem verò eius oculus admirabitur, cum ſe fingit miniſtrum eſſe luminis & legatum pacis; ſed ſuper imbrem eius expaueſcit cor, quãdo apertas perſecutionum procellas mouet: vt quos non potuit blanda fictione, hos ſeducat tormẽti magnitudine. Aliud quippe idem doli artifex intrinſecus gerit, aliud extrinſecus oſtendit: transfigurat enim ſe velut angelum lucis: & callida deceptionis arte plerumque proponit laudabilia, vt ad illicita pertrahat: oſtentat foris viſu glorioſa, vt abſcondat quæ intus in corde geſtat turpia, ſed cum in hoc ſe fruſtrari conſpicit, mox in apertam ſæuitiam erumpit: vt hoc efficiat per tormenta, quod non D potuit facere per blandimenta.

Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram, & dum flauerit fiet tanquam acumina tribuli. In gelu frigus infidelitatis figuratur: in ſale verò infœcunditas germinis: quia vbicunque ſal in terram ſpargitur, in ſterilitatem protinus vertitur, vnde ſcriptum eſt: *Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantiũ in ea:* & quaſdã vrbes legimus ira victorũ ſale ſeminatas, vt nullũ in eis germen orireiur. Gelu ergo ſicut ſalem antiquus hoſtis ſuper terrã effundet, cũ per frigus infidelitatis terrenorum hominum corda ad fructus bonorum operum inhabilia reddet, & dum tentationũ procella flauerit, facit ea tanquam tribuli acumina, hoc eſt, ſpinis vitiorum aſperrima. De quo & ſubditur:

Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua. E Cryſtallus verò eſt in modum vitri per numeroſas gemmas glacies condurata, & in duritiam ſaxi liquens admodum perducta ſubſtantia, cui obſtinati peccatores merito comparantur: qui à rigore perfidiæ conſtricti per dies ſingulos congelaſcunt. Incitatio ergo diaboli homines natura molliſſimos efficit lapides ſolidos, quia frigore perfidiæ facit illos eſſe duriſſimos. De quo in Iob ſcriptum eſt: *De cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis* *Iob 38.* *genuit? In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.* glaciem & gelu perfidiam diaboli ſignificare iam diximus, & aquas populos etiam ſæpius docuimus, ſatan quippe quaſi de Dei vtero glacies proceſſit: quia à calore ſecretorum eius malitiæ torpore frigidus, magiſter iniquitatis exiuit: ipſe gelu de cœlo eſt genitus, quia conſtricturus corda à ſummis cadere eſt ad ima permiſſus; qui benè in cœleſtibus conditus, in culpæ frigore mentes ſequacium quaſi gelu dum cecidit aſtrinxit, qui ad terram veniens, quid in F hominibus egerit, expletur cum ſubditur: *in ſimilitudinem lapidis aquæ durantur.* illo igitur ad ima veniente in ſimilitudinem lapidis aquæ duratæ ſunt: quia eius malitiam imitati homines, mollia viſcera charitatis amiſerunt. Cuius fraudulenta conſilia, quia à ſeductis hominibus deprehendi non poſſunt, rectè ſubiungitur, *Et ſuperficies abyſſi conſtringitur.* abyſſi ergo ſuperficies conſtringitur, quia, dum quaſi bona perſuaſionis eius velut ſolida glacies oſtenditur, latens eius & in profundum trahens malitia non videtur.

Super omnem contractionem aquarum requieſcit: & ſicut loricam induit ſe aquis. Hic locus ſiue illud tempus exprimit, quando infidelitas ante incarnationem Chriſti in mundo maximè præualuit, & gentilium turba idolorum culturæ toto niſu ſeruiuit, ſeu etiamnum, cum licet multi ſint Chriſto credentes, & tamen in ſingulis nationibus idem antiquus hoſtis ſuos ſeruitores habet, in quibus ipſe quodammodo requieſcit, & contra Dei milites, ſuos bellatores diſponit. Contra quos qualiter pugnare debeamus, Paulus Apoſtolus nos inſtituit, di- G cens: *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſi-* *Ephes. 6.* *dias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus ſumẽtes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei.)*

Deuorabit montes, exuret deſertum, & extinguetur viride ſicut igne. Quid per montes, niſi ſuperbi & elati homines? & quid per deſertum, niſi deſertores veritatis & iuſtitiæ inſinuantur? Deuorat ergo diabolus montes & exurit deſertum, quando ſuperbos quouſque & iniquos homines cunctis virtutibus ſpoliatos in ſuum paſtum redigit, & igne cupiditatis quaſi deſertum incẽdit: vbi ſi quid virtutis atque ſcientiæ germine viruit, per ignem malitiæ totum protinus extinguit, in ſcriptura enim ſacra aliquando per herbam viror glorię temporalis ſignificatur, aliquando refectio diaboli, aliquando ſuſtentatio prædicatorum, aliquando bona operatio, aliquando æternæ H vitæ ſcientia atque doctrina. Viror namque gloriæ temporalis accipitur, ſicut Propheta ait: *mane ſicut herba tranſ-* *Psal. 89.* *eat, mane floreat & pertranſeat.* Mane namq; ſicut herba florere atq; tranſire, eſt in proſperitate huius ſæculi temporalis gloriæ velociter decus areſcere, herba refectio diaboli accipitur: ſicut de illo à Domino dicitur: *huic montes herbas ferunt,* ac ſi diceret: ſuperbi ac tumidi dum ſe illicitis cogitationibus atq; actionibus efferunt, ſuis illũ iniquitatibus paſcunt; ſed quid huius hoſtis nequiſſimi ma- *Iob 40.* litiæ obſiſtat in ſequentibus demonſtratur.

Medicina omnium in feſtinatione, nebula, & ros obuians ardori venienti humilem efficiet eum. Quid per nubem vel nebulam, niſi incarnatio redemptoris noſtri & doctrina eius deſignatur? per quam diuina pietas humano generi

A conſuluit, & rore ſupernæ gratiæ obuians perſecutionibus hoſtis antiqui cum virtute potentiæ ſuæ contriuit, & prædam ab ore eius eripuit. De hoc etiam Eſaias Propheta *Eſa.19.* in onere Ægypti teſtatus eſt, dicens: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius.* *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem*, corpus ſanctæ virginis Mariæ, quod nullo humani ſeminis pondere prægrauatum eſt, vel certè corpus ſuum, quod de Spiritu ſancto conceptum eſt, & ingreſſus eſt Ægyptum huius mundi, ſtatimque omnia Ægypti ſimulacra commota ſunt: ita vt diuinationes & vniuerſa fraus idololatriæ, quæ captum poſſidebat orbem, ſe fractam eſſe ſentiret, in tantum vt Magi ab oriente docti à dæmonibus, vel iuxta prophetiam Balaam intelligentes natum filium Dei, qui omnem artis eorum deſtrueret poteſtatem, venirent Bethleem, & oſtendente ſtella adorauerunt puerum. De hoc rore etiam Dominus ad Iob *Iob 38.* ait: *quis eſt pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris?* ac ſi diceret: B Niſi ego, quis ſiccam terram humani cordis guttis ſcientiæ gratuito aſpergit. De hac enim pluuia aliàs dicitur: *Pſal. 67.* *pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Voluntariam quippe pluuiam hæreditatis ſuæ Dominus ſegregat, quia non eam nobis pro noſtris meritis, ſed pro ſuæ munere benignitatis præſtat, & idcirco hoc loco pater pluuiæ dicitur, quia ſuperna nobis prædicatio non de noſtro merito ſed de eius gratia generatur. Stillæ enim roris ipſi ſancti prædicatores ſunt, qui arua pectoris noſtri inter mala vitæ præſentis, quaſi inter tenebras ſiccæ noctis arentia, gratia ſupernæ largitatis infundunt. Hic ſiquidem ros humilem fecit diabolum, hoc eſt, deſpectum, quia occultas inſidias eius claro ſermone produxit in manifeſtum, vt iam mundus ab idololatria & perſecutionis tempeſtate ceſſaret, qui ſe diu illuſum ab antiquo hoſte ſentiret. Vnde & ſubditur:

In ſermone illius ſiluit ventus, cogitatione ſua placauit abyſſum, & plantauit in illa Dominus Inſulas. In ſermone ergo Euangelico à turbine perſecutionum mitigatus eſt mundus: quia ſapientia diuina, quæ creauit orbem terrarum, ipſam ſuo nutu commotum placauit abyſſum: abyſſus enim dicitur aquarum copioſiſſima multitudo, quæ & in C bono & in malo plerumque ponitur. Hæc meritò hic ſuperſtitioſis atque perſecutoribus comparatur. Et nota quòd dicitur Dominum Ieſum plantaſſe & placaſſe abyſſum, quia ipſe author eſt omnium rerum, *per quem omnia* *Ioan.1.* *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* idem ergo quantæ poteſtatis eſſet oſtendit, quando in nauicula per diſcipulos *Matth.8.* à ſomno ſuſcitatus ſurrexit, & *imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Vbi iuxta literam notandum, quòd omnes creaturæ ſentiant creatorem: quibus enim increpatur & imperatur, ſentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Myſticè autem ventum Dominus ſurgens increpauit, quia reſurrectione celebrata diaboli ſuperbiam ſtrauit, dum per mortem deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium; tempeſtatem quoque aquæ D ſurgens ceſſare fecit, quia veſanam Iudæorum rabiem, *Matt.27.* quæ caput quatiens clamauerat: *Si filius Dei eſt, deſcen-* *Marc. 15.* *dat nunc de cruce, & credimus ei*, de ſepulchro ſurgendo labefecit.

Qui nauigant mare, enarrant periculum eius: & audientes auribus noſtris, admiramur, illic præclara & mirabilia opera, varia genera beſtiarum, & omnium pecudum, & creatura beluarũ. Mare hiſtoricum quanta pericula & obſtacula habeat nauigandi in ſcopulis, in charybdi & in ſyrtibus, norunt qui in illo frequenter pergunt: vbi & mirabilia Dei monſtrantur opera, in varijs generibus beſtiarum & pecudum, & creatura beluarum, ſicut naturalium rerum ſcriptores in ſuis libris produnt, & Propheta in Pſalterio *Pſal. 103* commemorat, dicens: *hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus: animalia puſilla & magna, illic naues pertranſibunt: draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Sed quamuis in capite huius verſus de mari nauigabili dicere videatur, tamen de hoc ſæculo congruenter accipitur, vbi diabolicæ ſine numero ſerpere probantur inſidiæ, malitiaque dæmonum; velut quibuſdam fluctibus E animatum voluntas inſtabilis commouetur. Mare enim ipſæ reddunt, dum naufragare compellunt: quia dubium non eſt illum vndas immaniſſimas pati, qui mergitur gurgite peccatorum. Mare quippe à meando dictum eſt, quòd ſemper eat ac redeat: ſed iſti ſpiritus innumerabiles nobis, Deo comprehenſi ſunt, qui arenam maris, & pluuiarum guttas enumerat: & ne omnino incomprehenſibiles linquerentur, quantitate non qualitate ea definiuit. Denique de eis dicitur: *animalia puſilla & magna*: quoniam inter ipſos & maiores eſſe nequitia probantur omnimodis & minores, illic (inquit) naues pertranſibunt: illic, in mundo ſcilicet, quem ſuperius dixit mare. Per naues autem ſignificatur Eccleſia, quæ pe- F riculoſos fluctus mundi per lignum glorioſæ crucis euadit, portans populos, qui ſigno fidei crediderunt. Nautæ autem & remiges Prædicatores ſunt ſancti, qui Eccleſiam regunt inter fluctus huius ſæculi. In his quippe nauibus habitat Chriſtus, qui ſi à credentibus excitetur, dicit immaniſſimæ tempeſtati vt quieſcat, & quieſcit. Sequitur: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*, hic apertè diabolum ſignificat, qui verè draco dicitur, propter venenum quod Euæ primæ mulieri peſtiferis ſuaſionibus inſpirauit, iſte creatus bonus eſt, ſicut in Geneſi legitur: *Fecit Deus omnia valde bona*; ſed poſtquam ſua vo- *Geneſ.1.* luntate peccauit, à Deo ita formatus eſt, vt ei illuderetur ab Angelis, quando propter execrabilem peruerſitatem natiua dignitate priuatus eſt, ſicut enim dicit Dominus in libro Iob: *Non eſt quicquam ſimile ei factum ſuper terram, ad illudendum ab angelis meis*: illuditur enim ei ab angelis Dei, ſiue per iuſtiſſimas increpationes: vt qui creatus eſt ad obſequium Domini, fœdis videatur peruerſitatibus implicari: ſiue magis illuditur, quando ei animæ confitentium imperio ſuperno de pernicioſa poteſtate tolluntur: illuditur etiam & à fidelibus viris, dum incentiua vitiorum eius deteſtabili errore reijciunt. G

Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis, & in ſermone eius compoſita ſunt omnia. *Propter ipſum*, inquit, hoc eſt, filium Dei confirmatus eſt ordo tranſeuntium rerum, & terminus conſtitutus eſt ſæculi: quia ſicut ab ipſo verbo Dei vniuerſa originem acceperunt, ſic & in ipſo finiuntur. Ipſe enim in Apocalypſi ait: *Ego ſum α & ω, principium & finis.*

Multa dicimus & egemus verbis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt. Omnis locutio parua eſt in comparatione gloriæ eius, & omnis lingua egena verbis, nec ſufficit ad enuntiandum virtutem eius; quia inæſtimabilis & ineffabilis æſtimari & effari à quoquam non poteſt. Ipſe conſummatio ſermonum noſtrorum eſt, ſicut & conditor naturæ noſtræ.

In omnibus gloriantes ad quid valebimus? ipſe enim omnipotẽs ſuper omnia opera ſua. Quid enim valet corruptibilis creatura de incomprehenſibili Dei diſputare eſſentia, quem nemo vidit vnquam, nec *homo viuens ſuper terram videre poteſt*? ipſe enim eſt omnipotens ſuper omnia opera ſua: & H vniuerſa ſub poteſtate eius conſiſtunt.

Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius: Glorificantes Dominum, quantumcunq; potueritis, ſuperualebit adhuc admirabilis magnificentia eius. Huic loco concinit quod Pſalmiſta conuocans omnes gentes ad laudandum Deum ait: *Omnes gentes plaudite manibus,* *Pſal. 46.* *iubilate Deo in voce exultationis, quoniam Deus ſummus ter-* *Pſal. 95.* *ribilis & rex magnus ſuper omnes Deos.* Et item: *Annuntiate*, inquit, *inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius, quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis, & terribilis eſt ſuper omnes deos.* Reddit cauſas quare Domino & plaudi debeat & iubilari: primum quia ſummus eſt Deus, terribilis, quia ipſe iudicaturus eſt mundum: rex magnus, quoniam rex regum & Dominus eſt dominantium: magnus ad poteſtatem pertinet, quia ſuper cuncta potentior eſt: laudabilis ad pietatem, quoniam dum eſſemus captiui, pretioſo ſanguine nos redemit: nimis autem congruit ad vtrumque, quia nec quantum magnus, nec quantum laudabilis

A ſit poterat explicare, ſed quoniam conſideranti æſtimatio defecit, pulchrè addidit *nimis*; ita non exponendo quod intendebat, vberrimè ſignificauit, & declarauit non comprehendendo quod voluit. Nam idem Propheta alibi ait: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & ma-*
Pſal. 47. 95. 144. *gnitudinis eius non eſt finis.* Miranda complexio, vera prædicatio ſic laudare Dominum, vt quantum eſt magnus non æſtimes explicandum, ſenſus enim totius creaturæ deficit, & ad illa retractio ſemper excreſcit. Nam ſicut nullo loco clauditur, ita nec eloquentia quamuis ampliſſima eius poſſunt præconia terminari: virtus inexplicabilis, pietas incomprehenſibilis, ſapientia ineffabilis. Cuius vera definitio eſt, finem in ſanctis laudibus non habere: & nota quia dum dicitur magnitudinis eius finem non eſſe, nunquam te præcipit ab eius prædicatione ceſſare: nam & taciti gratias agimus, cum nos probabili conuerſatione tractamus, qui cum nullis poſſit laudibus comprehendi, ſingulis tamen ſermonibus indi-
B catur, cum dicitur: *Magnus nimis.* Et iterum: *magnitudinis eius non eſt finis.*

Benedicentes Dominum exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Incitat nos ſapientia ad benedicendum Deum, vt quantum in nobis ſit, & quantum nos ille poſſe conceſſit, ſemper laudemus illum; attamen omni modo ſcientes, quod condignè eum laudare non poſſumus, quia ad celſitudinem magnitudinis eius pertingere non valemus, eius eſt enim gratia, quicquid ritè in laudibus eius proferimus. De quo ſcriptum
Pſal. 28. eſt: *Dominus virtutem populo ſuo dabit. & benedicet populum ſuum in pace.*

Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis. Non enim habebitis: quis videt eum & enarrabit, & quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio? Valde enim indigemus ipſius ope, vt ad eum laudandum eius repleamur virtute: quod enim dicit: *ne laboretis, non enim habebitis*, oſtendit quod diuina ſecreta, quæ vltra noſtrum modum ſunt, ſcrutari non de-
C beamus: quia eius occulta iudicia omnino penètrare
Prou. 23. non poſſumus. Vnde ſcriptum eſt: *ne quæras oper ad quas*
Eccleſ. 7. *pertingere non poſſis.* Et Eccleſiaſtes: *Dixi*, inquit, *ſapiens efficiar, & ipſa longius receſſit à me. Multo magis quàm erat, & alta profunditas, quis inueniet eam?*

Multa abſcondita ſunt maiora his, pauca enim vidimus opera eius: omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit ſapientiam. Si ad vniuerſitatem mirabilium Dei attendimus, pauciſſima ſunt, de quibus notitiam habemus: qui tamen ſana & plena fide credimus & confitemur, quòd vnus Deus omnipotens Pater & Filius & Spiritus ſanctus omnium viſibilium & inuiſibilium creator eſt, & piè agentibus, hoc eſt, religiosè viuentibus & humiliter quærentibus dat agnitionem ſuam, quantum ille nouerit eis prodeſſe: Cæterum de eius maieſtatis ſcrutatione cohibere nos debemus, & dicere cum Paulo
Rom. 11. Apoſtolo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor*
D *& gloria in ſæcula ſæculorum.* Sed quia iam plurima moraliter diſputando allegoriam & anagogen in pleriſque tangendo myſteria ſacramenti diuini ſuperius ediderat: nunc de ſanctis Patribus & virtutum viris incipit narrare.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER DECIMVS.

CAPVT I.

Cap. 44. L*Audemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua: multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo. Dominantes in poteſtatibus ſuis homines magni vir-*
E *tute & prudentia ſua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba. In pueritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina ſcripturarum, homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis.* Viri ergo glorioſi temporibus ſuis fuerunt, & digni per omnia laude, ſancti ſcilicet Patriarchæ, qui meruerunt diuina vti locutione ſimul & viſione: & Prophetæ qui dono Spiritus ſancti repleti multa Chriſti Eccleſiæque futura myſteria præcinuere: hi dominantes in poteſtatibus ſuis erant, quia plures illorum reges fuere facultatibus abundantes; ſed maiore poteſtate ſemetipſos regebant, cum ab illicitis concupiſcentijs ſe coercebant. Imperantes populis & virtute prudentiæ ſuæ inſtruebant: quorum aliqui muſicos ſonos requirebant: vt Dauid, & cæteri, qui cum ipſo pſalmodiam ordinabant. Alij verò pulchritudinis ſtudium habentes, vt Moyſes & Salomon, qui tabernaculum atque templum cum varijs vaſis & vtenſilibus Domino æ-
F dificauerunt.

Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomèn narrandi laudes eorum. Habuerunt ergo ſancti viri in generationibus gentis ſuæ gloriam: quia meritò prudentiæ, & virtutum à ſubditis honorabantur. Vnde poſteri eorum qui eorum ſanctam conuerſationem imitati ſunt, voce ſimul & actione laudes illorum celebrauerunt: quod etiam mali homines & peruerſi moribus adipiſci non meruerunt. De quibus ſubditur:

Et ſunt quorum non eſt memoria, perierunt quaſi qui non fuerint. Et nati ſunt quaſi non nati, & filij ipſorum cum illis. Non fuerunt ergo impij & peccatores digni memoria: quia ſi aliquid de his narratur in ſcriptura ſacra, non ad laudem ſed ad vituperationem eorum pertinet. De illis enim in Pſalmo ſcriptum eſt: *Inimici defecerunt framea in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti. Perijt memoria eorum cum ſonitu:*
quoniam diaboli gaudio in conſummatione mundi illi G
qui ad ciuitatem eius pertinere noſcuntur deficient, & eorum memoria cum clamore nouiſſimo interiet, quando merguntur in pœnam perpetuam. Quod exemplum inde tractum eſt, quia fieri ſolet quando res proſperæ grauiſſimo fine clauduntur, vt nec poteſtas eorum videatur remanere nec nomen intueri, quod dicit filios eorũ cum ipſis perire, myſticè ſignificat opera peccatorum in æterna damnatione ſimul cum ipſis interire.

CAPVT II.

S*Ed illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt, & cum ſemine ipſorum perſeuerant bona, hæreditas ſancta nepotum illorum. Et in teſtamentis ſtetit ſemen eorum, & filij eorum propter illos vſq; in æternum permanent: ſemen eorum & gloria eorum nõ derelinquetur, corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuet in generationes & generationes. Sapientiam eorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia.* Illi quippe viri ſunt miſericordiæ, qui recta fide & bonis operibus miſericordiam Domini promeruerunt. Nam
miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: ho- H
rum actiones bonæ non defuere in retributione: ſed cum ſemine eorum, hoc eſt, huius Dei cultoribus, qui nepotes & hæredes fiebant ei, & religioſæ conuerſationis eorum teſtamentum legis Dei firmum ſtetit, & propago ſobolis eorum propter illorum merita longo tempore manſit, nec gloria ſanctorum patrum vlla obliuione delebitur. Sed corpora ipſorum in pace quieſcentia expectant reſurrectionis diem, vt accipiant gloriam incorruptionis: nomen autem eorum celebre apud poſteros ſuos perſeuerat. Qui ſapientiam ipſorum vbique prædicant, & laudabilem vitam eorum quotidie in Eccleſia ſanctorum magnis laudibus exaltant. Hæc quidem iuxta hiſtoriam ad Patriarchas & Prophetas pertinere videntur: quorum ſemen; hoc eſt, Iſraelitæ propter eorum merita & promiſſiones, quæ ad ipſos factæ ſunt, ſæpe de anguſtijs liberatum eſt: & veniam peccatorum non ſua iuſtitiâ, ſed parentum ſuorum fide & actione

A bona promeruit. Vnde eſt illud, quod Moyſes pro eodem populo Iſraelitico peccante orans, Abraham & Iſaac & Iacob (quibus promiſſiones datæ ſunt) ducit in memoriam, vt eorum meritis Dominus placatus, peccantibus filijs donaret indulgentiam. Sic ad Dauid meritum, filios eius in multis adiuuit, ob cuius memoriam etiam Dominus filijs eius multo tempore regnum ſeruauit: ſed ſacratiore ſenſu viri miſericordiæ ſunt Apoſtoli Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Prædicatores noui teſtamenti: qui verbo Euangelij & ſacro baptiſmate, filios Dei dignos quotidie pariunt. Qui imitatores parentum ſuorum facti, in fide & conuerſatione eorum exempla ſequuntur. Horum ſcilicet corpora poſt finem vitæ præſentis dormiunt in ſpe reſurrectionis: exſpectantes futuram gloriam, quando ſemen bonorum operum illorum cœleſti mercede à ſuperno iudice remuneretur.

CAPVT III.

B *ENoch placuit Deo & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* Benè ergo non de Adam qui tranſgreſſus eſt diuinum mandatum, & eiectus reliquit paradiſum, incipit enumerare ſanctos patres, ſed de Enoch, qui ambulauit cum Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum. Quia in hoc claret electio ſanctorum, quòd de ærumna iſtius ſæculi transferuntur ad quietem cœleſtis regni. Hic ergo creditur venturus cum Helia iuxta finem mundi, vt hominibus det conſilium à peccatis ad pœnitentiam conuertendi, & ſic cum collega ſuo in perſecutione antichriſti ſoluet debitum lethi.

CAPVT IV.

NOe inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, vt det gentibus pœnitentiam. Ideo remiſſum eſt reliquum terræ cum factum eſſet diluuium, teſtamenta ſæculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſet diluuio omnis caro. Noe verò, de quo ſcriptura narrat, quòd vir iuſtus atque perfectus fuerit in generationibus ſuis, ambulans cum Deo, benedicitur: in tempore iracundiæ factus eſt

C reconciliatio, quia mundo pereunte diluuio ad hoc reſeruatus eſt, vt pœnitentiam gentibus indiceret agendã, & ſuo exemplo demonſtraret, quòd qui Deo deuote ſeruiunt, immunes ab æterno interitu fierent, cum quo etiam Dominus pactum ſtatuit & fœdus pepigit: ne vltra aquis diluuij deleret terram, ſignificat autem rectores populi Dei, qui inter fluctus iſtius ſæculi arcam regunt Eccleſiæ Chriſti, prædicant baptiſmum pœnitentiæ, & orationibus atque ſacris oblationibus placatam reddunt humano generi diuinam maieſtatem.

CAPVT V.

ABraham magnus, pater multitudinis gentium. Et non eſt inuentus ſimilis illi in gloria. Qui conſeruauit legem excelſi, & fuit in teſtamento cum illo, in carne eius ſtare fecit teſtamentũ, & in tentatione inuentus eſt fidelis. Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente ſua, creſcere illum quaſi terræ cumulum, & vt ſtellas exaltare ſemen eius, & hæreditari illos à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ. Abraham iuxta nominis ſui interpretationem *pater eſt multarum*, omnium videlicet *gentium* in Chriſto credentium; quia ſoli fideles

D æſtimantur in ſemine: quoniam non qui filij carnis, ſed qui filij ſunt fidei, ipſi ſemen ſunt Abrahæ: *Cui non fuit ſimilis inuentus in gloria*, quia ſuis temporibus excellentiſſimus erat, & fideliſſimus inuentus eſt: hic fuit in teſtamẽto cum illo, quando ei promiſſum eſt, quod in ſemine ipſius benedicerentur omnes cognationes terræ. In cuius carne ſtare fecit teſtamentum circumciſionis, vt ſignificaretur renouata natura noſtra per baptiſmum Chriſti. Poſt exſpoliationem veteris hominis & induitionem noui, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis: hic verò Patriarcha in tentatione inuentus eſt fidelis, quando in figuram paſſionis dominicæ viſus eſt immolare filium ſuum vnigenitum. Ideo iureiurando dedit illi Dominus ſemen in gente ſua, creſcere illum in ſemine ſuo velut arenam maris, & ſicut ſtellas E cœli quæ præ multitudine, numerari non poſſunt. Duplex ergo fit figura promiſſi ſeminis eius, id eſt, in ſimilitudinem arenæ maris. In quo exprimuntur Iudæi ſteriles, & in ſimilitudinem ſtellarum cœli, in quo demonſtrantur omnes gentes in Chriſto credentes, qui reſurrectionis lumine in futuro coruſcant ſicut aſtra cœli: *ſtella enim ab ſtella differt in claritate: ſic erit & reſurrectio mortuorũ. hæreditauit ergo ſemen eius à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Quia Chriſtus ex ſemine Abraham ortus dominatur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ, & Eccleſia eius, hoc eſt, corpus ipſius vniuerſos terminos occupat mundi. Notandum quippe quòd Abraham triplicem habet figuram in ſemetipſo: primo Saluatoris, quando relicta cognatione ſua venit in hunc mundum. Secundo patris, quando immolauit vnicum filium. Tertio verò in hoc,

F quòd tres viros ſuſcipiens vnum adorauit, figuram geſtauit ſanctorum, qui aduentum Chriſti in carne cũ gaudio ſuſceperunt. Cuius incarnationis ſacramentum tota ſancta Trinitas fecit, ſed ſolus filius ſuſcepit: *verbum enim caro factum eſt, & habitauit in nobis.*

CAPVT VI.

ET in Iſaac eodem fecit modo, propter Abraham patrem ipſius benedictionem omnium gentium dedit illi. Dedit ergo Dominus Iſaac benedictionem omnium gentium propter iuſiurandum, quod iurauit patri ipſius, *vt in ſemine eius*, hoc eſt, Chriſto *benedicerentur omnes cogitationes terræ.* Cui pater in Pſalmo ait: *Poſtula à me & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

CAPVT VII.

ET teſtamentum confirmauit ſuper caput Iacob, agnouit eum in benedictionibus ſuis, & dedit illi hæreditatem, & diuiſit ei

G *partem in tribubus duodecim: & conſeruauit illi homines miſericordiæ inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.* Confirmatum eſt enim teſtamentum ſuper caput Iacob, hoc eſt, gentilis populi, qui poſterior ad gratiam fidei & baptiſmatis regenerationem acceſſit. Cui tamen plenitudo benedictionis paternæ prouenit: *& dedit illi hæreditatem*, ſupernæ videlicet patriæ, *& diuiſit ei partem in tribubus duodecim.* Vt per duodecim Apoſtolos edoctus, ſimul cum illis regnum Dei poſſideret æternum: huic conſeruauit Dominus miſericordiam ſuam, vt haberet gratiam in oculis omnis carnis: quia Eccleſia Chriſti ab omnibus gentibus honoratur, & digna laude propter culturam veri Dei ab vniuerſo mundo prædicatur. Eſa.49. Cui etiam per Eſaiam ipſe Dominus ait: *Ecce leuo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & adferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt, & erunt reges nutricij tui: & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent: & ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui exſpectant eum.*

CAPVT VIII.

H *DIlectus à Deo & hominibus Moyſes: cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit illum in conſpectu regum, & iuſſit illi coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit illum de omni carne. Auditam fecit illi vocem ſuam, & induxit illum in nube: & dedit illi præcepta & legem vitæ, & diſciplinæ docere Iacob teſtamentum, & iudicia ſua Iſrael.* Dilectus enim Deo & hominibus Moyſes fuit, Num.12. quia homo erat ſuauis & mitiſſimus, vt ſcriptura narrat: Cuius memoria in benedictione eſt, quoniam non minoris gloriæ quàm cæteri ſancti patres fuere, ſed perenni dignus eſt per omnia laude. Hic magnificatus eſt in timore inimicorum, dum portenta multa fecit coram Pharaone & ſeruis eius, & ipſas plagas quando voluit tem-

A peravit; vnde gloriam in conſpectu regum cōſecutus eſt.
Iuſſit illi Dominus coram populo ſuo, & oſtendit illi glo-
riam ſuam, quando ſui ſecreti eum fecit eſſe participem,
& voluntatis ſuæ agnitorem. De quo ſcriptum eſt: *Ingreſ-*
Exod. 33. *ſo autem illo tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, &*
ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum Moyſe, cernentibus vniuerſis
quòd columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi, ſtabantque ipſi
& adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. Loquebatur au-
tem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad
amicum ſuum: in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & e-
legit ipſum de omni carne. Certum quoque eſt quòd fides &
lenitas ipſius ſanctum eum eſſe fecit & Deo acceptabi-
lem reddidit, qui de omni populo diuina prouidentia e-
lectus eſt, vt præeſſet vniuerſis: cui Dominus in monte
Synai legem dedit & præcepta vitæ conſtituit, cum eo
loquens in nube audientibus filijs Iſrael, vt in his erudi-
ret populum ſuum & diſciplinabiliter viuere doceret:
qui licet diuerſas figuras habeat in ſingulis locis, tamen
in hoc, quòd populum Dei eduxit de Ægypto per aquas
B maris rubri, & in deſerto educauit columna nubis præ-
eunte & viam demonſtrante, typum tenet legis, quæ per
Chriſti ducatum credentes de Ægypto ſpiritali, & de po-
teſtate veri Pharaonis per aquas baptiſmatis liberauit, vt
in eremo iſtius mundi diuinis præceptis inſtructi & edu-
cati perueniant ad terram repromiſſionis, ad cœleſtem
videlicet patriam, vbi omnium bonorum habeant copi-
am, & vita fruantur perpetua.

CAPVT IX.

E*Xcelſum fecit Aaron fratrem eius, & ſimilem ſibi de tribu Le-*
ui. Statuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi ſacerdo-
tium gentis, & beatificauit illum in gloria, & circumcinxit illum
zona iuſtitiæ. Induit illum ſtola gloriæ, & coronauit illum in va-
ſis virtutis in inceſſu ſuo, circumpedes & femoralia & humerale
poſuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, da-
re ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in templo in
memoriam filijs gentis ſuæ. Stolam ſanctam auro & hyacintho &
purpura opus textile viri ſapientis iudicio & veritate prædi i, tor-
C *to cocco opus artificis. Gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri,*
& opere lapidarij ſculptis, in memoriam ſecundum numerum
tribuum Iſrael coronam auream ſuper mitram eius expreſſam ſi-
gno ſanctitatis: & gloria honoris, & opus virtutis, deſideria oculo-
rum ornata, ſic pulchra ante ipſum non fuerunt talia vſque ad o-
riginem: non indutus eſt illa alienigena aliquis, ſed tantum filij i-
pſius ſoli, & nepotes eius per omne tempus. Ritum deſcribit
ſacerdotij veteris teſtamenti, & ornatum pontificis: quæ
figuram per omnia gerebant noui teſtamenti, & veri ſa-
Hebr. 9. cerdotis Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui *non per ſangui-*
nem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introi-
uit ſemel ſancta æterna redemptione inuenta. Veſtimenta
autem pontificis non alia ſunt quàm opera virtutum, &
ſapientiæ doctrina: quæ verè Domini ſacerdotem or-
nant, cum in his conuerſari ritè inueniuntur. Vnde &
hic dicitur: *Coronauit illum in vaſis virtutis.* ſapientes autem
corde quos ad faciendas eaſdem veſtes Deus ſpiritu pru-
dentiæ repleuit, ipſi ſunt Prophetæ & Apoſtoli, cæteri-
que Doctores veritatis: qui nobis apertiſſimè monſtrant,
quomodo viuere ſacerdotes & miniſtri altaris, qualiter
docere debeant, ſiue exemplo ſuæ actionis, ſeu verbo
exhortationis, oſtendunt. Quæ autem ſunt ipſæ ve-
D ſtes, quas Moyſes fecit Aaron fratri ſuo, hoc eſt, ſcriptu-
Tit. 1. ram ſacram legis rectoribus habendam commendat, &
oſtendit Paulus, dicens: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine*
eſſe, vt Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vi-
nolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum. Sed ho-
ſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, am-
plectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem.
Octo ergo generibus veſtium pontifex tempore ſacrifi-
cij ſolebat indui: hoc eſt, rationali, ſuperhumerali, tuni-
ca hyacinthina, & linea ſtricta, cidari, balteo, fœminali-
bus: & ſupra omnia, hoc eſt, fronte lamina aurea, in quo
nomen Dei ſcriptum erat: rationale autem pectoris ha-
bitus erat, ſicut ſuperhumerale humerorum: tunica au-
tem hyacinthina, quæ tintinnabula aurea in imo habe-
bat hæc ſuper lineam induebatur. Ipſa autem line[a]
ſtricta, id eſt, camiſia totum corpus operiebat, cida[ris]
verò caput ornabat. Balteum autem vtramque tun[i-]
cam ſimul & ſuperhumerale arctius ad corpus aptaba[t:]
è quibus erant quatuor & minoris ordinis ſacerdotib[us]
conceſſa, fœminalia videlicet linea, tunica & balteu[s]
& cidaris: decebat enim vt quo maiore quis gradu e[s-]
ſet inſignis, eo pluribus virtutum actibus admirandu[s]
fulgeret. Cuncta autem fiunt de auro pretioſiſque co[-]
loribus, quia nil vile ac ſordidum in ſacerdotis ore vel o[-]
pere debet apparere; ſed cuncta quæ agit, vniuerſa qu[æ]
loquitur, omnia quæ cogitat, & coram hominibus præ[-]
clara & in conſpectu interni arbitri oportet eſſe glorio[-]
ſa. Singulæ autem ſpecies veſtium myſticum haben[t]
intellectum: quia in rationali, plenitudo ſcientiæ expri[-]
mitur: in ſuperhumerali, bonorum operum actus: in tu[-]
nica hyacinthina, cœleſtis conuerſatio: in tintinnabu-
lis, prædicatio ſacri verbi. In tunica linea, quæ & hic cir[-]
cumpedes nominatur, eo quòd ad talos pertingebat
conſummatio caſtitatis in[si]nuatur. In baltheo conti[-]
nentia, in cidari, quæ caput tegebat, omnium ſenſuum
cuſtodia; in femoralibus verò caſtimonia corporis, con[-]
tra libidinem. Corona autem ſuper mitram, in qua ex[-]
preſſum erat ſignum caſtitatis. hoc eſt, nomen omnipo[-]
tentis Dei, honorificentiam ſignificat diuinæ maieſtatis
quam in arce ſtatus noſtri & ſuper omnia ſtatuere debe-
mus, ita vt in omnibus actibus noſtris, ſermonibus &
conuerſatione honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum
Dominum noſtrum: qui eſt caput corporis Eccleſiæ, &
Saluator omnium, maximè fidelium, ſi quis autem ho-
rum ſenſum ſpiritalem plenius noſſe deſiderat, legat
ſanctorum Patrum diuerſos tractatus de tabernacul[o]
Dei, & veſtibus ſacerdotalibus: quorum tamen com-
pendium ſi quæſierit, legat noſtrum opuſculum quod
ſuper Exodi librum quatuor libellis comprehendimus,
& ibi, ni fallor, inueniet quod ſuæ indigentiæ ſatisfa-
ciat.

Sacrificia ipſius conſumpta ſunt igne quotidie, compleuit Moy-
ſes manum eius, & vnxit illum oleo ſancto. Factum eſt illi in
teſtamentum æternum, & ſemini eius ſicut dies cœli. Fungi ſa-
cerdotio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum in no-
mine ſuo: ipſum elegit ab omni viuente. Offerre ſacrificium Deo,
incenſum, & bonum odorem in memoriam placare pro populo ſuo:
& dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem, & in teſtamentis iudicio-
rum docere Iacob teſtimonia, & in lege ſua lucem dare Iſrael.
Quia contra illum ſteterunt alieni, & propter inuidiam circum-
dederunt illum. In deſerto homines qui erant cum Dathan & Abi-
ron, & congregatio Chore in iracundia: vidit Dominus Deus &
non placuit illi, & conſumpti ſunt in impetu iracundiæ: fecit illis
monſtra, & conſumpſit eos in flamma ignis, & addidit Aaron glo-
riam. Et dedit illi hæreditatem, primitias fructuum terræ diuiſit
illi, panem ipſis in primis parauit in ſatietatem. Nam ſacrificia
Domini edent quæ dedit ipſi, & ſemini eius, cæterum in terra gen-
tes non hæreditauit, & pars non eſt illi in gente. Ipſe enim pars eius
eſt, & hæreditas. Quomodo autem Moyſes Aaron fratrem
ſuum & filios eius vnctionis oleo Domino conſecraret,
& quales hoſtias pro ſe in die vnctionis ſuæ offerri iube-
ret, & de iugi ſacrificio quod quotidie mane & veſpere
offerendum erat; & de cæteris officijs eius liber Leui-
ticus copioſiſſimè narrat, nec non de ſeditione Cho-
re, Dathan & Abiron, quam contra Moyſen & Aaron
excitauerant, & ob hoc vindicta in eos à Domino prola-
ta eſt, liber Numerorum manifeſtiſſime declarat: in qui-
bus myſticè demonſtratur, quod hi qui hæreſes & ſchiſ-
mata facere conantur, & multos ſecum trahendo deci-
piunt contemnentes ſacerdotes Chriſti, & ſe à clero eius
plebiſque ſocietate ſegregantes, conſtituere audent Ec-
cleſias, & aliud altare, precemque alteram illicitis voci-
bus faciunt, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacri-
ficia profanantes, ipſi quoque, cum contra ordinatio-
nem Dei nituntur, ob temeritatis audaciam terræ com-
pagibus ruptis, profundo hiatu merguntur. Nec tantum
hi, qui duces errorum ſunt: ſed & illi, qui conſentiendo
participes eorundem effecti ſunt, in ignem æterni iudi-
cij præparata vltioni peribunt. Chriſti enim ſacerdo-

A …um & ritus ſacrificiorum ab eo conſtitutus in ſæculum …ermanet, nec vlla commutatione commutabitur. Cui …ater iurauit, dicens: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

CAPVT X.

PHinees filius Eleazari tertius in gloria eſt in imitando ipſum in timore Domini, & ſtare in reuerentia gentis: in bonitate & alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſrael. Ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis, principem ſanctorum & gentis ſuæ, vt ſit illi & ſemini eius ſacerdotij dignitas in æternum, & teſtamentum Dauid regis filij Ieſſe. De tribu Iuda hæreditas ipſi & ſemini eius, vt daret ſapientiam in cor noſtrum, iudicare gentem ſuam in iuſtitia. Ne abolerentur bona ipſorum: & gloriam in gentem eorum æternam fecit. …25. Phinees filius Eleazari, vt Numerorum libri teſtis eſt, teſtamentum pacis ideo à Domino accepit, B quia zelo Dei inſtigatus virum Iſraelitam fornicantem cum muliere Madianita ſimul interfecit. De quo in memorato libro legitur, quod Dominus dixerit ad Moyſen: *Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis auertit iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Idcirco loquere ad eum, ecce do ei pacem fœderis mei: & erit tam ipſi quam ſemini illius pactum ſacerdotij ſempiternum: quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael.* Iuxta myſticum quoque ſenſum benè Phineæ filio Eleazari ſacerdotis propter zelum, quem exercuit in fornicantibus, pactum ſempiterni ſacerdotij repromittitur: quia quiſquis zelo Dei compunctus carnis ſuæ ſtimulos comprimere ſatagit, vel eos qui ſibi ſubiecti ſunt, ne per laſciuiam & libidinem à veritatis tramite deuient, dignè corripit atque coercet, ſempiterni ſacerdotij dignitatem in Eccleſia Dei habebit ad illum ſacerdotem rite pertinens. De quo ſcriptum eſt: …109. C *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cum ipſo regnum ſempiternum in luce ſuperna perpetualiter poſſidebit. Interpretatur autem Phinees, ore parcens, vel ore requieuit, vel oris augurium, & Eleazar Deus meus adiutor, ſiue Dei adiutorium. Aaron mons fortitudinis, ſiue mons fortis. Quæ nomina non incongruè eundem ſenſum quem propoſuimus exprimunt: nam qui ore praua loqui parcit, & myſteria cæleſtia verbo ritè auditoribus ſuis exponit, per Dei adiutorium pium laborem explens, ad montem fortitudinis (de quo per Prophetam ſcriptum eſt: *Erit mons domus Domini in verticem montium, & eleuabitur ſuper omnes colles*) …2. …4. bonis actibus aſcendens, feliciter perueniet. Quod autem dicitur, quod teſtamentum Dauid regis filij Ieſſe hæreditatem illi & ſemini eius benedictione & gloria æternam fecerit: Oſtenditur quod Dauid in diſtributione miniſtrorum Domini (qua eos in viginti quatuor ſortes diuiſit, vt vicibus ſuis miniſtrarent coram Domino) non minorauit gloriam Phinees, ſed etiam auxit. Vnde in Paralipomenon, D vbi Coritæ ſuper opera miniſterij, cuſtodes veſtibulorum tabernaculi, & familiæ eorum per vices caſtrorum Domini cuſtodientes introitum memorantur, …Par. 9. ita ſubiungitur: *Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum Domino*: ex hoc Hebræi tradunt quod idem Phinees adhuc in eo tempore vixerit, & in tabernaculo vices miniſtrantium ordinauerit.

CAPVT XI.

FOrtis in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in Prophetis, qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſrael. Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & iactando contra ciuitates romphæas. Ieſus ergo filius Naue & nomine & geſtu typum exprimit Saluatoris, cui Deus pater *dedit nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Idcirco in nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum:* & quia eſt hoc nomen ſuper omne nomen, ideirco in multis generationibus à nullo cognominatum eſt. Scripſit Moyſes librum Geneſis, in quo legimus Abraham, & eos qui ex eo generati ſunt, in quibus ſunt iuſti quamplurimi, ſed nullus ex ipſis Ieſus meruit nominari: E neque Abel Ieſus dictus eſt, neque ille qui cæpit inuocare nomen Domini Dei, neque ille qui placuit Deo & tranſlatus eſt: cuius vnquam non eſt inuenta mors: neque ille qui in generatione ſua ſolus iuſtus inuentus eſt apud Deum Noë; ſed ne ipſe quidem qui repromiſſiones acceperat teſtamenti Abraham, nec ille qui de eo natus eſt Iſaac, ſed nec ſupplantator Iacob, nec quiſquam ex filijs eius: Moyſes fidelis erat in omni domo ſua, necdum tamen vocatur Ieſus, ſed Ieſu nomen primum inuenio in Exodo, & volo intueri quando primum nomen Ieſu cognominatur: *Venit* (inquit) *Amalech, & expugnabat Iſrael,* Exod. 17. *& dixit Moyſes ad Ieſum in Raphidim.* Hæc eſt prima appellatio nominis Ieſu, *elige* (inquit) *tibi viros potentes ex omnib. filijs Iſrael, & egredere, & conflige cum Amalech craſtino.* Ipſe eſt qui poſt mortem Moyſi ſuſcepit imperium: ipſe eſt qui ducit exercitum, & confligit aduerſus Amalech: & quod ibi adumbratur in monte manibus extenſis, F affigit cruci ſuæ triumphans principatus & poteſtates in ſemetipſo.

Quis ante illum ſic reſtitit? nam hoſtes ipſe Dominus percuſſit. An non in iracundia eius impeditus eſt ſol, & vnus dies factus eſt quaſi duo? Inuocauit altiſſimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & ſanctus Dominus, in ſaxis grandinis virtutis valde fortis, impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in deſcenſu perdidit contrarios, vt cognoſcant gentes potentiam eius, quia contra Dominum pugnare non eſt facile, & ſecutus eſt à tergo potentes. Quomodo autem occurſu ſuo impeditus ſit ſol, & vnus dies factus eſt quaſi duo: pandit hiſtoria Ieſu Naue, vbi ipſe cum filijs Iſrael pugnauit pro Gabaonitis contra quinque reges Amorræorum. Sic enim ibi ſcriptum eſt: *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, qua tradidit Amorræum in conſpectu filiorum Iſrael.* Ioſue 10. G *Dixitque coram eis: ſol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon, ſteteruntque ſol & luna.* Nonne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum? *Stetit itaque ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei, non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Tunc etiam *Dominus miſit ſuper ipſos* Amorræos *lapides magnos de cælo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filij Iſrael.* Myſticè autem lapides ſunt grandinis duræ vindictæ, quæ cælitus mittuntur ſuper hoſtes populi Dei: vel diuinæ comminationes quæ in ſcripturis ſacris contra improbos leguntur prolatæ, vbi gehenna ignis & pœna eis prædicitur perpetua. Hoc ergo modo Ieſus cum ducibus & virtutibus ſuis adeſt his, qui pro nomine ſuo contrarijs virtutibus oppugnantur: & non ſolum auxilium præſtat in bello, verum & producit tempus diei, & ſpatia lucis protelans aduentum diſcutit noctis. Dies producitur, & differtur occaſus, nec vnquam ſol occumbit: ſed ſemper oritur, dum credentium cordibus ſol iuſtitiæ lumen veritatis infundit. Cum vero repleta fuerit menſura credentium, & deterior iam ac decolor ætas vltimæ generationis aduenerit: H cum increſcente iniquitate refrigeſcet charitas multorum, & perpauci remanſerint, in quibus fides inueniatur: tunc iam breuiabuntur dies. Idē igitur ipſe Dominus nouit extendere diem, cum ſalutis eſt tempus: & breuiare eundem, cum tribulationis & perditionis eſt tempus. Nos tamen dum habemus diem & producitur nobis ſpatium lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus, & opera lucis operemur.

Et in diebus Moyſi miſericordiam fecit ipſe, & Caleb filius Iephona ſtare contra hoſtem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ, & ipſi duo conſtituti à periculo liberati ſunt à numero ſexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terram, quæ manat lac & mel, & dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem: & vſque ad ſenectutem permanſit illi virtus: vt aſcenderet in excelſum terræ locum, & ſemen ipſius obtinuit hæreditatem: vt viderent omnes filij Iſrael quod bonum eſt obſequi ſancto Deo. Narrat quoq; liber Numerorum, Num. 13. quod Moyſes de deſerto Pharan duodecim exploratores, de ſingulis tribubus ſingulos, miſerit ad explorandam terram repromiſſionis, qui reuertentes & refe-

A referentes fructus de terra illa, populum in deſperatio-
nem miſerunt omnem præter duos, hoc eſt, Ioſue filium
Nun & Caleb filium Iephonæ, & murmurare fecerunt
contra Dominum, ob quod miſſa eſt ſuper eos plaga, &
interdictum, quòd nullus virorum illorum qui exierunt
de Ægypto, intraturus eſſet in terram repromiſſionis,
præter memoratum Ioſue & Caleb. Dedit autem Do-
minus Caleb longæuam vitam, & continuam proſpe-
Ioſ.14. ritatem: quod ipſe teſtatur, loquens ad Ioſue: *Quadra-
ginta annorum eram, quando me miſit Moyſes famulus Domini
de Cades barne vt conſiderarem terram, nuntiauique ei quod mi-
hi verum videbatur. Fratres autem mei, qui aſcenderant me-
cum, diſſoluerunt cor populi, & nihilominus ergo ſecutus ſum*
Ioſ.1. *Dominum Deum meum. Iurauitque Moyſes in die illo, dicens:
Terram quam calcauit pes tuus erit poſſeſſio tua, & filiorum tuo-
rum in æternum: quia ſecutus es Dominum Deum meum. Con-
ceſſit ergo Dominus vitam mihi vt pollicitus eſt vſque in præſen-
tem diem. Quadraginta & quinque anni ſunt ex quo locutus*
B *eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen, quando ambulauit Iſrael
per ſolitudinem: hodie octoginta quinque annorum ſum ſic va-
lens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus
ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam
ad bellandum, quàm ad gradiendum. Da ergo mihi montem
iſtum quem pollicitus eſt Dominus te quoque audiente, in quo
Enacim ſunt & vrbes magnæ atque munitæ, ſi fortè ſit Dominus
mecum & potuero delere eos ſicut promiſit mihi.* Spiritaliter
autem exorbitante populo legali ſub decem mandatis
conſtituto, & in terram repromiſſionis ingredi non va-
lente, ingreditur Ieſus & Caleb (qui interpretatur qua-
ſi cor) cum turba populi noui, vt poſſideat illam.
Quod autem ait Caleb, *hodie valeo ſicut valebam*: ſigni-
ficat quòd ſanctus quiſque & intelligens corde, ſimi-
liter valet in præſentibus, & in præteritis, & in nouiſſi-
mis, & in veteribus, & in Euangelijs, & in lege. Hoc
eſt ergo quod dicit valere ſe hodie ſub Ieſu, ſicut tunc
ſub Moyſe: quia in vtriuſque teſtamenti myſterijs cor
vigilans valet. Sed videamus etiam petitionem eius,
C quam poſcit ab Ieſu iſte Caleb filius Iephonæ: *peto te*, in-
quit, *montem hunc ſicut dicit Dominus in die illa*: nihil hu-
mile vel deiectum ſanctus requirit, nihil quod in demer-
ſis conuallibus iacet: ſed montem quærit excelſum, &
montem in quo ciuitates magnæ & munitæ, & ex hoc
Prou. 21. hæc poſcebat, quia nouerat belligerare, ſicut ſcri-
ptum eſt: *ciuitates munitas occupauit ſapiens, & deſtruet
munitionem in qua confidebant impij.* putas cum hæc dice-
ret Salomon, hoc nos volebat docere: quia ſapiens ca-
peret ciuitates, & munitiones deſtrueret ex lapidibus
constructas. An illud potius indicat, quod ciuitates &
muri ſunt impiorum dogmata, & ſyllogiſmi philoſopho-
rum, quibus adſtruunt impia quæque & diuinæ legi con-
traria, quæ apud paganos vel barbaros obſeruantur? ſed
illa his deputanda ſunt, & ciuitates munitas eſſe, atque
in montibus collocatas: quæ hæretici in ſcripturarum
aſſertionibus velut in altis montibus collocant. Iſtas
ergo ciuitates ſapiens quiſque verbum veritatis prædi-
D cans deſtruit, & vrbes mendaces, veritatis ariete ſubuer-
tit; ſicut & Paulus dicebat: *Cogitationes deſtruentes, & om-*
2.Cor.10 *nem altitudinem quæ extollit ſe aduerſum ſcientiam Dei.* Ita
etiam nunc ſapientiſſimus hic Caleb adſiſtit ante Ieſum,
& promittit ſe valere ad bellum, & promptum eſſe ad
prælium, & ideo depoſcit permitti ſibi velut diſputatori
facultatem, vt congrediatur cum dialecticis ſeculi:
Cum his qui pro veris falſa confirmant, vt eos confutet
& ſuperet, & ſubuertat omnia, quæ illi falſis aſſertioni-
bus conſtruxerunt. Ideo denique videns alacritatem
eius Ieſus, *benedixit*, inquit, *eum*, ſcilicet quòd talia depo-
ſcat & audeat, ſed & tu, ſi vis dare operam ſtudijs, & le-
gem prudenter meditari, & effici cor in lege Dei, potes
iſtas magnificas & munitas vrbes, id eſt, aſſertiones ſub-
uertere falſitatis: vt & tu merearis benedici ab Ieſu, &
accipere Hebron. Interpretatur autem Hebron con-
iunctio vel coniugium, per quod poteſt fortaſſe illud
oſtendi, quod ſpelunca duplex comparata ab Abraham
Patriarcha in ea eſt, in qua coniugia patrum, & reliquiæ
eorum iacent, id eſt, Abraham cum Sara, Iſaac cum Re-
E becca, Iacob cum Lia. Meruit ergo Caleb patrum re-
liquias in hæreditatem ſuſcipere, ſine dubio quia per ſa-
pientiam, quæ in eo erat, quæ vigebat & ſub Moyſe &
ſub Ieſu, intellexerat coniunctionis ipſius rationem, &
perſpexerat quid eſſet cauſæ quòd cum Abraham ſola
Sara iaceret, ibi neque Agar, neque Cethura ei meruiſſet
adiungi: vel quid eſſet cauſæ, quòd cum Iacob ſola Lia
iacere videretur, & neque Rachel (quæ amplius fuerat
dilecta) neque aliqua ex concubinis in ſepulchro ei fue-
rat copulata. Ipſam ergo in memorijs patrum hæredita-
tem capit prudens & ſapiens Caleb; ipſi Ieſus Enachita-
rum gentium metropolim tribuit Hebron, & efficitur ei
ſors vſque in hodiernum diem.

*Et iudices ſinguli ſuo nomine, quorum non eſt corruptum cor.
Qui non auerſi ſunt à Domino: vt ſit memoria illorum in benedi-
ctionem, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo. Et nomen ipſorum
permanet in æternum. Permanente ad filios illorum ſanctorum
virorum gloria.* Poſt Ieſum Naue quoque Iudices præ-
F fuerunt populo Dei, qui eos regebant & contra hoſtes
defendebant, ita & poſt Saluatoris noſtri paſſionem, re-
ſurrectionem, & aſcenſionem ad cœlos Apoſtoli, & A-
poſtolici viri rectores extiterunt Eccleſiæ Dei, qui eam
ſacris monitis erudiebant, & bonis meritis ſimul & ſan-
ctis orationibus contra ſpiritales nequitias, & contra v-
niuerſos hoſtes muniebant: aptéque dicitur, quod eo-
rum cor non ſit corruptum, neque auerſi eſſent à Domi-
no: quia in recta fide & vera religione perſeuerauerunt
vſque ad finem vitæ: vt memoria illorum perpetua be-
nedictione firmaretur, & robur bonorum operum æter-
na mercede donaretur. Ita vt memoria eorum nominis
ad poſteros ſuos cum gloria transferretur, ſapientiam e-
nim eorum narrabunt omnes populi, & laudem eorum
pronuntiat omnis Eccleſia ſanctorum.

CAPVT XII.

G *Dilectus à Domino Samuel propheta Domini, renouauit im-
perium, & vnxit principes in gente ſua, in lege Domini iu-
dicauit congregationem: & vidit Dominum Iacob, & in fide ſua
probatus eſt propheta, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis, quia vi-
dit Dominum lucis, & inuocauit Deum potentem, & in oppu-
gnando hoſtes circumſtantes vndique, in oblatione viri inuiolati,
& intonuit de cœlo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit
vocem ſuam, & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Phi-
liſtijm, & ante tempus finis vitæ ſuæ & ſeculi teſtimonium præ-
buit in conſpectu Domini & Chriſti, pecunias & vſque ad calcea-
menta ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo,
& poſt hoc dormiuit & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vi-
tæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impie-
tatem gentis.* Plana eſt hiſtoria, quæ narrat de Samuele, cui 1.Reg.3.
Dominus in infantia ſua cum dormiret in templo appa- per totū.
ruit, & de futuris inſtruxit, quod renouauerit Imperium,
cum regem ſuper Iſrael ipſe vnxerit. Primum videlicet
Saul, & deinde Dauid pugnans contra hoſtes populi Dei
obtulit holocauſtum Domino: vnde factum eſt, vt cum
ipſe offerret holocauſtum, Philiſtei inirent bellum con-
tra Iſrael. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa
ſuper Philiſtijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filijs Iſrael: iſte quip-*
H *pe per omnia fidelis inuentus, & ab omni auaritia alienus dormi-
uit in pace, & poſt mortem ſuam apparens Saul, caſum illi futu-
rum prædixit.* Myſticè autem ſanctorum Prophetarum
locutio verax per omnia & fidelis eſſe inuenitur, quæ re-
gnum Chriſti futurum prædixit, & oleo Spiritus ſancti
illum vngnendum præcinuit: ipſa etiam poſt comple-
tionem veteris teſtamenti & finem legis priſcæ, quam ſi-
gnificat mors Prophetæ: lex enim & Prophetæ vſque ad Matt. 11.
Ioannem: &, finis legis eſt Chriſtus. Nunc temporibus Rom. 10.
gratiæ manifeſtè prænuntiat in lectione ſua malis re-
ctoribus pœnam futuram, & mortem
ſuccedere perpetuam.

* * *

A

CAPVT XIII.

P*Oſt hoc ſurrexit Nathan Propheta in diebus Dauid, & quaſi adeps ſeparatus eſt à carne.* Iſte Nathan in Dauid regis temporibus in gente Iudæa dono prophetię inſignis claruit, qui ipſum Dauid ob præuaricationem, quia præuaricatus eſt in adulterio Bethſabee, & in nece Vriæ viri eius corripuit: hic etiam illi, quod non ædificaturus eſſet templum Domino prædixit, idem quoque Salomonem filium Dauid ſimul cum Sadoch ſacerdote ſacra vnctione in principem conſecrauit. Quod autem dicit eum ſeparatum eſſe à carne quaſi adipem, ſalutarem: oſtendit eum gratia Spiritus ſancti repletum à carnalium & peccatorum hominum conſortio, in moribus & vita ſequeſtratum eſſe & alienum.

2.Reg.12. 3.Reg.1.

CAPVT XIV.

B

S*Ic Dauid à filiis Iſrael cum leonibus luſit quaſi cum agnis ouium, & in vrſis ſimiliter fecit, ſicut cum agnis ouium. In iuuentute ſua nunquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gẽte? In tollendo manum in ſaxo fundæ deiecit exultationem Goliæ. Nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ. Sic in decem millibus glorificauit illum, & laudauit illum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ contriuit inimicos vndiq; & extirpauit Philiſtijm contrarios vſq; in hodiernũ diem, contriuit cornu ipſorum vſq; in æternum, in omni opere dedit confeſſionem ſancto, & excelſo in verbo gloriæ, de omni corde ſuo laudauit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam. Et ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit pſalmos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque ad conſummationem vitæ: vt laudarent nomen ſanctum Domini, & amplificarent mane Domini ſanctitatem. Chriſtus purgauit peccata ipſius. Exaltauit in æternum cornu ipſius, & dedit illi teſtamentum regum & ſedem gloriæ in Iſrael.* Scriptor iſtius libri ex latere tangit hiſtoriã Dauid, commemorans actus eius. De quo & liber Regum & Paralipomenon pleniſſimè narrant; quod autem ipſe Dauid rex noſtrum regem Chriſtum manu fortem & deſiderabilem myſticè ſignificet, penè omnibus qui ſcripturas ſacras legunt notum eſt, qui leonem diabolum, & vrſum antichriſtum contriuit, gigantemq; ſuperbiſſimum, hoc eſt, ſatanan in funda ac lapide ſtrauit: quia ſpiritali ſenſu ſcripturarũ, per ſcientiam legis Dei potentiam hoſtis antiqui in cultoribus idolorum, & aſſertoribus peruerſorum dogmatum vicit atq; deiecit: ſicq; populũ Dei à timore hoſtium, malignorum videlicet ſpirituum liberauit; cui victori ab hoſtium cæde redeunti mulieres, hoc eſt, animæ fidelium triumphi laudem decantant, & decem millium victorem prædicant, quia ille omnes hoſtes tam ſpiritales quam etiam corporales perfectè ſuperauit, atque proſtrauit: iſti ergo numeri per denarios perfecti ſunt, & perfectam Chriſti vbiq; victoriam demonſtrant. Deniq; Dauid noſter oleo lætitiæ præ participibus ſuis in regem vnctus, vniuerſos hoſtes Eccleſiæ contriuit atque extirpauit: in ſe nimirum (iuxta typum quem Dauid hiſtoricus præferebat) Eccleſiaſticum miniſterium in domo Dei, quod eſt ſancta Eccleſia ordinat, & officia ſingulorum ſuo arbitrio ad laudandum Deum diſponit atque diſpenſat. Vt in omni loco dominationis eius creatura cœleſtis atq; terreſtris benedicat Dominum in omni tempore, eiuſq; laudem ſemper in ore decantet. Apte autem dicitur quod Chriſtus purgaret peccata Dauid, & exaltaret in æternum cornu ipſius: quia iuxta Petri ſententiam, *non eſt aliud nomen ſuper terram datum hominibus, in quo oporteat ſaluari.* In hoc ergo nomine pœnitentia prædicatur, & remiſſio peccatorum in omnes gentes: ipſum autem propter obedientiam crucis Deus pater *exaltauit, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

C D Actu.4. Philip.2.

CAPVT XV.

E

P*Oſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus, & propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum. Salomon imperauit in diebus pacis, cui ſubiecit Dominus omnes hoſtes, vt conderet domum in nomine ſuo, & pararet ſanctitatem in ſempiternum, quemadmodũ eruditus eſt in iuuentute ſua. Et impletus eſt quaſi flumen ſapientia, & terram retexit anima ſua. Et repleſti in comparationibus ænigmata, ad inſulas longè diuulgatum eſt nomen tuum. Et dilectus es in pace tua, in cantilenis & prouerbiis, & comparationibus & interpretationibus miratæ ſunt terræ. Et in nomine Domini Dei, cui eſt cognomen Deus Iſrael collegiſti quaſi aurichalcum aurum, & vt plumbum compleſti argentum, & reclinaſti femora tua mulieribus. Poteſtatem habuiſti in tuo corpore, & dediſti maculam in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris ſtultitiam tuam, vt faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum. Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam, & non corrumpet neque delebit opera ſua: quia non perdet à ſtirpe nepotes electi ſui, & ſemen eius qui diligit Dominum non corrumpet. Dedit autem reliquum Iacob & Dauid de ipſa ſtirpe.* Sanè non ignota eſt hiſtoria, quæ narrat de Salomone filio Dauid, quomodo ei Deus, per viſionem apparens conceſſit, vt peteret ab eo quod vellet, qui cũ cor docibile ſibi dari poſtulaſſet, vt diſcernere poſſet inter bonum & malum, ac iuſto iudicio populum Dei iudicare: placuit ſermo coram Domino, & dedit illi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante ſe ei ſimilis fuerit, nec poſtea ſurrecturus ſit. Inſuper quoque dedit illi diuitias & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis ei in regibus cunctis retro diebus, deditque illi pacem vndique ab hoſtibus ſuis. Vnde diuulgatum eſt nomen eius ad inſulas longè, & dilectus eſt in pace ſua: quia ædificauit templum Domino mirifico opere, & cantores conſtituit, cantilenaſque diſpoſuit, ita vt prouerbia ſapienter ederet, & comparationes & interpretationes conderet. De quo ſcriptura ita narrat: *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia, & diſputauit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſopum quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus: & veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis regibus terræ qui audiebant ſapientiam eius.* ſed quia poſtea çum iam ſenex eſſet, deprauatum eſt per mulieres cor eius, vt ſequeretur deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut fuerat cor Dauid patris eius. Iratus Dominus diſrumpens ſcidit regnum illius, & filijs ſuis tulit poteſtatem, vt non dominarentur ſuper totum Iſrael, ſed tantum ſuper duas tribus, hoc eſt, Iuda & Beniamin. Myſticè idem Salomon, qui interpretatur pacificus, in nomine & in pluribus operibus ſuis ſignificat regem noſtrum pacificum, de quo Propheta ait: *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec extollatur luna.* De quo alius Propheta dicit: *multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis ſuper ſolium Dauid & ſuper regnum eius, vt confirmet illud in iudicio & iuſtitia amodo & vſque in ſempiternum.* Hic templum Deo ædificauit, hoc eſt Eccleſiam Catholicam, quæ de viuis lapidibus conſtructa eſt: vbi laus eius & gloria, nunc & ſemper, & in æterna permanet ſæcula. Cui Deus diuitias omnium gentium dedit, quia illi poteſtatem cœli terræque contulit, & magnificauit illum ſuper omnes reges terræ diuitijs & ſapientia: & vniuerſa terra deſiderabat videre vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius: & ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes & arma bellica: quoniam ſuper celſitudinem ſanctorum, qui verè reges dicuntur, exaltatur, & nullus ei coæquari poteſt: quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei? *Deus qui glorificatur in conſilio ſanctorum, magnus & metuendus ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.* & item: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.* Vnde & Ioannes dicit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre: plenum gratia & veritate.* Et vniuerſa terra deſide-

F 3.Reg.3. 3.Reg.4. G Pſal.71. Eſa.9. H Pſal.146 Ioan.1.

A rat videre vultum regis noſtri, quia vniuerſa Eccleſia ſanctorum hoc ſolummodo appetit, vt ad conſpectum gloriæ eius perueniat. Cui per Prophetam dicitur: *Tibi dixit cor meũ, quæſiui vultum tuum, vultũ tuum Domine requiram.* (Pſal. 26.) & alibi: *ſicut ceruus*, inquit, *deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* (Pſal. 41.) Et ſinguli deferunt ei munera, dum vnuſquiſque ſecundum id, quod vires ſibi ſuppetunt, in verbo ſeu factis obſequium ſtuder præſtare Deo. Iam potiò de cæteris operibus Salomonis quid dicam? quem vehementer arguit ſancta ſcriptura, atque condemnat: nihilque de pœnitentia eius vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat, apparet enim in perſona Salomonis mira excellentia, & mira ſubmerſio. Quod igitur in illo diuerſis temporibus extitit, prius bonum, & poſterius malum: hoc in Eccleſia in iſto adhuc ſæculo ſimul vno tempore oſtenditur. Nam per bona illius, bonos Eccleſiæ: per mala autem illius, malos Eccleſiæ ſignificari puto, tanquam in vnitate vnius areæ: ſicut in illo vno homine bonos in granis, B malos in paleis: aut in vnitate vnius ſegetis, bonos in tritico, malos in zizanijs expreſſos eſſe ſcimus.

CAPVT XVI.

Finem habuit Salomon cum patribus ſuis, & reliquit poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam. Et imminutum à prudentia Roboam, qui auertit gentem conſilio ſuo. Huius loci ſenſum ediſſerit hiſtoria regum, (3. Reg. 12.) quæ narrat quod Roboam filius Salomonis relicto vtili ſeniorum conſilio, conſilium init cum pueris coæuis ſuis, & per durum reſponſum quo reſpondit populo, dicens: *Pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus: irritatus populus reliquit domum Dauid, & elegit Ieroboam filium Nabath.* Omnis videlicet Iſrael exceptis duabus tribubus, hoc eſt, Iuda & Beniamin, decem autem tribus fuerunt ſub Hieroboam. De quo ſubiungitur.

Et Ieroboam filium Nabath qui fecit peccare Iſrael, & dedit Ephraim viam peccandi. Et plurima redundauerunt peccata C ipſorum, valde enim auerterunt illos de terra ſua, & quæſiuit omnes nequitias vſque dum perueniret ad illos defenſio. Et ab omnibus peccatis liberauit eos. Et Ieroboam, inquit, *filium Nabath*, ſubauditur, reliquit poſt ſe, *qui peccare fecit Iſrael* in idolorum cultura, quia reueritus quòd populus Dei, ſi aſcenderet in Hieruſalem offerre ſacrificia in domo Domini, reuerteretur ad domum Dauid: excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: *Nolite vltra aſcendere Hieruſalem. Ecce dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti, poſuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum eſt verbum hoc in peccatum, ibat enim populus ad adorandum vitulum vſque in Dan, & fecit fana in excelſis, & ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Conſtituitque diem ſolennem in menſe octauo, quintadecima die menſis, in ſimilitudinem ſolennitatis quæ celebratur in Iuda, & erexit altare ſimiliter in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus erat. Conſtituitque in Bethel D ſacerdotes excelſorum quæ fecerat, & aſcendit ſuper altare quod exſtruxerat in Bethel quintadecima die menſis octaui, quem finxerat de corde ſuo, & fecit ſolennitatem filijs Iſrael.* Huius ergo ſcelus inuentionis tam diu perſeuerauit in populo decem tribuum, quouſque Dominus in eos tranſmiſit vindictam, & aſportari fecit in Aſſyrios. Quod autem dicit: *vſque dum perueniret ad illos defenſio, & ab omnibus peccatis liberauit eos.* hoc non aliam reor ſignificare defenſionem & liberationem, quam Saluatoris noſtri aduentum: qui ad ſe, fideliter conuerſos & baptiſmate ſuo ablutos ab omnibus peccatis liberat, & ab hoſtibus vniuerſis defendit. Vnde ſcriptum eſt: (Ioan. 1.) *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Denique Roboam filius Salomonis, qui vtili ſeniorum conſilio relicto adoleſcentium conſilium ſecutus eſt, licet de domo Dauid fuerit, tamen in via eius non grediebatur: fecit enim Iudas (ſcriptura teE ſte) in illius diebus malum coram Domino, & irritauerunt eum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis quæ peccauerant; ædificauerunt autem & ipſi ſibi aras, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam: ſed & effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Iſrael. Significat ergo malos rectores in Eccleſia, qui terrenis cupiditatibus dediti, negligunt curam habere ſubditorum, & delectantes in multitudine ſibi obſequentium, nec tamen condignam habent ſollicitudinem ſibi commiſſorum. Interpretatur autem Roboam latitudo populi: & benè latitudo populi nominari poſſunt, qui latam & ſpatioſam viam gradientes, per quam multi vadunt ad mortem: anguſtam viam, quæ paucorum eſt, & ad æternam vitam ducit, ingredi detrectant; relictoque ſanctorum patrum conſilio, quorum dicta & F exempla ad celſitudinem tendunt perfectionis, eligunt iuuenum obtemperare præceptis, hoc eſt, eorum qui iuuenilibus deſiderijs mancipati, laudibus iniquis & adulationibus eos grauant, & fit in eis quod per Prophetam dicitur: *qualis populus, talis eſt & ſacerdos.* (Eſa. 24.) Omnes enim à minimo vſque ad maximum auaritiæ ſtudent, & cæci cæcis ducatum præbentes in foueam perditionis pariter cadunt: quibus comminatur ſapientia Dei, dicens: *Væ tibi terra cuius rex eſt puer, & cuius principes manè comedunt*: (Eccleſ. 10) & econtrario de ſanctorum populo & rege eorum Chriſto laudando ſubſequitur, dicens: *Beata terra cuius eſt rex nobilis, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo: quia omnia quæcunque fecerit proſperabuntur.* (Ibid.) Hieroboam verò qui decem tribus à domo Dauid & à templo Dei ſeparans ad idololatriam perduxit, ſignificat hæreticos, qui diſſenſionem amant, & vnitatem fidei Catholicæ hæreſibus ſcindunt, ac ſi cultui malignorum ſpirituum ſibi obſequentes tradunt. Interpretatur autem Ieroboam dijudicans populum. Nam & hæretici dijudicare populum videntur, cum erroris ſui ſequacem faciunt: cui rei benè conueniunt verba Prophetæ Achaiæ Salonitis, qui miſſus eſt ad Ieroboam ita dicens: *Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum Salomonis, & dabo tibi decẽ tribus.* (3. Reg. 11.) G porrò vna tribus remanebit ei propter ſeruum meum Dauid & Hieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael. Decem enim ſciſſuras Ieroboam accepit, cum legis præcepta violando corrupit: & vna tribus cum ſobole Dauid remanſit, dum ſors ſanctorum iuxta Apoſtolicam doctrinam in regula fidei Catholicæ permanſit: quia vnus eſt Dominus, vna fides, vnum & baptiſma. (Epheſ. 4.)

CAPVT XVII.

Et ſurrexit Helias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi fax ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum inuidia tabefacti ſunt. Non poterant enim ſuſtinere præcepta Dei, verbo Domini exaltauit cœlum, & deiecit de cœlo ignem ter. Sic amplificatus eſt Helias in mirabilibus ſuis, & quis poteſt ſimiliter gloriari tibi? qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis, de ſorte mortis in verbo Domini Dei. Qui deieciſti reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo, qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defenſionis. Qui vngis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis ſucceſſores poſt te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob. Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt, nam nos vita viuimus tantum, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum. (Cap. 48.) Narrat hiſtoria regum de Heliæ Prophetæ geſtis mirabilibus, H qualiter duos quinquagenarios ab Ochozia rege ad ſe miſſos, miſſo igne de cœlo conflagrare fecerit, & qualiter ipſi regi in lecto ægrotanti denuntiauerit, quòd è lecto ſuo ſanus non deſcenderet, ſed morte moreretur; eo quòd conſuluerit Beelzebub Deum Accaron de ſalute ſua, & non Dominum Deum Iſrael, narrat etiam qualiter clauſerit cœlum annis tribus & menſibus ſex, vt non plueret ſuper terram, & quomodo ſacerdotes Baal iuſ-

A ſerit occidere, qualiterque Achab impiiſſimo regi interitum ſuum prædixerit, qui in monte Choreb cum Deo locutus eſt & viſiones vidit. Hic duos reges in vltionem prauorum vnxit. Hazael quoque ſuper Syriam & Iehu filium. Nam ſi ſuper Iſrael, nec non & Heliſeum filium Saphath ordinauit poſt ſe Prophetam Domino. Poſt hæc autem curru igneo receptus eſt in cœlum venturus ante diem iudicij in terram iuxta Malachiæ prophetiam, vt conuertat corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum, ne fortè veniat Dominus & percutiat terram anathemate. Myſticè autem Helias in eo, quòd apud Sarepthanam viduam tempore ſiccitatis alebatur, ſignificat mundo, qui in maligno poſitus eſt, arido & ſterili permanente, in Eccleſia Catholica piè receptos & tractatos fideles ipſam benigniſſimam matrem paſcere dono ſcientiæ & ſapientiæ. In cuius nunc vaſis oleum gratiæ, & benedictionis farina redundat, in omnibus ferè gentibus fame manente, quarum eſuriem in verbo Dei & fidei Trinitatis inediam congruè præfigurauit illa quondam triennio fames; in hoc autem B quòd ſuſcitauit filium matris familiæ, expandens ſe tribus vicibus ſuper puerum, typum gerit Saluatoris, qui per fidem ſanctæ Trinitatis ſuccurrit mundo, & ſuſcitauit illum à peccati morte, & eripuit de futuræ perditionis damno. Nam quòd mittit rex impius duos quinquagenarios cum ſubditis ſibi militibus, vt exhibeant Heliam, qui diuino igne conſumpti ſunt, tertius autem miſſus ſaluatur, hoc myſterium habet: quinquagenarius namque numerus confeſſio pœnitentiæ eſt, quo declaratur remiſſio peccatorum. Iudæi ergo nolentes Chriſtum Deum eſſe perfectum, nec principem pœnitentiæ, dicunt ad eum: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham noſti?* in futuro diuini ignis incendio extinguuntur. Tertius autem quinquagenarius, quia conuerſus ad fidem Trinitatis pœnitentiæ ſacramenta cognouit, indulgentiam meruit. Quòd autem iuſſu Dei reges vnxit & Prophetam Heliſæum in vltionem inimicorum

3. Reg. 19. dicente ad eum ipſo Domino: *& erit quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicunque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Heliſæus*, & reliqua. Hoc non ita acci-

C piendum eſt, quòd Propheta Dei Heliſæus homicida futurus ſit & tyrannus, ſed magis ſpiritaliter intelligendum: quia iuſtitia diuina quæ ſingulis reddit ſecundum opera ſua, punit peccatum hominum aliquando manifeſta vltione, aliquando occulto iudicio vindicat per reges & duces; vindicat per Prophetas & Sacerdotes, cum alios nocentes facit plecti mucrone, alios tranſuerberat gladio linguæ. Vnde Dauid & Salomon & cæteri reges pœnam à reis exigebant, cum eos trucidare iubebãt. & item alibi ſcriptum eſt de ſuperborum & inobedientium pœna: *Dolaui eos*, inquit, *in Prophetis, occidi eos in verbis*

Oſee 6. *oris mei*. ſubleuatus namque Helias, aſcenſionem dominicam ſignificat: ille enim mortem diſtulit, non euaſit; redemptor autem noſter, quia non diſtulit, ſuperauit, eamq; reſurgendo conſumpſit, & reſurrectionis ſuæ gloriam aſcendendo declarauit. Notandum quoque eſt, quòd Helias in curru legitur aſcendiſſe, vt videlicet apertè monſtraretur, quia homo purus adiutorio egebat alieno: per Angelos quippe illa facta & oſtenſa ſunt ad-

D iumenta, quia nec ad cœlum quidem aereum per ſe aſcendere poterat, quem naturæ ſuæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noſter non curru, non ab angelis ſubleuatus legitur: quia is qui fecerat omnia, nimirum ſuper omnia ſua virtute ferebatur: illuc enim reuertebatur, vbi erat; & inde redibat, vbi remanebat: quia cum per humanitatem aſcenderet in cœlum, per diuinitatem & terram pariter continebat & cœlum. Sicut autem Ioſeph à fratribus venditus venditionem redemptoris noſtri figurauit, ſic Enoch tranſlatus, atque ad cœlum aereum Helias ſubleuatus, aſcenſionem Dominicam deſignauerunt. Aſcenſionis ſuæ Dominus prænuntios & teſtes habuit: vnum ante legem, alium ſub lege: vt quandoque veniret ipſe, qui veraciter cœlos penetrare potuiſſet, vnde & ipſe ordo in eorum quoque vtraque ſubleuatione per quædam incrementa diſtinguitur. Nam E-

E noch tranſlatus, Helias verò ad cœlum ſubuectus eſſe memoratur, vt veniret poſtmodum qui nec tranſlatus nec ſubuectus, cœlum æthereum ſua virtute penetraret: qui nobis in ſe credentibus carnis quoque munditiam largiretur, & ſub eo per incrementa temporum virtus caſtitatis excreſceret. In ipſa quoque eorum tranſlatione, qui aſcenſionem dominicam vt videlicet famuli deſignauerunt, & in ipſo ſe, qui ad cœlum aſcendit, Dominus oſtendit. Nam Enoch quidem vxorem & filios habuit, Helias verò neque vxorem neque filios legitur habuiſſe. Penſare ergo quomodo per incrementa creuerit munditia caſtitatis: quod & per tranſlatos famulos, & per aſcendentis Domini perſonam patenter oſtenditur: tranſlatus namque eſt Enoch. per coitum genitus & per coitum generans: raptus eſt Helias, per coitum genitus, ſed non etiam per coitum generans: aſſumptus eſt verò Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus.

F

CAPVT XVIII.

HElias quidem in turbine tectus eſt, *& in Heliſæo completus eſt ſpiritus eius; & in diebus ſuis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum, nec ſuperauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. In omnibus iſtis non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis, vſque dum eiecti ſunt de terra ſua. Et diſperſi ſunt in omnem terram, & relicta eſt gens perpauca, & princeps in domo Dauid. Quidam ipſorum fecerunt quod placeret Deo, alij autem multa commiſerunt peccata.* Cum autem Helias Dei voluntate de terra ad cœlum ſubleuandus eſſet, Heliſæus diſcipulus eius rogauit eum, vt duplex ſpiritus eius fieret in eo, quod etiam Deo donante promeruit. Vnde in potentia & virtute hoſtibus inſuperabilis fuit, qui in vita ſua & in morte monſtra ſignorum & mirabilia opera fecit, quod autem dicit mortuum corpus eius prophetaſſe, oſtendit quòd myſticum opus fuit reſuſcitatio cadaueris, quod

G proiectum fuit in ſepulchro Heliſæi, vt regum Hiſtoria

4. Reg. 13. narrat: ſed populus Iſrael tali virtute ſignorum non fuit commotus ad pœnitentiam, nec receſſerunt à peccatis ſuis, vſque dum eiecti ſunt de terra ſua, & deducti in captiuitatem. Quod autem dicit, relicta eſt gens perpauca, & princeps in domo Dauid: quidam ipſorum fecerunt quod placeret Deo, alij autem multa commiſerunt peccata: oſtendit quòd ſtirps domus Dauid & tribus Iuda atque Beniamin non penitus abiecerunt culturam Dei & templum eius, ſicut fecerunt decem tribus, qui fuerunt in Samaria, ſed alij eorum fuerunt idololatræ, vt Ioram, Achaz & Manaſſes, Ioachim & Sedechias: alij autem adhæſerunt Deo ſuo, ſicut fecit Ioſaphath, Ezechias & Ioſias. Similiter autem & horum ſubditi diuersè ſentiebant; alij autem eorum recta incedebant via, alij autem errore claudicabant. Vnde factum eſt nouiſſimè, vt multis iam à veritate deuiantibus, vltio captiuitatis immitteretur: vt, qui ſimulachra coluerunt in terra ſua, ipſi etiam idola colerent in terra aliena. Quæritur autem quomodo Heliſæus, cum ſuus magiſter Helias locum poſtulandi ei offerret, duplicem ſpiritum Heliæ poſtulauerit, cum Dominus dicat in Euangelio, *non*

Matt. 10. *eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius, cuius petitionis myſterium ſi

H conſideretur, non importuna ſed neceſſaria poſtulatio decernitur. Dixit ergo Helias ad Heliſæum: *poſtula*

4. Reg. 2. *quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Heliſæus: obſecro vt fiat ſpiritus tuus duplex in me; qui reſpondit, rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me quando tollar à te, erit quod petiſti; ſi autem non videris, non erit.* Quem enim hoc loco ſignificat Helias, niſi caput noſtrum, Dominum ſcilicet redemptorem: & quem Heliſæus, niſi corpus eius quod eſt Eccleſia? Dat locum poſtulandi Helias noſter, cum in Euangelio dicit: *petite & dabitur vobis.* & i-

Matth. 7. Ioan. 16. tem; *petite*, inquit, *& accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Hac ergo fiducia accepta à Domino poſtulat Heliſæus, hoc eſt, populus Chriſtianus vt fiat ſpiritus Chriſti du-

plex in

A plex in eis, hoc eſt, duplex gratia Spiritus ſancti, in re-
miſſionem vtique peccatorum, & collatione virtutum.
Redemptor igitur noſter, qui non habuit peccatum ne-
que peccatum fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius,
remiſſione peccatorum non eguit, qui peccatum nullum
habuit, opera autem virtutum in Spiritu ſancto fecit, ſic-
Luc. 11. ut ipſe in Euangelio dicit Iudæis: *ſi ego in digito Dei eycio
dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Inſeparabilia
ſunt igitur opera ſanctæ Trinitatis, id eſt, Patris & Filij
Ioan. 5. & Spiritus ſancti, Veritate atteſtante, quæ ait: *quia quæ
1. Cor. 9. pater facit, hæc eadem & filius ſimiliter facit.* Et Apoſtolus:
hæc, inquit, *omnia operatur vnus atque idem ſpiritus: diuidens
ſingulis prout vult.* Benè quidem poſtulat Eccleſia, vt
ſpiritum duplicem accipiat Chriſti, quia & remiſſione
peccatorum indiget, qua non eguit Chriſtus, & munere
virtutum, quas ex plenitudine ſua per Spiritum ſanctum
Epheſ. 4. tribuit Chriſtus: qui aſcendens in altum *captiuam duxit
captiuitatem, dedit dona hominibus*, illis videlicet homini-
bus, qui ſpem ſuam firmiter in illum ponunt. Hinc
4. Reg. 2. eſt quod Helias dicit ad Heliſæum: *ſi videris me quando
B *tollar à te, erit quod petiſti: ſi autem non videris, non erit*; quia
niſi quis rectæ fidei oculos in illum ponat, & credat fi-
deliter paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem eius
ad patrem, petitionis ſuæ fructum non capiet. *Mortuus
4. Reg. 13 eſt ergo Heliſæus, & ſepelierunt eum: latrunculi quoque de Moab
venerunt in terram ipſo anno: quidam autem ſepelientes hominem
videntes latrunculos, proiecerunt cadauer in ſepulchro Heliſæi,
quod ambulauit, & tetigit oſſa Heliſæi, & reuixit homo, & ſtetit
ſuper pedes ſuos.* Quid ſignificat hæc reſuſcitatio cada-
ueris mortui per contactum oſſium Heliſæi, niſi vitam
fidelium, quæ in morte Chriſti veraciter conſtat, qui-
cunque ergo firma fide tangit mortem Chriſti, & ſpem
ſuam veraciter in ipſo collocat, ſine dubio particeps e-
Ioan. 11. rit reſurrectionis eius. Dicit enim ipſa Veritas: *Ego ſum
reſurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum.* Et
Ioan. 3. alibi: *ſicut Moyſes* (inquit) *exaltauit ſerpentem in deſerto, ita ex-
altari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum, non
pereat, ſed habeat vitam æternam.*

CAPVT XIX.

C *EZechias muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medium i-
pſius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam
puteum. In diebus ipſius aſcendit Sennacherib, & miſit Rapſacen
& ſuſtulit manum ſuam contra illos, & extulit manum ſuam in
Sion, & ſuperbus factus eſt potentia ſua. Tunc mota ſunt corda
& manus ipſorum, & doluerunt quaſi parturientes mulieres &
inuocauerunt Dominum miſericordem. Et expandentes manus
extulerunt in cœlum, & ſanctus Dominus Deus audiuit cito vo-
cem ipſorum, non eſt commemoratus peccatorum illorum, neque
dedit illos inimicis ſuis, ſed purgauit illos in manu Eſaiæ ſancti
Prophetæ: Deiecit caſtra Aſſyriorum & contriuit illos Angelus
Domini.* Hiſtoria Ezechiæ in libris Regum & Parali-
1. Reg. 16. pomenon pleniter expreſſa eſt, vbi narratur quod ædi-
18. 19. 20 cauerit agens induſtriè omnem murum, qui fuerat diſſi-
& 2. Pa- patus, & extruxerit turres deſuper, & forinſecus alterum
ralip. 32. murum, inſtaurauerit que Mello in ciuitate Dauid & fe-
& 33. cerit vniuerſi generis armaturam & clypeos, conſtitue-
ritque principes bellatorum. Vbi etiam non ſilentio
prætéritur, quòd induxerit aquam in ciuitatem, obdu-
rauerit que fontes & riuum qui fluebat in medio terræ,
D hoc eſt, quod hic dicitur: *fodit ferro rupem, & ædificauit ad
Eſa. 26. aquas puteum*: myſticè autem vrbem ſanctam, de qua ſcri-
Pſal. 45. ptum eſt: *Vrbs fortitudinis noſtræ Saluator, quæ in monte ſita
Pſal. 86. latere non poteſt.* De quo & in alio loco ſcriptum eſt: *flu-
minis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et rurſum: *glorioſa
dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Hic condit & munit. De quo
Eſa. 46. loquitur pater, iſte ædificauit ciuitatem meam, & ipſe o-
mnem murum ſanæ fidei ac veræ religionis, qui fuerat
malitia paganorum ſiue hæreticorum in aliquibus diſſi-
patus, reſtaurat & exſtruit turres virtutum, ponit & fo-
rinſecus alterum murum, hoc eſt antemurale, quod in
ædificatione caſtrorum ſolent luticulas appellare, cum
bonorum operum tenere docet efficaciam: non enim
ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operi-
bus confirmetur. Hic murus & hoc antemurale de vi- E
uis lapidibus extruitur, qui iuxta Prophetam voluuntur
ſuper terram. Idem rex fecit vniuerſi generis armatu-
ram & clypeos, cum ſanctarum ſcripturarum diuerſa
condit teſtimonia, & doctrinam Euangelicam ad muni-
mentum Eccleſiæ ſuæ componit, ordinatque Doctores
qui principes ſpiritalium bellatorum ſint, & vniuerſam
militiam rectè ac rationabiliter agant, caſtraque Eccleſiæ
contra hoſtes vniuerſos opportunè defendant. Quòd
Ezechias infeſtantibus bello Aſſyrijs terram Iudæorum
& contra Hieruſalem pugnantibus iuſſit fontes obtura-
re, ac riuum, qui fluebat in medio terræ, ne venientes re-
ges Aſſyriorum inuenirent aquarum abundantiam: Si-
gnificat quòd contra paganos atque hæreticos repugnã-
tes ac blaſphemantes diligentia atque cautela adhiben-
da eſt, & diuinorum ſacramentorum coram eis ſunt ve-
landa myſteria. Nec impudenter verbum Dei blaſphe-
mis ingerendum, qui neſciunt doctrinam ſanctam pijs
moribus honorare, ſed magis ſtudent ore venenato lace-
rare. Quòd autem dicitur Sennacherib rex Aſſyrio- F
rum miſiſſe manum validam ad Hieruſalem per Rapſa-
cen blaſphemum, vt euerteret eam, orante que Ezechia
atque Eſaia cum cætero populo, Dominus liberauerit
ciuitatem ſimul & plebem extinctis hoſtibus ſuis, oſten-
dunt verba dierum, vbi ita legitur: *orauerunt igitur Eze-
chias rex & Eſaias filius Amos Prophetes aduerſum hanc blaſphe-
miam, ac vociferati ſunt vſque in cœlum, & miſit Dominus An-* 2. Para.
gelum, qui percuſſit omnem virum robuſtum & bellatorem & 32.
*principem exercitus regis Aſſyriorum, reuerſuſque eſt cum igno-
minia in terram ſuam.* Egreſſus eſt autem *Angelus Domini, &
percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum & octoginta quinque milia,
& ſurrexerunt mane, & ecce omnia cadauera mortuorum,
& egreſſus eſt, & abiit: & reuerſus eſt Sennacherib rex Aſſyrio-
rum, & habitauit in Niniue.* & factum eſt *cum adoraret in
templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij eius
percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Ararath: & re-
gnauit Aſaraddon filius eius pro eo.* Centum octoginta quin-
que milia fortiſſimorum virorum ab vno Angelo vna
nocte cæduntur, & abſque vulneribus occiſorum mors
ſæua diſcurrit, excludens corporibus animas Domini G
voluntate, ſoluſque rex eo tempore idcirco reſeruatus
eſt, vt ſciret potentiam Dei, & blaſphemantia ora com-
primeret, fieretque teſtis illius maieſtatis quam paulo
ante contempſerat. Sic Pharao quoque in decem Aegy-
pti ſeruatur plagis, vt nouiſſimus pereat, quod & iſte
paſſurus eſt: cum enim reuerſus eſſet in Niniuen vrbem
primam regni ſui, & adoraret in templo Neſroch Deum
ſuum quaſi victoriam de hoſtibus reportaret, & delu-
brum idoli ſui triumphans & gratulabundus incederet,
contemptor veri Dei, in fano talis numinis trucidatur;
nec Angeli perit gladio, quod erat commune cum pluri-
bus, ſed parricidio filiorum.

CAPVT XX.

*NAm fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iniit in via
patris ſui Dauid, quam mandauit illi Eſaias Propheta ma-
gnus & fidelis in conſpectu Dei. In diebus eius retro rediit ſol, &
addidit regi vitam. Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus
eſt lugentes in Sion vſque in ſempiternum & oſtendit futura &
abſcondita antequam venirent.* Qualiter autem Ezechias H
per bona opera placuerit Deo, & quomodo per Eſaiam 4. Reg.
Prophetam ab ægritudine ſua ſanatus ſit, illoque peten- 20
te ſignum, ſolis curſus pro hoc mutatus ſit, ita vt de- 2. Par. 32
cem lineis retro rediret, libri Regum, & Paralipome- Eſa. 38
non, necnon & Eſaiæ volumen ſatis declarant. Hic er-
go Eſaias ſpiritu prophetico futura & abſcondita myſte-
ria de aduentu Chriſti, & de redemptione generis hu-
mani, de Eccleſiæ quoque ſtatu, & de iudicio Dei futuro
copioſiſſime in libro ſuo diſſeruit. De quo aliquid hic
exempli gratia ponere ſuperfluum eſt, cum pene
totus liber (quantum ad ſpiritalem ſenſum
pertinet) in his vertitur.

A

CAPVT XXI.

MEmoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facti opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcabitur memoria, & vt muſica in conuiuio vini. Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit ab hominibus impietates. Et gubernauit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem. Bene comparat memoriam Ioſiæ regis odori operis pigmentarii, & mellis dulcedini, & organo muſicæ: quia fama virtutis eius, & ſuauitas modeſtiæ, & ſtudium quod habebat in reſtaurando cultum Dei, omnem odorem pigmentorum, & dulcedinem mellis, necnon & cantilenam muſicæ artis ſuperat; qui bene cū Da-
Pſal. 118. uid dicere poterat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine, ſuper mel & fauum ori meo. Ideo dilexi mandata tua, ſuper aurum & topazion. propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. De quo ſcriptura narrat, quod cum adhuc eſſet puer, cœ-
4. Reg. 22. perit quærere dominum patris ſui Dauid, & mundauerit
2. Par. 34. Iudam & Hieruſalem ab excelſis, & lucis, ſimulachriſ-
4. Reg. 23. que, & ſculptilibus: deſtruxeritque aras & ſimulachra,
B lucos & ſculptilia ſucciderit. Oſſaque ſacerdotum combuſſerit in altaribus idolorum, mundaueritque Iudam & Hieruſalem; ſed & in vrbibus Manaſſe & Effraim & Simeon vſque Nephtalim cuncta ſubuerterit. Secundum allegoriam autem Ioſias iſte typum tenet domini ſaluatoris: qui ſalus & fortitudo domini merito dicitur, quia
Pſal. 23. ipſe eſt de quo ſcriptura dicit: Dominus fortis, dominus
Matth. 1. potens in prælio. & alibi: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum: ipſe quidem Zelo dei mundat terram Iuda & Hieruſalem ab omnibus immūditiis & abominationibus, qui per prophetam dixit: Zelus domus tuæ comedit me. de quo & Ioannes dicit:
Pſal. 68. Cuius ventilabrum in manu ſua, & purgabit aream ſuam
Matth. 3. De quo & Malachias dicit: Ecce venit, dicit dominus ex-
Luc. 3. ercituum. quis poterit cogitare diem aduentus eius, &
Malac. 3. quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & conflabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum: & erunt domi-
C no offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebit deo ſacrificium Iuda & Ieruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. & accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris & periuris. & qui calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit dominus exercituum. quod autem in laudibus Ioſiæ adhuc ſubditur.

Præter Dauid, & Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum commiſerunt; nam reliquerunt legem altiſſimi reges Iuda. Inſinuat hos tres reges maxime Deo placuiſſe ob deuotionem cordis & cultum pietatis quem habuerunt in obſequio Dei. Qui licet in aliquo crimine capti ſint & reprehenſibiles inuenti, tamen per condignam pœnitentiam deleuerunt quod inique geſſerunt, vnde & perfectam indulgentiam meruerunt. fuerunt etiam & alii reges in Iuda, quorum pietatis opera commemorantur, ſed non ita perfecta ſicut horum trium. maxima autem pars regum
D Iuda ſicut & reges Iſrael declinauerat ad opera impietatis, & ſcelera peccatorum. Vnde & meritam vindictam perceperunt, ſicut conſequenter oſtenditur.

CAPVT XXII.

REges Iuda defecerunt, & contempſerunt timorem dei. dederunt enim regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienæ genti. Incenderunt electam ſanctitatis ciuitatem, & deſertas fecerunt vias ipſius in manu Hieremiæ, nam male tractauerunt illum qui à ventre matris conſecratus eſt propheta. Euertere & eruere, & perdere, & iterum ædificare & renouare. Quid eſt quod dicit, in manu Hieremiæ gentes incendere ciuitatem electam ſanctitatis, & deſertas facere vias illius, niſi quod in ſcriptis Hieremiæ & ſermonibus eius, patefacta eſt vaſtatio futura Hieruſalem & filiarum eius? fuit enim

E idem propheta (ſicut ipſe teſtatur) temporibus Ioſiæ, Hiere. 1.
Ioachim, Iechoniæ, & Sedechiæ regum Iuda: ſemper populum à peccatis compeſcens, & ad conuerſionem atque bona opera prouocans: ſed ipſi malè tractauerunt illum, qui à ventre matris conſecratus eſt propheta, euertere & eruere & perdere, & iterum ædificare & renouare. Ita enim in eodem propheta ſcriptum eſt, Ibid.
dicente ad eum Domino: Ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Conſiderandum quòd quatuor triſtibus duo læta ſuccedant. Neque poterant ædificari bona, niſi deſtructa eſſent mala: nec plantari optima, niſi eradicarentur peſſima. Omnis enim Matt. 15.
plantatio quam non plantauit cæleſtis pater, eradicabitur. Et Matth. 7.
ædificatio quæ ſuper petram non habet fundamentum, ſed in arena exſtructa eſt, ſermone Dei ſuffoditur atque deſtruitur: illam autem quam conſumet Ieſus ſpiritu oris ſui, & deſtruet adventu præſentiæ ſuæ, omnem ſcili- 2. Theſ. 2.
cet ſacrilegam peruerſamque doctrinam diſperdet in perpetuum. porrò ea quæ eleuantur contra ſcientiam Dei, & in ſua
F confidunt ſapientia, quæ apud Deum ſtultitia eſt, diſſipabit atque deponet, vt ædificentur pro his humilia, & in locum ſuperiorum quæ deſtructa ſunt, & euulſa, exſtruantur atque plantentur, quæ eccleſiaſticæ conueniunt veritati, & impleatur illud quod dicit Apoſtolus: 1. Cor. 3.
Dei ædificatio, Dei agricultura eſtis. Multi hunc locum ſuper perſona Chriſti intelligunt. Hieremias enim interpretatur excelſus Domini, qui deſtruxit regna diaboli, quæ ſibi in excelſo montis oſtenderat. Aduerſarias perdidit poteſtates, delens chirographum erroris in cruce. De quibus & in pſalmo poſt hiſtoriæ veritatem τροπικῶς loquitur: Quare fremuerunt gentes, & populi medita- Pſal. 2.
ti ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. pro his euulſis, deſtructis, perditis & in inferiora detractis, ædificatur atque plantatur eccleſia Dei.

CAPVT XXIII.

EZechiel qui vidit conſpectum gloriæ, quam oſtendit illi in curru Cherubim. Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre, & bene facere illis qui oſtenderunt rectas vias. Ezechiel
G ergo Propheta in prima viſione qua viderat quatuor animalia quatuor ſpecierum, & quatuor rotas iuxta ea vidit gloriam Domini per ſimilitudinem quaſi aſpectum hominis ſedentis ſuper thronum: & in alta viſione vidit gloriam Domini ſuper Cherubim, & ſonitus alarum Cherubim audiebatur vſque ad atrium exterius, quaſi vox Dei omnipotentis loquentis. Quòd autem dicit eum commemoratum eſſe inimicorum in imbre, & benefacere illis qui oſtenderunt rectas vias: ſignificat quòd ipſe prædicauerit ſuper peccatores venturam eſſe pluuiam vindictæ, & viam mandatorum Dei gradientibus promiſerit conſolationem miſericordiæ. De hac via Pſalmiſta Dominum deprecatur, dicens: Legem mihi conſtitue Domine in via tua, & dirige me in ſemita recta propter ini- Eſa. 26.
micos meos. Myſticè autem Ezechiel (qui roboratus à Deo interpretatur, & in Babylone conuerſans plebi peccatrici prædixit captiuitatem venturam, & conuerſis atque pœnitentibus promiſit peccatorum veniam) ſignificat Dominum ſaluatorem (qui eſt virtus & ſapientia Dei, & brachium Domini à Propheta cognominatur) nos
H in captiuitatem iſtius ſæculi poſitos viſitaſſe. Vbi & peccatoribus pœnas prædixit futuras, & pœnitentibus remedia promiſit æterna.

CAPVT XXIV.

ET duodecim prophetarum oſſa pullulant de loco ſuo. Nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt ſe in fide virtutis. Duodecim prophetas illos (ni fallor) nuncupat, quos nos minores dicimus, quorum libelli ſimul extant conſcripti, quorum etiam primus in catalogo eſt Oſee, vltimus verò Malachias: quem Eſdram ſcribam, legiſque doctorem Hebræi eſſe autumant, horum ergo oſſa de

loco

A loco ſuo pullulant, quia dignam memoriam bonorum exemplorum poſteris ſuis reliquerant, qui corroborauerunt Iacob prædicationibus ſuis, & redemerunt ſe in fide virtutis, quando annuntiantes populo verbum Dei ſe immunes fecerunt à crimine noxiæ taciturnitatis; iuxta illam ſententiam Domini qua ad Ezechielem Prophetã
Ezech. 3. ait: *fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermonem annuntiabis eis ex me: ſi me dicente ad impium: impie, morte morieris, non fueris locutus vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autẽ eius de manu tua requiram: ſi autem annuntiante te ad impium vt à vijs ſuis conuertatur, non fuerit conuerſus à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porro tu animam tuam liberaſti.*

B

CAPVT XXV.

QVomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipſe quaſi ſignũ in dextera manu Iſrael: & Ieſum filiũ Ioſedech? qui in diebus ſuis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum Domino, paratum in gloriam ſempiternã. Zorobabel iſte dux fuit populi Iſrael, qui cum Ieſu pontifice filio Ioſedech, & cæteris Iſraelitis rediens de Babylone reſtaurauit templum Domini in Ieruſalem, ſicut præſens locus manifeſtat; quomodo aũt ipſe ſignum ſit in manu dextra Iſrael,
Agge. 2. Aggeus Propheta in fine libri ſui demonſtrat, dicens: *In die illa dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerue meus dicit Dominus exercituum, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi dicit Dominus exercituum.* Denique iubetur Propheta ad ſolum Zorobabel loqui, quoniam in typo Chriſti propter aſſumptionem corporis ex ſemine Dauid, eum præceſſiſſe demonſtrauimus. Huic ergo
C dicuntur quæ in fine ventura ſunt, quod tranſeat figura huius mundi, & fiat cælum nouum & terra noua, & commoueat Dñs cælum & terram, & deſtruat omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem: & diſſipet ſedes regum, poſt deſtructionem enim ſoliorum & fortitudinis regnantium, & quadrigarum, & equorum, & equitum. *In die illa dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel filiũ Salathiel ſeruum meum.* Seruus autem dicitur propter corpus humanum, quia tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui ſibi ſubiecit omnia, & in ſubiectis omnibus videbitur & ipſe ſubiectus: ſed cum hoc fuerit impletum, ponet eum Deus quaſi ſignaculum in manu ſua. Hunc enim ſignat Deus pater, & hic eſt imago Dei inuiſibilis, & forma & ſubſtantia eius, vt quicunque crediderit in Deum, hoc quaſi annulo conſignetur: quod autem Zorobabel & Ieſus ædificauerunt domum deſtructam, & exaltauerunt
D templum ſanctum Dño: ſignificat quod per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui rex & ſacerdos noſter eſt, poſt captiuitatem reſolutã dæmoniacæ dominationis, illi qui reſipiſcunt à diaboli laqueis, quibus capti tenebantur ad ipſius voluntatem, & non ſolum fidei ſinceritatem, atque integritatem boni operis perdiderunt, verum etiam per acerbitatem ſcelerum gentilibus ac publicanis aſſimilati
Matt. 18. fuerant, iuxta illud Dominicum: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus:* poſt lxx. annos, hoc eſt poſt ſeptemplicem gratiam ſpiritus ſancti per cuſtodiam decalogi, qui eos viſitauit atque cõſolatus eſt liberantur, ac domum Dei & ciuitatem ſanctam reædificant, quia nonnunquam hi, qui per ſua peccata à communione ac ſocietate ſanctæ Eccleſiæ ſeparati infidelium ſocietati ac numero copulabantur, rurſum per donum ſancti Spiritus ſtudioſe actum bonæ operationis exercent, ac per hoc, conſortium fidelium, domus videlicet & ciuitatis Domini, de qua fuerant eiecti, recipiunt, & bene dicitur, quod templum hoc ſanctum paratum ſit Domino in gloriam ſempiternam, quia non templum materiale quod Salomon ædificauit, ſed quod Chriſtus de viuis lapidibus conſtruxit, in gloriam ſempiternam manebit.

CAPVT XXVI.

ET Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui erexit domos noſtras. Porro Nehemias (qui interpretatur latinè conſolator Dominus, conſolatus à Domino) qui renouauit muros Ieruſalem, ab hoſtium inſultatione liberatum in diuina legis obſeruantia ſublimauit, profecto conſtat quia & vocabulo, & opere, & perſona ſua non inconuenienter mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum deſignet, qui ſe ad conſolationem pauperum ſpiritu miſſum inſinuat, cum aſcenſurus in cælum diſcipulis ait: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum,* hoc eſt, conſolatorem, *dabit vobis:* à quo ædificandam ciuitatem Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam ſimul & conſolandos eſſe mærentes oſtendit Pſalmiſta cum dicebat: *ædificans Ieruſalem Dominus, & diſperſiones Iſrael congregans, qui ſanat contritos corde* &c. Psal. 146. Congruit figura Nehemiæ & ſanctis prædicatoribus, quorum miniſterio ſuperna nobis conſolatio præſtatur, dum propter lapſum peccati ſpem veniæ ac propitiationis diuinæ pœnitentibus pollicentes, quaſi diruta ab hoſtibus Ieroſolymorum mœnia muroſque reſtaurant, quibus bene conueniunt verba Nehemiæ dicentis: Nehem. 2.
F *& veni Ieruſalem, & manſi ibi tribus diebus, & ſurrexi nocte ego & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam, quid dediſſet Deus in corde meo, vt facerem Ieruſalem: & iumentum non erat mecum, niſi animal cui ſedebam: & egreſſus ſum per portam vallis nocte,* &c. vſque dum ait: *& conſiderabam murum, & reuerſus veni ad portam vallis, & redij.* Diuerſa vrbis deſtructa loca luſtrando peruagatur, & ſingula hæc quomodo debeant reparari ſolicita mente ſcrutatur. Sic & Doctorum eſt ſpiritalium ſæpius noctu ſurgere, ac ſolerti indagine ſtatum ſanctæ Eccleſiæ quieſcentibus cæteris inſpicere, vt vigilanter inquirant qualiter ea quæ vitiorum bellis in illa ſordidata ſiue deiecta ſunt, caſtigando emendent & erigant. Murus autem Ieruſalem diſſipatus iacet, & conuerſatio fidelium terrenis atque infimis ſordet affectibus,
G portæ ſunt igni conſumptæ. Cum iam quoque qui & alijs docendo introitũ vitæ pandere debuerant, relicto veritatis magiſterio communi cum cæteris ignauia torpent, ac temporalibus curis inſeruiunt: & dixit eis *vos noſtis afflictionem in qua ſumus, quia Ieruſalem deſerta eſt, & portæ eius cõſumptæ ſunt igni: venite & ædificetur murus Ieruſalem,* &c. vſq; Nehe. 2.
dum ait, *& confortatæ ſunt manus eorum in bono:* plana ſunt hæc, & ſpiritali ſenſui nimis accommoda, quia Doctores ſancti, immo omnes qui zelo Dei feruent, in afflictione ſunt maxima, quamdiu Ieruſalem, hoc eſt viſionem pacis, quam nobis Dominus reliquit & commodauit, per bella diſſenſionum cernunt eſſe deſertam: & portas virtutum (quas iuxta Eſaiam laudatio occupare debuerat) præualentibus inferorum portis deiectas atque opprobrio habitas conteruntur. Vnde ſatagunt vt collectis in vnam induſtriam verbi miniſtris, citius ea quæ deſtructa eſſe videbantur, fidei ac bonæ actionis ædificia reſurgant.

CAPVT XXVII.

NEmo natus eſt in terra talis, qualis Enoch: nam & ipſe receptus eſt à terra. Quid eſt quod de Enoch ſupra diſſerebat, & nunc de eodem iterum recapitulat, niſi quod
H tranſlatione ſua typum præferebat aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ad cælos: qui in nouiſſima ætate ſeculi incarnatus eſt. Cui omnes Patriarchæ & Prophetæ teſtimonium præbuerunt? De ipſo enim recte dicitur, quod nemo natus eſt in terra talis, qualis Enoch, hoc eſt, dedicatio, qui dedicauit Eccleſiam ſuam, & conſecrauit ſanguine ſancto ſuo. Hic ſine peccato venit in mundum, & cum gloria receptus eſt in cælum. De quo & Pſalmiſta ait: *ſpecioſus forma præ filijs hominum:* & iterum: *aſcendens in* Psal. 44.
altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Psal. 67.

CAPVT XXVIII.

ET Ioſeph natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi. Et oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt. Ioſeph itaq;, qui nomine & geſtu typum præferebat Domini Saluatoris, aptè dicitur princeps & rector eſſe fratrum, & firmamentum gentis, atq; ſtabilimentũ populi. Interpretatur enim

A Ioſeph auctus, & Dñs noſter merito dicitur auctus, quia
gratia Dei pleniſſimus. Cui *pater non ad menſuram dedit ſpi-*
ritum, ſed omnia quæ habet pater, eius ſunt, & in quo plenitudo
diuinitatis habitat corporaliter. De cuius & nos plenitudine oēs
accepimus gratiam pro gratia. In quo etiam omnes theſauri
ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi. Hic princeps & re-
ctor eſt fratrum, illorum videlicet fratrum, de quibus i-
Mat. 28. pſe ait: *Ite nuntiate fratribus meis*: & Propheta, *nuntiabo* (in-
Pſal. 21. quit) *nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* I-
dem firmamentum eſt gentis Iudææ, & ſtabilimentū po-
Luc. 2. puli Chriſtiani: quia ipſe *miſſus eſt lumen ad reuelationem gē-*
tium, & gloria plebis ſuæ Iſrael. Quod autē dicit oſſa Ioſeph
viſitata eſſe, & patet mortē prophetaſſe, hiſtorialiter hoc
commemorat, quod ipſe Ioſeph ante mortem ſuam præ-
nuntiauerit fratribus ſuis liberationem de Ægypto, cum
Gen. 50. conſolaretur eos, atque dixiſſet: *Deus viſitabit vos: aſportate*
Ioſu. 24. *vobiſcum oſſa mea de loco iſto*; quod factum eſt, vt liber Exodi
meminit, cum egrediebantur filij Iſrael de Ægypto, &
poſtquam venerunt in terram repromiſſionis, ſepelierūt
eum in Sichem, in ciuitate patris ſui: quæ & nūc Neapo-
lis vocatur, vrbs Samaritanorum. Spiritaliter autem hoc
quod Ioſeph, ſicut pater eius Iacob, terram repromiſſio-
nis tota mēte deſiderabat, incolatumq; Ægypti deteſta-
tur, nos inſtruit, vt quamdiu ſumus in hoc mundo, ſem-
per deſideremus ingredi terram viuentium, ibiq; requie-
B ſcere optemus, quod tunc dignè fit, ſi numerum annorū
ætatis ipſius moribus imitemur. Centum ergo & decem
vitæ ſuæ annis expletis mortuus eſt: & nos ſtudeamus,
quo per decalogi obſeruantiā ad ęternam beatitudinem,
quam centenarius numerus deſignat, perueniamus.

CAPVT XXIX.

S*eth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt, & ſuper omnē*
animam in origine Adam. Ordine prępoſtero prius Pro-
phetas poſuit, & poſtea Patriarchas antiquiſſimos: ſed
hic vſus frequentiſſimus eſt ſcripturæ ſacræ, vt loca & tē-
pora in narratione ſua commutet. Seth ergo filius Adam,
& Sem primogenitus Noe apud homines gloriam ade-
pti ſunt, quia tam fide, quàm etiam bonis moribus illius
æui hominibus prælati ſunt, quando plurimi idololatrię
deſeruiebant, & Deum pœnituit hominem ſe feciſſe in
terra. Sed ſi hic ſenſus tibi diſplicuerit, transfer te ad alle-
C goriam, & intellige in iſtis duobus hominibus hunc prę-
figuratum, qui Deus & homo eſt, quem Deus pater ſuſci-
tauit à mortuis, & conſtituit ad dexteram ſuam in cæle-
ſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & vir-
tutem, & dominationem, & omne nomen, quod nomi-
natur, non ſolum in hoc ſæculo ſed etiam in futuro, & o-
mnia ſubiecit ſub pedibus eius.

CAPVT XXX.

S*imon Oniæ filius, ſacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit do-*
mum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Templi etiam
altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio, & excelſi parietes
templi. Poſt priores patres ſcriptor hiſtoriæ ad ſui tempo-
ris peruenit homines. Nam Simon iſte filius fuit Oniæ,
qui de Simone cognomento iuſto propter ſolicitam in
D Deum religionem, & in ciues ſuos pronam clementiam
natus erat. Is autem Onias (vt Ioſephus refert) paruulus
mente & pecunijs auarus exiſtens, Ptolemęo regi tributa
non reddens, ad iram eum impulit. Verum Ioſephus vir
inter ſuos nobilis, legatus à Iudæis ad Ptolomæū miſſus,
cum familiaritatem regis ob plurima in eū meruiſſet ob-
ſequia, dux Iudææ & regionum finitimarum conſtitui-
tur: mortuo autem prędicto Onia, principatum ſacerdo-
tij Simoni filio dereliquit: quo etiam mortuo filius eius
Onias in honore ſucceſſit, ad quem rex Lacedæmoniorū
Darius legationem direxit & Epiſtolas. Fuit autem hic
Simon pontifex Iudæorum tempore, quo Ptolemæus E-
uergetes in Ægypto, apud Syriam vero & Aſiam Seleu-
cus, & apud Macedones Antigonus. Patet profecto in
hoc quòd huius Simonis modeſtiam & ſtudium liqui-
do iſte Ieſus expreſſit, quòd vno eodemque tempore in

E gēte Iudæa ambo fuere: nam ſi eius vitam & mores igno-
raret, nequaquam tam pleniter de eo narraret; nos autem
quod huius viri actus alibi minime legimus, ignotæ rei
explanationem facere nequimus, iuxta myſticum vero
ſenſum huius Simonis actus laudabiles & ſtrenuum mi-
niſterium ad ſanctorum doctorum ordinem & officium
transferre valemus: quibus apte Simonis nomen conue-
nit, qui prædicationis verbo humanum genus ad pœni-
tentiam peccatorum prouocant, & mandatis Dei obedi-
re mandāt. Interpretatur autem Simon pone mœrorem,
vel audi triſtitiam. Verum iſte Simon ſpiritalis tempore
præſentis vitæ ſermone doctrinæ ſuffulcit domum Ec-
cleſiæ, & corroborat templum de viuis lapidibus cōſtru-
ctum, templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt. Duplex
ædificatio, excelſi parietes templi. Vnde per Paulum di-
citur: *Dei enim ſumus adiutores, Dei agricultura eſtis, Dei ædifi-* 1. Cor. 3.
catio eſtis. Secundum gratiam, quæ data eſt mihi, vt ſapiens ar-
chitectus fundamentum poſui: alius autē ſuperædificat: vnuſquiſq;
autem videat quomodo ſuperædificet. Fundamentum autē hu-
ius ædificij quale ſit memoratus Apoſtolus ſubiungendo
manifeſtat: *fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter*
id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Doctores ergo ſan-
cti templi altitudinem fundant, quando Chriſti incar- F
nationem, paſſionem, & reſurrectionem in fide creden-
tium collocant: vt totius ædificij ſumma, hoc eſt boni o-
peris forma, inde conſurgat. Vnde fit quod duplex ædi-
ficatio excelſos parietes templi faciat, quando verbo &
exemplo de Iudæis & gentibus plurimos ad arcem virtu-
tum docendo & exhortando erigunt: parietes enim do-
mus Dei in expoſitione Catholicorum patrum duos po-
pulos intellectos eſſe reperimus, & merito, quia inde cō-
ſurgens ſtructura creſcit in templum ſanctum in Dño.

In diebus ipſius remanauerunt putei aquarum, & quaſi mare
adimpleti ſunt ſupra modum. Puteum aquarum non alium
melius accipere poſſumus, quam profunditatem ſciētiæ G
ſanctarum ſcripturarum, quæ in diuinis libris quaſi con-
cluſa figuris latebat, ſed ſanctorum prædicatorum ore ad
plurimorum ſatietatem quaſi mare redundabat, quod
enim prius quaſi obſcurum latebat in profundo myſterij
ad apertum prolatum eſt per laborem prædicatoris or-
thodoxi.

Qui curauit gentem ſuam, & liberauit illam à pernicie. Euan-
gelij ſcilicet verbo, & baptiſmatis ſacramento, liberauit
auditores ſuos à peccatis & dominatione Satanæ.

Qui præualuit amplificare ciuitatem. Quando per gratiam
Chriſti prædicatorum labor proficiebat ad plurimorum
ſalutem. Ciuitas enim Dei ſancta eſt Eccleſia. De qua in
Pſalmo ſcriptum eſt: *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Hāc Pſal. 86.
H ergo amplificat ſanctorum prædicatorum ordo, quando
eam per verbum prædicationis, & ſacramentum baptiſ-
matis auget in credentium numero. De quorum conuer-
ſione etiam ipſe glorificabitur in præmij perceptione.
Vnde ſubiungitur.

Qui adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis: & ingreſſu do-
mus, & atrij amplificatus eſt quaſi ſtella matutina in medio nebu-
læ. Et quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi Sol refulgens,
ſic ille effulſit in templo Dei. Ingreſſu ergo domus & atrij ex-
cellentiſſimus ordo ſanctorum prædicatorum amplifi-
catus eſt, quia tam in illis, qui rudes adhuc ſunt in fide, quod
atrium figurat: quam etiam imperfectis domum Dei in-
ceſſu bonorum operum ingredientibus magiſtrorum ex-
creſcit meritum, redundans illis ad cæleſte præmium,
quod autem eos comparat ſtellæ matutinæ & luci Lunę,
atque fulgori ſolis, diſtantiam eruditionis, & meritorum
in ipſis Doctoribus ſignificat. In quibus inuicem differūt
habentes gratias diuerſas, quia (vt Paulus ait) *vnicuiq; da-* 1. Cor. 12.
tur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritum
datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eun-
dem ſpiritum: alteri fides, in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum,
in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio
ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum.
Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſin-
gulis prout vult. Hinc & alibi ait: *alia claritas eſt Solis, alia cla-*
ritas Lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim ab ſtella differt in 1. Cor. 15.
claritate. Hēs quidem lucent, ſed ſecundū donum ſibi datum à Deo.

Et quaſi

A *Et quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Per arcum ſciẽtia ſanctarum Scripturarum inſinuatur, per quam ſpicula diuinorum teſtimoniorum in corda audientium iaculantur, & benè arcum dicit refulgere inter nebulas gloriæ; quia in obſcuritate allegoriæ relucet ſplendor diuinæ ſapientiæ.

Et quaſi flos roſarum in diebus veris, & quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ. Quid per flores roſarum in diebus veris, niſi martyrum ſanguis in virore naſcentis Eccleſiæ exprimitur, quia tunc maximè prædicatores ſancti trucidati ſunt pro dogmate Euangelicæ fidei: & quid per lilia, niſi caſtorum & virginum ordo, qui in tranſitu labentis ſæculi ſemetipſos caſtrauerunt propter amorem Dei?

B *Quaſi tus redolens in diebus æſtatis, & quaſi ignis effulgens, & tus ardens in igne.* In ture ergo pura oratio exprimitur: quæ redolet in diebus æſtatis, quia eius odor ſpargitur in claritate fidei, & ardet in igne amoris. Licet enim turis odor per ſe benè oleat, ſed appoſitus igni, fortius redolet: ſic & oratio pura, licet per ſe Deo ſit grata, tamen ſi adhibito igne paſſionum in dilectione perſeuerauerit, coram oculis Dei magis gratus redolebit.

Et quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo. In auro ſplendor ſapientiæ, in lapidibus quoque pretioſis virtutum decor exprimitur. Cum ergo virtutes ſacræ fulgori ſapientiæ intermiſcentur, vas animæ hæc habens pretioſiſſimum eſſe demonſtratur.

Quaſi oliua pullulans, & cypreſſus in altitudinem ſe extollens. In oliua lux fidei & affectus miſericordiæ: in cypreſſo verò altitudo perfectionis, & odor ſuauiſſimus bonæ voluntatis, quam habent ſancti, benè intelligi poteſt. Sed C ſi quis oliuæ & cypreſſi ſignificantiam plenius noſſe voluerit, in prioribus inuenire poteſt.

In accipiendo ſtolam gloriæ, & veſtiri eum conſummatione virtutis. In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu ſacerdotum. In accipiendo ergo ſtolam gloriæ, & veſtiendo ſe conſummatione virtutum, ſacer ordo prædicatorũ iudicium dignitatis ſuę cum ornatu rectę fidei, & veſtitu bonę operationis manifeſte demonſtrat. Sic enim in ſacerdotali habitu Moyſes ephod, id eſt, ſuperhumerale primum fieri mandat, quia in ſacerdote Chriſti bene eſt, vt bona operatio primum clareſcat, & ſic ad docendum alios procedat. Primum eius debent opera cognoſci, vt dum hoc quod foris omnibus patet irreprehenſibile paruerit, conuenienter ex tempore & integritas cordis eius, & fidei ſynceritas ſeruetur. Nam de ipſo principe paſtorum ita ſcri-

Act. 1. Matth. 5. ptum eſt: *Capit Ieſus facere & docere. Vnde qui fecerit mandata*

D *Dei, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Qui autem ſoluerit vnum de mandatis Dei minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* In aſcenſu quippe altaris ſanctitatis amictum dabit, qui ſacerdotij ſui iura rite cuſtodit, vt recte ſubditos doceat & pro illis quotidie ad Deum preces fundat: partes autem accipit de manu ſacerdotum, qui bonæ operationis adminiſtris ſuis expoſtulat actum: qui tam ſibi quàm etiam illis vtilis fiat, hoc etiam tunc digne fit, ſi ipſe Doctor primum coram diſcipulis ſuis bonæ operationis exhibet vſum, quatenus illi habeant vnde ſumant virtutis exemplum. Vnde ſubiungitur.

Et ipſe ſtans iuxta aram, circa illum corona fratrum, & quaſi plantatio cedri in monte Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria ſua: oblatio autem Domini in manibus ipſorum, coram omni ſynagoga Iſrael. Bonum eſt ergo, vt qui primus eſt in ordine, præcipuus fiat in bona operatione & eruditione doctrinæ. Deinde fratres eius illum circumſtent, hoc eſt imitentur: fratres enim hic poſſumus intelligere presbyteros, diacones & cæteros minoris ordinis viros: qui boni paſtoris pium ſequantur exemplum, & coram omni ſynagoga Iſrael, hoc eſt, credentium multitudine digne ſui ordinis agant officium, vt inde omnes prouocentur ad laudandum omnipotentem Deum. Ita enim ipſa veritas in Euangelio præcepit,

Matt. 5. dicens: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Et conſummatione fungens in ara, amplificare oblationem ex-

E *celſi regis. Porrexit manum ſuam in libatione, & libauit de ſanguine vuæ. Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelſo principi.* Conſummata oblatio fungitur excelſo regi, quãdo corpus Chriſti in ſacro altari offertur Deo omniũ Dominatori: vbi & libatio fit ſanguine vuæ, quando ſanguis redemptoris exhibetur in calice: quod fundendum eſt in fundamentum altaris, hoc eſt totum agendum in cõmemorationem noſtri redemptoris; ipſe eſt enim fundamẽtum quod portat totum Eccleſiæ ædificium. Cuius oblationis odor ſuauiſſimus eſt excelſo principi, quia bene placet ac gratiſſima eſt Deo patri omnipotenti.

Tunc exclamauerunt filij Aaron, & in tubis ductilibus ſonuerunt, & auditam fecerunt magnam vocem in memoriam coram Domino. Filij quippe Aaron ſacerdotes ſunt Chriſti, & miniſtri altaris diuini: hi vocem exaltãt in tubis ductilibus, hoc eſt, prædicationem exhibent doctrinæ per paſſionẽ conſummatæ in memoriam coram Domino. Ductiles autem aptè dicuntur, quia fideles diuerſis paſſionibus tunſi Domino largiente proficiunt: & tanto plus creſcũt, quanto amplius diri mallei fuerint iteratione percuſſi: malleus enim eſt Diabolus, de quo Propheta dicit: *Con-* Hier. 50.

F *tritus eſt malleus vniuerſæ terræ.*

Tunc omnis populus ſimul properauerunt, & ceciderunt in faciem ſuper terram adorare Dominum Deum ſuum, & dare preces Deo omnipotenti excelſo, & amplificauerunt pſallentes in vocibus ſuis. Cum ergo digne officium Eccleſiaſticum per miniſtros altaris Chriſti in memoriam Domini agitur. Tunc etiam vniuerſa plebs credentium ad laudandum & adorandum Dominum prouocatur: proſternit ſe in faciem, hoc eſt, cordis ſui ante Deum exhibet humilitatem: Dat preces & pſallit in voce iubilationis, quia quicquid in timore & amore Dei agit, totum coram Deo oratio eſt & odor ſuauitatis.

Et in magna domo factus eſt ſonus ſuauitatis plenus. Et rogauit populus Dominum excelſum in prece, vſque dum perfectus eſt honor Domini, & munus ſuum perfecerunt. Magna itaq; domus eſt Eccleſia Catholica: in qua maiores & minores ſonum

G ſuauem reddũt: quia quicquid in vnitate rectæ fidei Deo offertur, rite & ſecundum rationem præbetur, quicquid autem extra Eccleſiam agitur, totum ad impietatem deputatur. Magnus ergo in Eccleſia fit ſonitus, quando orantibus ſacerdotibus & benedicentibus, reſpondet omnis populus amen: qui ſonus tam ad clamorem vocis, quam ad deuotionem pertinet cordis: quia homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Rogat ergo populus Dominum excelſum in prece, vſque dum perficitur honor Domini, quia omnis Eccleſia fidelium hoc ambit, inde ſatagit vt perſeueret in prece & laudibus Dei vſque ad conſummationem mundi, quando corpus Chriſti in incorruptione honorabitur, & coniungentur membra capiti ſuo.

Tunc deſcendens extulit manus ſuas in omnem congregationẽ filiorum Iſrael, dare gloriam Deo in labijs ſuis, & in nomine ipſius

H *gloriari. Et iterauit orationem ſuam, volens oſtendere virtutẽ Dei. Et plus orauit Dominum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies noſtros à ventre matris noſtræ, & fecit nobiſcum ſecundum ſuam miſericordiam, det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus noſtris in Iſrael per dies ſempiternos: credere Iſrael nobiſcum eſſe miſericordiam Dei, vt liberet nos in diebus ſuis.* Tunc.n. cętus ſanctorum Doctorũ exultans extollit manus ſuas in omnem congregationẽ filiorum Iſrael, quando gratias Deo agit pro perfectione laboris ſui & ſalute vniuerſi populi, tunc laudes multiplicat, tunc orationem iterat: quia nunquam à laudibus Dei ceſſat, volens oſtendere virtutem Dei, hoc eſt, enarrare & prædicare miſericordiam eius: qui dat nobis iucunditaté cordis & pacem in temporibus æternis: quatenus omnes Iſraelitæ, hoc eſt, veri cultores Dei & amatores regis æterni, agnoſcentes prædicent potentiam & bonitatem Dei in liberatione populi ſui.

Duas gentes odit anima mea: tertia autem non eſt gens, quam oderim, qui ſedent in monte Seir: & Philiſtym: & ſtultus populus qui habitat in Sichimis. Duas gentes dicit ſe odiſſe: quarum vna eſt gẽs Iudaica ſub legis litera cõſtituta, quæ etiam & Seir nomine denotata eſt, quod interpretatur hiſpidus

vel pi-

vel piloſus. Seir enim idem fuit qui & Eſau, quod interpretatur rubeus, maior filius Iſaac & Rebeccæ: minor autem vocabatur Iacob, ſed cur ille totus rubeus & hiſpidus, niſi quia populus prior Prophetarum & Chriſti fuit cruore pollutus, ac peccati & nequitiæ ſqualore exſtitit circundatus? Cuius ideo minor calcaneum tenuit, quia myſtice maiorem populum minor ſuperaturus erat. Hæc eſt enim generatio praua & peruerſa atque adultera, iuxta veridicam vocem Euangelij, Luc. 13. quæ *occidit Prophetas, & lapidauit eos qui ad ſe miſſi ſunt. Nouiſſime autem in ipſum hæredem non pertimeſcebat manus impias inijcere & trucidare filium Dei.* Hanc ergo gentem ideo deteſtatur ſapientia, quia ſedulo perſeuerat in cordis duritia, & ſenſus ſtultitia. Hęc autem dicitur ſedere in monte, non in celſitudine vtique virtutum, ſed in tumore ſuperbiæ: quia ſemper Deo dura ceruice & incircunciſo corde rebellabat. Altera gens eſt Philiſtijm, quæ interpretatur ruina duplex, ſignificans gentem nationum, quæ & in idololatria ſceleſtaque cōuerſatione ſimul polluta fuit, & ideo odibilis, quia longe à veritatis via errando receſſit. Tertia autem eſt hęreticorum ſynagoga, cuius ſtultus populus habitat in Sichimis, hoc eſt, in humeris ſiue laboribus, cum quotidie peruerſa ſcribendo atque praua docendo, ſtulte laborem ſuum conſumit. Quod autem dicit hanc non eſſe gentem, oſtendit quia non ex vna generatione, vel ſimplici errore ipſi hæretici prodeunt: ſed ex diuerſis locis orti plurimi ſunt erroribus obnoxij, & tamen inter ſe inuicem contrarij: aliter enim Arriani docent, atque aliter Scabelliani, aliter Nouatiani, atque aliter Donatiſtæ: ſimiliter & cæteri falſis dogmatibus ab inuicem diſcordant diſſimileſque ſunt ſermone, ſed pares errore.

Doctrinam ſapientia & diſciplina ſcripſit in codice iſto Ieſus filius Sirach Hieroſolymita, qui renouauit ſapientiam de corde ſuo. Beatus qui in iſtis verſatur bonis, qui ponit illa in corde ſuo, ſapiens erit ſemper, ſi enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei veſtigium eius eſt. Author libri narrat de labore ſuo, & de vtilitate ipſius operis: oſtendens quantum gratiæ illi conferat, qui in eo meditari & operari non detrectat. Quod autem temporibus Ptolemæi Euergetis in Ægyptum veniens, præſentem librum idem Ieſus interpretando ediderit, prologus ipſius libri teſtis eſt: qui ſub hoc ſermone, cuius in præſenti capitulo mentio habita eſt, narrat illum hunc perfeciſſe hominem ad vtilitatem duntaxat eorum, qui eum intente legunt, & factis monita illius fideliter obſequuntur. Vnde dicit, *beatus qui in iſtis verſatur bonis,* hoc eſt, diuina præcepta meditando, & operibus illa implendo: ſi enim (inquit) hæc fecerit, ad omnia bona & vtilia valebit, quia lux Dei, hoc eſt, ſapiētia diuina, eius veſtigium eſt, & ductrix in via veritatis: per quam ad quietem regni cæleſtis (ſi in eius calle perfectè gradiendo permanſerit) peruenire valebit. Poſt hæc ſequitur oratio eiuſdem Ieſu, quam melius generaliter ad totam Eccleſiam transferimus, quam ſpecialiter ad cuiuslibet viri perſonam; quia cum multæ deſcribuntur in ea ſpecies tribulationum, & diuerſa ſolatia iuuaminū, melius ad totum corpus referuntur, quam ad quandam partem corporis. Orat enim Eccleſia Dominum ſuum regem Chriſtum, & gratias illi refert de beneficijs ſibi copioſiſſimè ab eo collatis, hoc modo incipiens.

CAPVT XXXI.

Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione. A laqueo linguæ iniqua, & à labijs operantium mendacium. Dominus enim & rex, Deus & Saluator Eccleſiæ eſt Ieſus Chriſtus, qui & caput & ſpōſus eius eſt. Vnde Apoſtolus monendo mulieres viris ſuis ſubditas eſſe, ad Epheſios ſcripſit, dicens: Eph. 5. 1. Cor. 11. Col. 3. 1. Pet. 3. *mulieres viris ſuis ſubiectæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Ipſe Saluator eſt corporis.* Et item, *viri* (inquit) *diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo: vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Hic ergo adiutor & protector factus eſt ſponſæ ſuæ, cum tradidit ſemetipſum pro illa, vt liberaret eam à perditione in quam per pręuaricationem primi hominis lapſa eſt, & à laqueo linguæ iniquæ, à blaſphemia nimirum idololatriæ: ne immolaret, neq; ſeruiret creaturæ potius quā creatori, & à labijs operantium mendacium, hoc eſt, doctrinis falſis philoſophorum atque hæreticorum.

Et in conſpectu adſtantium factus es mihi adiutor. Et liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam. Hoc teſtimonio exprimit perſecutores Eccleſiæ, qui propter odium nominis Chriſti perſequuntur fideles, & tradunt eos ſupplicijs diuerſis morti afficiendos, quatenus eos auertant à confeſſione Catholicæ fidei, & à cultura veri & vnius Dei, quod benè cōparat ſæuis beſtijs, quæ rugitu forti, & feroci hiatu eſcā appetunt: ſed de his Dominus electos ſuos liberat, cum animas eorum à perſecutionum æſtibus illæſos ſeruat, propter quarum euerſionem ſæui perſecutores corpora maximè laniant. Vnde ſequitur.

De manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circundederunt me. Portas ergo tribulationum, quas melius ſentire poſſumus, quam ora principum & tyrannorum? Vnde minæ prodeunt & fraudulentæ ſuaſiones, indictioneſq; ſuppliciorum: vt ſiue per ficta blandimenta, ſeu per atrocia tormenta, ſeruos Dei fidē Chriſti abnegare faciant: ſed *immittit Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

A preſſura flammæ quæ circundedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus. Hoc plerunq; hiſtorialiter in paſſionib. martyrum contigiſſe legimus. Vt ſicut tres pueri in camino ignis ab ardore flammæ illæſi ſeruati ſunt, ita & iſti ab incendio ignis incontaminati ſeruarentur: ſed quia hoc omnibus martyribus Dei non eſt conceſſum, cum plurimi eorum in igne corporaliter concremati eſſent, veruntamen animæ eorum liberè ad cæli ſecreta petierāt, melius hic igne & flamma validum perſecutionis æſtum intelligimus: qui licet ſanctos Dei temporaliter affligere poſſet, vſque ad animæ tamen internecionem pertingere non potuit. Ideo ſubiungitur.

De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij: à rege iniquo, & à lingua iniuſta. Subauditur liberauit me, non enim præualebat vis nefanda inimicorū vſq; ad interitum peruenire animarum (quem hic ventrē inferi appellat) nec lingua coinquinata blaſphemijs, nec verba mendacia à rege iniquo, & lingua iniuſta prolata potuerunt aliquo modo violare ſanctorum præcordia: ſed licet corpora pœnis varijs afficerent, & morti temporali addicerent: animæ tamen in confeſſione nominis Chriſti vſque ad finem vitæ perſtiterunt. Vnde & felicius poſt mortem in æterna vita cum ſanctis Angelis Dei ſine fine gaudebunt. De quo & ſubditur.

Laudabit vſq; ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquās erat in inferno deorſum. Vitam ſuam in inferno appropinquare dicit, quia carnis vita quotidie deficiēdo ad mortem appropinquat. Infernus enim hic pro morte poſitus eſt: quia mors carnis, præuaricationis primæ eſt vindicta, ſicut infernus peccatricium animarum perpetua pœna: ſed mortem carnis nemo euadit: quis eſt enim homo qui viuit & non videbit mortem? Vnde alibi ſcriptum eſt: *nemo eſt ergo qui ſemper viuat, & huius rei habeat fiduciam.* Eccl. 9. Inferni vero cruciatum ſancti homines per gratiā Chriſti euadere poſſunt: quia de carnis vinculo abſoluti ad cæleſte gaudium mox migrabunt.

Circundederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ quæ à ſæculo eſt: quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. Videns Eccleſia membra ſua vndique ab hoſtibus circundari, & humanum ſolatium deficere; inde quærit adiutorium, vnde nouit omnium bonorum venire profectum. Non ergo ſuis meritis nec humanis actibus, ſed miſericordiæ Dei tribuit, quod ſe ab inimicis ereptam & liberatam eſſe agnoſcit: & non ſolum liberatam, immo & iam honore virtutum

A ſublimatam, atque miraculorum fulgore glorificatam. Vnde dicit.

Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus ſum. Videt enim ſe doctrina fidei & virtutum ſignis in mundo clareſcere, ſed non contenta hoc ſolo eſt munere, ita vt nolit amplius aliquid quærere: quin potius certat anguſtias præſentis vitæ precibus honeſtis ſuperare, & ita ad quietem ſupernæ patriæ feliciter peruenire.

Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione. Dies enim tribulationis & tempus ſuperborum, præſens eſt vita, vbi boni tribulantur, & impij in ſuperbiam extolluntur. B Orat enim ſponſa Chriſti vt Deus omnipotens pater Domini ſui Ieſu Chriſti ſe non derelinquat in tempore neceſſitatis ſuæ: quando ſuperbia iniquorum eam affligere deſiderat cruciatu tormentorum, promittitque ſe nomen eius aſſidue laudaturam, & collaudare illud in confeſſione, hoc eſt in confeſſione nominis eius vſque in finem vitæ perſeuerare, & quaſi iam ſecura ſit de impetrato auxilio, ſequitur dicens.

Exaudita eſt oratio mea, liberaſti enim me de perditione: Et eripuiſti me de tempore iniquo: propterea confitebor & laudem dicam tibi, & benedicam nomen Domini. Huic ſimile eſt illud quod in ſexto Pſalmo Propheta, cum deprecatus eſt Dominum ne ſe in ira argueret, neque in furore corriperet, turbatum ſe eſſe aſſerens præ ira & inueteraſſe inter omnes inimicos ſuos: protinus quaſi iam de euaſione ſua ab inimicis ſecurus exclamat, dicens: Pſalm. 6. *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei: exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam aſſumpſit*; ſed C & hic Eccleſia exauditam orationem ſuam proteſtans, ereptam ſe ab inimicis aſſerit, & ab iniquitate præſentis vitæ liberatam, vbi magis confuſio præualet qua modo ſpondet ſe ereptori ſuo laudem & confeſſionem perpetuo decantaturam.

Cum adhuc iunior ſum prius quàm oberrarem quæſiui ſapientiam palam in oratione mea. Ante tempus poſtulabam pro illa, & vſque in nouiſſimis inquiram illam. Poſt orationem quam ex perſona Eccleſiæ protulit conditor huius operis refert, quo modo ab infantia ſua quæſiuerit ſapientiam, & Dominum pro ea petiuerit: quod autem dicit, priuſquam iunior eſſet ætate, quæſiſſe illam: ante tempus poſtulare pro illa. Demonſtrat ſe ante errorem pueritiæ atque adoleſcentiæ, & ante tempus iuuenilis ætatis illam deſideraſſe, D & à Domino ſibi dari inſtanter poſtulaſſe, quam vſque ad nouiſſimum promittit ſe inquiſiturum, in multo enim periculo exſtat adoleſcentia, & iuuenilis ætas: quia exterioris hominis actus in ea ætate maximè præualent: ſicut Salomon in Prouerbijs ait: Prou. 30. *Viam iuuenis in adoleſcentia ſua ſe penitus ignoraſſe*: & Propheta Dominum deprecatur, Pſal. 24. ne *delicta iuuentutis & ignorantiæ ſuæ meminerit*: Hinc etiam Philoſophi Y literam humanæ vitæ conformantes, ſiniſtram tramitem pueritiæ & adoleſcentiæ: dextram verò apicem fortiori ætati adſcribunt, quando iam intellectus validior reprobat ſtultitiam ſenſus prioris. Nam hanc literam Pythagoras ad exemplum vitæ humanæ primus ita inſtituit. Vti virgula ſubtilior, quæ in imò eſt, incertum ſtatum primæ ætatis ſignificaret: quæ adhuc nec vitijs, nec virtutibus dedita eſt: biuium autem quod ſupereſt ab adoleſcentia incipit. Cuius dextra pars ardua eſt, ſed ad beatam vitam tendens: ſiniſtra facilior, ſed ad labem interitumque deducens. De qua ſic Perſius ait.

Et tibi cui Samios deduxit littera ramos,
Surgentem dextro monſtrauit limite callem.

Et defloruit tanquam præcox vua: lætatum eſt cor meum in ea. Ambulauit pes meus iter rectum: à iuuentute mea inueſtigabam eam. Bene quoq; decorem ſapientię adſimulat præcoquę vuæ. Vt oſtendat iucunditatem apud eum maxime valere, qui iam ad eam capiendam promptam impendit voluntatem. Præcoquæ ergo vuæ inde ſunt vocatæ, quod cito matureſcant, & ante oẽs ſole coquantur: has Græci E lagos dicunt, quod current ad maturitatem velociter, vt lepus; vnde ipſe dicit: qui mane vigilauerint ad me, inuenient me, & quis melius eam inuenire poterit, quàm is qui iter rectum mandatorum Dei cuſtodit? De quo ſcriptum eſt, *concupiſcis ſapientiam ſerua mandata, & Deus ſeruabit illam tibi.* Eccl. 1.

Inclinaui modicè aurem meam & excepi illam, multam inueni in meipſo ſapientiam, & multum profeci in ea. Ad perfectionem enim ſapientiæ peruenire non eſt humani ſtudij ſed muneris diuini. Vnde modicum ſibi videtur laborare pro adeptu magnæ intelligentiæ, quam Deo donante percepit. Hoc tamen ſciendum quod multa diſtantia eſt inter ſtudioſe quærentem, & deſidioſe negligentem. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Qui autem deſidioſe agit, lucrum quod adipiſci per ſolertiam potuit, per negligentiam perdit.

Danti mihi ſapientiam dabo gloriam. Recte ergo dat gloriam datori omnium bonorum pro dono ſapientiæ ſibi conceſſo, quia tanti muneris poſſidere largitatem agnoſcit non ſuæ ſolertiæ ſed diuinæ gratiæ: ſed quomodo iuſtum eſt vt poſt perceptum donum intelligentiæ homo F ſemetipſum exerceat in bona operatione, iſte amator diuinæ ſapientiæ ſuum exemplum conſequenter profert in medium, vt auditor intentus ſuum imitetur ſtudium.

Conſiliatus ſum enim vt facerem illam. Zelatus ſum bonum, & non confundar, colluctata eſt anima mea in illa: & in faciendo eam confirmatus ſum. Attende quòd primum dicit ſe iniſſe conſilium vt faceret illam, deinde boni zelo exardeſcere, poſtea animam ſuam in illa colluctare, & in faciendo eam ſe confirmatum eſſe: & intelligere quod primum eſt ineundum conſilium vt ſecernatur bonum à malo. Deinde voluntatem ad hoc vertendam vt id quod bonum eſt ametur, poſtremo ſtudium boni operis adhibẽdum. G & ita vt non paruo tempore ſed continuo ac feliciter in eodem conatu permaneat. Sic enim confirmatus ad fructum perueniet ſapientiæ. Vnde in prouerbijs ipſa Sapiẽtia ait: Prou. 8. *meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.*

Manus meas extendi in altum, & in ſapientia eius luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit. Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inueni eam. Poſſedi cum ipſa cor ab initio: propter hoc non derelinquar. Manus extendit in altum, qui precibus pijs ſupernum quærit auxilium, in ſapientia illius eluxit anima, qui ad illam meditandam beneuola dirigit præcordia. Vnde in agnitione ipſius inuenit H eam, hoc eſt enim ſapientiam inuenire illuminata mente pleniter eam accipere; & quoniam hoc non alijs conceditur donum, niſi illis qui in eius perceptione præparant cor mundum, ideo dicit: poſſedi cum ipſis ab initio. Ac ſi diceret, *dilexi eam puro corde ab initio, propterea non derelinquar*: impoſſibile eſt enim vt executor veræ ſapientiæ derelinquatur ab ea, cum ipſa dicat: Prou. 8. *Ego diligentes me diligam, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.* Et alibi: Eccl. 24. *qui operantur in me, non peccabunt, qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Venter meus conturbatus eſt quærendo illam: propterea poſſidebo bonam poſſeſſionem. Quod dicit ventrem ſuum conturbatum inquirendo illam: vel hoc inſinuat, quod in eius meditatione anxium habuerit animum, quia omnis diſciplina in præſenti amara eſt, vel hoc intimat, quod per eius notitiam ad peccatorum ſuorum compunctus ſit pœnitentiam. Vnde ſcriptum eſt: *qui addit ſcientiam, addit dolorem*: hinc & Ioannes in Apocalypſi narrat, quod Angelus daret ſibi librum, & diceret ei: Apoc. 10. *accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricare ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel, & accepi libellum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus, ſed poſſidet in hoc bonam poſſeſſionem, quando per huiuſcemodi conuerſionem ad æternam perueniet requiem: qui enim conuerſus ingemuerit, ſaluus erit: &,* Ezech. 3. Matt. 5. *beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Dedit enim mihi Dominus linguam mercedẽ meam, & in ipſa laudabo eũ. Bona merces eſt lingua erudita, & boniloquax: quam qui dono Dei habet, Deum recte laudare, & pro-

A xim.um ſuum rite valet inſtruere: vnde per Eſaiam dicitur: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo.

Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. Et quid adhuc retardatis, & quid dicitis in his? animæ veſtræ ſitiunt vehementer. Hortatur vir ſapiens paterno affectu indoctos atque indiſciplinatos homines, vt ſine retardatione atque contradictione properent & congregent ſe in domum diſciplinæ, quæ eſt Eccleſia: vbi prudentia vera diſcitur, & morum honeſtas aſſidue habetur: nec non & eos arguit & reprehendit, quod dum ſitim verbi Dei patiantur, refrigerium doctrinæ ſpiritalis nolint recipere, & quid ſibi faciendum ſit protinus ſubiungendo manifeſtat.

Aperui os meum, & locutus ſum, comparate vobis ſine argento ſapientiam, & collum veſtrum ſubijcite iugo eius, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam. In proximo eſt enim inuenire eam. Mercimonium optimum eſt, vbi deuotio hoc promereri valet, quod pecuniarum grandis impenſa impetrare non po-
B teſt: qui ergo intente diſcit, & diſciplinabiliter viuit, donum cæleſtis ſapientiæ veraciter obtinebit. Huic ſenten-
Cap. 55. tiæ ſimile eſt illud Eſaiæ, quo dicit: *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac: quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Spreto igitur illo argento & pecunijs, quibus aquas Domini emere non poſſumus, pergamus ad eum qui tenens cali-
Mat. 26. cem ſacramenti diſcipulis loquebatur: *accipite & bibite,*
Mar. 14. *hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*: quod vinum miſcuit, & ſapientia in cratere ſuo omnes ſtultos ſæculi, mundique ſapientiam non habentes prouocans adbibendum, & non ſolum vinum emamus, ſed & lac: quod ſignificat innocentiam paruulo-
1. Cor. 3. rum. De quo lacte dicebat & Paulus: *lac vobis potum dedi,*
1. Petr. 2. *non ſolidum cibum.* Et Petrus: *quaſi modo nati paruuli rationa-*
Gen. 49. *bile lac deſiderate.* Vnde & Moyſes, vinum & lac in Chriſti intelligens paſſionem myſtico ſermone teſtatur: gratioſi oculi eius à vino, & candidi dentes eius à lacte. Ergo non iuxta abundantiam ipſam & delicatos cibos, & craſſitudinem corporis, aueſque phaſides, & craſſas turtures,

C

D

E mulſum merum, vxorum pulchritudinem, examina liberorum, Dominus animæ pollicetur: ſed illas delicias ad quos nos myſtice prouocat, dicens: *Delectare ſiue delicijs fruere in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et alibi: Pſal. 36.
credo videre bona Domini in terra viuentium. Et in alio Pſal- Pſal. 102
mo: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini* Pſal. 26.
ſancto eius: qui implet in bonis deſiderium tuum. Denique infert: *audite me, & viuet anima veſtra.* Omnium bonorum promiſſio, vita eſt ſempiterna.

Videte oculis veſtris, quoniam modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Adſumite diſciplinam in multo numero argenti, & copioſum aurum poſſidete in ea. Bonum ſtudium quod mediocriter impenſum æternum promerebitur præmium. Pretioſior eſt ergo diſciplina Eccleſiaſtica multo numero argenti & copioſa poſſeſſione auri: quia hæc æternas præparat delicias: iſta autem paruo, & in breui penitus deficiunt tempore: mundus enim tranſit & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Lætetur anima veſtra in miſericordia eius, & non confundemini in laude ipſius. Pulchre hortatur animam lætari in miſericordia Dei: quia magna alacritas eſt cordis, dum recordatur miſericordiam superni iudicis, *beneplacitum eſt e-* Pſal. 146
nim Domino ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſeri-
F *cordia eius. & non confundemini* (inquit) in laude ipſius. *Non confundetur quiſquam in laude Domini,* ſed ille qui ingratus dono, Dei negligit referre gratias ipſi. Dicit enim Pſal-
miſta: *vniuerſi qui te expectant Domine, non confundentur.* Pſal. 24.
Confundentur iniqui facientes vana, quali autem clauſula artifex iſte in fine opus ſuum concludat, audiamus.

Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo. Huic ſententiæ canon totius diuinæ legis concordat, & hoc reſonat, hoc docet, hocque hortatur: vt dum tempus habemus, ſemper bono operi inſiſtamus: quatenus in tempore opportuno iuſtiſſimo iudice retribuente, æternam mercedem pro hoc accipiamus. Taliter Eccleſiaſtes librum ſuum concludit, dicens:
finem loquendi, omnes pariter audiamus. Deum time, & omnia Ca. vlt.
mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni abſcondito, ſiue bonum ſiue malum ſit.

G

F I N I S.

H

Digitized by Google

Digitized by Google

LABORATORIO DI RESTAURO
Via del Teatro di Marcello 32
00186 ROMA

Digitized by Google